THEOLOGIA

MORALIS

S. ALPHONSI M. DE LIGORIO

VOL. I.

THEOLOGIA
MORALIS
S. ALPHONSI M. DE LIGORIO

EPISCOPI S. AGATHAE GOTHORUM
FUNDATORIS CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS
ET
UNIVERSALIS ECCLESIAE DOCTORIS

ACCEDIT
DISSERTATIO P. ZACHARIAE
ET DECRETA ROMANORUM PONTIFICUM MORUM MATERIAM RESPICIENTIA

VOL. I.

EDITIO OMNIUM ACCURATIOR
CONTINENS QUIDQUID AUCTOR IN CAETERIS ADDIDIT
REFORMAVIT VEL EXPLICAVIT

AUGUSTAE TAURINORUM
EX TYPIS HYACINTHI MARIETTI
MDCCCLXXIX

TYPOGRAPHUS LECTORI

Ut Moralem Theologiam Sancti Alphonsi laudibus ornem, eamque tibi commendem, a me, arbitror, non postulas: ea enim satis est ubique terrarum nota, plurimumque probata. Verum tibi de mea hac tertia editione aliquid dicendum esse videtur. Eam ego pluribus et curis et sumptibus plane efficere studui perfectam et emendatam, atque hoc magna ex parte me esse consequutum existimo. Quare absolutissimam eam omnium et adpello, et non sine quadam animi audacia esse testor: non quidem quod nulla prorsus menda in ipsa invenienda sint, sed quod, si quis eam forte velit cum caeteris editionibus prope innumeris, quae unius saeculi ambitu prodierunt, comparare, multo emendatiorem esse profecto comperiet. Prae caeteris elegi, quam pone sequerer, editionem illam quae anno superiore Mechliniae apud Belgas in lucem venit, in qua plurima sunt et castigata et àd calcem paginarum addita, et scriptorum loca quae contractis signis indicantur multa convecta: praesertim sanctae scripturae, decretalium, summae s. Thomae, Salmanticensium, Tournelii, eiusque continuatoris Colleti: ego vero alia quam potui plurima et prope innumera castigavi et conrexi, et alia addidi vel ad calcem paginarum vel in fine alterius voluminis: et ordinem librorum, qui in Mechliniensi editione, consilio non omnibus probando,

fuerat immutatus, integrum incolumemque servavi, et, quod legenti tibi maximi erit commodi, indicia locorum ubi doctores sententias suas scripsere, quas Alphonsus in medium adfert, ad calcem paginarum singularum dimisi. Videbis heic, lector, adpositam epistolam LEONIS XII. Pont. Max., quam mihi ille dignatus est scribere, quum primam S. Alphonsi editionem susceperam: in eaque non minus benevolentiae suae erga me testimonium, quam honoris ipsi Alphonso conlatum leges. Quare heic Alphonsum rogo, ut me, teque, horum librorum candide lector, velit suo numine tueri, dum vitam hanc vanam fallacemque vivimus, et in beatissimas coeli sedes secum tandem recipere. Vale.

Augustae Taurinorum kal. oct. MDCCCXLVI.

DILECTO FILIO

HYACINTHO MARIETTI

LEO PP. XII.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ut minus noceat malorum colluvies librorum, qua, nunquam satis deploranda aetatis nostrae calamitate, regiones omnes redundant, non exiguus facit Scriptorum pietate ac doctrina praestantium numerus, quos Deus ad religionis morumque tutelam, misericordi providentiae suae consilio nunquam perditorum non opponit audaciae. In quibus cum praesertim vir sanctissimus idemque doctissimus Beatus Alphonsus de Ligorio iure optimo numeretur, imo singulari quodam excellat tenerae pietatis affectu, et in eam potissimum curam scriptis suis incumbat, ut frequentem suadeat Sacramentorum usum, Christi Iesu amorem, et Eius misericordiae meritorumque fiduciam, Beataeque Virginis Deiparae, ac Coelitum Sanctorum cultum inculcet, quae demum firmissima sunt adversus omnem pravitatem praesidia; optime sane de Religione meritus es, et sua si norit commoda, de universa hominum societate, qui in Scriptoris huiusmodi Operibus colligendis, et in lucem edendis operam tuam industriamque collocaveris: Nosque potissimum habemus gratiam, quibus pro pastorali nostro munere nihil magis est curae, quam ut omni ope profligentur vitia, pietasque foveatur. Eius rei testimonium, gratique in te animi, qui etiam observantiam in nos tuam professus sis misso Nobis editionis eiusdem exemplari, itemque incitamentum ad eiusdem generis libros, ut ante fecisti, quam plurimos possis evulgandos, aureum, quod tibi mittimus, numisma esse volumus, cum Apostolica Benedictione, quam tibi amanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 19. Februarii anni 1825., Pontificatus nostri anno II.

GASPAR GASPARINI
ab epistolis latinis.

EX BULLA CANONIZATIONIS

S. ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO

Alphonsus Neapoli v. calendas octobris anno 1696. claro genere ortus ac miram mentis alacritatem nactus, ut primum excessit a pueris, ad humanitatis studia, tum ad severiores doctrinas, deinde ad iuris etiam disciplinam appulit animum; tanta porro in discendo felicitate ingenii usus est, ut decimum sextum aetatis annum vix ingressus, periclitata doctrina, iuris utriusque lauream egregia cum laude sit adeptus. Patris voluntati obsecutus ad causas in foro dicendas studium suum curasque convertit; quo in munere caste integreque versatus, illud tamen deserendum duxit, quod plenum turbarum, plenum periculi comperisset, inque ecclesiae castra divertit. Spretis itaque honestissimis nuptiis avitisque fortunis, quae sibi, ut erat natu maior, pertinebant, in fratrem ultro libenterque delatis, rerum humanarum curam prorsus abiecit.

Tum sacris ordinibus initiatus, ac sacerdotii honore insignitus ad Dei gloriam quaqua versus amplificandam, ad inserenda in animis hominum virtutum semina, stirpesque vitiorum evellendas totus incubuit. Persuasum cum haberet, neminem plane ex apostolicis laboribus uberem fructum esse percepturum, nisi et doceat et faciat, illud in primis urgendum sibi proposuit, ut omnigenae virtutis exercitio, seipsum exhiberet tamquam ministrum Dei et dispensatorem mysteriorum eius. Castitatis nimirum, quam dudum voverat Deo, custos semper fuit retinentissimus, id assidue mente, actuque corporis contendens unice, ut eam ab omni plane labe integram servaret; quod ut certo assequeretur Genitricis Dei praesidio illam fidenter commisit. Tam vehementi amoris impetu in Deum ferebatur, mentis ut aciem in eum perpetuo intenderit, ac nihil aliud habere in deliciis visus fuerit, quam de illo cogitare ac loqui. Cum tanto divini amoris aestu incenderetur, facile quisque intelligit, quam ardenti in proximum caritate flagraverit. Quamobrem nihil laboris, nihil molestiarum recusavit unquam, ut vitiis ac sceleribus implicitos homines in Dei sinum complexumque reduceret. Hinc valetudinaria adibat saepissime, aegris ut assideret, eisque in extremo praesertim vitae periculo laborantibus praesto esset; hinc admissa scelera confitentes patientissime audiebat, eoque in munere integros ferme dies, atque etiam ad multam noctem vigilabat; hinc ad confertam populi multitudinem verba plerumque faciebat e suggestu tanto dicendi ardore, ut perditorum pervicaciam expugnaret ac frangeret, scelerumque quibus obcalluerant turpitudinem patefaciens, tanto doloris sensu animos auditorum commovebat, ut eos ad lacrymas concitaret, fletuque atque eiulatibus sacrae identidem aedes obstreperent. Quapropter cum neque diurnum tempus, neque nocturnum intermitteret, quin ad proximorum salutem procurandam, omnes animi vires corporisque conferret, assidua laborum contentione debilitatus ac fractus lethalem in morbum incidit, ex quo ut primum ope divina relevatus est, alacriori statim animo caritatis munia iterum obire suscepit.

Scilicet ubi primum ex supremi consilio Numinis ad novam se religiosam societatem instituendam vocari cognovisset, ut ne in tanta messis ubertate deficerent industrii cultores, nulla molestiarum mole deterritus est, quin eius operis, quod in maximum ecclesiae commodum cederet, perfectionem urgeret. Itaque divino auxilio subnixus, rem aggressus est, consiliaque et artes inferni hostis molitionem novi operis pervertere conantis feliciter elusit. Adscitis duodecim pietatis laude praestantibus viris fundamenta iecit religiosae sodalitatis, cui a ss. Redemptore praenomen inditum est; atque in eo potissimum enitendum proposuit, ut qua verbo, qua exemplis agrestium praesertim hominum, qui per agros vagarentur, profligatos mores ac perditos ad honestatem revocaret. Illam brevi tempore per Italiae urbes ac provincias, mirum in modum propagatam a Benedicto XIV. praedecessore nostro apostolica confirmandam auctoritate curavit; eique ab eodem pontifice summus moderator institutus, profecto ut ad omnium virtutum exercitationem sodales inflammarit exemplo suo.

Humilitatis virtute quam maxime praestitit; tametsi mira prorsus de illius sanctitatis praestantia omnium animis insedisset opinio, et illustrium dignitate virorum observantia honestaretur, demisse tamen perpetuo de se sensit, omnique se honore et cultu indignum existimavit.

Deiparam Virginem ut Filius matrem singulari prorsus pietate prosequebatur, vehementique amoris ac venerationis sensu érga sacratissimum Eucharistiae sacramentum ferebatur, in eoque adorando quamplures continentes horas mira animi dulcedine perfusus traduxit. Corpus, ut in spiritus servitutem ad apostoli exemplum redigeret, domesticum tamquam hostem assidue coercuit, atque omni tormentorum genere excruciavit. Tantum cibi ac potionis eidem impertivit, quantum ad reficiendas vires vitamque sustentandam satis vix esse videretur, imo vilissimas, quas adhibuit, escas, ut omnem voluptatis sensum prorsus extingueret, amarissimis aspergere succis consuevit. Praeterea asperrimis ciliciis ex equorum setis contextis latus subcingere, et ferreas membris catenulas admovere numquam destitit; aculeatis vero flagris ita in suos artus saevire solitus fuit, ut affatim ex dilaniata carne micans sanguis solum parietesque perfunderet, quas porro cruentas maculas, ne illatae sibi caedis indicium extaret, delere satagebat.

Illud vero omnino mirandum, quod licet in apostolici functione muneris perpetuis occupationibus distineretur, atque adeo omni cruciatuum asperitate sua membra torqueret ac debilitaret, tanta nihilominus mentis alacritate in rerum sacrarum studiis versari, ac tantum insumere tempus potuerit, ut doctis aeque ac laboriosis operibus in lucem editis rem christianam mirifice iuverit. Enim vero, ut se suasque vitae rationes omnes divino cultui devoveret, maxime arduum, ac novi pene generis votum emisit, ut ne tantillum quidem temporis otiose, verum perpetua in actione traduceret. Plurimos sane conscripsit libros, sive ad morum doctrinam tuendam, sive ad plenam sacri ordinis institutionem, sive ad confirmandam catholicae religionis veritatem, sive ad asserenda huius s. Sedis apostolicae iura, sive ad pietatis sensum in christianorum animis excitandum. In iis porro inusitatam vim, copiam varietatemque doctrinae, singularia ecclesiasticae sollicitudinis documenta, exquisitum religionis studium demirari licet. Illud vero imprimis notatu dignum est, quod licet copiosissime scripserit, eiusdem tamen opera inoffenso prorsus pede percurri a fidelibus posse, post diligens institutum examen perspectum fuerit.

Hac tanta sanctimoniae atque eruditionis laude cum floreret, Alphonsus Clementis XIII. auctoritate ad episcopalem sedem s. Agathae Gothorum evectus est. Reformidavit vir sanctissimus impositi oneris gravitatem, quod ut a se deprecaretur, rationes omnes adhibuit; verum cum ex pontificis mente ipsam Dei voluntatem perspexisset, acquiescendum sibi, ac munus illud, cui ferendo imparem se prae humilitate sentiret, divino praesidio confidens, alacri erectoque animo suscipiendum iudicavit.

Iam vero difficile dictu est, quanta cura ac studio omnes pastorales officii partes explere contenderit; gregi suo, quem sibi commissum intelligebat, assiduus advigilavit, omnemque adhibuit operam, ut ne una quidem ex concreditis sibi ovibus perditum iret. Neque vero de severissima vivendi ratione ex illa accessione dignitatis remisit quidquam, omnem in victu cultuque corporis lautitiam devitavit; nihil in eius aedibus, nihil in domestica supellectili superfluum ac splendidum. Pauperes mira caritate complexus est, quibus alimenta, vestes stipemque prolixe erogabat, imo auream crucem atque annulum episcopalem vendere quandoque non dubitavit ad eorum egestatem sublevandam. Puellis, ut nuptui darentur, dotem de suo praebere, adolescentes clericos, qui humili genere nati rerum inopia afflictarentur, in bonarum artium disciplina suis alere impensis consuevit. Sacris virginibus claustra, foeminis, quae in periculo amittendae castitatis versarentur, aedes aperuit tamquam pudoris perfugium. In dioecesi lustranda nullis neque viarum, neque temporum asperitatibus retardatus affixa montium iugis oppidula, dispersas per agros gentes sedulus invisebat, ac verbis ardore plenissimis ad virtutis amorem inflammabat, a scelerum turpitudine deterrebat. Sacerdotum vero atque adolescentium, qui ecclesiasticae militiae tyrocinium posuissent, curam gessit peculiarem. Sane quam intenta cura allaboravit, ut in ipso aetatis flore pietati succrescerent, et sacris praesertim disciplinis rite imbuerentur, ut tandem ad sacrorum, christianaeque plebis procurationem pares evaderent. Maxime vero ad acuendos illorum animos valuisse dicenda est egregii antistitis vita, siquidem in eius moribus

inspicientes proposita oculis habebant illustria exempla continentiae, religionis, pietatis, denique virtutum omnium, quibus ornari atque instrui sacerdos oportet, si quidquam in communem ecclesiae utilitatem conferre velit.

Cum tredecim annorum spatio ecclesiam sibi demandatam omni pastorali studio ac vigilantia in exemplum gubernasset, tandem devexa iam aetate senex atque affecta etiam valetudine, a Pio VI. praedecessore nostro venia pluries impetrata, ac demum obtenta, gravissimum illud munus amisit. Episcopatus itaque negotiis expeditus ad suos sodales cum se recepisset, reliquum vitae non ad honestam quietem, verum ad alias curas laboresque vel in summa senectute contulit. Ita semper aliquid scriptioni mandavit, quod in fidelium utilitatem vertere intelligeret; ita numquam a concionibus abstinuit, ut hominum mores corrigeret, et eos quoad posset amore virtutis incenderet.

Tandem cum nonagesimum primum aetatis annum attigisset, properantis iam ad metam aetatis pondere pressus, et gravi correptus morbo decubuit. Incredibili patientia toleratis queis acerrime discruciaretur morbi doloribus, et religiosae societatis, cuius auctor fuerat, sodales ad omnem virtutis laudem vehementissime cohortatus, sanctissimae Eucharistiae viatico refectus est, ac sancta olei unctione munitus. Quibus ecclesiae sacramentis religiosissime susceptis, spiritus laetus atque alacer, cui nil fuit antiquius, quam ut a carcere corporis solutus esset, cum Christo, in Dei sinum placidissime evolavit.

Ut primum de Alphonsi obitu fama percrebuit, ingens ad eius feretrum concursus hominum factus est viri desiderio moerentium, atque aliquid, quod in usum viventi fuisset, obsequii et venerationis causa surripere decertantium. Nec fama defuit prodigiorum, quibus insignem antistitis sanctitatem Deus Opt. Max. palam omnibus declaravit. Iis vero longe lateque pervulgatis, quae iampridem invaluerat ipsius virtutum opinio mirum in modum aucta est, pluresque principes viri, aliique dignitate conspicui, regulares insuper ordines oppido multi enixis precibus apud Pium VI. pontificem maximum contenderunt, ut de Alphonsi vita sanctissime traducta iuridica acta conficerentur. His de more absolutis severissimeque expensis, nec non diligentissime perlustratis atque excussis, quae in vulgus ediderat, operibus, ex sententia congregationis sacris ecclesiae ritibus tuendis praepositae Pius VII. decessor noster nonis maii anno 1807. decretum emisit, quo constare asserebatur de ven. Alphonsi Mariae de Ligorio virtutibus theologalibus et cardinalibus eorumque adnexis in gradu heroico.

Tum in eodem sacro consilio ad ea miracula perscrutanda ventum est, quae ven. Alphonsi gratia ab omnipotenti Deo patrata esse affirmabantur (1). Demum XII. kal. ian. 1815. pontificias dedit litteras de beatorum honoribus ven. Alphonso Mariae de Ligorio quandocumque tribuendis: quod solemni pompa ac splendidissima in basilica vaticana XVI. kal. septembris 1816. perfectum est.

Atqui post publici cultus honores ven. Alphonso tributos alii plures in praesenti discrimine eius opem experti sunt, plane ut perspicuum esset, quo plus operae ac laboris ad amplificandam divini nominis gloriam piissimus antistes impenderat, eo maiori in terris honore fidelem suae domus dispensatorem cumulare Deum pro sua benignitate voluisse. Quorum sane miraculorum celebritate excitati cum Ferdinandus I. utriusque Siciliae rex pientissimus aliique principes viri, tum plerique ex S. E. R. cardinalibus, archiepiscopis, episcopis, ac religiosi ordines, imprimisque sodalitas a ss. Redemptore nuncupata, quae Alphonso auctore iure gloriatur, etiam atque etiam Pium VII. obsecrarunt, ut de beato Alphonso sanctorum fastis adscribendo in sacro Consilio Ecclesiae ritibus tuendis quam primum referretur. Annuit humanissime eorum precibus idem decessor noster, et de recentium miraculorum veritate accuratissime inquiri coeptum est (2).

Admirandis plane morborum curationibus iuridice probatis, Pius VIII. decessor noster de illarum veritate decretum edidit III. non. decembris anno 1829. Postea cum in s. concilio ecclesiae ritibus cognoscendis propositum de more fuisset, an tuto procedi posset ad solemnem b. Alphonsi canonizationem, atque omnia praesto essent, quae iuxta praxim apostolicae sedis necessario requirerentur, idem Pius VIII. pont. max. dominica quinta a paschalibus solemniis, postquam in aede quirinali sacrum peregisset, XVIII. kal. iun. 1830. sententiam suam declaravit, ad eamdem canonizationem tuto procedi posse. Iam vero decretum illud nos exequi cupien-

(1) Heic duo narrantur miracula. (2) Alia duo referuntur miracula.

tes, votisque libenter annuentes sodalitii a ss. Redemptore nuncupati, primum cum universo collegio venerabilium fratrum nostrorum S. E. R. cardinalium rem communicavimus in consistorio secreto habito IV. id. decembris 1838., qui in eamdem sententiam de sanctorum honoribus b. Alphonso Mariae de Ligorio deferendis conspirarunt.

Mox complures venerabiles fratres, archiepiscopos, episcopos in tantae rei consultationem adscivimus, actorumque omnium seriem quae virtutes et prodigia b. Alphonsi complecterentur, illorum iudicio subiecimus, tum oretenus in consistorio publico, in quo dilectus filius Antonius Maria Cagiano de Azevedo aulae nostrae consistorialis advocatus ipsius Beati causam peroravit, tum etiam in scriptis, tradita nimirum accurata actorum relatione ex authenticis eius s. consilii monumentis desumpta. Quibus praemissis, in semipublico consistorio octavo idus maii coram nobis coacto, ad quod nedum ven. fratres nostros S. E. R. cardinales, sed et ven. fratres patriarchas, archiepiscopos, episcopos in urbe praesentes accersivimus, eorumque sententiam rogavimus super b. Alphonso sanctorum fastis adscribendo. Porro cum ad unum omnes affirmativam sententiam dixissent, et vero etiam hoc honore b. Alphonsum augendi studiosissimos sese declarassent, nos a dilectis filiis apostolicae sedis notariis publica confici instrumenta mandavimus, et venerabilium fratrum suffragia litteris commissa, ac singulorum manu subscripta in ecclesiae romanae tabulario custodiri iussimus. Verumtamen a proferenda in re tanti momenti peremptoria sententia abstinendum duximus, usque dum indictis in urbe solemnium ieiuniorum diebus, atque ecclesiis etiam ad supplicandum Deo designatis, a coelesti patre luminum sapientiae suae radios copiosius impetraremus.

Praestituta tandem die VII. kalendas iunii ad praedictam canonizationem b. Alphonsi (1), solemni ritu celebrandam in vaticanam basilicam festa pompa progressi sumus cum universi cleri saec. ac regul. ord. cum romanae curiae et aulae nostrae proceribus et officialibus, denique cum praedictis ven. fratribus S. E. R. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis. Antequam sacris operaturi ad aram accederemus, dilectus filius noster Aloysius Tituli s. Callisti S. E. R. presbyter cardinalis Lambruschini per consistorialis aulae nostrae advocatum iterum preces humillime exhibuit christianorum principum, sacrorum antistitum, ac populorum, ipsum b. Alphonsum in sanctorum ordinem referri postulantium, ac nos in genua provoluti angelorum choros coelitesque omnes deprecati sumus, nobis ut propitii adessent, dein ad iteratas instantias Spiritum paracletum enixis precibus obsecravimus, ut mentem nostram definitivam sententiam iamiam prolaturam virtute sua confirmaret. Postremo ad instantissimas preces causae postulatoris, atque adeo ad universae ecclesiae vota, atque ad accuratissimas, quae de tanto negotio institutae essent, quaestiones, et sacrorum antistitum suffragia, quae Deo adiuvante, tulissent, animum advertentes, auctoritate apostolica, quam b. Petri apostolorum principis in suprema ecclesiae procuratione licet immerito successores obtinemus, in honorem sanctae et individuae Trinitatis, in catholicae fidei, et religionis splendorem et decus, solemnem ac decretoriam sententiam nostram proferentes, b. Alphonsum Mariam de Ligorio christianarum virtutum luce coruscantem ac prodigiorum fama celeberrimum sanctorum confessorum pontificum numero adscripsimus, eiusque memoriam IV. nonas augusti ab ecclesia universa colendam statuimus.

(1) Numerantur heic Beati alii quatuor cum Alphonso inter sanctos relati: Franciscus de Hieronymo, Ioannis Iosephi a Cruce, Pacifici a s. Severino, Veronicae de Iulianis.

BREVE DOCTORATUS
S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO

PIUS PP. IX.
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui Ecclesiae suae numquam se defuturum spopondit Christus Dominus, quum maxime in rem suae immaculatae Sponsae esse perspexerit, insignes excitat pietate et doctrina Viros, qui *repleti spiritu intelligentiae, tamquam imbres mittant eloquia sapientiae suae.* Neque enim sine providentissimo Omnipotentis Dei consilio factum est, ut, quum Iansenistarum doctrina Novatorum oculos in se converteret, errorisque specie multos alliceret, ageretque transversos, tunc potissimum extaret ALPHONSUS MARIA DE LIGORIO, Congregationis a Sanctissimo Redemptore Institutor, et Sanctae Agathae Gothorum Episcopus, qui *bonum certans certamen, os aperiret suum in medio Ecclesiae;* scriptisque doctis et laboriosis, istam ab inferis excitatam pestem radicitus evellendam, et ab agro Dominico exterminandam curaret. Neque vero has solum sibi partes depoposcit Alphonsus; sed in Dei gloriam, spiritualemque hominum salutem unice intendens animum, plurimos Libros conscripsit, sacra eruditione et pietate refertos, sive, inter implexas Theologorum tum laxiores, tum rigidiores sententias, ad tutam muniendam viam, per quam Christifidelium animarum Moderatores inoffenso pede incedere possent; sive ad Klerum informandum, instituendum; sive ad Catholicae Fidei veritatem confirmandam, et contra cuiuscumque generis aut nominis Haereticos defendendam; sive ad asserenda huius Apostolicae Sedis iura; sive ad Fidelium animos ad pietatem excitandos. Hoc porro praedicari verissime potest, nullum esse vel nostrorum temporum errorem, qui, maxima saltem ex parte, non sit ab Alphonso refutatus. Quid quod ea, quae, tum de Immaculata Sanctae Dei Genitricis Conceptione, tum

de Romani Pontificis ex Cathedra docentis Infallibilitate, plaudente christiano populo, et frequentissimo universi catholici orbis Antistitum consessu approbante, a Nobis sancita sunt, in Alphonsi Operibus reperiuntur et nitidissime exposita, et validissimis argumentis demonstrata?

Quamobrem in Hunc perbelle cadit nobilissimum illud divinae Sapientiae praeconium: *Non recedet memoria Eius, et nomen Eius requiretur a generatione in generationem. Sapientiam Eius enarrabunt gentes, et laudes Eius enuntiabit Ecclesia.* Ac Pius VII. Praedecessor Noster recolendae memoriae, summam Alphonsi sapientiam demiratus, gravissimum hoc de eo protulit testimonium: *Voce*, nimirum, *ac scriptis in media saeculi nocte errantibus viam iustitiae ostendisse, per quam possent de potestate tenebrarum in Dei lumen ac regnum transire.* Item fel. rec. Decessor noster Gregorius XVI. *incredibilem* Alphonsi *dicendi vim, copiam, varietatemque doctrinae* maximis laudibus prosequutus, Eum Sanctorum Coelitum fastis adscripsit. Tandem nostris hisce temporibus, plurimi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, fere omnes totius orbis Sacrorum Antistites, Supremi religiosorum Ordinum Moderatores, insignia Sodalium Theologorum corpora, illustria Canonicorum Collegia, et docti ex omni coetu Viri supplices Nobis preces porrexerunt, ut Sanctum Alphonsum Mariam de Ligorio DOCTORIS ECCLESIAE titulo honoribusque augeamus. Nos itaque piis hisce precibus obsecundare lubenti animo volentes, gravissimum hoc negotium, ut moris est, Congregationi VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium tuendis Ecclesiae ritibus praepositorum expendendum commisimus. Iam vero, cum dicta VV. FF. NN. Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes die XI. Martii huius vertentis anni habitis, audita relatione Venerabilis Fratris Nostri Constantini S. R. E. Cardinalis Patrizi nuncupati, Episcopi Ostien., et Veliternen., eiusdem Congregationis Praefecti, Causaeque Ponentis; consideratis Animadversionibus dilecti Filii Petri Minetti Presbyteri, Fidei Promotoris; item Patroni Causae Responsis, nec non Theologorum pro veritate sententiis; omnibus denique rationum momentis sedulo attenteque perpensis, unanimi consensu rescribendum censuerit: *Consulendum Sanctissimo pro concessione, seu declaratione et extensione ad universam Ecclesiam tituli Doctoris in honorem Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio, cum Officio et Missa iam concessis; addito* Credo, *Antiphona ad Magnificat in utrisque Vesperis:* O Doctor, *ac Lectionibus I. Nocturni:* Sapientiam, *et VIII. Re-*

sponsorio: In medio Ecclesiae; — Nos Rescriptum istud, edito die XXIII. eiusdem mensis et anni, Generali Vrbis et Orbis Decreto, approbandum, confirmandumque existimavimus.

At enim dilectus Filius Nicolaus Mauron, Superior Generalis et Rector Maior Congregationis Sanctissimi Redemptoris, ad iam memoratam Cardinalium Congregationem tuendis Ecclesiae Ritibus supplex adiit, ut in Festo eiusdem Sancti Alphonsi, per Decretum de quo habita ante mentio est, inter Ecclesiae Doctores adsciti, in Martyrologio Romano, post verba: *Sanctorum fastis adscripsit*, sequentia adderentur: *et Pius IX. Pontifex Maximus, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, universalis Ecclesiae Doctorem declaravit;* item in VI. Lectione, post verbum: *accensuit*, haec alia: *tandem Pius IX. Pontifex Maximus, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, universalis Ecclesiae Doctorem declaravit*, utque concessiones omnes hac super re factae, Apostolicis Nostris Literis confirmarentur. Quae quidem Cardinalium Congregatio cum in conventu, die XXII. mensis Aprilis huius anni de more habito, rescripserit: *Pro gratia;* Nos die XXVII. mensis eiusdem, Rescriptum illud ratum habuimus, atque Apostolicas Literas in forma Brevis expediri mandavimus. Quae cum ita sint, memorati dilecti Filii Nicolai Mauron obsequuti votis, deque consilio VV. FF. NN. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationis legitimis Ritibus cognoscendis, Auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium, titulum DOCTORIS in honorem Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio, Congregationis a Sanctissimo Redemptore Institutoris et Sanctae Agathae Gothorum Episcopi, confirmamus, seu, quatenus opus sit, denuo Ei tribuimus, impertimus; ita quidem ut in Universali Catholica Ecclesia semper Is Doctor habeatur, atque in die festo anniversario tum a Regulari, tum a Saeculari Klero celebrando, Officium et Missa fiat iuxta Sacrae Rituum Congregationis Decretum Rescriptumque, quod memoravimus. Praeterea huius Doctoris Libros, Commentaria, Opuscula, Opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo privatim, sed publice in Gymnasiis, Academiis, Scholis, Collegiis, Lectionibus, Disputationibus, Interpretationibus, Concionibus, Sermonibus, omnibusque aliis Ecclesiasticis studiis, christianisque exercitationibus, citari, proferri, atque, cum res postulaverit, adhiberi volumus et decernimus.

Tandem ut Christifidelium pietas ad huius Doctoris diem festum rite colendum, eiusque opem pie implorandam magis accendatur, de

Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui die festo eiusdem Doctoris, aut uno ex septem diebus continuis immediate subsequentibus, uniuscuiusque Christifidelis arbitrio sibi deligendo, vere poenitentes et sacramentali confessione praemissa, Sanctissimam Eucharistiam sumpserint, et quamlibet ex Ecclesiis Congregationis Sanctissimi Redemptoris devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem, quae etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari poterit, misericorditer in Domino in perpetuum concedimus.

Quocirca universis VV. FF. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et Dilectis Filiis aliarum Ecclesiarum Praelatis per universum terrarum Orbem constitutis per praesentes mandamus, ut quae superius sancita sunt, in suis Provinciis, Civitatibus, Ecclesiis et Dioecesibus solemniter publicari, et ab omnibus personis Ecclesiasticis saecularibus et quorumvis Ordinum Regularibus, ubique locorum et gentium inviolabiliter et perpetuo observari procurent. Haec praecipimus atque mandamus, non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium Literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VII. Iulii MDCCCLXXI. Pontificatus Nostri anno vigesimosexto.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

Pro D.no Card. PARACCIANI CLARELLI.

Felix Profili, Substitutus.

MONITUM AUCTORIS

AD LECTOREM

QUI ROGATUR LEGERE HANC PRAEFATIONEM PRO INTELLIGENTIA TOTIUS OPERIS

Cum praecipuum sit intentum nostrae minimae congregationis ss. Redemptoris missionibus vacare, cumque missionariorum exercitio necessario annexum sit munus conscientias hominum instructionibus, et confessionibus dirigere: ideo plurimis abhinc annis excogitavi iuventuti sodalitatis nostrae librum de re morali tractantem tradere, qui mediam inter alios aut nimis rigidos, aut nimis benignos viam teneret. Opus absolvi, sed quia nimis festinanter fuit illud typis demandatum, ut aliis satisfacerem, mihi non satisfeci; plura enim in eo vel non bene excusa exciderunt, vel confuso ordine fuerunt exposita. Idcirco, cum ea diligentiore examine necnon clariore methodo indigere animadvertissem, animum ad secundam editionem applicui, in qua ad meliorem ordinem omnia redigere curavi, et utilissimis doctrinis librum copiosiorem reddere. Nonnullas etiam opiniones (temporis decursu rebus ad utiliorem trutinam revocatis), hominem me agnoscens, reformavi. Neque in hoc erubui, cum d. Augustinus non erubuerit in pluribus se retractare; sicut etiam d. Thomam fecisse testantur Caietanus, Catharinus, et Capreolus, ac ipse doctor Angelicus (3. p. quaest. 9. art. 4.) *sic fassus est:* quamvis alibi aliter scripserim. *Ut enim Tullius dixit*: Sapientis est mutare consilium. *Et alibi*: Numquam laudata fuit in una sententia permansio.

Nemini autem superfluum videatur post tot libros scientiam moralem pertractantes hunc me suscepisse laborem, quasi actum agerem: cum etenim plurimos legerim auctores, alios inveni, qui plus aequo indulgentes iis qui (ut ait Isaias cap. 30.*) dicunt*: Nolite aspicere nobis ea quae recta sunt, loquimini nobis placentia, *consuunt pulvillos sub eorum capite, ut in peccatis misere conquiescant: haud enim dubitandum multum detrimenti Dei ecclesiam sentire ex istorum auctorum sectatoribus, cum maior hominum laxioris vitae pars ad illos concurrat. Contra vero reperi alios, qui ad reprobanda assueti quaecumque extremam rigiditatem non sapiunt, consilia cum praeceptis confundunt, novisque mandatis conscientias aggravant, humanam imbecillitatem nihil pensi habentes, nihilque memores illius sacri canonis* (cap. ult. de Transact.) *qui admonet:* In his vero, in quibus ius non invenitur expressum, procedas aequitate servata, semper in humaniorem partem declinando,secundum quod personas et causas, loca et tempora videris postulare. *Et hoc modo iugum Christi Domini, quod est suave, intolerabile reddunt, viamque salutis sic pluribus praecludunt, iuxta illud s. Ambrosii:* Sunt etiam in nobis qui timorem Domini habent, sed non secundum scientiam, statuentes duriora praecepta, quae non possit humana conditio sustinere (In psal. 118. Serm. 5.). *Utraque sane extremitas maxime periculosa, nam prima spatiosam viam relaxatione ad perditionem aperit; altera (ut ait perdoctus Cabassutius* in Theor. iur. Praef. ad Lect.*) duplici tramite urget animas in ruinam, erronea scilicet conscientia et desperatione; cum plurimi, audita hac rigidiore doctrina, in mortalia labuntur vel credentes inesse lethale peccatum ubi non est, vel nimia difficultate deterriti, impossibile putantes eo modo posse salvari, salutis suae curam penitus abiiciunt.*

Propterea in lucem edere deliberavi hoc novum opus, quod inter opiniones nimis benignas et nimis severas medium locum teneret, quodque non tam diffusum esset, ut non facile legeretur, nec tam breve, ut in multis deficeret. Concinnatas in hoc reperies omnes quaestiones, et res morales, quae magis ad praxim deserviunt. Ut vero sententias veritati conformiores seligerem in quacumque quaestione non parum laboris impendi; per plures enim annos quamplurima auctorum classicorum volumina evolvi tam rigidae quam benignae sententiae, quae ultimo (ut arbitror) in publicum prodierunt. Praesertim autem sedulam operam navavi in annotandis doctrinis d. Thomae, quas in suis fontibus observare curavi. Insuper in controversiis intricatioribus etiam doctos iuniores consului.

Praeterea hic invenies in suis propriis locis diligenti studio annotatos textus tum canonicos tum civiles ad rem pertinentes. Item propositiones damnatas, et (quod utilius)decreta recentiora summorum pontificum, et praecipue bullas, sanctionesque nuper editas a ss. d n. Papa Benedicto XIV. *Necnon plurima hic exposui, quae magis missionum et confessionum exercitio, quam librorum lectione didici. Ut autem iusta methodus servaretur, medullam Hermanni Busembaum praemittendam censui*(*), *non iam ut omnes ipsius auctoris opiniones approbarem, sed tantum ut eiusdem methodum sequerer, quae inter aliorum auctorum methodos ad res morales exponendas valde accommodata mihi visa fuit; deinde ut tironibus nostrae congregationis, iuxta finem mihi principaliter propositum, magis prodessem, ad modum captu faciliorem meas appendices studui exarare: in hoc enim maxime incubui, ut potius in claritate, quam in sermonis elegantia abundarem.*

In delectu autem sententiarum ingens cura mihi fuit semper rationem auctoritati praeponere; et priusquam meum ferrem iudicium, in eo (ni fallor) totus fui, ut in singulis quaestionibus me indifferenter haberem, et ab omni passionis fuligine expoliarem: quod satis, benevole lector, ex eo cognoscere poteris, quod ego non paucas sententias, quas in prioribus huius operis editionibus tenueram, in hac postrema mutare non dubitavi. Caeterum sategi ut plurimum meam exponere sententiam, iustum pondus tribuendo maioris, vel aequalis, vel minoris probabilitatis cuique sententiae, prout meae imbecillitati visum fuit, ne ancipitem relinquerem lectorem, more aliquorum, qui sententias aliorum tantum referentes, non parum exosos legentibus se praebent. Ubi vero non inveni rationem pro una parte convincentem, non sum ausus oppositam damnare, more aliorum, qui nimis facile reprobant opiniones, quas plures et graves auctores tuentur, quorum doctrinas praelaudatus ss. n. p. Benedictus (longe ab illis alienus qui eas liberius parvipendunt) in suis elaboratis operibus, et omnigena eruditione refertis, non sine aestimatione commemorat, et saepe eis utitur; quin etiam ipsorum opinionibus non parum defert, iisque innixus in multis Christi fideles instruit, ut videre est in suo bullario.

Caeterum, benigne lector, te admonitum volo, ne existimes me opiniones illas approbare, ex eo quod non reprobem; eas enim quandoque fideliter exponam cum suis rationibus et patronis, ut alii pro sua prudentia, cuius ponderis sint, adiudicent. Deinde advertas, quod cum aliquam opinionem veriorem voco, tunc contrariam non habeo ut probabilem, etsi non expresse ut improbabilem damnem. Insuper quando unam ex sententiis probabiliorem appello, nullo iudicio dato de probabilitate alterius, aut utor hoc verbo, non audeo damnare, *non propterea intelligo eam probabilem dicere, sed iudicio prudentiorum remittere. Si autem observare vis quodnam systema tenendum ipse censeam circa moralium opinionum electionem, vide* lib. 1. de conscientia probabili num. 55. et seq. *Vale.*

(*) Quae in medio textu Hermanni Busembaum inter parenthesim scribuntur et littera maiore incipiunt, s. Alphonsi verba sunt.

BEATISSIMO AC SANCTISSIMO PATRI

BENEDICTO XIV. PONTIFICI MAXIMO

ALPHONSUS DE LIGORIO

Tuae dignitatis maiestas, beatissime pater, doctrinae atque eruditionis tuae fastigium, ne tibi hoc meum opus morale simpliciori, ac prorsus humili stylo conscriptum exhiberem, aut suadere me omnino, aut dubitantem deterrere magnopere debuissent: summa vero sanctitatis tuae benignitas, ac ferventissimus zelus, qui in te semper enituit, prius ut optimi praesulis singularum ecclesiarum partes absolveres, et deinde ut summi universalis ecclesiae pastoris muneri vigilantissime satisfaceres, me impulerunt ut hos tenues labores meos, quos nonnisi pro animarum salute suscipere et in publicam edere lucem constitui, tibi libentissime dedicarem. Cum enim fuissem Dei beneficio vocatus ad missionum ministerium pro adiuvandis populis per rura dispersis, iisque potissimum, qui spiritualibus magis destituuntur auxiliis, visa mihi ad hoc fuit necessaria scientia plus quam mediocris rerum moralium, quae tum ad instruendas, tum ad regendas animas esset accommodata. Qua de re tam pro mea, quam pro iuvenum nostrae sodalitatis intelligentia, opportunum duxi opiniones probabiliores utilioresque ad animarum salutem seligere. Cumque plurimis perplures annos, relectis auctoribus tam benignae quam rigidae sententiae, alios nimium benignitati indulgentes, alios nimium austeritati addictos comperissem, operae pretium me facturum credidi, si librum ederem qui mediam viam tenens, sententias magis veritati consonas, magisque scitu necessarias ad conscientias dirigendas exponeret, atque, hac arrepta opportunitate, multa in eo ad praxim pertinentia, quae sacrarum missionum exercitio didiceram, fratribus meis committerem. Opus Deo iuvante coepi et absolvi, et absolutum typis demandavi: quod cum universe fuerit acceptum rursusque debuerit publici iuris fieri, in meliorem ordinem redegi, diligentius quibusdam doctrinis enucleatis, compluribus aliis adiectis, additisque insuper aliquibus dissertationibus de infallibilitate definitionum pontificiarum, et de earumdem supra concilia superioritate.

At quia libri omnes qui ex theologiae principiis fidei ac morum controversias pertractant, tibi soli debentur, qui et summus es theologiae princeps unusque ecclesiae moderator, divinae veritatis conservator et vindex, unusque controversiarum iudex ab ipso Deo singulari providentia ad hoc constitutus, prout dixit Maximianus episcopus constantinopolitanus (Epist. ad Orientales): « Omnes fines terrae, omnesque veram fidem » profitentes in romanorum pontificum potentiam tamquam in solem re- » spicere, quem de caeteris mortalibus ex terrarum orbe conditor orbis » elegit, cui cathedram magisterii principaliter possidendam tenere perpe- » tuo privilegii iure concessit, ut quisquis divinum aliquod, sive profun- » dum nosse desiderat, ad huius praeceptionis oraculum doctrinamque » recurrat. »

Hinc iuste hoc opus tibi dicandum existimavi, eoque magis quod una ex praecipuis causis, quae me ad illud edendum induxerunt, fuit, ut cognitas

omnes haberent saluberrimas bullas epistolasque encyclicas tuas, quae tantopere profuerunt et proderunt usque ad saeculorum consummationem universali morum reformationi cunctorum fidelium; quandoquidem in eisdem S. T. summa prudentia neque ad nimium rigorem, neque ad nimiam benignitatem declinans, sed temporum defectui condescendens, mira suavitati disposuit id quod cum ingenti animi fortitudine sibi proposuerat.

Fuit praeterea mihi consilium plurimas in medium doctrinas proferre, quas ex aureis tuis operibus sum edoctus, quibusque S. T. non pauca immortali recordatione digna atque ediscenda universae reipublicae litterariae tradidit. Haec enim tua grandis doctrinae eminentia non minus quam reliquae quae in te elucent virtutes, nempe morum integritas, admiranda a propinquis alienatio, prudentia singularis, incomparabilis salutis animarum zelus, et summo sacerdotio apprime necessarius, te supremo pontificatu dignissimum reddiderunt.

Demum si librorum dedicationes solent testes esse grati animi, ac non immemoris acceptorum ab aliquo magno principe beneficiorum, cum unus ipse sim ex fratribus congregationis ss. Redemptoris, cui tu nuper apostolicam auctoritatem benignissime accommodasti, oportebat iure merito, ut tibi uni hoc opus sisteretur, ac praeterea nemini.

Tu igitur, beatissime pater, per illam, qua genus humanum complecteris, caritatem, per curam illam quam christianis omnibus enixe et debes et praestas, per illum ipsum cuius in terris vices fungeris Iesum Christum, excipe pietate qua soles hoc qualecumque munusculum, quod tibi sacro et praesento, ut modereris, corrigas, deleas quidquid in eo veritati absonum visum fuerit, et si quid boni est, faveas et tuearis, paternaque ac apostolica benedictione tua prosequi non dedigneris tum opus ipsum, ut animarum prosit saluti, tum me sodalesque meos, ut in nostro ministerio divinae gloriae cooperantes, uberrimum in vinea Domini fructum reportare valeamus.

Nostrum autem erit iugiter Deo fundere preces, ut universo christiano orbi sanctitatem tuam diu servet incolumem, diuque in terris relinquat, quo tandem aliquando non sine omnipotentis Dei praesidio catholicae religionis hostes, omnesque a vera fide aberrantes ad ovile fideliumque coetum, ad unicum salutis portum felicissime deducantur.

COPIA DELLA LETTERA
DEL SOMMO PONTEFICE BENEDETTO XIV.
in commendazione dell' opera

DILECTO FILIO ALPHONSO DE LIGORIO PRESBYTERO CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS

BENEDICTUS XIV.

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Abbiamo ricevuta una sua lettera degli otto di giugno unitamente col secondo tomo della sua morale ed altri pure suoi libri di minor mole, ma di gran profitto per la salute delle anime. Noi la ringraziamo del regalo, ed avendo data una scorsa al libro della sua morale (ch'è dedicato a noi, del che rendiamo particolari grazie), l'abbiamo ritrovato pieno di buone notizie, ed ella può restar sicura del gradimento universale e della publica utilità. Tratto tratto l'anderemo leggendo, e speriamo, che quanto leggeremo corrisponderà a quanto abbiamo letto. Terminiamo col darle l'apostolica benedizione.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die 15. iulii 1755., pontificatus nostri anno decimo quinto

DECRETUM

SUPER REVISIONE ET APPROBATIONE OPERUM MORALIUM, ASCETICORUM ET DOGMATICORUM, AC MSS. VEN. SERVI DEI

ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO

FUNDATORIS CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS AC OLIM EPISCOPI S. AGATHAE GOTHORUM

a s. rituum congregatione editum

ET A SS. D. NOSTRO PIO VII. PONT. MAXIMO CONFIRMATUM

Cum praeter opera typis impressa ven. servi Dei Alphonsi Mariae de Ligorio quamplurima scripta eius manu exarata huc illuc dispersa haberentur, hinc commissa a sac. rituum congregatione diligenti eorum perquisitione pluribus in dioecesibus, in quibus eadem scripta extabant, atque executioni mandata iuxta instructionem R. P. D. promotoris fidei, et particulares litteras ad ordinarios singularum dioecesium datas, exhibitisque sac. rituum congregationi processiculis diligentiarum in iisdem dioecesibus peractarum una cum scriptis repertis, omnia, tam opera impressa, quam scripta revisioni ac censurae ex praxi eiusdem sacrae congregationis subiecta fuere. Haec autem sunt, etc.

Facta autem ad congregationem ordinariam infrascripto die habitam per em. et rev. dominum cardinalem Saluzzo loco em. et rev. domini cardinalis Caracciolo Ponentis, plena relatione tam praefatorum operum impressorum, quam aliorum mss. omnium, *cum nihil in iis censura dignum repertum fuerit*, sacra eadem congregatio rescribendum censuit *procedi posse ad ulteriora*, si ss. domino nostro Pio VII. pont. max. placuerit. Die 14. maii 1803.

Quibus a me infrascripto secretario eidem ss. domino nostro relatis, Sanctitas sua benigne annuit. Die 18. maii 1803.

IULIUS MARIA Card. DE SOMALIA, S. R. C. Praefectus.

Loco † Sigilli. I. De Carpineo S. R. C. Secretarius.

CONSULTATIO

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO DD. CARDINALI POENITENTIARIO MAIORI

Eminentissime,

Ludovicus-Franciscus-Augustus, cardinalis de Rohan-Chabot, archiepiscopus vesontionensis, doctrinae sapientiam et unitatem fovere nititur apud omnes dioecesis suae qui curam gerunt animarum, quorum nonnullis impugnantibus ac prohibentibus theologiam moralem beati Alphonsi Mariae a Ligorio, tanquam laxam nimis, periculosam saluti, et sanae morali contrariam, sacrae poenitentiariae oraculum requirit, ac ipsi unius theologiae professoris sequentia dubia proponit solvenda.

1.° Utrum sacrae theologiae professor opiniones, quas in sua theologia morali profitetur beatus Alphonsus a Ligorio, sequi tuto possit ac profiteri?

2.° An sit inquietandus confessarius qui omnes beati Alphonsi a Ligorio sequitur opiniones in praxi sacri poenitentiae tribunalis, hac sola ratione quod a s. sede apostolica *nihil in operibus illius censura dignum repertum fuerit.* Confessarius de quo in dubio non legit opera beati doctoris nisi ad cognoscendum accurate eius doctrinam, non perpendens momenta rationesve quibus variae nituntur opiniones; sed existimat se tuto agere eo ipso quod doctrinam quae *nihil censura dignum* continet, prudenter iudicare queat sanam esse, tutam, nec ullatenus sanctitati evangelicae contrariam.

DECISIO

Sacra poenitentiaria, perpensis expositis, reverendissimo in Christo patri S. R. E. cardinali archiepiscopo vesontionensi respondendum censuit:

Ad primum quaesitum: Affirmative, quin tamen inde reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.

Ad secundum quaesitum: Negative, habita ratione mentis sanctae sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum canonizationis.

Datum Romae, in sacra Poenitentiaria, die 5. iulii 1831.

A. F. DE RETZ, S. P. Regens F. Fricca, S. P. Secretarius.

FRANCISCI ANTONII ZACHARIAE

MUTNENSIUM DUCIS BIBLIOTHECARII AC OLIM SOCIETATIS IESU THEOLOGI

DISSERTATIO

AD ALPHONSI DE LIGORIO

MORALEM THEOLOGIAM PROLEGOMENA

DE CASUISTICAE THEOLOGIAE ORIGINIBUS, LOCIS ATQUE PRAESTANTIA

ALPHONSO DE LIGORIO

VIRO DOCTISSIMO

FRANCISCUS ANTONIUS ZACHARIAS

S. P. D. (*)

Miratus equidem sum, vir clarissime, de rebus tuis tam humiliter demisseque sentire te, ut theologiam tuam ipsi romanorum pontificum doctissimo Benedicto XIV. maxime probatam, e Remondiniano typographio tertium prodire nolueris, quin extaret in operis fronte dissertatio quaepiam a me elucubrata. Sed quoniam tuae voluntati obtemperandum fuit, ne benevolentiae erga meam societatem tuae ingratus, honorisque, qui inde in me derivabatur, minus aequus aestimator viderer, non alteri certe, quam tibi qualiscumque haec dissertatio debuit inscribi. Eam igitur veluti tuam libens excipe. Vide tamen, ne celeberrimi operis tui inornata haec, indigestaque tractatio existimationi palam officiat. Quidquid de illa statueris, erit mihi pergratum, nam etsi indignam illam iudicabis, quae cum opere tuo prodeat, satis mihi erit, probasse me tibi meam in te voluntatem. Vale.

Mutinae ex serenissimi mutinensium ducis bibliotheca.

(*) Ex edit. bononiensi

DISSERTATIO PROLEGOMENA

PARS I. HISTORICA

Cap. I. Quinam libri prioribus sex ecclesiae saeculis usui essent in re morali.

I. Poenitentiae administratio ab ipso nascentis ecclesiae exordio eo loco habita fuit, quem tanti sacramenti dignitas postulabat. Quamobrem non sacerdotum arbitrio relicta fuit; sed certis adstricta regulis, quae in librum conferebantur eius ministris usui futurum. Romanorum cum primis pontificum decretales epistolae, Siricii, Innocentii, Coelestini, Leonis etc. in eo libro continebantur. Episcopi enim et fideles ipsi saepe de rebus ad poenitentiae disciplinam pertinentibus romanos pontifices consulebant. Quin reges ipsos minime puduit pontificibus litteras dare, ut ab illis poenitentiae suorum scelerum subeundae rationem acciperent. Extat hanc in rem illustre Theodeberti francorum regis exemplum. Interrogavit ille Vigilium papam, qua poenitentia plectendus is esset, qui fratris sui uxorem duxerat. Ac Vigilius quidem quaestioni satisfecit, data ad Caesarium arelatensem episcopum epistola, quae tom. 1. conciliorum Galliae legitur ad ann. 538. *pag.* 246. Huiusmodi ergo romanorum pontificum responsa, epistolaeque in codicem referebantur, atque ad eas poenitentiae administrandae ratio exigebatur.

II. Accessere patrum sententiae, canonesque poenitentiae ab illis editi quum interrogati ab aliis fuissent, quid de tota hac re sentirent. Celeberrima in his est s. Petri alexandrini martyris canonica epistola scripta, ut fertur, anno 306. Cum Io. Zonarae et Theodoris Balsamonis scholiis Parisiis primum a cl. Frontone ducaeo nostro edita fuit, deinde Oxoniae a Gulielmo Beveregio t. 2. *magni synodici*. Sequuntur deinde, quae saepius cum canonicis epistolis et inter cetera auctorum suorum opera recusae sunt, s. Athanasii ad Rufinianum, s. Basilii ad Amphilochium, et s. Gregorii Nysseni ad Letoium in episcopatu Melitines Cappadociae Otreii successorem epistolae.

III. In conciliis quoque poenitentiae ratio universa non semel constituta fuit. Fortunatus aliique episcopi ad s. Cyprianum dedere litteras, quibus eum rogabant, ut in episcoporum synodo constitueret, num post poenitentiae triennium *ad communicationem* essent admittendi, qui vi tormentorum subacti *de gradu gloriae, ad quam plena fidei virtute tendebant, diutinis cruciatibus exciderant?* Respondet autem Cyprianus *epist. Baluz. edit.* 53. videri sibi non esse illis *veniae locum claudendum*: addit tamen; *quoniam tamen scripsistis, ut cum pluribus collegis de hoc ipso plenissime tractem, et res tanta exigit maius et impensius de multorum collatione consilium..... tractabo cum singulis plenius, ut de eo, quod consuluistis, figatur apud nos, et rescribatur vobis firma sententia multorum sacerdotum consilio ponderata.* Caldonius quoque Cyprianum consuluit *ep.* 18. quid illis faciendum, qui *postea quam sacrificaverunt, iterato tentati extorres sunt facti, et reliquerunt possessiones, quas nunc fiscus tenet.* Pacem enim petebant, antequam fidei caussa ad exilii locum properarent. Quid vero Caldonius? *Quamvis*, inquit, *mihi videantur debere pacem accipere, tamen ad consilium vestrum eos dimisi, ne videar aliquid temere praesumere. Si quid ergo ex communi consilio placuerit, scribite mihi.* Porro Cyprianus *ep.* 19. Caldonio rescribit, recte illum sensisse *circa impertiendam fratribus pacem*, laudat tamen illum, quod *exercitatus, et in scripturis Dominicis peritus caute omnia, et consulte gerat.*

IV. Multo id luculentius in caussa libellaticorum eluxit. Haec ad clerum carthaginensem scribebat *ep.* 13. idem Cyprianus: *Desiderastis in hac re formam a me vobis dari: satis plene scripsisse me ad hanc rem proximis litteris ad vos factis credo, ut qui libellum a martyribus acceperunt, et auxilio eorum adiuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua et periculo coeperint, exomologesi facta, et manu eis a vobis in poenitentiam imposita, cum pace a martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur. Ceteri vero, qui nullo libello a martyribus accepto invidiam faciunt...... expectent de Domini protectione ecclesiae ipsius publicam pacem. Hoc enim et verecundiae et disciplinae et vitae ipsi omnium no-*

strum convenit, ut praepositi cum clero convenientes, praesente etiam stantium plebe, quibus et ipsis pro fide, et timore suo honor habendus est, disponere omnia consilii communis religione possimus. Cypriani consilium expectandae publicae pacis, *ut deinde sic collatione consiliorum cum episcopis, presbyteris, diaconis, confessoribus pariter ac stantibus laicis facta lapsorum tractaretur ratio*, probatum fuit clero romano epistola inter cyprianicas 31. Quid autem factum sit *persecutione sopita* docet ipse Cyprianus 52. ad Antonianum epistola. *Cum data*, inquit, *esset facultas in unum conveniendi, copiosus episcoporum numerus... in unum convenimus, et scripturis divinis ex utraque parte prolatis, temperamentum salubri moderatione liberavimus, ut nec in totum spes communicationis et pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, et eo quod sibi ecclesia clauderetur, secuti saeculum gentiliter viverent, nec tamen rursus censura evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent, sed traheretur diu poenitentia, et rogaretur dolenter paterna clementia, et examinarentur caussae et voluntates et necessitates singulorum, secundum quod* libello *continetur, quem ad te pervenisse confido, ubi singula placitorum capita conscripta sunt.*

V. Vides hic a conciliis de poenitentia ac reconciliatione leges latas; vides praeterea in *libellum* coniecta *placitorum capita.* Libelli porro huiusmodi regulae instar erant in statuenda definiendaque poenitentia. Quamquam coniecturis opus non est, ut a conciliis de poenitentia editos canones intelligamus. Exstant hodieque canones illyberitani, ancyrani et nicaeni primi concilii, quorum multi ad poenitentiam spectant. Horum summam uti et eorum, quos ss. Petrus Alexandrinus, Basilius et Gregorius uterque Nyssenus et Thaumaturgus suis in canonicis epistolis tulerunt, exhibet clariss. Francolinus *de poenitentiae disciplina l.* 1. *c.* 4. et 5. Nos ex eo illam sequentibus capitibus dabimus.

Cap. II. Graecorum aliquot patrum, nempe s. Petri Alexandrini, s. Gregorii Thaumaturgi, s. Basilii et s. Gregorii Nysseni canones poenitentiales.

§ 1. *Canonum s. Petri Alexandrini summa.*

Primo *canone* iubet, eos, qui post multa tormenta ex imbecillitate cesserant hostibus fidei et sacrificaverant, iamque trium annorum poenitentiam peregerant, aliis quoque quadraginta diebus manere in poenitentia et sic admitti.

Can. 2. Eos qui solo carceris squalore afflicti lapsi erant post triennium poenitentiae iam peractae, alterius quoque anni poena puniri iubet.

Can. 3. Triennali poenitentia castigat eos qui nihil tale passi, solo metu victi fuerant.

Can. 4. Eos qui post lapsum non recurrebant ad remedia poenitentiae, execrabiles esse dicit tamquam eam ficulneam infructuosam, cui Christus in evangelio maledixit.

Can. 5. Semestri poenitentia castigat eos, qui simularant accedere ad aras vel scribere quod fidem negabant, non nude autem et aperte hoc fecerant, sed arte aliqua eos qui vim afferebant deluserant.

Can. 6. Servos, qui dominorum iussu ac minis compulsi sacrificarant, anno punit.

Can. 7. Dominis, qui servos sacrificare coegerant et ipsi sacrificare simularant, triennii poenam iniungit.

Can. 8. Mandat ut recipiantur illi qui lapsi in quaestione fidei, sed postea poenitentia ducti, fortiter se christianos esse professi erant, et in carcerem traditi tormenta quoque sustinuerant.

Can. 9. Recipi similiter mandat eos qui temere tyrannis seu tortoribus obtulerant se, ignorantes, non licere his se periculis obiicere, et hostes fidei in se et in alios fideles irritare.

Can. 10. Arcet a sacro ministerio eos clericos qui sponte ac temere fidei certamen ingressi, postea tormentis victi lapsi erant, quamvis nova fidei confessione lapsum emendassent: quia videlicet non debebant se periculo exponere et sibi commissam populi docendi curam deserere. Admitti tamen eosdem vult ad communionem cum fidelibus, ne si hac quoque priventur, alii qui lapsi sunt resurgere negligant.

Can. 11. Vult preces et alia pia opera Deo offerri pro iis, qui sponte certamen ingressi, et postea lapsi in tormentis, poenitentiam egerant, nec vult eos fidelium communione privari.

Can. 12. Docet non esse reprehendendos eos qui se ipsos, datis pecuniis, tortura liberarant, maluerantque suae pecuniae quam suae animae iacturam facere.

Can. 13. Negat similiter esse culpandos eos, qui relictis suis facultatibus recesserant, timentes ne vi tormentorum abnegare fidem cogerentur, etiamsi alii detenti essent et puniti propter ipsos. Sub intellige, *servatis servandis.*

Can. 14. Docet posse manere in sacro ministerio et collocari inter confessores eos, qui profano sacrificio adesse, et ex idolothytis carnes comedere et vinum bibere coacti fuerant, ore videlicet violenter aperto ingestoque cibo et potu sacrilego; cum interea sibi manus uri aliisque modis torqueri se sinerent, nec ullo modo ministrorum improbitati annuere se significarent.

Can. 15. Et ultimo dicit citra omnem reprehensionem servari in ea ecclesia traditionem et praeceptum ieiunii quartae et sextae feriae.

Hi Petri Alexandrini canones sunt, nec, ut vides, sunt admodum severi. Severiores condidit Gregorius Thaumaturgus in vindictam et curationem eorum scelerum, quae, ut supra dicebam, commissa a quibusdam fidelibus per summam impietatem fuerant occasione barbaricae incursionis.

§. 2. *Canones s. Gregorii Thaumaturgi.*

Primo *canone* dicit, non esse laborandum de iis qui idolothyta sibi a suis dominis apposita comederant; cum praesertim constans fama esset, barbaros in ea incursione idolis non sacrificasse, nec similiter damnandas eas captivas mulieres, quibus per vim barbari erant abusi, nisi iam antea et aliunde prava fuisset ipsarum vita.

Can. 2. Abdicat, id est eiicit ab ecclesia eos, qui impia quadam avaritia rapuerant ea quae ex barbarica depraedatione relicta fuerant, veluti consummantes impietatem barbarorum, putantesque esse sibi lucri tempus quod erat exitii communis.

Can. 3. Idem delictum ab impiis his furibus commissum exaggerat, docetque esse habendum tamquam Deo dedicatum quidquid reperitur a nobis quod nostrum non est, sed alienum.

Can. 4. Pergit expendere praedicti furti gravitatem.

Can. 5. Damnat eos, qui aliena quae repererant retinebant loco rerum propriarum, quas in ea calamitate amiserant.

Can. 6. Mandat inquiri, an verum esset quod audierat, nempe aliquos eius regionis christianos ausos vi detinere captivos, qui ex barbaris fugiebant, quod dicit esse factum impium et incredibile.

Can. 7. Dicit nec esse admittendos ad divinarum laudum auditionem eos christianos, qui postquam captivi facti sunt, barbaris consenserant, et cum eis veluti barbari effecti sui generis christianos interfecerant, vel vias barbaris ignotas et ad christianos ducentes ostenderant.

Can. 8. Incipit magis determinate poenas taxare; eos proinde qui alienas domos invadere ausi fuerant, si accusati convincerentur, nec auditione dignos esse pronunciat. Sin autem se ipsos enunciassent, referri debere in numerum poenitentium secundae classis, nempe audientium.

Can. 9. Mandat, ut qui in campo vel in aedibus aliquid a barbaris relictum invenerant, si accusati convicti fuissent, referrentur in ordinem poenitentium tertiae classis, nempe substratorum.

Can. 10. Docet, debere eos qui res alienas invenerant eas reddere sine lucro nec aliquid exigere veluti pretium inventionis vel custodiae.

Can. 11. Et ultimo statuit locum poenitentium secundum diversos illos quatuor poenitendi gradus: hoc modo: ***Fletus seu luctus est extra portam templi, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur. Auditio est intra portam in porticu, ubi oportet eum qui peccavit, stare usque ad catechumenos et illinc egredi. Audiens enim scripturas et doctrinam eiiciatur, et precatione indignus censeatur. Subiectio autem seu substratio est, ut intra templi portam stans cum catechumenis non egrediatur. Congregatio seu consistentia, ut cum fidelibus consistat et cum catechumenis non egrediatur. Postrema est participatio sacramentorum.***

§. 3. *Canones s. Basilii.*

S. Basilius archiepiscopus Caesaraeae Cappadociae ad Amphilochium, Iconii episcopum, a quo consultus fuerat, rescribens, quaestionibus de moribus et de punitione delinquentium ab eo propositis per canones octoginta quinque respondet. Sunt autem qui sequuntur, omisso primo, quo agitur de aliquibus haereticorum sectis eorumque legitimo aut illegitimo baptismo, et de schismaticis et celebrantibus illegitimos conventus, et de ratione agendi cum utrisque.

Can. 2. ***Quae de industria foetus corrupit***, abortum faciens, ***caedis poenas luat, etc. Oportet autem non usque ad obitum eorum confessionem extendere, sed decem quidem annorum mensuram admittere: definire autem non tempore, sed modo poenitentiae medicinam*** oportet. Scilicet hoc tempus decennii contrahendum aut protrahendum est pro mensura doloris et humilitatis quam poenitens ostendit.

Can. 3. ***Diaconus post diaconatum fornicatus a diaconatu quidem eiiciatur; in laicorum autem locum extrusus a com-***

munione non arcebitur etc. In fine monet scire episcopum debere *quae sunt summi iuris, et quae sunt consuetudinis*, ut videlicet poenas summo iure statutas temperare sciat ex consuetudine, si praesertim qui deliquit sit emendatus; nam, inquit, *verior est medicina recessus a peccato.*

Can. 4. *Trigamorum et polygamorum eumdem canonem definimus etc. Oportet autem non eos omnino arcere ab ecclesia, sed dignari auditione duobus vel tribus annis, et postea permitti quidem consistere, seu in fidelium esse congregatione, a boni tamen* (id est eucharistiae) *communione abstinere, et sic postquam aliquem poenitentiae fructum ostenderint, communionis loco restituere.*

Can. 5. *Haereticos, qui in excessu e vita poenitentiam agunt, recipere oportet; recipere autem non sine iudicio, sed examinantes, an veram poenitentiam ostendant, et si fructus habent, qui salutis studium testificentur.*

Can. 6. *Canonicorum fornicatio pro matrimonio non reputetur etc.* Canonicos dicit (inquit Balsamon) clericos, monachos, monachas, et quae virginitatem professae sunt.

Can. 7. *Masculorum et animalium initores et homicidae et venefici et adulteri et idololatrae eadem condemnatione digni habentur etc.*

Can. 8. *Qui securi in ira adversus uxorem suam usus est, est homicida etc.* Hic fuse disserit de homicidio voluntario et involuntario.

Can. 9. *Domini dictum secundum sententiae consequentiam ex aequo et viris et mulieribus convenit, quod non licet a matrimonio discedere praeterquam propter fornicationem etc.* Hic disserit de divortio.

Can. 10. *Qui iurant, se ordinationem non admittere, eiurantes ne cogantur peierare etc.* Id est non cogantur ordinationem suscipere et solvere vinculum quod sibi iniecerunt. Monet autem esse expendenda verba iurisiurandi, an sit verum iuramentum; et alia subdit quae ad vindictam peccatorum, aut poenitentiam non pertinent.

Can. 11. *Qui involuntariam caedem fecit in undecim annis abunde iudicio satisfecit.* Hic definit quis censendus sit mortuus ex accepto vulnere, quis ex alia infirmitate.

Can. 12. *Bigamos canon omnino a ministerio exclusit.*

Can. 13. *Caedes in bellis factas patres pro caedibus non reputavere, ut mihi videtur; ignoscentes iis, qui pro pudicitia et pietate decertant. Recte autem forte habet consulere, ut qui sunt manibus non puris sola trium annorum communione abstineant.* Hic hortatur fere omnes milites ad triennalem poenitentiam.

Can. 14. *Qui usuras accipit, si iniustum lucrum in pauperes consumere voluerit, et ab avaritiae morbo deinceps liberari, est ad sacerdotium admittendus.*

Can. 15. *et* 16. Solam continent explicationem quorumdam verborum scripturae, circa quae quaestionem iniecerat in sua epistola Amphilochius.

Can. 17. *Interrogasti nos de Biano presbytero, an propter iusiurandum sit in clerum suscipiendus etc.* Is propter infidelis cuiusdam minas nefarium iusiurandum cum aliis sacerdotibus Antiochiae iurarat. Respondet autem posse hunc privatim obire presbyterorum munera, non autem in publicis conventibus, idque fuisse Antiochiae decretum dicit.

Can. 18. *De lapsis virginibus etc. Patres quidem clementer et leniter in eorum qui labuntur infirmitatem se gerentes esse admittendas sanxerunt post annum poenitentiae.* Ipse vero vult eas puniri tanquam adulteras. Monet autem non esse habendam ratam et firmam eius virginis professionem, quae non sit sedecim vel septendecim annos nata; diuque probata, subditque: *Multas enim parentes et fratres aut cognati offerunt ante aetatem, non ex seipsis ad caelibatum incitatas, sed saeculare quipiam procurantes; quas non facile admittere oportet, donec aperte propriam suam sententiam perscrutati fuerimus.* Reddit autem eam rationem, propter quam virgines praedictae sunt maiori poena afficiendae, quam fuerat antea decretum, quod *Dei gratia ecclesia fortior fieret, ut ei videbatur, et ordo virginum augeretur.*

Can. 19. *Virorum quoque professiones non novimus, praeterquam si qui se ipsos monachorum ordini adiudicarint, qui tacite videntur caelibatum admittere, sed illis quoque illud existimo praecedere oportere, ut ipsi interrogentur, et evidens ipsorum accipiatur professio, ut postquam se ad libidinosam et voluptuariam vitam converterint, eorum qui fornicantur punitioni subiiciantur.* Quae autem sit poena fornicationis et adulterii docet postea.

Can. 20. *Quaecumque mulieres, cum essent haereticae, virginitatem professae sunt, deinde postea matrimonium maluerunt, non existimo, eas oportere condemnari. Quaecumque enim dicit lex,*

iis dicit, qui sunt in lege. Quaecumque autem *iugum Christi nondum subierunt, eae nec Domini leges norunt, etc.*

Can. 21. Qui obscurior est, dicit consuetudinem intellectu difficilem invaluisse, ut vir dimittat uxorem adulteram, ipse vero, si aliam foeminam solutam cognoverit, non dimittatur tamquam adulter; hunc tamen puniri docet non ut reum simplicis fornicationis, sed poena maiori.

Can. 22. *Eos qui ex raptu habent mulieres, si aliis quidem desponsas abripuerint, non prius oportet admittere, quam ab eis ablatae sint et sit in eorum potestate, quibus desponsae fuerant, an eas velint accipere, an desistere. Si quis autem vacantem* (id est desponsatam) *acceperit, auferre quidem oportet et suis restituere, illorum autem sententiae permittere, sive sint parentes sive fratres sive quicumque alii virgini praesint, et si ei quidem tradere voluerint, matrimonium constituere, sin autem renuerint, non cogi. Ei autem qui mulierem vel vi vel clam a se vitiatam habet, necesse est fornicationis poenas imponere. Est autem in quatuor annis praefinitum fornicatoribus supplicium. Oportet autem eos anno primo a precibus expelli et ipsos deflere ad fores ecclesiae, secundo autem ad auditionem admitti, quarto ad congregationem cum populo, abstinentes ab oblatione, deinde eis permitti boni communionem.*

Can. 23. *De iis autem qui duas sorores uxores ducunt, vel eis, quae duobus fratribus nubunt, a nobis edita est epistola, cuius exemplum tuae pietati misimus; qui autem sui fratris uxorem accepit, non prius admittetur, quam ab ea recesserit.* Epistola, cuius exemplum a se missum dicit, est ad Diodorum in qua sic habet: *Si quis affectu immunditiae correptus ad illicitam duarum uxorum communicationem exorbitaverit, id neque coniugium esse censendum, neque talem ad ecclesiasticum coetum admittendum, priusquam a se invicem dirimantur.*

Can. 24. *Viduam, quae in viduarum numerum relata est, hoc est, quae ab ecclesia in diaconatum suscepta est censuit apostolus nubentem esse despiciendam* hoc est ab ecclesia expellendam, ut interpretatur Balsamon: *viro autem viduo nulla est res imposita; sed sufficit ei digamorum poena* (quae erat ad unum annum segregatio). *Porro vidua sexaginta annos nata, si rursus cum viro habitare voluerit, boni communione non dignabitur, donec ab impuritatis perturbatione cessaverit. Sed si ante sexaginta annos eam in numerum retulerimus, nostra est, non mulieris culpa*, si haec post ordinationem nubat.

Can 25. *Qui a se stupratam mulierem detinet, stupri quidem* poenam subibit, ei autem mulierem habere permittetur.

Can. 26. *Fornicatio non est matrimonium, sed nec initium matrimonii. Quare, si fieri possit, ut qui per fornicationem coniunguntur, separentur, id est melius. Sin autem eis omnino placeat consortium, fornicationis quidem poenam agnoscant; ne separentur autem, ne quid deterius accidat.*

Can. 27. *De presbytero qui per ignorantiam nefariis nuptiis implicitus est* (eam ducendo quam ducere non poterat) *definivi quae oporteat, esse scilicet cathedrae participem* (ut scilicet sedeat cum presbyteris), *a reliquis autem actionibus abstinere; ei enim sufficit ut veniam consequatur. Ut is autem aliis benedicat qui sua debet vulnera curare, non est consentaneum. Benedictio enim est sanctificationis communicatio: qui autem eam non habet propter ignorantiae lapsum, quomodo aliis communicabit? Nec ergo publice, nec privatim benedicat, nec Christi corpus aliis impertiat, nec aliquid aliud sacrum ministerium obeat, sed quod praesideat contentus aliis et Christo defleat, ut sibi ignorantiae peccatum condonetur.*

Can. 28. *Illud quidem mihi visum est ridiculum vovere aliquem a carnibus suillis abstinere. Quamobrem dignare eos docere, ut ab ineptis votis et promissis abstineant; usum quidem esse indifferentem permitte. Nulla enim Dei creatura est reiicienda, quae cum gratiarum actione accipitur. Quare votum est ridiculum, non abstinentia necessaria.*

Can. 29. *Id quoque quod est, iurare principes, quod subiectis male facturi sint, magna medicina opus habet* (id est magna curatione). *Medela autem eorum est duplex; una quidem, ut ipsi doceantur non facile iurare. Altera, ne in malis iudiciis persistant etc.* id est ne faciant quod malum est, et male iurarunt se facturos, ut si quis iurarit, *se fratris oculos effossurum*, ut infra dicit, id certe facere non debet.

Can. 30. *De his qui rapiunt, canonem antiquum non habemus, sed propriam sententiam proferimus, ut ipsi et qui cum eis rapiunt, tribus annis sint extra orationes. Quod autem violenter non fit, nulli est poenae obnoxium, quando nec stuprum, nec furtum rem praecesserit, est autem vidua sui iuris et in eius est potestate sequi.* Id est (inquit Balsamon)

si mulier se ipsam sua sponte tradiderit, cum nec stuprum nec furtum, hoc est clandestinus concubitus praecesserit, nulli est crimini obnoxius, qui eam accepit; similiter nulli quoque poenae est subiectus, qui viduam hoc modo recipit.

Can. 31. *Quae, cum vir secessit et non apparet, antequam de eius morte certior facta sit, cum alio cohabitavit, moechatur.*

Can. 32. *Qui peccatum ad mortem peccant clerici, de gradu quidem deiiciuntur; a laicorum autem communione non arcentur. Non enim vindicabis bis in idipsum.* Peccatum ad mortem vocat s. pater, ut interpretatur Balsamon, *omne peccatum quod capitale inducit supplicium.*

Can. 33. *Mulier quae in via peperit et sui foetus curam non gessit, caedis crimine teneatur.*

Can. 34. *Adulterio pollutas mulieres et confitentes ob pietatem* (id est sponte, ut explicat idem interpres), *vel quomodocumque convictas, publicare quidem patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortem praebeamus. Eas autem stare sine communione iusserunt, donec impleretur tempus poenitentiae.* Adulteri stare debebant quatuor annis cum deflentibus, quinque cum audientibus, quatuor cum supplicibus seu substratis, et duobus cum iis, qui consistunt absque communione. Noluerunt autem patres occulto adulterio pollutas ad isthaec quatuor loca amandari, ne inde pateret earum crimen et a maritis occiderentur.

Can. 35. *In marito, qui ab uxore relictus est, considerare oportet causam derelictionis, et si praeter rationem eam recessisse apparuerit, est maritus quidem dignus venia, illa vero poena. Ei autem venia, ut ecclesiae communicet, dabitur.*

Can. 36. *Militum uxores, quae, cum mariti ipsarum non appareant, nupserant, eidem rationi subiiciuntur, cui et quae propter maritorum peregrinationem ac absentiam, reditu non expectato, nupserint. Sed res nonnullam hic veniam admittit, quod maior sit mortis suspicio.* Et propter hoc is canon differt a *can.* 31. ibi enim non agitnr de viro milite, de quo hic agitur.

Can. 37. *Qui postquam aliena ei ablata fuerit, uxorem duxit, in prima quidem adulterii accusabitur, in secunda vero reus non agetur.* Id est punietur tanquam adulter propter primam quam duxit et deserere coactus fuit, quia erat aliena, nempe alteri iuncta; non autem propter secundam quam duxit in uxorem. Id autem dixit propter eos, qui adulteris in poenam commissi adulterii nuptias interdicebant.

Can. 38. *Puellis, quae praeter patris sententiam fornicatores secutae sunt, reconciliatis parentibus, videtur res remedium concedere, sed non protinus ad communionem restituuntur, sed triennio punientur.*

Can. 39. *Quae vivit cum adultero, est omni modo adultera.* Agit de muliere quae non est uxor eius, qui adulterium commisit; nam uxor utique cohabitare potest cum coniuge adultero.

Can. 40. *Quae praeter Domini sententiam se viro tradidit, fornicata est; quae autem postea libero matrimonio usa est, nupsit.* (Id est si postea Dominus consensit vel liberam contrahendi facultatem dedit, tunc matrimonium consistit). Quare illud fornicatio, hoc matrimonium. Eorum enim qui in alterius potestate, pacta conventa firmi nihil habent.

Can. 41. *Quae in viduitate habet sui potestatem et viro cohabitat, ab omni accusatione est libera, si nemo est qui coniugium divellat; cum dicat apostolus, si mortuus sit maritus, libera est, ut nubat cui velit, tantum in Domino.*

Can. 42. *Quae sine iis qui habent potestatem, fiunt matrimonium, sunt fornicationes. Nec ergo vivente patre, nec domino, ii qui conveniunt, sunt ab accusatione liberi, donec coniugio domini annuerint; tunc enim accipit firmitatem coniugium.*

Can. 43. *Qui mortis ictum dedit proximo, est homicida, sive prior percussit, sive ultus est*, ac proinde homicidii poena puniendus.

Can. 44. *Diaconissa quae una cum graeco* (id est cum homine fideli et baptizato) *fornicata est, non est ad communionem admittenda; ad oblationem autem septimo anno admittetur, scilicet si in castitate vitam agat: graecus autem qui post fidem rursus ad sacrilegium accedit, ad vomitum revertitur. Non vero diaconissae corpus, ut consecratum, esse in usu carnali non amplius permittimus;* et ideo praedictum graecum, qui post baptismum redit ad vomitum et ad mores ethnicorum, audetque coire cum diaconissa Deo consecrata, ut reum sacrilegii punit.

Can. 45. *Si quis accepto nomine christianismi, Christum contumelia afficit* (vivendo more ethnicorum), *nulla est illi appellationis utilitas.*

Can. 46. *Quae per ignorantiam nupsit ei, qui ab uxore ad tempus derelictus est, deinde dimissa est, ut prior* (uxor) *ad ipsum revertatur, fornicata quidem est,*

sed per ignorantiam. A matrimonio ergo non prohibebitur, sed melius est si sic manserit.

Can. 47. Dicit esse rebaptizandos quosdam haereticos, quamvis dicerent se esse baptizatos in Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Sed in fine huius rei decisionem ad synodum episcoporum remittit. Huius canonis afferendi locus, et occasio forte erit infra *lib.* 2. *cap.* 10.

Can. 48. *Quae a marito dimissa est, mea quidem sententia manere debet. Si enim Dominus dixit: Si quis reliquit uxorem praeterquam ratione fornicationis, facit eam adulterari, ex eo quod eam adulteram nominet, exclusit eam a societate cum alio etc.*

Can. 49. *Stupra quae per vim inferuntur, non sint accusationi obnoxia. Quare, si ancillae vis allata fuerit a proprio domino, ea a culpa est libera.* Et ideo ipsa non accusetur nec puniatur, bene autem Dominus.

Can. 50. *Trigamiae lex non est. Quare lege tertium matrimonium non approbatur. Verumtamen ea ut ecclesiae inquinamenta videmus, sed publicis condemnationibus non subiicimus, ut quae soluta ac profusa fornicatione sunt magis expetenda.* Haec circa digamos ac trigamos docet s. pater in his epistolis, ex disciplina eius ecclesiae vel temporis. Lege Card. Baron. ad *ann.* 314. *n.* 91.

Can. 51. *Quod adversus clericos statutum est, canones indefinite ediderunt, unum in iis qui lapsi sunt, supplicium decerni iubentes, a ministerio scilicet motionem sive sint in gradu sive etiam in ministerio, quod non impositis manibus datur, perseverent.* Id est sive habeant ordines maiores sive minores, ut idem Balsam.

Can. 52. *Quae foetus in via nati curam non gessit, si cum posset quidem servare, neglexerit, vel se ideo peccatum celare existimans vel etiam omnino belluina et inhumana cogitatione impulsa* (id est si id fecerit vel ex negligentia vel ad factum celandum vel ex quadam feritate), *tanquam propter homicidium iudicetur. Sin autem eum concinnare et componere non potuit et propter solitudinem rerumque necessariarum inopiam foetus interiit, matri ignoscendum est.* De hac eadem re agitur *can.* 33. Sed hic fusius, addito casu eius matris, cui foetus perit inculpate.

Can. 53. *Vidua ancilla forte non multum lapsa est, quae sub raptus simulatione, secundum matrimonium eligit. Quamobrem eam de illo accusare non oportet: neque enim simulatio iudicatur, sed voluntas* (id est non debet institui iudicium de simulatione ipsa, quae non est ingens culpa, sed de voluntate. Voluntas autem ipsius alia non fuit, ut credi debet, quam contrahendi iterum matrimonium, quod, quia contrahere impediebatur forte a primi coniugii cognatis, inquit hic Balsamon, recurrit ad eam simulationem). *Clarum est autem quod illam manet poena digamiae*, si videlicet contrahere matrimonium aliunde non poterat.

Can. 54. *De involuntariis caedibus scio me ante hoc tempus scripsisse pro viribus* (scilicet *can.* 8. desumpto ex eius *ep.* 1. *ad Amphilochium*, *n.* 6. nam reliqui canones post *can.* 16. *usque ad* 50. *sunt in ep.* 2.) *et nihil ultra illa possum docere. Est autem tuae prudentiae pro circumstantiae proprietate poenas intendere vel remittere.*

Can. 55. *Qui se latronibus adversus obiiciunt* (eos vel invadendo vel ut noxios ob communiorem utilitatem interficiendo) *si sint quidem extra ecclesiam, a boni communione arcentur: si sint autem clerici, a gradu deponuntur. Quicumque enim inquit, gladium accepit, gladio peribit.*

Can. 56. *Qui sua sponte interfecit et postea poenitentia ductus est, viginti annis sacramento non communicabit. Viginti autem anni sic in eo dispensabuntur. Debet quatuor annis deflere stans extra fores templi et fideles ingredientes rogans ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuncians*, id est faciens publicam sui delicti confessionem. *Post quatuor autem annos inter auditores recipietur et quinque annis cum ipsis egredietur* (id est templo exibit, dum illi abire voce diaconi iubentur). *Septem autem annis cum iis qui in substratione orant, egredietur* (id est, cum cathecumenis competentes ab eodem exire iubentur, ipsi etiam exibunt). *In quatuor annis solum stabit cum fidelibus, sed non erit oblationis particeps: iis autem expletis erit sacramentorum particeps.*

Can. 57. *Qui non voluntarie interfecit, undecim annis sacramentis non communicabit. Undecim autem anni sic in eo dispensabuntur. Duos quidem annos deflebit: tres autem annos inter auditores perseverabit, in quatuor substratus et anno solum consistet et deinceps ad sacra admittetur.*

Can. 58. *Qui adulteravit, in quindecim annis sacramentis non communicabit. In his autem quindecim annis sic quoque dispensabitur. Quatuor annis erit deflens, quinque audiens, quatuor substratus, in duobus consistens sine communione.*

Can. 59. ***Fornicator septem annis, sanctis non communicabit, duobus deflens et duobus audiens et duobus substratus, uno solo consistens, octavo autem ad communionem admittetur.*** Hic Balsam. (quod monui in *cler. rom.*) ita subdit: *Etiamsi quae praesentibus duobus canonibus decreta sunt, quod ad dictionem attinet, clarissima, sed tamen quod ad praxim attinet, sunt omnino difficillima. Nemo enim ea, quae illic continetur, ratione curatur, et nisi esset inenarrabilis clementis Dei misericordia, omnis caro periisset.* Quod si adulteria et fornicationes non curabantur poenitentia canonica, putasne fuisse reliqua canonica tot annorum poenitentia curata?

Can. 60. *Quae virginitatem professa a voto suo ac professione lapsa est, peccati adulterii tempus in suae vitae dispensatione complebit* (id est tamdiu, et eodem modo punietur ut adultera). *Idem et in iis qui vitam monasticam profitentur et labuntur.*

Can. 61. *Qui furatus est, si ex se quidem poenitentia motus seipsum accusaverit, anno a sola sacramentorum communione arcebitur. Sin autem convictus fuerit, duobus annis tempus illi ad substrationem et consistentiam dividetur et tunc communione dignus habeatur.* Hic ita subdit Balsamon. *Tu autem* (o lector) *opta ne praesens canon secundum furis definitionem intelligatur, quae dicit, fur est qui praeter domini voluntatem aliena contrectat, sciens eum molestia afficere. Nullus enim fere eorum, qui in vita versantur sacramentis, ut mihi videtur, communicabit, si hoc datum fuerit* (nimirum omnes erunt in ordinem poenitentium redigendi). *Nam monasteriorum quoque ministri etiamsi sint religiosissimi, praeter suorum praefectorum sententiam aliquid sibi modicum ad vitam sustentandam privatim accipiunt et ad alios transferunt* (quae modica simul iuncta quid magnum faciunt) *et filii a parentibus subripiunt. Mitto servorum nequitias et clandestinas subreptiones eorum, quae ad dominos suos pertinent.* Igitur nec huius canonis observantia vigebat, nec eam unquam viguisse dicit aut innuit idem interpres, qui id malum non refert in vitium sui temporis.

Can. 62. *Qui suam in maribus turpitudinem ostendit, ei tempus dispensabitur illius qui adulterii scelus admisit*, id est masculorum concubitores puniantur,* ut adulteri, quindecim annorum poenitentia

Can. 63. *Qui in brutorum concubitu suam impietatem profitetur, eandem rationem confitens observat*, id est eadem poena plectetur, *postquam* (inquit Balsamon) *a malo defecerit et confessus fuerit.* Sed verior interpretatio collecta ex *can.* 56. et aliis videtur haec esse, debere hunc subire praedictam poenitentiam in locis praescriptis et faciendo publicam confessionem, qua vel confiteretur delictum in specie vel saltem diceret, se foedissime peccasse vel esse hominum nequissimum quae confessio facienda erat tempore fletus, ut dicitur eo *canon.* 56. et innuitur *can. seq.* quo eadem poena infligitur. Et *can.* 73.

Can. 64. *Periurus undecim annis non erit communionis particeps, duobus annis deflens, tribus audiens, quatuor substratus, anno solum consistens et tunc communione dignus habebitur.*

Can. 65. *Qui praestigias vel veneficum fatetur, is homicidae tempore confitebitur, ita dispensatis ut qui in unoquoque peccato se ipsum convicit*; id est homicidae poena plectetur ac proinde tantum deflebit extra fores templi confitens peccatum suum, audiat, substernetur et consistet, quamdiu debet homicida, nec maiori poena punietur, quia se ipsum convincit sponte confitens unumquodque peccatum seu alterutrum ex his duobus peccatis.

Can. 66. *Qui sepulcra effodit, undecim annis carebit communione, duobus deflens, tribus audiens, quatuor substratus, uno consistens, et tunc admittendus.*

Can. 67. *Cum sorore coitus homicidae tempore punietur.*

Can. 68. *Prohibitae cognationis in matrimonio coniunctio, si deprehensa fuerit, ut quae in hominum peccatis facta est, subibit adulterorum poena.* Id est matrimonia inita contra leges inter cognatos, utpote contracta cum peccato, puniantur tamquam adulteria.

Can. 69. *Lector si cum sua sponsa ante matrimonium commercium habuerit, postquam anno cessaverit, ad legendum recipietur, manens, non ulterius promovendus* (id est punietur annua suspensione a suo officio, neque provehetur postea ad altiorem ordinem); *quod si absque desponsatione furtim coierit, cessabit a ministerio. Idem et minister.* Id est si vero coierit cum ea, quae non est sibi desponsata, cessabit a suo officio in perpetuum ac proinde deponetur. Eadem poena punietur, si id fecerit minister, id est, inquit Balsamon, hypodiaconus: *Non enim permittitur hypodiacono, sicut et lectori, post ordinationem desponsatam habere mulierem; et matrimonium con-*

trahere. Hypodiaconus autem est is quem dicimus subdiaconum.

Can. 70. *Diaconus qui pollutus est in labris* (foeda oscula corpori foemineo imprimens), *et se eo usque peccasse confessus est, a ministerio prohibebitur* (non tamen in perpetuum, sed ad tempus): *ut autem sit sacramentorum cum diaconis particeps, dignus habebitur; id ipsum autem presbyter quoque. Si quid autem amplius peccasse quis deprehensus fuerit, in quocumque sit gradu, deponetur.* Id est si usque ad coitum progressus fuerit, cessabit in perpetuum a suo ministerio.

Can. 71. *Qui uniuscuiusque praedictorum peccatorum fuit conscius et non confessus, sed convictus est tanto tempore, quanto malorum effector punitus est, ipse quoque punietur.* Conscium autem alicuius peccati, dicit Balsamon, esse hic eum qui *opem et auxilium tulit vel dolose consuluit vel eum qui scit et potest prohibere nec prohibuit.*

Can. 72. *Qui se vatibus vel huiusmodi aliis tradit, ipse quoque homicidarum tempore punietur.* Vult hic puniri ut homicidas, eos qui ut futura sciant, consulunt vates, nempe ut interpretatur Balsamon, eos qui non simplices incantationes faciunt, sed ut futura scire et renunciare possint, invocant daemones ac Deum negant.

Can. 73. *Qui Christum negavit et salutis mysterium transgressus est, eum toto vitae suae tempore deflere et confiteri convenit in tempore quo e vita excedit, sacramento dignum habitum, propter fidem divinae clementiae.* Ut hunc canonem cum antiquioribus conciliet Balsamon in eius interpretatione haec habet: *Cum autem ancyrana synodus et sacrosanctus martyr Petrus extremo excommunicationis supplicio* (nempe usque ad mortem) *neminem subiiciant et praesenti canoni veluti adversentur, dic, quod patres statuerunt poenas suis temporibus convenientes.* Postea dicit debuisse tempore persecutionum mitius puniri apostatas, quam tempore Basilii, quo illae desierant.

Can. 74. *Sin autem unusquisque eorum qui in praedictis peccatis fuere, confessus bonus evaserit et is cui a Dei benignitate ligandi et solvendi credita est potestas, fiat clementior, videns summam eius qui peccavit confessionem, ad diminuendum poenarum tempus non erit dignus damnatione, cum historia scripturarum significet, quod qui cum maiori labore confitentur, Dei misericordiam celeriter apprehendebant.*

Dicit hic Balsamon, isto canone tribui potestatem regionis pontifici temperandi poenas canonicas pro contritione poenitentis. Notatque *discrimen, quod est inter iudices qui pronunciant corporales punitiones adversus eos qui sunt criminibus obnoxii et episcopos qui decernunt poenas ecclesiasticas adversus eos qui animae peccata confitentur. Illi enim* (inquit) *poenas a lege constitutas, nec possunt augere nec minuere sine iussu imperatoris. Hi vero nostrorum peccatorum opera suscipientes, tanquam Deo pro nobis rationem reddituri, pro suo arbitratu poenas et augent et minuunt, et ideo in eorum est potestate non solum poenarum tempora minuere, sed etiam poenas commutare, etc.* Ut autem intelligeremus, hanc poenae diminutionem vel mutationem debere fieri prudenter, refert, uti, cum quidam miles in voluntariae caedis crimen incidisset et a quodam Antistite post valde modicum tempus datis scriptis absolutus esset, id aegre tulit imperator voluitque rem expendi synodaliter: synodus autem, minime admittens excusationem episcopi qui pro se hunc Basilii canonem, aliosque similes afferebat, *militem quidem canonicarum poenarum rursus compedibus subiecit: antistitem autem ad aliquantum temporis ab officii ac ministerii suspensione punivit, dicens, quod antistitibus quidem licet poenas canonicas augere et diminuere: aranearum autem filis ligare quae debent tribus rudentibus alligari, non concessum est. Dicitur autem quod propter illius militis causam edidit potens et sanctus noster imperator de voluntariis homicidiis novellam, quam etiam lege retro sitam;* nempe in explicatione *can.* 8. ubi eam recitat. Ad intelligenda autem et confirmanda quae dicam *lib.* 2. non utile tantum, sed necessarium est ut eam audias aut saltem eius partes aliquas. Igitur in loco citato ita praedictus interpres.

Quia autem de voluntariis homicidiis, mense aprili indict. 14. *a potentissimo et sancto imperatore nostro domino Emmanuele Comneno novella edita est, eam manda memoriae quae sic habet post prooemium sic tractans. Iubet ergo omnibus qui sunt in regionibus, iudicibus et militaribus quae sunt in eis copiis et earum ducibus, ubi fuerit caedes voluntaria et tale quidpiam ausus fuerit aliquis, ut omnes statim excitentur ad apprehendendum homicidam et eum vinctum mittant ad imperatoriam circumspectationem etc. ut ipse in custodiam publicam introducatur, et tam in corpore quam*

in bonis secundum legum et novellarum constitutionum potestatem puniatur et alia supplicia subeat: scientibus in his omnibus quod si probatum fuerit, potuisse quempiam homicidam apprehendere et non fecerit, eum non secus condemnandum, quam si imperio insidiatus fuerit. Sin autem latuerit fortasse quispiam et ad sanctissimam Dei magnam ecclesiam confugerit; postquam poenae ecclesiasticae adversus eum processerint, ex legali observatione, eo quidem praesente qui reginae urbium imperium obtinet, ab eo mittetur in regionem quam censuerit, ut totum vitae suae tempus illic transigat etc. Sin autem non solum voluntarie, sed etiam praemeditato, captoque consilio caedem perpetraverit, non cogetur ex praedicta regia constitutione tonderi. Si enim eum qui sua sponte ad tonsuram accedit, non eo ipso statim admittit canonica subtilitas, sed ei sufficiente tempore attributo eiusque mente examinata etc. quomodo non fuerit a ratione alienum et a legibus spiritualibus dissidens aliquem necessario tondere, eumque homicidam quem Deus eo usque reliquit ut etiam manus fraterno sanguine pollueret? Timendum est enim ne invitus vitam angelicam ingressus, eaque vix suscepto venerando habitu in ludibrium utatur etc. Loco ergo tonsurae statuit mea imperialis maiestas, ut qui voluntariam caedem capto consilio perpetraverit, in custodia toto vitae suae tempore degat etc. Quia autem plures homicidae, qui caedem meditato, et consilio capto perpetrant, ad sanctissimam Dei ecclesiam postea accedentes, non ut facta est a se, sed ut ad suam facit utilitatem, caedem confitentur, iubet mea imperialis sublimitas, ut sanctissimus huius temporis patriarcha ad regionis antistitem et qui ei subest clerum, quin etiam ad regionis iudicem cum poena scribat, et quemadmodum factam esse caedem ex illius rescripto intellexerit, ita eam quoque persequatur, et non eum qui capto consilio caedem facit, propter falsam suam confessionem ad easdem poenas et eadem supplicia admittat, ad quae qui fortuito et improviso in tale aliquod crimen incidit etc. Omnino autem curae erit iis qui sunt in sanctissima magna ecclesia illorum iudicibus, ut cum conveniente canonica severitate crimina caedis puniant et tempora non temere contrahant, ne plusquam par sit, in iis quae non decet, se lenes et clementes praestent. Imperialis autem meae constitutionis exempla ab iis qui praesunt iudiciis, descripta, missa ad ecclesias quae sunt in regione, ibi reponentur, ut eorum quae sunt constituta, omnes scientiam habeant, ut faciant, quemadmodum eis comprehenditur. Quod si is qui capto consilio caedem fecit, tonsuram sua sponte elegerit, non absque probatione inter monachos cooptabitur, sed sufficienti tempore accuratissime et diligentissime, ex canonicis constitutionibus examinatus et probatus in monasterio vel invitus toto tempore manere cogetur, nec ei unquam exire permittetur. Monasterium autem erit omnino in illa provincia et non in ea terra quae mortui sanguinem dehiscens male suscepit.

Ex hac constitutione habes, uti olim homicidae, qui recurrebant ad ecclesiam et acceptum ab episcopo scriptum absolutionis testimonium proferebant, fori saecularis poenas declinabant, et ideo praedictum militem fuisse *datis scriptis* ab episcopo absolutum.

Habes secundo, ex iustissima causa non debuisse huiusmodi poenitentes facile absolvi et brevi poenitentia, gravissimis saecularis fori poenis liberari, ac proinde non abs re fuisse praedicti antistitis nimium clementis iudicium damnatum et reformatum. Habes tandem, id exemplum non recte afferri ad comprobandam fori interni et arcani severitatem, in quo poenitentes absoluti non evadunt onera et poenas iudicii saecularis. Huiusmodi autem sunt fere omnia quae modo ab aliquibus afferuntur in suae forte non satis probatae aut probandae severitatis patrocinium. Sed prosequamur magni Basilii canones.

Can. 75. *Qui cum propinqua ex patre vel matre vel sorore pollutus est, in domum orationis ne permittatur accedere donec ab iniqua vel nefaria actione desistat. Postquam autem in horrendi peccati sensum et animadversionem venerit, triennio defleat stans prope fores domus oratoriae et rogans populum ingredientem ad orationem, ut unusquisque pro ipso misericorditer ad Dominum intensas fundat preces. Postea autem alio triennio ad solam auditionem admittatur, et scripturam ac doctrinam audiens eiiciatur, et nec oratione dignus habeatur. Deinde si quidem illam cum lacrymis exquisivit et Domino cum cordis contritione et valida humiliatione supplex procidit, detur ei substratio in aliis tribus annis, et sic postquam poenitentiae fructus dignos ostenderit, decimo anno in fidelium oratione suscipiatur sine oblatione, et cum duobus annis una cum fidelibus ad orationem substi-*

terit, sic deinceps dignus habeatur boni communione.

Can. 76. *Idem est decretum in eos quoque qui suas nurus accipiunt.* Hic notat interpres quod iis *qui desistunt, non iis qui perseverant in peccato, dantur poenitentiae canonicae*, quod ego monui *c.* 1. *n.* 7.

Can. 77. *Qui mulierem quidem sibi legitime copulatam dimittit, secundum Domini sententiam adulterii iudicio subiicitur et a patribus nostris canonice statutum est, ut ii anno defleant, biennio audiant, triennio substernantur, septimo cum fidelibus consistant, et ita oblatione digni habeantur, si cum lacrymis poenitentiam egerint.* Hic interpres non abs re haeret. Nam *canone* 58. punit adulterum poenitentia quindecim annorum, hic autem eum qui legitimam dimisit uxorem et aliam ducit, sola septenni poenitentia castigat. Qua enim ista ratione cohaerent? Solvit quaestionem dicens. Primum canonem esse s. patris, secundum autem afferri ab eodem ut canonem patrum priorum, ut eum sciamus, non autem ut sequamur, ac proinde manere firmum quod ipse eo *canone* 58. statui

Similis quaestio agitari potest circa *canonem* 38. *et* 39. nam in primo fornicatoribus quadriennium poenitentiae imponitur, in altero vero iisdem imponitur septennis poenitentia, quam quidem eodem modo quo praecedentem solvit Balsamon dicens, in uno Basilium ipsum taxare poenitentiam, in altero vero recitare taxatam a patribus. Sed haec interpretatio difficultate non caret, ut legenti utrosque hos canones eosque simul conferenti constabit, utque expendi in *cler. rom. lib.* 1. *disp.* 9. *num.* 17. Ea forte melior responsio sit, tempora poenitentiae posse aliter et aliter determinari, ut non solum diverse, sed eodem tempore fuere a diversis ecclesiis determinata: nisi dicendum sit incuria amanuensium aliquid esse in scribendo et rescribendo hos canones omissum, quo omnis eorum discordia tolleretur.

Can. 78. *Eadem autem forma observetur et in iis qui duas sorores in matrimonio accipiunt, etsi diversis temporibus*, ac proinde etiam hi septenni poenitentia curentur.

Can. 79. *Ii autem qui in suas novercas insaniunt, sunt eidem canoni obnoxii cui et ii qui in suas sorores insaniunt.*

Can. 80. *Patres polygamiam silentio praetermisere; ut belluinam et penitus ab hominum genere alienam. Nobis autem probatur eam maius esse fornicatione peccatum, et ideo consentaneum est, ut ii canonibus subiiciantur, ut scilicet, postquam anno fleverint et tribus substrati fuerint, sic suscipiantur.* Hic iterum nodus: nam si maius est fornicatione peccatum, cur solis quatuor annis castigatur, fornicatio autem septem annis? Id auget suspicionem erroris in numero annorum ab exscribentibus commissi.

Can. 81. *Qui in barbarorum incursione fidem in Christum violarunt, factis sacramentis gentilibus et quibusdam nefariis, quae idolis magicis oblata sunt, ab eis gustatis, ii secundum leges a patribus iam editas, et canones dispensentur. Qui enim gravem necessitatem ex tormentis sustinuerunt, et non ferentes labores ad negationem tracti sunt, tribus annis sint non recipiendi* (deflentes extra ecclesiam), *et in duobus audiant, et cum tribus annis substrati fuerint, sic ad communionem admittantur. Qui autem sine magna necessitate fidem in Christum prodiderunt et daemoniorum mensam attigerunt et graeca sacramenta iurarunt, tribus quidem annis eiiciantur* (id est non admittantur intra ecclesiam), *duobus audiant: postquam autem in substratione tribus annis oraverint et in aliis tribus fidelibus ad orationem se substraverint, sic admittantur ad boni communionem.* Is canon videtur contrarius *canoni* 73. in quo eos qui Christum negant, ad perpetuam poenitentiam et fletum s. pater damnavit. Sed forte ibi loquitur de iis qui expresse negarunt Christum, inque sua apostasia, effecti tamquam ethnici, perstiterunt; hic autem de iis qui barbaris eas regiones incurrentibus, actum aliquem paganicum et superstitiosum ex aliquo metu exercuerunt et postea statim resipuerunt.

Can. 82. *De iis etiam qui peierarunt, si vi quidem et necessitate iuramenta transgressi sunt, levioribus poenis subiiciuntur, ut post sex annos possint suscipi. Qui autem sine necessitate suam fidem prodiderunt, cum duobus annis defleverint et duobus annis audiverint et in quinto in substratione fuerint et in duobus aliis sine oblatione in orationis communionem suscepti extiterint, ita tandem, condigna scilicet poenitentia ostensa, in corporis Christi communionem recipientur.* At periuros solum post decimum poenitentiae annum ad boni communionem admitti voluit *can.* 64.; cur ergo mitius hic eosdem punit? Forte hic agit de periuris qui sponte confitentur, ibi vero de iis qui ex aliorum accusatione fuere periurii condemnati, ut interpretatur Bals.

Can. 83. *Qui vaticinantur et gentium consuetudinem sequuntur et aliquos in aedes suas introducunt ad veneficiorum*

inventionem et eorum expurgationem, cadant in canonem sexennii, et postquam anno defleverint et anno audierint, in tribus annis substrati et anno cum fidelibus consistentes sic admittantur. At severior in praestigiatores, veneficos, eosque qui vates consulunt, est censura *canonis* 65. et *canonis* 72. quibus tamquam homicidae puniuntur, poena videlicet annorum viginti. Interpres putat eo duplici canone puniri eos qui ita illa faciunt, ut fidem negent; hic autem qui ex errore aliquo, non abnegata fide, vaticiniis et veneficiis dant operam. At cur id nec innuit quidem s. pater, immo innuit oppositum, cum in hoc posteriori canone agat de profitentibus hanc artem, aliosque in errorem inducentibus, in illis autem prioribus de iis qui tantum confitentur se praestigias et veneficium fecisse aut tradidisse se vatibus, ut futura praediscerent; quod certe minus est quam illud primum. Cur demum s. pater hos canones sic in speciem contrarios, sic indistinctos misit ad Amphilochium? Forte quaestio ipsa ac dubium quod Amphilochius proposuerat, declarabat responsionem ipsam, quam Basilius canone tradebat. Nescio an probabilis sit ea suspicio, non omnes canones esse Basilii, sed basilianis additos non basilianos.

Can. 84. *Haec autem omnia scribimus, ut poenitentiae eorum qui deliquere fructus probetur. Non enim hoc omnino tempore iudicamus, sed modum poenitentiae attendimus* (id est non satis est nobis quod qui ad nos curandi veniunt, statuto tempore maneant in locis poenitentium, sed inspicimus, an praebeant signa verae poenitentiae). *Quod si aliqui a propriis moribus non facile avellantur et carnis voluptatibus potius quam Deo servire voluerint vitamque ex evangelio institutam non admittant, nulla est nobis cum illis communis ratio. Nos enim in inobediente et contradicente populo audire docti sumus, servans serva animam tuam:* Id est ex sacra scriptura, qua redarguitur populus hebraeus inobediens et contradicens, audimus et docemur ut servemus animas nostras, nec eam, conniventes aliorum peccatis, amittamus.

Can. 85. *et ult. Ne itaque cum eis perire eligamus, sed grave iudicium formidantes et terribilem Dei retributionis diem prae oculis habentes, ne velimus una cum alienis peccatis perire etc. Sed et noctu et interdiu et publice et privatim ipsis testificari debemus, cum eorum autem improbitatibus abire nolumus, eos quidem lucrifacere optantes, et a mali laqueo eripere. Sin autem hoc non possumus, studeamus nostras animas ab aeterna condemnatione servare.*

Hi sunt canones poenitentiales attributi magno Basilio; quorum tamen aliqui, ut audisti, non continent poenitentias, quibus delicta curentur, sed admonitionem aliquam ad id pertinentem vel doctrinam morum qualem forte nulli alii antiqui canones magis distincte exhibent. Nunc afferam Gregorii Nysseni canones.

§. 5. *Canones s. Gregorii Nysseni.*

Continentur hi in ea, quam s. antistes scripsit ad Letoium Melitinae episcopum, epistola, a qua proinde eos excerpam et numeris distinguam.

Can. 1. *Si quis fidem in Christum negavit vel ad iudaismum vel idolorum cultum, manichaeismum vel aliquod aliud impietatis genus descivisse visus sit, qui voluntarie quidem ad id malum se contulit, deinde seipsum condemnavit, totum tempus vitae suae habet poenitentiae tempus. Numquam enim, si mystica peragatur oratio, Deum una cum populo adorare dignus censebitur, sed seorsum precabitur; a sacramentorum autem communione omnino erit alienus, in hora autem sui e vita excessus sacramenti communionis erit particeps. Sin autem contigerit, ut is praeter spem convalescat et vivat, in eodem rursus vivet iudicio, mysticorum sacramentorum usque ad vitae exitum expers.*

Can. 2. *Qui autem tormentis et gravibus suppliciis excruciati* (lapsi sunt), *ii praestituto tempore punientur, sanctis patribus sic in eos clementia usis, tamquam non lapsa sit anima, sed corporalis imbecillitas tormentis non restiterit. Quare mensura eorum qui fornicatione peccarunt, et transgressio extorta vi doloreque, in conversione eodem spatio dimensa est.* Id est praedicti, qui vi tormentorum victi transgressi sunt, punientur, ut puniuntur fornicarii, nempe poenitentia novem annorum, ut infra dicetur.

Can. 3. *Qui autem ad praestigiatores vel vates abierunt vel eos qui per daemones se piacula quaedam et aversiones* (nempe expulsationes malorum) *operaturos pollicentur, ii exacte interrogantur et examinantur utrum in fide in Christum permanentes, a necessitate aliqua ad illud peccatum impulsi sint, cum afflictio aliqua vel intolerabilis iactura hunc illi animum indidisset, an omnino neglecto quod a nobis creditum est testimonio* (Fidei), *ad daemonum societatem se contulerunt. Si enim ad fidem infirmandam, et quod Deum esse non cre-*

derent, qui a christianis creditur et adoratur, illud fecerunt, erunt scilicet transgressorum iudicio obnoxii; nempe curandi ut ii, de quibus *can.* 1.

Can. 4. *Sin autem intolerabilis necessitas aliqua, pusillo et abiecto eorum animo superato, eo deduxit falsa aliqua spe deceptos, similiter erit et in ipsos clementia, instar eorum qui tormentis in tempore confessionis resistere non potuerunt.*

Can. 5. Postquam fuse disseruit de malitia fornicationis, docuitque in ea contineri etiam iniuriam aliquam late sumptam, quia tamen in ea non est iniuria stricte talis ut in adulterio, nec tanta inordinatio ut in aliis nefariis actibus luxuriae, ita subdit: *Sed quia eorum, qui in fornicatione polluti sunt, iniuria aliqua* (nempe propria et stricta) *cum hoc peccato non est commissa, propterea duplum conversionis tempus iis praescriptum est, qui in adulterio inquinati sunt, et in aliis item vetitis malis, animalium initu et rabie in masculos: in iis enim peccatum duplicatur. Unum quidem in illicita et nefaria voluptate. Alterum autem, quod in iniuria quae fit alteri, consistit.*

Can. 6. *Est autem quaedam differentia in ratione poenitentiae in iis qui in huiusmodi voluptatibus peccarunt. Qui enim ex se ipso ad sua manifestanda peccata impulsus est, eo quod sua sponte occultorum accusator esse voluerit, ut qui iam morbo medicinam adhibere coeperit, et signum mutationis in id quod est melius ostenderit, in mitioribus poenis versatur. Qui autem in malo deprehensus est, vel propter aliquam suspicionem vel accusationem non spontaneam convictus est, longius illi conversionis tempus datur, ut ipse perfecte purgatus sic ad sacramentorum communionem admittatur.*

Can. 7. *Qui in fornicatione polluti sunt, in tribus quidem annis ab oratione* (et ab ecclesia) *omnino expellantur: in tribus autem solius orationis participes: in tribus autem aliis cum iis, qui in conversione substernuntur, precentur, et tunc sint sacramentorum participes.*

Can. 8. *In iis autem qui diligentia in conversione usi fuerint et vita ostenderint se esse emendatos, potest is qui praeest pro ecclesiasticae oeconomiae utilitate tempus auditionis contrahere et celerius ad conversionem deducere; et rursus hoc quoque tempus contrahere et celerius communionem reddere, prout sua probatione eius qui curatur, statum esse iudicabit. Quemadmodum enim porcis margaritas proiicere est vetitum; ita et pretiosa margarita privare eum qui iam per alienationem a vitio et purgationem homo factus est, absurdum est.*

Can. 9. *Quae autem in adulterio et in reliquis immunditiae generibus* (nempe bestialitate et sodomia, de quibus supra) *fit iniquitas, ut dictum est, eodem iudicio punietur, quo fornicationis scelus, sed tempore duplicabitur. In eo autem qui curatur, affectio et status considerabitur, ut dictum est de fornicario, ut vel citius vel tardius sit boni particeps.*

Inde descendit ad peccata quae fiunt ex ira, et docet, quod quamvis scriptura non solum vulnera et caedes prohibeat, sed etiam omne convicium vel maledictum, tamen patres solis caedibus poenas statuerunt, quas affert post divisionem homicidii voluntarii et involuntarii.

Can. 10. *Igitur in curatione voluntarii homicidii ter novem sunt anni, novenario annorum numero in unoquoque gradu praefinito* (nam quartum gradum in distributione temporis s. pater omittit) *ut in perfecta quidem segregatione novem annorum tempore versetur poenitens ab ecclesia prohibitus* (en primus gradus fletus), *totidem autem annos in auditione permaneat, sola doctorum et scripturarum auditione dignus habitus* (en secundus gradus auditionis), *in tertio autem novenario cum substratis in conversione orans* (en tertius gradus substrationis) *ut perveniat ad communionem sacramenti.*

Can. 11. *In eodem erit idem observandum ab eo qui ecclesiam administrat, et pro ratione conversionis illi quoque poenae tempus minuatur, ut pro novem annis in unoquoque gradu vel sex vel septem anni solum fiant, si poenitentiae magnitudo tempus vincat et superet correctionis studio eos qui in longo tempore praestituto susceptas a se maculas segniter eluunt.* Igitur ex hoc s. doctore homicidia voluntaria viginti septem annorum poenitentia castigari debuerunt aut annorum circiter viginti, si magnus esset fervor poenitentis. Homicidia autem voluntaria non solum ea esse dicit supra, quae fiunt ex meditatione animi, sed etiam ea quae committuntur in rixa. Post haec descendit ad curationem homicidii involuntarii, quod dicit illud esse, quod *casu committitur ab eo qui alicui alteri rei studium applicat.*

Can. 12. *Involuntarium autem venia quidem dignum, sed non laudabile iudicatum est. Hoc autem dixi, ut constet, quod etiamsi quis involuntarie fuerit in scelere homicidii, eum tanquam iam in profanum piaculum redditum a sacer-*

dotali gratia eiiciendum pronunciavit canon. Haec est poena homicidii etiam involuntarii nempe irregularitas, poenitentia autem est eadem, ac fornicarii, nempe novem annorum; sic enim subdit:

Can. 13. *Quantum autem est expiationis tempus ob simplicem fornicationem, tantum etiam recte habere existimatum est in iis, qui caedem involuntariam fecissent, scilicet in iis quoque poenitentis voluntate examinata, ut sit fide quidem digna conversio, non servetur annorum numerus, sed temporis prolixitate resecata ad ecclesiae restitutionem, et boni participationem compendio deducatur.*

Can. 14. *Si quis autem tempore non expleto a canonibus praestituto vita excedat, iubet patrum clementia, ut effectus sacramentorum particeps fiat, nec viatico vacuus ad extremam illam et longam peregrinationem mittatur. Sin autem postquam sacramenti particeps factus fuerit rursus ad vitam reversus sit* (id est periculum evadat et convalescat), *statutum tempus expectet in illo gradu existens, in quo erat ante communionem illi ex necessitate datam.*

Postea descendit ad curanda peccata avaritiae; quibus medendis nullum poenitentialem canonem conditum a patribus fuisse miratur, cum ea sit ex apostolo *ad Ephes.* 5. quaedam idololatria. Ipse autem ex poenitentia aliorum delictorum, et ex scriptura docet, qua sint haec peccata ratione curanda.

Can. 15. *Dividitur furtum in latrocinium seu depraedationem et in murorum* (et sepulchrorum ut antea dicit) *effossionem. Idem autem utriusque est institutum, videlicet aliena auferre: in animo autem ipsorum magna est inter se differentia. Latro enim etiam homicidium, ad id quod studet assequi, assumit, ad id paratus et armis et copiis et opportunitate loci; ideoque is homicidarum iudicio subiiciatur, si per poenitentiam ad Dei ecclesiam reversus fuerit.* Igitur huiusmodi latronibus paratis committere homicidium voluit is sanctus pater viginti septem annorum poenitentiam in eos tres gradus, fletus, auditionis et substrationis divisam imponi.

Can. 16. *Qui autem latenti ablatione sibi alienum usurpat, deinde per enunciationem peccatum suum sacerdoti aperuerit, vitii studio in contrarium mutato, aegritudinem curabit, videlicet largiendo quae habet pauperibus, ut dum quae habet profundit, se ab avaritiae morbo liberum aperte ostendat.*

Can. 17. *Sin autem nihil aliud praeterquam solum corpus habeat, iubet apostolus per laborem corporalem ei morbo mederi, sic dicens: qui furatur non amplius furetur, sed potius laboret bonum operans, ut possit ei largiri, qui indiget.*

Can. 18. *Sepulchrorum effossio ipsa quoque dividitur in id quod veniam meretur, et id quod non meretur. Si enim mortuorum parcens religioni et tectum corpus intactum relinquens, ut nec soli ostendatur turpitudo corporis, lapidibus aliquot ex iis qui ante sepulchrum proiecti sunt, ad aliquod opus construendum usus est, ne hoc quidem est laudabile, sed ut esset dignum venia, effecit consuetudo, quando ad aliquid melius et reipublicae utilius materia traducta sit; sed carnis in terram redactae pulverem perscrutari et ossa movere spe lucrandi aliquem ex defossis ornatum, id eodem iudicio condemnatum est, quo simplex fornicatio; quemadmodum supra dictum est, considerante scilicet oeconomo, seu dispensatore et aestimante ex ipsa vita eius qui curandus est, quae medicina sit adhibenda, ut spatium a canonibus praestitutum possit contrahere.*

Can. 19. *Sacrilegium autem* (quo aufertur quod Deo sacratum est) *in antiqua quidem scriptura* veteris testamenti, *ne caedis quidem condemnatione visum est tolerabilius. Similiter enim et qui caedis convictus erat, et qui res Deo dicatas abstulerat, lapidationis supplicium subibat* (id est sacra scriptura aeque punit homicidam, ut eum qui aufert rem Deo sacram, ut patet in Achaz, qui ex spoliis Iericho, quae erant Deo sacrata, aurum vestesque abstulit). *In ecclesiastica autem consuetudine de poenae gravitate nescio quomodo aliquid detractum, et eo lenitatis descensum est, ut illius morbi existimaretur tolerabilius piaculum. In minori enim tempore quam adulterium, a patrum traditione poenam susceperunt.* Id est non solum non punitur ut homicidium poenitentia annorum 20., sed neque ut adulterium poenitentia annorum 18. sed poena minori.

Can. 20. *et ult. Utique autem hoc in supplicii genere ante omnia videndum est, qualis sit eius qui curatur affectio, et non aestimare, tempus ad curationem et remedium sufficere (quae enim fuerit ex tempore medicina?) sed eius qui convertitur et curatur animum et institutum;* nempe in foro poenitentiae, in quo non intenditur sola vindicta delicti, sed delinquentis emendatio et sanitas, non sufficit quod qui deliquit tanto tempore puniatur; nam tempus et duratio poenae non

sanat, sed est attendenda poenitentis dispositio, ut eo modo curetur, ea poenitentia aspera vel miti, longa vel brevi exerceatur, quae illi utilior erit ad emendationem; qui, ut non semel dixi et millies dicam, est canon poenitentialis verissimus et certissimus, ex quo ea poenitentia iniungatur poenitenti, quae vulnus nec exasperet nec dissimulet et vulneratum sanet; idque solum intenderunt patres per hos canones poenitentiales, et ideo tam saepe monuerunt, debere praesidem huius fori uno velut oculo leges *aspicere, altero poenitentem et earum rigorem temperare, cum is sanatus appareat.*

Cap. III.

Canones poenitentiales aliquorum conciliorum.

§. 1. *Canones poenitentiales concilii illiberitani.*

De hoc concilio magnum inter scriptores dissidium, cum aliqui uno tempore, alii alio celebratum illud asserant; aliqui unum numerum canonum, alii maiorem ei attribuant; aliqui uno modo, alio interpretentur alii; aliqui eius auctoritatem elevent, alii attollant, alii nutantem firment, ut plerique recentiores et praesertim card. de Aguirre in sua *collect. maxima tom.* 1. *pag.* 268. *edit. Rom.* De tempore prima controversia est; nobis autem pro re praesenti satis est hoc scire, quod est satis certum, celebratum ab hispanis patribus hoc fuisse sub initium saeculi quarti aliquot annis ante Nicaenum, et ut videtur, paulo ante arelatense 1.

Circa canones eos afferam tantum, qui poenas seu poenitentias statuunt, quique citra controversiam huic concilio attribuuntur. Non est autem is locus agendi de eius auctoritate, cum hic constituerim docere tantum, qui fuerint, non vero quanti habiti fuerint horum temporum canones poenitentiales. Huius autem concilii doctrina non in canones, sed in capita, quae tamen canones sunt, fuit digesta.

Cap. 1. *Placuit, ut quicumque post fidem baptismi salutaris adulta aetate ad templum idoli, idololatraturus accesserit et fecerit quod est crimen capitale* (nempe principale, quale est sacrificium idolo factum) *nec in fine eum ad communionem suscipere.* Hic magna controversia est, an patres prohibentes hunc suscipi, vel in fine vitae, ad communionem, eum solo eucharistiae viatico fraudari voluerint, an etiam absolutione sacramentali. Communiter in his conciliis *suscipere ad communionem*, est idem ac *non negare* seu *reddere alicui societatem fidelium*, et *non suscipere* est idem ac *negare hanc societatem*, ac proinde omnem usum sacramentorum. Igitur utrumque sacramentum hic negant patres, si his vocibus usi sunt, ut communiter usurpari solebant. Quia vero haec verba possunt etiam suscipere mitiorem interpretationem, ita ut sola negetur communio eucharistiae; et patres, cum possunt, sic explicari debent, ut sensum faciant magis consonum communi ecclesiae doctrinae, dicendum est, in hoc et in aliis, quos infra afferam, canonibus solam ab eis negari eucharistiae communionem. Imo quia hoc ipsum receptum non fuit ab ecclesia, quae, ut infra dicam, et ostendi in cler. rom. *lib.* 1. *disput.* 4. utrumque sacramentum moribundis vere poenitentibus conferri semper voluit, forte per praedicta verba fuit illis apostatis ea sola communio denegata, quae erat plena communio, plena pax cum ecclesia, quae magnis peccatoribus utcumque utroque sacramento refectis negabatur etiam in morte, quatenus, si convaluissent ab infirmitate sua, ingredi debebant stadium poenitentiae, et gerere se tanquam eiectos et ab usu sacramentorum exclusos.

Cap. 2. *Flamines qui post fidem lavacri et regenerationis sacrificaverint, eo quod geminaverint scelera, accedente homicidio, vel triplicaverint facinus cohaerente moechia, placuit eos nec in fine accipere communionem.* Hic eruditi interpretes dicunt, agi de iis gentilium sacerdotibus, qui flamines vocabantur, qui post conversionem et baptismum ad vomitum redierant et ad suum munus, quod erat diis immolare initio ludorum, et publicis ludis praeesse, in quibus homicidia et adulteria aliaque huiusmodi obscoena committebantur, quorum proinde reatus ad eos redundabat: vel agi de iis sacerdotibus qui pariter post sanctum lavacrum quo erant expiati redierant ad sua sacrificia, in quibus carnes humanae offerebantur idolis, et virgines, antequam mactarentur, ab ipsis sacerdotibus constuprabantur non sine culpa moechiae, cum sacerdotes uxorati essent. Nisi forte haec vox moechia sumenda sit in lata significatione pro quovis illicito concubitu, quomodo usurpari eam posse docet August. *lib.* 2. *super Exod. cap.* 71. Igitur hi sacerdotes ex his tribus criminibus vel ex singulis, ut alii interpretantur, cum parva aliqua mutatione verborum huius capitis, tota vita inque ipsa morte privantur communione praedicta.

Cap. 3. *Item flamines qui non immolaverint, sed munus tantum dederint, eo quod se funestis abstinuerint sacrificiis, placuit in fine praestari eis communionem: facta tamen legitima poenitentia*

Item ipsi, si post poenitentiam fuerint moechati, placuit ulterius eis non esse dandam communionem, ne lusisse de dominica communione videantur. Hic nomine muneris intelligunt aliqui pecuniam vel tale aliquid datum persecutoribus ad redimendam corporis et vitae vexationem. Hoc autem dare ad hunc finem culpa vacat, et supra definit Petrus Alexandrinus *can.* 12.; non igitur puniendum erat, nisi forte causa aliqua nobis incomperta id eo tempore illicitum fecit. Aliqui ea voce intelligunt munus aliquod datum idolo vel ethnico sacerdoti ad sumptus sacrificiorum, quod certe erat illicitum et puniendum. Alii demum, nomine muneris significari dicunt ludos publicos quos hi flamines exhibuerant, sed sine sacrificio, et ideo minus puniuntur.

Cap. 4. *Item flamines, si fuerint catechumeni et se a sacrificiis abstinuerint, post triennii tempora placuit ad baptismum admitti debere.* Putarunt patres, flamines quos experti fuerant parum constantes, esse diutius probandos, nempe toto triennio, cum reliqui post biennii catechumenatum baptizarentur. Igitur si flamines intra triennium ad sua impia sacrificia relapsi fuissent, nec eo elapso poterant baptizari, quamvis eos sui delicti poeniteret.

Cap. 5. *Si qua domina furore zeli accensa* (nempe zelotypiae stimulis percita) *flagellis verberaverit ancillam suam ita, ut intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum sit voluntate an casu occiderit: si voluntate, post septem annos; si casu, post quinquennii tempora, acta legitima poenitentia, ad communionem placuit admitti. Quod si intra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem.* Quae diceretur poenitentia legitima, nempe peragenda secundum canones toto eo tempore, quod dicebatur tempus poenitentiae, constat ex Burch. *lib.* 19. et dicetur infra.

Cap. 6. *Si quis vero maleficio interficiat alterum, eo quod sine idololatria perficere scelus non potuit, nec in fine impertiendam esse communionem.* Nempe illam plenam pacem et reconciliationem cum ecclesia, de qua dictum cap. 1. huius synodi. Maleficium autem quod punitur erat opus artis magicae continens adorationem idolo exhibitam.

Cap. 7. *Si quis forte fidelis post lapsum moechiae, acta per tempora constituta legitima poenitentia, denuo fuerit fornicatus, placuit eum nec in fine habere communionem.* Ostendi autem in cler. rom. *lib.* 1. *diss.* 5. nunquam potuisse relapsis negari in morte sacramentalem absolutionem. Qui ergo hos patres errasse negabit, infligi hic ab eis dicet solam poenam negatae eucharisticae communionis; imo solam poenam negatae ecclesiasticae et plenariae reconciliationis ut supra dictum est.

Cap. 8. *Item foeminae, quae nulla praecedente causa reliquerint viros suos et alteris se copulaverint, nec in fine accipiant communionem,* si videlicet (ut addit Burchardus *lib.* 9. *cap.* 62.) *in hoc permanere voluerint.*

Cap. 9. *Item fidelis foemina quae adulterum maritum reliquerit fidelem et alterum duxit, prohibeamus ne ducat: si autem duxerit, non prius accipiat communionem quam is, quem reliquerit, de saeculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.*

Conceditur ei communio post mortem relicti coniugis, quia tunc illa poterat alteri nubere et contrahere verum matrimonium.

Cap. 10. *Si ea quam catechumenus reliquit, duxerit maritum, potest ad fontem lavacri admitti praedictus cathecumenus. Hoc et circa foeminas cathecumenas erit observandum. Quod si fuerit fidelis quae ducitur ab eo qui uxorem inculpatam reliquit, et scierit eum habere uxorem quam sine causa reliquit, placuit huic nec in fine dari communionem.* In prima parte canonis agitur de eo qui uxorem alteri iunctam repetere non potest, aut ex causa, si qua est, non debet, et is admittitur ad baptismum. In secunda parte agitur de ea quae nupsit illegitime, et haec reiicitur.

Cap. 12. *Mater, vel pater vel quaelibet fidelis, si lenocinium exercuerit, eo quod alienum vendiderit corpus vel potius suum, placuit eam nec in fine accipere communionem.* Dicit *suum*, quia corpus filii est veluti corpus parentum.

Cap. 13. *Virgines quae se Deo dedicaverunt, si pacta prodiderint virginitatis, atque eidem libidini inservierint, non intelligentes quid amiserint, placuit nec in fine dandam eis esse communionem. Quod si semetipsas poenituerit, quod infirmitati corporis lapsae fuerint et toto tempore vitae suae egerint poenitentiam et abstinuerint se a coitu, eo quod lapsae potius videantur, placuit eas in fine communionem accipere debere.* In prima parte canonis agitur de illis quae lapsae non resipuerint statim, sed diu vel etiam usque ad mortem in peccato suo et mala vita perstitere: in secunda vero de illis quae ex fragilitate lapsae statim surrexerunt et perpetuam post poenitentiam peregerunt.

Cap. 14. *Virgines quae virginitatem suam non custodierint, si eosdem, qui*

Pas violaverunt, acceperint et invenerint maritos, eo quod solas nuptias violaverint, post unius anni poenitentiam reconciliari debebunt; vel si alios cognoverint viros eo quod moechatae sint, placuit per quinquennii tempora, acta legitima poenitentia, admitti eas ad communionem. In prima parte canonis agitur de puellis quae a soluto violari se permiserant non violantes ius alterius, sed solum dehonestantes se ipsas et suas futuras nuptias; in secunda vero parte agitur de illis quae cognoverant alienum virum, nempe iunctum matrimonio, ac proinde sunt in moechiam lapsae.

Cap. 15. *Propter copiam puellarum gentilibus minime in matrimonium dandae sunt virgines christianae, ne aetas in flore tumens in adulterio resolvatur animae.* Id est, copia puellarum non debet efficere ut earum cum ethnicis matrimonia permittantur.

Cap. 16. *Haereticis qui errant ab ecclesia catholica, nec ipsis catholicas dandas puellas; sed neque iudaeis neque haereticis* (alii legunt *schismaticis*, nam de haereticis dicitur initio capitis) *dari placuit, eo quod nulla possit esse societas fidelis cum infideli. Si contra interdictum fecerint parentes, abstinere per quinquennium placet,* nempe manere per quinquennium excommunicatos. Forte eadem poena castigandi erant qui praecedentem *canonem* 15. violassent, quamvis ibi de poena nihil dicatur.

Cap. 17. *Si qui forte sacerdotibus idolorum filias suas iunxerint, placuit nec in fine eis dandam esse communionem. Siquidem puellae his nuptae in ingens periculum deserendi veram religionem coniiciebantur.*

Cap. 18. *Episcopi, presbyteri, diaconi, si in ministerio positi detecti fuerint, quod sint moechati, placuit et propter scandalum et propter nefandum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere.* Hic nomine moechiae significari ab his patribus copulam quamlibet illicitam, dicunt aliqui, nec sine fundamento, ut supra innui.

Cap. 20. *Si quis clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit degradari et abstinere. Si quis etiam laicus accepisse probatur usuras et promiserit correptus iam cessaturum nec ulterius exacturum, placet ei veniam tribui; si vero in ea iniquitate duraverit, ab ecclesia sciat se esse proiiciendum.*

Cap. 21. *Si quis in civitate positus tres dominicas ad ecclesiam non accesserit, tanto tempore abstineat, ut correptus esse videatur.* Id est, ut constet eius culpam non dissimulari, sed corrigi. In eos autem qui ruri habitabant non animadverterunt patres, quia cum tempore persecutionum paucissimae in agris aut pagis essent ecclesiae, non poterant hi facile adire.

Cap. 22. *Si quis de catholica ecclesia ad haeresim transitum fecerit rursusque ad ecclesiam recurrerit, placuit huic poenitentiam non esse denegandam, eo quod cognoverit peccatum suum: qui etiam decem annis agat poenitentiam, cui post decem annos praestari communio debet. Si vero infantes fuerint transducti, quod non suo vitio peccaverint, incunctanter recipi debent.*

Cap. 30. *Subdiaconum eum ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerit moechatus, eo quod postmodum per subreptionem ad altiorem gradum non sit promovendus* (qui enim non confessus moechiam ordinabatur nec illam confitebatur postea, et sic illegitime ad diaconatum ascendebat. V. cap. 76.), *si autem aliqui in praeteritum ordinati, amoveantur.*

Cap. 31. *Adolescentes, qui post fidem lavacri Salvatoris fuerint moechati, cum duxerint uxores, acta legitima poenitentia, placuit ad communionem eos debere admitti;* id est si resilientes a vaga et nefaria libidine castum connubium contraxerint, ne si soluti maneant, relabantur, post legitimam poenitentiam, admittantur. Quamvis enim poenitentes deberent abstinere coniugio, contrahere tamen permittebantur, cum continere se non poterant.

Cap. 32. *Si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit* (id est in mortis articulum seu periculum) *placuit agere poenitentiam non debere sine episcopi consultu, sed potius apud episcopum agat. Cogente tamen infirmitate non est presbyterorum aut diaconorum communionem talibus praestare debere, nisi eis iusserit episcopus.* Hinc sumitur argumentum, nomine *communionis* in hac synodo significari aut actionem tradendi eucharistiam aut absolvendi ab ecclesiasticis censuris vel poenis et reconciliandi cum ecclesia quam etiam diaconi praestare poterant, et praestabant aliquando moribundis.

Cap. 33. *Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris, diaconibus et subdiaconibus positis in ministerio, abstinere se a coniugibus suis et non generare filios; quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur.*

Cap. 37. *Eos qui a spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet; si vero fideles fuerint, dandam eis esse communio-*

nem. Prohibendum etiam ne lucernas hi publice accendant; si facere contra interdictum voluerint, abstineant a communione. In prima parte canonis agitur de catechumenis energumenis eosque debere in morte baptizari, dicitur. In secunda parte agitur de energumenis baptizatis, quos in morte sacramento refici debere, dicitur. In tertia agitur de clericis energumenis, quibus sub poena excommunicationis prohibetur accendere templi luminaria.

Cap. 40. *Placuit prohiberi, ut cum rationes suas accipiunt possessores, quicquid ad idolum datum fuerit, acceptum non ferant; si vero post interdictum fecerint, per quinquennii spatia temporis a communione esse arcendos.* Sumptus in honorem idoli factos ab oeconomis, non esse acceptos ferendos a dominis, hoc canone decernitur ne aliquem honorem diis falsis tribuisse viderentur.

Cap. 43. *Admoneri placuit fideles, ut quantum possint, prohibeant ne idola in domibus suis habeant: si vero vim metuunt servorum vel seipsos puros conservent* (nec ea colentes nec eorum cultum ullo signo approbantes). *Si non fecerint, alieni ab ecclesia habeantur.*

Cap. 44. *Quae fuerit aliquando meretrix et postea habuerit maritum, si postmodum ad credulitatem* (scilicet ad fidem) *venerit, incunctanter placuit esse recipiendam.*

Cap. 45. *Qui aliquando fuerit catechumenus per infinita tempora* (nempe multo tempore seu incerto, ut aliqui exponunt) *et unquam ad ecclesiam accesserit* (scilicet postea ut baptizaretur) *si eum de clero quisquam agnoverit, voluisse esse christianum aut testes aliqui extiterint fideles, placuit ei baptismum non negari, eo quod in veteri homine deliquisse videatur*; quia videlicet per hanc suam negligentiam vel inconstantiam peccavit ante baptismum: peccata autem ante baptismum commissa facile remittebantur.

Cap. 46. *Si quis fidelis apostata per infinita tempora ad ecclesiam non accesserit, si tamen aliquando fuerit reversus nec fuerit idololatra* (id est recesserit quidem a religione christiana, sed postea manserit nec christianus nec idololatra) *post decem annos placuit eum communionem accipere.*

Cap. 47. *Si quis fidelis habens uxorem non semel, sed saepe fuerit moechatus, in fine mortis est conveniendus. Quod si se promiserit cessaturum, detur ei communio. Si resuscitatus*, id est morbo mortali liberatus, *rursus fuerit moechatus, placuit ulterius eum non ludere de communione pacis*, seu, ut habet Burchar. *lib.* 9. *cap.* 67. hunc canonem afferens, *placuit ulterius non illudere alios de communione pacis.* Quibus ultimis duobus verbis confirmatur quod initio dixi, hoc concilio nomine communionis significari plenam cum ecclesia reconciliationem et restitutionem pacis cum ea.

Can. 49. *Admoneri placuit possessores ut non patiantur fructus suos quos a Deo percipiunt cum gratiarum actione a iudaeis benedici, ne nostram irritam et infirmam faciant benedictionem. Si quis post interdictum facere usurpavit, penitus ab ecclesia abiiciatur.*

Cap. 50. *Si vero quis clericus fuerit sive fidelis qui cum iudaeis cibum sumpserit, placuit, eum a communione abstineri ut debeat emendari.*

Cap. 51. *Ex omni haeresi qui ad nos fidelis venerit, minime est ad clerum promovendus, vel, si qui sunt in praeteritum ordinati, sine dubio deponantur.*

Cap. 52. *Si qui inventi fuerint libellos famosos in ecclesia ponere anathematizentur.*

Cap. 54. *Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineant se a communione* (sponsalia olim sine parentum consensu non celebrabantur, ut Paulus docet *lib.* 35. ad edictum in *lib.* 7. de sponsal.). *Si tamen iidem sponsus vel sponsa in illo gravi crimine fuerint deprehensi, excusati erunt parentes. Si vero in eodem fuerint vitio et polluerint se consentiendo, superior sententia servetur.* Id est si iidem parentes filiis sponsalia infringentibus consenserint, triennio maneant excommunicati.

Cap. 55. *Sacerdotes qui tantum sacrificantium coronam portant, nec sacrificant nec de suis sumptibus aliquid idolis praestant, placuit post biennium accipere communionem.* Aliqui fideles, ut hic notat Gonzalez, post baptismum sacerdotia gentilium obibant vel ambitione vel necessitate, unde eos vocat idem concilium *cap.* 2. *et* 3. *Flamines.* Non omnes autem sacerdotes sacrificabant, sed aliqui adstabant hostiae et arae et quidem coronati, hique hic puniuntur.

Cap. 56. *Magistratum vero anno uno, quo agit duumviratum, prohiberi placet ut se ab ecclesia cohibeat.* Munia aliquot quamvis publica et honorifica, si praesertim gravia essent et onerosa propter ingentes sumptus, non solum permissa fuere christianis, sed iussa ab ethnicis principibus. Inter haec munia seu magistratus, erat duumviratus ad quem spectabat praebere publicos ludos; et quamvis cum e

decerentur, multa superstitiosa fierent, dicunt aliqui permissum ab hoc concilio fuisse ut christiani necessitate cogente gererent hunc magistratum et hos ludos exhiberent, ac solum prohibitos fuisse, eo tempore magistratus qui uno anno explebatur, accedere ad ecclesiam. Verum honori huius concilii magis consulet, qui prohibitum quidem ab eo hunc eorum accessum ad ecclesiam dicit, eam tamen permissionem negat, cum eam is canon nec contineat nec supponat. Non enim qui christianum hominem arcet ab ecclesia, dum fungitur aliquo munere, functionem ei permittit, quin potius prohibet, eumque ea segregatione punit. Quod ipsum dixerim de sacerdotio Flaminum, quod permissum retineri aliqui forte non bene colligunt ex huius synodi *cap.* 2. *et* 3. quibus potius prohibetur, cum illa utroque eo capite puniantur, a quibus hoc profanum sacerdotium non videtur separari potuisse.

Cap. 57. *Matronae vel earum mariti vestimenta sua ad ornandam saeculariter pompam non dent, et si fecerint, triennii tempore abstineantur.* Nomine autem *pompae* ludos circenses fuisse appellatos indicat Sueton. in Claud. c. 11. et alii.

Cap. 59. *Prohibendum ne quis christianus, ut gentilis, ad idolum capitolii sacrificandi causa ascendat et videat: quod si fecerit pari crimine teneatur: si fuerit fidelis post decem annos, acta poenitentia, recipiatur.* Capitolium cuius hic fit mentio, est quodlibet templum instar capitolii romani in aliis civitatibus celsiori loco aedificatum, in quo publica sacrificia offerri solebant, sicut et Palatii vox usurpatur pro celsioribus amplioribusque domibus, quamvis initio solum imperatoris romani domum in palatino monte aedificatam significaret, ut hic observat Binius ex Baron. in *notis ad martyrol. rom.*

Cap. 60. *Si quis idola fregerit et ibidem fuerit occisus, quia in evangelio non est scriptum nec invenitur ab apostolis unquam factum, placuit eum in numerum non recipi martyrum.* Novum id genus poenae fuit quae mortuos pertingeret quos non esse honorandos ut martyres, haec synodus decernit. Quamvis non tam poena fuit haec iis inflicta qui mortui erant quam eruditio viventium, ne similia facerent, quibus ethnici irritarentur et persecutiones in christianos excitarent ut non semel accidit ex inconsulto aliquorum fervore aut ambitione aut etiam amore lucri. Non enim defuerunt ex christianis (ut innuit s. August. *in breviculo collationum* 3. *diei cap.* 61.) homines facinorosi aut aere alieno gravati aut desides qui haec faciebant in gentiles eorumque sacra ut in carcerem coniecti ibi alerentur usque ad delicias et ditarentur etiam pietate et eleemosynis christianorum. Ut huius mali occasio tolleretur docerenturque fideles non esse huiusmodi ausis imprudentibus turbandam ecclesiae pacem, statuit haec synodus, ne martyres haberentur, qui ad idolorum statuas infringendas, quod nec Christus faciendum esse docuit, nec factum fuerit ab apostolis, prosilirent et ob id ab ethnicis necarentur.

Cap. 61. *Si quis post obitum uxoris suae sororem eius duxerit et ipsa fuerit fidelis, quinquennio a communione placuit abstineri, nisi forte dari pacem velocius necessitas coegerit infirmitatis.* Ea verba, *et ipsa fuerit fidelis*, fuerunt adiecta, quia si ea gentilis fuisset, ex geminato scelere maior poena fuisset infligenda.

Cap. 62. *Si auriga aut pantomimi credere voluerint, placuit ut prius artibus suis renuncient* (illi siquidem ludis circensibus in honorem deorum celebratis praestare operam suam cogebantur; hi praeter aliquam superstitionem, qua ipsi quoque deorum facta repraesentantes vel ludicra in honorem deorum exhibentes inficiebantur, obscoenae populi voluptati serviebant). *Quod si facere contra interdictum tentaverint, proiiciantur ab ecclesia.*

Cap. 63. *Si qua mulier per adulterium, absente suo marito conceperit, idque post facinus occiderit, placuit ei nec in fine dandam esse communionem eo quod geminaverit scelus.*

Cap. 64. *Si qua mulier usque in fine mortis suae cum alieno fuerit viro moechata, placuit nec in fine dandam ei esse communionem. Si vero eum reliquerit, post decem annos accipiat communionem, acta legitima poenitentia.*

Cap. 65. *Si cuius clerici uxor fuerit moechata et sciat eam maritus suus moechari et eam non statim proiecerit* (et per hoc consentire visus fuerit) *nec in fine accipiat communionem, ne ab his qui exemplum bonae conversationis esse debent videantur magisteria scelerum procedere.*

Cap. 66. *Si quis privignam suam duxerit uxorem, eo quod sit incestus, placuit nec in fine dandam esse ei communionem.*

Cap. 67. *Prohibendum ne qua fidelis vel catechumena aut comicos aut viros scenicos habeat. Quaecumque hoc fecerit a communione arceatur.* Cum his contrahi matrimonia noluerunt qui non solum infamia laborabant, sed superstitione etiam, ut erat infelicitas eorum temporum, infici solebant, ut dicebam supra.

Cap. 69. *Si quis forte habens uxorem semel lapsus fuerit, placuit eum quinquennio agere poenitentiam et sic reconciliari, nisi necessitas infirmitatis coegerit ante tempus dare communionem. Hoc et circa foeminam observandum.*

Cap. 70. *Si conscio marito fuerit moechata uxor, placuit nec in fine dandam ei esse communionem* (nempe in poenam lenocinii, cuius reus est maritus, quo conscio uxor moechatur). *Si vero eam reliquerit post decem annos accipiat communionem, si eam cum sciverit adulteram, aliquo tempore in domo sua retinuit*, tanquam ei consentiens ac proinde moechiae poena dignus.

Cap. 71. *Stupratoribus puerorum, nec in fine dandam esse communionem.*

Cap. 72. *Si qua vidua fuerit moechata et eundem postea habuerit maritum, post quinquennii tempus, acta legitima poenitentia, placuit eam communioni reconciliari. Si alium duxerit, relicto illo* (eumque infidelem) *nec in fine dandam ei esse communionem; vel si fuerit ille fidelis quem accepit communionem non accipiat, nisi post decem annos acta legitima poenitentia, nisi infirmitas coegerit velocius dare communionem.* Hic moechia late accipitur pro fornicatione simplici, non agitur de vidua peccante cum soluto quem proinde postea maritum habet: nisi velis eam peccasse cum uxorato quem postea, uxore mortua, habet maritum.

Cap. 73. *Delator si quis extiterit fidelis et per delationem eius aliquis fuerit proscriptus vel interfectus, placuit eum nec in fine accipere communionem. Si levior causa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem. Si catechumenus fuerit, post quinquennii tempora admittatur ad baptismum.*

Cap. 74. *Falsus testis, prout crimen est, abstinebitur* (id est si grave et capitale fuerit quod obiecit, abstinebitur in perpetuum). *Si tamen non fuerit mortis quod obiecit, et probaverit quod diu tacuerit, biennii tempore abstinebitur* (id est si illud quod obiecit non fuerit capitale et probaverit se non sponte ad testimonium ferendum prosiliisse, sed diu tacuisse et veluti adcitum ad id fuisse, biennii communione privetur). *Si autem non probaverit in conventu clericorum, placuit per quinquennium abstineri.*

Cap. 75. *Si quis autem episcopum, presbyterum vel diaconum falsis criminibus appetierit et probare non potuerit, nec in fine dandam ei esse communionem.* Hi tres propter rerum ecclesiasticarum administrationem et iudicia erant magis obnoxii calumniis a quibus proinde fideles magis absterrendi.

Cap. 76. *Si quis diaconum se permiserit ordinari et postea fuerit in crimine detectus mortis* (sub quibus vocibus triplex crimen tunc significabatur, nempe idololatria, moechia et homicidium) *quod aliquando commiserit, si sponte fuerit confessus, placuit eum, acta legitima poenitentia, post triennium accipere communionem: quod si alius eum detexit, post quinquennium acta poenitentia, accipere communionem laicam debere.* Igitur qui unum ex praedictis tribus criminibus commiserat, quamvis occulto, ordinari diaconus non poterat, immo nec subdiaconus, ut dicitur cap. 30. Laica communio erat illorum qui in templo non admittebantur intra cancellos in loco quem modo dicimus chorum, sed extra in loco laicis destinato. Is ergo qui hoc in loco et non superiori quem dixi, manere poterat, frui tantum laica communione dicebatur, qua ipsa aliquando privabantur toto vitae tempore clerici (ut illi de quibus agit Felix III. *in ea epist.* ad episcopos Africae cap. 2.) dicebanturque in morte ad laicam communionem recipi, non quod in morte eucharistiam in tali loco cum laicis acciperent, sed quod essent tunc in ordinem fidelium laicorum recepti.

Cap. 78. *Si quis fidelis habens uxorem, cum iudaea vel gentili fuerit moechatus, a communione arceatur. Quod si alius eum detexerit, post quinquennium, acta legitima poenitentia, poterit dominicae sociari communioni.* Semel moechatus quinquennali poenitentia castigatur *canon.* 69. Is ergo canon additur ad severius puniendum qui non moechatur utcumque, sed cum iudaea vel gentili, quod certe est turpius et gravius adulterium. Cur ergo in prima parte canonis non statuitur tempus poenitentiae et in secunda solo quinquennio culpa punitur, et quidem etiam dum non confitetur ipse sed ab alio accusatur? Igitur in prima parte canonis aliquid deest, et in secunda est aliquid mutatum et unus annorum numerus pro alio positus.

Cap. 79. *Si quis fidelis alea, id est tabula luserit, placuit eum abstinere, et si emendatus cessaverit, post annum poterit communioni reconciliari.* Dicitur *vel tabula*, eo quod is ludus fiat in tabula talis seu taxillis vel tesseris, estque plerumque magnorum scelerum aliorumque malorum causa vel occasio, ac proinde hac poena dignus: tunc autem potissimum erat, cum, ut hic dicit Albaspinaeus, *speciem quandam idololatriae committeret, qui hos ta-*

tos iactabat. Deorum enim gentilium effigies pro numeris habebant iique invocabantur ut felicissimus veniret iactus.

Hi sunt celebres concilii illiberitani canones qui videntur potius dicendi poenales quam poenitentiales, iuxta ea quae dixi *cap.* 1.; iis enim quos feriunt, solam plerumque excommunicationem seu privationem plenae reconciliationis cum ecclesia aut perpetuam aut usque ad articulum mortis duraturam aut aliquot annorum intentant; haec autem excommunicatio poena potius est quam poenitentia. Adhuc tamen vere poenitentiales dici possunt; cum non semel innuant patres, debere eum, qui abstinetur seu arcetur a communione et pace ecclesiae, vacare interim legitimae poenitentiae. Quae autem esset haec legitima poenitentia et qualiter distribuenda et per quos ex illis quatuor gradibus et quandiu in singulis peragenda, numquam definiunt, quia forte id antea definitum erat ut videlicet ea, vel triennii vel quinquennii vel septennii vel decennii poenitentia in quatuor aut saltem tres partes divideretur, aequales ex lege, sed inaequales ex facto; nimirum ex ipsa contritione aut viribus poenitentium; prout enim poenitens magis aut minus contritus videbatur et onus impositum ferre poterat, magis aut minus detineri in unoquoque gradu vel statione debebat, si tamen recepta in ecclesia erat ea ducta per illos quatuor gradus poenitentia.

Minus autem detineri voluerunt illiberitani patres, quam praedicti patres graeci, ut audisti; cum *cap.* 5. homicidae etiam ex voluntate delinquenti septem duntaxat annorum poenitentiam imponant; Basilius autem plusquam duplo, et Gregorius Nyssenus plusquam triplo maiorem statuant. Quod in moechia, aliisque delictis animadvertere similiter potes, nimirum in illis ipsis, quae nec in morte fuerunt in aliquibus ecclesiis absoluta; ut ostendi in *cler. rom. lib.* 1. *disp.* 2. Ex quo etiam capite confirmatur quod initio huius capitis dixi, haudquaquam credibile esse, tam severos hos ipsos patres in eos fuisse, quos nec in morte recipi volunt ad communionem, ut vere mori eos voluerint, nec vinculis peccatorum a sacerdote absolutos, nec eucharistia refectos, quod sane si voluissent severius in eos qui lapsi erant in haeresim, homicidium et moechiam animadvertissent quam faciant *cap.* 5. 22. 56. 57. 59. 64. et 72. Ego certe aliam inire viam nequeo, qua hos patres tam crebro communionem morientibus abnegantes vindicem, ut par est, ab ea severitate quam ab ecclesia abesse voluerunt illi ipsi patres graeci qui eos canones tam severos condidere, quamque reiecere semper et reiici semper debere pontifices sanctissimi docuere, ut ostendi in *cler. rom. lib.* 1. *disp.* 2.

Explicata iam disciplina poenitentiae quam statuit synodus illiberitana, exponenda iam esset ea quae aliis hoc tempore celebratis conciliis placuit, sed ea explicatione non indiget; tum quia eorum canones facile intelliguntur; tum quia, si qui obscuriores sunt et certam explicationem recipere possunt, ex dictis clarescunt. Praeterquam quod esset opus infinitum persequi omnes particularium conciliorum canones qui ad hanc disciplinam de qua agimus spectant. Satis ergo erit ut quoniam produxi canones unius concilii a latinis patribus celebrati, producam etiam canones saltem aliquos alterius concilii a grecis patribus circa idem tempus celebrati.

§. 2. *Canones aliquot synodi ancyranae.*

Paulo post illiberitanam ut videtur celebrata haec synodus fuit, nempe anno 314. Distinctissime autem totam causam lapsorum expendit, et eorum diversos lapsus per hos canones curari vult.

Cap. 4. *De iis qui vi sacrificaverunt et praeterea ad idola pransi sunt. Quicumque abducti quidem, et laetiore habitu accesserunt, et veste sumptuosiore usi sunt, et parati prandii non aegre id ferentes participes fuerunt, visum est anno audire, tribus autem annis substerni ac supplices esse, soli autem orationi duobus annis communicare, et tunc ad id quod est perfectum accedere.*

Cap. 5. *Quicumque autem cum veste lugubri accesserunt, et accumbentes comederunt, interea toto accubitus tempore lacrymas fundentes, si triennale substrationis tempus impleverint, sine oblatione recipiantur* (scilicet soli orationi communicantes sint cum fidelibus qui consistunt; nec offerant: nam qui offerebant, boni etiam, nempe eucharistiae participes erant). *Si autem non comederint, cum duobus annis supplices substratique fuerint, tertio anno communicent sine oblatione* (nempe communicent in sola oratione, nec ipsi offerentes, sed prius quam priores reconciliandi) *ut id quod perfectum est triennio accipiant*, nempe eucharistiae communionem et plenam reconciliationem cum ecclesia. *Statuimus autem ut episcopi, modo conversationis examinato, potestatem habeant vel utendi clementia, vel plus temporis adiiciendi. Ante omnia autem et praecedens*

vita et quae consecuta est examinetur, et sic eis clementia impertiatur.

Cap. 6. *De iis qui supplicii minis et bonorum ablationis vel exterminationis tantum cesserunt et sacrificaverunt, et ad praesens usque tempus poenitentiam non egerunt, nec conversi sunt, nunc autem circa tempus synodi processerunt et conversionis cogitationem induerunt, visum est ad magnum usque diem* (nempe sanctum pascha) *eos ad auditionem admitti, et post magnum diem tribus annis esse supplices et substerni, et post alios duos annos communicare sine oblatione, et sic ad id quod perfectum est venire ut totum sexennium impleant. Si qui autem ante hanc synodum ad poenitentiam admissi sunt, ab illo tempore eis sexennium reputari. Sed si periculum mortisque expectatio ex morbo vel aliqua alia occasione evenerint, ii sub definitione recipiantur,* id est ii recipiantur et absolvantur; utpote sub ipsam vitae definitionem seu finem constituti, seu recipiantur et absolvantur ut definitum est.

Cap. 7. *De iis qui in festo ethnico in loco gentilibus deputato convivati sunt, et proprios cibos attulerunt et comederunt visum est, cum biennio substrati fuerint esse recipiendos. An unumquemque autem cum oblatione recipere oporteat est episcoporum examinare, et aliam vitam in unoquoque inquirere,* nempe vitam priorem delicto et praesentem.

Cap. 8. *Quicumque autem bis vel ter sacrificaverunt per vim, triennio substernantur, duobus autem annis sine oblatione communicent, et septimo perfecte recipiantur.*

Cap. 9. *Quicumque autem non solum desciverunt, sed etiam insurrexerunt, et fratres suos coegerunt et causae fuerunt ut cogerentur, ii annis quidem tribus auditionis locum suscipiant, alio autem anno sine oblatione communicent, ut decennio expleto, eius quod est perfectum sint participes. Eorum autem in eo quoque tempore vitam examinare oportet.*

Simili distinctione *cap.* 16. curent eos qui cum pecoribus vel more pecudum cum propinquo sanguine mixti sunt. *Quicumque priusquam viginti quidem annos nati essent peccarunt, postquam quindecim annis substrati supplices fuerint, communionem ad preces assequantur. Deinde et cum in communione quinque annis perseveraverint, oblationem attingant. Examinetur autem et eorum in substratione vita, et ita humanitatem consequantur. Si qui autem improbe ac maligne in peccatis fuerunt, longe substrationem habeant. Quicumque autem hanc aetatem transgressi, et habentes uxores in hoc peccatum inciderunt, viginti annis substrati, communionem ad preces assequantur. Deinde, cum in precum communione quinque annos peregerint, oblationem assequantur. Si qui autem et mulieres habentes et quinquagesimum annum transgressi peccaverunt, in vitae exitu communionem assequantur.*

Cap. 20. *Si alicuius uxor adulterata fuerit, vel quis eam adulteraverit, oportet eum in septem annis quod perfectum est assequi per gradus qui eo deducunt.*

Cap. 21. *De mulieribus quae sunt fornicatae et foetus in utero perimunt et foetuum necatoriis medicamentis dant operam, prior quidem definitio usque ad vitae exitum prohibebat, et ei quidam assentiuntur. Sed humanitate tamen utentes decrevimus, ut decennium per gradus praefinitos impleant.*

Cap. 22. *De involuntariis caedibus supplices quidem substernantur; eo autem quod perfectum est in fine vitae digni habeantur.*

Cap. 23. *De involuntariis caedibus prior quidem constitutio iubet in septennio per praefinitos gradus esse perfecti participes: secunda vero constitutio quinquennium implere.*

Cap. 24. *Qui vaticinantur et gentium consuetudines sequuntur, vel in suas aedes aliquos introducunt ad medicamentorum inventionem vel lustrationem, in quinquennii canonem incidant secundum gradus praefinitos, tres annos substrationis, et duos annos orationis sine oblatione.*

Haec fuit censura patrum ancyranorum qui in eam urbem ex Cappadocia, Ponto, Armenia, Cilicia et Syria convenerunt. Mirum est autem ab ea sic discrepasse praedictorum patrum graecorum, et praesertim Basilii et Gregorii Nysseni censuram, in aliquo minus, sed in plerisque severiorem.

§. 5. *Canones poenitentiales nycaeni.*

Nunc videndum quid utrique patres latini graecique paulo post in magna synodo nicaena circa poenitentiam lapsorum sanciendum putarint. Sunt autem haec tantum, saltem quae extant.

Can. 10. *Quicumque de lapsis ad ordinem cleri promoti sunt per ignorantiam vel per ordinantium dissimulationem, hoc ecclesiasticae non praeiudicat regulae, cogniti namque deponuntur.*

Can. 11. *De his qui praeter necessitatem praevaricati sunt, aut praeter ablationem facultatum aut praeter periculum, vel aliquid huiusmodi quod factum est sub tyrannide Licinii, placuit synodo, quamvis humanitate probentur indigni, tamen eis benevolentiam commodari. Quicumque ergo veraciter poenitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audientes habeantur et sex annis omni se contritione deiiciant: duobus autem annis sine oblatione populo in oratione communicent.*

Can. 12. *Quicumque vocati per gratiam primum quidem impetum monstraverunt deponentes militiae cingulum; postmodum vero ad proprium vomitum sunt relapsi, ita ut quidem et pecunias tribuerent, et beneficiis militiam repeterent* (parati videlicet fidem eiurare aut etiam eo facto eiurantes, ne eo cingulo quod magnum honorem et privilegia plura afferebat, carerent) *hi decem annis post triennii tempus quo inter audientes erunt in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propositum et speciem poenitentiae convenit explorare; quotquot enim metu et lacrymis atque patientia vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam non simulatione demonstrant, hi definitum tempus auditione implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent; postmodum vero licebit episcopo de his aliquid humanius cogitare. Quicumque vero indifferenter tulerunt* (ita gerentes ac si non peccassent nec differrent ab aliis, vel ita ut nec impoenitentes essent nec admodum poenitentes) *et aditum introeundi ecclesiam sibi arbitrati sunt ad conversionem posse sufficere, hi definitum modis omnibus tempus impleant.*

Can. 13. *De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita ut si quis egreditur de corpore, ultimo et maxime necessario viatico minime privetur* (nomine autem viatici significari hic non solam absolutionem sacramentalem, ut aliqui dicunt, sed etiam eucharistiae communionem, praeter interpretationem ecclesiae et synodorum hunc canonem exponentium, quas allegavi in *cler. rom. lib.* 1. *disp.* 4. sequentia verba demonstrant). *Quod si desperatus* (de vita) *et consecutus communionem oblationisque particeps factus iterum convaluerit, sit inter eos qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito et poscenti sibi communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter* (id est, postquam probaverit et cognoverit poscentem esse bene dispositum) *ex oblatione dare debebit.* Dare autem ex oblatione utique est eucharistiam impertiri.

Can. 14. *De catechumenis lapsis sancto et magno concilio placuit, ut tribus annis sint inter audientes tantummodo, post haec autem cum catechumenis orent,* nempe cum catechumenis competentibus qui erant magis proprie catechumeni.

Cap. IV. De libris qui post saeculum vii. poenitentiae administrationi inserviebant.

I. Sub saeculi sexti finem, nempe an. 582. (non 585. uti perperam scripsere Caveus, Oudinus et Dupinus) s. Eutychio in constantinopolitana sede successit Ioannes cognomine *Ieiunator*, de cuius sanctitate disputantem adi Cuperum v. cl. *in hist. chronol. patriarch. Constantinop. parergo VI.;* defunctus est autem anno 596. si Baronio credimus, seu verius 595. quem annum Fabricius, Cuperus ipse, aliique doctissimi viri praeferunt. Scripsit hic libellum poenitentialem sive, ut ab Allatio *lib.* 3. *de consensu utriusque ecclesiae cap.* 17. §. 10. inscribitur, *Praxis graecis praescripta in confessione peragenda*), quem habemus ab Ioanne Morino graece et latine editum ex codice altempsianae bibliothecae ad calcem sui *de poenitentia* voluminis cum aliis graecorum libris ad hoc sacramentum pertinentibus, et a Fabricio recensis *tom.* 10. *bibl. graecae pag.* 165.

II. Num ad Ieiunatoris exemplum, an facilioris ad sacramentum poenitentiae sive administrandum sive suscipiendum institutionis caussa idem poenitentialium librorum usus in latina ecclesia saeculo circiter septimo obtinuit. Nimirum ex toto corpore, inquit Francolinius *de poenit. discipl. lib.* 2. *cap.* 8., decretorum, canonum et sententiarum ea excerpta fuere, quae ad poenitentiam pertinebant, et simul collecta in unum libellum, qui inde dictus fuit *excerptum de canonibus patrum ad remedium animarum vel de remediis peccatorum* vel tandem *liber poenitentialis.* Huius autem seu appendix seu pars fuit ordo quidam et institutio continens modum et ritus, quibus poenitens susciperetur, audiretur, interrogaretur ac tandem reconciliaretur.

III. Plures huiusmodi libros recenset Io. Albertus Fabricius t. 11. bibl. graecae *p.* 75. *seqq.* Atque primo loco, inquit, memoranda summi et de hisce litteris immortaliter meriti viri Antonii Au-

gustini archiepiscopi tarraconensis, canonum poenitentialium collectio vulgata cum notis, Tarraconae 1582. 4. et recusa Venetiis 1584. 4. rariusque hodie obvia, in qua occurrunt.

A) *Poenitentiale romanum*, quale Burchardus collectioni suae inseruit, in quo pontificum Calixti II. an. 1109. et Innocentii an. 1130. mentio; et longe diversum adeo et iunioris aetatis, quam quod ex codice antiquo corbeiensi cum notis Hugonis Menardi lucem vidit, in eius notis ad sacramentarium Gregorii Magni Paris. 1642. 4. p. 238. atque cum iisdem recusum est in bibliotheca patrum edit. Lugdun. tom. XIV. pag. 926. nec non in nova operum Gregorii M. editione; et sine notis ad calcem Morini de poenitentia. Hoc cameracensis episcopus Halitgarius, qui an. 831. obiit, e scrinio ecclesiae rom. descripsisse se testatur: igitur a Menardo sub titulo poenitentialis romani est editum, etsi quam plurima in eo desiderentur capitula quae a Burchardo et aliis antiquis auctoribus sub titulo poenitentialis romani laudata sunt, ut a Iac. Petito probe notatum.

B) Bedae presbyteri A. C. 735. defuncti, sive Egberti eboracensis archiepiscopi (defuncti A. 767.) *de remedio peccatorum*, excerptum ex canonibus catholicorum patrum, vel poenitentiae ad remedium animarum domini Egberti archiepiscopi. Recusum Paris. 1641. cum Antonii Augustini iuris pontificii epitome, quae Romae 1614. fol. lucem viderat: et in operibus Bedae venerabilis tom. VIII. pag. 961. 968. et in Speelmanni conciliis Angliae tom. I.

C) Rabani Mauri archiepiscopi moguntini. A. C. 856. defuncti, poenitentium liber, post A. 841. scriptus ad Otagarium archiepiscopum moguntinum, cui Rabanus deinde successit. Extat etiam in operibus Rabani tom. VI. pag. 154.—165.

D) Gregorii Thaumaturgi et Gregorii Nysseni graecorum patrum epistolae canonicae.

E) Canones poenitentiales astenses, in ditione sabaudiae.

IV. Post Antonium Augustinum vir et ipse doctissimus Ioannes Morinus ad calcem praeclari operis de disciplina in administratione sacramenti poenitentiae, quod Parisiis primum 1651. fol. editum, deinde Bruxellis 1685. ac denique Venetiis 1702. recusum extat, novam poenitentialium libellorum collectionem dedit in qua occurrunt.

A) Antiquus poenitentialis romanus, qualem ab Halitgario excerptum et ab Hug. Menardo editum iam dixi.

B) Egberti eboracensis archiepiscopi, defuncti A. C. 767. Excerptum sive capita 245. de canonibus catholicorum patrum, vel poenitentiae ad remedium animarum. Sive pars, sive epitome operis in quatuor libros distincti et adhuc inediti, quod in variis cantabrig. et oxoniensibus bibliothecis superesse manuscriptum Caveus testatur. Partem vulgaverat etiam Speelmannus tom. I. concil. angl. atque inde exhibuit Labbeus tom. VI. concil. p. 1586. 1601. et Harduinus tom. III. p. 1961. 1976. cum eiusdem Egberti dialogo per interrogationes et responsiones de institutione ecclesiastica pag. 1979. (Labbeus pag. 1604.) quem Dublinii vulgaverat Iac. Waraeus eques. A. 1664. 8.

C) Tres poenitentiales andegavenses, ex codicibus MSS. D. de Loyuate, civis andegavensis, et in suprema parisiens. curia advocati.

D) Excerpta pauca e Reginone, poenitentiali Theodori cantuar. et Bedae. Regino, ex abbate (ab A. 892. ad 899.) Prumiensi ord. benedictini in ditione Germaniae trevirensi, monachus s. Maximini trevirensis (Chronico ad Alberonem metensem episcopum, quod a Christo nato ad tempora sua A. C. 907. deduxit, non incelebris), qui opus insigne canonum, quod in usu dioecesis maxime trevirensis, hortante archiepiscopo trevirensi Ratbodo, circa A. C. 906. composuit, editum primum a R. D. Ioach. Hildebrando, ex codice bibliothecae helmstadiensis, qui olim Flacci Illyrici fuit et in quo praeterea extat synodus remensis adversus Arnulphum A. C. 991. Editum autem est hoc titulo: *De disciplina ecclesiastica veterum praecipue Germanorum libri duo.* Helmst. 1659. 4. Fatetur ipse Hildebrandus in defectu codicis MS. huncce se titulum praefixisse ex suo ingenio; nam in viennensi codice, quem postea nactus est, ipse notat inscribi *de ecclesiasticis disciplinis et religione christiana*, atque hunc titulum Trithemio etiam inspectum servavit in sua editione Stephanus Baluzius, qui Reginonis libros duos, quorum prior clericorum res maxime, posterior laicorum spectat, ad helmstadiensem editionem veteremque codicem MS. bibl. oratorii parisiensis, eodem quo usus fuerat Morinus emendatos: cum notis citatisque in margine canonum et capitularium regularumque monasticarum, nec non Burchardi et aliorum locis, vulgavit Paris. 1671. 8. Idem Baluzius praef. ad Ant. Augustinum de emendatione Gratiani §. 17. observat Reginonem admodum raro uti pseudepigrafis epistolis decreta-

libus ab Isidoro Mercatore collectis. Subiunxit Hildebrandus varias lectiones non viennensis modo codicis, sed moguntini quoque, nec non appendicem plurium capitum quae in MS. helmstadiensi absunt. Eam appendicem etiam auctam et emendatam Baluzius adiunxit una cum Rabani Mauri poenitentiali altero quod *Epistola* ad Heribaldum episcopum alcedronensem sive antissiodorensem A. C. 853. scripta, continetur et lucem viderat in Petri Stervatii tomo ineditorum, Ingolst. 1616. 4. Eadem multa haec epistola, quae Rabani poenitentium liber supra memoratus continet et citatur non raro tum a Reginone, tum ab Ivone, Gratiano, etc. Reginonis effigies aere descripta extat in Isaaci Bullarti academia scientiarum edita gallice Paris. 1682. tom. I. pag. 121.

E) Excerptum ex regulae Chrodogangi circa A. C. 757. canonicis suis datae cap. 28. 29. 30. Chrodogangi huius, ab A. 742. ad 766. metensis episcopi, qui aliis Codegrandus sive Codograndus (Trithemio c. 255. de script. eccles. Ruggandus) regula clericis metensibus praescripta, in qua s. Benedicti regulam frequenter sequitur, edita est a Luca Dacherio tom. I. Spicileg. pag. 205. et minus interpolata a Labbeo tom. VII. concil. p. 1444. et Harduino tom. IV. pag. 1181. et a Carolo le Cointe tom. V. annal. ecclesiae francor. ad A. C. 757. Vide etiam Andream du Chesne tom. II. scriptor. francor. pag. 204. et concilium aquisgranense A. C. 816. et regulam ex Chrodogando et aliis, quam dant Labbeus tom. VII. concil. pag. 1464. et Harduinus tom. IV. p. 1198.

F) Excerpta ex tribus codicibus turonensis ecclesiae, tribus remensis et duobus bellovacensis, duobus collegii fuxensis tolosani, quatuor codicibus ecclesiae rothomagensis, et decem variis codicibus MSS. abbatiae s. Victoris Paris.

G) Notitia de ordine romano MS. breviore et antiquiore atque adeo sinceriore quam in Melch. Hittorpii scriptoribus de divinis officiis, Colon. 1568. fol. sub init. et in operibus Georgii Cassandri pag. 97. et in bibliothecis patrum saepe prodiit ab Alcuino, ut videtur ad aetatis suae mores auctus et interpolatus. Vide Henr. Warthoni auctarium ad Usserium de sacris scripturisque vernaculis pag. 359.

H) Notitia de antiquissimo sacramentario gelasiano, quod ex Petaviana venit in bibliothecam christianae reginae Sueciae. De libro sententiarum magistri Roberti Pulli cardinalis, circa A. C. 1144.

I) Ex duobus sacramentariis tolosanis excerpta, et ordo poenitentiae imponendae, et de reconciliatione poenitentium.

V. Ab eo tempore Theodori cantuariensis archiepiscopi, quem Tarso Ciliciae natum Vitalianus papa Romae ordinavit, et in Angliam misit, mors autem e vivis eripuit an. 690. Capitula ecclesiastica CXX. apud Dacherium prodiere Spicilegii tomo IX. et in conciliis tum Labbei tom. VI. pag. 1875. tum Harduini tom. III. pag. 1771. Sed et eius uberius *poenitentiale*, non integrum tamen, cuius capit. LXXVIII. titulos ediderat Henricus Speelmannus tom. I. *concil. Angliae.* Parisiis 1679. ex duobus thuanae bibliothecae codicibus divulgavit Iacobus Petitus. Huc faciunt capitula quaedam a cl. Mansio edita *tom. I. supplem. ad concilia Veneto-Labbeana col.* 517. *seqq.* Porro Iacobus Petitus ad calcem Theodori cantuariensis exhibuit excerpta ex poenitentialibus MSS.

A) Magistri Bartholomaei, oxoniensis episcopi.

B) Petri Pictaviensis, canonici s. Victoris.

C) Magistri Roberti de Flamesbure, canonici s. Victoris et poenitentiarii.

D) Magistri Ioannis de Deo.

E) Ex anonymo de sacramento poenitentiae in bibl. s. Victoris Paris.

F) Ex formulario poenitentiali MS. bibl. regiae Navarrae.

G. Ex libro MS. bibl. s. Victoris Paris. cui titulus: *Corrector et medicus, qui correctiones corporum et animarum medicinas continet.*

H) Ex libro poenitentiali MS. bibl. victorinae a diversis libris poenitentialibus desumpto.

I) Ex tractatu de poenitentia in summa scholastica Petri cantoris Paris., et in summa magistri praepositivi, cancellarii Paris. et in summa magistri Roberti de Chorcon cardinalis.

VI. Praeter haec ab Antonio Augustino, Io. Morino et Iac. Petito vulgata huc faciunt.

Collectio antiqua canonum poenitentialium saeculo IX. antiquior, inque tres distincta libros, quam tomo undecimo Spicilegii vulgavit Lucas Dacherius Paris. 1672. 4. Praefationem huius operis vidit, et partem eius vulgavit beatus Rhenanus in admonitione de Tertulliani dogmatibus, testatus opus ipsum magno redimere se cupere. Vide Balutium ad Gratianum p. 462.

Halitgarii episcopi cameracensis, qui A. C. 831. obiit, de vitiis et virtutibus,

H) Ex codice MS. abbatiae dionisianae in agro Parisiensi.

I) Ex duobus sacramentorum libris in biblioth. Thuana.

remediis peccatorum, et ordine atque iudiciis poenitentiae libri sex, quorum sextus sive ultimus et poenitentiale romanum, de quo supra abunde dixi. Libros v. in lucem protulit Henr. Canisius tom. v. lect. antiq. parte 2. p. 227. Ingolstad. 1604. 4. Inde recusi sunt in bibliotheca patrum Colon. 1618. tom. VIII. et Paris. 1653. tom. v. et Lugd. 1672. tom. XIV. Ex his *lib.* I. *et* 2. *iidem sunt*, qui inter Rabani Mauri, archiepiscopi moguntini A. C. 865. defuncti opera prodiere tom. VI. pag. 125. liber I. et II. de vitiis, virtutibus et peccatorum satisfactione in remediis, sive de poenitentiis. Lib. III. et IV. Halitgarii, respondent lib. II. et III. sub eiusdem Rabani nomine editis tom. VI. pag. 116. seq. de quaestionibus canonum poenitentialium ad Geribaldum episcopum antissiodorensem. Liber quintus Halitgarii denique idem est, qui sub Rabani nomine ad Heribaldum legitur primus tom. VI. pag. 110. Superest liber tertius sive ultimus Rabani de vitiis et virtutibus qui est de gravibus mortalibus peccatis et eorum satisfactione, capit. LXXXII. tom. VI. pag. 130.—154.

S. Columbani luxoviensis in Burgundia abbatis, qui A. C. 615. obiit poenitentiale MS. laudat Hugo Menardus pag. 932. ad Gregorii M. sacramentorum librum. Eiusdem Columbani de poenitentiarum mensura taxanda, sive poenitentiale ad calcem eius regulae coenobialis; prodiit in codice regularum Holstenii. Rom. 1661. 4. Paris. 1663. 4. parte 2. pag. 98. et inter Columbani opera a Patricio Flemingo edita Lovan. 1667. et in bibliotheca patrum edit. Lug. tom. XII. pag. 21.

Cumani sive Cummiani abbatis hiberni qui circa A. C. 660. diem obiit supremum, liber de poenitentiarum mensura extat in eodem tomo XII. bibliothecae patrum Lugd. pag. 42.—49. Ediderat Patritius Flemingus ex codice bibl. Sangallensis et Columbano adiunxerat.

Liber poenitentialis ad instar libri canonum poenitentialium ex ss. Agustini, Hieronymi, et Gregorii M. dictis, nescio quo auctore collectus, et sine loco aut anno impressionis editus in fol. fuit in bibl. sarraziana in cuius catalogo memoratur p. 32.

Poenitentiale sive iudicia congrua poenitentibus. Capitula XXXIII. excerpta ex patrum dictis canonumque sententiis prodierunt in bibliotheca patrum Paris. 1589. et 1654. tom. VI. et tom. VI. conc. Labbei pag. 1468. et tom. III. Harduini pag. 1869. Sub nomine Gregorii III. papae ab A. C. 731. ad 741. Petro Pithoeo videtur posterioris scriptoris.

Collectio canonum poenitentialium MS. in bibl. Michaelis Thomasii, episcopi ilerdensis, qua usi correctores romani ad Gratianum.

Eugenii papae canones poenitentiales in bibliotheca Io. Tilii MS. memorat idem Pithoeus.

Canones 47. *poenitentiales*, decreto Gratiani subiecti in editione Pithoei atque aliis quibusdam, et Gratiani ipsius tractatus *de poenitentia* insertus causae XXXIII.

VII. Omissos a Fabricio nunc persequamur.

Canones quosdam poenitentiales fortasse Gregorii II. edidit cl. Mansius, *T. I. supplem. ad conc. Veneto-Labbeana p.* 538.

Martene tom. IV. *Anecdotorum* poenitentialem libellum vulgavit anonymi auctoris. Hunc vero Bedam fuisse coniicit qui illum recudit *T. I. suppl. ad conc. col.* 565. seqq. doctissimus Mansius additque poenitentialem Bedae libellum a Labbeo editum ac supra memoratum Bedae quidem esse, sed interpolatum.

Alios evulgavit idem Martene *de antiquis ecclesiae ritibus lib.* I. *c.* 6. *art.* VII. praesertim vero *iudicium poenitentiae* ex pervetusto codice floriacensi.

Capitulare Theodulfi episcopi aurelianensis publici iuris fecit Baluzius *tom.* VII. *Miscellan. pag.* 21.

Muratorius quoque binos poenitentiales ex italicis deprompsit bibliothecis, alterum scilicet ex MS. codice capituli canonicorum veronensium, alterum ex bobiensis monasterii mss. exemplis ediditque *t.* V. *antiquit. italic. medii aevi diss.* 68.

VIII. Neque mirum esse debet, tot exstare etiamnum huiusmodi libros. Nam olim innumeri erant ac saepe corrupti. Qua de causa concilia non semel de poenitentialibus libris aut incerto auctore editis, aut vitiatis abolendis cogitarunt. Exstat hanc in rem turonensis III. synodi an. 813. celebratae can. XXII. dignus, qui heic adscribatur: *Episcopis et presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi adscribant, ut iuxta modum peccati poenitentibus abstinentia indicetur, quoniam varie ab aliquibus sacerdotibus et indiscrete haec iudicia proferuntur. Ideo necessarium videbatur nobis, cum omnes episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cuius antiquorum liber poenitentialis potissimum sit sequendus.* Eodem anno cabilonense II. concilium hunc canonem XXXVIII. edidit: *Modus autem*

poenitentiae peccata sua confitentibus, aut per antiquorum canonum institutionem aut per sanctarum scripturarum auctoritatem aut per ecclesiasticam consuetudinem...imponi debet, repudiatis ac penitus eliminatis libellis quos poenitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti auctores. Paucis post annis, anno scilicet 829. statuit parisiense concilium ut singuli episcopi suis in dioecesibus *erroneos codicillos* (poenitentiales) *diligenter perquirerent et inventos igni traderent.*

IX. Hos inter poenitentiales libros eminebat poenitentiale romanum, quod propterea ad gentes recens conversas mittebatur, ut notavit Chardonius in historia sacramentorum. Enimvero hoc videtur *iudicium* illud *poenitentiae*, quod ad Bulgaros iuxta eorum postulata misisse se scribit Nicolaus I. in respons. ad illorum quaesita c. 75. Post romanum vero celeberrimi poenitentiales libri fuere Theodori Cantuariensis et Bedae. Episcopus in sua synodo atque in dioecesis visitatione id potissimum investigabat, an quilibet presbyter librum haberet poenitentialem suae dioecesis proprium, praesertim vero romanum aut Theodori illum ac Bedae et an secundum quod ibi praescriptum erat, pro modo culpae poenitentiam iniungeret. Discimus id ex Burchardo, apud quem *l.* I. *c.* 94. inter ea quae episcopi in dioecesanis synodis quaerere debent, hoc *interrogat.* 58. continetur: *Est aliquis qui modum poenitentiae sibi iniunctum non custodierit?* Regino vero suam canonum collectionem a modo exorsus visitandi ecclesias *cap.* 95. hanc singulis presbyteris ab episcopo aut archidiacono faciendam proponit interrogationem: *Si habeat poenitentiale romanum vel a Theodoro episcopo aut a venerabili presbytero Beda editum ut secundum quod ibi scriptum est interroget confitentem aut confesso modum poenitentiae imponat?*

CAP. V. ANTIQUORUM POENITENTIALIUM SUMMA.

Antequam autem ultra progrediar, libet quemadmodum superius graecorum et latinorum canonum ad poenitentiam spectantium summam tradidimus, hic etiam poenitentialium libellorum epitomen quamdam exhibere. Eam autem repraesentabimus qualem s. Carolus Borromaeus contexuit, canonibus pro decalogi ratione dispositis.

1. *Canones poenitentiae ad primum decalogi praeceptum spectantes.*

Qui a fide catholica desciverit, si intimo summoque dolore affectus, ad ecclesiam redierit, poenitentiam aget annis decem.

Qui daemoni immolaverit, in poenitentia erit annis decem.

Qui more gentilium elementa coluerit, qui vel segetibus faciendis vel aedibus extruendis vel arboribus serendis vel nuptiis contrahendis, inanem signorum fallaciam observaverit, poenitentiam aget annos duos feriis legitimis: (*id est feria secunda, quarta et sexta, quae legitimae dicebantur, propterea quod ad abstinentiam et ieiunium legibus ecclesiasticis essent consecratae*).

Qui cum iudaeo cibum sumpserit, poenitens erit dies decem, pane et aqua victitans.

Qui auguriis et divinitatibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, poenitens erit annos septem.

Mulier incantatrix poenitentiam aget annum vel (ut alio canone praescribitur) annos septem.

Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit, poenitentiam aget dies viginti.

Qui magos consuluerit, in poenitentia erit annos quinque.

Qui aedes magicis cantionibus lustrat aliudve tale admittit; et qui ei consentit quive consulit; in poenitentia erit annos quinque.

Qui tempestatum immissor erit, poenitentiam aget annos septem, tres in pane et aqua: qui vero crediderit particepsve fuerit, annum unum per legitimas ferias.

Si quis ligaturas aut fascinationes fecerit, poenitens erit annos duos per legitimas ferias.

Si quis sortilegus erit, poenitentiam aget dies quadraginta.

Si quis in codicibus aut in talibus, sorte ducta, res futuras requisierit, poenitens erit dies quadraginta.

Respiciens furta in astrolabio, annis duobus.

Si quis clericus vel monachus, postquam Deo voverit, ad saeculum redierit, poenitentiam aget annos decem, quorum tres in pane et aqua.

2. *Canones poenitentiae contra infringentes secundum decalogi praeceptum.*

Quicumque sciens peieraverit. quadraginta dies in pane et aqua, et septem sequentes annos poeniteat et nunquam sit sine poenitentia et nunquam in testimonium recipiatur: et post haec communionem percipiat.

Qui periurium in ecclesia fecerit, poenitentiam aget annos decem.

Qui sciens peierat domini impulsu, poe-

nitens erit quadragesimas tres et ferias legitimas: dominus autem quia praecipit, quadraginta dies in pane et aqua et septem sequentes annos.

Si quis sciens peieraverit aliosque in periurium induxerit, poenitens erit dies quadraginta in pane et aqua et septem annos sequentes, et tot periuria ieiunabit, quot homines in periurium induxerit.

Si quis suspicatus se ad periurium induci ex consensu iurat, poenitentiam aget dies quadraginta et septem annos sequentes, et nunquam sine gravi poenitentia erit.

Si quis per cupiditatem periurium fecerit, carinam (*carina, barbara vox, idem quod quadragesima, sive quadraginta dierum continuationem significans: quam alii carentenam aut quadragenam dixere*) in pane et aqua ieiunet, et quandiu vivet, omnes sextas ferias: item, si quis per cupiditatem peieraverit, omnes res suas vendet et pauperibus distribuet et monasterium ingressus, iugi se poenitentiae subdet.

Si quis coactus necessitateque aliqua impulsus periurium commiserit, in poenitentia erit quadragesimis tribus.

Item, si quis coactus peieraverit, poenitens quadraginta diebus pane et aqua victitet ac praeterea omnibus sextis feriis.

Si quis seductus, ignorans (peieravit, et), postea cognoscit, poenitentiam agat annum unum vel quadragesimas tres vel dies quadraginta.

Qui compellit alium ut falsum iuret, quadraginta dies in pane et aqua et septem annos in poenitentia erit.

Si quis iusiurandum, quo se regi et domino suo adstrinxerit, violaverit, in monasterio poenitentiam aget omnibus diebus vitae suae.

Si quis se iureiurando obstrinxerit ut cum aliquo litiget nec pacem cum eo reconciliet; poenitentiam aget dies quadraginta in pane et aqua, per annum a sacra communione segregatus: ad caritatem vero celeriter redeat.

Si quis per capillum Dei aut per caput eius iuraverit; si semel nesciens fecerit, poenitens aqua et pane septem dies victitet: si secundo ac tertio monitus idem fecerit, dies quindecim.

Si per coelum aut per aliam aliquam creaturam; dies item quindecim.

Si quis blasphemat, tamdiu poenitens erit quamdiu impoenitens permansit.

Si quis Deum vel Beatam Mariam Virginem vel aliquem sanctum publice blasphemaverit, ut foribus ecclesiae diebus dominicis septem in manifesto, dum missarum solemnia aguntur, stet, ultimoque ex istis die, sine pallio et calceamentis, ligatus corrigia circa collum: septemque praecedentibus feriis sextis in pane et aqua ieiunet, ecclesiam nullo modo tunc ingressurus: singulis item septem illis diebus dominicis, tres aut duos aut unum pauperem pascat si potest: alioquin alia poenitentia afficiatur: recusans (hanc subire poenam) ecclesiae ingressu interdicatur; in obitu ecclesiastica careat sepultura, dives a magistratu mulctetur poena solidorum quadraginta, alioqui triginta, seu viginti.

3. *Canones poenitentiae ad tertium praeceptum spectantes.*

Qui opus aliquod servile die dominico festove fecerit, poenitentiam aget tres dies in pane et aqua.

Qui die dominico opus terrenum fecerit, dies septem poenitentiam aget.

Si quis ante ecclesiam saltationes fecerit, emendationem pollicitus, poenitentiam aget annis tribus.

Si quis pransus missae interfuerit, poenitens erit dies tres in pane et aqua.

Si quis sacram communionem sumpserit post aliquam vel minimam degustationem, poenitentiam aget dies decem in pane et aqua.

Si quis in ecclesia confabuletur, cum divina fiunt, poenitens erit dies decem in pane et aqua.

Si quis ieiunia a sancta ecclesia indicta violaverit, poenitentiam aget dies viginti in pane et aqua.

In quadragesima, carne, sine inevitabili necessitate, vescens, in pascha non communicet ac praeterea a carne abstineat.

Qui in quadragesima ieiunium violaverit, pro uno die poenitentiam aget dies septem.

Si quis ieiunium quatuor temporum non custodierit, poenitens erit dies quadraginta in pane et aqua.

4. *Canones poenitentiae contra infractores quarti praecepti.*

Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies poenitens sit in pane et aqua.

Qui parentes iniuria affecerit, tres annos.

Qui percusserit, annos septem.

Qui expulerit, tamdiu poenitens, quamdiu in impietate permanserit.

Si quis contra episcopum, pastorem et patrem suum insurrexerit, in monasterio omnibus diebus vitae suae poenitentiam aget.

Si quis contra episcopum conspiraverit, gradu suo amovebitur.

Si quis episcopi sui aut ministrorum eius vel parochi sui praecepta contempserit, poenitentiam aget dies quadraginta in pane et aqua.

5. *Canones poenitentiae circa peccata contra quintum praeceptum commissa.*

Qui presbyterum occiderit, poenitentiam aget annis duodecim.

Si quis presbyter presbyterum occiderit, poenitentiam aget annis viginti octo.

Si quis presbyterum armis contra se irruentem occiderit, poenitens erit annos decem.

Si quis patrem aut matrem, fratrem aut sororem occiderit, toto vitae suae tempore non suscipiat corpus Domini nisi in obitu: abstineat in carne et vino dum vixerit; ieiunet secunda et quarta et sexta feria: si autem nolenti accidit, decem annis poeniteat iudicio sacerdotis.

Qui voluntarie filium suum vel filiam suam vel germanum aut germanam suam occiderit, quinque annis extra fines ipsius terrae exul fiat: deinceps viginti annis poeniteat.

Quae mulier filios suos necarit, peracta septenni poenitentia, in monasterium detrusa monasticam vitam perpetuo regulariter aget.

Si qua mulier post partum filium filiamve sponte interfecerit, poenitentiam agat annos duodecim et nunquam erit sine poenitentia.

Paupercula, si ob difficultatem nutriendi id commiserit, annos septem.

Si qua mulier sponte abortum fecerit, poenitentiam aget tres annos; si nolens, quadragesimas tres.

Item mulier partum suum perdens voluntarie ante quadraginta dies, poenitens erit annum unum: si post quadraginta dies, annos tres: si vero postquam editus est in lucem, tamquam homicida.

Quae sceleris occultandi causa filium necarit, poenitentiam aget annos decem.

Qui nolens filium oppresserit, si post baptismum, poenitentiam aget dies quadraginta in pane et aqua, oleribus ac leguminibus: abstinebit ab uxore dies totidem, deinde poenitens erit tres annos per legitimas ferias: tres praeterea quadragesimas in anno observabit: si ante baptismum quadraginta dies, ut supra, et quinquennio praeterea poeniteat, unum in pane et aqua.

Cuius filius sine confirmationis sacramento moritur, parentes quorum negligentia id factum est, poenitentiam agent annos tres.

Si quis explendae causa libidinis vel odii meditatione, ut non ex eo soboles nascantur, homini aut mulieri aliquid fecerit vel ad potandum dederit ut non possit generare aut concipere, homicida teneatur.

Qui uxorem occiderit aut monasterium ingrediatur, poenitentiam perpetuam acturus; aut cuncta negotia saecularia dimittens, perpetuo abstineat a carne, sagimine, vino, cerevisia etc. exceptis diebus resurrectionis et natalis Domini: uxorem non ducat: in fine tantum vitae eucharistiam accipiat.

Si mulier maritum suum causa fornicationis veneno interfecerit, aut quacumque arte mortem eius procuravit, saeculum relinquat et in monasterio poeniteat.

Qui mortem sibi consciverit, pro eo nulla in missa commemoratio fiat, neque cum palmis eius cadaver sepeliatur.

Si quis sponte hominem occiderit, ad ianuam ecclesiae semper erit et in obitu communionem recipiet: si casu necarit, poenitentiam aget annos septem.

Si quis hominem necare voluerit, neque hoc scelus potuerit patrare, ut homicida poenitentia afficietur.

Si quis per iram subitam aut per rixam hominem necarit, poenitentiam aget annos tres.

Si quis iussu domini homicidium perpetrarit, dies quadraginta in pane et aqua, et praeterea septem annos sequentes per legitimas ferias ieiunabit.

Qui homicidii auctor fuit, ob consilium quod dedit, erit in poenitentia quadraginta dies in pane et aqua cum septem sequentibus annis.

Si quis casu homicidium fecerit, poenitens erit quadraginta dies in pane et aqua: quinquennio communione privabitur: a cibis abstinebit arbitrio sacerdotis.

Qui homicidio quod postea factum est consenserit, poenitentiam aget annis septem, tres in pane et aqua: si autem voluerit nec potuerit, tres tantum annos.

Si quis aliquem vulnerarit vel ei aliquod membrum praeciderit, poenitentiam aget uno anno per ferias legitimas: si cicatrix gravis est et vulneratum deformem reddit, quadraginta etiam dies poenitebit in pane et aqua.

Si quis ictum proximo dederit nec nocuerit, tridui poenitentiam aget in pane et aqua; clericus unius anni et mensium sex.

Si quis aliquem per iram percutiens debilitaverit; soluta medicamenti impensa, si laicus est, poenitens erit quadraginta dies in pane et aqua; si clericus, duas quadragesimas: si diaconus, septem mensibus: si presbyter uno anno.

Si quis fratri suo quem oderit, reconciliari non vult, tandiu in pane et aqua poenitentiam aget quoad reconcilietur.

6. *Canones poenitentiae ad expianda peccata contra sextum mandatum commissa.*

Si laicus solutus cum foemina soluta concubuerit, poenitens erit annos tres: et quanto saepius, tanto maiori poenitentia afficietur.

Uxor viro conscio moechata, si dignam poenitentiam egerit, post decem annos sacram communionem sumet.

Si quis coniugem fornicari consenserit, diebus omnibus vitae in poenitentia erit. Vir solutus, si cum alterius uxore adulterium commiserit, poenitentiam aget annos septem: mulier quinque.

Mulier soluta cum alterius marito adulterium patrans, poenitentia afficietur decennali.

Si quis maritus semel lapsus est, poenitentiam aget annos quinque: si saepius, omnibus diebus vitae suae.

Si quis uxorem simul et concubinam habuerit, in poenitentia erit annos septem et amplius pro ratione culpae.

Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, poenitens erit quadraginta dies.

Si quis adolescens cum virgine peccaverit, poenitentiam aget annum unum.

Qui puellam aut mulierem, libidinose obtrectaverit: si clericus est, quinque dies; si laicus tres dies poenitentiam aget: monachus vel sacerdos, a ministerio suspensus, poenitens erit dies viginti.

Qui corruperit virginem quam postea uxorem duxerit, poenitentiam aget annum unum per legitimas ferias: si vero non duxerit, annos duos per legitimas ferias.

Vidua quae stuprum admiserit, poenitentiam aget annum unum: et praeterea altero anno ieiunabit legitimis feriis.

Cum duabus sororibus fornicatus, poenitentiam aget toto vitae suae tempore.

Qui incestum fecerit (*in secundo vel tertio gradu etc.*), ei alii annorum duodecim, alii quindecim, alii decem poenitentiam constituunt.

Quicunque sacerdos spiritualem filiam violaverit, dignitatis honorem amittet et perpetuam poenitentiam aget.

Qui monialem violaverit, poenitens sit annis decem.

Presbyter si fornicationem admiserit, sponte confessus, poenitentiam aget annos decem.

Qui cum brutis coierit, poenitentia afficietur annorum decem et diuturniori etiam pro personae conditione.

Qui contra naturam coierit; si servus est, scopis castigabitur: et poenitebit annos duos; si liber est et matrimonio iunctus, annos decem: si solutus, annos septem: pueri, dies centum: laicus matrimonio iunctus, si in consuetudinem habuerit, annos quindecim: si clericus, de gradu amotus ut laicus poenitentiam aget: qui cum fratre tale scelus admiserit, ab omni carne abstinebit, poenitensque erit annis quindecim: si clericus, diuturniori et graviori poenitentia afficietur.

Vir se inquinans, primo dies decem; si iterum, dies viginti: si tertio, dies triginta: si nefarie agere perget, poenitentiae accessio ei fiet: si puer, dies quadraginta; si maior quindecim annis, dies centum.

Qui complexu foeminae vel osculo polluitur, poenitentiam aget dies triginta: qui contactu inverecundo, menses tres.

Qui concupivit mente, sed non potuit, dies decem poenitentiam aget.

Qui turpiloquio aspectuque polluitur negligens nec vere peccare voluit, poenitentiam aget dies viginti: si vero impugnatione tentationis inquinatur, poenitebit item dies viginti.

Quicumque lenocinium exercuerit, toto vitae tempore poenitebit: item sacram communionem non accipiet, nisi in fine.

Si quae mulier cerussa aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, poenitentia afficietur annorum trium.

7. *Canones poenitentiae ad septimum decalogi praeceptum spectantes.*

Qui furatus est aliquid de ecclesiae supellectili vel thesauro, quod substulit reddet, et tres carinas (*quadragesimas*) cum septem sequentibus annis poenitebit.

Qui sacras reliquias furatus est, illis restitutis, septem carinas ieiunabit.

Pecuniam ecclesiarum furatus, quadruplum reddet: si quid item de ministerio ecclesiae aliquo modo subripuerit, poenitens erit annos septem.

Sacrilegus rerum ecclesiasticarum invasor, tres annos communione privabitur ac praeterea sine esu carnis ac potatione vini usque ad septennium poenitens permanebit.

Qui ecclesiam incenderit aut incendio consenserit, restitutione facta, poenitentiam aget annis quindecim.

Si quis malo studio vel odio vel ulciscendae iniuriae causa incendium commiserit, committive iusserit aut incendiario auxilium vel consilium scienter dederit, excommunicetur: mortuus christiana sepultura carebit nec vero absolvetur, nisi damnum pro facultatibus resarciverit iuraveritque se in posterum tale facinus nunquam admissurum.

Si quis sepulcrum violaverit, poenitens erit annos septem, e quibus tres in pane et aqua.

Qui sepulcrum infregerit ut defuncti sepulti vestimenta furaretur, poenitens erit annos duos per legitimas ferias.

Qui de oblationibus, quae ecclesiis factae sunt, aliquid retinuerit, poenitens erit dies quadraginta in pane et aqua.

Qui decimam sibi retinuerit aut dare neglexerit, quadruplum restituet et poenitentiam aget dies viginti in pane et aqua.

Qui hospitalis domus administrator aliquid de administratione subtraxerit, restituet quod abstulit, poenitensque erit annos tres.

Qui pauperem oppresserit eiusque bona abstulerit, reddet ei suum, et poenitens erit dies triginta in pane et aqua.

Clericus furtum capitale faciens, septennii poenitentiam explebit; laicus, quinquennii, et quod furatus est, reddat.

Qui fregerit noctu alicuius domum aut aliquid abstulerit, pretium reddet, et poenitentiam aget annum in pane et aqua.

Si quis furtum de re minori semel aut bis fecerit, restituta re, poenitentiam agat annum unum.

Qui rem inventam non reddit, furtum committit: idcirco tamquam de furto poenitentiam aget.

Si quis usuras accipit, rapinam facit: ideoque quicumque illam exegerit, poenitentiam aget annis tribus, uno in pane et aqua.

8. *Canones poenitentiae pro peccatis contra octavum praeceptum.*

Qui affirmaverit verum esse quod falsum est, poenitentiam aget ut adulter: ut homicida qui sponte id facinus admiserit.

Qui falso testimonio consenserit, poenitens erit annos quinque.

Qui proximo falsum crimen obiicit, poenitentia afficitur ut falsus testis.

Si quis contra proximum lingua lascivus erit, triduana poenitentia expiabitur.

Si quis murmuraverit, iudicio sacerdotis poenitentiam aget, pro culpae gravitate.

Si quis convicium manifestum fratri intulerit, diuturna expiabitur poenitentia pro modo peccati.

Si quis facile detraxerit falsumque in hoc dixerit, poenitens erit dies septem in pane et aqua.

Qui falsitatem fraudemque in ponderibus et mensuris admiserit, poenitens erit in pane et aqua dies viginti.

Falsarius in pane et aqua poenitentiam agat quamdiu vivit.

9. *Canones poenitentiae pro peccatis contra nonum decalogi praeceptum.*

Rem alienam nefarie concupiscens avarusque, poenitens erit annis tribus.

Qui aliena concupiscit, furtum est: qui aliena rapere cupit, rapina est: qui res ecclesiae furari appetit, sacrilegium est: ideo cum nefarie concupiscendo graviter peccet, ita peccati mortalis poenitentiam aget arbitrio sacerdotis.

Qui rem aliquam proximi pretiosam invenire cupit ut illam sibi retineat, mortale peccatum concipit, cuius poenitentiam aget, ut praedictum est de furto.

10. *Canones poenitentiae pro peccatis contra decimum decalogi praeceptum.*

Si quis concupiscit fornicari; si episcopus, poenitens erit annos septem: si presbyter, quinque: si diaconus vel monachus, tres, e quibus unum in pane et aqua: si clericus aut laicus, annos duos.

Si quis in somnis ex immundo desiderio polluitur, surgat et cantet septem psalmos poenitentiales: et in die triginta (cantet).

Si clericus aut laicus ex mala cogitatione concupiscentiaque semen effuderit, poenitens erit dies septem.

11. *Canones poenitentiae contra 7. peccata capitalia speciatimque gulam et ebrietatem.*

Pro capitali mortalique crimine, poenitentia septem annorum indicitur: nisi peccati gravitas et personae status severiorem diuturnioremque poenitentiam requirat.

Pro capitali crimine poenitentiam aget laicus annos quatuor, clericus quinque, subdiaconus sex, diaconus septem, presbyter decem, episcopus duodecim.

Sacerdos imprudenter ebrius factus, pane et aqua poenitentiam agat dies septem: si negligenter, dies quindecim: si per contemptum, dies quadraginta.

Diaconus et alius clericus ebrius factus, arbitrio sacerdotis poenitens erit.

Monachus ebrius, pane et aqua mensibus tribus; si clericus, viginti dies.

Laicus ebriosus graviter arguatur, et poenitentiam agere a sacerdote cogatur.

Qui humanitatis gratia alium inebriari procurat, poenitentiam aget diebus septem: si per contemptum, dies triginta.

Qui prae ebrietate et crapula vomitum fecerit: si presbyter aut diaconus, poenitentiam agat dies quadraginta; si monachus aut clericus, dies triginta: si laicus, dies quindecim abstineatque a vino et carne dies tres.

Si quis gulae causa ante horam legitimam ieiunium fregerit, duos dies poenitentiam aget in pane et aqua.

12. *Canones poenitentiae pro variis peccatis.*

Si quis nimio cibo se ingurgitaverit et inde dolorem senserit, unum diem poenitentiam aget in pane et aqua.

Si quis sacerdos missam canit neque communicat, per annum poenitentiam agat, nec vero interea celebret.

Sacerdos excommunicatus si celebrat, tribus annis poenitens sit, hebdomadisque singulis feria secunda, quarta et sexta a vino et carnibus ieiunet.

Sacerdos sacerdotii sui gradu ordineque in perpetuum amotus si celebrare audet, privatur communione corporis et sanguinis Iesu Christi usque ad ultimum diem, et in excommunicatione est, viaticum tantum in fine sumens.

Si gutta sanguinis Christi in terram cadit, sacerdos in poenitentia sit quinquaginta diebus: si super altare et ad pannum unum transit, diebus duobus: si usque ad pannos duos, diebus quatuor: si usque ad tres, diebus novem: si incaute dimisit, quamvis nihil nefandi acciderit, tribus mensibus a sui muneris administratione amovetur.

Qui sciens se rebaptizandum curaverit, si quidem per haeresim tale flagitium perpetrarit, poenitentiam agat annos septem: tres quadragesimas primi anni ieiunet in pane et aqua, et quarta et sexta feria aliorum annorum.

Si propter purificationem se rebaptizandum curaverit, poenitentiam aget annos tres: si per ignorantiam, non peccat quidem; nihilominus non promoveatur ad sacros ordines, licet excellens et eximius videatur.

Si episcopus aut presbyter aut diaconus se rebaptizandum curaverit, per totam vitam poenitentiam aget.

Clerici, monachi, monachae, sponte sua per haereticos rebaptizati, poenitentiam agent per annos duodecim.

Presbyter, qui clandestinis sponsalibus interfuerit, suspendatur ab officio suo annos tres.

Presbyter qui mortuum corpus altaris mappis involverit, poenitentiam aget annos decem et menses quinque: diaconus autem annos tres et menses sex.

Qui legata pia ecclesiae non solvit, uno anno poenitens sit; et per legitimas ferias ieiunet.

Qui sui sexus habitum mutaverit, poenitentiam aget annos tres, promittens emendationem.

Infirmos et in carcere detentos visitare negligens, poenitentiam aget dies septem pane et aqua victitans.

Cap. VI. Casuistica theologiae origo, progressus ac ratio universa.

I. Poenitentialia, de quibus hactenus, ritualis praeterea liber et codex canonum fuere praecipui confessariorum libri fere ad XIII. saeculum; ut mirandum sit qui poenitentiae sacramentum in tanta librorum paucitate, atque etiam imperfectione (vide Francolinium *de poenit. lib.* 2. *c.* 8.) fuerit per tot saecula administratum. Labente autem XIII. saeculo coeperunt aliquot acris ingenii viri sententias patrum ad doctrinam fidei pertinentes paulo ante a Petro Lombardo collectas, et patrum similiter sententias ad doctrinam morum spectantes, canonesque et responsa pontificum paulo ante etiam ipsa a Gratiano collecta, interpretari, explicare et multas circa utramque doctrinam quaestiones subtiliter movere. Hinc orta theologia *scholastica*, nempe disputatrix et methodica et facultas *canonica* canonum interpres et ex utraque theologia *moralis* seu casuistarum qui sic dicti post aliquot saecula fuere, quia ipsi respondent casibus conscientiae, non quidem ut olim episcopi, concilia et pontifices, nempe tamquam ecclesiae pastores doctoresque a Deo constituti, sed ut privati interpretes scripturarum, legum eorumque omnium quae aut patres senserant aut sanxerant, nempe sententiarum et sanctionum. Hi praeter multas quaestiones morales insertas tractatibus theologiae *speculatricis* scripserunt directoria quaedam confessariorum in quibus methodo longe meliori fusiusque quam olim fieret in libellis poenitentialibus, totaque canonum collatione, agitur de iis quae confessarius scire debet. In illis siquidem non solum traditur modus interrogandi, castigandi et absolvendi poenitentes, sed singulae partes sacramenti explicantur eaque circa illas doctrina traditur, qua quaestionibus, casibus et dubiis saltem, quae solent in eo foro proponi, facile respondetur.

II. Circa annum 1228. floruit s. Raymundus de Pennafort insigne praeclarissimi dominicani ordinis ornamentum. Scripsit is *Summam de casibus poenitentialibus* libris quatuor comprehensam, quorum primus de peccatis adversus Deum. 2. Adversus proximum. 3. De ecclesiasticorum delictis, officiis et iuribus. 4. De matrimonio agit. S. Antoninus ac Vincentius Bellovacensis eam saepe laudant. Pluries typis expressa fuit ut Lovanii 1480. Coloniae 1495. Parisiis 1500., quas editiones Fabricius recenset in bibliotheca mediae et infimae latinitatis. Huc spectat Alexandri de Hales *Summa de virtutibus et destructorium vitiorum*, quamquam contra Waddingum utrumque opus Alexandro abiudicat non contemnendis argumentis, ac iuniori scriptori tribuit Iacobus Quetif *tomo* 1. *biblioth. dominicanorum*. Acces-

sit Vincentii Bellovacensis *Speculum morale.* Multa in eamdem rem, praesertim vero *Librum poenitentiarium* Ioannes de Deo conscripsit A. D. 1247. Vide de illo Caveum et Fabricium. Porro circa a. 1250. Guilielmus Redonensis e dominicana familia apparatum, sive glossas edidit ad summam s. Raymundi saepius vulgatas sub Ioannis de Friburgo nomine. Paulo post habuimus s. Bonaventurae *Confessionale.*

III. Sub initium insequentis saeculi occurrit Ioannes friburgensis dominicanus iunior qui *Summam maiorem seu confessariorum et quaestiones casuales* composuit, tum celeberrima Astesani seu Astensis *Summa de casibus conscientiae*, cuius editiones Waddingus persequitur. Eiusdem quem Astensis professus fuerat, minoritarum scilicet ordinis fuit Monaldus qui circa ann. 1330. floruit: exstat autem eius *Summa casuum conscientiae, aurea et monaldina dicta.* Circa idem tempus Bartholomaeus a s. Concordia natione italus, domo pisanus, professione dominicanus florebat. Hic a. 1338. *Summam casuum conscientiae* absolvit quae ab auctoris patria *Pisanella* etiam vocatur et praeterea *Magistruccia.* De casibus conscientiae scripsit quoque a. circiter 1335. Henricus de Erfordia. *Speculum* vero *curatorum* Ranulphus Higdenus benedictinus castriensis a. 1357. Singularem porro famam sibi conciliavit Ioannes de Burgo, qui a. 1385. librum contexuit inscriptum: *Pupilla oculi omnibus sacerdotibus tam curatis quam non curatis summe necessaria, in qua tractatur de septem sacramentorum administratione, de decem praeceptis decalogi et de reliquis ecclesiasticorum officiis.* His adde Antonii de Butrio *Speculum de confessione* quod Walthonus Lovanii editum memorat.

IV. Quinto autem et decimo saeculo hi floruere casuisticae theologiae doctores. I. Ioannes Charlierius de Gerson qui praeter alia *opusculum tripartitum de praeceptis decalogi, de confessione et de arte moriendi* composuit tanto plausu exceptum ut illud XVII. omnino synodorum quas recenset Launoius *in inst. gymn. Navarr. par.* 2. *c.* 1. *p.* 510. decreto presbyteri et curati in exponendo decalogo, audiendis confessionibus et visitandis aegrotis adhibere iuberentur. II. Henricus de Hassia. Scripsit *regulas ad discernendum mortale peccatum a veniali*, librum *de contractibus et ordine censuum*, tractatum *de confessione* et commentarium *in decem praecepta.* III. Nicolaus Dinckelspulius edidit *de praeceptis decalogi, de tribus partibus poenitentiae et confessionale peccatorum.* IV. S. Bernardinus senensis, qui tractatum de *confessione* conscripsit. V. Nicolaus Auximanus. Ab eo habuimus *Summam casuum conscientiae, supplementum ad summam Pisanellam et interrogatorium confessorum.* VI. Ioannes Nider. Ex eius operibus huc spectat *consolatorium timoratae conscientiae, praeceptorium* seu tractatus de decem praeceptis, de *contractibus mercatorum* liber. VII. Aegidius Carlerius. Eius *diversae casuum consultationes* prodiere Bruxellis 1478. quas inter tractatus de *decimis, de integritate confessionis etc.* VIII. Nicolaus Plovius, aliis Plonus. Scripsit de *excommunicationibus, de horis canonicis dicendis, de interdicto ecclesiastico, de irregularitate, de sacramentis et eorum administratione, de sacrificio missae;* qui tractatus simul prodiere Argentorati 1593. IX. S. Ioannes Capistranus. Edidit *speculum conscientiae*, tractatum de *canone poenitentiali, de usuris et contractibus* aliaque. X. S. Antoninus archiepiscopus florentinus. Praeter tractatus *de suspensione, de usuris etc.* elucubravit *summam theologicam et summam confessionalem* saepius editam. XI. Henricus Harphius. *Speculum aureum scripsit in* 10. *praecepta decalogi*, et librum *de tribus poenitentiae partibus.* XII. Ioannes Beetzius, cuius *praeceptorium divinae legis* sive *expositio decalogi* exiit Lovanii 1486. *fol.* XIII. Angelus de Clavasio, cuius exstat *Summa casuum conscientiae, angelica* vulgo dicta. XIV. Baptista Trovamala qui *ad utilitatem simplicium confessorum summam casuum conscientiae Rosellam* vulgo nuncupatam divulgavit. XV. Michael de Mediolano. Eius *confessionale* seu methodus confitendi Venetiis prodiit a. 1513. XVI. Michael Lochmaver. Scripsit *Parochiale curatorum quo officium curati* circa sacramentalia late exponit.

V. Porro sequentibus saeculis quemadmodum scholastica theologia maximum nacta est incrementum, ita et moralis amplificata est. Nam et theologi scholastici multa de morali theologia coepere subtiliter disputare, et ii quos *morales* seu *casuistas* dixere, integros de pluribus eius facultatis singularibus partibus, singulares accuratissimosque edidere tractatus ac praeterea novo ordine ac maiore studio universam theologiam moralem concinnarunt. Probatissimi ex illis, inquit Francolinus, *Tyrocinii theologici parte quinta, hunc ordinem servant. Agunt* 1. *de conscientia, scilicet recta et erronea, probabili, dubia et scrupulosa.* 2. *De peccatis et de conditionibus ad peccandum requisitis,*

vel ab eo excusantibus ac proinde de voluntario, de libero, de metu iusto et iniusto, gravi et levi; de ignorantia antecedente, comitante, consequente, excusante, non excusante; de peccato mortali, veniali, personali, originali. 3. *De legibus in genere earumque causis et effectibus, de legibus in specie, ut de lege poenali, de lege non scripta seu consuetudine, de lege concedente privilegium adeoque de privilegio. Inde de cessatione, interpretatione ac dispensatione legum.* 4. *De fide eiusque obligatione, de infidelitate, haeresi, apostasia, poenis spiritualibus ac temporalibus haereticorum.* 5. *De virtute spei eiusque contrariis vitiis, praesumptione, desperatione etc.* 6. *De caritate in Deum et proximum eiusque effectibus seu actibus, ut de eleemosyna, correctione fraterna etc. ac de vitiis ei contrariis, odio, invidia, discordia, schismate, bello iniusto, rixa, duello, scandalo.* 7. *De religione eiusque actibus, nempe de oratione, de horis canonicis, de adoratione, de sacrificio, de observatione festorum, de primitiis, de oblationibus, de reverentia debita locis et personis sacris eorumque immunitate, de beneficiis ecclesiasticis, de eorum provisione, acquisitione, collatione, oneribus, utilitatibus, vocatione, omissione, divisione, extructione, erectione, unione. De iuramento et voto eorumque obligatione, relaxatione, irritatione, commutatione. De adiuratione. De statu religioso eiusque susceptione, professione, relaxatione, privilegiis. Rursus de vitiis religioni oppositis, idololatria, superstitione, divinatione, vana observantia, maleficio, tentatione Dei, blasphemia, sacrilegio, simonia.* 8. *De ritibus seu signis maxime religiosis praecipuisque nostrae religionis characteribus, nempe de sacramentis in genere et in specie, et praesertim de sacrosancta eucharistia, de sacramento poenitentiae, de suffragiis, indulgentiis, iubilaeo et bulla cruciatae, de censuris, de sacramento ordinis, irregularitate, depositione, degradatione, ac demum de sacramento matrimonii eiusque impedimentis horumque dispensatione.* 9. *De prudentia, fortitudine ac temperantia, ubi de abstinentia, ieiunio, sobrietate, castitate, virginitate, humilitate, studiositate, mansuetudine, clementia, modestia vitiisque oppositis, nempe gula, ebrietate, luxuria, superbia, praesumptione, vanagloria, ambitione, vilitate seu nimia sui abiectione, curiositate, ira, crudelitate, immodestia in cultu ornatuque.* 10. *De iustitia in genere, de iure, dominio, usufructu, usu, habitatione, emphitheusi, feudo, servitute, possessione, praescriptione.* 11. *De iustitia commutativa in pactis et contractibus, ubi de contractibus in genere.* 12. *De contractibus in specie, de promissione, donatione, commodato, deposito, mutuo (ubi de usura), emptione, censu, cambio etc. Hi sunt theologiae moralis tractatus, quos aut universos aut plerosque aut aliquos apud innumeros scriptores reperies.*

VI. Non admodum ab hoc ordine abhorrent recentiores rigoristae, etsi multum et sententiis et quaestionum tractandarum ratione ab istis dissentiunt. Habent nimirum (quod scite a Francolinio notatum *in praefat. ad cleric. roman. contra nimium rigorem munitum*): *Iansenistae theologiam suam speculativam et practicam seu moralem. Speculativa iansenismus est; practica, seu moralis rigorismus est. Huius tria principia sunt. Patres iactare plurimum. Pontifices aestimare parvi, recentiores theologos nihili. Patribus, ut ab ipsis reponuntur, deferre obsequium verum, pontificibus simulatum, reliquis doctoribus neutrum. A divo Augustino vero aut putato recedere nunquam, nec doctorem ex conciliis interpretari, sed ex eo concilia; pontificibus ex cathedra docentibus accedere aliquando, et id profiteri si videlicet non adversentur; a scholasticis vero, praesertim duplicis postremi saeculi, in controversiis morum, vel in re, vel in modo loquendi recedere semper, vel ne legere quidem illos et multo minus in suis scriptis vel libris honorifice allegare.*

PARS II. DIDACTICA

SEU DE LOCIS MORALIS THEOLOGIAE

De locis moralis theologiae ante me qui egerit vidi neminem, vel quod, quum iidem fere sint qui dogmaticae theologiae, inutilis visa fuerit eiusmodi tractatio; vel quod vulgata apud casuistas docendae huius praeclarissimae facultatis ratio hasce disquisitiones veluti quae eruditionem magis sapiant, quam necessitatem desiderari patiatur. Verum si quid intelligo, nulla hodie morali theologo disputatio aut utilis, aut etiam necessaria magis, quam quae de locis moralis theologiae instituitur. Nam et singularia sunt aliqua, huiusque disciplinae propria, quae apud Canum aliosque de dogmaticae theologiae fontibus tractatores frustra quaesieris, et inenotus horum locorum abusus qui passim

in antiprobabilistarum theologicis libris occurrit, maxime postulat, ut certi quidam canones pro recto eorumdem locorum usu definiantur. Concinae in apparatu ad suam theologiam christianam simiam agere placuit, et quum meos de locis moralis theologiae tractatus vidisset, ipse etiam de his disputare aggressus est; sed nihil bonae frugis inde extundas, verborum adeo plena sunt omnia, conviciorum, declamationum, ut quis huius tractationis scopus sit, ne intellexisse quidem videatur. In eodem hoc iterum argumento versabor, multis praetermissis, quae minus necessaria sunt, auctis vero et confirmatis iis, quae ad locorum horumce usum, praecipuum scilicet huius disquisitionis finem pertinent.

Cap. I. De scripturis sacris

§. 1. *Quotuplex sit sacrarum scripturarum sensus.*

Triplex est scripturarum sensus, ***litteralis***, qui et ***historicus*** dicitur, quod in historia elucescat is maxime, ***mysticus et accommodatitius***. Unum litteralem sensum admittunt novatores quos a Salmerone *proleg.* 7. Serario *cap.* 21. Bonfrerio *cap.* 20. vide vehementer exagitatos confossosque.

Litteralem sensum dicimus: quem verba sive proprie sive metaphorice accepta ex Spiritus sancti loquentis intentione primo et immediate significant. Non enim is tantummodo litterarius sensus est, quem verba proprie sine tropo significant; alias plura scripturarum loca litterali sensu carerent. Hinc merito Bellarminus *lib.* 3. *cap.* 3. apud Serarium docet, duplicem esse litteralem sensum, ***proprium et figuratum.***

Mysticus porro is est, qui non proxime per voces; sed mediate et remote, mediis scilicet rebus per voces sensu litterali significatis a Spiritu sancto indicatur. Exemplum esto illud Deuter. 25. ***Non alligabis os bovi trituranti.*** Ubi sensus litteralis is est, quem verba indicant; mysticus vero, ut s. Paulus 1. *Cor.* 9. explicat, doctoribus et concionatoribus necessaria ad victum suppeditanda esse significat. Quum autem res mediate, et remote in scripturis per voces indicatae, tres veluti in classes tribui possint, triplex quoque mysticus sensus a doctoribus statuitur: ***Allegoricus*** qui res credendas et ad militantem ecclesiam pertinentes significat, ***Anagogicus***, qui circa res sperandas ac triumphantis ecclesiae proprias versatur; ***Tropologicus***, qui res gendas, morumque institutionem spectat. Hinc celebre illud dystichon:

> Littera gesta docet; quid credas allegoria;
> Moralis quid agas; quo tendas anagogia.

Accommodatitius est, per quem ea, quae litterali sensu dicuntur, ad alia, quae Spiritus sanctus neque proxime, neque remote significavit, transferuntur. In multis huiusmodi accommodatione utitur ecclesia, ut quum illud ***Eccl.*** 44. ***Inventus est iustus, et in tempore iracundiae factus est reconciliatio***, sanctis confessoribus aptat. Sic etiam quae ***Zachar.*** 4. de Iesu sacerdote filio Iosedech et Zorobabel dicuntur.: ***Hi sunt duae olivae*** etc. Ioannes ***Apoc.*** 11. 4. Enoch et Eliae accommodat. Haec autem de hisce sensibus notabis. Primum est accommodatitium sensum quum ex cuiusque ingenio fingi possit, perperam ad probandum afferri. II. Sensum litteralem in omni omnino scripturae loco reperiri, non item mysticum. III. Posse interdum plures eiusdem sententiae sensus litterales dari, ut post b. Thomam 1. *p. qu.* 1. *art.* 10. probant Salmeron. *proleg.* 8. Serarius *c.* 21. *quaestiunc.* 12. Bonfr. *cap.* 20. *sect.* 5. Exemplo sit locus ille ***Isaiae cap.*** 53.: ***Generationem eius quis enarrabit?*** quem patres plurimi de aeterna Christi generatione, de temporali in utero Virginis alii intelligunt: utrique apte, sive generationem utramque spectes, sive loci illius seriem universam. IV. Posse quoque plures in eadem sententia mysticos sensus, atque adeo interdum omnes reperiri. Sic ***Ierusalem***, quae vox litterali sensu urbem significat; allegorice ecclesiam, tropologice animam, anagogice coelestem gloriam indicat. V. Sensum mysticum plerumque ex veteri tantum testamento erui, utpote quod figuris, allegoriis et symbolis abundat; rarius vero in novo reperiri, licet in hoc etiam locum habeat, uti in navicula Petri iactata videre est, quae mystice persecutiones ecclesiae illatas significat.

§. 2. *Quonam modo litterarius bibliorum sensus sit investigandus.*

De litterario sensu quaerimus, quonam modo investigandus sit: nam mysticum morali theologo utiliorem credo exornandis thesibus suis, quam solide comprobandis, de quo sequenti capite.

Interea XII. subsidia huic habeto litterali sensui inquirendo maxime apta, quorum priora sex aliorum etiam librorum communia sunt, posteriora sex bibliorum propria.

I. Linguarum graecae praesertim, atque hebraicae cognitio. II. Artium, quibus lo-

quendi ratio traditur, peritia, sive grammatica, sive rhetorica sit. III. Disciplinarum, quas scripturae attingunt, scientia. Huc praeter scholasticam theologiam spectat historia, philosophia, mathesis, geographia et antiquitatis universae notitia. IV. Omnium quae in libri vel capitis contextu sunt consideratio; antecedentium videlicet et consequentium. V. Similium et dissimilium locorum collatio. VI. Interpretum lectio. VII. Divini luminis imploratio. VIII. Vitae puritas. IX. Inspectio traditionis apostolicae et generalis in ecclesia catholica praxis. X. Consideratio analogiae fidei, de qua apostolus *Rom.* XII. 7. XI. Unanimis patrum consensio. XII. Regulae quaedam, quae ad intelligendas scripturas a quibusdam traditae sunt. Vide Pagninum in *Isagoge*, Salmer. *Proleg.* 9. 10. 11. et Bonfrerium *cap.* 20. *sect.* 4.

§. 3. *De usu scripturarum in morali theologia.*

Can. 1. Scripturae auctoritas praecipuus fons est, unde theologus quae ad mores spectant doctrinas hauriat. Nam, ut scribebat Gregorius XIII. ad Philippum secundum Hispaniarum regem: *hinc omnia ad omnes virtutes praecepta colliguntur.*

Can. 2. Ne quidquam statuito, quod clarissimis scripturarum testimoniis adversetur.

Can. 3. Nihil defendito, quod ex quopiam scripturae loco per legitimum, certumque theologicum discursum ducta cum conclusione pugnet.

Can. 4. Ad confirmandam conclusionem quampiam scripturis in mystico sensu acceptis ne utere, nisi constet hunc esse vere sensum mysticum. Constabit autem praeter subsidia *n.* 9. 10. 11. nuper indicata, quotiescumque ab alio canonico scriptore locus quispiam scripturae ad probandum adducitur: sensusque, quem illi dat scriptor canonicus, litteralis esse non possit. Vide Bonfr. *cap.* 20. *sect.* 4.

Can. 5. Historias, in quibus scriptura sacra narrat, viros iustos quidpiam praestitisse, quod vel malum revera sit, vel mali speciem habeat, casuum solvendorum regulas ne putato. Non enim (quod sapienter monitum ab Augustino *contra mendacium cap.* 8.) *Omnia quae a sanctis vel iustis viris legimus facta, transferre debemus in mores.*

Consectarium. Non licet parentibus filiis maledicere, aut eos ex quocumque zelo occidere, quod Noe Cham posteris maledixerit, et Abraham peculiari Dei iussu Isaac filium immolare paratus fuerit.

Can. 6. Singularia exempla quae in scripturis leguntur, ad universalem legem confirmandam ne assumito.

Consectarium. Ridicule Besombes t. II. *tract.* 2. *cap.* 4. veram hanc propositionem; *Quatuor requiruntur conditiones in eo qui absolvit a censuris.* I. *Debet esse clericus.* II. *Debet habere iurisdictionem contentiosam.* III. *Debet certa scientia absolvere.* IV. *Debet absolvere sponte et non coacte;* ridicule inquam, hoc argumento probat: *Paulus qui absolvit Corinthium incestuosum, quatuor praedictas habebat conditiones.* Vah! bellam ratiocinationem huius similem: *Paulus qui incestuosum absolvit, fuit apostolus; apostolus igitur sit oportet qui absolvit a censuris.*

Can. 7. Praecepta moralia quae in veteri testamento sanciuntur, ne sumito in ea restrictione, qua videntur in exodo exprimi, nec iuxta falsam scribarum interpretationem, aut popularem hebraeorum traditionem; sed iuxta eam additionem, quam vel Moses, vel alii scriptores canonici apposuere, illamque potissimum explanationem, quam tradit Christus in evangelio.

Consectarium. Licet iudaei putaverint solum actus externos a lege prohiberi, minime vero cogitationes, desideria etc.; nefas tamen est ita sentire, Christo oppositam doctrinam praedicante.

Can. 8. Videndum ne scripturae verbis, quibus pium aliquod consilium proponitur, praeceptionis vim inesse incauti velimus.

Can. 9. A scripturis citandis abstinere consultius iudicato quam harumce allegationem vanitate quadam abripi, eosque locos afferre qui nihil efficiant.

Consectarium. Ridendus Besombes, qui t. II. *tract.* 1. *cap.* 4. art. 5. monet antiquitus aquam etiam ipsam extra refectionem interdictam fuisse ieiunantibus: *Rex enim Ninivitarum indixit abstinentiam panis et aquae.* Ion. 3. *Et Esdras ieiunans panem non comedit, et aquam non bibit.* Mi bone, qui hinc extundas *extra refectionem* (id enim probandum fuerat) aquam fuisse vetitam: rex Ninivitarum omnem omnino refectionem prohibuit: *Homines et iumenta non gustent quidquam, nec pascantur, et aquam non bibant.* Idem dictum esto de Esdra ieiunante (1).

(1) Heic in editione Bononiensi additur appendicula nullius momenti: de ratione, qua locum hunc theologicum nuper pertractavit p. Concina.

Cap. II. De sanctis patribus

§. 1. *Quid sanctorum patrum nomine intelligamus.*

Sanctos patres dum dicimus, non apostolos, aut pontifices quoscumque intelligimus, neque eos solum, quos doctores ecclesia expresso suffragio declaravit; sed veteres scriptores ecclesiasticos ab apostolico aevo ad medium XII. saeculum, quorum agmen claudit mellifluus Clarae-vallensis abbas Bernardus.

Enimvero si ab instituto libri huius discedere non puderet, catalogum sanctorum patrum heic adscriberem. At quum id plane ridiculum, adnotabo tantum quos consulere quis possit de istiusmodi re disserentes: Hieronymum, Gennadium, Isidorum Hispalensem, Honorium Augustodunensem, aliosque de ecclesiasticis scriptoribus tractatores ad Trithemium cum accessionibus Auberti Miraei, suisque animadversionibus edidit Hamburgi anno 1718. *Bibliothecae ecclesiasticae* titulo apposito solertissimus vir, idemque eruditus Fabricius: qui utinam abdicatis erroribus Romanae sese communioni devovisset! Sixti senensis bibliotheca, Possevini apparatus, Bellarmini aureus *de scriptoribus ecclesiasticis* libellus, atque in hunc Philippi Labbè dissertatio. Raynaudi *erotemata* passim omnium manibus teruntur. His accessit nostris temporibus bibliotheca gallico idiomate conscripta a Dupinio, quae tamen caute legenda, et Benedictini monachi Ceillieri volumina plura item gallice scripta super eodem argumento. Cavei *historia litteraria* cum Addissonii accessionibus et Oudini *de scriptoribus ecclesiasticis* commentarius in tres tomos tributus a pluribus legitur: at illa haeretici hominis est, hic impii transfugae a sacri claustri abditis recessibus ad haereticorum tumultus, quamquam huius supplementum ad Bellarmini librum et Labbaei dissertationem omittendum non est, quum a suo auctore adhuc catholico ac religioso prodierit. Hi fontes; rivuli Francolinus in *tyrocinio theologico*, Vallemontius in elementis historiae, aliique id genus epitomatores.

§. 2. *De legibus in usu patrum a morali theologo servandis.*

Can. 1. Si qua in quaestione (de his quaestionibus loquor, quae ad mores spectant) definienda patres omnes idem doceant, id veluti certum habendum est; quique aliter sentiret, ab haeresis suspicione liber haud esset. Vide Canum *lib.* 7. *cap.* 3. *concl.* 6

Can. 2. Unius aut duorum patrum auctoritas in his quae ad doctrinam morum pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest, firmum vero non potest. *Ita*, inquit sapienter Canus ibid. concl. 2. *ita despicere et pro nihilo habere, impudentis erit; suspicere et habere pro certo erit omnino imprudentis.*

Can. 3. Etiam plurium patrum auctoritas, reliquis licet paucioribus reclamantibus ea argumenta theologo sufficere et praestare non valet, quibus refragari nefas sit. Quae indicavimus exempla id abunde demonstrant. Plura refert Lupus in citata dissertatione posthuma *de opinione probabili.*

Can. 4. Patres afferre, praesertim vero multos ad ea firmanda moralis et christianae theologiae generaliora principia; in quibus theologi omnes sibi consentiunt (nisi contra haereticos sermo sit, quod quidem vix theologi moralis esse potest) intemperantis hominis est, et eruditionis famam captantis; arguere vero qui secus agant, stultissimi est et imprudentissimi.

Can. 5. Quae ex patrum homiliis, asceticis libris et orationibus, idque genus lucubrationibus, non eam theologo fidem faciunt quam quae in dogmaticis instructionibus, epistolis etc. facere possunt. Nam multa in eiusmodi libris exaggeratius proferuntur: neque id mirum, quum oratoribus omnibus id solemne sit: multa quoque consilium potius spectant, quam praeceptiones. Heic iterum exclamat Concina p. 279. non aliter Dallaeum patrum testimonia pro catholicis dogmatibus declinare, quam illos dicendo rhetoricis flosculis, atque amplificationibus oratoriis saepe usos fuisse. At ego primum miror, haec nobis ab eo homine obiici, qui p. 282. Christophori Matthaei Pfaffii verba recitat, haeretici nempe professoris, cui scandalo sunt *Probabilismus*, *attritionis sufficientia etc.* Quid enim si Concinam urgeam hoc argumento? *Mi pater, non pudet te probabilismum, attritionis sufficientiam tam acriter insectari? Id etiam, si nescis, haeretici faciunt: horum tu sequare vestigia?* Deinde plane non intelligo qui fieri potuerit, ut tot librorum auctor, tantus concionator, tam ingeniosus theologiae doctor, latum non viderit Dallaeum inter, et nos quod intercedit discrimen. In homiliis, atque id genus commentariis etsi rhetoricae arti indulgeant patres, non ea tamen sine crimine potuerunt credenda proponere, quae essent a catholica fide aliena: contra quamquam ne ea quidem potuerint edocere facienda quae cum christianis legibus pu-

gnant (neque id ullus negabit) ad illa hortari facile poterant auditores suos, quae praecepti non sunt, sed consilii, illisque ad id uti exaggeratioribus verbis, quae praeceptum prima fronte exhibeant. En cur eiusmodi testimonia minoris sint apud moralem theologum, cuius est non quid melius perfectiusque sit, sed quid liceat, salva lege, disquirere.

Can. 6. Inconsultum est ea patrum loca seligere, ubi patres aliud omnino tractantes, aliquid occasione accepta de altera re paucis indicant, iis neglectis, ubi hanc materiam ex professo examinent.

Can. 7. In patrum sensu investigando hae maxime regulae servandae sunt. I. Quae in libri vel capitis contextu sunt, consideranda diligenter. II. Similes et dissimiles loci eiusdem patris conferendi. III. Tempus quo liber ille editus a patre quopiam attendendum. Nam facile ex occasione scribendi libri mens auctoris innotescet: intelligemus etiam, num fortasse eo tempore pater ille praeconcepta aliqua opinione occupatus fuerit, quam postea ipsum exuisse probabile aut etiam certum sit. IV. Alios patres huic, de cuius mente quaerimus, syncronos consulemus; quid enim hoc vel illo saeculo, ea vel ista vox significarit, quo spectare possit huius vel alterius moris notatio, facilius comperiemus. Exemplum esto illud Cypriani *epist.* XII. ubi permittit ut absente sacerdote infirmi *apud diaconum quoque* exomologesim *facere delicti sui possint.* Neque enim hinc fit, diaconum fuisse tunc sacramentalis confessionis ministrum. Nam non haec solum *exomologesis* nomine denotatur, sed etiam canonica reconciliatio publicae poenitentiae, quam Tertullianus *lib. de poenit. c.* 6. *prosternendi et humilificandi hominis* disciplinam appellat. Vide Benedictum XIV. *de S. D. lib.* 7. *cap.* 16. *num.* 5. *seqq.* V. Ex dubiis patrum operibus ipsorum mentem expiscari imprudentis est, ubi certa atque ab omnibus recepta eorumdem opem suppetant. VI. Si de graeci auctoris mente dubitatio oriatur, non ex versionibus quae saepe numero vitiosa sunt, sed ex graeco exemplo controversiam dirimemus.

Can. 8. Cavendum ne apocrypha ac sublestae fidei opera citemus; itemque curandum, ut non ex aliorum fide patrum locos afferamus, sed ipsos codices consulamus, editionesque maxime probatas, cuiusmodi quae Ducaei, Petavii, Sirmondi, Gretseri, Raderi, Pontani, Schotti, Vigerii, Possini, Labbaei, maurinorum patrum studio, atque opera prodierunt. Enimvero fatendum est in his recentiores illos, qui patrum theologiam commendant, casuistis praestare, praesertim elapsi saeculi. At non id mirum. Nam neque quo illi scripsere aevo, tantis aucta fuerat ars critica incrementis, neque singula eiusmodi diligentius persequi vacabat hominibus, non modo voluminum suorum conscribendorum mole obrutis, sed saepissime in alia omnia ex moderatorum suorum iussis, ipsorumque instituto distractis. Dent tamen mihi hanc veniam casuistarum reprehensores, ut confidenter pronunciem, quo magis diligentia et critica antiquioribus casuistis antecellant Natalis Alexander, Genettus aliique eiusmodi, eo magis istis illos praestare testimoniorum delectu, ac ratiocinandi vi. Nam saepe magna illa patrum congeries, qua illi gloriantur, si in ea testimonia ad leges *can.* 7. praescriptas diligentius inquisieris, inanis est, nihilque minus probat quam id cuius gratia cogitur.

Cap. III. De romanorum pontificum decretis eorumque usu in morali theologia

Canones in usu pontificiorum decretorum servandi.

Iis qui moralem theologiam tradunt cavendum cumprimis est, ne quidquam doceant, quod cum pontificum romanorum decretis pugnet, caeteris vero, qui facultati eidem dant operam, ipsa illa decreta sedulo sunt evolvenda, ne theologorum, qui antequam sanctiones illae prodirent sua scripta vulgarunt, auctoritate in errorem pertrahantur. Haec porro decreta plura quidem sunt, ut eum de morali theologia optime meriturum censeam, qui ad iuris canonici normam illa plures in classes redigeret, singulis latissimae huiusce scientiae tractatibus respondentes. Praecipua tamen in novissimis casuistarum editionibus, ut La Croixii, Tamburini, Bonacinae, Vivae invenies, quae e typographio Remondiniano prodiere.

Quae autem leges in usu horum decretorum servandae? Multae ex iis peti possunt, quas infra proferemus. Interea has habe:

Can. 1. Videndum, an quae citantur decreta genuina sint. Hinc frustra quidquam efficies ex falsis pontificum decretalibus usque ad Siricium quas critici omnes explodunt.

Can. 2. Cave, ne quod merae disciplinae praeceptum fuit, id ad morales quaestiones decidendas trahas. Nam quod olim disciplina vetabat, idque sub gravi, nunc ad meram consilii legem revocari facile potest. Sic Nicolaus I. ad consulta bulgarorum c. 9. respondit, in quadragesima

esse a coniugibus *omni voluptati renunciandum, et ut licenter orationi vacetur, castitati mentis et corporis incumbendum,* quis autem nunc inferat, non licere quadragesimae tempore opus coniugii? Vide Bened. XIV. *de syn. dioec. l.* 5. *c.* 1. *n.* 8.

Can. 3. In iis quaestionibus in quibus de valore alicuius rei agitur, puta matrimonii, frustra pontificum decreta citantur, quae solum illicitum aliquid statuunt. Sic si de matrimonii clandestini valore quaeritur; perperam allegaretur Siricii decretum in epist. ad Himerium *c.* 4. volentis sacerdotali benedictione obsignari sponsalia de futuro; nam ne dicamus, etiam promissionem matrimonii inanem fuisse sine sacerdotis benedictione, dicendus est pontifex praeceptum tantummodo imposuisse, quod illicita redderet non invalida sponsalia absque sacerdotis benedictione. Confer Bened. XIV. *de syn. dioec. l.* 8. *c.* 12. *n.* 5.

Can. 4. Pontificis decreto aliquid universim permittenti non derogatur per subsequentia decreta quae in specialibus quibusdam casibus illud limitant. Innocentius III. ex. gr. *in c. A nobis* 9. *de cohabitat. cleric. et mulier.* ait: *Cum clericis quoque non permittas mulierculas habitare nisi forte de illis personis existant, in quibus naturale foedus nihil permittit saevi criminis suspicari.* Contra nannetense concilium incerti anni, cuius constitutio inserta fuit compilationi decretalium Gregorii IX., etiam *matrem, amitam, sororem* a clericorum domibus excludit, scilicet cum de hoc aut illo agitur, cuius depravati sunt mores, et cum qualibet prorsus muliere consuetudo suspecta. Itaque uti scite monet Bened. XIV. *de syn. dioec. lib.* 11. *c.* 4. *n.* 7. Decretalis Innoc. III. regulam constituit universalem communiter observandam; decretum autem nannetense a Greg. IX. probatum ponit regulae limitationem in specialibus tantum quibusdam eventibus adhibendam.

Can. 5. Pontificis aliquid permittentis verba non licet ad sensum trahere catholico dogmati repugnantem, aut ab obvio verborum quibus decretum illud editum est, sensu alienum. Contra hunc canonem peccant, qui Innoc. I. verba in epist. ad Decentium: *Quod* (oleum sacrum) *ab episcopo confectum, non solum sacerdotibus, sed et omnibus uti christianis licet in sua aut in suorum necessitate ad ungendum,* qui, inquam, ita haec interpretantur, ut omnes christianos extremae unctionis ministros Innocentius indicarit. Porro cum Maldonato, aliisque a Bened XIV. citatis *de syn. dioec. l.* 8. *c.* 4. *n.* 3. verisimillimum est, locutum fuisse Innocent. de unctione non *activa* sed *passiva,* hoc est non de collatione, sed de receptione sacramenti, quum essent qui oleo sancto solos inungi posse censerent, a quibus conficitur, sacerdotes. Certe ipsum verbum *uti* hoc indicat.

Can. 6. Si pontifex aliquid concedat quod prius negaverat, ex priore illa negatione, quid per ipsum deinde licuerit, optime intelligitur. Hinc quum s. Greg. Magnus *lib.* 4. *epist.* 26. calaritanis praesbyteris facultatem *ungendi in fronte baptizatos infantes* concedit quam iisdem *ep* 9. denegaverat, de unctione confirmatoria locutum illum fuisse constat etiam *ep.* 26. quum manifestum sit, eam unctionem prius *ep.* 9. fuisse illis a pontifice denegatam. Vide Bened. XIV. *de syn. dioec. lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 5.

Can. 7. Privilegiorum per pontificem universalis abrogatio non impedit, quominus alicui abrogata privilegia iterum per alium pontificem aut etiam per eumdem concedantur. Hinc etsi communi scriptorum suffragio post s. Pii V. constitutionem *Sanctissimus in Christo* non licet ullibi celebrare missas in pervigilio nativitatis ante mediam noctem, esto ex vi praecedentium privilegiorum id olim in ecclesiis aliquot obtinuisset: tamen is mos etiamnum in quibusdam Venetiarum templis licite perseverat vel ob alia privilegia posteriore aevo indulta vel ob veterum privilegiorum confirmationem. Confer Bened. XIV. *de syn. dioec. l.* 6. *c.* 8. *n.* 9.

Can. 8. In pontificiis constitutionibus quae aliquid faciendum praecipiunt, notandum est cumprimis quos illae afficiant, tum quae ad illud praecipiendum rationes pontificem impulerint.

Consectarium 1. Ex decretali Innoc. III. qua presbyteris apud Constantinopolim constitutis districte prohibetur, ne confirmationem conferant, male infertur irritam esse illicitamque confirmationem a graecis sacerdotibus collatam. Nam Innocentius de latinis sacerdotibus expresse loquitur. Vide Bened. XIV. *de syn. dioec. l.* 7. *c.* 9. *n.* 3.

Consectarium 2. Graecis sacerdotibus universim non licere confirmationis sacramentum conferre etiam male infertur ex Nicolai I. constitutione bulgaros a sacerdotibus consignatos iterum confirmari iubentis. Nam aliis omnino ad id ductus est Nicolaus rationibus, quam quae id graecis omnibus sacerdotibus prohibitum efficiant. Bulgari nempe, inquit citato loco Bened.

xiv. confirmationem receperant a sacerdotibus qui Photii errore imbuti eam contulerant iure ordinario, existimantes nimirum potestatem eam conferendi et episcopis et sacerdotibus pari iure competere; praeterea iidem sacerdotes delegati fuerant a Photio moecho et invasore, uti loquebantur apostolici legati, hoc est pseudopatriarcha cui propterea legitimi patriarchae iura non conveniebant: tandem Bulgaria pertinebat ad patriarcham occidentalem, atque ideo delegatio, de qua est sermo, a romano pontifice graecis presbyteris sive expresse sive tacite facta, ministrandi confirmationem in patriarchalibus orientis, nequaquam iisdem presbyteris id ipsum in Bulgaria peragere permittebat.

Can. 9. Ubi pontifices aliquam propositionem damnant, in sensu potissimum quo ab auctoribus edita est damnasse illam censendi sunt.

Consectarium 3. Quid damnaverit Alexand. viii. dum propositionem confixit, aientem *non licere sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*, ex Sinnicchio, ex cuius libro excerpta est, potissimum est desumendum.

Can. 10. Ex alicuius propositionis pontificia damnatione non licet inferre damnationem alterius quae alteri omnino rationi innititur. Exemplum esto. Damnavit Clemens viii. asserentes, *licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere*. Urbanus tamen viii. ann. 1632. non solum statuit valide impendi absolutionem, quando aegrotus coram uno vel altero teste signa contritionis exhibet, deinde superveniente confessario nullo externo signo confitendi voluntatem ostendit, constat tamen ex relatu internuntii aegrotum ostendisse signa contritionis et confitendi voluntatem: sed etiam declaravit id non repugnare decreto Clem. viii. *cum diversam contineat rationem*. Consule Bened. xiv. *l.* 7. *de syn. dioec. c.* 15. *n.* 8.

Can. 11. Ex eo quod pontifices aliquid sub anathematis poena prohibeant non fit illud semper *de se* grave esse peccatum. Sic Gregor. ii. in concilio romano ann. 721. anathemate perculit clericos comam nutrientes; quod secundum se lethalis criminis accusare durum est. Confer. Bened. xiv. *de syn. dioec. l.* 10. *c.* 3. *n.* 1. *et seq.*

Can. 12. Ubi pontifices aliquid prohibent, ad circumstantias attendere oportet prohibitionis. Huc transfer dicta *can.* viii.

Can. 13. Si quid pontifices prohibuerint, videndum num vivae vocis oraculo ita mentem suam explicuerint ut locus non sit argumentationi ad alium omnino casum Ita plures theol. defendunt etiam post Sixti v. constitutionem *Detestabilis*, licitum esse trinum contractum; *Cardinalis enim Toletus et cardinalis s. Severina, quibus munus mandatum fuit a Sixto v. componendae legis seu bullae* Detestabilis, *affirmarunt p. Stephano Tuccio theologo societatis Iesu noluisse Sixtum sua lege prohiberi nisi iniustos contractus; quare qui ante legem latam iusti erant* (huiusmodi autem fuisse trinum contractum multi confirmant) *post latam quoque licere* ut scribit doctus Comitolus *respons. mor. l.* 3. *q.* 12. *n.* 3.

Can. 14. Videndum praeterea est num posteriores pontifices latam a decessoribus suis prohibitionem restrinxerint. Sic quum Sixtus v. inter crimina graviora sub degradationis poena clericis prohibita numerasset abortum foetus etiam inanimati vel per se vel per alios procuratum, effectu sequente, Gregor. xiv. ad abortum solius foetus animati Sixtinam restrinxit.

Can. 15. Et illud animadvertendum, num pontificia constitutio aliquid prohibens alicubi recepta non sit quod de s. Pii v. constitutione *Cum onus*, gravissimi doctores apud Bened. xiv. *de syn. dioec. l.* 10. *c.* 5. *n.* 5. narrant, in Gallia scil. Belgio et Germania non esse illam receptam.

Cap. IV. De conciliis

§. 1. *Quid et quotuplex sit concilium quotque synodalium canonum classes.*

Synodi vel concilii nomine (eadem quippe res est) patres nostri intellexerunt sacerdotes, praesertim episcopos, in locum unum congregatos ut causas eas scilicet definirent quae ad ecclesiae sive fidem sive mores pertinerent. Neque audiendi lutherani iique inter recentiores iansenianos perditissimi, qui novum concilium atque omnibus retro saeculis inauditum appellant, ubi non episcopi et sacerdotes de fidei quaestionibus iudicent, sed laicorum turba. Vide Canum *lib.* 5. *cap.* 2. Bellarminum *de concil. lib.* 1. *cap.* 5. *et* 16. et illustriss. de Soissons *documento pastorali* 2. §. 61.

Quod vero ad conciliorum genera spectat, ea Gratianus 3. *dist. ca. Regula ea*, bifariam partitur, in generalia et provincialia, quibus Canus *cap.* 3. *lib.* 5. *de locis theologicis*, episcopalia addit. Receptissima hodie divisio est quae synodos in generales, nationales, provinciales et dioecesanas tribuit. Generales dicimus, ad quas romani pontificis vocatione omnes aut praecipua christianorum episcoporum pars congregantur. Nationalia concilia sunt, cum a primate omnes unius regni ac nationis

pontifices coguntur, uti quae ab unius provinciae episcopis a metropolitano evocatis celebrantur, provincialia consuevimus appellare. Tandem dioecesana sunt synodi sacerdotum quae ab episcopis singulis in sua dioecesi haberi solent ob privatas singularum ecclesiarum causas.

Hac divisione posita et omnium assensu approbata, altera assumitur conciliorum sive generalium sive nationalium sive provincialium sive dioecesanorum, quaedam esse congregata romani pontificis auctoritate, alia vero non item. Rursum alia confirmata sunt ab eodem romano pontifice, alia vero non ab eo confirmata.

Tria autem in quolibet concilio pertractari possunt, ea scilicet quae ad fidem, mores atque ecclesiasticam disciplinam spectant. Quamobrem conciliorum canones alii fidei sunt, quibus nempe quae credenda sint, quaeque a fide abdicanda definiuntur; alii morum qui quae agenda sint aut fugienda docent; alii demum disciplinae quibus consuetudines ad ecclesiarum regimen et ordinem aptissimae constituuntur.

§. 2. *De vero usu conciliorum in morali theologia.*

Can. I. Concilia omnia quae romani pontificis auctoritate, nec congregata nec confirmata sunt, errare in doctrina morum possunt atque adeo certam fidem facere nequeunt eorum quae agenda sunt aut effugienda.

Id sane invicta ratione demonstrari potest. Nam eiusmodi concilia errare in fide possunt ut a Cano, Bellarmino, Suario aliisque theologis demonstratum pridem est ex certissimis pontificum romanorum ipsorumque conciliorum testimoniis. Quid ergo mirum, errare illa posse in morum doctrina? Sed ex tribus provincialibus conciliis exemplum profero. Matrimonium naturali et evangelica aut certe hac altera lege dissolvi non posse, ne per adulterium quidem alterutrius coniugis, certum habet firmumque catholica ecclesia. Adulterio tamen dissolvi posse coniugium, statuit anglicana synodus apud Bedam *l.* 4. *hist. cap.* 5. cui accedunt suessionensis et vermeriensis sub Pipino rege octavo saeculo celebratae. Reddo vermeriense capitulum 2. *Si aliquis cum filiastra sua manet nec matrem nec filiam ipsius potest habere. Nec ille nec illa filiastra aliis se poterunt coniungere ullo unquam tempore. Attamen uxor eius, si ita voluerit, si se continere non potest, si posteaquam cognovit quod cum filia sua vir eius fuit in adulterio, carnale commercium cum eo non habet, nisi voluntate abstinet, potest alii nubere.* Neque de adulterio hoc solum statuit vermeriense concilium. Audi quo progrediatur eiusdem concilii capitulum quintum. *Si qua mulier mortem viri sui consiliarit aliis hominibus, et ipse vir ipsius homines se defendendo occiderit et hoc probare potest, ille vir potest ipsam uxorem dimittere, et si voluerit, aliam accipiat.*

Can. 2. Concilia quaecumque, sed generalia praesertim quae pontificia auctoritate confirmata sunt, certissimam doctrinae regulam praebent morali theologo. Inter dioecesana concilia a romano pontifice probata censetur complutense sub Alphonso Carillo archiepiscopo toletano, ubi damnatus est magister quidam oxomensis qui falso de clavibus et sacramento poenitentiae sentiebat. Inter provincialia vero et nationalia, praeter antiquiora illa toletana, harelatensia, hispalensia etc., licet non expresse, implicite tamen ab ecclesia silentio suo probata, ancyranum, neocaesariense, gangrense, sardicense, africanum et chartaginensia a Leone IV. 20. *dist. ca. de libellis*, confirmata habentur, atque ut ex recentioribus exemplum proferam, turonense 1563. probavit Gregorius XIII., ebredunense a. 1727. Benedictus XIII., montis libani Benedictus XIV. Caeterum veritatem huius canonis probant sacrarum controversiarum scriptores quos adi.

Can. 3. Ex conciliis quae probata quidem non sunt a romano pontifice, sed ne damnata quidem ab ipso fuerunt, probabile argumentum sumitur uti ad fidei dogmata suadenda, ita et ad doctrinas quae ad mores spectant stabiliendas. Huius rei vel illud abunde magnum argumentum est quod ex innumeris conciliis eiusmodi paucissima reperiuntur quae a recta doctrina declinarint.

Can. 4. Conciliorum decreta, quae ad disciplinam spectant, cave ne cum iis quae ad mores, confundas. Nam canones morum varietati obnoxii haud sunt: contra canones disciplinae pro locorum ac temporum diversitate mutari possunt. Vide Thomassini egregium opus *de beneficiis ac disciplina ecclesiastica* remque plane perspicies; ut mirum sit vaniloquos quosdam nonnisi veterem disciplinam praedicare.

Consectarium I. Claudicat argumentatio ex disciplina ecclesiastica regionis cuiuspiam aut vetustioris saeculi, si aut ubique illa recepta non sit aut contraria lege abrogata fuerit. Hinc optime Croix *l.* 6. *p.* I. *num.* 675. statuit cum s. Thoma, Suario aliisque theologis, licitum non esse *dare communionem ad explorandam aut suscipere ad probandam innocentiam*,

etsi wormatiense concilium olim praescripserit, ut si in monasterio furtum perpetretur aut episcopo imputetur scelus, monachi communicent dicentes: *Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie.* Nam, ut mittam hoc concilium provinciale fuisse, neque a pontifice approbatum, contrariis romanorum pontificum constitutionibus ea lex deleta est.

Consectarium 2. Aliquid in quapiam dioecesi illicitum esse potest, quod in aliis liceat. Cum enim episcopi in suis dioecesibus singuli aliqua praecipere etiam sub gravi possint, ut certum est; facile fit ut quis in sua dioecesi aliquid statuat quod alibi non vigeat. Sic in dioecesibus turonensi et burdigalensi ex decreto conciliorum synonymorum, turonensis ann. 1583. et burdigalensis ann. 1582. non licet fidelibus *a missis provincialibus diebus dominicis et festivis abesse.* Nemo autem prudens hinc arguat ne in aliis quidem dioecesibus id licere.

Can. 5. Conciliorum decreta ex sensu et more temporum quibus conditi sunt interpretabimur. Vide Sirmondum in antirrheticoadversus Petrum Aurelium t. IV. operum Paris. edit. *col.* 270. et in altero antirrhetico, in quo explicationem suam canonis antissiodorensis: *Non licet vitula aut cervulo facere*, pluribus argumentis confirmat.

Can. 6. Formulae ipsae conciliorum ad stylum et barbariem saeculi, quo celebrata sunt, exigendae erunt; neque enim *communio*, *impositio manuum*, aliaque id genus sexcenta, idem omnibus saeculis significarunt. Quamobrem Glossarium Cangii a maurinis patribus egregie locupletatum usui maximo esse poterit morali theologo in canones conciliorum diligentius inquirere volenti.

Can. 7. Editiones conciliorum sunt maxime consulendae, quae nostro aevo prodiere, Cossartii, inquam, et Labbei, Harduini et Coleti ac Mansii. Nam in veteres, vel editorum incuria vel subsidiorum ad illas ornandas defectu plura sphalmata irrepsere. Nota est eruditis controversia quae saeculo sextodecimo in Galliis efferbuit Sirmondum inter et Larvatum Petrum Aurelium de genuina lectione primi canonis arausicani I. concilii. Quid? Quod audendum quandoque aliquid; neque post tot doctorum virorum labores dubitandum quin aliqui canones etiamnum male vexati sint, et correctoria manu indigeant. Quamobrem optimo consilio factum videmus ab eruditissimo Ioanne Dominico Mansio, ut accessiones emendationesque plurimae suo studio ac diligentia prodirent ab labbeanam conciliorum editionem Venetiis recusam locupletandam et corrigendam. Cave autem potissimum ne multum fidas canonibus conciliorum quos Gratianus in suum decretum ex depravatis utique libris intulit, sed illos cum maioribus illis amplissimisque editionibus confer.

Can. 8. Non omnia quae in conciliis repereris ad mores spectantia, praecepta fuisse credito, sed eorum multa ex pio consilio prodiere, atque adhortationem magis sapiunt quam praeceptionem. Id maxime tenendum. Nam moralis theologi est inquirere, quid tuta conscientia fieri possit, non vero quid perfectius sit et christiano homine dignius. Quod si animadvertissent ex iis plures qui theologias ex pp. et conciliis nostra aetate emiserunt in lucem, casuistis invidiam conflaturi, non tam saepe ab instituto moralis theologi aberrassent. Egregie monet concilium mediolanense v. *p.* I. de his quae ad dies festos et sacra tempora pertinent: *Quadragesimalibus aliisque ieiunii, poenitentiae et publicae supplicationis diebus, fideles se vitae disciplina severiore adstringant, sanctisque institutis et moribus sacro illi tempori convenientibus, se, suosque qui patresfamilias sunt, quam rectissime in omnes partes conforment.* Quid hac institutione praeclarius? Nemo tamen theologorum haec in medium attulerit ut probet, eum violati ieiunii ecclesiastici reum futurum, qui isthaec haud servarit. Inquirant interea alii in hanc propositionem p. Besombes qui illo testimonio utitur *t.* I. *tract.* I. *c.* 4. *art.* 4.: *Non solum ieiunium ecclesiasticum observandum est modo ab ecclesia praescripto, sed etiam ea adiuncta observanda sunt* (praeceptum ne an consilium haec significent quis divinet in eiusmodi libris?) *sine quibus ieiunium non potest esse vel salutare vel meritorium vel virtuosum.* Disiunctio haec *vel salutare vel meritorium vel virtuosum*, digna ne sit theologo non quaero; etsi scio idem esse theologis, actionem quampiam meritoriam ac salutarem esse. Illud libentius inquirerem, cur ieiunium, *nisi motivo supernaturali assumptum fuerit, cumque aliis virtutibus christianis coniunctum, atque adeo cum aliis mortificationibus, cum silentio, cum solitudine, cum vigiliis* (haec enim adiuncta sunt quae ibidem observanda Besombes praescribit) *virtuosum* esse non possit; *virtuosum*, inquam, eo sensu, qui meritum aeternae salutis non includat, et quem disiunctio illa *vel salutare vel meritorium vel virtuosum* palam indicat? Sed odiosa isthaec quaestio aliis fortasse videbitur, certe non huius loci. Ad alia transeo.

APPENDIX I. DE IURE UTROQUE CANONICO ET CIVILI DEQUE EIUS USU IN MORALI THEOLOGIA

§. I. *Iuris utriusque canonici et civilis notitiam theologo morali necessariam esse.*

Alvarus Pelagius ordinis minorum in libris *de planctu ecclesiae* quos a se Compostellae recognitos an. 1340. ipsemet scribit, ait *lib.* II. *cap.* 20.: *Recurrat ergo quilibet pro casibus ad iurisperitos, non ad religiosos, cum isti communiter ignorent canones.* Quae sane ignorantia oppido turpis noxiaque erat, multis de causis. Nam Caelestinus papa relatus *c. Nulli, dist.* 38. pronunciat: *Nulli sacerdotum* (multo igitur minus confessariorum) *liceat canones ignorare.* Praeterea (quod ex Augustino citatur *de poenit. dist.* I. *cap.* I. §. *caveat*): *Caveat spiritualis iudex ut sicut non commisit crimen nequitiae, ita non careat munere scientiae. Oportet ut sciat cognoscere quidquid debet iudicare; iudiciaria enim potestas hoc postulat, ut quod debet iudicare discernat.* At pene innumera sunt in morali theologia quae sine canonum scientia definiri non possint. Ut si exempli causa veniat in dubium, an hic aut ille homo irregularis vel excommunicatus vel interdicto aut suspensioni obnoxius? Item an delegatus possit subdelegare? An episcopus in his illisve possit dispensare? An ecclesiae pastor rite sit electus? Num iudex ecclesiasticus causam in iudicio legitime definierit? In his aliisque sexcentis huius generis, theologus insolentissimus erit si absque canonibus atque iurisperitis inconsultis sententiam ferre ausus fuerit. Plura vide apud Canum de locis theologicis *lib.* 8. *cap.* 6. Ineptit autem iureconsultus Michael Ferro Manrique, qui theologis litem intentat, quod ad quaestiones iuridico-morales excurrant et canones interpretentur. Cavillosum hominem bene carminatum dimisit p. Georgius Gobat in *vindiciis theologicis* Friburgi helvetiorum editis an. 1654. quas videsis.

Atque hinc constare puto, iuris quoque civilis notitiam non utilem modo theologo morali esse, sed et necessariam. Nam multa sunt in theologia morali quae ex iuris civilis institutis pendent, neque aliter definiri possunt, quam legibus.

§. 2. *De usu utriusque iuris in morali theologia.*

Illud heic primum officii nostri esset ut quae ad citationes legum pertinent describeremus. At La-Croix in dudum tradidit *l.* I. *tract.* 2. *num.* 878., ut ex hac parte nihil in eo desideres, quod in Besombes theologia nonnulli suspiciunt praedicantque. Si porro auctores adieris quos ille citat sub finem *n.* 879., multa disces ad usum utriusque iuris in morali theologia maxime utilia.

Interea quae nuper de usu conciliorum praescripsimus, in iure canonico et civili servanda quoque erunt. Exemplis rem confirmo. Canone 6. diximus, id maxime curandum ut formulas conciliorum ex temporis, quo illa celebrata sunt, usu ac significatione interpretemur. Id dictum esto de iuris utriusque formulis. Lepidum est quod pridem animadvertit Lamindus Pritanius seu Ludovicus Antonius Muratorius vir celeberrimus, in libro inscripto: *Riflessioni sopra il buon gusto, part.* 2. *cap.* 7. Statuunt magni nominis theologi quibus assentitur Busembaum *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 3. *heic num.* 92. laico homini vetitam esse cum acatholico de fide tractationem, idque ex iure probant. Legimus enim *cap. Quicumque*, §. *inhibemus, de haereticis in* 6.: *Inhibemus quoque ne cuiquam laicae personae liceat publice vel privatim de fide catholica disputare.* At canonem hunc Alexandri IV. perperam trahi ad hanc quaestionem, intellexissent viri illi caeteroqui doctissimi, si XIII. saeculo, quo canon ille editus est, clerici et laici nomina alio omnino sensu quam quo a nobis hodie usurpantur, adhibita fuisse perpendissent. Clericus nempe is dicebatur qui litteris eruditus esset; contra laicus qui litterarum plane rudis. Plura in hanc rem ibidem documenta illius aevi affert Muratorius; plura invenies apud Cangium in Glossario *mediae et infimae latinitatis.* Quamobrem longe aliter canon ille interpretandus neque putandum, saecularibus eo prohiberi disputationes cum infidelibus de nostris religionibus, sed illiteratis sive saeculares ii sint sive ecclesiastici, quos nos ex recepto apud nostrates vocabulo clericos dicimus. Id quidem non probatur Danieli Concinae. *Quis enim,* ait ille *t.* I. *theol. dogm. pag.* 213., *dixerit ecclesiam adhibuisse voces clericus vel laicus iuxta significatus peculiares cuiusdam nationis et plebis, iuxta acceptiones varias adductas in Glossario Du-Fresne?* At nihil hac ratiuncula imbecillius. Galli, itali, angli (quod ex testimoniis constat a Muratorio ac Du-Fresnio citatis) clerici et laici nomina, quo tempore decretum Alexandri editum est, passim ad eruditum indoctumve virum significandum usurpabantur. Et mirabimur pontificem hoc laici nomen sensu adhibuisse? Si enim Honorius III. *cap. Ex parte de cler. coniug. litterati* nomine usus est, quo sacros homines a nobis clericos dictos designaret, quidni eiusdem saeculi pontifex Alexander laici no-

mine hominem sine litteris denotaverit?

Illud etiam canone VII. statuimus ut in veritatem conciliarium sanctionum diligenter inquireremus, eas cum accuratis editionibus conferendo. Quid ad utrumque etiam ius de quo agimus, in moralibus materiis allegandum opportunius? Certe cod. Theod. *de sententiis ex periculo recitatis* vel in ipso hoc titulo mendum latere suspicatus est non iniuria eruditissimus Sirmondus qui *ex pariculo* legendum monet; legem quoque *de nuptiis celebrandis* a Triboniano tantum non fabricatam ac Theodosio perperam suppositam, idem Sirmondus *in quaestione triplici* sensit, etsi Iacobus Gothofredus germanam putat atque Arcadio tribuit.

Praeterea haec tria praescripsimus. Videndum I. num leges quas proferimus vel consuetudine vel recentiore lege antiquatae non sint? Tum enim eruditionis iactandae causa afferri poterunt, non autem ad conclusionem comprobandam. II. Considerandum an ius civile a canonico sit emendatum, nec ne? III. In decretis pontificum duo cumprimis distinguenda sunt cum Cano *de locis theol. lib.* 6. *cap.* 8. Unum est tamquam intentio conclusioque decreti, idque nefas est erroris insimulare: alterum quasi ratio et causa a pontifice reddita eius rei quam constituerit: quae non necessaria quandoque esse potest ac parum apta et probabilis.

In canonibus vero, quos in decreto Gratiani repereris, ut alias monui, critica opus est. Nam bonus ille multa sine delectu, vel ex apocriphis libris aut certe corruptis, interpolatisque exemplis hausit. Tandem in universum moneo in iure canonico citari scripturas, patres, pontifices, concilia. Quamobrem de textuum vel auctoritate vel sensu, ex iis quae circa singulos hosce theologicos locos statuimus, diiudicandum erit. Iurisperitorum quoque consensio concorsque sententia, ubi de moribus ecclesiasticis, deque religiosis caeremoniis et officiis ministrorum ecclesiae disseritur, quatenus haec omnia disponuntur legibus positivis, theologo magnam fidem facere potest, atque adeo debet, ut probat Canus *lib.* 8. *cap.* 7. et Gobat. *in vindiciis theologicis sect.* 15.

Appendix II. De libris poenitentialibus

Can. 1. Veterum librorum poenitentialium utilis est lectio confessariis ad aliqualem, ut loquitur Benedictus XIV. *De synodo dioecesano lib.* 11. *c.* 11. *num.* 5. proportionem servandam inter diversas peccatorum species et poenitentiam pro singulis imponendam; ac praeterea ut iidem confessarii inde argumentum desumant ad aperiendam poenitentibus admissorum scelerum gravitatem. Hinc in pluribus synodis eorum lectio commendata. Confer Benedictum XIV. *de syn. loc. cit. n.* 6.

Can. 2. Veteres libros poenitentiales magnificare, ut praesentis ecclesiae disciplinam reprehendas, impium est ac detestandum. Vide Francolinium toto egregio opere inscripto: *Clericus romanus contra nimium rigorem munitus.*

Can. 3. Damnandi sunt qui veteris ecclesiae disciplinam circa poenitentes instaurare conantur.

Cap. V. Quae et quanta sit casuistarum auctoritas quaeque in eorum usu servandae regulae sint

Can. 1. Si qua in quaestione universi casuistae eadem inter se concinunt, aientes aliquid licitum esse, haeresi proximum est ab eorum opinione discedere. Plura in hanc rem ex Cano *lib.* 8. *cap.* 4. transferri possent. Sed illud sufficiat theologos universos, si in ea re errant, ecclesiam item errandi periculo exponere. Sive enim qui confessiones audiunt, sive qui ad populum habent conciones, utrique plebem instruunt, ut a theologis acceperunt. Ita fit, ut ecclesia eorum in doctrina morum communem errorem dissimulando Christi fideles suo silentio deciperet. *Error enim cui non resistitur approbatur; et veritas, quum non defenditur, opprimitur*, ut Innocentius ait 83. *dist. error.* Dixi autem: *aientes aliquid licitum esse;* nam minor errandi et peccandi occasio erit, si licere universi negent, quod revera liceat, quam si licere affirment, quod minime liceat. In eo enim casu, qui eorum doctrinam sequetur, tutiorem eliget, nullique salutis periculo sese obiiciet.

Can. 2. Ex auctorum fere omnium casuistarum communi sententia usque adeo probabilia sumuntur argumenta, ut (nisi plane gravis et nemini observata ratio aut auctoritas, sed clara atque perspicua obstet) illis refragari temerarium sit. Vide Canum *ibidem*, La-Croix *lib.* 1. *tract.* 1. *num.* 469.

Can. 3. Theologorum casuistarum etiam multorum testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobarit. Ex Cano ibidem et La-Croixio *ibidem n.* 136. *et seq.*

Can. 4. Non ideo *praecise* probabilis censeri debet opinio quaepiam quod ab aliquo iuniore auctore doceatur. Nam Alexander VII. hanc 27. propositionem damnavit: *Si liber sit alicuius iunioris et*

mouerni, debet opinio censeri probabilis, dummodo non constet reiectam esse a sede apostolica tamquam improbabilem. Adi Vivam in eam propositionem, et La-Croix *ibidem num.* 153.

Can. 5. Unicus auctor si sit omni exceptione maior (quis porro eiusmodi dicendus sit, disces ex La-Croixio *n.* 160. *et seqq.*) afferatque rationem, quam alii non considerarint, vel non satis solverint, ipse autem aliorum rationes commode solvat; quamvis doceat contra communem, poterit reddere opinionem probabilem. Id innuimus *can.* 2. et confirmat citatus La-Croix *n.* 155.; sed ne cavillis locus sit, adverte omnia: non dixi, *Unicus auctor, si sit omni exceptione maior, et doceat contra communem opinionem*; id enim pugnat cum eodem nostro *can.* 2. ac in damnatam ab Alexandro VII. 27. propositionem delaberetur: *sed afferat rationem quam alii non considerarint, etc.* Ait quidem Christianus Lupus in dissertatione *de opinione probabili cap.* 2. Caelestium haeresiarchae Pelagii collegam ita sensisse. Etenim in carthaginensi synodo, quum dixisset circa originale peccatum utramque contradictionis partem esse probabilem, et negativam probari variis catholicae ecclesiae doctoribus, a s. Paulino diacono rogatus ipsorum nomine respondit: *Sanctus presbyter Ruffinus, Romae qui mansit cum s. Pammachio. Ego audivi illum dicentem quia tradux peccati non sit.* Et rogatus alios nec valens adducere plures, denuo reposuit *c.* 3. *non tibi sufficit unus sacerdos?* At quid haec ad rem praesentem? Ruffini sententia cum scripturis aperte pugnabat: praeterea quam suae assertionis rationem afferre poterat a reliquis patribus non satis consideratam? Tandem quei catholicorum ceterorum argumentis faciebat satis? Si quid intelligo 27. propositio ab Alexandro VII. confixa stulto Coelestii exemplo infirmari potest, non autem canon hic noster.

Can. 6. In re tamen, quae maxime obscura sit, unius auctoris contra communem opinionem sententia examen diligens postulat, antequam ea duci te sinas. Egregium est in hanc rem Augustini testimonium de baptismo *lib.* 3. *cap.* 4. *Quid ad Iubaianum scripserit Cyprianus iam legi. Et profecto issem in eamdem sententiam, nisi me ad diligentiorem considerationem revocaret tanta auctoritas aliorum, quos vel pares gratia doctrinae, vel etiam fortasse doctiores per tot gentes latinas, graecas, barbaras et ipsam hebraeam, ecclesia toto orbe diffusa parere potuit, quae ipsum quoque pepererat, qui mihi quoque nullo modo videri possunt frustra noluisse istam sententiam: non quia fieri non potuit, ut in obscurissima quaestione verius pluribus unus* (hinc confirma canonem superiorem) *paucive sentirent; sed quia non facile pro uno, vel pro paucis adversus innumerabiles eiusdem religionis et unitatis viros et magno ingenio et uberi doctrina praeditos, nisi pertractatis pro viribus atque perspectis rebus ferenda sententia est.*

Can. 7. Casuistarum, qui post damnatas propositiones scripsere, maior habenda ratio est quam antiquiorum, in iis quae ad ipsas confixas sententias spectant, vel cum illis adfinia sunt.

PARS III. APOLOGETICA

PRO CASUISTIS

CAP. I. BREVIS HISTORIA BELLI AB HAERETICIS, ATQUE ETIAM A CATHOLICIS QUIBUSDAM CASUISTICAE THEOLOGIAE ILLATI

I. Ut lutherani et calvinistae in catholicam ecclesiam debacchari coepere, theologiam quoque non scholasticam modo, sed etiam casuisticam insectati sunt, et quod sane oppido ridiculum benignitatis, qua morum disciplinam laxari querebantur, immoderatae causa. Francolinus *in clerico romano contra nimium rigorem munito lib.* 2. *disp.* 11. *num.* 1. Lutheri verba adfert *theologistas* nostros arguentis in *lib. Resol. contr. conclus. Echian. concl.* 2. *quod primum extinguerunt timorem Dei in hominibus, deinde pulvillos et cervicalia sub manibus et capitibus eorum ponerent, ut Ezechiel dicit, ac orationes eorum remitterent, ac spiritum extinguerent.* Sed praestat sub Thomae Didymi nomine latitantem Melanchthonem audire: *Onerata est*, inquit, *respublica christiana theologastrorum sententiis de conscientiae casibus inextricabilibus, ubi numquam non ex quaestione quaestio nascitur. Fidem faciunt vel bibliopolia, ubi tantum* summarum (*sic enim vocant*), *tantum* commentariorum in quartum sententiarum *est reperire, ut eorum nomenclaturam nemo facere possit. Atque haec sunt illa conscientiarum cauteria, quae iam olim prudenter caveri iussit apostolus. Neque enim ulla ratione certius Christum dediscas, quam illo ipso doctrinae genere quo solo aiunt theologastri formari posse conscientias.*

II. Non alia calvinistarum sententia fuit. Sufficeret ad id demonstrandum *catalogus aut recensio traditionum romana-*

rum, auctore Petro Molinaeo. Verum Ludovici Bail in summa conciliorum *tom.* 2. *pag. mihi* 811. *seqq.* extat hac de re luculenta dissertatio, quam nefas sit praeterire. « *Renovatum*, inquit, *est bellum* iam antea identidem repetitum adversus theologiam moralem summistarum, quos casuistas dicunt, nec non gravissimos plerosque theologos, tam ex antiquis, quam ex modernis, qui quaestiones de moribus definierant. Eximium quoddam talionis genus visum iis qui arguebantur, arguere de minime sana doctrina in moribus arguentes se de fidei erratis. Quem autem exitum habuerit istud bellum spirituale aperiemus, cum illius prima initia a calvinistis deprehenderimus. Nam ut primam illius originem attingamus, ab haereticis maxime calvinistis sicut a lutheranis repetenda, qui ex quatuor maxime Deo odibiles se reddiderunt. 1. Quod nulli umquam haeretici hierarchiam ecclesiae ita impugnarunt, ac in partes dilacerare conati sunt. 2. Quod nulli umquam haeretici universam ecclesiae traditionem ut illi reiecerunt et erroris damnaverunt. 3. Nulli umquam tot haereses coniunctim in ecclesiam coacervarunt, ut potius censendi sint apostatae quam haeretici. 4. Nulli umquam tot dogmatibus spurcam carnis libertatem stabilierunt, et ad peccata quaelibet sine metu iudicii divini, si unum infidelitatis peccatum excipias, perpetranda induxerunt homines: ea quippe docent de Dei providentia, ac regimine super homines quae mentes eorum valde corrumpunt, et ad peccatum quodvis alliciunt; cum ex talium persuasione et ductu actiones suas dirigere, ac componere moliuntur. Inde est quod ipsis exprobratum saepius a catholicis, eorum doctrinam libertati carnis patrocinari et laxare conscientias ad quaelibet flagitia, cum dicunt, unam fidem satis esse ad iustitiam, opera virtutum meritoria non esse, legem naturae observatu impossibilem, Deum necessitatem actibus humanis imponere, etc.

» Ut autem ab hoc improperio se liberarent, recriminando dixerunt, id potius convenire theologis moralibus ecclesiae catholicae et romanae, qui multa resolvunt esse licita inter casus conscientiae, ut ipsi potius peccatoribus flagitiosis adulari viderentur, dum plerasque ipsorum actiones in speciem turpes, et legi divinae contrarias a peccato excusant. Inde inquisierunt in ipsorum libros, et indiculos texuerunt propositionum huiusmodi peccato patrocinantium, ut putarunt. Initium fecerunt ab insigni volumine Thomae Sanchez et quicquid in eo eximium est, praetermittentes, dubia illa quae de debito matrimonii apud alios tractantur impune, in catalogum suum concluserunt cum ipsius ad ea dubia resolutionibus. De quo indiculo meminit obiter Servinus advocatus regius in parlamento parisiensi in una disertarum illarum orationum quas in eodem parlamento habuit. Ludimagister bernensis Christophorus Luthardus petulanter admodum illud ipsum volumen impetit, non obstante confirmatissima eius eruditione et utilitate ipsis perspecta qui sunt de salute et puritate animarum solliciti, cui simile opus vix sperari potest intra quingentos annos a quoquam scriptore aeque doctum in lucem emittendum: et licet quaedam de materia foedorum actuum tangat, turpior tamen est infernus: et si foedus est sermo, foedius est in peccato putrescere, ut Petrus blesensis aiebat tractatu *de confessione*. Ille auctor medicus est animarum qui aliquas spurcitias movet, sed ad aegrotantium curationem. Si angeli essent homines, talibus non indigerent. Facto autem initio a Thoma Sanchez progressi sunt ulterius, quibus etiam alii in fide sani se adiunxerunt sub praetextu reformandi laxiorem vitam hominum. Unde plures indiculi alii postea. Nec ulla ratio habita est casuistarum in eamdem sententiam conspirantium, et plurium ac ingentium voluminum, quae hoc saeculo prodierant. Nam in toto saeculorum quindecim decursu non numerari plusquam duodecim casuistas, cum res admodum lubrica sit de conscientia et de distinctione venialium a mortalibus disputare: nunc vero, ut conquerebantur, casuistarum nubem exortam esse, qui tamquam aegyptiacae ranae in ecclesiam incubuerunt, et nihil pene iam in moribus integrum reliquerunt. Extat de his gravissima querela R. Yprensis in suo libro prooemiali *cap.* 8. *Tam laxas*, inquit, *effecere conscientias sub praetextu accommodandi se infirmitatibus hominum, ut nihil opus sit nisi sceleratiores fieri homines, ut nova aliqua et licentiosa regula fabricetur... ut revera plerisque christianis scientia recentioris theologiae ad nihil deserviat, nisi ut sensa diversa diversorum suis apta cupiditatibus noscenda et sequenda deposita simplicitate christiana, versatiores et probitate nequiores fiant.*

» Quibus ab aliis repositum est. Quod suave Christi iugum humano generi inviderent, qui more pharisaico onera gravia imponunt, quae ipsi digito suo ne movere quidem velint. At contra illi urgebant arctam esse viam quae ducit ad vitam, ac

paucos esse qui eam inveniant. Inde ex una parte multi catalogi casuum et multae censurae, sicut ex parte altera apologiae plures, et post istas conflictationes in ecclesia gravissimas iudicium summi pontificis. Tales autem controversias omnes complexus est auctor innominatus operis illius posthumi, quod anno 1667. e praelo exiit, et sequenti flammis devoratum est auctoritate iudicis: in quo auctor moralem theologiam casuistarum confundens cum morali theologia scriptorum asceticorum quos vulgo *mysticos* aut *spirituales* dicimus, ait initio finem, ac scopum theologiae moralis casuistarum in eo reponi ut homines ad virtutem promoveant et ad laudabiles actiones, et eos deterrendos a vitiis et peccatis.

» A quo scopo etsi non deflectat theologia moralis casuistarum, non tamen est proprium illius munus id spectare praecise, sed magis quid licitum et non illicitum, ubi leges silent et nihil dicunt ostendere: ut magis in epicheia, et in aequitate diiudicanda relinquendo verba ipsa legis, et mentem legislatoris magis intendendo sita sit, si proprie et stricte sumatur, quatenus a theologia scholastica et canonica discernitur. Cum non sit dubium iuxta axioma iurisconsulti eum peccare, *qui sequendo verba legis contra legislatoris nititur voluntatem.* Est enim theologia illa moralis quasi iurisprudentia ac scientia civilis, quae si bene definiatur, non in eo sita est, quod quispiam memoria leges omnes scriptas teneat, quamvis et id non sit extra ipsam, sed quod ubi leges nihil dicunt, norit id quod rectum est, invenire. Quod bene advertit Alpharabius in compendio scientiarum. Quamvis de omnibus legibus sine exceptione non sit intelligendum, cum quaedam sint quae nullam patiantur exceptionem aut interpretationem, nisi ipsismet terminis cohaerentem. Sed id discernit illa theologia, ut verbi gratia in praecepto non occidendi, quod videtur urgentissimum, novit excipere occisionem hominis ex moderamine inculpatae tutelae, et ex auctoritate iudicis perpetratam; ac si reprehensioni obnoxium non est, sed aequum et rectum habetur, et si a verbis legis sit alienum, si idem fiat circa plures alias leges, non debet statim iudicari impium, iniquum, scandalosum et temerarium, et aliis censurarum notis dignum aestimari.

» Quod cum plures non observent, et scientiam moralem a reminiscentia terminorum legis nolint discernere, damnant facile quidquid a saliva, quam semel imbiberunt, dissidere deprehenderint.

» Quod non adeo mirum videri debet cum moralis pura et impermixta theologiae scholasticae aut canonicae, si daretur, terribilis statim appareret, ut quaedam legum et dogmatum praevaricatio.

» Inde est quod auctor illius Centonis minime attingens scopum proprium et finem peculiarem moralis casuisticae, quicquid fere pietatem et perfectionem asceticam non sapit, ferula sua castigandum censeret. Et ut horrorem incuteret maximum, quam fieri posset, illius moralis, ordine methodico illam in tres partes dividit, seu tres libros, sic enim squamma squammae adhaeret: nec est spatium inter eas; partes omnes colligatae sunt.

» Primus liber est de principiis peccatorum tam internis, ut sunt variae cupiditates hominum, ignorantia, intentio: et externis, qualia sunt auctoritas humana, consuetudines, probabilitas opinionis: ac de iis principiis agit, ut ostendat theologos morales ista principia sic fovere et tueri, ut homines ad omnia peccatorum genera inducant.

» Secundus liber tractat de remediis peccatorum tam internis quae sunt gratia Christi, poenitentia, sacramenta ac bona opera; quam externis quae notitiam ingenerant peccati, qualia sunt scriptura sacra, praecepta Dei et ecclesiae: et praetendit collector Centonis illius theologos morales ista omnia dogmatibus suis depravasse, ut nullum supersit remedium hominibus contra peccata, tam funesta sunt illorum consilia ad claudendum vitae aeternae ostium, ne quisquam salutem consequatur.

» Tertius liber est de obligationibus particularibus omnium statuum: exordium ducendo ab ecclesiasticis viris et religiosis, tum ad principes progrediendo, iudices, mercatores, uxoratos, patres, filios, dominos, servos. De quibus agit eo fine, ut probet theologiam moralem quorumlibet debita officia depravasse, ut impune liceat quibusvis obligationi legitimae proprii status deesse absque ullo metu peccatorum septem mortalium quae fere in venialia desierunt etc. Quin etiam tollit omnia media quae Christus subministravit peccatoribus, ut ad bonam frugem redeant.

» Tandem concludit manifestando, puritatem suae intentionis non aliam fuisse, quam tollere abusus simplicium, et iis, qui sibi obcaecare oculos noluerint et rebelles esse lumini, propalare totam doctrinam morum, et illam casuistarum non alio tendere quam licentiae peccandi, et

totius mundi corruptioni favere. O zelosum compilatorem!

» Sed si iudicium ferre velimus de isto operé, primam eius propositionem, a qua orditur, inspiciamus. Certe error est a summis pontificibus damnatus inter errores Michaelis Baii: *Caritas*, inquit, *et cupiditas totam vitam nostram inter se pariuntur. Duae sunt arbores evangelicae, quarum una semper bonos fructus producit, altera non nisi malos potest producere.* Quae propositio aequivalet isti 38. propositioni: *Omnis amor creaturae rationalis, aut vitiosa est cupiditas qua mundus diligitur, quae a Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa caritas qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur.* Haec enim propositio, etsi pia in speciem videatur, damnat tamen omnes actus virtutum ex speciali ipsarum motivo elicitos, excepta una caritate. Damnat virtutem ipsam religionis, actum adorationis Dei, fortitudinem, prudentiam, iustitiam, temperantiam, quibus in vita nihil est melius hominibus.

» Huic autem axiomati innixus, quid non inter fructus malae arboris computabit postea? Atque si in ipso ingressu ita cespitat, quid sperandum de progressu libri in quo videre est rerum colluvium, sententias a propria sede deiectas auctorum sensum saepe non reddentes, verborum salebras, reticentias dictionum, quae difficultatem saepe tollerent, columbarum vexationem, calumniarum seriem ordine digestam, ut non mirum sit, auctorem talis satyrae nomen suum tacuisse. Si ita res se se haberent, non posset ipse daemon, si libros ederet, potentiori methodo peccati regnum erigere, quam sic principia omnia peccatorum stabiliendo, remedia omnia eorumdem peccatorum destruendo, et ad particulares personas descendendo, unumquemque a propriae obligationis executione variis fallaciis dimovendo. At si credimus homini innominato, foedere iuncti sunt theologi morales, ut idem moliantur. Quis hoc sibi persuadere valeat? Quis in mentem inducere, quod theologi ex omni parte Europae in hoc conspirent, ut universi orbis homines in laxis moribus corrumpantur, quorum potius labor assidue in hoc impenditur, ut destruatur corpus peccati, et sit hic fructus omnis ut auferatur peccatum? Et vere illud destruunt in se ipsis primo per meditationes quotidianas, studia perpetua et multa poenitentiae opera Deo nota quibus peccata purgantur. Qui peccata destruunt in fidelibus per instructionem, catechesim, collationem, praedicationem et quemcumque modum aptiorem ad tollenda mundi peccata, quantum fieri potest, depulsis ignorantiae tenebris. Quandoquidem vox est prophetae: *Non est scientia Dei in terra: maledictum, et mendacium, et furtum, et adulterium inundaverunt.* Quorum denique zelus ad extrema mundi se porrigit; ut etiam destruatur peccatum in infidelibus, ad quos tamquam viri apostolici destinantur. Quam longe haec dissita sunt ab innominato Centone, quem excutere magis cogitaveram, nec pauca ad id idonea parata habebam ex varia lectione et collatione locorum ad tollendam larvam qua obtegitur; nisi quod verius illi adaptari potest, quam theologiae morali, in quam desaevit, illud d. Augustini *psal.* 22.: *Talibus malis magis prolixi gemitus ac fletus, quam prolixi libri debentur.* Nam et sic ex omnibus antiquis doctoribus seligendo ea solum quae in ipsis infirmiora sunt, Cento impurus et odio habendus conficeretur. Hactenus Bail. ».

III. Mirum est, virum doctum Montaltii, seu Paschalis litteras praetermisisse. Ut enim hae prodierunt in lucem ad arma undique contra casuistas clamatum est tum ab iansenianis omnibus eorumque asseclis, tum a catholicis quibusdam dominicanae praesertim familiae, Contensonio, Vincentio Baronio, Natali Alexandro. Qua de re vide historiam provincialium (tom. 1. earumdem coloniensis editionis) (seu potius genevensis) a. 1739. praemissam, dictionarium iansenistarum, Daurigny monumenta chronologica et dogmatica, Danielis dialogos, et ad Natalem Alexandrum epistolas, Despreaux epistolas duas adversus apologiam provincialium litterarum, Honorati Fabri apologeticum etc. Accessit Thyrsi Gonzalez, aliorumque iesuitarum ab ipso stantium adversus probabilismum dimicatio, de qua ne Concinae et Patuzii mendacia te in errorem abducant, Philiberti Ballae epistolas consule. Renovatum porro in Italia est acerrimum bellum a Daniele Concina, qui edito *quadragesimae appellantis* libro in casuistas, iesuitas praesertim, livoris pleno illud indixit. Innumeri hinc ex utraque parte prodiere libri; neque Concinae obitu pax rediit, immo Patuzii et Dinellii, quibus nuper additus est cremonensis quidam Camillus Miglioli, libellis instaurari populorum scandalo bellum videtur. Interea breves accipe, sed invictas casuisticae theologicae vindicationes, illas primum, quas Ludovicus Abelly ruthenensis episcopus, opusculo *de libris et opinionibus casuistarum* concinnavit: deinde quas Fran-

colinus v. cl. dedit *de poenitentiae disciplina lib. 2. cap. 8. seqq.* postremo quas ipsi in libro ad La-Croixii moralem theologiam prodromo variis locis conscripsimus.

Cap. II. Ludovici Abelly ruthenensis episcopi apologia pro casuistis summatim exhibita ex Francolini de poenitentiae disciplina lib. III. cap. 7. §. 25.

« Art. 1. narrat uti quidam iuvenis legens praedictum eius tractatum de principiis theologiae moralis indignatus ei fuerat, quod in confirmationem suae doctrinae casuistas citaret, doctores videlicet, ut ipse dicebat, doctrinae laxioris et evangelicis institutionibus contrariae magistros: quales vere esse casuistas acceperat ab homine clarissimo a quo etiam id consilium acceperat ut si vellet unquam operam dare facultati morali, id genus theologorum ne legeret unquam, sed solos sanctos patres. Addit ab eodem iuvene firmissimo in tuenda hac iniquissima de casuistis opinione provocatum se fuisse ad ea litteris tradenda quae ipse contra hunc errorem sentiret et persuasionibus amicorum compulsum ut quae scripserat in favorem casuistarum ederet in lucem.

» Art. 2. dicit casuistas, quorum hic defensionem suscipit, fuisse homines doctrina nec paucos ex ipsis etiam pietate insignes, et aut primas in academiis cathedras adeptos aut ob illustria in remp. merita ad summa in ecclesia munia vocatos, non paucos divorum numero adscriptos, eam praeterea fuisse omnium mentem ut fideles docerent quid agendum, quid cavendum esset; idque vere eos effecisse libris suis post longam experientiam, quod fecerunt post multam navigationem nautae solertissimi mappis suis, in quibus diversorum marium pericula, scopulos, syrtes, infesta pyratis loca descripserunt, ac proinde ut his, ita illis gratias habendas, nec minus quam aliis qui in ecclesia populos in fide et moribus instruunt, imprudenterque facere qui eos despiciunt creduntque sine illorum opera posse se difficillimas de moribus quaestiones extricare.

» Hoc autem iudicium suum confirmat auctoritate trium insignium episcoporum quos sequi omnes debeant.

Hi sunt (inquit) *s. Carolus Borromaeus, archiepiscopus mediolanensis, s. Franciscus Salesius episcopus genevensis, eminentissimus cardinalis Palleottus archiepiscopus bononiensis, qui casuistarum libros non probarunt modo, sed eorum etiam lectionem et confessariis et clericis seminariorum alumnis impense admodum commendarunt.*

S. Carolus Borromaeus, praeter alias consuetas seminarii sui exercitationes, casuum conscientiae studium exigebat singulare, tanquam omnibus apprime necessarium; maxime vero lectionem summae s. Antonini laudabat, committens curae rectorum ut alios quos iudicassent idoneos seligerent, et alumnis seminariorum legendos praeberent.

Sanctus vero Franciscus Salesius in instructione confessariorum suae dioecesis, eisdem etiam atque etiam commendat lectionem tractatus de prudentia confessarii quem scripsit p. Valerius Reginaldus societ. Iesu, et in epistola ad quemdam praesulem Instructionem sacerdotum cardinalis Toleti vehementer laudat tanquam perutilem muneri recte obeundo quod ei erat impositum.

Cardinalis Palleottus in regulis et ordinationibus clericorum sui seminarii libros enumerans quorum lectio erat iis necessaria, inter alios summam proponit quae Armilla inscribitur et directorium confessariorum p. Polanci societ. Iesu.

« Art. 3. Expendit consilium quod aliqui dant confessariis legendi solos sanctos patres ut inde sciant respondere casibus conscientiae. Ostendit autem optimam et perutilem esse sanctorum patrum lectionem: non inde tamen sequi aut eos solos esse legendos aut esse legendos in hunc finem, ut ex ipsis hauriatur tota facultas moralis, nimirum notitia iurium, contractuum, censurarum aliorumque huiusmodi. Ecqui sunt enim (inquit) isti *sancti patres qui tractatus de restitutione habeant, qui latentes sub speciosis nominibus iniurias, usitatos in litibus, in venditione, emptione reliquisque contractibus dolos detegant, qui doceant cognoscere palliatas usuras? Quibus in libris sancti patres de beneficiis ecclesiasticis agunt aut prope quotidiana circa eadem dubia solvunt? Ubi fictos quaesitosque pro tegenda simonia titulos aperiunt? Ubi denique alia id genus confessariis necessaria agitant quae tamen omnia in casuistarum libris leguntur etc.?* Multum, *ut reor, laborabunt isti censores, si velint unum ex sanctis patribus exhibere aut indigitare, in quo ea quae numeravi tractentur. Sed illis satis est patrum lectionem commendare nec pensi habere, quanto confessariis tempore opus esset si quoties in sacro tribunali dubium aliquod occurrit, patres consulendi essent. Profecto qui labores ferendi, quae taedia superanda, quoties volvendi revolvendique libri priusquam propositae difficultatis seu quaestionis vestigium aliquod, nedum solutio reperiretur etc*

Ut igitur qui iurisprudentiae se dederit eos praecipue libros versat qui leges explicant et quaestiones ipsas agitant quae versantur circa causas civiles aut criminales; et qui medicinae peritiam cupit, libros illos in primis familiares habet, qui de arte medica, qui de variis morbi generibus, causis, remediis tractant, quod idem in omni scientia atque arte contingit; ita quisquis theologiae moralis studiosus extiterit, ut illos auctores scrutetur necesse est, qui omne studium atque diligentiam in eo posuerunt ut ad aliorum doctrinam eos conscriberent conscientiae casus, quos partim propria experientia, partim labore improbo collegissent etc.

« Art. 4. Ostendit facultatem moralem esse antiquissimam et primum casuistam fuisse Moysem, casuistas pariter in lege nova fuisse apostolos, deinde qui ipsis successere, episcopos solitos aliquando ad conservandam unitatem et ad conciliandam suis sententiis auctoritatem, consulere summum pontificem: aucto vero fidelium et quaestionum moralium numero, demandatum ab episcopis fuisse id munus expediendi casus conscientiae presbyteris doctoribus, suarum ecclesiarum poenitentiariis, qui litteris mandarunt quae proprio studio et experientia didicissent: hinc ingens ille numerus huiusmodi moralium tractatuum librorumque qui nunc extat.

» Art. 5. Observat et monet a praedictis censoribus, qui redarguunt casuistas, redargui multos viros sanctos in album divorum ab ecclesia relatos qui fuere casuistae, nimirum d. Thomam qui in secunda et tertia parte suae summae moralem theologum agit, s. Bonaventuram qui id munus explicandi casus conscientiae alienum a se esse minime putavit, s. Antoninum qui tractatus de casibus conscientiae reliquit adeo utiles, ut s. Carolus Borromaeus sui seminarii clericis eorum lectionem potissimum commendarit, demum s. Raymundum cuius operam adeo utilem expertus fuit Gregorius IX. ut nihil ageret eo inconsulto, quique, impetrata ab eodem Gregorio missione ab aulae negotiis curisque, et Barcinonem regressus ut convalesceret ex morbo in quem (ea erat sancti viri humilitas) inciderat ex moerore concepto propter episcopatum tarraconensem sibi a pontifice destinatum, totum se dedit quaestionibus moralibus et casibus, qui undequaque ad eum afferebantur, resolvendis, resolutionibus iam datis colligendis, ex quibus eam summam compegit, quae fuit ultimum eius opus et reliquorum quae scripsit, facile praecipuum.

» Hic observare mihi liceat hos quos recenset is auctor aliosque plures, quos recensere poterat, viros sanctissimos eosdemque casuistas aut homines privatos fuisse aut casus conscientiae resolvisse antequam ad infulas eveherentur nec essent declarati doctores ecclesiae aut a pontificibus huic muneri destinati: non igitur dedecet privatos doctores, ut inscite garriunt aliqui, quaestionibus dubiisque moralibus respondere; non enim qui id faciunt arrogant sibi clavem scientiae et potestatis qua fruuntur episcopi, nec responsa praebent quae vim legis habeant, sed consilii quod ex ingenti doctrina qua praediti sunt auctoritatem habet, et subinde cum certior regula in dubiis quae passim incidunt haberi non possit, satis est dirigendis firmandisque animis fidelium dubitantium. Hinc episcopi ipsi cum dubitant praedictos doctores consulunt aut eorum tractatus legunt eorumque consiliis acquiescunt. Sed hoc obiter monere ipse volui.

» Art. 6. Dividit fideles in tres classes, primam eorum, qui sunt in peccato unde volunt aut debent emergere; alteram eorum qui sunt in gratia in qua perseverare debent; tertiam eorum qui volunt suscipere aut ministrare sacramenta, et his omnibus esse casuistas perutiles aut etiam necessarios ostendit, cum ea vel praecepta vel instructiones quibus indigent in scripturis ita lateant ut perspici a multis non possint; in amplissimis vero voluminibus iuris canonici sint ita dispersa aut involuta ut reperiri pariter nequeant a plerisque; a patribus tandem sint obiter tantum subinde tradita, a casuistis vero sint facili methodo clarissimeque cunctis proposita: hinc illi ipsi qui casuistis succensent, interrogati unde hauserint eam doctrinam qua se in examine aut concursu dignos sacris ordinibus aut administratione sacramentorum probarunt, si velint vera fateri, dicent se lectione ac studio casuistarum adiutos et ex lumine ab ipsis accepto propositis quaestionibus respondisse.

» Art. 7. Ostendit, ab his qui casuistas eorumque libros damnant, non solum privari ecclesiam ingenti commodo, sed affici multis gravissimis detrimentis. Et I. Confessarii horum librorum et hominum auxilio privati, nec legentes scripta patrum quae sunt innumera, aut in ipsis non reperientes dubiorum quae nascuntur in dies dilucidas responsiones, iudicabunt ipsi solo ingenio suo quid agendum, quid cavendum sit: quale autem erit hoc iudicium hominum imperitorum? Si magni illi viri qui casuistae fuere, post totam vitam in ethicae studiis insumptam, post longam expe-

rientiam, quamvis ingenio praestarent, erraruut tamen, ut praedicti eorum censores contendunt, qui erunt errores hominum qui nec simili, imo vix ullo studio adiuvantur, nec praestant ingenio? Nonne timendum est ne, cum caeci ipsi sint, cum eis quos ducunt cadant in foveam? 2. Si numerus casuistarum eorumque in sententiis discordia detrimento est et confusionem parit, ut iidem dicunt, longe maior erit discordia et confusio, cum singuli confessarii, ut sua cuique ratio suggeret, iudicabunt: ut enim in huiusmodi iudiciis evenire solet, quot erunt capita, tot erunt sententiae. 3. Qui ad examen vocantur ab episcopis, propositis quaestionibus, e.gr. circa simoniam, circa contractus, circa censuras, respondere non poterunt; cum responsa in patribus non reperiant, ex libris casuistarum petere non debeant. Igitur id examen tollendum erit. 4. Tollentur confessarii ipsi qui si sapient, nolent se exponere periculo errandi cum tanto animarum detrimento, quale periculum certe subeunt qui sine doctrina morali sacramenta ministrant. Si enim in hac administratione errant aliquando, nec raro dubitant etiam periti morum doctores qui libros eosque multos legunt et perlegunt, quoties errarent hi qui essent hoc praesidio destituti? Igitur qui casuistas eorumque libros ablegant, sunt auctores mali longe maioris eo cui mederi contendunt.

» Art. 8. Quaerit utrum vere noxii sint numerosi casuistarum libri? Dicit autem loqui se non de omnibus casuistis, sed de iis qui sive amplissimis dignitatibus, sive eximia doctrina, sive susceptis in academiis gradibus, insignes sunt et boni vulgo auctores habentur. Propositae quaestioni respondet immerito de horum numero et varietate conqueri praedictos censores, ut immerito de numero et varietate ferculorum quereretur qui ad lautas epulas invitatur; quemadmodum enim principis alicuius viri epulum apparantis est magnam ferculorum copiam invitatis apponere, ita convivarum est e propositis dapibus, meliores utilioresque prudenter moderateque seligere. Atqui haec tanta eorumque diversorum librorum copia, quibus praesens abundat ecclesia, divinae munificentiae pars est, tot modis sua nobiscum consilia communicantis quae fideles animas pascant: parendum tamen apostolo monenti ne velimus plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem; ac proinde aut non legenda quae non oportet, aut legenda eo modo quo oportet, quo non legunt illi qui libros male masticatos devorant, aut doctrinis alias saluberrimis abutuntur. Caeterum quamvis ipse non improbet imo laudet ut varios de re morali libros in promptu quis habeat ut, cum opus fuerit, consulere eos possit, hortatur tamen ad selectum et peculiare studium paucorum, dicitque id consilium dare consuevisse discipulis suis gravissimos doctores sorbonicos, ut studiose legerent instructionem sacerdotum quam scripsit cardinalis Toletus, idemque fuisse s. Francisci de Sales consilium. Ut autem datur omnibus seligendi aliquem ex multis plena libertas, ita nulli permittitur alios despicere eorumque copiam damnare, quod nemo facit in reliquis facultatibus. Quis enim queritur quod tot de legibus ac iurisprudentia, tot de medicina libri iique varii et in aliquibus dissidentes prodeant in lucem quotidie? Imo quis non videat id fieri perutiliter, cum posteriores e. gr. medici ea morborum remedia repererint, quae fuere prioribus ignota? Cur ergo in facultate morali noxium sit, quod utile sit in reliquis disciplinis? Opponenti autem sententiarum discordiam respondet, casuistas in multis quae certa sunt convenire, dissentire in aliquibus incertis circa quae in suo quisque sensu abundat, et sequi licet quod videtur similius vero.

» Art. 9. et ultimo agit de libris eorum casuistarum qui laxiores dicuntur. Et 1. monet mirum non esse quod aliqui casuistae errarint: permisisse Deum ut aliquando viri etiam sanctissimi doctissimique errarent ut inde discamus minus fidere iudicio nostro, ipsi Augustino aliqua excidisse quae postea retractavit. Monet 2. non esse temere iudicandum de aliorum sententiis, cum saepe laxum non sit quod nobis videtur, et aliquando laxae sint aliae nostrae sententiae, iudicio eiusdem illius auctoris cuius sententiam, quia nostrae contrariam, laxam aut benigniorem vocamus. Monet 3. cavendum ne animo praeoccupato iudicemus ut faciunt hi qui probant quidquid dixerint aut scripserint ii quos diligunt; contra reiiciunt quidquid eorum est, a quorum ingenio et studiis discordant. Monet 4. si qua in re ab aliquo scriptore fuerit erratum, non illico totum librum damnandum, ut nemo sapiens poma sana atque integra abiicit quod inter ea putridum unum corruptumque deteget, nec arborem totam bene vigentem succidit quod aridum in ea ramusculum intuetur: propterea audiendum Augustinum dicentem, botrum carpe, spinam cave; imo Spiritum sanctum admonentem ut pretiosum a vili separemus. Monet demum hanc in iudicando de aliorum sententiis praecipitationem oriri ex superbia qua iudex se praefert viris doctrina ac scientia praeclaris

eaque despicit quae ab illis probata esse non ignorat.

» His praesul iste sapientissimus vindicat casuistas non antiquos tantum, Raymundum, Thomam, Bonaventuram aliosque, sed etiam recentiores; quae enim affert utrosque complectuntur ut utrosque feriunt adversariorum querelae: quamvis enim dicant se non agere de antiquis, revera accusant utrosque, cum recentiores, de quibus agimus, secuti sint antiquos, cumque, ut inter recentiores aliqui benigniores fuere, sic inter antiquos; nec nova sit doctrina probabilitatum (quae tamen est, ut dicunt, fons omnium laxitatum, et est praecipuum caput accusationum) sed perantiqua, et in eo casu poenitentis operantis ex opinione probabili contraria opinioni confessarii communi doctorum, quos allegavi, suffragio propugnata: nunquam enim opinionem probabilem a probabiliori distinguunt, sed absolute usum probabilis poenitenti permittunt et permittendum docent. »

Cap. III. Francolini apologia pro casuistis ex lib. II. cap. IX. et X. de poenitentiae disciplina

« Ea quae adeo execrantur casuistarum mala aut nec mala sunt aut aliquorum tantum, eaque casuistis antiquiora. Et primo ea quae est in aliquibus dubiorum, casuum, quaestionum et allegationum copia, quae facit eorum libros aut nimis prolixos aut nimis spissos, vel malum non est vel malum innocens, cum non desint qui brevius quique brevissime in idem argumentum scripserint, ut, si viae sint, breviores aut brevissimae, malum innoxium est quod sint etiam longissimae, immo commodum id est si quae longae sunt sint etiam faciles et expeditae: cum non omnibus placeat via quae brevior, sed quae facilior, facilius autem aliqui ad intelligentiam rerum perveniunt si fusius pertractentur.

» Secundo sunt quidem aliqui casuistarum libri sua laxitate perniciosi, hinc aliquae ipsorum propositiones a pontificibus fuere iuste sancteque damnatae. At aliqui immo plurimi olim fuere libri poenitentiales iusto benigniores laxique et ideo a patribus et conciliis reiecti. Concilium turonicum tertium *cap.* 22., cabillonense secundum sub Carolo Magno *cap.* 38., parisiense sextum sub Ludovico *cap.* 32. graviter invehuntur in quosdam libros poenitentiales et severe sacerdotibus mandant ne eis utantur. Ex his concilium parisiense statuit, *ut unusquisque episcoporum in sua parochia eosdem erroneos codicillos diligentissime perquirat et inventos igni tradat ne per eos ulterius sacerdotes imperiti homines decipiant*. Nec tamen contra libros omnes poenitentiales declamatum est; cur ergo modo declamatur contra omnes summas casuistarum?

» Displicet in his fortasse tanta opinionum diversitas et contrarietas? At quanta olim in libris poenitentialibus fuit, quanta in ipsis canonibus? Simplicem fornicationem unius anni poenitentia vindicat Eusebius papa, ut refert Ivo *epist.* 16. At concilium meldense apud Burchardum *lib.* 6. *cap.* 68. triennii poenitentia punit, s. Basilius septennii, s. Gregorius Nissenus novennii poenitentia castigat. Hanc canonum seu canonistarum contrarietatem notat concilium moguntinum apud eumdem Burchardum *lib.* 17. *cap.* 21. *Theodorus* (inquiunt patres) *iudicavit eum qui incestum fecerit, duodecim annos poenitere debere, alii quindecim, alii septem.* Cumque discreparent omnes nec rationem cui inniterentur afferrent, haerebant saepissime confessarii, ignari quem potius sequerentur, ut constat ex excerpto Gregorii papae III. quod affert Labbè *t.* 6. *concil. pag.* 1476. cuius initium hoc est: *Cernimus in ecclesia quod non valde contristat, quoniam ita confusa sunt iudicia circa poenitentiam in presbyterorum nostrorum opusculis, atque ita diversa et inter se discrepantia et nullius auctoritate suffulta, ut vix propter dissonantiam possint discerni. Unde fit ut concurrentes ad remedium poenitentiae, tam pro librorum confusione quam etiam pro ingenii tarditate, nullatenus eis valeant subvenire.*

» Tertio cum de sexto praecepto aut matrimonio agunt nostri casuistae, turpitudinum species recensent quidem, sed non describunt, ut idem scriptor asserit, aut longe minus describunt quam eas describant veteres canonistae scriptoresque librorum poenitentialium, praesules aut presbyteri sanctissimi, nempe Theodorus episcopus cantuariensis a Vitaliano papa, ut supra dixi, in Angliam missus, Beda non doctrina solum, sed et sanctitate celebris, Burchardus episcopus vormaciensis et divorum honoribus ac titulis ab ecclesiis decoratus, aliique ex quibus Burchardus (similia habent reliqui) *lib.* 19. *decretorum cap.* 5. non solum omnes species turpitudinum recenset, sed eas distinctissime describit nec species tantum, sed modos omnes quibus haec peccata a viris et foeminis committuntur, aut manu sua aut medio aliquo instrumento aut secum aut cum aliis aut extra vas aut alio quovis modo quem ipsum modum non innuit, sed exhibet oculis clarissime solusque ipse plus

scit quam fortasse dixerint omnes nostri casuistae, quotquot unquam et uspiam extiterunt.

» Igitur quaecumque displicent in casuistis aut culpam nullam continent aut eam ex qua longe magis culpandi sunt antiqui doctores patresque. Hos autem quis culpare audeat? Ergo si innocentes fuerunt ipsi et innocentes quoque sunt ex hoc capite casuistae.

» Sed illud est prorsus mirabile et vix credibile quod videlicet nonnulli ex iis qui calamum casuistarum redarguunt tanquam parum pudicum, confessionibus ipsis puerorum et puellarum interrogationes subinde interserunt (ex bono animo quidem sed non satis prudenti) nihil pudicas nec solum minime necessarias, sed aliquando perniciosas, ut constat, eas non semel fuisse puellis, huiusmodi foeditatum antequam interrogarentur prorsus ignaris. Quis non videat quam ista secum pugnent? An dedecet has spurcitias calamo versare, lingua autem decet? An maiori cum reverentia tractanda est materia moralis quam sacramentum? An est religiosior mens et oculus virorum legentium quam aures puellarum audientium? An periclitatur magis honestas legentis confessarii quam periclitetur honestas audientis puellae facile putantis communia esse ea delicta de quibus omnes interrogantur? An demum culpa non caret qui de peccatis impudicitiae agit cum lectoribus, quorum plerique ista non ignorant nec ignorare debent ut ea curare sciant; culpa autem carebit qui de eisdem agit cum puellis et pueris quorum plerique, aut saltem non pauci ex iis quos suspiciosus confessarius interrogat, hoc prorsus ignorant et utiliter ignorant?

» At (inquiet aliquis) in antiquis collectionibus librisque poenitentialibus de peccatis impudicitiae interrogatur poenitens cuiusvis aetatis et sexus. Sic enim Burchardus, ut supra innuebam, *lib.* 19. *cap.* 5.: *Fecisti fornicationem, sicut sodomitae fecerunt, ita ut etc. vel intra coxas, etc. vel ita ut in manum tuam etc.* Similiter post aliquot paginas interrogat foeminas sic: *Fecisti quod quaedam mulieres facere solent ut faceres quoddam molimen seu machinamentum etc. Fecisti quod quaedam mulieres facere solent, ut iam supradicto molimine etc. Fecisti quod quaedam mulieres facere solent quando etc.* Parco exscribere totam periodum quia non est necesse. Igitur sunt de his interrogandi poenitentes etiam pueri puellaeque; huius enim aetatis potissimum haec peccata sunt.

» Sic obiicienti respondeo, de his aliisque innumeris interrogari poenitentes in praedictis libris antiquorum canonistarum, non quidem ut confessarius sic interroget poenitentes, siquidem nec una dies satis esse scrutando audiendoque unico poenitenti, sed ut discat ipse species omnes morborum quibus uterque sexus urgetur, et aliquid interroget aliquando, cum videlicet poenitens titillatum se fatetur aut innuit aut ipse detegere incipit scabiem suam quam tamen non augeat interrogatio quamque responsio poenitentis non affricet confessario.

» Quamvis autem damnandi non sint praedicti veteres canonistae librorumque poenitentialium scriptores qui omnis effrenatae aut praeposterae libidinis spurcitias per has interrogationes descripsere, laudabiliores tamen fuissent si eas innuissent tantum aut saltem minus fuse descripsissent ut faciunt casuistae, isque etiam quem Dallaeus damnat Thomas Sanchez, qui nihil forte de peccatis impudicitiae scripsit quod scribere necesse non fuerit ei cuius finis, et quidem sanctissimus erat, docere quae sint in usu matrimonii vetita, quae permissa, quae debita eaque occasione quae sint et cuius pravitatis sint peccata, suo vel alieno corpore abutentium, cuius profecto scriptoris opus spissum non verbis sed rebus, non textibus inutilibus, sed solida doctrina, totus orbis litterarius recte sentientium laudat et laudabilius facit vituperatio Dallaei, qui quamvis eruditum se faciat, fateri tamen cogitur a se minime lecta quae in gratiam fori poenitentialis scripsere Theodorus, Beda, Burchardus aliique veteres scriptores. Hos enim si legisset, eam Thomae Sanchez notam inurere fortasse ausus non fuisset.

» Sed hic mihi propositum non est casuistam ullum peculiariter laudare aut vindicare; sed facultatem ipsam moralem, ut coepit a quinque saeculis tradi, utque tradita his potissimum duobus postremis saeculis fuit a permultis theologis, quorum libros perutiles foro interno esse, satis ut arbitror, ostendi, ut facere constitueram.

» Nunc faciam quod non proposueram, sed quod omittere non debeo, tum in gratiam optimae facultatis, tum ut praesentem ecclesiam, cuius laus est pluris semper aestimes, semper ames magis; id enim mihi potissimum propositum est. Ostendam igitur hanc facultatem, quosque eius nobiliores professores scripsere libros perutiles toti ecclesiae fuisse. »

CAP. IV. FRANCOLINI VINDICATIONES ALIAE, IN QUIBUS OSTENDITUR, LIBRIS CASUISTARUM AUCTAM FUISSE ECCLESIASTICAM ERUDITIONEM ET FIDEI DOCTRINAM ILLUSTRATAM.

« Id ut via faciliori et iucundiori demonstrem, ostendam quam fuerit maior in ecclesiae ministris eruditio, postquam scribere coepere casuistae, quam inde fuerit in doctrina morum minus erratum et dubitatum; quamvis enim id debeatur potissimum posterioribus synodis et pontificum constitutionibus per quas multa quae erant ignota vel dubia fuere definita, et multa quae erant obscura fuere declarata; debetur tamen etiam studiis et libris casuistarum ut ex iis quae hic afferam, facile intelliges.

» Percurram sacramenta, quorum administratio praecipua pars est christianae disciplinae et modo tam certa, tam tuta, tam explicata beneficio utriusque theologiae speculativae et practicae, qua praestare debent et praestant casuistae, olim vero fuit apud multos adeo dubia et controversa.

» Baptismum collatum ab haereticis repetendum non esse docuit Stephanus, definivit hoc ipsum postea concilium nicaenum quod solos baptizatos a paulinianis seu samosatenis iterum tingi voluit, quia, ut explicat Innocentius 1. *epist.* 22. *cap.* 5. *Paulianistae in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* minime baptizabant. Adhuc tamen egregii doctores ita scripsere postea ut ignorasse videantur canonem nicaenum aut eum non satis intellexisse. Lege, cum per otium licebit, initium primae epistolae canonicae magni Basilii ad Amphilochium, cuius memini *lib.* 1. *cap.* 4. §. 3. *num.* 3. Lege etiam quae id admirans refert Cabassutius in notitia conciliorum post synopsim saeculi tertii.

» Videtur postea etiam a magnis doctoribus dubitatum, non quidem de valore sacramenti per haereticos aut malos homines ministrati, sed de efficacia. Nescio an id significare voluerit aut potius referre quod alii docuerant, Augustinus, dum *l.* 3. *de baptismo cap.* 18. loquens de malis clavium ministris dicit, *Remissam tamen peccatorum non dabant. Non enim raptoribus et fornicatoribus diceret Deus, si cui remiseritis, remittentur eis, si cui retinueritis et tenebuntur.*

» Putarunt aliqui sic esse necessarium baptismum aut aquae aut sanguinis re ipsa susceptum, ut nunquam satis sit eius votum, unde actum putabant de anima Valentiniani imperatoris mortui sine baptismo cui tamen profuisse eius votum fuse docet s. Ambrosius de obitu praedicti imperatoris; ut scias quid circa hoc senserit s. Augustinus, lege *lib.* 8. *confess. cap.* 12. *lib.* 9. *cap.* 4. et praesertim quod scribit ad Fortunatum, et allegatur ab omnibus canonistis, Polycarpo *lib.* 3. *tit.* 10. Burchard. *lib.* 4. *cap.* 16. Ivone *part.* 1. *cap.* 211. Gratiano *de consecr. dist.* 4. ubi sic: *Catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam aeternam habere non credimus, excepto martyrio, ubi tota baptismi sacramenta complentur.* Forte solum significavit non esse *certo* credendum, mortuum catechumenum salvum esse, excepto casu martyrii.

» Circa tempus quo suscipi baptismus debet, quot opiniones fuere aut falsae aut non satis tutae! Eum certe in multos annos differri licite posse putarunt multi, ut omnes norunt: quin laudabilem quoque esse hanc dilationem videtur docuisse Tertullianus in *lib. de bapt. c.* 18. ubi docet, *Pro cuiusque personae conditione ac dispositione, etiam aetate cunctationem baptismi esse utiliorem.* Et paulo post addit: *Si qui pondus intelligant baptismi, magis timebunt consecutionem quam dilationem.* Fidus africanus episcopus putavit, ut constat ex 59. Cypriani epistola ad eum scripta, non debere baptizari infantem intra secundum vel tertium diem ab exortu, veluti non satis a materni uteri sordibus purgatum. Tribus post nativitatem annis expectandum putavit s. Gregorius Nazianzenus *in orat. ad sanctum lavacrum. Quid vero* (inquit) *de infantibus qui neque quid gratia quidve sit poena cognoverunt, num et eos baptizemus? Maxime quidem si periculum aliquod imminet .... De aliis vero consilium do ut triennium expectent aut paulo minus aut plus ut quid mysticum audire et respondere possint, et si non perfecte, attamen figuraliter intelligant.* »

Ut autem Gregorius non satis probavit quod infantes recens nati baptizarentur, sic aliqui non probarunt quod baptismus conferretur statim morituris, si culpa sua distulissent aut saltem de huiusmodi baptismi valore dubitarunt. *Non defuere ex antiquis* (inquit Edmundus Martene de antiquis ecclesiae ritibus *lib.* 1. *capit.* 1. *art.* 16.), *qui de baptismo eorum qui in lecto perfusi fuerant validitate addubitaverint. Huiusmodi dubium Cornelium papam incessit, ut ipse innuit in epistola ad Fabium antiochenum episcopum apud Euseb. lib.* 6. *hist. eccles. cap.* 43. *ubi agit de Novato qui iam iam moriturus baptizatus fuerat* (si tamen, inquit, huiusmodi baptismum suscepisse dicendus est),

Seu forte pontifex dubitavit de solo fructu baptismi ab eo suscepti.

« Addit praeterea is auctor, dubitatum de baptismo aegrorum decumbentium fuisse etiam saeculo sexto quo vixit Ferrandus diaconus qui hanc suam dubitationem proposuit Fulgentio episcopo ruspensi. Sed is non dubitavit de valore baptismi illius, eo quod esset ablutus aeger decumbens, sed quod esset ministratus aegro sensibus destituto. Haec tamen ipsa dubitatio non est digna doctore. Afferam eius verba quae essent etiam aferenda propter eruditionem quam continent.

» Religiosi cuiusdam viri famulus, dominorum fidelium diligentia, sacramentis ecclesiasticis imbuendus ad ecclesiam traditur; fit ex more catechumenus; post aliquantum nihilominus temporis propinquante solemnitate paschali inter competentes offertur, scribitur, eruditur: universa quoque religionis catholicae veneranda mysteria cognoscens atque percipiens, celebrato solemniter scrutinio, per exorcismum contra diabolum vindicatur, cui se renuntiare constanter, sicut hic consuetudo poscebat, auditurus symbolum profitetur. Ipsa insuper sancti symboli verba memoriter in conspectu fidelis populi clara voce pronuntians, pium regulam dominicae orationis accepit, simulque et quid crederet et quid oraret intelligens, futuro baptismati parabatur, cum subito violentis invaditur febribus, et crescente lethali infirmitate turbatur. Persuasit dierum brevitas ut ad fontem caeteris abluendus differretur sive potius servaretur, et quid pluribus immorer? Hora exoptata cunctis advenerat .... Tunc ille in extremo halitu constitutus sine voce, sine motu, sine sensu, nihil valens sacerdoti interroganti respondere, deferentium manibus adportatur, et pro eo nobis quasi pro infante respondentibus, mente absentissimus accepit baptismum quem se accepisse post paululum mortuus, in hac praesenti arbitror vita nescivit. Quaero nunc utrum nihil ad aeternam beatitudinem consequendam vox ablata nocuerit.

» Qui modo ex tam debili fundamento vocis amissae, et sensus impediti dubitet de valore aut de fructu praefecti baptismi quem constabat esse collatum homini prius sic instructo, sic praeparato cupidoque? Illa etiam verba notanda sunt: *Persuasit dierum brevitas ut ad fontem caeteris abluendus differretur*. Et cur non persuasit caritas ut nihil differretur? Immo quomodo non obligavit caritas nihil differre, cum iam aeger moreretur et baptismum peteret, cum praesertim canones ipsi, qui paschales baptismo dies destinaverant, periclitantes quovis tempore baptizari praeciperent? Certe nullus quamvis infimae notae casuista dilationem quamvis brevissimam permisisset. Ferrandus tamen ea aetate doctus ac doctor religioni sibi duxit, lustralibus aquis extra illud tempus tingere iam iam moriturum.

» Idem Ferrandus sub finem epistolae hanc aliam quaestionem proponit: *Utrum noceat, quantum noceat, an omnino nihil noceat, si quis baptizatus in nomine sanctae Trinitatis, sacro cibo potuque fraudetur*, nempe Christi corpus et sanguinem sumere morte praeventus non possit? Quis modo non omnino rudis tam faciles quaestiones moveat? Et tamen haec erant olim, cum casuistae nondum scripserant, interrogata doctorum.

» Hic similia fuerunt ea de quibus s. Gregorium ex Anglia interrogavit s. Augustinus illius regni apostolus, quae quamvis non omnino pertineant ad baptismum, de cuius administratione modo agimus, dividi tamen non debent. Fuerunt autem haec inter alia. *An clerici continere non valentes possent contrahere? An duo germani fratres possent duas sorores accipere? Quot essent necessarii episcopi in episcopi consecratione? Utrum praegnans mulier debeat baptizari aut postquam genuerit, post quantum tempus possit ecclesiam intrare, aut etiam, ne morte praeoccupetur quod genuerit, post quot dies hoc liceat sacri baptismatis sacramenta percipere? An post quantum temporis huic vir possit in carnis copulatione coniungi? Aut si menstrua consuetudine tenetur, an ecclesiam introire ei liceat, aut sacrae communionis sacramentum percipere? An vir suae coniugi commixtus possit antequam lavetur aqua, ecclesiam intrare vel etiam ad mysterium sacrae communionis accedere? An post illusionem quae per somnium solet accidere, corpus Domini quilibet accipere valeat, vel si sacerdos sit sacra mysteria celebrare?* Haec per se solvere nequit Augustinus electus ex pluribus millibus monachorum ut esset gentium apostolus ac doctor, diuque Romae ad hunc finem eruditus, quae modo beneficio casuistarum vix ullus ignorat.

» Eidem s. Gregorio visus est quaestionem valde difficilem proponere Secundinus circa peccatum originale puerorum qui sine baptismo moriuntur, petitam ex origine animae, quae, cum sit a Deo, non videtur posse contrahere culpam ex unione cum corpore cui in malo non consentit. Quam quidem quaestionem solvit

doctissime s. pontifex, sed circa originem animae dicit ea *epist.* 53. *lib.* 7. *Registri*, *Tua caritas sciat quia de origine animae inter sanctos patres requisitio non parva versata est, sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certe singulis detur, incertum remansit.* Id modo non vocatur in controversiam apud nostros doctores, et beneficio theologiae facile intelligitur et explicatur.

» Annis post Gregorium ducentis supra quinquaginta responsum bulgaris fuit, quosdam ex ipsis habendos tamquam rite baptizatos, *si in nomine sanctae Trinitatis vel tantum in nomine Christi* fuerant baptizati. Post annos trecentos s. Bernardus *epist.* 340. non est ausus dicere invalidum esse baptismum puero collatum sub hac forma: baptizo te in nomine Dei et sanctae et verae crucis: cumque in dioecesi claromontensi quidam in forma baptismi relinquerent illud verbum *baptizo*, dubitavit episcopus an is baptismus valeret, ut apparet ex eius epist. quae extat *t.* III. *bibliothecae patrum* ad Mauritium pariensem episcopum et ad Stephanum s. Evertii apud Aurelios abbatem; quodque peius est, is abbas respondit, in forma baptismi ea verba, *ego te baptizo*, non esse de substantia sacramenti, *sed solum de solemnitate mysterii.*

» Circa materiam et formam confirmationis et extremae unctionis quam olim (nec fortasse sine periculo) aliquot ecclesiae variarunt, dicam postea et videri potest Edmundus Martene de antiquis ecclesiae ritibus.

» Quam autem sacramenti eucharistiae et poenitentiae institutionem, constitutionem, administrationem illustrarint casuistae eorumque libri quos aliqui tam facile despiciunt, intelligent ii qui sciunt quot olim in his irrepsissent errores, quam damnabiles praxes.

» Et quidem, ut aliquid dicam de sacramento eucharistiae, in aliquibus ecclesiis infantibus recens baptizatis infundebatur in os vinum verum et naturale ac si esset sacramentum corporis et sanguinis Domini, ut patet ex rituali ecclesiae remensis id prohibente. *Summopere caveat sacerdos ne, quemadmodum perverso usu in quibusdam locis fieri dicitur, vinum porrigat infanti post baptismum, maxime utendo his verbis: Corpus et sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam.*

» In aliis et quidem multis ecclesiis ea sacerdotum persuasio fuit, vinum per contactum sacramenti consecrari. Ex hac persuasione ut videtur, antiquum pontificale ecclesiae apamiensis in Syria describens ritus in feria sexta parasceves observari solitos, *Divisa hostia* (inquit) *in tres partes, tertiam partem iuxta consuetudinem, in calicem mittat nihil dicens; sic enim sanctificatur vinum non consecratum per corpus Domini immissum.* Manuscriptum ordinarium ecclesiae cusentinae a Luca archiepiscopo circa annum 1203. digestum describens ritus paschales: *Accipiant dominicum corpus in eucharistiali reconditum et super patenam ponant et in calice vinum et aquam fundant et mox de hostia dominici corporis in calicem mittant, ita ut vinum in sanguinem consecretur.* Eandem fuisse persuasionem ecclesiae constantinopolitanae, uticensis et aliquarum regni gallicani constat ex earum pontificalibus seu missalibus antiquis, quae allegat prelaudatus Martene *de antiquis ecclesiae ritibus l.* 1. *capit.* 4. *art.* 12.

» Nec pauciores fuerunt circa sacramentum poenitentiae aut errores aut abusus, quorum aliqui postea fuere omnes novis ecclesiae constitutionibus, aliqui diligenti casuistarum studio sublati. Multorum persuasio fuit confessionem peccatorum non esse praeceptam; satisque esse confiteri soli Deo. Id aliqui docebant etiam tempore Gratiani, ut dicitur *cap. Quidem Deo, de poenit. dist.* 1. vel illi graeci fuerint, ut ibi dicitur, vel alii. Graecorum certe ille abusus fuit, cuius meminit Arcudius *de controv. eccl. occid. lib.* 4. *de poenit. cap.* 1 et ego ex ipso cap. superiori. *Pontifices et sacerdotes graeci fere nunquam confitentur. Quo eodem vitio laborant russorum presbyteri, graecorum videlicet velut haereditario quodam iure in omnibus imitatores.*

» Multorum quoque opinio fuit valere confessionem factam diacono, cum urget necessitas et non adest sacerdos, ut constat ex mss. codicibus ecclesiae gemmeticensis et noviomensis et ex concilio eboracensi anni 1194. ubi patres, *Decernimus* (inquiunt) *ut non nisi summa urgenti necessitate, diaconus baptizet et corpus Christi cuiquam eroget vel poenitentiam confitenti imponat.* Quod etiam in synodis antiquioribus statuitur. Poenitentiam autem in necessitate imponens solebat statim etiam absolvere, ut concedunt omnes. An vero in his locis agatur de confessione et absolutione quae crederetur esse sacramentalis dubitari potest. Videtur tamen certum persuasum multis fuisse, etiam tempore d. Augustini, debere in mortis periculo fieri confessionem laico tamquam habenti pro eo articulo reconciliandi solvendique a peccatis potestatem, ut constat ex

sequenti facto quod refert s. doctor, allegatus a Gratiano *de consecr. dist. 4. cap. Sanctum: Cum in navi quadam fidelis nullus esset praeter unum poenitentem, coepit imminere naufragium. Erat ibi quidam non immemor salutis suae et sacramenti vehementissimus flagitator, nec erat aliquis, qui dare posset, nisi poenitens ille. Acceperat enim, sed pro peccato de quo agebat poenitentiam, amiserat sanctitatem, sed non amiserat sacramentum. Nam si hoc amittunt peccantes, cum reconciliantur post poenitentiam, quare non iterum baptizantur? Dedit ergo quod acceperat, et ne periculose vitam finiret non reconciliatus, petiit ab eo ipso quem baptizaverat, ut eum reconciliaret: et factum est. Naufragium evaserunt. Cognitum habes quod fecerunt. Nemo extitit eorum qui non pium animum ita crederet, ut consiliis eorum in illo periculo Dominum crederet affuisse. Motus enim animus religiosus et supplex ab homine exegit sacramentum: a Deo ipse impetravit sanctitatem.*

» Demum, quod pariter pertinet ad hoc sacramentum, sacri sigilli leges a Christo Domino institutore sacramentorum conditas, a s. Leone I. in ea epist. ad episcopos Campaniae, Samnii et Piceni explicatas et ab Innoc. III. *in cap. Omnis utriusque sexus de poenit. et remiss.* iterum inculcatas quam illustrarunt casuistae, quorum doctrinam communem sequentes, nonnulla reiecimus in *cler. rom.* tamquam aut nunquam facta aut non rite facta, quae proinde male ab aliquibus celebrantur tamquam vere facta ab universa ecclesia vel tamquam laudabiliter facta ab aliquibus ecclesiis.

» Iam vero de reliquis duobus sacramentis, nempe de ordine et matrimonio agendum est, quorum aut divinae aut humanae leges passim latuere sacerdotes ipsos et pastores qui praecessere saeculum tertium decimum, quo exorta est facultas casuistarum quae, ut supra monui, ex triplici ea disciplina conflatur, nimirum canonica, theologica et morali.

» Sanctus Augustinus *epist.* 110. fatetur ingenue a se, dum fuit episcopus ordinatus, et a Valerio tunc episcopo suo, ignoratum fuisse canonem nicaenum vetantem duos esse simul eiusdem civitatis episcopos. Nicaenum autem concilium, nec uno integro saeculo praecessit Augustinum. Idem s. doctor (ut notat Cabassutius in notitia conciliorum ad concilium arelatense quartum) sardicensem generalem synodum in qua fides catholica de ariana haeresi triumphavit, ignoravit prorsus solumque illud concilium Sardicae coactum credidit, quod fuit conventiculum arianorum. Si canonem tanti momenti tantumque concilium ignoravit Augustinus, non ita facile crediderim non fuisse haec et similia ab aliis multis ignorata; cum praesertim tunc ecclesiis praeficerentur saepissime qui aut neophyti erant aut fuerant aulae vel curiae vel etiam militiae paulo ante addicti, ut ostendam infra; nec divino iudicio ut Ambrosius, sed propria cupiditate aut principum sua quaerentium favore ad infulas eveherentur.

» Hinc saepissime, ut constat ex eorum temporum conciliis et patrum id amare deflentium scriptis, sacris ordinibus initiabantur multi qui per sacros canones erant arcendi. Et quamvis id non raro fieret ex contemptu regulae canonicae non ignoratae, saepe tamen fiebat ex vera ecclesiasticae disciplinae ignoratione; ut patet ex epistola Siricii ad Himerium tarraconensem in qua commemoratis multis huiusmodi pravis clericorum ordinationibus subdit: *Et quia aliquanti, de quibus loquimur, ut tua sanctitas retulit, ignoratione lapsos esse se, deflent etc.* Et paulo post: *Et quia in his omnibus, quae in reprehensionem veniunt, sola excusatio ignorationis obtenditur.* Ecquid tandem ignorabatur? Bigamos aliosque huiusmodi ordinari non posse. Id ignorabant multi Hispaniarum episcopi. Sacerdotes autem non id solum ignorabant, sed quod modo nullus ignorat, nempe se vinculo castitatis obstringi; putabant enim, sibi id onus impositum non fuisse aut nec imponi potuisse, eo quod non fuerat antiquae legis sacerdotibus impositum. *Plurimos sacerdotes Christi, atque levitas* (inquit Siricius eadem epist. §. 7.) *post longa consecrationis suae tempora tam de coniugibus propriis, tam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse et crimen suum hac praescriptione defendere, quia in veteri testamento sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa.*

» Non ignorarunt quidem patres concilii turonici primi legem castitatis impositam sacris ministris, sed ignorasse videntur non posse concilium particulare legibus ecclesiae universalis quemquam absolvere ut forte absolverunt ipsi permittentes, ut videntur, iis qui iam erant sacerdotes aut levitae, usum coniugii et solum interdicentes proprii ordinis exercitium ascensumque ad ordinem superiorem. Haec enim sunt verba canonis. *Licet a patribus nostris emissa auctoritate id fuerit constitutum, ut quicumque sacerdos vel levita filiorum procreationi operam dare fuisset convictus, a communio-*

ne dominica abstineretur. Nos tamen huic districtioni moderationem adhibentes et iustam constitutionem mollientes, id decrevimus ut sacerdos vel levita coniugali concupiscentiae inhaerens vel a filiorum procreatione non desistens, ad altiorem gradum non ascendat, neque sacrificium Deo offerre vel plebi ministrare praesumat. Sufficiat his tantum ut a communione non efficiantur alieni. Igitur *non desistentes* ad communionem dominicam admittebantur. Ergo *non desistentes* minime peccare putabantur; ergo erant ea lege a patribus soluti.

» Demum quam parum compertae fuerunt olim non populo solum sed multis doctoribus leges pertinentes ad matrimonium, coniugalis fidei probationem eamque continentiam qua quisque debet a quibusdam voluptatibus abstinere? Permittunt quidem iura in aliquibus casibus post legitimum matrimonium divortium, separatis autem coniugibus, alias inire nuptias prohibent. Id tamen permisere christiani imperatores, ut constat ex *c. Iustinianeo tit. de repudiis.* Et quamvis Barbosa *ff. soluto matrimonio* 2. *par. rubric. num.* 10. dicat id solum fuisse permissum ad impediendum maius malum, addit tamen in veteri ecclesia indissolubilitatem matrimonii non ita arcte fuisse intellectam ut intelligitur modo, aliosque provinciales episcopos putasse iustam aliquam causam dare, ex qua liceat libellum repudii dari.

» Hi provinciales episcopi forte fuere patres concilii venetici celebrati in Galliis. ann. 465. et patres concilii postea celebrati apud Vermerias. Illi siquidem inter morum corruptelas id recensent quod aliqui, relictis propriis uxoribus tamquam adulteris, alias ducerent *sine probatione adulterii:* quo videtur innuere id licere si probetur adulterium. Hi vero, ut refertur in decreto *capit. Si qua mulier* 31. *quaest.* 7. sic definiunt: *Si qua mulier in mortem sui mariti consiliata sit cum aliis, et ipse vir se defendendo aliquem illorum occiderit, si probare potest ille vir, eam ream esse consilii, potest* (ut nobis videtur) *ipsam uxorem dimittere, et si voluerit, aliam ducere.* Id non licere cognovit quidem s. Augustinus *lib. de fide et operibus cap.* 19.; sed rem esse adeo obscuram putavit ut eius ignorationem venialem vocet.

» Ille etiam multorum error fuit et forte ex simili causa profectus, nempe ex legibus imperatorum, quod quia ab his non aeque vir adulter ac uxor adultera puniebatur, liceret viris adulterium committere, quamvis uxoribus non liceret, quem errorem fuse redarguunt s. Gregorius Nazianzenus *orat.* 31. s. Augustinus *lib.* 2. *de adult. coniug. c.* 9. et sanctus Hieronymus qui in epitaphio Fabiolae, *Aliae sunt* (inquit) *leges caesarum, aliae Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit. Apud illos viris impudicitiae frena laxantur, apud nos quod non licet foeminis aeque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur.*

» Hunc errorem perseverasse in multis etiam postea, constat ex s. Caesario qui *hom.* 16., ut postea dicam, eum dispellere satagit, idipsum inculcans, nempe, quod foeminis non licet nec viris licere. Ex eodem constat etiam maioris ordinis clericos existimasse ebrietatem culpa carere; alios putasse concubinatum praesertim solutorum licere, quem utrumque errorem aut utriusque erroris permissionem deflet Fulbertus episcopus carnotensis *ep.* 83.: loquens enim de sui temporis sacerdotibus dicit eos *aut nescivisse ebriositatem et libidinem esse mortalia peccata aut scire dissimulasse.*

» Illud autem magis mirabile est, saeculo undecimo in florentissimi regni ecclesiis tam parum fuisse comperta initi consummatique matrimonii vincula, ut ab eruditis fuerit dubitatum, an viro liceret ab uxore discedere propter fornicationem ab ea ante matrimonium commissam, nec forte defuerint qui id licere dixerint. Hanc quaestionem proposuit Radulphus remensis archiepiscopus Ivoni episcopo carnotensi praeclarissimo eius aevi doctori qui *epist.* 188. ita respondet:

Quaesivit a me quod melius me novit vestra prudentia, utrum mulier, quae post completa sacramenta et officia nuptiarum infra duos aut tres menses peperisse cognoscitur, debeat propter foedera nuptiarum in coniugio manere aut propter patratum ante nuptias flagitium matrimonii dignitatem amittere, cum lex Moysis huiusmodi iubeat lapidari; super qua re non memini me canonicam invenisse sententiam. Dico tamen sine PRAEIUDICIO MELIORIS *sententiae, quia si ante celebrationem sacramenti coniugalis cognita fuisset mulieris turpitudo, secundum legum severitatem, non esset honestanda matrimonio, sed asperis obiurgationibus, tamquam lapidum iactibus severa ei esset adhibenda correctio. Verum, postquam simpliciter praecedente consensu contracta sunt foedera nuptiarum, postquam matrimoniales tabulae datae sunt et caetera coniugii sacramenta completa sunt, vir et mulier unum corpus per commixtionem carnis facti sunt, non in-*

elligo, posse dissolvi coniugium, nisi divortii causa intercurrat adulterium.

(Et post aliqua)

Cum leges honestati consulere debeant et saluti, TUTIUS *mihi esse videtur ut vir mulierem quam duxit, licet nesciens impudicam, retineat uxorem, quam suo divortio et illam fornicariam et se faciat fornicatorem. Beati quoque doctores nostri Ambrosius et Augustinus huiusmodi mulierum lapsus suadent potius a viris debere dimitti quam districte et sine misericordia iudicari, cum et ipsi viri vix possint a similibus impudicitiis immunes inveniri.*

(Tandem in fine epistolae)

Si vero aliter in aliquibus capitulis repertum fuerit, severitati disciplinae est adscribendum. Sed ubi salus periclitatur, moderatione legum saluti intelligimus consulendum.

« Ex hac epistola habes 1. Archiepiscopum remensem non potuisse ex se respondere ei quaestioni, quae nullam habet difficultatem nec habere debet, cum Christus Dominus, *Matt.* 19. permittens fieri divortium propter fornicationem, loquatur de fornicatione commissa post matrimonium, adeoque de adulterio, non vero de fornicatione antea commissa.

» Habes secundo, nec ipsi Ivoni visam penitus improbabilem sententiam eorum, qui dicebant hoc divortium licere; nam dicit esse illicitum *sine praeiudicio melioris sententiae*, quod dicere non solemus nec debemus, cum putamus oppositum esse omnino improbabile: uti nec dicere solemus *tutius esse* rem aliquam non facere, quando putamus improbabile prorsus esse quod liceat eam facere. Ivo autem dicit *tutius* esse non dimittere in allato casu uxorem ante nuptias fornicatam.

» Notanda sunt etiam ea verba. *Cum et ipsi viri vix possint a similibus impudicitiis immunes inveniri.* Quod nostra tempora non parum commendat. Sed de hoc alibi.

» Nunc unum subtexam ex eodem Ivone, quod clarius forte quam praeterita demonstrat, quam nunc beneficio casuistarum sint in doctrina morali magis instructi, qui vel brevem eorum summam legerunt, quam olim essent post multorum codicum lectionem et studium egregii doctores. Quamvis autem quod afferam ad matrimonium, de quo modo agimus, non pertineat, pertinebat tamen ad eos potissimum qui erant matrimonio coniuncti, cum unus erat alteri de fide violata suspectus.

» Legibus longobardorum sancitum fuisse ferunt, ut in accusationibus criminum, praesertim violantium iura coniugii, cum delicti, quod probari non poterat, fortia aderant indicia, compelleretur reus, aut aquae ferventi manum immergere, aut tangere ferrum ignitum, aut incedere super candentes vomeres, aut demergere se in aquam frigidam: et si ab igne non laederetur, aut ab aqua frigida reciperetur, innocens haberetur; reus vero si laederetur ab igne, aut aquae frigidae, velut ab ea reiectus, supernataret. Si id genus purgationis adhiberi non posset, litem dirimeret duellum, ac proinde eligerentur duo milites, quorum unus pro accusato, alter pro accusatore confligeret, eaque pars culpa vacare crederetur, cuius partis militi victoriam sors et virtus adiudicaret.

» Illicitam et intrinsece malam esse hanc purgationem constat modo apud omnes doctores, eamque ut talem interdicunt canones conciliorum et definitiones pontificum, inter quos Nicolaus, ut refertur in decreto *cap. Monomachia* 2. *quaest.* 5. *Monomachiam in legem non assumimus, quam praeceptam fuisse non reperimus:* et paulo post: *Cum hos et huiusmodi sectantes, Deum solummodo* TENTARE *videantur etc.* Et Stephanus papa v. ab eodem paulo ante allegatus: *Ferri candentis vel aquae ferventis examinatione confessionem extorqueri a quolibet sacri non censent canones: et quod sanctorum patrum documento sancitum non est,* SUPERSTITIOSA *adinventione non est praesumendum.*

» Olim tamen episcopi multi licere id genus purgationis putarunt, quodque mirabilius est, adhibendum censuerunt, et adhiberi voluerunt; nam triburienses patres an. 895. sic statuunt *can.* 22., ut refert Gratianus in *decreto* 2. *quaest.* 5.: *Nobilis homo vel ingenuus si in synodo accusatur et negaverit, si eum constiterit fidelem esse, cum duodecim ingenuis se expurget: si antea deprehensus fuerit in furto aut periurio aut falso testimonio, ad iuramentum non admittatur, sed* (sicut qui ingenuus non est) *ferventi aqua vel candenti ferro se expurget.* Servi enim potissimum ad hanc purgationem adigebantur, inde dictam vulgarem: aut potius ut distingueretur a purgatione canonica per iuramentum coram pluribus super quatuor evangelia aut sanctorum reliquias solemniter emissum. De qua purgatione agitur apud Burchardum, *lib.* 1. *cap.* 194. *et* 196., et apud Ivonem in pluribus epistolis.

» Is autem quamvis *epist.* 74. vulgarem purgationem reprobet, et in hunc finem

afferat plura pontificum decreta, in quibus ea pro nullo casu admittitur, reiiciturque ut inventum populare profectum ex odio et invidia, et superstitiosum, adhuc tamen, *epist.* 152. ad Radulphum remensem archiepiscopum, usurpari eam aliquando debere docet: *Non negamus tamen quin ad divina aliquando recurrendum sit testimonia, quando praecedente ordinaria accusatione omnino desunt humana testimonia, non quod lex haec instituerit divina, sed quod exigat incredulitas humana:* perinde ac si liceat tentare Deum ad revincendam incredulitatem humanam, quae nec satis revincitur his ostentis, utpote quae non semper praebent certum argumentum ut ipse idem monet *epist.* 205. agens de quodam milite, quem accusatum coactumque uti hoc genere purgationis, ferrum candens ustulaverat: *Cauterium militis* (inquit) *nullum tibi certum praebet argumentum cum per examinationem ferri candentis occulto Dei iudicio multos videamus nocentes liberatos, multos innocentes saepe damnatos.*

» Nec facit ad rem exemplum et doctrina quam tradit *epist.* 252. petita ex iuramento quod aliquando licet, quamvis Christus Dominus *Matthaei* 5. dicat: *Ego autem dico vobis non iurare omnino.* Christus enim non prohibet absolute iuramentum, ut quid ex natura sua irreligiosum et pravum, sed abusum iurandi temere, ut hic apud Cornelium a Lapide interpretantur patres. At canones et pontificum responsa purgationem vulgarem prohibent absolute ut quid pravum, superstitiosum et irreligiosum, dum sine speciali Dei instinctu et mandato exhibetur; hinc idem Cornelius a Lapide loquens de iudaeis quibus iussa fuit Numerorum *c.* 5. purgatio delicti per aquam maledictam, dicit: *Miraculo stato et continuo olim apud iudaeos explorabatur scelus adulterii,* subditque: *Simili modo apud christianos olim mulieres suspectae de adulterio se purgabant, tangendo ferrum candens, si ab eo non adurerentur ut contigit sanctae Cunegundae. Quae probatio cum a Deo non esset instituta, ideoque esset Dei tentatio, iure a canonibus est* DAMNATA. Igitur purgatio vulgaris, de qua loquimur, non debuit a patribus triburiensibus permitti, nedum praecipi, nec ab Ivone pro ullo casu approbari. At unde hoc lumen nobis affulsit? Certe non ex solis praedictorum pontificum decretis quae non ignorat Ivo, sed ex libris casuistarum qui ea pontificum decreta et rem ipsam, ut reliqua omnia, subtilius expenderunt.

Demum (ne sim infinitus) si vis aestimare pro merito, quantum obscuritatis et ignorationis depulerint recentes scriptores, iterum auctor tibi sum, ut legas quae duodecim primis ecclesiae saeculis fuere doctoribus circa mores propositae quaestiones ac dubia. Haec enim duo deprehendes omnino, 1. proponi subinde quaestiones quas modo ope casuistarum solvunt omnes, olim vero paucissimi poterant, et ideo cogebantur quotidie consulere non aliarum tantum ecclesiarum, sed aliarum provinciarum, immo et regnorum doctores. 2. Ea non raro praeberi responsa quae aut praeberi non possunt aut illis verbis praeberi non possunt, sed aliis quibus ea praebent recentes doctores; iis enim (ut notat s. Thomas *opusc.* 2. in praefatione ad Urbanum papam) *exorti circa fidem errores occasionem dederunt ut ea quae sunt fidei* (idem dicendum de doctrina morum) *maiori circumspectione traderent,* ut tradiderunt ex eodem s. doctore qui subdit: *Et ideo non est mirum, si moderni fidei doctores post varios exortos errores cautius et quasi elimatius loquuntur circa doctrinam fidei.*

Illud etiam volo colligas ex iis quae leges ipse et ex me hactenus audivisti, quam falsa scilicet illorum persuasio sit qui putant ab iis qui volunt addiscere doctrinam moralem non esse consulendos casuistas, sed scripturas et patres, quos certe consuluerat s. Augustinus anglorum apostolus tamdiu versatus inter monachos, quorum praecipua occupatio erat studium scripturarum et patrum; consuluerat Ferrandus diaconus qui compendium canonum scripserat: consuluerant patres venetici, patres triburienses, Radulphus archiepiscopus remensis cum eius aetatis patribus gallicanis non paucis, aliique, quorum responsa vel dubitationes supra proposui, nec tamen in multis quaestionibus didicerunt ex illis veram responsionem quam nos discimus ex casuistis. Hinc autem male quis colliget casuistas praeferri scripturis et patribus, aut in libris casuistarum contineri doctrinam magis certam quam in scripturis et patribus, sed ab optimis casuistis tam multis melius esse intellectas scripturas et patres quam eas praedicti intellexerint, quamque nostrum quispiam intelligat, ac proinde non debere nos fidere intelligentiae et interpretationi nostrae, sed casuistarum praesertim celebriorum, quod, ut vides, non est praeferre scripturis et patribus casuistas, sed nostro iudicio praeferre iudicium celebriorum casuistarum.

Cler. Occupasti prudentissime quod

obiicere poterant qui te audiunt aure non satis aequa. Unum videtur obiici adhuc posse etiam a non infensis, nempe errasse quidem aliquando doctores in quaestionibus moralibus, antequam inciperent docere et scribere casuistae, sed hos etiam errasse, immo plures in horum libris errores reperiri quam in illis; non igitur ex libris casuistarum tam ingens utilitas in rempublicam litterariam redundavit, nec fuerunt ab illorum libris errores depulsi.

Auct. Nec id asserui unquam fuisse a casuistis omnes errores depulsos sed multos; et rursus ostendi id lumen ab ipsis effusisse quo facile solvimus innumeras quaestiones in quibus haerebant olim doctores primarii. Quod autem dicis hos errasse magis, nego. Errarunt quidem aliqui ex ipsis, sed forte in eosdem illos errores inciderunt prius veteres aliqui doctores; non enim scimus omnes antiquos errores, sed paucissimos, cum longe pauciores quaestiones morales, quam tractamus nos, tractarint antiqui scriptores. Demum laudavi casuisticam facultatem, eosque casuistas qui in ea facultate praefulserunt, qui aut errarunt nunquam aut vix unquam, non autem eos quorum non paucos errores romani pontifices iustissime confixerunt.

Sed vereor ne haec facultatis nobilissimae defensio accusatio sit audaciae meae iam nimis abutentis patientia tua et fusius quam opus esset in casuistarum laudes excurrentis; sed quamvis ipse non egeas tam multis, ut incipias de doctissimis viris sentire pro merito ipsorum, indigent certe alii nec pauci, qui hac nostra aetate sic de casuistis loquuntur ut non ita obloquantur de faece hominum pessimorum. Horum calumniis dispellendis forte non erunt inutilia, quae audivisti.

Cap. V. Casuistarum vindiciae aliae a nobis compositae: ac primo ostenditur casuistas patrum contemptores non esse.

Haec ad casuistarum defensionem abunde sufficerent, nisi quorumdam in illos hodieque debacchantium furor id a nobis postularet ut uberiore stylo eorum causam tueremur. Qua in re a pervulgata illa odiosaque criminatione ordiri placet quae casuistas veluti patrum contemptores traducit. Nam qui casuistarum libros post virulentum *Provincialium Litterarum* scriptorem mordere ac dilacerare aggressi sunt, id cum primis in illis reprehendere, quod sane ad incautos decipiendos maxime fieri oportuit, studium sanctorum patrum neglectum atque adeo improbatum.

Quam quidem calumniam depulere plurimi atque inter alios in aureis elegantissimisque Cleandri et Eudoxii dialogis adversus impudentes Paschalis provinciales epistolas nuper indicatas p. Gabriel Daniel. At quum hodie eadem naenia recinatur, aliquid hac super re, ad retundendam ineptam criminationem, addendum hoc maxime loco quo de patribus agimus.

Ac primum aio casuistas duas veluti in classes dispertiendos esse, quarum altera grandium voluminum scriptores complectitur Suarios, Vasquios, Laymanos, Bonacinas, Dianas, Sporeros: Summistas altera et compendiorum auctores quos inter Busembaum. Summistas porro libens fateor patrum testimoniis raro admodum ac fortasse nunquam uti. Quod tamen qui patrum contemptui tribuerit, nae ille stultissimus criminator habendus erit. Nam longas ne patrum citationes ab iis expectes, quorum unum illud studium brevitati consulere? Hoc profecto idem esset, quod in Tursellini historica epitome aut Cluverii introductione ad geographiam, veterum recentiumque historicorum aut geographorum sententias requirere. Praeterea cum summistis plerumque mos sit, ad eos qui theologicas res fusiori calamo persequuti sunt, lectores suos mittere, atque hi, ut nunc demonstrabimus, patrum auctoritati nitantur maxime, perinde de illis sentiendum, ac si patrum verba ipsimet redderent.

Quod autem ad primos illos casuistas spectat, qui pluribus voluminibus theologiam moralem complexi sunt eosque qui illis accessere, ipsos inter et summistas veluti medii, oculis careat oportet qui patres ab illis neglectos queratur. In his enim frequentius nihil quam aut patrum testimonia describere aut locos indicare, ubi de hac illave re loquantur patres. Et vero si Suarius, si Vasquius, si Valentia, Becanus, Gobatus, Fagundius, Sanchez, singulis locis, ubi patres consulendos monent eorumque libros adnotant, horum testimonia verbatim addidissent, futurum censeo ut longe explicatior in istorum voluminibus patrum auctoritas prodiret quam in Natalis Alexandri, Genetti, Pontasii, Besombii et caeterorum libris. Illud etiam fortassis pateret quanti horum interfuerit casuistas ludibrio exponere ne scilicet turpes plagiarios sese omnium obtutibus proderent. Nimirum casuistarum scrinia compilasse magnos istos theologiae e patribus ductae praedicatores atque magistros, tam certum est quam quod maxime.

At non solis patrum testimoniis casuistae controversias suas definiunt. Ita sane: at illas ne sic quidem definiri posse qui non videat? Nam ut nihil de illis quaestionibus dicam, super quibus inter patres

nequaquam convenit, sexcenta quotidie dubia enascuntur, quorum qui in patribus quaerat explicationem ridiculus sit. Memini accepisse me ex doctissimo homine, virum quemdam ecclesiastica dignitate conspicuum, qui patrum theologiam singulis pene verbis inclamabat Arimini, dubitasse non multos ab hinc annos, num censuris implicitus esset: quum autem ex veterano theologo percunctatus esset ille, quid ipse sentiret; hic vero ioci causa respondisset consulendos Tertulliani, Lactantii, Augustini, Ambrosii, Leonis, Basilii codices, bonum illum ira exarsisse primum, deinde composito nonnihil animo vanitatem suam agnovisse atque abiecisse. Quid ad haec p. Concina? ait (*t.* 1. *appar. p.* 277.), hoc idem asserere lutheranos et calvinianos de controversiis quae illos inter et nos catholicos agitantur. Quam in rem adfert diserta Ioannis Dallaei verba dicentis patres controversias istas *nunquam fere, nisi casu atque obiter et aliud agentes, attingere.* Verum ipsemet, quibus protegamur ab hoc telo, arma suggerit. Negat enim ac vere negat (*p.* 278.), a patrum scriptis abesse doctrinas quibus haereticorum figmenta detegantur. At cui ostendet vir eruditus casuisticas controversias in patrum libris reperiri? Errat Dallaeus: errare nos nisi alios ab iis quos habemus, patrum libros proferat, non demonstrabit Concina, ne millenos quidem si effundat theologiae christianae tomos. Quaeso, patrem inveniat (uno contentus hoc exemplo causa cedam si invenerit) unum inveniat patrem qui trinum contractum usurae arguat. At patres usuram damnant. Ita sane: hic igitur contractus usurae suspicione non vacat? Logici, vestram fidem. Caeterum quum eo demum spectet tanta theologiae patrum laudatio, ut casuistae probabilismi defensores patrum veluti osores contemptoresque perditissimi traducantur, contendo iniquam esse accusationem huiusmodi, atque adeo ab ipsorum patrum instituto doctrinisque perquam alienam.

Repetamus tantisper animo celeberrimam illam quae africanas ecclesias, etiam asiaticas diu vexavit de rebaptizandis haereticis controversiam, quam qui commentitiam esse, fabularumque similem cum p. Missorio contenderit, paucos inveniet suae sententiae suffragatores. Iterum abluendos baptismate qui ecclesiae catholicae nomen darent, haereticos censebat cum africanis suis b. martyr Cyprianus. Quae quidem Cypriani opinio non tutior modo erat, ut compertum cuique esse potest qui tutioris opinionis nomen intelligat; sed etiam contraria probabilior atque adeo certa videbatur africanis. Qua de causa ad Pompeium scribens Cyprianus *ep.* 74. *Baluz. edit.* aiebat: *Quae ista obstinatio est, quaeve praesumptio humanam traditionem divinae dispositioni anteponere, nec animadvertere indignari et irasci Deum, quoties divina praecepta solvit, et praeterit humana traditio?* Addit August. *l.* 2. *de baptismo n.* 5. iis argumentis nixam fuisse Cypriani sententiam tamque verisimilibus, ut sola ecclesiae auctoritate in aliam abire se palam profiteatur. En eius verba: *Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi universae ecclesiae auctoritate firmati.* Ex his ducet fortasse quispiam caeteros illorum temporum patres, qui Stephano romano pontifici assentiebantur et afrorum opinioni refragabantur, minus tutam sententiam propugnasse atque adeo solum probabilem. Ego vero, qui probabilioristam respondere facile posse video, Cypriani adversariis visam fuisse sententiam suam Cyprianica probabiliorem, eaque de causa, ab his defensam, in hunc modo argumentari malo: Cypriani sententia probabilior ne fuit opposita? an solum probabilis? utrumlibet elige. Si hoc dixeris, cur igitur Augustinus *nisi universae ecclesiae auctoritate firmatus* a Cypriano discessisset? An non satis illi esse debuit probabilem tantum Cypriani esse sententiam ac oppositam probabiliorem? Dices illud? Cum Cypriano res tibi erit atque adeo cum Augustino. Cyprianus nempe ad suam carthaginensem synodum ita praefatur: *Superest ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut a iure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes.* Augustinus vero *lib.* 5. *de baptismo* Cyprianum ea vel maxime de causa laudat, quia *nemini praescribens neque praeiudicans, quo minus quisque episcoporum quod putat faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem, etiam nobis qualibuscumque dedit locum pacifice secum ista tractandi;* sensit ergo Cyprianus, sentit Augustinus (siquidem africanorum sententia probabilior fuerit) licere sequi opinionem probabilem, probabiliore relicta.

Huius simile argumentum est quod ex Hieronymo profero. Sed Christiani Lupi augustiniani casuistis ac iesuitis praesertim non admodum amici, verba hac in re *ex cap.* 3. *dissertationis de opinione probabili* recitemus: *Apud antiquos patres ... fuit et alia quaestio. Quidam censebant a solis post baptisma iteratis nuptiis quem fieri irregularem; alii censebant fieri a quibuscumque, praesertim si alterae sal-*

tem fuissent initae post sacrum lavacrum. Et hanc sententiam constantissime tenuit romana ecclesia et plures latinae. Est res omnibus eruditis exploratissima. Ast Hispaniarum ecclesia tenuit oppositum et plures ipsi assenserunt (hos inter s. Hieronymus in epistola ad Oceanum), *et adversus istam Hispaniae opinionem Siricius pontifex suas ad Himerium tarraconensem archiepiscopum decretales litteras, in quibus omnino agit adversus unum baptismo prius aliud ipso posterius coniugium. Lucet ex s. Innocentii* I. *ad toletanam synodum similibus litteris palam asserentibus istam solum bigamiam in Hispaniis reprobari..... Interim his omnibus non commotus s. Hieronymus permansit firmus in sua sententia. Imo etiam in commentario apostolicae ad Titum epistolae ..... communem sententiam constanter affirmat esse superstitiosam potius quam veram: quod ipsum docuit firmus etiam in aliis locis... Et nescio cui Chrysogono Rufini discipulo, istam doctrinam culpanti in libris adversus Rufinum* (*lib.* I. *c.* 7.) *laudatus Hieronymus respondet*... Habent libellum quem in crimen vocant. Ille respondeat. Hunc sua disputatione subvertat. Quid austeritate frontis et contractis rugatisque naribus concava verba trutinatur et sanctitatem apud vulgus ignobile simulato rigore mentitur? Audiat nos iterum etc. ..... Haec dicimus non quod ipsi propitio Christo hac quaestione teneamur, sed interrogati a fratribus quid nobis videretur, respondimus nulli praeiudicantes sequi quod velit, nec alterius decretum nostra sententia subvertentes. *Mature notanda sunt haec verba:* Quid austeritate frontis etc. *Etenim quadrant et in nostra tempora. Notanda sunt et haec verba:* Nulli praeiudicantes sequi quod velit. *Sunt desumpta ex erratica sancti Cypriani synodo. Notanda sunt item haec:* Nec alterius decretum etc. *Inter Siricium pontificem ac sanctum Hieronymum intercessit aliquid humani diei. Hinc quaedam huius dicta sunt veneranda quidem: attamen admiranda potius quam imitanda. Interim constanter docuit probabilem sententiam esse securam ac tutam, etiam minus probabilem. Quis enim non videat praesentem illius sententiam fuisse huiusmodi?* Haec Lupus. Quod si velis Hieronymo tamen probabiliorem visam fuisse, contentionis funem non traham; inferam enim; igitur vel Hieronymo teste qui scribit: *nulli praeiudicantes sequi quod velit*, licet sequi opinionem probabilem, relicta probabiliore.

Aliud exemplum ex Augustino ducamus. Disparitatem cultus dirimere coniugium, veteres patres, Tertullianus aliique sensere, quibus nos hodieque adhaeremus. De suo tamen saeculo sanctus Augustinus scribit in libro *de fide et operibus cap.* 19.: *Quae nostris temporibus iam non putantur esse peccata.* Utique, inquit citatus Lupus *cap.* 2., per inductam ab adversa consuetudine sententiam probabilem. Et hanc Augustinus non fuit ausus improbare. Hinc subiungit: *Quoniam revera in novo testamento nihil inde praeceptum est; et ideo aut licere creditum est aut velut dubium derelictum.* At librum hunc Augustini *de fide et operibus, et* 19. *cap.* antea non dimittamus quam aliud in rem nostram duxerimus argumentum. Ait ergo sanctus doctor: *Quisquis uxorem in adulterio deprehensam dimiserit et aliam duxerit, non videtur aequandus eis qui, excepta causa adulterii, dimittunt et ducunt. Et in ipsis divinis sententiis ita obscurum est utrum et iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, aut quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur.* Audi hunc Lupum ibidem: *Affirmat Augustinus quod suo tempore sententia fuerit revera probabilis; nec eam, licet contrarium senserit, fuit ausus damnare.* Adeo verum est patribus quoque probabiles tantum opiniones suas fuisse, aut si aliis probabiliores, non necessario tamen amplectendas.

Sed ne longior sim quam par est, Bernardi testimonium sufficiat *tract. de baptismo cap.* 5. ubi hanc regulam et canonem statuit: *Sane ibi unusquisque in suo sensu securus abundat, ubi aut certae rationi, aut non contemnendae auctoritati quod sentit non obviat.* Argue iam. Atqui ubi solum *probabilior opinio contraria est nec certae rationi nec contemnendae auctoritati, quod sentit probabilista obviat.* Igitur probabilista in suo sensu securus abundat, si Bernardo fides quocum sapere malo quam desipere cum Wendrochio, Paschale eorumque sectatoribus.

Cap. VI. Non casuistarum lectio inutilis et auctoritas nulla.

Tres examinandae supersunt contumeliae ne dicam, an accusationes? Prima ea est quam hoc capite aggredior ad confutandum, inutilem esse casuistarum lectionem illorumque auctoritatem levem plane atque triobolarem.

Atque in hoc argumento versatos ante me magna cum laude fuisse moneo Abel-

lium *in defensione recentium casuistarum*, et Francolinum *de discipl. poenit. lib.* 3. *c.* 7. §. 25. quibus adde Danielem in dialogis suis adversus famosas impiasque Paschalis provinciales litteras.

Ego vero, ne longior sim, uno hoc argumento utar quo olim Canus *lib.* 8 *cap.* 4. scholasticorum omnium causam defendit. Crederem nempe casuistarum lectionem irritam, vanam auctoritatem esse, nisi ex horum sententia ecclesia res plurimas definisset. Quippe trecentos ab hinc annos, si quae ecclesia de moribus decreta tulit, in his casuistarum subsidio et diligentia vehementer adiuta est. Id quoniam constat inter omnes quibus vel conciliorum nostrae aetatis gesta vel negotia cognitionis fidei vel rotae romanae, sacrae poenitentiariae et sacrarum congregationum eminentissimorum cardinalium decisiones, atque instituta sunt cognita, fateamur necesse est aut utilem esse casuistarum lectionem neque auctoritatem illorum parvi faciendam, aut episcopos, cardinales, pontifices omnes a trecentis amplius annis insanisse. Quid vero de Benedicto XIV. dicemus, pontifice illo post avorum memoriam doctissimo? Quaecumque ex tanti ecclesiae magistri eruditione, antequam ad apostolatus apicem eveheretur, prodiere volumina, nulla unquam aut saeculorum oblivione aut invidiae morsu delenda, atque ea praesertim quae bononiensis ecclesiae archiepiscopus edidit dioecesis illius suae moribus et disciplinae restituendae apprime utilia decreta, si consulas; casuistas magno numero citari comperies a Lambertino, atque illos, quos oderunt maxime praeclari nostri casuisticae theologiae irrisores, Sancios, inquam, Tamburinos, Vivas.

Adde his sanctissimum de casuistis iudicium bb. Caroli Borromaei et Francisci Salesii uti et mechliniensis synodi an. 1607. Horum omnium verba refert noster auctor *lib.* I. *tract.* I. *n.* 463. Quamobrem ab his recitandis abstineo. Abstineant tamen a tam perdito casuistarum contemptu loquaces isti quos utinam honoris causa nominare possem! neque hiscere audeant contra theologos ecclesiae tantorumque virorum suffragiis honestatos.

Cap. VII. Casuistas non esse abiiciendos quod aliquas theses a pontificibus postea damnatas defenderint.

Quae altero loco refellenda est casuistarum accusatio, ea est, aliquas propositiones ab illis propugnatas fuisse, quae nigro theta a summis pontificibus fuere postea notatae. Atque hac quidem accusatione nihil ineptius. ut noster quoque La-Croix paucis indicat *lib.* 1. *tract.* 1. *n.* 161. Libens enim fateor in casuistis proscriptas theses legi. At quid tum? Igitur caeteri in quibus nihil eiusmodi aut ipsi illi qui in eos scopulos impegere, plane abiiciendi! Proh stultissimam consecutionem! quae si vim habere dicatur, patres omnes improbandos esse abiiciendosque cur non dicamus? Audi elegantissimum Canum *lib.* 7. *cap.* 3.: *Nemo quantumvis eruditus et sanctus non interdum hallucinatur, non alicubi caecutit, non quandoque labitur. Sanctus vero is fuit qui credidit ab haereticis baptizatos esse rebaptizandos. Sanctus fuit qui in Christi corpore et sensum poenae et dolorem fuisse negavit. Sanctus fuit qui in chiliastarum dogma descendit. Sanctus fuit qui viro, ob adulterii culpam uxorem repudianti, alterum matrimonium concessit. Sanctus fuit qui animis piorum usque ad iudicii diem veram felicitatem ademit. Sanctus fuit qui animam hominis ex traduce esse putavit. Sanctus fuit qui animam Adae ante corpus fuisse editam opinatus est. Sancti fuere qui angelos multis ante mundum corporeum aeternitatibus creatos esse existimarunt.* Quos si propterea insectabimur nullaque reverentia tractabimus, lutheranis, calvinianis et caeteris eiusmodi pestibus romanam ecclesiam proscindendam sanctaque omnia proculcanda demus, necesse est.

Sed ex Christiano Lupo, augustiniani ordinis scriptore egregio, neque casuistarum vituperatoribus admodum suspecto, aliqua in eandem Cani mentem commentemur. In dissertatione de *opinione probabili cap.* 14. quaerit eruditus Lupus, *an omnes sanctorum patrum sententiae sint vere probabiles?* Respondet autem quaestioni *negative.* Quod responsum suum ut probet, cum alias et Hieronymi praesertim, tum has in medium affert veterum sententias. Reddo Lupi verba: *Paradoxam quorumdam suo tempore episcoporum opinionem refert in sacris Isaiae prophetae commentariis b. Hieronymus.* Plerique nostrorum chirotoniam, id est ordinationem clericorum, quae non solum ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impletur manus, ne scilicet, ut in quibusdam vidimus, vocis imprecatio clandestina clericos ordinet nescientes, sic intelligunt, ut assumant testimonium Pauli scribentis ad Timotheum: *Manus cito nemini imposueris. Est opinio vere ridicula, ipsam tamen tenuerunt magni viri. Etenim s. Phaedimus amasenus episcopus, totius tunc Ponti metropolita, paganis naeocaesariensibus volens imponere episcopum*

dudum et frequenter precatus fuit sanctum Gregorium Thaumaturgum. Verum ille perstitit fugere per saltus et latebras et non potuit comprehendi. Hinc in ipsius encomio scribit sanctus Gregorius Nyssenus episcopus: Posteaquam nihil non intentatum relinquens ille vir magnus Phaedimus et omni machinatione atque solertia utens, non poterat virum ad sacerdotium adducere, innumeris oculis praecaventem, ne quando sacerdotis manu caperetur atque utrique inter se studio certarent, illo quidem capere, hoc vero persequentis manus effugere cupiente; idcirco impetu quodam divino Phaedimus ad propositum studium provectus, nihil curans interiectum spatium, quo a Gregorio dirimebatur, quique illo aberat itinere tridui, sed ad Deum suspiciens, precatusque ut et ipse et ille pariter in illa hora a Deo respicerentur, loco manus impositionis adhibet Gregorio sermonem, Deo ipsum consecrans qui corpore praesens non adesset. *Hanc sibi intimatam consecrationem admisit Gregorius, nec fuit denuo consecratus. Verum quod sanctus Phaedimus peccarit mortaliter, quis audeat vel cogitare? palam contradicet sancto Gregorio Nysseno. Distinguenda sunt tempora; veritas pedetentim elucidatur.* Post haec aliud exemplum profert Lupus ex Hilario in *Matth. cap.* 33. Ambrosio in *symboli expositione cap.* 13. Epiphanio *haeresi* 20. *cap.* 2. et clarius *haeresi* 69. *cap.* 62. et Leporio secundae narbonensis Galliae monacho *epistola ad Proclum massiliensem et Cilinium episcopum aquensem*, Ioannis II. pontificis, Ioannis Cassiani, Facundi hermianensis episcopi, Gennadii massiliensis, atque adeo carthaginensis synodi suffragio comprobata; qui omnes docuerunt, in obitu Christi ab eius corpore non animam modo, sed etiam divinitatem fuisse seiunctam, idque Christum ipsum significare clamantem: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Tum haec addit Lupus: *Non dico hunc epistolae articulum fuisse probatum ab omnibus, aut omnes ita consensisse. Absit. Dumtaxat dico istum articulum, licet omnino deviantem, ab ipsorum nullo fuisse damnatum, proiectum, notatum. Quod nempe esset, quamvis non vere probabilis, tamen magnorum doctorum. Et quin ex ipsorum populis multi sint sequuti istam opinionem, non est dubitandum. Et tamen nunquam credidero vel hos vel illos, per hunc errorem deliquisse mortaliter. Quis enim istud credat de Hilario aut sancto Ambrosio? Quis dicat, ipsis credentem populum cecidisse in crimen? Haec quidem materia licet speculativa, est tamen dogmatica, ideoque omnis circa ipsam lapsus est gravis ac momentosus. Et ex his concludo tria. Primo, quod etiam magni patres sint quandoque lapsi in male fundatas sententias. Secundo, quod etiam tales, dummodo libere ambulent per ecclesiam opiniones, nemo damnare possit, nec quempiam eius sequacem a sacramentis excludere. Tertio quod cuncti probabilium, licet solum probabilitatis fucum habeant, opinionum auctores aut patroni, non sint universaliter arguendi de gravi peccato. Locum omnino hic habet antiqua regula: Facta vident homines, intentio iudicat omnes. Sincera mentis simplicitas excusat multa peccata.* Hactenus Christianus Lupus. Ego vero quartam ex his consecutionem duco, nempe auctores proscriptarum thesium non esse ea de causa contemnendos improbandosque quod illas docuerint, dum ecclesiae iudicio causa nondum finita erat; ne idem telum in patres intorqueamus. Quid huic tam certae ratiocinationi responderi possit, non video. Neque vero mirandum aut casuistas licet doctissimos, aut sanctissimos illos, quos traditionis custodes veneramur, patres aliquando a recta doctrina aberrasse. Hanc siquidem felicitatem (Cani verba sunt loco antea citato) *Deus in solis divinis voluminibus inesse voluit* (ut in eis non esset quicquam erroris) *quemadmodum Augustinus gravissime et verissime tradidit*

CAP. VIII. CASUISTAS NON ESSE LAXITATIS REOS QUOD PROBABILISMUM IN SUIS LIBRIS PROPUGNENT

Superest ut tertiam in casuistas accusationem diluamus: quae illos laxitatis arguit quod probabilismum doceant atque defendant. Censent nimirum anticasuistae, probabilismum laxitatis universae scelerumque fontem esse praecipuum. Enimvero si de probabilismo longe aliter sentiendum esse demonstravero, atque illi garriunt, casuistas ab hac criminatione liberavero. Qua in re parcam probabilioristarum nomini, neque eorum sententias plurimas longe laxissimas heic proferam aut in eorum mores severius inquiram. Haec odiosa nimium sunt, neque desunt alii qui in hac re versati sint verius quam felicius ob adversariorum suorum potentiam auctoritatemque. Tribus rem totam argumentis conficiam, quorum primum initia progressusque probabilismi, alterum ecclesiae de illo iudicia, tertium galliarum mores persequetur.

Itaque illud attente consideremus, quci fieri potuerit ut ex omni genere institu-

toque doctores probabilismum passim defenderent ubi omnium malorum origo hinc repetenda esset, quodque haereses fidei, id christianis moribus foret ille. Num tam exitialis doctrinae effecta consecutionesque homines ingenio doctrinaque praestantes latuere? Equidem scio eam esse affectuum nostrorum calliditatem ut in maximam aeternae salutis perniciem veluti prisma quoddam oculis nostris obiiciat, ne quo res quaeque colore sunt, perspicere vere possint. At illud etiam scio nullam laudis famaeque cupiditate vehementiorem in nobis esse affectionem, qua ad ea maximo studio vitanda compellimur, unde nomini nostro labes metui possit. Ut vero hominum indolem penitus nos agnoscamus, notum cuique est, laxiores sententias conciliandae gloriae minus idoneas esse. Nam homines (quocumque demum ad id ducantur argumento) severioris doctrinae praecepta audire student, et quamvis ab illis discedere in instituenda vitae ratione haud vereantur, ea profiteri tamen gloriae sibi vertunt ab iisque facile imponi sibi patiuntur qui illa praedicent edoceantque, quod cum semper evenisse scimus, tum maxime aetate nostra contingere quotidie dolemus. Quamobrem laudis amori tribui certe nequit tanta in probabilismo tuendo doctorum hominum consensio. Quid ergo eos in hanc sententiam pertrahere potuit! Insanit profecto Paschalis qui foedissimae adulationi id vertit perditissimorum confessariorum, ut nimia doctrinarum suarum facilitate scelestos allicerent, in eosque atque adeo, si superis placet, in universum hominum genus tyrannidem quamdam exercerent. Fac enim ita animo comparatos fuisse confessarios eiusmodi. Nonne multo consultius atque ad nefarium hunc finem longe utilius fuisset hisce artibus ac sententiis clam uti quam illas toti orbi libris editis patefacere? Sed haec mittamus. Primus qui scholastica methodo probabilismi quaestionem tractarit proque tam perniciosa doctrina suffragium palam et clarissimis verbis tulerit (nam caeteri ante ipsum aut obscure loquuti fuerant aut certe quaestionem ea super re non instituerant) fuit ex celeberrimo praedicatorum ordine Bartholomaeus Medina. Qui ergo erumpens incendium, tantam christianae reipublicae cladem mox allaturum, sacer hic ordo ac de ecclesia, si quis alius, optime meritus, Medinae libris oblivioni damnatis non extinxit? imo vero vires addidit praecepto reverendissimi patris generalis Seraphini Cavalli ut *aureas* expositiones suas quantocius in luce ederet Medina. Quid porro de Ioanne Baptista Hacquet, quid de Mercado, quid de Ludovico Lopez, de Ioanne Ildephonso Baptista aliisque illustribus dominicanis scriptoribus sentiemus? Eosne illorum numero adcensebimus, qui evangelicas leges labefactare ac perdere christianos mores instituere? Generale dominicanorum capitulum *formali praecepto* iussit Ioannem Ildephonsum Baptistam commentarios suos typis vulgare. Dicemus ne praeclaros hosce ex universo ordine patres in Iesum Christum, in ecclesiam inque sanctiora omnia flagitiose coniurasse? Quid vero de Didaco Alvarez sentiemus, egregio illo thomistarum heroe in disputationibus de auxiliis? Fieri ne potuisse putabimus ut qui Iesu Christi gratiam adversus molinistarum commenta (ut eorum sententiam nonnullis placet appellare) adeo strenue vindicaverat, moralem deinde eiusdem Iesu Christi doctrinam veritus non sit profligare, sese probabilistis adiungens? Praeterea cum initia probabilismi, qua nuper explicabamus ratione, a Medina repetenda sint, paulo post tridentinum concilium haec pestis erupit, quo scilicet tempore plurimi adhuc in vivis agebant ex iis doctissimis ac sanctissimis patribus qui lutheranae et calvinianae perfidiae delendae et christianis moribus ad evangelii patrumque apostolicorum normam componendis operam dederant. Neque tamen vel unum ex ipsis invenias qui mutire ausus fuerit adversus novam hancce, quae malorum omnium colluviem in christianam rempublicam intulit, probabilismi doctrinam. Quis eorum artus occupavit stupor, ut studio omni non contenderent tanto malo occurrere? Idem dictum esto de sorbonica academia, de lovaniensi universitate, de episcopis, de doctoribus omnibus qui ea aetate probabilismum sibi sequendum duxere. Fuerunt ne hi omnes a Deo caecitate perculsi ut irent in *adinventionibus suis?* et agmine facto ecclesiam prava doctrina inficerent? Apage nugas quae omnem fidem superant. Et vero mirandum id minus esset, si haec probabilismi doctrina aut arcano quopiam consilio aut aperta seu schismatis seu armorum vi aut etiam diaboli praestigiis scholas omnes et academias obtinuisset. At ridicula isthaec sunt et delirantium somnia. Regulares, presbyteri, episcopi doctrinae praestantia, ingenii acie, morum sanctitate conspicui, angli, galli, hispani, germani, itali, Deus bone! quam inter sese moribus atque indole discrepantes, augustiniani, dominicani, scotistae, iesuitae, studio suarum scholarum in contraria acti, nullius artibus, nullius iussibus, nullius veneficiis in hanc sententiam consen-

sere, atque ut de dominicanis et iesuitis aliquid dicam, eo vel maxime tempore quod ob dissidia controversiamque de *auxiliis* aptissimum accusationibus videbatur. Quid mirabilius atque ad avertendam a probabilismo laxitatis notam efficacius?

Age iam, sanctissimum de probabilistis ecclesiae iudicium consideremus. Romanos pontifices, quibus pascendas oves suas tradidit Christus quis credat eo seu vecordiae seu nequitiae devenisse ut tantum virus a christianarum ovium pascuis evellere negligant aut etiam nolint, nisi optime intelligerent, nihil omnino a probabilistarum doctrina timendum? Profecto, quidquid garriant loquaces aliqui antiprobabilistae, probabilismum iis saltem finibus conclusum, quos ipsi statuere iesuitarum primores, numquam improbarunt pontifices. Quandonam dixere hi: ***Visum et Spiritui sancto et nobis, in concursu duarum opinionum vere probabilium, probabiliorem sententiam sequendam esse, uti Merenda et Fagnanus docuere, atque adeo semper eam amplectendam quae adversus libertatem legi favet, ac tutior est, ut Paschalis, Wendrokius, Natalis Alexander censuit?*** Nisi ita disertis verbis statuant pontifices, inanibus declamationibus aera verberabunt antiprobabilistae. Quales eae sunt quibus utitur Concina *in praef. ad primum tomum appar. p.* 55. *et seq.* adversus hanc ipsam propositionem a p. Daniele Natali Alexandro ante nos vere ac solide obiectam. Quid porro ab hac sancienda lege prohibet pontifices? Parebunt probabilistae, neque tutioristarum exemplo abripi sese patientur ut in pontificum bullas libellos edant maledicentiae et audaciae plenos. Neque vero ignorare pontifices putaverim, quid rei probabilismus sit. Notum est quot artibus eius damnationem ab Innocentio XI. conati sint quidam extorquere; et ut nulla in hanc rem suppeterent monumenta, nemo prudens crediderit, tot in probabilismum clamores, quibus Galliarum regnum Italiaque universa centum ferme ab hinc annis personuit, nunquam ad apostolicam sedem delatos fuisse. Quamobrem viderint, quaeso, qui popellum in probabilistas libris vernaculo idiomate conscriptis ciere student, quam ipsi erga romanam ecclesiam reverentes sint. Nam quo atrioribus probabilismum ipsi coloribus pingunt, eo graviore silentem ecclesiam contumelia afficiunt.

Tandem Galliarum regnum ponamus nobis ob oculos ac, ne videar gallis iniurius, utar ferme verbis galli scriptoris seu P. D. Aurigny in *chronologicis monumentis t.* II. *ad ann.* 1656. *pag. mihi* 324. Ab anno 1656. quo Paschalis provinciales damnatas litteras in lucem emisit, coepere galli probabilismum eo habere loco quo bonorum morum luem haberi maxime decebat, ac tandem eo deventum est ut anno 1700. proscriptus fuerit in generalibus cleri gallicani comitiis quae *concilium galliarum nationale* a quodam nupero scriptore satis inepte dicuntur, ut apud rerum harum imperitos auctoritatem adderet eorum constitutionibus quas pontificiae potestatis propugnatores non multi faciant. De quo pp. Ghezzius et Richelmius consulendi. Quamobrem gallis omnino gratulandum videtur atque ab his digni apostolico aevo mores expectandi forent; quidquid enim nefariae licentiae florentissimi regni provincias corrumpebat, sublata causa, desivisse necesse est. At consulamus concionatores qui ab anno 1700. apostolico munere apud gallos functi sunt. Eadem plane vitia comperiemus ab illis exprobrari auditoribus suis quae olim, vigente probabilismo, notabant antiquiores divini verbi praecones. An non in paradoxo simile videri posset? Ita sane si probabilismus is sit quem eius osores praedicant, criminum omnium pater. Ridet hanc collectionem praeclarus Concina atque adeo (*Appar. t.* I. *p.* 57.) clamat, *imbecillitati suae* (quae demissio animi esset, nisi hic revera imbecillem se proderet christianus hic theologus) *praefatam doctrinam videri falsam, perniciosam et, ut mitissime loquatur* (quid si loqueretur immitissime?) *scandali plenissimam, iniuriosam non patribus gallicanis modo, verum etiam conciliis omnibus, universae ecclesiae, viamque erroribus omnibus aperire latissimam.* Atque ad haec equidem inhorrescerem, nisi concinianis hisce cantilenis aures pridem adsuetas haberem. Sed rationem audiamus tantorum malorum: *Concilia tum provincialia, tum nationalia, tum oecumenica ab ecclesia condita innumeras proscripsere opiniones morum corruptrices; nihilosecius patres et verbi divini praecones cuiuscumque aetatis in eadem detonarunt vitia quae ante proscriptos errores insectabantur alii.* Haec argumenti, quod suo more detonans amplificat Concina, summa est. Ad populum phaleras, mi reverende christiane theologe. Etsi concilia plures *proscripsere opiniones morum corruptrices*, eadem, ad quae per illas patebat aditus, vitia ab aliis non minus perniciosis opinionibus enasci potuerunt. Nam quae hactenus proscriptae sunt quod ad mores attinet propositiones, singulares ferme sunt quae unum alterumve vitium, aut unam alteramve admittendi

cuiuspiam sceleris rationem spectabant. Longe alia est probabilismi conditio. Quum enim universam doctrinam morum inficiat, quum omnium scelerum procreatrix sententia sit, christianae omnis theologiae pestis, et siquid peius, illo sublato, atque antiprobabilistica theologia late pervagata per Galliarum regnum, nihil reliquum iam esse debuerat, quominus vitia omnia inde in miseras illas regiones quae probabilismo etiamnum parent, stragem allatam diffugerent. Vis huiusce argumenti declinari non potest interrogatiunculis, dicteriis, conviciis. At vel hinc discant tandem vaniloqui homines os suum comprimere, neque a probabilismo, sed a lapsae naturae nostrae infirmitate, et affectuum nostrorum vi atque intemperantia vitiorum originem intelligant esse ducendam. Ad alia propero.

Cap. IX. (1) Alia in casuistas criminatio depellitur eorumque in pontificias sanctiones reverentia demonstratur.

At quid de querela illa quae nostris hisce temporibus percrebuit maxime, casuistas ex illorum classe qui probabilismum tuentur, minus reverentes esse erga pontificum constitutiones? Mihi quidem nihil ea iniustius visum est unquam, impudentius nihil. Etenim, ut de huius accusationis falsitate primum dicam, consule, quaeso, casuistas eiusmodi omnes qui postea decreta scripsere, ac vel unum si repereris, qui confixas theses tutatus fuerit, casuistas veluti christianorum morum pestes exitiosissimas execrabor.

Ita sane, inquies; at plures non desunt qui damnationem emolliant, ictasque vaticano fulmine propositiones mitius interpretentur ut callidis hisce artibus laxitatem in catholicis scholis confirment. Accusatio istaec praecipue p. Dominicum Vivam ferit, theologum illum a Benedicto XIV. summa cum laude saepius citatum in gravissimis pereruditisque sanctionibus ab ipso editis, quum bononiensem ecclesiam archiepiscopus regeret. Nempe ut gallum quemdam mittam, cuius impudentem librum nuper vidimus italicis formis linguaque editum anno 1740. (si tamen gallus est, nam librum in Italia compositum ab italo homine ad virus suum liberalius spargendum, gallicum nomen patriamque mentiente, non defuere qui suspicarentur) in iesuitam illum exarsisse scimus magno, ut videtur, zelo, recentem historicum probabilismi. At undenam tantae religioso animo irae? Nimirum Viva ab iesuitis avertere conatur iniquissimam criminationem, quod ex eorum schola damnatae propositiones prodierint, atque adeo ab hominibus alterius plane instituti faeces illas in moralem theologiam invectas ostendit. Quod quam verum sit, non est huius loci demonstrare. Id tamen tantam Vivae conflavit invidiam. Itaque lapis omnis movendus fuit ut non modo fides moroso, nimiumque infenso scriptori adimeretur, verum etiam odioso laxi et pontificum contemptoris theologi nomine notaretur. Quid non mortalia pectora cogit vindictae amor? Sed rumpatur, quisquis rumpitur invidia. Vivae in damnatas propositiones commentarii sanis hominibus probabuntur semper, ac summis laudibus efferentur. Aliquot in Vivam calumniarum specimen atque confutationem habes in iis libris qui contra historiam probabilismi prodiere. Unum ego proferam exemplum. Ubi damnatam peccati philosophici propositionem explicat ac refellit Viva, ait eam thesim ab Arnaldo delatorem vitiatam fuisse atque interpolatam, eiusque auctorem iesuitam Musnier divionensem theologum *in conditionato sensu* loquutum fuisse, nempe si fieri posset ut quis eo peccato se obstringeret, non autem absolute statuisse ut fert damnata assertio, eiusmodi peccati, quot aiunt, possibilitatem. Vere scriptum. Id scilicet disertis verbis Musnier ipse palam professus est, edito super ea re schediasmate quod in sua chronologica monumenta intulit p. d. Aurigny ac Berninus in suam historiam haeresum, aliique passim descripsere. Fuit autem qui p. Vivam mendacii reum vellet scriberetque (*Storia del probabilismo p.* 90.): *Il p. Viva per ben difendere il professore, dovea riportare qualche testo o della conclusione pubblicamente difesa o de' manoscritti, onde rimostrare esser diversa dalla dannata la dottrina del professore.*

Similis huius altera accusatio est, qua laesae pontificiae maiestatis arguit casuistas historicus probabilismi. Eos nempe, ait, iansenianis hominibus quam simillimos esse; nam quemadmodum illi olim inficiebantur, in Iansenii libro extare celeberrimas quinque haereses a pontificibus confixas, ita hi negant in Tamburrino, Sanctio aliisque scriptoribus suis legi propositiones quas Alexander VII. et Innocentius XI. anathemate perculerunt. Nolim in accusatione diluenda longior esse; adi p. Nicolai Ghezzi dialogos. Unum illud addam quod ad criminationis vanitatem ostendendam maxime facit, nempe romanos ponti-

(1) In editione bononiensi heic inseritur aliud caput nullius momenti, cuius hic est titulus: Specimen apologiae iesuitarum adversus libellum Rhemis editum anno 1731. inscriptumque: *Traité du dogme de la probabilité.*

fices saepius declarasse quinque iansenianas propositiones in yprensis Augustini libris extare, atque in eos qui secus opinarentur anathematis sententiam edidisse. Ubinam vero Alexander VII. ubinam Innocentius XI. docuit has illasve a se damnatas theses Laymanni esse, esse Lessii, Fagundi etc. in eorumque voluminibus reperiri? Tum enim vero iansenianorum perditos mores sectarentur casuistae, quum ita definientibus pontificibus minime obtemperarent pergerentque auctores illos a proscriptis thesibus defendere. At dum romani pontifices nihil eiusmodi pronunciant, quid ineptius excogitari possit, ea casuistarum cum iansenianis comparatione? Quid plura? lapsum suum agnovit et ipse Concina. Quare quum *tomo II. theol. christ. p.* 633. eamdem in casuistas criminationem intorsisset, deleri illam iussit *p.* 106. *praef. ad primum tom. appar.*, atque locum illum sic refringi: *Factum quod quinque propositiones reperiantur in libro Iansenii, definitum ab ecclesia est; secus factum quod opiniones casuisticae damnatae exstent in isto aut in illo casuista. Quare latum discrimen est inter defensores facti ianseniani et facti casuistici: illi ecclesiae definitioni, isti artis criticae duntaxat iudicio adversantur.*

Sed iam imprudentiam istiusmodi accusationis ostendamus. Nimirum qui casuistas hoc crimine arguunt, atque Alexandri VII. et Innocentii XI. sanctiones ab illis flocci fieri expostulant, minime animadvertunt quanto verius criminatio ista haec in ipsos retorqueri possit qui Alexandri VIII. decretum super 31. propositionibus nihil habent. Audi quaeso quei Iueninus ex rigidioribus theologis unus *t.* I. *de sacram. art.* 3. *dissert.* I. *quaest.* 5. *cap.* 2. hac super re sentiat. Agens de intentione ministri in sacramentis administrandis obiicit sententiae suae, quae Catharini et Salmeronis est, proscriptam ab Alexandro VIII. propositionem. *Valet baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat; intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit ecclesia.* Quid autem respondet Iueninus? *Respondent canonistae galli, in Francia multisque aliis in provinciis christianis, non habere vim ullam decretum transalpinum, nisi ab ipso papa immediate emanaverit; unde iudicia a romana inquisitione lata per se, etiam quoad forum internum, gallos non obligare concludunt.* Haec tamen levissima sunt. Negat ipsemet historicus probabilismi, de probabilissima opinione damnatam assertionem legi in Sannichio, cui illam caeteri adscribunt. Et id levius est. Quot a Gerberonio, a Quesnello, et a caeteris eorumdem asseclis prodiere scripta in hoc Alexandri VII. decretum! Quot lacessivere conviciis praeclarum pontificem! Quot eius sanctionem discerpsere dicteriis contumeliisque! Adi *causam quesnellianam*, et p. La Fontaine prolegomena ad constitutionem *Unigenitus.*

THEOLOGIA

MORALIS

THEOLOGIAE MORALIS

LIBER PRIMUS

TRACTATUS PRIMUS
DE CONSCIENTIA

MONITUM AUCTORIS

Adverte, lector benevole, quod primum hunc tractatum de conscientia, quo aditus ad universam moralem theologiam aperitur, speciali studio a me elucubratum pro faciliori alumnorum meorum instructione apponere volui. Hoc dico, quia deinde omnes alios operis tractatus ab alieno auctore virgulis signatos invenies, meis tamen adnotationibus adiunctis. Elegi autem illos alterius auctoris tractatus inserere, ut ordinem rerum ab eo servatum sequerer, eo quod talis ordo propter rerum distinctionem et connexionem optimus universe a pluribus reputatus est.

Cap. I. Quid conscientia et quotuplex, et quaenam sequenda.

1. *De regula remota et proxima actuum humanorum.*
2. *De conscientia et synderesi.*
3. *De conscientia recta et erronea.*
4. *De eo qui sequitur conscientiam vincibiliter erroneam.*
5. *De eo qui sequitur conscientiam invincibiliter erroneam.*
6. *An sic operans meritum acquirat in operando.*
7. *Respondetur obiectioni adversariorum.*
8. *An detur conscientia invincibiliter erronea circa praecepta naturalia.* Remissive ad tract. 2. de legib. n. 170.
9. *De eo qui putat erronee desiderium malum non esse peccatum.*
10. *De conscientia perplexa.*
11. *De conscientia scrupulosa. Signa scrupulosorum.*
12. *Remedia et praesertim obedientiae.*
13. *De periculo scrupulosi qui non obedit.*
14. *De regulis generalibus assignandis.*
15. *Quomodo confessarius gerere se debet cum scrupulosis qui timent assentiri cuilibet pravae cogitationi.*
16. *Quomodo cum iis qui semper dubitant de confessionibus praeteritis.*
17. *Quomodo cum iis qui in omni actione peccare formidant.*
18. *Quid de iis qui operantur cum actuali timore.*
19. *Scrupulosi non peccant scrupulos vincendo, quin illos prius deponant.*

1. Duplex est regula actuum humanorum, una dicitur remota, altera proxima. *Remota* sive materialis est lex divina, *proxima* vero sive formalis est conscientia; quia licet conscientia in omnibus divinae legi conformari debeat, bonitas tamen aut malitia humanarum actionum nobis innotescit, prout ab ipsa conscientia apprehenditur, uti docet s. Thomas: *Ratio humana est regula voluntatis humanae, ex qua eius bonitas mensuretur* [1]. Et clarius alio in loco: *Actus humanus iudicatur virtuosus vel vitiosus secundum bonum apprehensum, in quod per se voluntas fertur, et non secundum materiale obiectum actus* [2]. Prius agemus de regula proxima, nempe de conscientia, deinde de remota, nimirum de legibus.

2. Conscientia definitur sic: *Est iudicium seu dictamen practicum rationis, quo iudicamus quid hic et nunc agendum ut bonum aut vitandum ut malum.* Dicitur autem conscientia *dictamen practicum*, ad differentiam synderesis quae est cognitio speculativa principiorum universalium ad bene vivendum, scil.: *Deus est colendus: Quod tibi non vis, alteri ne feceris etc.*, ut habetur ex s. Thoma [3].

3. Dividitur autem conscientia in rectam, erroneam, perplexam, scrupulosam, dubiam et probabilem. *Recta* est ea quae dictat verum; peccat ideo qui contra eam operatur, cum dicat apostolus: *Omne quod non est ex fide* (nempe ex dictamine conscientiae, ut explicant Estius et alii) *peccatum est* [4].

(1) 1. 2. qu. 19. art. 4. (2) Quodlib. 3. art. 27.

(3) P. 1. quaest. 79. art. 12. (4) Rom. 14. 32.

Confirmat Innocentius III [1]: *Quidquid fit contra conscientiam aedificat ad gehennam.* Conscientia vero *erronea* est ea quae dictat falsum tanquam verum. Haec autem alia est vincibilis, alia invincibilis. *Vincibilis* est, quae cum debeat et possit vinci ab operante, vel quia errorem iam advertit, vel saltem dubitat de errore, åd vertitque simul ad obligationem illum vincendi, tamen negligit illum vincere, ut docent s. Antonin.[2] Navarr.[3] Salmant.[4] et Suarez[5] cum Silvio Caietano aliisque communissime ex s. Thoma [6]. Notant autem Salmant.[7] et Castr.[8] cum Azor. Suar. Vasq. Bonac. etc. et Wigandt [9] non esse opus, ut diligentia adhibenda ad vincendum errorem sit maxima, sed sufficere ut sit communis et ordinaria. *Invincibilis* vero est, quae moraliter vinci nequit, cum nulla cogitatio nec dubium erroris veniat in mentem operantis, nec etiam in confuso, dum operatur, vel dum actionis causam ponit, prout latius explicabitur *in lib. 2. tr. de peccatis*, ubi agetur de advertentia ad peccatum requisita.

4. Hinc dicimus 1. Qui conscientiam vincibiliter erroneam habet, semper peccat, sive iuxta eam, sive contra eam operetur. Peccat enim agendo contra eam, eligendo malum quod iudicat esse malum: peccat vero agendo iuxta eam, quia, cum errorem debeat et vincere possit, illum non deponendo temere operatur.

5. Dicimus 2. Qui conscientiam invincibiliter erroneam habet, non solum non peccat iuxta eam operando, sed etiam aliquando tenetur illam sequi. Ratio utriusque est: non peccat, quia licet in se actio recta non sit, recta est tamen iuxta conscientiam operantis; tenetur autem iuxta eam aliquando operari, si conscientia, quae est regula proxima, sic ei suggerit agendum.

6. Non solum autem qui operatur cum conscientia invincibiliter erronea non peccat, sed etiam probabilius acquirit meritum, ut recte sentit p. Fulgentius Cuniliati [10] cum aliis communissime. Ratio quia ad dicendum aliquem actum bonum, saltem inadaequatum, sufficit ut ille dirigatur per rationis et prudentiae dictamen. Cum ergo operans prudenter agit, procul dubio mereri debet propter bonum finem quo operatur, nempe gloriae Dei aut charitatis erga proximum etc.: sicut contra demeretur qui bonum opus facit, sed apprehensum ut malum, propter malum finem quo opus illud exequitur.

7. Obiicit Franzoia [11] nunquam malam actionem posse esse causam meriti, affertque pro se s. Thomam, qui [12] sic ait: *Bonum causatur ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus.* Et ideo ad hoc ut dicatur malum id in quod fertur voluntas, sufficit sive quod secundum suam naturam sit malum, sive quod apprehendatur ut malum. Sed ad hoc ut sit bonum requiritur ut utroque modo sit bonum. At respondetur, quod s. doctor loquitur hic de bono absolute et simpliciter sumpto, non autem de bono respective et per accidens, prout a conscientia, quae est regula proxima agendi, invincibiliter apprehensum est, iuxta id quod idem Angelicus docet (ut supra retulimus) dicens: *Actus humanus iudicatur virtuosus vel vitiosus secundum bonum apprehensum, in quod voluntas fertur, et non secundum materiale obiectum actus* [13]. Iuxta quod p. Concina [14] quamvis in argumento dicat opera ex conscientia erronea, etsi invincibili, nulla praedita esse bonitate aut merito, postmodum tamen [15] nobiscum sentit dicens: *Potest enim quis, dum exercet opus materialiter malum, habere plures actus bonos, intentionem nempe bonam Deo placendi. Hos bonos et meritorios dicimus, quamvis actus*

(1) In cap. Litteras, de rest. spol. (2) 2. p. tit. 5. c. 1. §. 3. (3) Prael. 9. n. 9. (4) Tract. 20. c. 14. punct. 2. n. 9. (5) De bonit. et mal. d. 12. sect. 2. n. 2. (6) De verit. q. 17. art. 4. ad 10. (7) Loc. cit. (8) Tr. 2. de pecc. d. 1. p. 15. n. 6.

(9) De consc. ex. 1. qu. 3. n. 7. (10) De consc. c. 1. §. 3. n. 6. (11) Theol. mor. l. 1. c. 1. animad. 1. (12) 1. 2. qu. 19. a. 6. (13) Quodlib. 3. art. 27. (14) Theol. christ. t. 2. lib. 2. de consc. diss. 1. c. 3. (15) Ibidem num. 36.

qui per se tunc exercetur, sit materialiter malus, non imputabilis ad culpam. . . . . quia opus materialiter malum, cum non sit voluntarium, refundere in istos actus malitiam non valet. Id fortius confirmatur a s. Bernardo, qui docet [1] subditum praelato obedientem ex recta intentione, meritorie agere, quamvis materialiter erret contra legem. Et sic scribit: *Et quidem laude dignam dixerim vel solam intentionem piam, nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas.*

8. Quaeritur 1. An dari possit conscientia invincibiliter erronea circa praecepta iuris naturae. Respondetur hic breviter, quod potest dari circa conclusiones mediatas et remotas a primis principiis, non vero circa conclusiones immediatas et proximas; ut esset, auferre alienum invito domino, occidere innocentem, etc. Est communis sententia, quam infra probabimus, auctoritate praesertim s. Thomae [2].

9. Quaeritur 2. An dari possit conscientia invincibiliter erronea in eo qui cupit aliquod patrare malum, puta fornicationem, iudicans per errorem solum desiderium fornicandi non esse mortale, si fornicatio facto non sequitur. Affirmant id ut probabilius Sanchez et Cardenas, dicentes hunc peccare tantum materialiter, quia licet ipse velit malum illud obiectum, tamen invincibiliter credit desiderium suum iniuriam Deo non irrogare. Hanc tamen opinionem nunquam probabilem censere potui; nunquam enim intelligere valui, quomodo qui vult deliberate actionem exercere, qua scit Deum offendi, possit inculpabiliter credere, Deum non offendere, dum efficaciter cupit illam exequi, qua certe agnoscit averti a Deo. Sed dices: Quomodo iste peccabit formaliter illo suo desiderio, si malitiam eius ignorat? Respondetur: Quamvis detur, quod ignoret malitiam illius actus interni, certo tamen agnoscit malitiam actus externi; si ergo vult illum exequi, iam cognitum ut malum, quomodo a peccato excusabitur? Omnes quidem ex ipso lumine naturae dignoscunt, se teneri ad obediendum suo Creatori; quando igitur quis deliberate vult agere id quod scit a Deo sibi vetitum, necessario simul agnoscit, quod male agit: et quamvis reflexe tunc non peccet, putando solum actum externum esse peccatum; exercite tamen et in facto iam peccat, volens negare Deo, tempore quo cogitat peccatum consummare, debitam obedientiam. Instabis: Plures rustici ideo non confitentur de his pravis desideriis, quia credunt tum tantum peccare, cum peccatum externe consummant. Respondeo: isti potius falso decipiuntur in credendo quod non tenentur confiteri peccata quae non consummant; sed prudens confessarius iudicare debet, quod, cum consenserunt in peccatum consummandum, vere et formaliter peccaverunt, voluntate prava se a Deo avertentes. Ex his omnibus opinionem contrariam cum aliis doctis recentioribus parum probabilem censeo.

10. Pergamus ad alias conscientiae species discutiendas. Conscientia *perplexa* est ea, qua quis in medio duorum praeceptorum constitutus peccare credit, quamcumque partem eligat, ex. gr. si quis periurio posset in iudicio servare vitam rei, et ex una parte angeretur a praecepto religionis non peierandi, et ex alia (errore ductus) a praecepto charitatis erga proximum, nec resolvere se valeret, quaeritur quid agere deberet in hoc casu. Respondetur: Si potest actionem suspendere, tenetur illam differre, donec consulat sapientes: si vero suspendere nequeat, tenetur eligere minus malum, vitando potius transgressionem iuris naturalis, quam humani, aut positivi divini. Si autem non possit discernere quidnam sit minus malum, quamlibet partem eligat, non

(1) De praecept. et dispensat. c. 14. n. 21.

(2) In tr. 2. de legibus, n. 170.

peccat, quia in huiusmodi casu deest libertas necessaria ad peccatum formale.

11. Agamus hic ultimo de conscientia *scrupulosa*, de qua longiorem oportet habere sermonem. Conscientia scrupulosa est ea quae ob levia motiva absque rationabili fundamento (scrupulus enim est inanis apprehensio) saepe formidat de peccato, ubi revera non adest. Signa conscientiae scrupulosae haec sunt: 1. Pertinacia iudicii, qua scrupulosus sapientum consiliis parere renuit, varios consulit, sed nullius iudicio acquiescit; imo quanto magis plures audit, eo plus perplexus evadit. 2. Frequens iudicii mutatio ex levibus motivis; unde oritur inconstantia in agendo, mentisque perturbatio, praesertim in operationibus externis, puta in celebratione missae, in horarum recitatione, aut sacramentorum administratione, vel perceptione. 3. Habere reflexiones impertinentes plurium circumstantiarum quae in actione adfuerint vel adesse potuerunt. 4. In omnibus formidare de peccato; et mente haerere contra sapientum, ac etiam proprium iudicium, et ideo numquam contentum esse una confessarii assertione, sed saepius eodem actu eumdem exquirere, an in agendo iuxta consilium datum conscientia esse possit immunis a culpa.

12. Remedia autem pro huiusmodi scrupulosis adhibenda sunt haec. Postquam confessarius ex signis supra allatis iam perceperit poenitentem esse scrupulosum, praescribat ei: 1. Ut valde humilitatis virtutem colat, saepe enim scrupuli ex superbiae vitio ortum habent. 2. Ut caveat a lectione librorum scrupulos excitantium et scrupulosorum conversationem evitet. 3. Ne diu moretur in examine conscientiae, praesertim circa ea in quibus magis vexatur. 4. Ut fugiat otium, ex quo saepe mens inanibus apprehensionibus impletur. 5. Ut instanter Deo se commendet, ad opem obtinendam parendi praeceptis sui directoris; hoc enim super omnia praecipuum, imo unicum potest dici remedium huiusmodi infirmorum esse, omnino acquiescere iudicio sui superioris sive confessarii, ut omnes docent patres, theologi et spirituales magistri. Hinc valde proderit ad sedandas conscientias scrupulis agitatas, ut confessarius eis ante oculos exponat has egregias sapientum auctoritates, quas hic subdo. Natalis Alexander [1] dicit: *Quod autem scrupuli sperni debeant, accedente prudentis, pii doctique directoris iudicio, et contra illos sit agendum, constat ex cap. Inquisitioni, de sent. exc. ubi dicitur: Quod si quis autem habet conscientiam ex credulitate levi... ad sui pastoris consilium licite potest agere.* Id confirmat s. Antoninus ex Ioanne Gersone, qui [2] sic scribit: *Qui renuunt credere superiorum et prudentum consilio ad tales scrupulos deponendos, et agendum contra eos, errant multipliciter. Decipiuntur in hoc multi ex simplicibus, distinguere nescientes inter ea quae portio animae superior et ea quae inferior patitur absque superioris assensu.* Hinc affert illud b. Bernardi, qui dixit discipulo cuidam scrupuloso: *Vade, et in fide mea celebres.* At dicet aliquis, utinam esset mihi s. Bernardus! nunc vero, dum superioris mei mediocrem sapientiam inspicio, non audeo illi conscientiam meam committere. Respondet s. Antoninus ex eodem Gersone: *Quisquis ita dicis, erras; non enim commisisti te in manibus hominis, quia litteratus, quia pius, etc., sed quia tibi est praepositus. Quamobrem obedias illi, non ut homini, sed ut Deo... Caveas ad extremum, ne dum quaeris securitatem, in gravem ruas praecipitationis foveam.* Hinc s. Philippus Nerius suis poenitentibus [3] sic aiebat: *Qui proficere in via Dei cupiunt, submittant se confessario docto, cui obediant ut Deo. Qui ita operatur fit securus a reddenda ratione cunctarum actionum suarum. Dicebat item, fidem praestandam esse con-*

(1) Theol. dogm. mor. l. 3. c. 4. r. 1.

(2) Tract. de praep. ad miss.

(3) In vita l. 1. c. 10

fessario, quia Dominus eum errare non permittet. Nihil esse securius, quam in operando voluntati directoris obtemperare; nihilque periculosius, quam sui-ipsius iudicio se dirigere. Pariter s. Franc. Salesius [1] loquens de directione patris spiritualis, scribit ex p. Avila: *Nullo meliori modo de Dei voluntate aperte nos certos fieri, quam per humilem obedientiam ipsius praeceptis.* Hoc etiam confirmat Glossa [2]: *Si vero dubium sit praeceptum, propter bonum obedientiae excusatur a peccato, licet in veritate sit malum.* S. Bernardus [3] ait: *Quidquid vice Dei praecipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si praecipiat Deus.* S. Ignatius Loiola [4]: *Obediendum in omnibus, ubi peccatum non cernitur,* id est, *in quibus nullum manifestum est peccatum.* B. Humbertus [5]: *Nisi aperte sit malum quod praecipitur, accipiendum est ac si a Deo praeciperetur.* B. Dionysius Cartus. [6]: *In dubiis an sit contra praeceptum Dei, standum est praecepto praelati, quia etsi sit contra Deum, attamen propter obedientiae bonum non peccat subditus.* Idem docet s. Bonaventura [7].

13. Quapropter confessarius enixe curet poenitentibus scrupulis vexatis suadere, quod omnino tutus incedit qui sui directoris consiliis acquiescit et obtemperat in omnibus, in quibus evidens peccatum non apparet; tunc enim non homini obedit, sed ipsi Deo dicenti: *Qui vos audit me audit; et qui vos spernit me spernit* [8]. Contra vero inculcet, magno suae salutis discrimini se committere, qui praeceptis sui confessarii renuit obedientiam praestare; tunc enim periculo se exponit amittendi non tantum cordis pacem, devotionem et in virtute progressum, verum etiam mentem (quot enim scrupulosi obedientiae non acquiescentes in amentiam ceciderunt!) item corporis valetudinem: imo, quod deterius est, etiam animae iacturam faciendi, nam eo possent scrupuli devenire, ut ad tantam eum redigerent desperationem, qua vel sibimet mortem inferret, ut pluribus contigit, vel ut sic de sua salute desperans, habenas ad omnia vitia amplectenda laxaret.

14. Praeterea satagat prudens confessarius huiusmodi poenitentibus regulas potius generales, quam particulares praescribere, regulis enim particularibus scrupulosi fere numquam se resolvere valent ad operandum; quia semper dubitant, an regula illa praescripta possit valere pro casu occurrenti, qui saepe videbitur ei differens a casu praeterito cum confessario collato. Hinc recte ait Concina [9]: *Acceptis semel regulis directionis, non debent* (poenitentes) *importune directorem adire, et molestissimis interrogationibus vexare: sed regularum, quas acceperunt, beneficio abigere scrupulos debent.*

15. Tripliciter autem scrupulosi ut plurimum a scrupulis vexantur. Alii anguntur a pravis cogitationibus, quibus assentiri saepe timent. Alii propter confessiones praeteritas, quibus satis numquam fecisse dubitant. Alii propter timorem peccandi in qualibet operatione, quam acturi sunt. Hinc 1. poenitenti, qui pavet cuilibet malae cogitationi (puta contra fidem, castitatem aut charitatem) assensum praebere, imponat confessarius, ut huiusmodi scrupulos omnino despiciat, affirmans non pravas cogitationes, sed tantum pravos consensus esse peccata. Et in hac materia non omittat semper uti regula illa a doctoribus sapienter tradita, nempe eos qui sunt timoratae conscientiae, nisi moraliter certo sciant se in grave peccatum consensisse, immunes a peccato esse iudicandos; nam, ut ait p. Alvarez, impossibile est peccatum in animam ab illo abhorrentem ingredi, quin ab ea clare agnoscatur. Qua de re saepe expediet scrupulosis expresse imponere, ut a

(1) Introd. c. 4. (2) C. Ad aures, de temp. ord. lt. f. in fine, et c. Quid culpatur, caus. 23. q. 1. (3) De praec. et disp. c. 9. (4) In const. Soc. Iesu. (5) L. de erud. rel. c. 1. (6) 2. dis. 39. q. 3. (7) Spec. disc. c. 4. (8) Luc. 10. 16. (9) Compend. theol. l. 1. diss. 1. c. 6. n. 7.

confessione huiusmodi cogitationum se abstineant, nisi tam certo sciant, se in illas consensisse, ut id iurare possint.

16. II. Poenitenti, qui semper anxius est de praeteritis confessionibus, quia formidat defecisse in integritate vel in dolore, si ipse generalem confessionem iam alias expleverit, aut per aliquod notabile tempus confessiones suas diligenter peregerit, huic imponat, ne amplius cogitet de culpis praeteritis, nec de iis verbum faciat in confessione, nisi iurare possit certo peccata illa mortalia perpetrasse, et insuper numquam de illis confessum esse. Imo docent Azor. Bonac. Becan. Coninch. Layman. et alii, quod aliquando potest quis taliter scrupulis angi, quod licet ei videatur certo aliqua non dixisse, adhuc ad ea confitenda non teneatur. Confirmat id Wigandt apposite scribens: *Minime audiendum scrupulosum, qui vellet repetere confessiones ; nam dato, quod aliqua peccata non sit confessus, tamen ob grave suum damnum, et ob periculum perpetuo haerendi in tanta anxietate, excusatur ab integritate confessionis.* In hoc autem vehementer instet confessarius, ut ei poenitens obediat: quod si obedire recuset, eum obiurget, communione privet et quantum potest duritiem eius retundat. Cum scrupulosis obedientibus blande agendum est; cum iis autem qui in obedientia delinquunt, maximus exercendus est rigor et austeritas: hac enim obedientiae anchora destituti nunquam ipsi sanari possunt.

17. III. Illis denique scrupulosis, qui in omni actione peccare formidant, imponat, ut libere agant, scrupulosque despiciant, et contra illos operentur, ubi evidens peccatum non apparet; quia ordinarie ipsi ob rationem perturbatam ex nimio timore timent adesse peccatum, ubi non est. Ideo oportet eis praecepto iniungere, ut scrupulos vincant, ne amentes, aut omnino inutiles ad operandum evadant; et postea de talibus actionibus abstineant in confessione se accusare; licet enim aliquando errent sic agendo, tamen non peccant ratione obedientiae, quam confessario praestare debent. Imo sapienter docent Sanchez [1] cum s. Antonin. Gerson. Valent. Corduba etc. Item Salmant. [2] cum Caiet. Navar. Castrop. Bonac. Filliuc. etc. dicunt scrupulosum teneri aliquando obligatione gravi adversus scrupulos operari, cum ex scrupulorum anxietate possit grave damnum timere in profectu spirituali, aut in valetudine corporis vel mentis.

18. Nec refert quod ipse cum conscientia scrupulosa, seu cum actuali timore peccandi operetur; nam ex communi et vera sententia, quam docent Conc. [3] Ronc. [4] Anacl. [5] s. Anton. [6] Salm. [7] cum Nav. Caiet. Bonac. et aliis plurimis, scrupulosus ita agens minime peccat. Ratio, quia conscientia scrupulosa, seu dictamen mentis ex scrupulis ortum, non potest auferre assensum de actionis honestate prius efformatum ex confessarii iudicio vel alio modo; nam, ut ait p. Concina: *Dubium suspendit assensum, secus vero scrupulus, utpote a dubio distinctus. Scrupuli ergo sunt quaedam animi nubeculae, quae obscurare aliquantulum possunt iudicium intellectus, nullo tamen modo illud praefocare valent.* Idque praesertim valet, si urget obedientia confessarii agendi contra scrupulos, ubi evidenter culpa non cernitur, ut habetur ex *cap. Inquisitioni 44 de sent. excom.* ubi securum declarat Pontifex, qui pastoris sui consilium sequendo scrupulos abiicit; sic enim ibi dicitur: *Ad sui pastoris consilium (conscientia levis et temerariae credulitatis explosa) licite potest agere.* Nec officit textus ab aliquo allatus [8] ubi Pontifex praescripsit cuidam habenti conscientiam nimis scrupulosam, ne ascenderet ad ordines superiores, nisi conscientia illa prius deposita. Nam respondetur, ibi non agi de mero

(1) Decal. l. 1. c. 10. n. 81. (2) Tr. 20. c. 7. punct. 2. n. 10. (3) T. 2. l. 2. de consc. diss. 1. c. 8. n. 15.

(4) Eod. tit. c. 4. q. 2. (5) Eod. tit. q. 5. n. 72. (6) 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10. (7) Tr. 20. c. 7. n. 10. (8) Cap. Per tuas 35. de simon.

scrupulo, verum etiam de errore, quo tenebatur ordinandus, ut explicat Glossa: *Conscientiam habebat erroneam.* Et sic etiam exprimitur in textu: *Nisi deponat errorem.*

19. Hinc pro praxi concludendum, scrupuloso prae oculis semper obedientiam habendam esse, ut scrupulorum suorum timorem fortiter abigens, libere operetur. Nec opus est, ut in quolibet particulari actu hoc iudicium efformet, nempe quod scrupulos contemnere debeat ex praecepto confessarii; satis enim est, quod ex iudicio prius formato contra scrupulum agat; quia propter experientiam praeteritam in eius conscientia iudicium illud virtualiter sive habitualiter existit, licet tenebris obscuratum. Tanto magis quod, cum scrupulosus in illa confusione operatur, non certe operatur cum conscientia formata et deliberata quae requiritur quidem ad constituendum peccatum, ut recte scribit Ioannes Gerson [1] his verbis: *Conscientia formata est, quando post discussionem et deliberationem ex definitiva sententia rationis iudicatur, aliquid faciendum, aut vitandum; et contra eam agere est peccatum. Timor vero seu scrupulus conscientiae est, quando mens inter dubia vacillat, nesciens ad quid potius teneatur; non tamen vellet omittere quod sciret esse placitum divinae voluntati; et contra istum timorem seu scrupulum facere non semper est peccatum, licet periculosum valde sit* (intellige nisi timor contemnatur ut vanus, maxime si accedat directorum consilium); ideo addit Gerson: *Et quantum fieri potest, abiiciendus et extinguendus.* Hinc idem Gerson [2] sic scribit: *Scrupulosis contra scrupulos agendum est, et fixo operis pede certandum. Scrupulos compescere melius quam per contemptum nequimus, et regulariter non absque alterius et praesertim superioris consilio. Alioquin timor immoderatus, aut inconsulta praesumptio praecipitat.* Denique pro scrupulosis Natalis Alexander ait servandam esse regulam illam a b. Alberto Magno et a s. Antonino traditam: *Inter duram et benignam sententiam circa praecepta, benigna interpretatio caeteris paribus facienda est.* Dicendum remanet de conscientia dubia et probabili. De his in sequentibus duobus capitibus seorsim disseremus.

Cap. II. De conscientia dubia.

20. Conscientia dubia est ea, quae suspendit assensum pro utraque parte dubii, remanetque anceps et haesitans. Dividitur autem conscientia dubia in practice dubiam et speculative dubiam. Dubium vero dividitur in negativum et positivum. *Negativum* est, quando ex neutra parte occurrunt rationes probabiles, sed tantum leves. *Positivum* est, quando pro utraque parte vel saltem pro una adest grave motivum, sufficiens ad formandam conscientiam probabilem, licet cum formidine de opposito; ideo dubium positivum fere semper coincidit cum o-

(1) Tr. de consc. et scrup. (2) Cons. 6.

pinione probabili, de qua in *capite sequenti* loquemur.

21. Deinde dividitur dubium in speculativum et practicum. *Speculativum* est, quo quis dubitat de rei veritate, v. g. an bellum aliquod sit iustum vel iniustum: an pingere die festo sit opus servile vel liberale: an baptismus cum aqua distillata sit validus aut nullus, et similia. *Practicum* autem dubium est, quo dubitatur de rei honestate, v. gr. an liceat mihi in tali bello dubie iusto militare: an hac die festiva pingere: an hunc puerum aqua distillata baptizare. Semper itaque distinguendum verum a licito; dubium enim speculativum, licet in obliquo, et potius consequenter respiciat licitum, tamen in recto, et principaliter speculativum respicit verum, practicum autem respicit licitum.

22. His positis, dicimus I. numquam esse licitum cum conscientia practice dubia operari: et casu quo aliquis operatur, peccat, et quidem peccato eiusdem speciei et gravitatis, de quo dubitat; quia qui se exponit periculo peccandi, iam peccat iuxta illud: *Qui amat periculum in illo peribit* [1]. Quare si dubitat an illud sit mortale, mortaliter peccat.

23. Quid si sciat quis, aliquid esse malum, sed dubitat an sit mortale aut veniale et cum tali dubio operatur? Alii censent hunc peccare graviter vel leviter, prout in specie obiectum peccati est grave aut leve. Ita Vasquez Sanchez etc. Alii cum Azor. Bonac. Castropal. etc. putant semper peccare graviter. Alii tandem cum Navar. Valent. Granad. et aliis plurimis satis probabiliter tenent tantum venialiter peccare, si homo ille minime advertit nec etiam in confuso ad periculum graviter peccandi, neque ad obligationem rem examinandi, et modo obiectum non sit certe per se peccatum grave: adderem, modo etiam homo sit timoratae conscientiae.

24. Qui igitur est practice dubius circa aliquam actionem, debet utique prius dubium deponere per principium certum, vel reflexum de honestate actionis illius, iuxta id quod exponemus in dissertatione de usu opinionis probabilis; modo homo ille sit sufficiens ad formandam sibi conscientiam practice certam et deinde potest operari. Si vero insufficiens sit (puta quia rudis), tenetur parochum aut confessarium, vel alium pium ac doctum consulere et iuxta consilium agere. Qui vero dubius esset, sed omnibus ponderatis adverteret, dubium esse inane, hic bene potest (ut recte scribit Collet Continuator Tournely [2]) dubium suum deponere sine alia reflexione, et sic actionem exequi; tunc enim si malitia illius ignoratur, ignorantia illa est omnino involuntaria, utpote quae studio superari non potest, prout docet Angelicus.

25. Dicimus II. licitum esse operari cum conscientia speculative dubia, semper ac operans per alias rationes sive principia reflexa, iudicat practice actionem suam esse certe moraliter honestam. Aliae enim (ut sapienter ratiocinatur episcopus Abelly) sunt rationes, quibus iudicamus de rei veritate, nempe de probabilitate, sive de dubietate alicuius opinionis, v. gr. quod bellum hoc sit probabiliter aut dubie iustum: aliae quibus iudicamus de honestate actionis, scilicet quod in hoc bello, imperante principe, liceat subdito praeliari, iuxta doctrinam s. Augustini supra allatam [3]. Quod autem ex principiis reflexis possit bene formari conscientia moraliter certa de honestate actionis, clare patebit infra ex dissertatione opinionis probabilis, quam in fine huius tractatus afferemus [4].

26. Horum principiorum principalissimum est illud, quod *lex dubia non potest certam inducere obligationem*. Veritas huius principii (quod non negatur neque ab ipsis rigidae sententiae fautoribus) evidenter in dissertatione mox enunciata probabitur. *Vide ibi dicenda.* Ex hoc autem primo ef-

(1) Eccli. 3. 27 (2) C. 4. de consc.

(3) Cit. can. Quid culpatur. (4) V. inf. n. 55. et 69.

formatur secundum illud principium: *Melior est conditio possidentis*. Quoties enim lex dubia minime ligat hominem, homo utique remanet solutus et liber ab obligatione legis, eoque casu licite potest uti sua libertate, quam vere possidet, cum lex est dubia; ait enim s. Thomas: *Illud dicitur licitum, quod nulla lege prohibetur* [1]. Hoc autem secundum principium, licet aliqui illud infirmare conentur, dicentes quod valet tantum pro foro, vel tantum in materia iustitiae; ego tamen nescio, quomodo in omnibus negari possit. Quaestio tantum esse potest, an in quolibet dubio morali possideat lex, an libertas. Antiprobabilistae dicunt, semper legem possidere; nos vero dicimus, aliquando possidere legem, aliquando libertatem, nempe cum lex non est adhuc promulgata. Haec (dico) quaestio est, sed nemo negare potest principium, meliorem semper esse possidentis conditionem. Casu igitur quo possidet lex, pro ea standum est; si vero possidet libertas, standum pro libertate. Ad dignoscendum autem, pro qua parte in dubiis stet possessio, videndum pro qua stet praesumptio. Praesumptio vero stat pro ea parte quae non tenetur ipsa factum probare, sed onus probandi illud transfert in alteram: *Factum enim non praesumitur, nisi probetur;* quod est aliud principium approbatum a *l. 2. de Probation.* In dubio igitur factum non praesumitur, sed est probandum. Si vero factum est certum, puta si matrimonium certe est initum, et dubitatur an rite initum sit, aliud principium servari debet: *In dubio omne factum praesumitur recte factum*. Sive: *In dubio praesumitur factum, quod de iure faciendum erat*. Sive: *Standum pro valore actus*.

27. Ex praefatis infertur 1. quod si lex est dubie condita, vel dubie promulgata, non obligat, quia possessio non stat pro ipsa, sed pro libertate. Idem dicendum, si dubitatur, an in lege promulgata comprehendatur vel ne aliquod onus; tunc enim non tenemur illud implere; quia pro illa parte de qua lex est dubia, lex non possidet. Contra vero, si lex est certe condita et certe promulgata, et inde oritur dubium an sit abrogata vel revocata aut dispensata, est observanda; quia tunc ipsa possidet. Sic etiam in dubio, an lex per se iusta fuerit acceptata, etiam observari debet; quia praesumendum est, eam fuisse receptam ex illo alio principio: *In dubio praesumitur factum, quod de iure faciendum erat.*

28. Infertur 2. id quod de lege dictum est, dicendum esse etiam de voto; votum enim est instar legis particularis quam homo sibi imponit. Hinc si quis dubitat an emiserit votum, non tenetur illud implere, ut communiter docent Cabassutius [2] Suar. [3] Sanch. [4] Anacl. [5] Salm. [6] cum aliis innumeris. Sic pariter qui dubitat an in voto emisso comprehendatur aliquid, vel non, non tenetur ad votum, quoad partem de qua dubitat: pro illa enim parte votum non possidet, ut habetur ex *cap. Ex parte* 18. *de censibus*, ubi, cum aliqui quaedam vota emisissent, et postea dubitarent an tenerentur ad maius vel ad minus promissionis factae, sancitum fuit teneri eos tantum ad minus; ideoque notat ibi Glossa: *In dubiis liberum est sequi quod magis placuerit*. Contra vero, si quis est certus de voto et dubitat de satisfactione, tenetur quidem ad votum, quia tunc votum possidet.

29. Dicunt tamen plures auctores, quod si quis probabiliter iudicat iam voto satisfecisse, an teneatur hoc non obstante illud implere. Negant plures aa., nempe Roncagl. [7] Salm. [8] cum Laym. Lugo [9] et alii; quia (ut aiunt), cum obligatio legis eo casu sit dubia, fit dubia etiam legis possessio. Olim probabilem hanc opinionem pu-

(1) In 4. sent. dist. 15. q. 2. a. 4. ad 2.
(2) Theor. iur. l. 1. c. 8. n. 19.
(3) De relig. t. 2. tr. 6. l. 4. c. 5. n. 17.
(4) Dec. l. 1. c. 10. n. 36.
(5) De voto q. 2. concl. 3.
(6) Eod tit. tr. 17. c. 1. punct. 6. §. 2. n. 145.
(7) De praec. dec. c. 2. De voto q. 4.
(8) Eod. tit. tr. 17. c. 1. punct. 6. §. 2. n. 145.
(9) De poenit. disp. 16. n. 60.

tavi, ductus magis a probabilitate extrinseca quam intrinseca; sed re melius perpensa, nunc minime illam probabilem censeo. Hinc oppositam dico tenendam cum Concina [1] Antoine [2] Fill. Leandr. et aliis. Ratio, quia, cum votum est dubie emissum, recte dicitur non adesse obligationem illud implendi, tunc enim possidet libertas; cum tamen votum est certum, libertas haec remanet ligata ab obligatione voti, donec votum certe non sit impletum. Tum tantum prima sententia admitti posset, cum probabilitas esset talis, quod praesumere faceret quadam certitudine morali, voto iam fuisse satisfactum. Quod autem diximus de voto intelligendum est etiam de satisfactione poenitentiae sacramentalis [3].

30. Si quis autem votum emisisset [4], et postea opus promissum iam praestitisset, immemor tamen obligationis ex voto contractae, valde probabiliter non tenetur opus illud iterum praestare, ut docent Suarez [5] Laym. [6] Sanch. [7], Bonac. [8] cum Azor. Less. et aliis communiter. Hoc tamen procedit semper ac vovens certe iudicare potest, quod si memor voti fuisset, pro illius satisfactione applicasset opus illud: quod utique communiter praesumendum est; quisque enim generalem voluntatem habet prius oneri ex obligatione debito faciendi satis, proinde opera supererogationis addendi.

31. Infertur 3. quod subditus quamvis non teneatur obedientiam praestare superiori praecipienti in iis quae sunt certe illicita, tenetur vero in iis de quibus dubium est an sint licita vel ne; quia in dubiis standum est pro superiore possidente iubendi potestatem, qua in dubio expoliari nequit; ita communiter Caiet. [9] Contin. Tournely [10] et alii plures cum s. Antonin. s. Bonavent. Cabassut. Soto etc. Limitant vero Sotus Cont. Tourn. [11] Less. Sanch. Salmant. etc. communissime quoties res praecepta esset valde difficilis et molesta, nempe si subditus obediendo deberet se vel alterum exponere periculo gravis damni spiritualis vel temporalis. Haec fusius exponemus tractando de praeceptis particularibus *lib. 4. cap. 1. n. 47.*

32. Infertur 4. quod adolescens dubitans, an vigesimum primum annum expleverit, non tenetur ad ieiunium. Dubitans vero an pervenerit ad annum sexagesimum, quo completo, probabiliter homo deobligatur a ieiunio, ut dicemus *lib.* 3. *n.* 1036., tenetur ad ieiunium, quia tunc possidet ieiunii praeceptum. Idem dicendum de eo, qui dubitat de aetate requisita ad sacrum ordinem vel beneficium suscipiendum; tunc enim stat possessio pro praecepto. Idemque dicendum de eo, qui est in sabbato, et dubitat an transierit hora mediae noctis; tunc enim nequit vesci carnibus, cum adhuc possideat praeceptum abstinentiae. Secus vero si quis dubitat de hoc in feria quinta, quia tunc post adhibitam diligentiam licite potest edere carnes, cum adhuc possideat libertas. Ita Laym. [12] Sanch. [13] Busemb. [14] et alii plures.

33. Infertur 5. quod si post matrimonium bona fide contractum supervenit dubium de valore illius, ante inquisitionem veritatis dubitans non potest petere, sed tenetur reddere [15], quia coniux dubium ignorans adhuc possidet ius petendi. Post vero inquisitionem dubitans potest etiam petere; ut probabilius tenent Soto Habert Wigandt Roncaglia, Sanch. Salm. etc. *Vide dicenda lib.* 6. *n.* 903. *et* 904.

34. Infertur 6. quod certus de debito, et dubius de solutione, tenetur solvere, ut communiter docent Suar. Vasq. Lugo et alii cum Sanch. [16]. Casu vero quo etiam creditor de suo iure

(1) T. 3. diss. 2. de voto c. 4. n. 10. (2) De relig. c. 3. de voto q. 5. (3) V. l. 3. n. 700. in fine. (4) Vide Homo apost. tr. 5. n. 31. ubi s. Alphonsus eamdem quaestionem discutit. (5) De rel. l. 4. c. 9. n. 14. (6) L. 1. t. 4. c. 4. n. 7. (7) Dec. l. 1. c. 13. n. 10. (8) De leg. q. 1. p. 10. n. 13. (9) Q. 169. a. 2. ad 4. (10) De praecip. statuum oblig. p. 2. c. 2. a. 3. q. 5. r. 2. (11) Loc. cit. (12) L. 1. tr. 1. c. 5. n. 36. (13) De matr. l. 3. disp. 41, n. 40. (14) L. 1. tr. 1. c. 2. d. 3. (15) Cap. Dominus, 2. de sec. nupt. (16) Dec l. 1. c. 10. n. 12

dubitaret, censet Layman [1] Diana [2] et Sporer [3] cum Tamburin. debitorem teneri tantum ad partem pro rata dubii. Subdit tamen Layman, quod non auderet condemnare creditorem, si totum exigeret.

35. Sed hic quaeritur I. An possessor bonae fidei, superveniente dubio, teneatur aliquid pro rata dubii restituere. Si dubium est aequale pro et contra, communis est sententia cum Sanch. [4] adversus paucos, possessorem ad nihil teneri: *In re communi melior est conditio possidentis* [5]. *In pari causa possessor potior haberi debet* [6]. Sed quid, si rationes contra possessorem sint validiores?

Prima sententia dicit, quod licet ipse habeat rationem probabilem pro se, tenetur tamen in eo casu ad restitutionem pro rata illius maioris propensionis, quia conditio possidentis est quidem melior in pari, non autem in dubio inaequali. Ita Sanch. [7] cum Coninch. Valent. et Ledesma apud Salm. [8].

Secunda tamen communior et probabilior *sententia* docet ad nihil eum teneri, nisi moraliter constet rem esse alienam. Ita Palaus [9] Lugo [10] Roncaglia [11] cum Laym. Carden. Dicast. Tamb. Dian. Burg. et aliis apud Croix [12] Mazzot. [13] Sporer [14] cum Molina et s. Aug. [15] qui ait: *Possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum.* Dum autem certo non constat (ait Sporer) rem esse alienam, tamdiu possessor ignorat se possidere alienum. Ratio praecipua huius sententiae est, quia per possessionem bonae fidei acquiritur verum ius; possessio enim a iuristis sic definitur: *Ius insistendi in re non prohibita possideri.* Quapropter dominium rei donec dubium est, possessor retinet ius insistendi; ita tamen ut ante diligentiam adhibendam ad veritatem assequendam ipse tenetur rem servare; at post diligentiam, et veritate non assecuta, possit illam consumere et etiam alienare, admonito rerum emptore de dubio vertente super re. Et propter hanc potissimam rationem Sanchez [16] mutavit sententiam alibi defensam, et secundam est secutus. Etiam Cardinalis Sfondratus [17] dicit non esse procedendum contra possessorem, nisi ex certitudine. Hinc parum probabile videtur id quod hic addit Roncaglia [18], nempe quod si rationes possidenti faventes sint tantum tenuiter probabiles, tunc ipse teneatur rem restituere, saltem quoad maiorem partem; nam si contra possessorem rationes sint taliter probabilissimae, ut fundent contra ipsum moralem certitudinem, tunc ipse tenetur totam rem restituere; si autem secus, ad nihil tenetur [19].

(1) L. 1. tr. 1. c. 5. n. 42. (2) P. 4. tr. 3. r. 33. (3) De consc. c. 1. n. 85. (4) Dec. l. 1. c. 10. n. 9. (5) Reg. 56. de reg. iur. in 6. (6) Reg. 65. (7) De matr. l. 2. disp. 41. n. 19. (8) Tr. 13. de rest. c. 1. punct. 3. §. 3. n. 67. (9) Tr. 1. d. 3. p. 2. n. 11. (10) De iust. d. 17. n. 93. (11) De rest. c. 2. q. 3. r. 2. (12) L. 3. p. 2. n. 565. (13) De consc. c. 3. (14) De consc. c. 1. sect. 4. n. 76. (15) Lib. de fid. et op. c. 7. relato in can. Si virgo, caus. 34. q. 1. (16) Dec. dict. n. 9. (17) Reg. sac. 1. §. 20. n. 11. (18) De rest. c. 2. q. 3. r. 2.

(19) Saepissime a s. Alphonso hic num. 35. in cursu huius operis citatur, cuius tamen materia non convenit cum praesenti, nec alicubi ex ordine invenitur tractata. Ratio diversitatis haec est. S. auctor tractatum de conscientia in posterioribus editionibus omnino immutavit, quin citationes numerorum in aliis tractatibus correxerit. Optimum esse itaque duximus, ex edit. Rom. 1757. numerum 35. in opere frequenter, uti *l.* 4. *n.* 521. 544. 999. 1001. *etc. et quaest.* 1. *reform.*, laudatum, hic ex integro in forma notae adducere:

N. 35. « Sic etiam defenditur sententia, quod in » compensatione, licet regulariter fieri compensatio » nequeat, nisi creditum sit liquidum: attamen do» cent dd. quod in aliquibus casibus potest fieri tan» tum cum probabilitate crediti, si adsit probabilitas » iuris, ut tenent Salm. *de rest.* c. 1. *n.* 319. *et* 320. » ubi vocant hanc probabilitatem iuris probabilita» tem proximam.

» Hinc 1. probabile dicunt posse diffamatum pe» cunia sibi compensare famam ablatam a diffaman» te, cum probabile sit diffamantem teneri cum pe» cunia compensare famam ablatam, si nolit vel ne» quit famam restituere.

» Ita probabile putat Lugo *de iust. d.* 16. *n.* 95. » *et* 96. cum Tanner. Dian. et Salm. *n.* 321. cum » Tamb. Less. Mol. Arag. Led. etc.

» 2. Probabile esse dicunt Salm. *eod. n.* 321. cum » Bon. Rebell. Sylvio Dicast. Vill. item Lugo *n.* 95. » diffamatum ab alio, quem ipse infamavit, posse uti » compensatione sequendo opinionem probabilem id » asserentem quoad restitutionem; saltem, ut ait » Dicast. apud Croix *l.* 3. *p.* 2. *n.* 455., excusatur » is a fama restituenda, donec fama ei ablata ab al» tero restituatur.

» 3. Probabile etiam esse dicunt Salm. *l. c.* cum » Les. Mol. Gran. etc. cum Lugo *l. c.* legatarium ex

36. Quaeritur II. Quid si contra possessorem adsit ratio probabilis, et nulla pro ipso?

Prima sententia tenet, quod si ratio illa probabilis generat assensum opinativum unicum, quod res sit aliena, ita ut possessor nullum habeat assensum, quod res sit sua; tunc tenetur restituere. Secus si adhuc probabiliter putaret rem esse suam. Ita Sanch. [1] citans Vasquez Palaus [2] Renzi [3] Tamb. [4] Viva [5] qui dicit, quod cum possessor habet rationem probabilem contra et nullam pro se, tunc habet moralem certitudinem, quod res sit aliena.

Secunda sententia, quam tenet Salas [6] dicit quod adhuc, quando rationes pro contraria parte assensum generant, modo non convincant, nec assensus sit certus moraliter, sed mere opinativus, includens formidinem, quae necessario in opinione includitur, tunc possessor potest rem retinere, quia possessio praeponderat omnibus rationibus non convincentibus.

Praefatae opiniones videntur sic posse conciliari. Certum est, quod legitima possessio cuique tribuit ius certum rem retinendi, donec non constet de iure alterius, ut dicunt communissime Palaus, Laym. Sporer et alii cit. ut sup. cum Croix [7]. Et ipse Viva [8] id concedit, dicens quod *possessio bonae fidei parit ius certum, quod praevalere debet iuri probabili et non moraliter certo alterius.* Ratio est, quia possessio legitima fundat de se praesumptionem certam de iustitia possessoris, ut dicunt Wigandt [9] et Lugo [10]. Ergo etiamsi adsit iudicium probabile contra possessorem, et nulla probabilitas illi assistat, adest tamen praesumptio orta ab ipsa possessione, quae tribuit ei ius certum, quod nequit superari, nisi a iure certo alterius per rationes certas convincentes.

Quapropter prima sententia dicens, quod possessor teneatur restituere, quando habet assensum opinativum contrarium, et nullum pro se, sane est intelligenda, quando possessio esset ex aliqua parte infirma, utpote dubia, vel incoepta cum dubia fide, ita ut nulla legitima praesumptio ex ea oriri videatur pro possessore; tunc enim vere nulla probabilitas ipsi assisteret, unicumque iudicium opinativum tunc ipsa haberet rem esse alienam. Secus vero, si haberet possessionem certam ac legitimam bonae fidei; quia tunc sola possessio, etiamsi nulla alia ratio ei suffragaretur, praeberet illi ius certum, quod superari non potest nisi a rationibus certis oppositis, non autem ab opinione probabili, quae necessario formidinem includit. Et hoc clare innuit Lugo [11], ubi ait, possessionem de se parere praesumptionem praevalentem pro

» testamento non solemni posse compensare legatum » sibi relictum.

» Et quare in his casibus et non in aliis possit fieri » compensatio cum probabili? Respondent Salm. *hic* » *n.* 323. quia in his casibus dicti dd. potuerunt » habere rationes speciales quas ipsi dicunt nescire, » ideoque acquiescunt probabilitati extrinsecae prae- » fatorum aa. classicorum. Sed in eodem tractat. *de* » *rest.* c. 4. *n.* 148. rationem produnt dicentes, quod » cum dd. dicunt neminem posse sibi compensare » creditum quod non est certum, intelligunt loqui » in eo casu quo ipsum creditum est dubium, non » autem quando creditum est certum et dubium ver- » satur tantum circa modum satisfactionis, an pos- » sit ille satisfacere sibi per compensationem vel a- » liter, quia tunc bene potest uti opinione probabili » circa modum. Ita Salm. et Lugo *d.* 16. *n.* 47. ex » Suar. et Sanch.

» Attamen Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.* 962. omnino ne- » gat in tribus casibus supra relatis posse fieri com- » pensationem, cum nemini liceat compensare cre- » ditum nisi certum. Ego autem, ut fatear quid sen- » tiam, dico quod in primo casu compensationis fa- » mae cum pecunia sequor quod tenet Croix ... In » secundo autem casu probabilius mihi videtur non » teneri detractorem famam restituere, donec sua » fama ipsi restituatur, cum ibi suum ius non so- » lum sit certum, sed etiam in eodem genere, sal- » tem si diffamatio ex utraque parte sit eiusdem » speciei. In tertio casu non valeo acquiescere re- » latae opinioni, gravissima enim est sententia (licet » alii probabiliter etiam contradicant) quod ex te- » stamento nullo nullum ius acquiratur, ut tenent » Mol. Lugo Vasq. Sanch. Salm. etc. Ideo cum ius » legatarii sit prorsus incertum, nescio quomodo pos- » sit ipse compensare adversus haeredem possiden- » tem ».

(1) Dec. l. 1. c. 10. n. 9. (2) T. 1. tr. 1. disp. 3. p. 2. (3) De 7. praec. c. 3. sect. 2. q. 15. (4) Dec. lib. 1. c. 3. §. 7. verb. Restitutio n. 7. (5) Op. de consc. dub. q. 2. art. 1. n. 8. in fin. (6) 1. 2. q. 21. tr. 8. disp. unic. sect. 23. n. 231. (7) Dict. n. 563. (8) Loc. cit. (9) Exam. 3. de consc. (10) De iust. d. 17. n. 94. (11) Loc. cit.

possessore, ne ipse sit privandus, donec non constet de iure alterius per probationem superantem praesumptionem possessionis. Unde recte concludit Croix [1], quod licet pro possessore non sit probabile argumentum, si tamen pro petitore non sit argumentum nisi probabile, possessor adhuc licite retinet, quia possessio est ius certum retinendi, contra quod non praevalet nisi certitudo. Hoc idem dicetur pariter de matrimonio probabiliter nullo. *Vide l.* 6. *n.* 904.

37. Quaeritur III. Quid si possessor bonae fidei, dubio superveniente, negligat culpabiliter diligentiam adhibere, sed postea non possit verus dominus amplius adinveniri? La-Croix [2] Ronc. [3] et Salm. [4] cum Sanch. Less. etc. dicunt tunc possessorem teneri rem restituere pro rata dubii. Contra vero Palaus [5] Bonac. [6] Tamb. [7] cum Diana et Reb. probabile putant quod possessor, quamvis peccarit mortaliter, diligentiam omittendo, tunc tamen ad nihil tenetur, cum ex una parte damnum illatum sit dubium, et ex alia ius possessionis bona fide acquisitum ipse adhuc retineat. Verius autem censeo dicendum, quod talis possessor teneatur aliquid restituere (vel domino, vel pauperibus, si dominus sit incertus). Ratio est, quia cum ipse culpabiliter dominum privarit spe, quam dominus ad rem habere poterat, et illa spes erat quidem pretio aestimabilis, iam damnum certum est illatum domino, qui spem illam etiam certe possidebat. Puto tamen non esse faciendam restitutionem pro quantitate dubii, ita ut, si rationes ex utraque parte essent aequales, res sive eius pretium pro medietate sit restituendum, sed minus et forte valde minus; quia illa spes domini non poterat aestimari pro medietate valoris rei sed multo minoris, stante aequali probabilitate rationis ex una parte et certo iure possessionis ex alia, quae possessori favebat, et adhuc favet: possessio enim rei multo quidem maioris aestimatur, quam possessio spei.

Notat autem I. Tamb. [8] cum Villal. et aliis, quod si possessor incipiat dubitare per rationes probabiles, tenetur quidem inquirere veritatem, secus vero si dubitaret per rationes tantum tenues. Notat II. Croix [9] cum Vasq. Laym. Pal. Sanch. Mol. etc. et non improbabile putat Ronc. [10], quod cum possessor (etiam qui cum dubio incoeperit possidere) rem habuerit a possessore bonae fidei, si postea diligentia fit impossibilis, nihil tenetur restituere; ipse enim in omne ius illius legitime tunc succedit.

38. Quid denique dicendum in dubio, si aliquid cibi vel potus deglutiveris, an possis tunc eucharistiam accipere? Negant Sanchez [11] Roncaglia [12] et Salmant [13] cum aliis; tum quia (ut aiunt) legi certae non communicandi sine ieiunio non satisfacit per dubiam satisfactionem; tum quia id videtur gravi irreverentia non carere. Alii tamen, ut de Lugo [14] Castropal.[15] Laym.[16] Diana [17] La-Croix [18] Sporer [19] Bus.[20] cum Sa Carden. Med. Gobat. Boss. et aliis dicunt, in tali dubio bene te posse communicare. Ratio horum est, quia lex ieiunii non est positiva, ita ut praecipiatur ieiunium tamquam requisitum absolute necessarium ad communicandum; sed est prohibitiva, qua prohibetur quisque accedere ad communionem, si aliquid cibi aut potus sumpserit, ne coniungatur terrenus cibus cum divino. Id enim ait Lugo [21] constare ex conc. Bracharensi II. [22], ubi prohibetur, *ne aliquis quocumque cibo praesumpto, oblationem consecret in altari*. Item in conc. Toletano VII. [23]

(1) Lib. 1. n. 501. (2) Lib. 3. p. 2. n. 564. (3) L. c. (4) Tr. 13. de rest. c. 1. punct. 3. §. 3. n. 64. (5) T. 1. tr. 1. d. 3. p. 2. n. 9. (6) De contr. d. 1. q. 2. p. 2. n. 8. (7) De consc. c. 3. §. 7. v. Restitutio, n. 9. (8) L. c. n. 7. (9) L. 3. p. 2. n. 562. (10) Dict. q. 2. c. 2. (11) L. 2. de matr. dis. 41. n. 40. (12) De Euch. tr. 4. c. 5. qu. 1. (13) Eod. tit. tr. 4. c. 7. punct. 4. n. 69. (14) De Euchar. disp. 15. n. 43. (15) Disp. 3. punct. 8. n. 9. (16) L. 1. tr. 1. c. 5. n. 36. (17) T. 2. tr. 4. de sacrament. resol. 29. (18) L. 6. p. 1. n. 566. (19) De sacr. miss. c. 6. n. 274. (20) L. 1. tr. 1. c. 3. (21) L. c. (22) Can. 10. (23) Can. 2.

habetur: *Nullus post cibum, potumque quemlibet minimum sumptum missam facere praesumat.* Item in concilio oecumen. Constantiensi [1] dicitur: *Sacrorum canonum auctoritas et approbata consuetudo ecclesiae servavit et servat quod huiusmodi sacramentum non debet confici post coenam, nec a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a iure vel ecclesia concesso vel admisso.* Ita apud Lugo [2]. Posito igitur quod lex ieiunii est prohibitiva, nempe ne quis communicet post cibum sumptum, probandum est factum ieiunii fracti, ut quis communicare prohibeatur. In dubio autem an factus sit casus quo vigeat prohibitio legis, non tenetur is abstinere a communione, dum adhuc tunc possidet sua libertas; praecepto enim ecclesiae, inquit Lugo, ne quis communicet post cibum, non adversatur, qui facto examine non scit se aliquid sumpsisse. Licite igitur in dubio de fractione ieiunii, ille communicat, etenim cum ipsi eo casu tantum vetita esset communio, quo ieiunium fregisset, bene possidet libertas communicandi, usquedum de fractione non constat. Ratio haec non videtur contemnenda ut futilis: saltem eo casu lex prohibens communionem non videtur certa, et tamquam dubia non obligat, iuxta dicenda *n.* 55. *et seq.* Ad secundam autem rationem irreverentiae oppositam respondent, non censeri irreverentem, qui utitur iure suae libertatis, maxime si ex devotione ad communionem accedit.

39. An autem idem dicendum, quod possit communicare, qui dubitat an post mediam noctem cibum aut potum sumpserit. Negat Lugo, quia (ut ait) cum quis scit se comedisse, et dubitat an comederit post mediam noctem, videtur ipsi incumbere onus probandi, post mediam noctem non comedisse. Sed pace tanti viri dicimus, quod ratio super adducta, quod lex sit prohibitiva, non positiva, si valet pro primo casu, valet etiam pro secundo; prohibitio enim est non communicandi illis qui aliquid sumpserint post mediam noctem; si ergo, ne ipsi communicare possint, probandum est factum, quod aliquid sumpserint, probandum est etiam factum quod sumpserint post mediam noctem. Caeterum affirmativam sententiam tenent alii dd. supra citati, quibus accedit doctus p. Eusebius Amort [3], ubi inquirens an comedens in dubio, utrum iam sonuerit hora duodecima noctis, possit sequenti die communicare? Sic respondet: *Potest communicare, quia melior est conditio possidentis, quamdiu in contrarium non dantur praesumptiones tam fortes, ut operans ipsemet probabilius credat iam sonuisse duodecimam.*

(1) Sess. 15. §. In nomine sanctae etc.

(2) L. c. n. 18. et 19.

(3) Theol. t. 2. de Euch. disp. 5. q. 4.

Cap. III. De conscientia probabili.

40. Conscientia probabilis est, qua quis innixus aliqua opinione probabili, format sibi practicum dictamen rationis ex certis principiis reflexis, sive concomitantibus ad licite operandum. Hic tamen advertendum diversas dari probabilitatum species: alia enim est opinio tenuiter probabilis, alia probabilis, alia probabilior, alia probabilissima, alia certa mora-

liter, alia tuta, alia tutior. Opinio tenuiter probabilis est, quae aliquo fundamento nititur, sed non tali, ut valeat assensum viri prudentis ad se trahere; hac autem opinione nequimus licite uti ex propos. 3. proscripta ab Innoc. XI. quae dicebat: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Probabilis est, quae gravi fundamento nititur, vel intrinseco rationis vel extrinseco auctoritatis, quod valet ad se trahere assensum viri prudentis, etsi cum formidine oppositi. Probabilior est, quae nititur fundamento graviori, sed etiam cum prudenti formidine oppositi, ita ut contraria etiam probabilis censeatur. Probabilissima est, quae nititur fundamento gravissimo, quapropter opposita censetur vel tenuiter, vel dubie probabilis; hac autem opinione semper licite utimur, ut constat ex prop. damnata ab Alexandro VIII. quae dicebat: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Opinio sive sententia moraliter certa est, quae omnem prudentem formidinem falsitatis excludit, ita ut opposita reputetur omnino improbabilis. Opinio demum tuta est, quae recedit ab omni peccandi periculo. Tutior vero, quae magis a tali periculo recedit, tametsi rationibus firmioribus non nitatur.

41. Deinde advertendum, aliam esse probabilitatem facti, aliam iuris. Probabilitas *facti* est quae versatur circa rei veritatem, sive rei substantiam, nempe an sacramentum cum tali materia collatum sit validum aut nullum: an contractus cum tali pacto initus sit usurarius vel ne. Probabilitas autem *iuris* versatur circa honestatem actionis, id est, an liceat sacramentum cum tali materia conferre: an contractum cum tali pacto inire [1].

42. His positis dicimus numquam esse licitum uti opinione probabili probabilitate *facti* cum periculo damni alterius aut suipsius; quia huiusmodi probabilitas minime aufert periculum damni; si enim opinio illa est falsa, non evitabitur proximi aut operantis damnum; nam si exempli gratia baptismus cum saliva collatus revera est nullus, ita ut infans sine baptismo remaneat, probabilitas in oppositum non potest utique efficere, ut sit validus.

43. Hinc infertur 1. non esse licitum in materia fidei et in omnibus ad aeternam salutem necessitate medii spectantibus, sequi opinionem nec minus probabilem (ut inepte dicebat propos. 4. ab Innoc. XI. proscripta) neque probabiliorem; sed tenemur sequi sententiam tutiorem, ac per consequens amplecti debemus religionem magis tutam, qualis est procul dubio nostra catholica; cum enim quaevis alia religio falsa sit, etiamsi aliqua videatur alicui probabilior, tamen amplectens eam, relicta tutiori, nequaquam damnum suae aeternae salutis effugiet.

44. Infertur 2. quod medicus tenetur adhibere medicamenta tutiora infirmis profutura, nec potest uti remediis minus probabilibus, relicto probabiliori sive tutiori: in medicamentis enim probabilius est, quod est tutius pro sanitate infirmi.

45. Sed dubitatur 1. Utrum quando non apparet medicamentum certum, possit medicus uti remedio minus probabili, probabiliori relicto? Affirmant Azor. Arag. Montes. Salas etc. apud Salmant. [2]. Sed probabilius negant Sanch. [3] et ipsi Salm. [4] cum Soto Suar. et Bonac., quia medicus non solum ex charitate sed etiam ex iustitia, ratione officii et taciti contractus, tenetur providere meliori modo saluti infirmi, a quo stipendium accipit.

46. Dubitatur 2. An quando desperatur de salute infirmi, possit medicus applicare illi remedia, quae ipse dubitat an prosint vel obsint? Certum est et commune 1. quod si probabile sit

(1) Conf. lib. 4. n. 700. eiusque adnotationem.

(2) De 5. praec. dec. tr. 25. c. 1. punct. 6. §. 2. n. 145.
(3) Dec. l. 1. c. 9. n. 41.
(4) L. c. n. 144.

remedium fore profuturum, tunc potest, imo tenetur illud applicare, quando certius non habet. Vide Salmant. [1]. Certum est 2. non licere applicare infirmo etiam desperato remedium de quo ignoratur an sit salutare vel noxium, ad experimentum faciendum super infirmo. Ita communiter Salm. [2] cum Navar. Azor. Castrop. Salas Perez etc. Ratio, quia illicitum est experimentum quaerere cum periculo mortis infirmi vel accelerationis illius. Certum est 3. cum Sanch. [3] et Salm. [4], quod si remedium est dubie profuturum et certo non nociturum, omnino infirmo est applicandum. Quoad quaestionem autem duplex est sententia.

Prima negat, quia (ut supra dictum est) nunquam licet exponere infirmum periculo mortis, nec illam accelerandi; ita Salmant. [5] cum Azor. Castrop. Sylv. Villal. etc.

Secunda tamen *sententia* quae satis probabilis est, et forte probabilior, eamque tenent Sanch. [6] cum Valent. item Busemb. [7] et Bonac. Filliuc. Reginald. Bardi apud Salm. [8] affirmat esse licitum, quia cum de infirmo desperatur, conformius est prudentiae et voluntati infirmi (praesertim si ipse expresse in hoc consentiat) applicare illi remedium dubium, quam illud omittere cum certitudine mortis. Idque ut certum habet Antoine [9]. Notat praeterea Sanchez [10] cum Navarro, quod etsi medicus non potest contra suam opinionem auctor esse remedii, si tamen illud ab aliis doctoribus approbatur et infirmus consentit, licite potest eo uti.

47. Infertur 3. quod iudex tenetur iudicare iuxta sententiam probabiliorem; ipse enim tenetur ex praecepto divino et humano ius suum cuique tribuere pro maiori pondere rationum, quae cuique favent. Hinc damnata fuit ab Innoc. XI. propos. 2. quae dicebat: *Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem minus probabilem.* Recte vero advertit Cardenas cum aliis, quod si reus est in legitima possessione rei controversae, et habet pro se rationem probabilem, nequit iudex eum expoliare, etiamsi actor probabiliores rationes pro se adducat; possessio enim legitima (ut diximus *n.* 35.) dat possessori ius certum rei retinendae, donec constet de iure alterius. *Vide dicenda lib.* 4. *n.* 210. *Qu. II.* ubi id fuse probabitur.

48. Infertur 4. quod in collatione sacramentorum nequit minister uti opinione nec probabili nec probabiliori circa eorum valorem, sed tenetur sequi sententiam tutam, quae est illa quae vel est tutior vel moraliter certa. Constat id ex prop. 1. ab Innoc. XI. proscripta quae dicebat: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, vel episcopalis.*

49. Dixi, nisi *adsit necessitas;* etenim in extrema necessitate bene uti possumus qualibet opinione non solum probabili, sed etiam tenuiter probabili pro valore sacramenti, ut recte dicunt Holz. [11] Antoine [12] Cuniliat. [13] et alii communiter, modo sacramentum conferatur sub conditione; quia conditio satis reparat sacramenti iniuriam, si forte invalide conferatur, et contra necessitas sufficiens et iusta est causa sacramenti conditionate conferendi. *Vide dicenda lib.* 6. *c.* 1. *de bapt. n.* 103. *v. Materia autem dubia et de poen. n.* 482. *in fin.*

50. Dicunt autem plures aa. quod licite uti possumus opinione probabili, ubi praesumitur ecclesia supplere; ut evenire potest in sacramento matrimonii ad convalidandum contra-

(1) L. c. n. 150. in fine. (2) N. 148. (3) L. c. n. 42. (4) N. 150. in fine (5) Cit. c. 1. n. 150. (6) Dec. l. 1. c. 9. n. 39. (7) L. 4. infr. n. 291. ad 4. (8) N. 149. (9) Tr. de oblig. c. 7. (10) N. 42. (11) De bapt. a. 2. n. 97. (12) De bapt. q. 1. (13) De sacr. in gen. c. 1, §. 3. n. 3.

ctum probabiliter tantum validum, si forte contractus ille est nullus ob impedimentum quod ecclesia supplendo aufert, et in sacramento poenitentiae ad supplendam iurisdictionem confessarii, si forte illa desit. Hanc sententiam vocant communissimam Viva[1] et La-Croix[2] cum Suar. Less. Coninch. Regin. etc. Imo Sporer[3] cum Dicast. vocat moraliter certam: hancque testatur esse praxim totius ecclesiae de Lugo[4] cum Arriaga Suar. et Diana apud Carden.[5]. Sed *vide lib.* 6. *n.* 573. ubi plura dicentur circa iurisdictionem confessarii, quomodo et quando praesumitur ipsa suppleri ab ecclesia. An autem, stante errore communi, semper ecclesia suppleat iurisdictionem in sacramento poenitentiae, *vide ibid. n.* 572.

51. Quaeritur praeterea, an quod dictum est de administratione sacramentorum, dicendum etiam sit de susceptione, ita ut nullus possit suscipere sacramentum cum opinione probabili.

Prima sententia affirmat et hanc tenent Carden.[6] Viva[7] et La-Croix[8]. Ratio eorum, quia specialis reverentia debita sacramentis exposcit, ut ea non exponantur periculo frustrationis. Hinc dicunt ex prop. 1. damn. ab Innoc. XI. quoad ministrationem, virtualiter damnari etiam quoad susceptionem, cum in utraque idem subsit periculum.

Secunda vero *sententia* negat, quam tenent Pontius[9] Sanch.[10] cum Vasq. Salon. Sayr. Perez et aliis apud Card.[11] Item Spor.[12] et Viva in sua Theol. mor.[13] ubi videtur se revocare, saltem quoad opiniones, quae ex parte suscipientium passim a fidelibus in praxim deducuntur. Ratio quia nullam censetur iniuriam sacramento irrogare, qui utitur opinione probabili; nec videntur sacramenta exposcere maiorem reverentiam, quam probabilem, quam exposcunt alia praecepta divina. Et hanc sententiam, ait Mag. Hozes[14] non amisisse suam probabilitatem ex damnatione Pontificis; quia non constat, propositionem potius proscriptam fuisse respectu reverentiae erga sacramenta, quam respectu charitatis erga suscipientes. His tamen non obstantibus, censeo non recedendum a prima sententia, saltem quia secunda fere nunquam poterit deduci in praxim a suscipientibus sine proprio animae detrimento[15].

52. Infertur 5. et ultimo, quod si quis dubitat, an id quod videt in sylva, sit fera vel homo, non potest illud ferire, etiamsi probabiliter, aut probabilius existimet illam esse feram; nam si revera illud animal esset homo, probabilitas illa, sive maior probabilitas, non liberaret hominem a morte. Itaque universe dicendum, numquam esse licitum uti opinione probabili probabilitate facti ubi est periculum damni vel iniuriae proximi.

53. Secus tamen dicendum de opinione quae est probabilis probabilitate iuris; tunc enim quisque licite uti potest opinione illa, formans sibi conscientiam moraliter certam de honestate suae actionis[16]. Quia tunc, cum dubia sit lex, et non satis manifeste proposita, huiusmodi lex vel non est lex vel saltem non est lex quae obligat, ut infra videbimus in dissertatione de usu opinionis probabilis, *n.* 57. *et seqq.*

(1) In prop. 1. damn. ab Innocent. XI. n. 20.
(2) L. 6. n. 117. (3) De consc. c. 1. n. 56.
(4) De poenit. disp. 19. n. 31. (5) In prop. 1. damn. ab Innocent. XI. diss. 2. n. 166. et seqq.
(6) In prop. 1. damn. ab Innoc. XI. diss. 2. n. 28.
(7) Sup. ead. prop. 1. n. 25. (8) L. 6. p. 1. n. 105.
(9) De matr. l. 4. c. 25. n. 9. (10) Dec. l. 1. c. 9. n. 33. (11) N. 27. (12) De consc. c. 1. n. 57.
(13) De poenit. q. 3. a. 3. n. 9. (14) In ead. prop. 1. ap. Carden. n. 27. (15) Vide lib. 6. n. 450. et Hom. ap. tr. 16. n. 26.
(16) 1. Quod in hoc numero sequitur, sicuti numeri sequentes 54. 55. 56. et 57. ex edit. sexta Rom. ann. 1767. ad verbum excerpti et hic interpositi sunt, cum brevissime ac valde logice omnes facies probabilismi seu gradus probabilitatis simul exhibentes mentem auctoris de suo systemate clarius ostendere viderentur.

2. Cum s. Alphonsus de Ligorio suum tractatum de conscientia aliquoties quoad formam immutavit, factum est ut numeri 36. nimirum numeri omnes ab hoc n. 53. exclusive usque ad n. 90. quocum inchoatur tr. 2. de legibus penitus defecerint. Optimum itaque esse duximus, numeros omissos claritatis causa pro viribus restituere.

54. Remanet nunc videndum, quanam probabilitate potiri debeat opinio, ut ea licite valeamus uti. Duo sunt certa, *ex n.* 40. Primum est, illicitum esse uti opinione tenuiter probabili, ut patet ex propos. 3 proscripta ab Innocent. XI. Haec autem propositio merito damnata fuit; tenuis enim probabilitas nequit dici vera probabilitas, sicut tenuis fortitudo aut tenuis peritia dici nequit vera fortitudo et vera peritia, sed potius dicenda est imbecillitas aut imperitia. Et idem dicimus de opinione, quae notabiliter et certe minus est probabilis: etenim dum opinio pro lege v. g. est longe maioris ponderis (ut infra distinctius explicabimus *n.* 56.), illa evadit moraliter certa, efficitque ut opposita pro libertate reddatur vel improbabilis, aut dubie probabilis, et ideo illa uti non possumus. Alterum est certe licitum esse uti opinione probabilissima, ut constat ex propos. 3. damnata ab Alexandro VIII. quaeque relata fuit dicto *n.* 40.

Duae remanent nunc quaestiones discutiendae, de quibus oportet peculiariter in sequenti dissertatione sermonem habere.

DISSERTATIO
DE USU MODERATO OPINIONIS PROBABILIS SEU MORALE SYSTEMA PRO DELECTU OPINIONUM QUAS LICITE SECTARI POSSUMUS

55. Praesenti dissertatione duas nobis proponimus quaestiones discutiendas. Prior est, an licitum sit sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, quae stat pro lege. Posterior, an concurrentibus duabus opinionibus contrariis, aequaliter, aut quasi aequaliter probabilibus, liceat minus tutam amplecti. Dicitur, *aequaliter aut quasi aequaliter probabilibus*, quia (sicut omnes et probabilistae et antiprobabilistae conveniunt) cum inter utramque opinionem modica est praeponderantia, ita ut valde tenuis et dubius sit excessus, tunc ambae opiniones aeque probabiles existimantur, iuxta commune illud axioma: *parum pro nihilo reputatur.*

56. Circa primam quaestionem citius me expediam; resolutio enim est patens.

Dico igitur I., quod si opinio quae stat pro lege, videatur *certe* probabilior, ipsam omnino sectari tenemur: nec possumus tunc oppositam, quae stat pro libertate, amplecti. Ratio, quia ad licite operandum debemus in rebus dubiis veritatem inquirere et sequi: at ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur amplecti saltem opinionem illam, quae propius ad veritatem accedit, qualis est opinio probabilior.

Dixi *certe* probabilior: quia, dum opinio pro lege est certe et sine ulla haesitatione probabilior, tunc opinio illa non potest esse nisi notabiliter probabilior. Et eo casu opinio tutior non erit iam dubia (intellige de dubio stricte sumpto, ut in altera quaestione dicemus), sed est moraliter aut quasi moraliter certa; saltem nequit dici amplius stricte dubia, cum pro se certum habeat fundamentum quod ipsa sit vera. Unde tunc fit, quod opinio minus tuta, quae certo fundamento caret, remaneat aut tenuiter aut saltem dubie probabilis respectu tutioris; adeoque non est prudentia sed imprudentia velle eam amplecti. Quoties enim intellectui certe apparet, veritatem multo magis stare pro lege, quam pro libertate, tunc voluntas nequit prudenter et sine culpa parti minus tutae adhaerere; siquidem eo casu homo non proprio iudicio seu propriae credulitati innixus operaretur, sed potius per quemdam conatum, quem sua voluntate in intellectum inferret, ut a parte quae valde verisimilior sibi apparet removeretur, et ad partem quae sibi vera non apparet, imo quae videtur nec certum fundamentum habere quod possit esse vera, inflecteretur. Et huc facit illud apostoli: *Omne quod non est ex fide, peccatum est* [1].

57. Quod ad alteram quaestionem spectat, quam latius hic discutiemus, dico quod, cum opinio minus tuta est aeque vel fere aeque probabilis, potest

(1) Rom. 14. 23.

quis eam licite sequi, et hoc probandum.

Ante omnia duo ut certa supponere debemus: primum, quod ad licite operandum necessaria nobis est moralis certitudo de honestate actionis. Alterum, quod haec certitudo haberi potest, non tantum ex directo, sed etiam ex reflexo principio quo moralis illa certitudo actioni communicatur [1]. Hisce praemissis,

58. Dico II. quod si opinio quae stat pro libertate est tantum probabilis vel aeque probabilis ac altera quae stat pro lege, nec etiam ipsam quis sequi potest, eo quod sit probabilis: nam ad licite operandum sola non sufficit probabilitas, sed requiritur moralis certitudo de honestate actionis, iuxta illud s. Pauli [2]: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Dicitur *ex fide*, nempe ex certo dictamine conscientiae, ita ut homo in sua conscientia persuasum sibi habeat, quod agendo recte agat, prout explicant illud ex fide s. Chrysost. s. Ambros. et alii cum s. Thoma [3]. Propterea falsum reputo effatum illud commune inter probabilistas, nimirum: *Qui probabiliter agit prudenter agit.*

59. Dico III. quod, duabus aeque probabilibus opinionibus concurrentibus, quamvis opinio minus tuta teneri non possit, quoniam, ut diximus, sola probabilitas (nota, sola probabilitas) haud firmum praebet fundamentum ad licite operandum; tamen opinio illa quae stat pro libertate, cum aequali potiatur probabilitate, ac opposita quae stat pro lege, grave quidem immittit dubium, an existat lex quae actionem prohibeat, ac proinde sufficienter promulgata minime dici potest; ideoque dum eo casu promulgata non est, nequit obligare; tanto magis quod lex incerta non potest certam obligationem inducere. Et haec est sententia d. Thomae, quam ego sequor et quae certa mihi apparet, tum ob auctoritatem theologorum, ut vidimus, atque patrum (quorum doctrinae observari possunt in hac dissert. *n.* 70. Vide etiam Christian. Lupum [4] qui congerit plures patrum auctoritates), tum ob rationes intrinsecas quae non iam fucatae sunt, sed certae ac evidentes, ut demonstrabitur.

60. Theologorum princeps d. Thomas [5] sic docet: *Lex quaedam regula est et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum vel ab agendo retrahitur: dicitur enim lex a ligando; quia obligat ad agendum.* Hinc prosequitur s. doctor ad docendum quod haec regula et mensura, ut hominibus applicetur, et ipsi ad eam servandam teneantur, debet eis promulgatione manifestari. *Lex*, ait [6], *imponitur aliis per modum regulae et mensurae: regula autem et mensura imponitur per hoc, quod applicatur his quae regulantur et mensurantur. Unde ad hoc, quod lex virtutem obligandi obtineat (quod est proprium legis), oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem.*

61. Quod autem lex nequeat subditos obstringere, nisi eis sit promulgata, est axioma apud omnes compertum: *Leges tunc instituuntur, cum promulgantur*, scribit Gratianus [7]. Ratio patet, quia lex tantum in mente legislatoris manens non est, nisi mera cogitatio, sive intentio constituendi legem, non vero constitutio legis quae subditos obliget. Hinc a d. Thoma lex definitur: *Quaedam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata* [8]. Nulli dubium, ut scribit Franciscus Henno [9] quod promulgatio sit de essentia legis; nam ut recte ait Lud. Habert [10], *Ad rationem legis pertinent promulgatio et vis obligandi.* Addit card. Gotti [11] quod pro-

(1) Quomodo et quo fundamento certitudo moralis de honestate actionis etiam ex principiis reflexis obtineri possit, *vide in hoc tractatu n.* 69.
(2) Rom. 14. 23.
(3) Q. 17. de verit. a. 3.
(4) T. 11. diss. de usu sent. probab.
(5) 1. 2. q. 90. a. 1.
(6) Ibid. a. 4.
(7) Can. In istis, dist. 4.
(8) 1. 2. q. 90. a. 4.
(9) Tr. de leg.
(10) T. 3. de leg. c. 6. q. 4.
(11) Theol. T. 2. tr. 5. de leg. q. 1. dub. 3. §. 3.

mulgatio est indispensabiliter requisita ad subditos obligandos: *Ad hoc, ut lex in actu secundo obliget, requiritur quidem indispensabiliter, ut subditis promulgatione proponatur.* Idem tradit Dominicus Soto [1] dicens: *Nulla lex ullum habet vigorem legis ante promulgationem, sed tunc instituuntur cum promulgantur.* Statimque subiungit: *Itaque nullam exceptionem conclusio haec permittit.* Idem scribit doctor gallus Du-Vallius [2] dicens legem aeternam non potuisse homines obligare ab aeterno; *Quia*, ut ait, *de ratione legis est, ut promulgetur subditis; nulli autem fuerunt subditi ab aeterno.* Idem scribit p. Gonet [3]: *Legem aeternam defectu promulgationis non potuisse obligare creaturas ab aeterno.* Idem scribit Lorichius [4]: *Hominibus autem* (lex aeterna) *promulgatur quando eis innotescit.* Idem inquit etiam acer adversarius meus p. Patutius [5]: *Consentiunt quidem omnes promulgationem esse omnino necessariam, ut lex virtutem obligandi obtineat.* Mirabitur quis, me studuisse tot auctoritates hic congerere ad hanc doctrinam probandam, quae a nemine in dubium revocatur; sed me id fecisse sciat quia ab ea sententiae meae firmitas pendet, nempe quod lex dubia non obligat, ut infra videbimus.

62. Porro s. Thomas id ut certum habens, hanc oppositionem sibi obiicit [6]: *Lex naturalis maxime habet rationem legis; sed lex naturalis non indiget promulgatione: ergo non est de ratione legis quod promulgetur.* Et sic respondet: *Dicendum quod promulgatio legis naturae est ex hoc ipso, quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam.* Idque clarius explicando Sylvius ait [7]: *Actualiter tunc unicuique* (lex) *promulgatur, quando cognitionem a Deo accipit dictantem, quid iuxta rectam rationem sit amplectendum, quid fugiendum.* Idem docet Ioannes Gerson [8]: *Lex ista est quaedam declaratio creaturae rationali facta, per quam illa cognoscit, quid Deus de certis rebus iudicat, ad quas vel praestandas vel omittendas ipse creaturam obligare vult.* Addit tandem Petrus de Lorca [9]: *Quemadmodum promulgatio est intrinseca et essentialis humanis legibus, sic rationis iudicium et cognitio intrinseca est legi naturae.* Quapropter sine rationis iudicio et cognitione nullo modo existit promulgatio legis sufficientis ad obligandum.

63. Lex vero ut obliget, non tantum promulganda est, sed etiam promulganda ut certa. Et hoc punctum firmiter est hic statuendum, ideoque in eo perpendendo diutius non frustra immorabor, cum plura opus sit hic repetere quae iam alibi scripsi; enimvero ex huiuscemodi fundamento firmitatem haurit nostra sententia, nempe non posse legem incertam certam obligationem imponere. Dicimus igitur, neminem ad aliquam legem servandam teneri, nisi illa ut certa alicui manifestetur. Posito enim, ut vidimus, quod lex necessario est promulganda ut obliget, si promulgatur lex dubia, promulgabitur dumtaxat dubium, opinio, sive quaestio an adsit lex prohibens actionem, sed non promulgabitur lex. Hinc omnes ad asserendum conveniunt, quod lex, ut obliget, debet esse certa ac manifesta, debetque uti certa manifestari sive innotescere homini cui promulgatur. Audiamus id quod communiter inquiunt doctores super hanc sententiam, sive super hoc principium quod inter alios maxime tradit d. Thomas, atque probat. S. Isidorus inter conditiones legis ut obliget, ait legem debere esse manifestam. Ita habetur in iure canonico [10]. Idque certum est etiam in iure civili [11]: *In dubio nullus praesumitur obligatus.*

64. D. Thomas loquens de lege aeterna et naturali, docet quod ad hoc ut ipsa possit esse nobis mensura, de-

(1) De iust. et iure lib. 1. q. 1. a. 4. (2) In 1. 2. s. Th. de leg. q. 2. (3) Clyp. de leg. d. 2. (4) Thesaur. verb. Lex, n. 6. (5) Theol. mor. de leg. tr. 1. c. 1. n. 7. (6) 1. 2. q. 90. a. 4. ad 1.

(7) 1. 2. q. 90. a. 4. in fin. (8) De vita spir. etc. lec. 2. col. 176. (9) In 1. 2. disp. 6. de leg. (10) Can. Erit autem dist. 4. Erit autem lex manifesta etc. (11) Authent. Quibus modis nat. ff. Natura.

bet esse certissima, nobisque innotescere. Attendamus verba s. doctoris. Ipse [1] sibi obiicit: *Mensura debet esse certissima* (nota); *sed lex aeterna est nobis ignota; ergo non potest esse nostrae voluntatis mensura, ut ab ea bonitas voluntatis nostrae dependeat.* Et ita respondet: *Licet lex aeterna sit nobis ignota secundum quod est in mente divina; innotescit tamen nobis aliqualiter per rationem naturalem, quae ab ea derivatur ut propria eius imago, vel per aliqualem revelationem superadditam.* Ratio patet, cur lex debet esse certa, quia cum lex iuxta s. doctorem sit mensura et regula, qua homo mensurari et regulari debet circa suas actiones, nequaquam ille recte mensurari et regulari potest, nisi mensura et regula illa sit certa, ut obliget, quin et homini innotescat. *Lex enim*, scribit doctissimus Petrus Collet, *ut obliget*, *debet dari ut regula; ac proinde innotescere; atqui lex non innotescit nisi per promulgationem, cum per eam solam eo intimetur modo, qui obediendi necessitatem inducit* [2]. Idem tradit Io. Gerson dicens quod lex, ut obliget, necessario debet homini manifestari, alias Deus eum obligare non potest ad illam servandam: *Necesse est* (valde notabilia sunt Gersonis verba) *dari manifestationem ordinationis ac voluntatis Dei; nam per solam ordinationem, aut per solam suam voluntatem non potest Deus absolute creaturae imponere obligationem; sed ad hoc opus est ut ei communicet notitiam unius aeque ac alterius* [3].

Idem tradit Gonet dicens: *Homo non tenetur conformari voluntati divinae... nisi quando voluntas divina nobis praecepto vel prohibitione manifestatur* [4]. Et de hoc rationem praebet, scribens, hominis peccatum pendere ab ipsius voluntate transgrediendi legem: si autem peccatum (ait) penderet ab existentia vel non existentia legis, peccatum esset fortunae sive casus, non iam voluntatis; quod magnum esset absurdum: *Plerumque* (scribit) *esset fortunae, non voluntatis, quod homines peccent vel non peccent, prout videlicet id quod agunt est conforme vel difforme iuri naturali ab eis ignorato; quod etiam absurdissimum est, cum vera et sola causa peccati sit voluntas creata, ut operans difformiter ad regulas morum* [5].

Idem tradit Sylvius dicens: *Actualiter tunc* (lex) *unicuique promulgatur, quando cognitionem a Deo accipit dictantem, quid iuxta rectam rationem sit amplectendum vel fugiendum* [6]. Non tenetur igitur quis ad legem, nisi eam iuxta rectam rationem cognoscat esse necessario amplectendam. Idem tradit Fulgentius Cuniliati, hoc absolute proferens: *Legis violatores non sunt illi, quibus nondum lex innotuit* [7]. Idem tradit Iodoch. Lorichius: *Hominibus autem lex promulgatur, quando eis innotescit* [8].

65. Ex omnibus his praefatis evidenter apparet moralis certitudo sententiae nostrae, vel potius sententiae d. Thomae qui pluribus in locis eam docet. Signanter [9] hoc morale principium absolute profert: *Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti.* Ab omnibus philosophis cum d. Thoma docetur distinctio inter opinionem et scientiam: *Opinio* denotat cognitionem dubiam aut probabilem alicuius veritatis: *scientia* vero cognitionem certam ac patentem significat. Sed audiamus ipsum s. doctorem; et quod s. Thomas nomine *scientiae* intelligat praecise cognitionem certam, patet, quia proponit [10] hoc quaesitum: *Utrum conscientia liget;* ac deinde ait: *Ita se habet imperium alicuius gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis illo modo ligationis, qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales. Actio autem corporalis agentis numquam inducit necessitatem in rem aliam, nisi per contactum coactionis ipsius ad rem in quam agit. Unde nec ex imperio alicuius domini li-*

(1) 1. 2. q. 19. a. 4. ad 3. (2) Theol. mor. de leg. c. 1. a. 2. concl. 2. (3) De vit. spir. etc. lect. 2. (4) Clyp. t. 3. d. 6. a. 2. n. 37. in fin. (5) Ib. d. 1. a. 4. §. 1. (6) In 1. 2. qu. 90. a. 4. q. 4. (7) Tr. 1. de reg. mor. c. 2. §. 1. n. 5. (8) Thes. th. v. Lex, n. 6. (9) Op. de ver. q. 17. a. 3. (10) Loc. cit.

gatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam: unde nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti.... Sicut autem in corporalibus agens corporale non agit, nisi per contactum; ita in spiritualibus non ligat nisi per scientiam. Similitudo a d. Thoma hic allata nequit esse magis lucida et convincens ad probandam nostram sententiam sive principium, nempe quod lex incerta non potest certam obligationem inducere. Dicit s. doctor, quod scientia praecepti est instar vinculi quod voluntatem ligat; unde sicut ad rem aliquam ligandam opus est ut actualiter funis applicetur; ita ad ligandam hominis voluntatem, ut actionem aliquam exerceat vel omittere teneatur, necesse est ut ipse praecepti scientiam habeat; alioquin homo ille in sua libertate remanet. Quamobrem, dum ille in dubio est an adsit vel non praeceptum prohibens vel praecipiens (sicut accidit, cum duae opiniones eiusdem ponderis aeque probabiles concurrunt), tunc non habet quidem scientiam praecepti, ideoque praeceptum servare non tenetur.

Ad hoc magis explicandum doctor angelicus eodem loco subdit: *Ad videndum autem quando* (conscientia) *liget, sciendum quod ligatio metaphorice a corporalibus ad spiritualia sumpta necessitatem importat; ille enim qui ligatus est necessitatem habet consistendi in loco ubi ligatus est, et aufertur ei potestas alio divertendi.* Sicut igitur contra, qui ab aliquo vinculo actualiter non est ligatus habet potestatem divertendi quo vult, ita qui non est ligatus per scientiam praecepti, liber est ab obligatione praecepti. Ideo s. doctor scribit, legem dici a ligando: *Dicitur enim lex a ligando, quia obligat ad agendum* [1].

Hanc suam sententiam d. Th. valde confirmat in alio loco [2], ubi quaerit: *Utrum necessarium sit voluntatem humanam conformari voluntati divinae in volito, ad hoc ut sit bona*: et affirmat; sed et postmodum [3] s. doctor hoc sibi obiicit: *Videtur quod voluntas hominis non debeat semper conformari divinae voluntati in volito; non enim possumus velle quod ignoramus.... Sed quid Deus velit ignoramus in plurimis; ergo non potest humana voluntas divinae voluntati conformari in volito.* Et respondet: *Ad primum dicendum quod volitum divinum secundum rationem communem quale sit, scire possumus; scimus enim quod Deus quidquid vult, vult sub ratione boni. Et ideo quicumque vult aliquid sub quacumque ratione boni habet voluntatem conformem voluntati divinae quantum ad rationem voliti. Sed* (nota sequentia verba) *in particulari nescimus quid Deus velit; et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinae voluntati.* Itaque docet s. Th. quod homo semper ac rem aliquam vult sub ratione boni, voluntati divinae iam conformatur: sed minime tenetur se conformare voluntati divinae in rebus particularibus ignoratis, et signanter in praeceptis, ubi haec divina voluntas non est ei manifestata. Id autem distinctius declarat p. Gonet, dicens: *Homo non tenetur conformari voluntati divinae in volito materiali, nisi quando voluntas divina nobis praecepto vel prohibitione manifestatur* [4]. In dubio igitur, ubi nescimus an Deus aliquo praecepto nobis aliquid in particulari imponat aut vetet, non tenemur conformari circa tale praeceptum voluntati divinae, nisi praeceptum nobis manifestetur; etenim, ut tradit Io. Gerson, ubi Deus non manifestat nobis suam voluntatem, non potest (ait) nos obligare ad eam sequendam. Repetamus hic eius verba iam alibi supra relata: *Necesse est dari manifestationem ordinationis ac voluntatis Dei; nam per solam suam voluntatem nondum potest Deus absolute creaturae imponere obligationem* [5].

Eamdem sententiam d. Thomas fortius confirmat in alio loco [6], ubi signanter loquitur de obedientia, quae prae-

(1) 1. 2. q. 90. a. 1. (2) 1. 2. q. 19. a. 10.

(3) Ibid. ad 1. (4) Clyp. t. 3. d. 6. a. 2. n. 37. in fin.
(5) De vita spir. etc. lect. 2. (6) 2. 2. q. 104. a. 4.

ceptis divinis debetur. Ita quaerit: *Utrum Deo sit in omnibus obediendum.* S. doctor affirmat, sed [1] sibi obiicit: *Quicumque obedit Deo, conformat voluntatem suam voluntati divinae, etiam in volito; sed non quantum ad omnia tenemur conformare voluntatem nostram voluntati divinae, ut supra habitum est* [2] (ubi habetur textus iam supra relatus) *ergo non in omnibus tenetur homo Deo obedire.* Et sic respondet (attendamus hic quomodo s. doctor fuerit semper firmus et uniformis in hac sua sententia): *Ad tertium dicendum, quod etsi non semper teneatur homo velle quod Deus vult, semper tamen tenetur velle quod Deus vult eum velle. Et hoc homini praecipue* (nota) *innotescit per praeceptum divinum.* Homo igitur tenetur Deo obedire, et ipsius voluntati conformari circa praecepta, non iam in omnibus quae Deus vult, sed tantum in iis quae vult Deus nos velle (*quod Deus vult nos velle*). At quomodo sciemus id quod Deus non solum ipse vult, sed etiam vult nos velle? sciemus, inquit s. Thomas, cum nobis id manifestatur per sua divina praecepta: *Et hoc homini praecipue innotescit per praeceptum divinum.* Ergo non obligat sola dubia notitia praecepti ad illud servandum tamquam voluntatem divinam, sed requiritur certa et manifesta praecepti cognitio, quod quidem significat verbum illud *innotescit.* Itaque, ubi duae sunt opiniones aequalis ponderis, cum eo casu desit sufficiens promulgatio legis, ipsa non habet virtutem obligandi, ut firmatum est sub initio huius moniti. Lex autem quae non obligat non est lex: *Dicitur enim lex a ligando*, ait s. Thomas; lex ergo quae non ligat, lex dici non potest.

Hanc autem sententiam, quod, ubi praeceptum est vere et stricte dubium, non adest obligatio illud servandi, secuti sunt communiter auctores tam antiqui, quam recentes. S. Raymundus scripsit [3]: *Non sis pronus iudicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam Scripturam.* Lactantius scripsit [4]: *Stultissimi hominis est praeceptis eorum velle parere, quae utrum vera aut falsa sint dubitatur.* Textus habetur [5]: *Nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur.* Idem scripsit Io. Nyder [6] citans Bernardum de Claromonte: *Ex quo enim opiniones sunt inter magnos, et ecclesia non determinavit alteram partem, teneat quam voluerit.* Idem scripsit s. Antoninus: *Secundum Cancellarium non plus nocet homini errare in articulo fidei, qui non est declaratus adhuc ab ecclesia, quod sit articulus de necessitate credendus; quam nec esse posset actus moralis contra aliquid agibile perpetratus, qui actus non dicitur certus ex Scriptura, aut determinatione ecclesiae, quod sit illicitus. Sed constat, quod in materia fidei licitum est ante determinationem ecclesiae tenere unam vel alteram partem sine periculo peccati; ergo a simili licet unam opinionem in moralibus tenere iuxta limitata superius, ubi saltem magis sapientes non sentiunt contrarium.* [7]. Iuxta igitur s. Antoninum, et Cancellarium (videlicet Gersonem) non tenemur sequi opinionem tutiorem, ubi tutior non apparet probabilior. Gabriel Biel scripsit [8]: *Nihil debet damnari tamquam mortale peccatum, de quo non habetur evidens ratio, vel manifesta auctoritas Scripturae.* Dominicus Soto scribit, quod lex cum ipsa sit regula actionum, opus est ut homo eam *intueatur*, nempe quod cognoscat eam ut certam: *Qui regula utitur, eam intueri necesse est* [9]. Unde scripsit postea [10]: *Quando sunt opiniones probabiles inter graves doctores, utramque sequaris, in tuto habes conscientiam.* Ita etiam card. Lambertinus (qui postea ad pontificatum evectus est sub nomine Benedicti XIV.) scripsit in suis notificationibus [11]: *Non debbono imporsi ligami, quando non vi è una manifesta legge che gl'imponga.*

(1) Ad 3. (2) 1. 2. q. 19. a. 10. (3) L. 3. de poenit. §. 21. (4) L. 3. Instit. c. 27. (5) C. 31. Cum in iure, de offic. et pot. iud. deleg.

(6) In Consol. An. p. 3. c. 20. (7) P. 1. tit. 3. c. 10. §. 10. verb. Revertendo. (8) In 4. sent. d. 16. q. 4. concl. 5. (9) De iust. l. 1. q. 1. a. 4. (10) Ibid. l. 6. q. 1. a. 2. [illegible] fin. (11) Notif. 13.

66. Doctissimus Melchior Canus scribens adversus Scotum, qui obstringebat peccatores ad eliciendam contritionem in quocumque die festo, dicit: *Ius humanum nullum est, aut evangelicum, quo hoc praeceptum asseratur; proferant et tacebimus.* Canus[1] sic scribit: *Quoniam ignoro unde ad hanc opinionem doctores illi venerint, libere possum, quod non satis explorate praeceptum sit et cognitum sine ulla dubitatione negare.* Ioseph Rocafull praepositus Valentiae scripsit: *Casu quo facta diligentia non constat, an lex sit imposita, sed res dubia manet, non obligat, sive sit lex, vel praeceptum naturale*[2]. P. Suarez ita scribit: *Quamdiu est iudicium probabile, quod nulla lex sit prohibens actionem, talis lex non est sufficienter proposita homini; unde cum obligatio legis sit ex se onerosa, non urget, donec certius de illa constet*[3]. Idem scripsit p. Ioannes Idelphonsus dominicanus: *Si dubium est de ipsa existentia legis, an existat talis lex? an sit publicata? an in tali lege comprehendatur iste casus? facta sufficienti diligentia, et durante dubio, non teneris te conformare tali legi vel obligationi*[4]. Idem tenet auctor recens p. Eusebius Amort, vir germanus valde eruditus et undique notus ob suam doctrinam, et plura insignia opera vulgata. Hic in sua theologia morali et scholastica, excusa Bononiae anno 1753, (quae priusquam ederetur emendata fuit, aut saltem revisa a papa Bened. XIV, prout ipse auctor suppliciter ab eo petierat) sic scribit: *Quandocumque existentia legis non redditur credibilior, moraliter certum est non dari legem, quia ex natura providentiae divinae Deus tenetur reddere suam legem credibiliorem, etc.*[5]. Et alibi[6] ait, quod cum adsunt duae opiniones aeque probabiles, *non datur lex directe prohibens, quia hoc casu non datur sufficiens promulgatio legis, quae est character essentialis legis.* Idem tenent Vasquez[7] card. de Lugo[8] Mastrius[9] Holzman.[10] Roncaglia[11] Salmant.[12] et alii plures, quos omittimus brevitatis causa.

67. Posito igitur principio a d. Thoma tradito, ac satis superque probato, nempe, quod *nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti*, quod idem est ac dicere, non posse legem incertam certam obligationem inducere, necessario eruitur esse moraliter certum, quod ubi duae opiniones aequalis ponderis concurrunt, non est obligatio sequendi tutiorem. Si quis autem de huius sententiae certitudine rationem exposcat, breviter ei ex omnibus in hoc monito probatis respondebitur, quia lex dubia non obligat. Et si quaerere pergat, cur lex dubia non obliget, respondebimus hoc succinto argumento: lex non sufficienter promulgata non obligat: lex dubia non est sufficienter promulgata (quia dum lex est dubia, promulgatur sufficienter dubium, sive quaestio, sed non promulgatur lex): ergo lex dubia non obligat. Qui argumentum hoc inficiari vellet, probare deberet, vel quod lex etiam non promulgata obligat; vel quod lex dubia est vere promulgata; contra id quod expresse docet s. Thomas et alii communiter, ut vidimus; sed numquam harum propositionum ullam probabit in aeternum. Haec tandem sit conclusio huius sententiae. Spectato pondere aequali utriusque opinionis, homo dubius maneret, neque operari posset; spectata autem vi legis, cum ipsa eo casu non sit sufficienter promulgata, non obligat nec ligat. Et ideo homo, utpote ab huiusmodi lege dubia non ligatus, redditur certus de sua libertate, et sic licite operari potest.

Constat autem ex ipso naturali dictamine, licere nobis agere omne id quod a lege non prohibetur, sicut scribit Heineccius[13] sic aiens: *Omnia libertati hominis permittit Deus quae non praecepit vel prohibuit. Sic. v. gr. cum*

(1) Praelect. de poen. p. 4. q. 2. concl. 3. et concl. 4. (2) L. 1. de leg. in comm. c. 4. n. 63. (3) De cons. disp. 12. sect. 6. et vide in 3. p. d. 40. n. 14. (4) In 1. 2. disp. 209. n. 1132. (5) T. 1. d. 2. §. 4. q. 20. (6) D. 2. §. 4. q. 5. (7) 1. 2. disp. 62. c. 9. n. 45. (8) De poenit. disp. 16. sect. 3. (9) Theol. mor. disp. 1. q. 2. a. 3. n. 56. (10) Mor. t. 1. p. 29. n. 135. (11) Theol. mor. l. 2. c. 3. (12) Tr. 6. de poen. c. 8. punct. 2. n. 25. et tr. 11. de leg. c. 2. punct. 5. n. 100. (13) Elem. iur. nat. et geut.

sola arbore scientiae boni et mali hominibus interdixisset Deus, recte omnino inferebant protoplasti, licere sibi fructibus reliquis omnino vesci [1]. *Cessante enim legis obligatione, viget libertas.* Id porro validius confirmatur textibus iuris civilis et canonici: *Cuique facere libet, nisi id a iure prohibetur* [2]. *Nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur* [3]. Quapropter s. Thomas docet id tenendum tanquam commune et certum axioma in lege naturali, sic scribens: *Illud dicitur licitum, quod nulla lege prohibetur* [4].

Hinc inepte arguit quidam auctor dicens: *Ubi dubium est, an adsit lex, consequenter dubium etiam est, an adsit libertas.* Male (dico) arguit, nam ubi dubium est, an adsit lex, certum est legem non obligare; docet enim s. Thomas (ut notavimus supra) quod *Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti.* Patet autem, scientiam importare cognitionem certam de lege: et huius ratio etiam patet, quia lex donec est dubia, non est sufficienter promulgata; atqui lex non sufficienter promulgata non habet virtutem obligandi sive ligandi, ut ait doctor angelicus, iuxta supra dicta; ubi autem non existit lex ligans sive prohibens, homo licite operatur, ut ait idem s. Thomas [5].

Dixi sub initio, quod ubi opinio pro lege videtur certe probabilior, eam sequi tenemur; secus vero si est eiusdem ponderis, quod habet opinio pro libertate. Auctor autem ephemeridum gallicarum mihi obiecit, quod haec propositio probat nimis; si enim sequi non teneremur opinionem quae stat pro lege, cum opinio pro libertate est aequalis momenti, quia tunc lex est dubia, nec etiam teneremur sequi opinionem pro lege, cum opinio pro libertate esset minus probabilis, quoniam etiam opinio minus probabilis efficit, quod lex sit dubia, et non sufficienter promulgata. Sed respondeo, quod cum opinio tutior est certe probabilior, eo casu (ut in principio huius moniti praemisi) quamvis lex omnino certa non sit, attamen propter illam maiorem probabilitatem opinio pro lege videtur moraliter verior, et consequenter apparet moraliter ac sufficienter promulgata; et ideo nequit dici tunc omnino dubia dubio stricto; remanet tantum eo casu quoddam dubium latum, quod ab opinione tutiore discedere non permittit. Cum autem opinio quae stat pro libertate est aequalis momenti, tunc adest dubium strictum de existentia legis; ac propterea, sicut probavimus, non adest tunc obligatio amplectendi opinionem strictiorem, nec servandi legem, de qua omnino dubitatur, an ipsa existat vel non existat.

68. Sed priusquam finem ponam huic dissertationi, praeterire nolo duabus oppositionibus respondere, quas invenio obiectas a p. Flaviano Ricci in theologia morali p. Anacleti ab ipso nuperrime reformata, ubi sic scribit: Omnes divinae et humanae leges sunt certae et sufficienter promulgatae; controversia ergo non cadit super existentiam legis, aut super eius promulgationem, sed super eiusdem extensionem; ideo in casu particulari debemus legem generalem ad illum applicare, et investigare, an casus ille comprehendatur vel ne a lege. Hinc falso nobis imponit, quod in concursu duarum opinionum quae sunt aequalis ponderis, iudicamus legem certe ad eum casum non extendi; ipse vero auctor duo supponit eo casu accidere: *primum*, quod tunc nostra libertas evenit dubia; *secundum*, tunc tribuendum esse locum regulae canonum quae dicit: *In dubiis tutior via eligenda est:* iuxta, ut addit, Scripturam illam: *Qui amat periculum in illo peribit* [6].

Respondeo ad *primum*. Quando dubitatur, an casus comprehendatur a lege vel non, nequaquam dicimus legem tunc certe non extendi, sed dici-

(1) Gen. 3. 2.
(2) Instit. de iure person. §. 1
(3) C. 31. Cum in iure de offic. et potest. iud. deleg.
(4) In 4. sent. dist. 15. q. 2. a. 4. ad 2.
(5) Loc. cit. (6) Eccli. 3. 27.

mus quod in casu duarum opinionum aequalis ponderis, quamvis lex generalis (v. g. non furandi, non occidendi) sit certa quoad existentiam, et sit sufficienter promulgata; respectu tamen ad illum casum est dubia tam quoad existentiam, quam quoad promulgationem; ac propterea tunc, quia dubitatur an lex ad casum illum extendatur, certum est non extendi quoad obligationem; nam, ut late probavimus supra, eo casu cum lex dubia sit, nequit ligare certam hominis libertatem, quae, donec a lege sit ligata, manet soluta. Id quidem agnovit d. Thomas, cum dixit legem esse instar ligaminis, quod donec per contactum applicatur alicui, hic *habet potestatem divertendi quo vult*, sunt verba s. doctoris [1]. Hinc protulit sententiam illam: *Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti* [2].

Hoc autem maxime alibi confirmatur a s. Thoma, ubi sic scripsit: *Lex quaedam regula est et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur; dicitur enim lex a ligando, quia obligat ad agendum* [3]. *Mensura autem*, ait card. Gotti, *non mensurat, nisi mensurabili applicetur*, et ideo addit: *Lex ut actu obliget, debet promulgatione imponi subditis* [4]. Quomodo autem poterit quis suas actiones recte mensurare, nisi mensura illa sit certa et non ambigua? Nec valet dici, quod ubi lex est dubia est etiam dubia libertas hominis; quia libertas manet semper certa, usquedum a lege pariter certa et manifesta non ligatur. Quantumvis igitur lex generalis sit certa, certe existat et certe sufficienter sit promulgata, donec tamen ipsa non est casui particulari applicata, libertas utpote non adhuc ligata, in sua possessione remanet.

Respondeo ad *secundum*, nempe ad regulam canonum a p. Flaviano adductam, et quaero ab eo: certumne est quod praefata regula comprehendat omnia dubia speculativa et non tantum practica aut dubia de facto? id equidem certum non est: nam communior sententia tradit, regulam illam dumtaxat locum habere in dubiis practicis et de facto. Ecce quod scribit s. Antoninus: *Quod autem volentes probare contractum esse illicitum, inducunt illud:* In dubiis tutior via est eligenda. *Respondetur hoc esse verum de honestate et meriti maioritate, non de salutis necessitate quoad omnia dubia, alioquin oporteret omnes religionem intrare* [5]. Idem scribit Christian. Lupus [6] illud arguens ex doctrina s. Augustini: eamdem sententiam sequuntur Navarrus Dom. Soto Nyder Tabiena Suarez Angles s. Bonavent. Gerson Isambertus Io. Idelphonsus Salas Corneius s. Thomas et alii, quorum loca observari possunt apud aliam quamdam meam dissertationem, quam olim diffusius de hac materia edidi, ubi evidenter probavi, quod huiusmodi canonum regula tantum casus practicos et de facto spectabat [7]. Saltem igitur praedicta regula sive lex canonum est vere dubia extra casus practicos et de facto: ac ideo non sufficienter promulgata et propterea vim non habet obligandi.

Sed demus gratis hanc legem procedere pro omnibus dubiis; rursum peto: Quid dicit lex haec sive regula? *In dubiis tutior via est eligenda*. Ergo cum homo est in dubio, nequit agere. Sed quid si formet sibi dictamen moraliter certum de honestate suae actionis? tunc non est *in dubio*, sed est extra dubium et extra casum regulae, ob principium illud iam plusquam plene probatum quod lex dubia non obligat, quia tunc deficit ei promulgatio, quae est de essentia legis [8].

Textus autem quem addit, *Qui amat periculum in illo peribit*, nescio quomodo possit suae opinioni favere. Non ignoro, huiusmodi scripturam afferri

(1) De verit. q. 17. a. 3. (2) Ibid. (3) 1. 2. q. 90. a. 1. (4) T. 2. tr. 5. q. 1. d. 3. §. 3. n. 22. (5) P. 2. tit. 1. c. 2. §. 31. (6) Diss. de op. prob. (7) S. Alphonsus praeter italicas, quas plures numero conscripsit, quatuor dissertationes latinas de usu moderato probabilismi edidit, quae sunt annorum 1749. 1755. 1763. et 1773. (8) Confer infra n. 79. ubi eadem obiectio fusius confutatur.

ab omnibus eiusdem rigidae sententiae propugnatoribus; sed non valeo intelligere, quidnam ex ea eruere possint isti magistri (ut se iactant) sanae et purioris doctrinae. Attendatur Scripturae contextus; dicitur ibi: *Cor durum habebit male in novissimo, et qui amat periculum in illo peribit* [1]. En quod casus Scripturae, in quo homo graviter peccat, est, cum ipse in verum se immittit periculum suae salutis, protrahendo usque ad mortem suam conversionem; sicut pariter verum periculum incurrit et graviter peccat, qui occasionem proximam peccandi voluntarie renuit removere; omnino differt ergo casus a nostro, in quo, posito quod lex dubia non obligat, nullum est periculum transgrediendi legem: quia, cum eo casu non sit ea sufficienter promulgata, nullam habet virtutem obligandi.

Ex hac autem doctrina s. Thomae, nempe quod lex non habet virtutem obligandi, nisi sit promulgata et innotescat, duo corollaria descendunt, quibus praefata nostra dissertatio magis solidatur: primum quod lex dubia non obligat: secundum huic annexum, quod lex incerta nequit certam obligationem inducere [2]. Hinc subdimus

Corollarium I. *Lex dubia non obligat.*

69. Ex principio autem tam firmiter et multipliciter a d. Thoma probato, nempe quod lex non promulgata non habet virtutem obligandi, certa descendit praefata prima conclusio, quod lex dubia non obligat. Huiusmodi conclusio probatur ex eo, quod certum et exploratum communiter est inter omnes doctores, quod certitudo moralis alicuius sententiae, si non probatur ex aliquo certo principio *directo*, probetur tamen ex alio principio *reflexo* pariter certo, ut probatur primo ex *can.* 4. *Quid culpatur*, *caus.* 23. *q.* 1 ubi *s. Augustinus* scribit: *Vir iustus, si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, recte potest illo iubente bellare, si vice* (alias civicae) *pacis ordinem servans, quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei praeceptum certum est, vel utrum sit, certum non est; ita ut fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Quamvis igitur subditus sit dubius de belli iustitia, potest tamen licite militare ex iussu sui principis, et qua ratione? innixus principio reflexo quod princeps habet ius certum, ut semper ac de iniustitia non constat, ei obtemperetur. Probatur pariter ex *cap. Dominus*, *de secund. nupt.* ubi dicitur, quod si vir dubitet de morte prioris viri suae uxoris, nequit debitum petere, sed tenetur reddere uxori, quae non dubitans in bona fide petit; et cur? ob certum principium reflexum, quod cum uxor sit in bona fide, ipsa in dubio ius habet petendi debitum.

Hanc doctrinam ut certam habet p. Ioannes Laurentius Berti [3] qui tenet illicitum esse sequi opinionem minus tutam, licet sit aeque probabilis; sed unde id probat? probat ex falsitate duorum principiorum, quibus probabilistae licitum esse sustinent; primum enim est illud: *qui probabiliter agit, prudenter agit.* Merito revera p. Berti ait, principium hoc non esse sufficiens ad operandum cum opinione tantum probabili; etenim cum opinio adversa pro lege aeque sit probabilis, certitudo de actionis honestate ad recte operandum necessaria nobis deinde non suppetit. Alterum principium quorumdam probabilistarum est hoc, quod *cum utraque opinio est probabilis, homo circa opinionem tutiorem iudicium suspen-*

(1) Eccli. 3. 27. (2) De his duobus corollariis s. Alphonsus in huius operis edit. sexta Romae an. 1767. ita loquitur: « Duo sunt principia quibus innixus licitum usum tueor opinionis probabilis. » Primum, quod lex dubia in conflictu duarum opinionum aeque probabilium non obligat, quia » dubia lex non est sufficienter promulgata. Alterum, quod lex incerta nequit certam obligationem » inducere, quia legis obligatio posterior est ad libertatem qua homo est donatus a Deo. Et in hoc » advertendum quod ista duo principia non utique » idem sunt sub diverso aspectu exposita, ut p. Patutius censet; utrumque enim diversum habet fundamentum, cum prius fundetur in motivo, quod » lex non habet virtutem actualiter obligandi, nisi » sit certe promulgata. Posterius fundatur in motivo, quod homo certam suae libertatis possessionem habens de illa non tenetur se expoliatum reputare propter incertam legem ».

(3) Theol. t. 2. l. 21. c. 13. prop. 3. vers. Patroni.

dit et probabilitati opinionis benignae se innitens, *operatur*. Sed iuste idem p. Berti tale principium etiam reprobat, illud enim nequaquam de actionis honestate nos certos reddere valet, cum huiusmodi suspensio iudicii sit mere voluntaria, unde excusare non potest, quin ignorantia sit vere vincibilis, ideoque eo modo nequit equidem dubium deponi. Quapropter concludit Berti: posito, quod aliud fundamentum non adest deponendi dubium, quam illa sola opinionis benignae probabilitas, minime licebit nobis illa opinione uti. Secus vero est, scribit ipsemet Berti, casu quo praeter illam probabilitatem opinionis, aliunde se offerat alia reflexa ratio, sive principium certum, quod de honestate actionis in praxi moraliter certos nos reddit: siquidem tunc nostri iudicii certitudo non iam rationibus illius opinionis probabilis, sed principio reflexo certo supervenienti innititur. Exemplumque affert religiosi, qui dubitans, an possit ieiunium solvere, ut studio operam praebeat, potest utique solvere, si urgeat superioris praeceptum, quo certus fiat posse citra culpam cibum sumere. Aliud affert exemplum de possessore, qui praedium bona fide possidens, superveniente dubio, licite potest possessionem prosequi, si a viro docto tutus reddatur, quod nemo in dubio re legitime possessa spoliari tenetur. Hinc sic concludit: *Proculdubio potest hoc pacto ex reflexione mentis antea perplexae fieri iudicium practicum moraliter*. Idem scribit p. Wigandt ordinis praedicatorum, dicens: *Probabilius est non esse peccatum operari cum conscientia speculative dubia, habente annexum iudicium practicum de honestate operationis*. Ratio, quia qui sic operatur, prudenter iudicat in his circumstantiis se licite et honeste operari [1].

Consentiunt domini Ballerini in suo opere, cui titulus: *Moralium actionum regula, sive Quaestio de opin. probabili*, qui licet strenue rigidam sententiam tueantur, huic tamen doctrinae tamquam certae libenter subscribunt dicendo: *Quod in praxi ex directis principiis minime certis incertum est, ex certo reflexo principio fit omnino certum.* Ipsique pariter de hoc plura adducunt exempla et signanter illud mox supra a nobis relatum de dubio impedimento matrimonii contracti, quo casu aiunt, quod licet ob principia directa incertum sit, an coniux dubitans possit debitum reddere, nihilominus ob principium reflexum, quod ex canone et ratione deducitur, secure reddere valet. Unde concludunt: *In his omnibus exemplis observandum est, reflexa principia particularem quaestionem non solvere, sed incertam relinquere; sola praxis certa est, eo quod principia reflexa praxis in eo dubio dirigendae certam regulam figant.* Idem scribit p. Gonet [2]. Tandem idem p. Lector Io. Vincentius Patutius, qui in hac controversia duplici libello strenue mihi se opposuit, id pro explorato admittit, nempe quod cum principium reflexum est certum, iam reddit actionem certe honestam; sic enim ait in suo libello [3]: *Se fosse vero che nel caso d'incertezza della legge, la legge non vi fosse perchè non promulgata abbastanza, oh allora sì (come accennai) avreste un principio certo, se non diretto, almeno riflesso, onde formar un dettame prudente certo di poterlo celebrare lecitamente* (loquitur de quodam contractu dubie licito), *attesochè non essendovi legge che lo proibisca, qual timor saggio potrebbevi essere di trasgredire la legge che certamente non v' è?* Melius dixisset, quae *certe non obligat*, quod alias ad idem reducitur, quia lex quae non obligat, est tamquam non esset.

Et sic intelligitur, quomodo iudicium speculative dubium, sive probabile de honestate actionis, potest in praxi fieri moraliter certum. Sed quis obiiciet, quomodo rationes speculative tantum probabiles possunt in praxi moraliter certae evadere? Hoc evenit, ut optime tradunt episcopus Abelly et p.

(1) Tr. 2. ex. 1. q. 5. a. 2. (2) Man. t. 3. tr. 3. c. 16. circa fin. (3) La causa del probabilismo etc. §. 4. p. 40. et expressius p. 45

Eusebius Amort, non ex eo quod ipsaemet rationes speculative probabiles alicuius opinionis fiunt in praxi moraliter certae: sed quia aliae sunt rationes ipsius opinionis, quae tantum probabiles sunt, aliae vero sunt rationes principii reflexi, quibus in praxi ultimum formatur iudicium moraliter certum ex illo principio certo; et sic actio quae speculative est tantum probabiliter honesta, in praxi certe moraliter honesta evadit.

70. Ut ergo nostram firmemus conclusionem, nimirum quod lex dubia non obligat, sic certo tramite arguimus: principium a d. Thoma superius iam probatum est, quod lex non habet virtutem obligandi, nisi sufficienter promulgata sit et innotescat. Casu autem quo duae opiniones concurrant aequalis ponderis, tunc quidem lex nequit dici sufficienter promulgata, tunc enim sufficienter promulgatum est dubium, an lex existat, sed non est promulgata lex; ac propterea ipsa non potest obligare.

Hanc sententiam novissime Eusebius Amort germanus, vir doctrina undique perspicuus, tanquam certam defendit in sua morali et scholastica theologia, Bononiae typis data an. 1753, postquam Romae emendata fuit iussu Benedicti XIV, cui ipse auctor supplices preces dedit, ut curaret opus ante eius publicationem a cordatis theologis Romae reviderí, et ubi oportere censeret, emendari. Pontifex votis annuit et transmisit ei aliqua menda in opere emendanda, salva tamen quaestione de opinione aeque probabili, ut videre est in ipsius opere. Scribit auctor, quod ubi opinio pro lege evidenter et notabiliter probabilior non apparet, moraliter certum est, legem obligantem non existere, dicens, quod Deus iuxta suam divinam providentiam, cum ipse vult legem suam obligare, efficere tenetur ut evidenter et notabiliter probabilior appareat: *Quandocumque* (sic loquitur) *existentia legis non redditur credibilior non ipsa, moraliter certum est non dari legem; quia ex natura providentiae divinae Deus, sicut tenetur suam religionem reddere evidenter credibiliorem non ipsa, ita etiam tenetur suam legem reddere credibiliorem, seu probabiliorem non ipsa* [1]. *Tò non ipsa*, intelligit, non ipsa lege, sed rationibus quae nobis illam notabiliter probabiliorem reddunt. Deinde alio loco rationem adducit, quia lex stricte dubia sufficienter caret promulgatione, sine qua lex non est lex, sive non est lex obligans: *In hoc casu* (nempe cum utraque opinio est aeque probabilis) *non datur lex directa prohibens, quia in hoc casu non datur sufficiens promulgatio legis, quae est character inseparabilis et essentialis legis, siquidem illa est sola legis promulgatio, qua lex fit credibilior* [2]. Additque, idem sensisse patres: *Patres in dubio stricte tali, ubi in neutram partem inflectitur mentis sententia, relinquunt homini potestatem sequendi benigniora; ergo agnoscunt aliquod generale principium, quo possit formari prudens iudicium concomitans de non existentia legis.* Et revera s. Greg. Nazianz. [3] de quodam Novatiano loquens ait: *An iuvenibus viduis propter aetatis lubricum ineundi matrimonii potestatem facis? At Paulus hoc facere minime dubitavit, cuius scilicet te magistrum profiteris. At hoc minime post baptismum, inquis. Quo argumento id confirmas? aut rem ita se habere proba, aut si id nequis, ne condemnes. Quod si res dubia est, vincat humanitas et facilitas.* Item s. Leo [4]: *Sicut quaedam sunt quae nulla possunt ratione convelli* (prout sunt decalogi praecepta, et sacramentorum formae, sicut explicat Glossa), *ita multa sunt, quae aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione aetatum oporteat temperari: illa consideratione semper servata, ut in iis quae vel dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum.* Dicit *sequendum*, nam praelati subditis

(1) Theol. t. 1 disp. 2. §. 4. q. 10.
(2) L. c. disp. 2. q. 5. p. 283.
(3) Orat. 39.
(4) Ep. 90. ad Rustic. Narbonens. in praefat. ut habetur in can. Sicut quaedam fin. dist. 14.

permittere debent, ut possint opinionibus minus rigidis uti, ubi illae nec evangelio, nec patrum doctrinis adversantur, iuxta illud Chrysostomi documentum: *Circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus* [1]. Item Lactantius [2] scribit: *Stultissimi est hominis praeceptis eorum velle parere, quae utrum vera sint an falsa, dubitatur.*

Item s. Augustinus brevibus totum quod dicimus confirmat: *Quod enim contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur* (nota *convincitur*), *indifferenter esse habendum* [3]. Quaelibet igitur actio nobis permissa est, modo convicti, aut moraliter certi non simus, illam contra fidem aut bonos mores esse. Item s. doctor [4] scribens ad Ianuarium improperat animos nimium timidos habere, qui in dubiis nihil rectum existimant, nisi quod scripturae auctoritate, aut ecclesiae traditione, aut quod pro vitae corrigendae utilitate certum esse dignoscitur. En eius verba: *Sensi enim saepe dolens et gemens multas infirmorum perturbationes fieri per quorumdam fratrum contentiosam obstinationem, vel superstitiosam timiditatem, qui in rebus huiusmodi, quae neque scripturae sanctae auctoritate, neque universalis ecclesiae traditione, neque vitae corrigendae utilitate ad certum possunt terminum pervenire.. tam litigiosas excitant quaestiones, ut nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment.* His accedit s. Basilius, qui de quibusdam loquens, qui iuramentum quoddam a se praestitum invalidum fuisse autumabant, ita scripsit: *Consideranda autem sunt, et species iurisiurandi, et verba, et animus, quo iuraverunt et sigillatim quae verba addita fuerunt; adeo ut si nulla prorsus sit rei leniendae ratio, tales omnino dimittendi sint* [5]. Dixit igitur, tum dumtaxat dimittendos (sive non audiendos) esse, cum nulla penitus favens benigna ratio eis subesset. Item accedit s. Bernardus, qui generice loquendo de rebus in utramque partem disputatis, ad Hugonem s. Victoris sic scribit: *Sane ibi unusquisque in suo sensu securus abundat, ubi aut certae rationi, aut non contemnendae auctoritati, quod sentitur, non obviat* [6]. Ait itaque s. doctor, quemque tuto procedere, eas opiniones sequendo, quae certae rationi, aut auctoritati, quae sit tanti momenti, ut nemo ab illa desciscere possit, se non opponunt. His addendus s. Bonaventura, qui de votis agens, super quibus Papa dispensare possit, tres in medium adducit opiniones, et deinde concludit: *Quae istarum trium opinionum sit verior, fateor me nescire; et satis potest quaelibet sustineri; si quis tamen velit hanc ultimam acceptare, non occurrit ei inconveniens manifestum* [7]. Non ait praeferendam esse tutiorem, sed quamlibet earum sustineri posse et acceptari.

Audiamus insuper Melchiorem Canum, qui impugnando sententiam Scoti obligantis peccatores omnibus diebus festivis ad contritionis actum producendum, scripsit: *Ius humanum nullum est, aut evangelicum, quo hoc praeceptum asseratur; proferant et tacebimus* [8]. Et subdit: *Quoniam ignoro, unde ad hanc opinionem doctores illi venerint, libere possum, quod non satis explorate praeceptum sit et cognitum, negare* [9]. Idem sensisse Scotum certum videtur, ubi de quadam opinione scripsit: *Cum multis sit probabilior pars negativa, non sine peccato aliquis se exponit dubio, sequendo affirmativam minus probabilem* [10]. Ergo iuxta Scotum, qui sequitur opinionem aeque probabilem, non peccat. Idem pariter scripsit card. Lambertinus, deinde creatus pontifex sub nomine Benedicti XIV, dicens: *Non debbono imporsi legami, quando non vi è manifesta legge che gl'imponga* [11].

Sed deveniamus nunc ad rationes intrinsecas nostrae sententiae, pro quibus rem ex suis principiis, angelico doctore semper duce, sumamus. S. Tho-

(1) Can. Alligant, caus. 26. q. 7. (2) L. 3. Inst. c. 27. (3) Ep. 54. seu l. 1. ad inquis. Ianuar. (4) L. c. n. 3. (5) Ep. 188. can. 1. c. 10. (6) 1. vol. op. c. 5. n. 18. edit. Maur. Paris. col. 634. (7) In 4. dist. 38. a. 2. q. 3. (8) Praelect. de poen. p. 4. q. 2. concl. 3. (9) Concl. 4. (10) In 4. dist. 11. q. 6 (11) Notif. 13. - V. sup. n. 65.

mas sic legem definit: *Lex quaedam regula est et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur: dicitur enim lex a ligando, quia obligat ad agendum*[1]. Deinde idem docet, hanc regulam sive legis mensuram, ad hoc, ut subditi eam observare adstringantur, debere eis esse per promulgationem manifestatam; quapropter [2] quaesitum proponit: *Utrum promulgatio sit de ratione legis.* Et sic respondet: *Lex imponitur aliis per modum regulae et mensurae; regula autem et mensura imponitur per hoc, quod applicatur his qui regulantur et mensurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem.* Lex igitur ante promulgationem vim obligandi non habet: leges enim, ut scribit Gratianus [3] tunc vim legis acquirunt, et leges tunc proprie nuncupantur et sunt, cum sunt promulgatae: *Leges tunc instituuntur cum promulgantur.* Hinc a s. Thoma alibi ita lex definitur: *Quaedam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo qui curam habet communitatis promulgata*[4]. Notentur verba, *ordinatio promulgata.*

Haec autem promulgatio est necessaria omnino ad obligandum, nedum in humanis legibus, sed etiam in divinis et naturalibus, prout idem s. doctor tradit: nam hoc sibi obiicit[5]: *Lex naturalis maxime habet rationem legis; sed lex naturalis non indiget promulgatione: ergo non est de ratione legis quod promulgetur.* Et sic respondet: *Dicendum quod promulgatio legis naturae est ex hoc ipso quod Deus eam mentibus hominum inseruit, naturaliter cognoscendam.* Itaque s. Thomas non negat, legem naturalem promulgatione indigere, dicit tantum, legis naturalis promulgationem non fieri humano modo, sed naturali lumine quod Deus in hominum mentes ingerit. Hinc doctissimus card. Gotti ait: *Ad hoc ut lex in actu secundo obliget, requiritur quidem indispensabiliter, ut subditis promulgatione proponatur*[6]. Dicit, *in actu secundo*, quia lex non adhuc promulgata habet in se vim obligandi in actu primo, scilicet, ut ipsa actualiter deinde obliget, cum promulgata fuerit; sed ut in actu secundo, nempe actualiter obliget requiritur indispensabiliter eius promulgatio subditis facta: *Actualiter* (scribit Sylvius) *tunc lex unicuique promulgatur, quando cognitionem* (homo) *a Deo accipit dictantem, quid iuxta rectam rationem naturalem sit amplectendum, quid fugiendum*[7].

De hac promulgationis necessitate, ut lex obliget, Dom. Soto rationem assignat, dicens: *Nulla lex habet vigorem legis ante promulgationem. Nullam exceptionem conclusio haec permittit. Et probatur ex natura ipsius legis: est enim regula nostrarum actionum; regula autem, nisi operantibus applicetur, vana est. Applicari autem nequit, nisi per eius notitiam; nam qui regula utitur eam intueri necesse habet* (nota *intueri*). *Fit ergo consequens, ut ante promulgationem qua subditis innotescit, non eos obligando perstringat, sed tunc percipi quando promulgatur*[8]. Quapropter ait Io. Gerson, nec etiam Deum obstringere posse creaturam ad legem observandam, nisi prius praeceptum ac voluntatem suam Deus creaturae manifestet: *Necesse est dari manifestationem ordinationis ac voluntatis Dei; nam per solam ordinationem aut per solam suam voluntatem non potest Deus absolute creaturae imponere obligationem, sed ad hoc opus est, ut ei communicet notitiam unius aeque ac alterius*[9]. Ex hoc p. Gonet argumentum ducit, bene posse dari ignorantiam invincibilem etiam praeceptorum naturalium quae a primis principiis valde sunt remota, sicque arguit: *Lex enim vim ob-*

(1) 1. 2. q. 90. a. 1. (2) Art. 4. (3) Can. In istis, dist. 4. (4) 1. 2. q. 90 a. 4. (5) Cit. a. 4. ad 1.

(6) Theol. t. 2. tr. 5. de leg. q. 1. dub. 3. §. 3. n. 21. (7) In 1. 2. q. 90. a. 4. q. 4. (8) De iust. et iure l. 1. q. 1. a. 4. (9) De vit. spir. etc. lect. 2. col. 176.

ligandi non habet, nisi applicetur hominibus per promulgationem; sed lex naturalis non promulgatur omnibus hominibus quantum ad omnia praecepta quae sunt remotissima a primis principiis; ergo non obligat omnes quantum ad illa praecepta. Subindeque potest dari de illis ignorantia invincibilis et excusans a peccato [1].

Sed nunc accedamus ad obiectiones p. Patutii discutiendas, quibus huius nostri principii certitudo clarius innotescet.

71. P. Lector obiicit I. contra hoc principium, ad reddendam legem sat promulgatam satis esse notitiam tantum probabilem, quae ex opinione probabili stante pro lege, iam habetur. Huic obiectioni dico primo, verbum *notitia*, iuxta omnia vocabularia, idem esse ac *cognitio*. Cognitio autem legis et opinio probabilis legis omnino differunt. Praeterea respondeo quod si admitti vellet, sub verbo *notitiae* intelligi notitiam probabilem, ad summum id solummodo admitti potest, casu quo notitia adesset probabilis tantum pro lege, tunc enim legi quaedam moralis certitudo assisteret; sed cum adest ex alia parte opinio aeque probabilis pro libertate, tunc ex neutra parte aliqua potest superesse probabilitas, seu probabilis ratio apta ad prudentem hominis assensum sibi trahendum; nam ex his aequalibus probabilitatibus aliud quam merum dubium non resultat, an existat vel non existat lex. Id clare docet s. Thomas: *Intellectus noster respectu partium contradictionis se habet diversimode; quandoque enim non inclinatur magis ad unum quam ad aliud, vel propter defectum moventium, sicut in illis problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem aequalitatem eorum quae movent ad utramque partem, et ista est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis* [2]. Idemque alibi brevius docet: *Inter aequalitatem etiam rationum et argumentorum soli dubio est locus.*

P. Berti praeterea inquit quod sicut statera tam in aequilibrio est cum ei nullum pondus imponitur, quam cum aequalia imponuntur onera; eodem modo, cum duae probabiles opiniones occurrunt, ipsae adeo iudicium suspendunt, ac si nulla ex utraque parte probabilitas existeret: *In aequilibrio manet lanx, sive nullum neutri parti, sive utrique aequale onus imponatur* [3]. Idem dicunt p. Gonet Vasquez La-Croix et communiter omnes probabilistae et probabilioristae idemque tandem fatetur idem p. Patutius his verbis [4]: *Immota manet libra, in cuius utraque lance aequale pondus collocatur, nec ad unam inflectitur partem nec ad aliam.* Et alibi confirmat [5]: *Essendo evidente che due opinioni contradditorie egualmente probabili non possono, se non generare il dubbio.* Itaque respectu ad nostram controversiam, in qua de duabus opinionibus aeque probabilibus agitur, dici non valet, probabilem legis notitiam sufficere ad eam promulgatam efficiendam; eo enim casu neutiquam notitia sufficiens ad legem promulgandam habetur, sed tantum ad promulgandum dubium sive meram haesitationem, an adsit lex vel non: quandoquidem, cum duae aequalis ponderis opiniones concurrunt, evenit (ut diximus) nullam earum pondus habere.

72. Obiicit II. et ait, aliam esse promulgationem legis, aliam legis divulgationem, sive notitiam privatam quam subditi de lege recipiunt; lex enim, cum iam promulgata fuit, sine hac notitia a subditis accepta eos obstringendi virtutem habet. Subdit autem, quod omnes leges sive humanae sive divinae, iam satis promulgatae fuerunt. Et primo loco de humanis legibus loquens, dicit, hae ut obligent, sufficere quod communitati per banditores aut per affixionem scripturae in publicis locis promulgatae fuerint.

Concedimus, quod, ut lex humana vim habeat obligandi, sat est ut communitati promulgetur, nec, ut notitia

(1) Clyp. theol. t. 3. disp. 1. a. 3. n. 47. (2) De verit. q. 14. a. 1. (3) Theol. t. 2. l. 2. c. 14. prop. 3.

(4) Instr. de reg. prox. etc.
(5) La causa del probabilismo ecc.

ad quemcumque perveniat subditum, requiritur; sed advertendum quod id valet tantum quoad materiale legis obiectum quod a lege praeceptum aut vetitum fuerit, non tamen quoad conscientiae obligationem legem servandi. Me explico: si v. gr. quaedam fuerit lex promulgata, qua invalidus contractus aliquis sine aliquibus solemnitatibus initus declaratur, tunc subditus, licet legem ignoret, tenetur tamen, cum de illa notitiam accipit, stare praescripto legis iubentis contractum habendum esse uti irritum, aut aliquam poenam solvendam fore: nam in foro externo, cum lex iam promulgata fuerit, omnes eam scire praesumuntur. Respectu vero conscientiae, profecto minime peccat qui legem illam sibi ignotam non servat, modo ob suam negligentiam non scivisse acciderit. Sicque intelligitur textus s. Thomae a p. Patutio adductus: *Illi, coram quibus lex non promulgatur, obligantur ad legem observandam, in quantum in eorum notitiam devenit per alios, vel devenire potest, promulgatione facta*[1]. Tò *vel devenire potest*, intelligitur in quantum legis notitia subditis pervenire poterat, et ob eorum negligentiam non pervenerit; nam alioquin, si eorum ignorantia fuerit inculpabilis, legem non servando minime peccant. Ita relatum textum recte explicat Caietanus[2] dicens, eos tantum reos offensae legis esse qui eam nesciunt, *vel quia noluerunt vel quia neglexerunt facere quod in eis erat ad sciendum. Alioquin absentes nescii promulgatae legis non ligantur. Propter quod..... accusari nec apud Deum nec apud homines ignorantiae possunt.* Idemque scribunt p. Collet[3] et p. Suar.[4]. Adduntque idem p. Suarez[5] Aravius[6] Tapia[7] Castr.[8] Greg. Martin.[9] Sanch.[10] Villalob.[11] Salm.[12] non tantum eos reputandos esse nescios qui legem omnino ignorant, sed etiam illos qui post debitam diligentiam de ea dubitant; lex enim (ut diximus) non ligat, nisi subditis applicetur per certam, non autem dubiam notitiam. Idque traditur ab eodem s. Thoma qui docet: *Nullus ligatur per praeceptum nisi mediante scientia illius praecepti*[13]. Sed de hoc textu infra latius disserendum erit.

Sic de humanis legibus; loquens autem p. Patutius de legibus divinis, dicit, ipsas iam ab aeterno promulgatas fuisse, et usque ab aeterno perfectam obligandi habuisse virtutem, priusquam creaturae legem audirent ac cognoscerent. Idque procedere ait ex eo quod lex aeterna habet ab aeterno promulgationem *causalem, virtualem et eminentem*, quae deinde in tempore formalem etiam promulgationem infert. Hoc deducit ex verbis s. Thomae qui ait: *Dicendum quod promulgatio fit et verbo et scripto; et utroque modo lex aeterna habet promulgationem ex parte Dei promulgantis, quia et verbum divinum est aeternum, et scriptura libri vitae est aeterna; sed ex parte creaturae audientis et inspicientis non potest esse promulgatio aeterna*[14]. Verumtamen ego assero (idque clare probabo) quod lex aeterna respectu hominum non est propria lex; propria enim lex quoad ipsos est lex naturalis, quae licet sit participatio legis aeternae, ipsa tamen est ea quae proprie homines ligat, cum lex naturalis tantum hominibus promulgetur et rationis lumine applicetur. Saltem dico (prout alii theologi loquuntur) quod lex aeterna, quamvis in se vim habuerit obligandi in actu primo, attamen non fuit lex obligans actualiter, et in actu secundo, donec fuerit proposita et per eius cognitionem creaturis applicata: sicque asseveranter aio a s. Thom. et ab omnibus theologis doceri.

En quomodo loquitur Duvallius: *Postremo dubitabis an ipsa lex* (aeterna) *semper habuerit et habeat veram et pro-*

(1) S. Th. 1. 2. q. 90. a. 4. ad 2. (2) L. c. s. Th. (3) De leg. t. 3. c. 1. a. 2. (4) In op. de leg. l. 3. c. 17. n. 3, et seq. (5) De censuris t. 5. in 3. p. disp. 40. sect. 5. n. 14. (6) In 1. 2. q. 97. disp. 3. sect. 3. diffic. 3. (7) L. 4. q. 15. a. 2. (8) T. 1. tr. 1. disp. 3. punct. 7. n. 1. (9) Q. 96. a. 4. dub. 5. concl. 3. et 4. (10) Dec. l. 1. c. 10. n. 32. et 33. (11) T. 1. tr. 1. diss. 24. (12) De leg. c. 2. n. 110. (13) De verit. q. 17. a. 3. (14) 1. 2. q. 91. a. 1. ad 2.

priam rationem legis. Respondeo, in tempore, quando productae sunt creaturae, habere de facto rationem legis, siquidem vere et proprie omnibus creaturis tamquam subditis est indita et imposita; si tamen ab aeterno spectetur, dicendum est eam non esse vere et proprie legem, sed tantum aliquid quod se habeat instar legis. Deinde rationem assignat: *Tum, quia de ratione verae legis est, ut imponatur et promulgetur subditis; nulli autem fuerunt subditi ab aeterno: tum quia lex essentialiter est regula quaedam practica, haec autem regula non potuit imponi Verbo et Spiritui sancto, quia ipsimet sunt regula et rectitudo ipsa* [1]. Idem scribit Petrus de Lorca: *Si quo modo autem lex aeterna respicit creaturas, remote respicit, quatenus a Deo moventur et gubernantur, non vero quia sit imperium in creaturas latum, aut quia proponatur ipsis ut regula, qua suas actiones mensurare et componere possint..... Lex aeterna non est principium et ratio agendi alicui qui legi subditus sit, neque est illi regula proxima suarum actionum, sed est ratio agendi ipsi Deo, et regula divinarum actionum, qua mundum gubernat; si cui ergo esset lex, esset Deo* [2]. Et loquens de verbis illis s. Thomae, *et verbo et scripto*, dicit: *Expressio illa in verbo divino aeterna fuit in Deo necessitate naturae facta, et non relata ad aliquas creaturas, quod promulgatio legis requirit, semper enim promulgatio legis ad subditos refertur.* Idem scribit Lud. Montesino: *Resp. huiusmodi legem aeternam promulgatam esse ab aeterno ipsimet Deo... Deus sibimet est lex et sibi est regula et ita intelligimus Deum sibi promulgare legem* [3]. Idem scribit Lud. Lorichio loquens de lege aeterna: *Hac lege Deus omnia ordinat ad seipsum, et est promulgata apud ipsum ab aeterno; hominibus autem promulgatur quando eis innotescit* [4]. Quomodo autem his doctrinis conciliari potest quod asserit p. Patutius, nempe legem aeternam ab aeterno perfectam obligandi habuisse virtutem, priusquam creaturae legem audirent ac cognoscerent?

Praefatis aliorum doctrinis congruit id quod in alio loco docet ipse s. Thomas, dicens legem aeternam non esse propinquam regulam humanae voluntatis, sed potius esse *rationem Dei;* en eius verba: *Regula autem voluntatis humanae est duplex. Una propinqua et homogenea, scilicet ipsa humana ratio; alia vero est prima regula, scilicet lex aeterna quae est quasi ratio Dei* [5]. Nec obstant verba eiusdem supra relata: *Lex aeterna habet promulgationem ex parte Dei promulgantis* [6]. Nam subdit s. doctor: *Sed ex parte creaturae audientis et inspicientis non potest esse promulgatio aeterna.* Nunc quaero, quaenam divinae legis promulgatio est illa quae homines ligat? Promulgatio *ex parte Dei* aut promulgatio *ex parte creaturae*? Id declarat idem s. Th. loco ubi dixit, quod ut lex *virtutem obligandi obtineat, oportet quod applicetur hominibus... Talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione* [7]. Et deinde obiiciens sibi (*ad primum*) legem naturalem non indigere promulgatione, respondet quod *promulgatio legis naturae est ex hoc ipso quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam.* Nunc arguo: Si verum esset quod s.Th. sensisset legem aeternam, eo quod aeternam promulgationem habet, ab aeterno homines obligasse, priusquam ipsi legem cognoscerent, utique ob hanc rationem respondisset, legem naturalem quae legis aeternae participatio est, promulgatione non indigere: sed ipse respondit promulgationem legis naturae fieri cum ipsa ab hominibus naturali lumine cognoscitur. Nec aliter respondere poterat; cum prius in eod. art. firmiter statuerit quamcumque legem vim obligandi non habere, nisi in notitiam hominum ex promulgatione deducatur.

Adde id quod tradit s. Th. alio loco, ubi quaerens: *Utrum sit in nobis ali-*

(1) In 1. 2. s. Th. de leg. q. 2.
(2) In 1. 2. s. Th. disp 5. membr. 9
(3) De leg. disp. 20. q. 4. n. 83.
(4) Thes. nov. utr. theol. verb. Lex, n. 6.
(5) 1. 2. q. 71. a. 6.
(6) 1. 2. c. 91. a. 1. ad 2
(7) 1. 2. q. 90. a. 4

qua lex naturalis, sic respondet: *Dicendum quod lex, cum sit regula et mensura, dupliciter potest esse in aliquo, uno modo sicut in regulante et mensurante, alio modo sicut in regulato et mensurato, quia in quantum participat aliquid de regula... sic regulatur... et talis participatio legis aeternae in rationali creatura lex naturalis dicitur* [1]. Igitur s. doctor distinguit hic legem aeternam a naturali, et docet quod lex aeterna respicit Deum regulantem, lex autem naturalis respicit hominem regulatum; et quoniam lex naturalis est legis aeternae participatio, ideo *in quantum participat aliquid de regula per legem naturalem, sic regulatur*. Ideo in tantum lex aeterna homines ligat, in quantum ipsa hominibus per legem naturalem participatur, eisque promulgatione innotescit, prout dicit Duvallius: *Quaeres quomodo nobis innotescit lex illa aeterna, quod idem est ac si quaeratur quomodo publicetur? Dico eam, ut est in creaturis tamquam subditis, per alias leges nobis innotescere, cum leges illae sint illius participationes* [2]. Idem scribit Fr. de Aravio: *Cum lex aeterna non obliget creaturas rationales, nisi mediante lege naturali, vel positiva divina vel humana, ad istarum promulgationem illa quoque sufficienter promulgatur* [3]. Lex igitur quae hominem ligat est tantum lex naturalis, quia ipsa tantum potest esse homini regula et mensura qua reguletur et mensuretur.

Praeterea, quamvis admittamus legem aeternam esse propriam legem respectu etiam hominum, atque habere vim in actu primo eos obligandi, quid inde? Equidem aeterna lex non ligat in actu secundo, quousque creaturis non promulgetur, et per eius cognitionem applicetur. Sapienter id tradit card. Gotti: *Sequitur quod lex aeterna ab aeterno in actu secundo neminem obligaret, non ex defectu virtutis, sed ex defectu termini... Ita ab aeterno fuit lex in mente Dei concepta, quamvis pro aeterno non promulganda nec implenda, nec in actu secundo obligans.... Fuit tamen ab aeterno lex, quia ad rationem legis satis est, ut vim habeat obligandi, quamvis nondum ligat, quia nondum applicata et promulgata* [4]. Notentur verba, *quamvis nondum ligat, quia nondum applicata et promulgata*. Idem scripsit Tournely Continuator [5]: *Quia tamen lex aeterna ante creaturarum existentiam vere et stricte obligans non fuit, cum nihil esset ad extra quod ea obligaretur, palam est, rationem plenam et completam legis tunc tantum ei competere potuisse, cum extiterunt creaturae quibus intimata fuit ac promulgata, aut saltem quae impressione ipsius ordinari ac moveri coeperunt*. Idem dixit p. Collet: *Quia tamen lex aeterna vere et stricte obligans non fuit, palam est rationem plenam legis tunc tantum ei competere potuisse cum extiterunt creaturae quibus intimata fuit ac promulgata* [6]. Idem dixit p. Cuniliati: *Legis violatores non sunt illi quibus nondum lex innotuit* [7].

Instat p. Patutius dicens: Sed si lex aeterna fuit vera lex, antequam homines eam cognoscerent, vere, priusquam lex ipsis innotesceret, homines obligavit, cum sit essentialis proprietas cuiuscumque legis obligare. Et pro se citat card. Gotti qui dicit legem aeternam veram fuisse legem, ac propterea ab aeterno vim habuisse obligandi. Respondeo, et distinguo: Alia est proprietas legis promulgatae, alia legis non promulgatae. Proprietas legis promulgatae est perfecte obligandi actualiter et in actu secundo. Proprietas autem legis non promulgatae est obligandi imperfecte tantum in actu primo; lex enim non promulgata habet siquidem in se vim intrinsecam obligandi, sed dumtaxat in futuro, pro tempore quo ipsa intimata et per notitiam applicata fuerit; donec vero non fuerit applicata ipsa non obligat, nec virtutem habet actualiter obligandi: *Ad hoc quod lex* (docet angelicus doctor) *virtutem obligandi obtineat, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam*

(1) 1. 2. q. 91. a. 2. (2) In 1. 2. de leg. q. 3. a. 3. (3) In 1. 2. q. 90. disp. 1. sect. 5. (4) Theol. tr. 5. q. 2. dub. 1. §. 4. n, 15. (5) De leg. c. 2. q. 3. in fin. (6) T. 2. de leg. c. 2. (7) Tr. 1. de mor. etc. c. 2

regulari debent[1]. Nihil autem obstat quod scribit card. Gotti, dicens legem aeternam, etsi homini non adhuc promulgatam, vim obligandi habere; nam s. Thomas loquitur de vi actuali obligandi etiam in actu secundo, Gotti autem loquitur de vi obligandi tantum in actu primo: hoc quidem importat obligare in actu primo, nempe quod lex apta sit ad actualiter obligandum cum promulgabitur, sed non ante promulgationem: sicut ignis in se vim habet comburendi, sed non comburit actualiter, nisi postquam rei urendae applicetur: en quomodo nos instruit idem card. Gotti, de lege aeterna loquens: *Ita ab aeterno fuit lex in mente Dei concepta, quamvis pro aeterno non promulganda nec implenda nec in actu secundo obligans... Et hoc modo, cum ab aeterno non fuerit creatura quam obligaret et cui applicaretur, ab aeterno actu non obligavit; fuit tamen ab aeterno lex, quia ad rationem legis satis est ut vim habeat obligandi, quamvis nondum ligat, quia nondum applicata et promulgata*[2].

Nec potest dici quod lex aeterna ab aeterno non obligavit ex defectu termini, nempe quia creatura ab aeterno non aderat; nam non ideo tantum lex aeterna creaturam ab aeterno non obligavit, quia ipsa ab aeterno non existebat, sed etiam quia lex nequibat creaturam actualiter in actu secundo obligare, priusquam illi applicata et promulgata esset. Dixerat iam alibi card. Gotti quod *ut lex in actu secundo obliget, requiritur quidem indispensabiliter, ut subditis promulgatione proponatur*[3]. Idcirco postmodum scripsit, ut supra, quod lex aeterna fuit ab aeterno lex, *quamvis nondum ligat, quia nondum applicata et promulgata*. Idemque scripsit, ut vidimus, Cont. Tourn., loquens de lege aeterna: *Palam est rationem completam legis tunc tantum ei competere potuisse, cum extiterunt creaturae quibus fuit lex promulgata*. Idem scripsit Sylvius: *Actualiter* (lex aeterna) *unicuique promulgatur, quando cognitionem a Deo accipit dictantem, quid iuxta rectam rationem naturalem sit amplectendum, quid fugiendum*[4].

73. Obiicit III. p. Patutius et ait: Lex naturalis promulgatur in habitu, cum Deus animam creat eamque in corpus infundit, quia tunc in ea lumen rationis imprimit. Ex quo infert Patutius, hominem ligari a lege usque ab ipsius conceptione: Deus enim cum legem in anima imprimit, tum illam promulgat. Et hic citat pro se textum s. Thomae: *Promulgatio legis naturae est ex hoc ipso quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam*[5]. Respondetur: Ad mentem s. Thomae indagandam observare oportet id quod s. doctor in articuli corpore scribit; ibi docet legem imponi per modum regulae et mensurae, unde ait quod, ut lex virtutem habeat obligandi, opus est ut ipsa *hominibus applicetur*, *qui secundum eam regulari debent: talis autem applicatio* (subdit) *fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione*. Lex igitur iuxta s. Thomam tunc homines ligat, cum eis applicatur per eius notitiam sive cognitionem. Cum autem dicit promulgationem legis esse *ex hoc ipso*, *quod Deus eam inseruit naturaliter cognoscendam;* id sine dubio, ne velimus s. doctorem in eodem articulo sibi contradixisse, intelligendum quod lex tunc revera promulgatur et virtutem obtinet obligandi, cum actualiter applicatur et cognoscitur. Idcirco idem Angelicus alibi[6] dixit: *Sed ex parte creaturae audientis et inspicientis non potest esse promulgatio aeterna*. Tunc igitur lex promulgatur, cum creatura legem *audit* per vocem ecclesiae, aut *inspicit* per lumen rationis. Hinc[7] ait, legem naturae non aliud esse nisi *lumen* (super nos signatum) *rationis naturalis*, quo *discernimus quid sit bonum et quid sit malum*. Hoc autem lumen quo discernimus bonum et malum, et in quo lex naturalis consistit, inquit s. Antoninus, non prius ostendere homini bona et

(1) 1. 2. q. 90. a. 4. (2) Theol. tr. 5. q. 2. dub. 1. §. 4. n. 13. (3) Q. 2. dub. 3. §. 3. n. 21.

(4) In 1. 2. q. 90. a. 4. q. 4. (5) 1. 2. q. 90. a. 4. ad 1. (6) 1. 2. q. 91. a. 1. ad 2. (7) Art. 2.

mala, quam homo usum rationis habet: *Nota diligenter* (verba s. Antonini) *secundum* b. Thomam, *quod istud lumen legis naturalis non ostendit homini quae sint bona, quousque perveniatur ad usum rationis*[1]. Ergo lex naturalis non promulgatur homini, nisi cum ipse ad rationis usum pervenit. Unde concludendum quod proprie et stricte loquendo, in infusione animae non iam inseritur lex, sed inseritur lumen, quo lex cognoscenda erit ab homine, cum pervenerit ad usum rationis, sive inseritur potentia, capacitas, sive habilitas ad legem cognoscendam tempore usus rationis. Et tunc, cum homo legem cognoscet, lex ei perfecte et vere promulgabitur eumque ligabit; alioquin, usquedum lex non deducitur in hominis notitiam ex promulgatione, docet s. Thomas, legem virtutem obligandi non obtinere. Accedit id quod scribit Soto, quod lex *applicari nequit, nisi per eius notitiam; nam qui regula utitur, eam intueri necesse habet*[2]. Et quod dixit Io. Gerson notabilibus verbis: *Lex ista sit quaedam revelatio ac proprie dicta declaratio creaturae rationali facta, per quam illa cognoscit quid Deus de certis rebus iudicet, ad quas vel praestandas vel omittendas ipse creaturam obligare vult, ut ea digna reddatur ad vitam aeternam.* Hinc tali definitione divinae legis posita, subiungit: *Necesse est dari manifestationem ordinationis ac voluntatis Dei; nam per solam suam ordinationem aut per solam suam voluntatem nondum potest Deus absolute creaturae imponere obligationem: sed ad hoc opus est ut ei communicet notitiam unius aeque ac alterius. Ex quo liquet immediate deducibilis conclusio, creaturam rationalem non posse esse indignam amicitiae Dei, nec proprie peccato obnoxiam, nisi dum sciens, volens, ac libera ponit actionem sibi prohibitam aut omittit rem praeceptam*[3]. Ergo ex Gersone nec etiam potest Deus homini praecipere observantiam legis quam prius ipsi non manifestavit.

Nec obest quod dicit s. Thomas[4], nempe quod lex naturalis inest homini usque a sua pueritia, nam ipsemet s. doctor ibidem ait, legem esse proprie actum, non habitum. Ratio est quia lex consistit in actu quo lex enuntiatur mediante rationis dictamine praescribente quid agendum et quid fugiendum: ita apposite scribit Sylvius: *Lex naturalis est actus rationis, actuale scilicet iudicium et dictamen rationis practicae. Quia omnis lex habet se per modum enuntiationis: enuntiatio autem est quidam actus*[5].-*Vis obligationis non est simpliciter ex cognitione, quatenus est talis aut talis... Sed ex dictamine rationis praescribentis ea quae secundum se bona sunt et agenda, aut prohibentis ea quae secundum se sunt mala et fugienda*[6]. Id explicat diffusius card. Gotti, dicens: *Ex his patet, nos loqui de lege naturali, ut in actu secundo denuntiante, in quo essentia legis consistit, quae habetur per modum denuntiationis. Quod si sumamus legem naturalem in actu primo, sic in virtute, et quodammodo habitu lex naturalis est, etiam dum quis actu principia eius non considerat, cum semper maneat in intellectu lumen rationis, quod simul cum natura unicuique rationali creaturae Deus indidit: ex quo, si usu rationis polleat, potest formare iudicium et dictamen de agendis vel omittendis*[7]. Itaque c. Gotti distinguit legem naturalem in actu primo et in actu secundo: et ait, quod lex naturalis considerata in actu primo atque in habitu, consistit in illo habituali rationis lumine quod nobis cum natura inseritur: quo lumine deinde practicum formatur dictamen, tempore quo homo ad usum rationis pervenit. Sed considerata lex naturalis in actu secundo, essentialiter consistit in actuali legis denuntiatione quae fit homini per illud practicum dictamen. Nunc quaero, ubinam proprie inveniatur legis essentia. Fortasse in habitu legis inserto, cum anima creatur,

(1) P. 1. tit. 13. c. 12. §. 3. (2) De iust. l. 1. q. 1. a. 4. et q. 3. a. 2. (3) L. de vit. spir. etc. lect. 2. col. 176. ed. Paris. (4) 1. 2. q. 94. a. 1. ad 3. (5) In 1. 2. q. 94. a. 1. concl. 2. (6) Ibid. a. 2. prob. 2. (7) Theol. tr. 5. de lege q. 2. §. 1. n. 9.

aut vero in actuali illa denuntiatione legis? Et quidem legem naturalem reddit proprie legem perfectam et obligantem solum lumen illud in creatione insertum, vel actualis denuntiatio sive intimatio legis. Dicit Gotti (idemque dicit Sylvius, ut supra vidimus, et dicunt omnes: s. Thomas Gerson Soto Gonet et alii, ut infra videbimus) quod non quidem in habitu, sed in actuali denuntiatione legis essentia consistit: *Patet nos loqui* (repetamus verba cardinalis) *de lege naturali*, *ut in actu secundo denuntiante*, *in quo essentia legis consistit quae habetur per modum denuntiationis*. Et ex denuntiatione deinde formatur in homine rationis dictamen eum obligans ad legem.

Nec aliter sentit Sylvius, dum ait [1] iuxta verba s. Thomae legem naturalem inseri in homine, cum anima in eum infunditur; nam ibidem difficultatem agnoscit, quomodo per illam habitualem legis insertionem possit homo ligari, quin prius ei lex manifestata fuerit; et propterea subdit: *Ideo addendum est*, *legem naturalem quasi promulgari in habitu*, *eo ipso quod Deus illam mentibus hominum imprimit.... Actualiter autem tunc unicuique promulgatur*, *quando cognitionem a Deo accipit dictantem quid iuxta rectam rationem naturalem sit amplectendum*, *quid fugiendum*. Itaque Sylvius hanc primam legis insertionem in homine dum concipitur, appellat unam *quasi promulgationem* in habitu, vocat autem absolute promulgationem illam quae actualiter fit cum homini innotescit lex qua regulari debet. Certe igitur id proferens intendit dicere quod illa impressio in homine facta, antequam homo actualiter legem cognoscat, non est sufficiens ad eum obligandum; quapropter subiungit, *ideo addendum est etc*. Et postea dicit actualem promulgationem tum fieri, cum homo legis cognitionem accipit, quoniam haec est sufficiens ac necessaria promulgatio, per quam homo ligatur a lege qua mensurandus est. Et quod ita sentiat indubitanter Sylvius, constat ex eo quod alibi scribit: *Lex aeterna fuit ab aeterno lex materialiter*, *non fuit tamen ab aeterno formaliter*, *seu sub ratione legis actualiter obligantis; quia tunc non fuit actualis et perfecta promulgatio* [2]. Itaque ait Sylvius, legem aeternam (idemque procedit de lege naturali, quae est participatio quaedam legis aeternae) non esse legem formaliter et actualiter obligantem, nisi cum aderit actualis promulgatio: quae tunc efficitur, cum homo discernit quid agere et quid vitare debet; iuxta quod ipse Sylvius antea iam expresserat: *Actualiter tunc unicuique* (lex) *promulgatur quando cognitionem a Deo accipit dictantem*, *quid iuxta rectam rationem naturalem sit amplectendum*, *quid fugiendum* [3].

Lex igitur naturalis non promulgatur homini nec ipsum ligat, nisi cum homo pervenit ad usum rationis, qua sibi lex innotescit et promulgatur. Ita p. Lud. Montesino: *Lex naturalis promulgatur in unoquoque*, *dum primo venit ad usum rationis; et quamvis pro tunc solum promulgatur ista lex quantum ad principia communissima iuris naturae*, *tamen postea paulatim per discursum promulgatur eadem lex quantum ad alia* [4]. Idem scribit Duvallius: *Quaeres quo tempore lex naturae unumquemque obligare incipiat. Resp. incipere quando promulgatur. Tunc autem sufficienter promulgatur*, *quando quisque annos discretionis incipit* [5]. Idem scribit Petrus de Lorca: *Quemadmodum promulgatio est intrinseca et essentialis humanis legibus*, *sic rationis iudicium et cognitio intrinseca est legi nàturae* [6]. Nota, *iudicium et cognitio intrinseca est legi;* ergo sine iudicio et cognitione legis lex non ligat. Idem scribit p. Cuniliati: *Legis violatores non sunt illi quibus nondum lex innotuit... Actualis legis naturalis promulgatio evenit*, *quando quis a Deo cognitionem accipit dictantem quid iuxta rationem naturalem sit*

(1) 1. 2. q. 90. a. 4. (2) 1. 2. q. 91. a. 1.
(3) 1. 2. q. 90. a. 4. qu. 4. (4) De leg. disp. 20. q. 4. n. 85. (5) In 1. 2. de leg. q. 5. a. 5
(6) In 1. 2. disp. 6. de leg. p. 586.

vel fugiendum vel amplectendum[1]. Idem scribit p. Gonet: *Promulgatio legis naturae fit per dictamen rationis intimantis homini ea quae lege naturae praescripta aut prohibita sunt; ergo cum deest tale dictamen, lex naturae non obligat ad eius observationem*[2]. Idem scribit doctus p. Mastrius: *Hoc autem ius* (naturae) *hominibus intimatur, et obligare incipit ab eo tempore quo rationis usum accipiunt, et per talem legem sibi intimatam inter bonum et malum discernere incipiunt; his enim rationis usus est veluti ipsius legis naturalis notificatio et manifestatio*. Et hoc intendit Paulus[3] illis verbis: *Ego autem vivebam sine lege aliquando, sed cum venisset mandatum, peccatum revixit*. Unde Hieronymus[4] sic explicat: *Cum mandatum venerit, hoc est tempus intelligentiae appetentis bona, et vitantis mala; tunc peccatum reviviscere incipit, et homo reus est peccati*[5].

74. Obiicit IV. p. Patutius, et sic ait: *Ut aliqua lex sit dubia, dubitari debet utrum talis lex existat an non; hoc autem esse non potest, cum leges tam divinae quam humanae, quas observare tenemur, omnes sint certae et sufficienter promulgatae. Dubium igitur restat non de legis existentia, sed de casibus particularibus, sint ne sub lege universali comprehensi vel non: quapropter, si principio supposito uti voluerimus, nempe quod lex dubia non potest obligare, dicere non possumus quod lex dubia non sit lex, sed tantum dicere debemus:* Cum ex utraque parte probabilis opinio habetur, quod lex ad eos casus se extendit, vel non, lex certe non se extendit. *At si hoc dicitur redit difficultas principii, cum enim dubitatur sit vel ne licita talis actio, uti in lege comprehensa vel non comprehensa, non potest hoc tale principium pro certo statui*. Hucusque praefatus p. Lector, in hoc inhaerens illi quod prius scripserat p. Concina in sua theologia.

Sed pro responsione sit idem quod scripsit ipse p. Concina in compendio suae theologiae[6] ubi dicit quod licet lex sit certa, nihilominus diversae quae accidunt circumstantiae efficiunt ut lex nunc obliget et nunc non obliget: siquidem praecepta, quamvis sint immutabilia, tamen aliquando non praecipiunt sub hac vel illa circumstantia. Hinc nos reassumimus et dicimus: Non valet igitur dicere quod leges sunt certae: nam mutatis casuum circumstantiis, redduntur non obligantes, vel saltem dubiae, et tamquam dubiae nec etiam obligant. Ergo (replicat p. Patutius) iuxta vestrum principium, quod lex dubia non obligat, concluditis, quod in dubio utrum lex ad illum casum se extendat an non, certe ipsa non extenditur? Sed respondemus retorquendo argumentum: ergo iuxta vestram sententiam, in dubio an lex ad illum casum se extendat an non, debemus dicere certe se extendere? hoc autem est quod negamus. Nos autem non utique asserimus quod lex dubia certe ad illum casum non extenditur; sed dicimus: quoties ex utraque parte sunt opiniones aeque probabiles, cum certum non sit legem tunc ad casum illum se extendere, respectu illius casus legem reddi dubiam, et uti dubiam non obligare, quia tunc sufficienter promulgata non est. Exemplo res clarior fit. Legem universalem habemus quae usuram vetat; at cum ex utraque parte aequalis est probabilitas quod aliquis contractus sit et non sit usurarius, tunc nulla lex quae vetet illum certa apparet. Idcirco, usquedum prudenter dubitatur utrum ille contractus sit an non usurarius, licet adsit opinio, quod ille contractus a lege interdictus sit, attamen nulla assignatur lex certa qua ille vetetur. Respectu usurae, lex eam prohibens est certa: respectu autem illius contractus lex est incerta. Ad quid igitur obiicere (ut opponit adversarius) quod hic non agitur utrum lex existat

(1) Tr. 1. de mor. c. 2. §. 1. n. 5. et §. 3. n. 1.
(2) Clyp. theol. t. 3. disp. 1. a. 4. §. 1. n. 55.
(3) Rom. 7. 9.
(4) Ep. ad Algasiam.
(5) Mastrius th. mor. disp. 2, de leg. q. 2. a. 2. n. 31
(6) T. 1. de leg. c. 2. n. 10.

nec ne, dum lex vetans usuram est certa, sed solum inquiritur an ad casum illum se extendat aut non? nam patet responsio: posito quod vere probabile sit, casum illum a lege non comprehendi, idem est dicere, dubium esse an ad casum illum lex se extendat, ac dicere, legem respectu illius casus esse dubiam, proindeque respectu illius casus non obligare.

ALTERUM COROLLARIUM

Lex incerta non potest certam obligationem inducere, quia hominis libertas anterius ad legis obligationem possidet.

75. *Erit autem lex manifesta*, ait s. Isidorus[1]. Hinc scripsit Panormitanus[2]: *Ubi lex est dubia, excusatur quis a iuris ignorantia.* Eadem quidem naturalis ratio dictat, neminem ad eorum praeceptorum, de quibus dubitatur utrum existant an non, teneri observantiam: *In dubio nullus praesumitur obligatus*[3]. Hoc idem docet d. Thomas, dicens, legem (et loquitur de lege divina et aeterna) ut obliget, debere esse certam[4]. S. doctor sibi obiicit: *Mensura debet esse certissima, sed lex aeterna est nobis ignota; ergo non potest esse nostrae voluntatis mensura, ut ab ea bonitas voluntatis nostrae dependeat.* Et respondet: *Licet lex aeterna sit nobis ignota secundum quod est in mente divina, innotescit tamen nobis aliqualiter per rationem naturalem quae ab ea derivatur, ut propria eius imago, vel per aliqualem revelationem superadditam.* Non negat igitur s. Thomas, legem divinam, prout est nostrarum actionum mensura, debere esse certam; dumtaxat ait non opus esse ut illa eodem modo a nobis ac a Deo dignoscatur, sed sufficere ut nobis rationis naturalis lumine aut speciali aliqua revelatione innotescat.

Sed hoc clarius et firmius in alio loco statuit Magister angelicus, ubi quaerit: *Utrum conscientia liget.* Et sic sermonem habet: *Ita se habet imperium alicuius gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis illo modo ligationis, qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales necessitate coactionis. Actio autem corporalis agentis numquam inducit necessitatem in rem aliam, nisi per contactum coactionis ipsius ad rem in qua agit. Unde nec ex imperio alicuius domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam. Unde nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti. Et ideo ille qui non est capax notitiae, praecepto non ligatur; nec aliquis, ignorans praeceptum Dei, ligatur ad praeceptum faciendum, nisi quatenus tenetur scire praeceptum. Si autem non teneatur scire nec sciat, nullo modo ex praecepto ligatur. Sicut in corporalibus agens corporale non agit, nisi per contactum; ita in spiritualibus praeceptum non ligat, nisi per scientiam*[5]. Nota illud, *Unde nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti.* Sed nunc audiamus obiectiones p. Patutii ad hoc secundum principium et signanter respectu ad hunc d. Thomae textum.

76. Obiicit I. sub voce *scientiae* non intelligi cognitionem certam, sed tantum simplicem praecepti notitiam, quae (ut ait) in nostro casu probabiliter iam habetur ob utriusque opinionis probabilitatem. Respondeo et dico primo: Quod sub nomine *scientiae* intelligatur probabilis notitia, haec est novi vocabularii nova significatio, dum philosophi omnes cum eodem s. Thoma distinguunt opinionem a scientia, quae accipitur ut cognitio certa alicuius veritatis. Sed instat p. Lector, quod s. Th. sub voce *scientiae* intelligit comprehendi adhuc notitiam probabilem quae iam habetur in casu nostro; Angelicus enim (ut ait) ibidem subdit, *et ideo ille qui non est capax notitiae praecepti non ligatur.* Sed pariter dico in omnibus vocabulariis *notitiam* pro eodem significari, ac *cognitionem*, unde *notitia* legis idem est ac cognitio legis. Caeterum, dato etiam quod no-

(1) In can. Erit autem, dist. 4.
(2) In cap. fin. de Cons.
(3) Authentica, Quibus mod. nat. etc. §. Natura.
(4) 1. 2. q. 19. a. 4. ad 3.
(5) De verit. q. 17. a. 3.

mine *notitiae* intelligi posset probabilitas existentiae legis, ad summum admitti poterit probabilitas illa quae tantum stat pro lege, absque probabilitate in contrarium; alioquin, cum opinio pro libertate aeque est probabilis, tunc certum est (ut diximus) non aliud superesse nisi meram legis haesitationem quae nec scientia nec notitia dici potest; tunc enim non legis notitiam habemus, sed tantum notitiam dubii sive quaestionis an lex existat vel non. Sed quod s. Th., dicendo *mediante scientia*, intenderit loqui non de dubio sive de dubia opinione, sed de vera scientia, constat a contextu eiusdem articuli, dum ait: *Sicut in corporalibus agens corporale non agit nisi per contactum* (*coactionis ad rem*, ut supra dixerat); *ita in spiritualibus praeceptum non ligat nisi per scientiam*. Et prius dixerat: *Ad videndum autem quomodo* (conscientia) *ligat*, *sciendum est quod ligatio metaphorice a corporalibus ad spiritualia sumpta*, *necessitatis impositionem importat; ille enim qui ligatus est necessitatem habet consistendi in loco ubi ligatus est*, *et aufertur ei potestas ad alia divertendi*. Ergo sicut qui actualiter non est ligatus potestatem habet divertendi quo vult; ita qui non adhuc est ligatus a praecepto, mediante illius praecepti scientia, potestatem habet agendi quod voluerit. Quomodo autem dici potest, aliquem scire praeceptum, si ipse sciat praeceptum esse dubium? tunc omnino dicendum quod ille praeceptum ignorat, cum dubitat an praeceptum adsit vel non.

Praeterea obiicit super eumdem textum d. Th. p. Patutius verba illa: *Nec aliquis ignorans praeceptum Dei ligatur ad praeceptum faciendum*, *nisi quatenus tenetur scire praeceptum*. Ergo (arguit p. Patutius) licet quis notitia praecepti careat, si tamen eam habere tenetur, iam ligatur praecepto; nec excusatur si illud transgreditur. Sed hoc minime quidem s. doctor intelligit, tantum ibi docet a peccato non excusari qui praeceptum scire tenetur, et culpabiliter illud ignorat. Id patet ex eo quod in eodem articulo subiungit: *Tunc conscientia erronea non sufficit ad absolvendum*, *quando in ipso errore peccat*. Quomodo *in ipso errore* peccatur, nisi cum ipse error est peccatum ob voluntariam negligentiam? prout idem s. Thomas ex d. Augustino in alio loco aperte declaravit. *Ignorantia quae est omnino involuntaria non est peccatum*, *et hoc est quod Augustinus dicit:* Non tibi imputatur ad culpam, si invitus ignoras, sed si scire neglexeris [1]. *Per hoc autem quod ait*, *sed si scire neglexeris*, *dat intelligere*, *quod ignorantia habet*, *quod sit peccatum ex negligentia praecedente*, *quae nihil est aliud*, *quam non applicare animum ad sciendum ea quae quis scire debet* [2]. Ergo nequaquam peccat qui in duarum opinionum aeque probabilium haesitatione inquirit legem, et debita diligentia adhibita, eam omnino dubiam invenit, et ideo non obligantem.

77. Obiicit II. Legis aeternae possessionem, nostrae libertatis possessionem antecedere; ideoque ait, quod in dubiis opinio quae stat pro lege praeferri debet. Respondeo. Iam supra vidimus, quod theologi dicunt, legem aeternam respectu hominum non esse vere et proprie legem. Sed concesso quod sit, nequaquam dici potest legis aeternae obligationem possidere antecedenter ad libertatem a Domino homini donatam. Quamvis enim nulla sit in Deo cognitionis et consilii successio, quia omnia Deo ab aeterno praesentia fuerunt, nihilominus *prioritate rationis* sive *naturae* homo in mente divina ante legem contemplatus est; prius enim a legislatore considerantur subditi iuxta propriam naturam et eorum statum, et postea consideratur lex conveniens eis imponenda. Dico *conveniens* siquidem Deus aliam legem statuit pro angelis, aliam pro hominibus: et pro his aliam pro sacerdotibus, aliam pro laicis, aliamque pro coniugatis, aliam pro coelibibus. Haec doctrina utique non est mea, est d. Thomae, qui [3] po-

(1) L. 3. de lib. arb. c. 19.

(2) De malo q. 3. a. 7. ad 7. (3) 1. 2. q. 91. a. 1

nit quaesitum: *Utrum sit aliqua lex aeterna*: et *ad primum* sic sibi obiicit: *Videtur quod non sit aliqua lex aeterna; omnis enim lex aliquibus imponitur: sed non fuit ab aeterno, cui aliqua lex posset imponi, solum enim Deus fuit ab aeterno; ergo nulla lex est aeterna.* Et respondet: *Ad primum dicendum quod ea quae in seipsis non sunt, apud Deum existunt, in quantum sunt ab ipso cognita et praeordinata, secundum illud* [1]: Qui vocat ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt. *Sic igitur aeternus divinae legis conceptus habet rationem legis aeternae, secundum quod a Deo ordinatur ad gubernationem rerum ab ipso praecognitarum.* Adverte, *rerum ab ipso praecognitarum.* Itaque, *prioritate rationis*, prius a Deo consideratus fuit homo tamquam liber, et deinde considerata fuit lex qua homo ligandus erat. Exempli gratia: Deus ab aeterno prohibuit homicidium, ergo *prioritate rationis*, prius consideravit homines qui interfici possent, et postea praeceptum dedit eis, ne alter alterum interficeret.

Ergo, dicit p. Patutius, homo nascitur liber et independens? Neutiquam, nascitur potestati divinae subiectus et consequenter obligatus omnibus parendi praeceptis quae Deus illi imposuerit; sed ut homo huiusmodi praeceptis ligetur requiritur ut illa ipsi promulgentur et innotescant per rationis lumen; sed donec praeceptum non est homini manifestatum, possidet ipse libertatem illi a Deo donatam, quae cum sit certa, nonnisi a praecepto certo ligatur; et cum lex sit regula et mensura, qua homo suas actiones regulare et mensurare debet, oportet quidem ut haec regula et mensura incerta non sit. Falsum autem est id quod adversarii autumant, nempe, quod nihil possit homo agere, nisi certo sciat illud sibi fuisse a Domino permissum. Nam si hoc esset, lex divina non indiguisset promulgatione, sed tantum opus fuisset ut Deus omnia quae nobis permittebat operari, declarasset. Sed Deus non ita fecit: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adiecit mandata et praecepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te, etc.* [2]. Prius itaque Dominus hominem liberum creavit, ei donando ex suo beneplacito libertatem, iuxta id, quod scribit apostolus: *Potestatem habens suae voluntatis* [3]. Et postea mandata quae tenebatur servare, adiecit ac imposuit; et ideo hominis libertas, cum certa sit, possideatque ante legis obligationem, ipsa nonnisi a lege certa ligatur.

Hinc est, quod auctores antiqui communiter docuerunt, ubi lex est obscura nec pro illa reperitur Scripturae textus aut ecclesiae determinatio aut evidens ratio, nihil de gravi peccato damnandum fore; nam pro certo habuerunt, legem dubiam non obligare. En quomodo scripsit s. Raymundus: *Non sis pronus iudicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam Scripturam* [4]. Idem scribit s. Antoninus dicens: *Si vero non potest* (confessarius) *clare percipere, utrum sit mortale, non videtur tunc praecipitanda sententia, ut dicit Guillelmus, ut deneget propter hoc absolutionem, vel illi faciat conscientiam de mortali. Et cum promptiora sint iura ad solvendum quam ligandum* [5] *et melius sit Domino reddere rationem de nimia misericordia, quam de nimia severitate, ut dicit Chrysostomus* [6], *potius videtur absolvendus* [7]. Idem scripsit Gabriel Biel qui vixit an. 1480. dicens: *Nihil debet damnari tamquam mortale peccatum, de quo non habetur evidens ratio vel manifesta auctoritas Scripturae* [8]. Idem docuit s. Thomas, ubi dixit: *Qui ergo assentit opinioni alicuius magistri contra manifestum scripturae testimonium, sive contra id quod publice tenetur secundum ecclesiae auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari* [9]. S. Thomas igitur tantum damnat, qui aliquam sequitur opinionem contra manifestum

(1) Rom. 4. 17. (2) Eccli. 15. 14. (3) 1. Cor. 7. 37. (4) L. 3. de poen. §. 21.

(5) C. Ponderet, dist. 50. (6) C. Alligant, caus. 26. q. 7. (7) P. 2. tit. 4. c. 5. §. In quantum. (8) In 4. d. 6. q. 4. concl. 5. (9) Quodlib. 3. a. 10.

Scripturae testimonium, aut contra communem sententiam iuxta auctoritatem ecclesiae; non autem qui sequitur opinionem quae legi certae non adversatur, ut adnotat Ioannes Nyder: *Haec verba s. Thomae non possunt intelligi, nisi de illis, ubi manifeste patet ex Scriptura vel ecclesiae determinatione, quod sit contra legem Dei; et non de illis ubi illud non apparet, alias sibi contradiceret in eodem libro* [1]. Idem tradidit alibi s. Thomas scribens: *Omnis quaestio, in qua de mortali peccato quaeritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur: quia error quo non creditur esse peccatum mortale, quod est mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forte a tanto. Error vero, quo creditur esse mortale, quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale* [2]. Adverte verba *nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur*. Ergo falsum est principium adversariorum, quod in dubio possidet lex, ac proinde in dubio pars tutior est tenenda. Sed dicet p. Patutius: Si possidet libertas, cur s. Thomas scripsit, quod in dubio partem mitiorem sequens *non excusatur a toto*? Respondetur, s. doctorem hic non loqui de ultimo iudicio practico quod certum fieri potest ex aliquo principio certo reflexo, sed loquitur tantum de iudicio directo quod dubium est, cum utraque opinio dubia sit, ed ideo ait non excusari qui tantum ex iudicio directo mitiorem partem amplectitur. Secus tamen esset, ait s. Antoninus, si quid amplecteretur ex opinione probabili, intellige, formato ultimo dictamine certo ex certo reflexo principio. Audiamus s. archiepiscopum: *Notandum est, quod dicit s. Thomas in quadam quaestione de Quodlibetis, quod quaestio, in qua agitur de aliquo actu, utrum sit peccatum mortale vel non, nisi ad hoc habeatur auctoritas expressa scripturae sacrae, aut canonis ecclesiae, vel evidens ratio, nonnisi periculosissime determinatur. Nam si determinet quod sit mortale, et non sit, mortaliter peccavit contrafaciens, quia omne quod est contra conscientiam aedificat ad gehennam; si autem determinatur quod non sit mortale, et est, error suus non excusabit eum a mortali. Sed hoc secundum videtur sane intelligendum, quando erraret ex crassa ignorantia; secus, si ex probabili; puta, quia consuluit peritos in tali materia, a quibus dicitur illud tale non esse mortale: videtur enim tunc in eo esse ignorantia quasi invincibilis quae excusat a toto. Et hoc quantum ad ea quae non sunt expresse contra ius divinum, vel naturale, vel contra articulos fidei et decem praecepta, in quibus ignorans ignorabitur... Et si diceretur hic esse usuram, et usura est contra decalogum; respondetur, sed hunc contractum esse usurarium non est clarum, cum sapientes contraria sibi invicem sentiant* [3]. Itaque secundum d. Thomam et d. Antoninum, ubi veritas non est patens, lex tamquam dubia non obligat.

78. Obiiciunt III. nostri adversarii, nihil fas esse nobis, nisi quod est conforme divinae voluntati. Gaudeo hanc obiectionem mihi fieri, quod enim in hoc puncto s. Thomas docet, id solum sufficit ad nostram sententiam omnino firmandam. Quaerit Angelicus [4]: *Utrum necessarium sit voluntatem humanam conformari voluntati divinae in volito, ad hoc ut sit bona*: et ait, teneri homines se conformare voluntati Dei in volito *formali*, scilicet in *volito boni communis* (quisque enim non potest licite aliud velle, nisi bonum) sed non in volito *materiali*. Deinde s. doctor [5] sic sibi obiicit: *Videtur quod voluntas hominis non debeat semper conformari divinae voluntati in volito, non enim possumus velle quod ignoramus... Sed quid velit Deus ignoramus in plurimis; ergo non potest humana voluntas divinae voluntati conformari in volito.* Et respondet: *Ad primum dicendum, quod volitum divinum secundum rationem communem, quale sit, scire possumus; scimus enim quod Deus quidquid vult, vult sub ratione boni. Et ideo quicumque*

(1) In Consol. etc. c. 11. a. 3.

(2) Quodlib. 9. a. 15. (3) P. 2. tit. 1. c. 11. §. 23.

(4) 1. 2. q. 19. a. 10. (5) Ad 3.

vult aliquid sub quacumque ratione boni, habet voluntatem conformem voluntati divinae, quantum ad rationem voliti, quod est volitum *formale*, sive commune. Subdit deinde: *Sed in particulari nescimus quid Deus velit; et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinae voluntati.* Ergo non tenetur homo se conformare divinae voluntati in particulari etiam respectu ad divina praecepta, ubi haec Dei voluntas homini non est adhuc manifestata, prout distinctius declarat p. Gonet dicens: *Homo non tenetur conformari voluntati divinae in volito materiali, nisi quando voluntas divina nobis praecepto vel prohibitione manifestatur*[1].

Sed instat p. Patutius et ait: *Riguardo al precetto e proibizione* (libet hoc adnotare suis propriis verbis) *sempre dobbiamo conformarci alla volontà divina, eziandio quanto al volito materiale, mentre Dio ci ha dati i suoi precetti, affinchè li osserviamo, e questi già sono notificati nelle sue leggi.* Sed ego peto: Si aliquod praeceptum est dubium et obscurum, prout accidit quidem in conflictu duarum opinionum aeque probabilium, quomodo dici potest praeceptum sufficienter notificatum? Tunc non est satis notificatum praeceptum, sed tantum dubium praecepti, prout supra ostendimus, quod ubi duae opiniones concurrunt aeque probabiles, neutra probabilis, sed tantum dubia remanet. Quapropter eo casu solummodo potest dici quod praecepti dubium habemus, non autem cognitionem. Et revera quomodo unquam dici poterit nos legis cognitionem habere, cum vere nescimus an lex existat vel non? tunc bene asserere valemus quod legem nescimus, et ideo non tenemur, iuxta s. Thomam, in particulari conformari voluntati divinae in eo volito materiali, quod nobis ignotum est; Deus enim nobis non praecepit obedire suae voluntati quae non adhuc est nobis patefacta.

Idque confirmat expressius respectu ad nostrum casum d. Thomas in alio loco[2] ubi quaerens: *Utrum in omnibus Deo sit obediendum*: respondet affirmative, sed postmodum sibi obiicit: *Quicumque obedit Deo uniformat voluntatem suam voluntati divinae, etiam in volito. Sed non quantum ad omnia tenemur conformare voluntatem nostram voluntati divinae, ut supra habitum est*[3]. *Ergo non in omnibus tenetur homo Deo obedire.* Et ita respondet: *Ad tertium dicendum quod etsi non semper teneatur homo velle quod Deus vult, semper tamen tenetur velle quod Deus vult eum velle, et homini praecipue innotescit per praecepta divina.* En igitur s. doctor bene explicat nos non teneri sua praecepta servare, nisi postquam illa nobis sunt manifestata. Itaque tenetur homo parere Deo et conformari ipsius voluntati, non iam in omnibus *quae Deus vult*, sed in eo tantum *quod Deus vult nos velle.* Sed quomodo sciemus id quod vult Deus nos velle? Sciemus, inquit s. Thomas, cum *praecipue innotescit per praecepta divina.* Non sufficit igitur dubia notitia praecepti, ut teneamur servare praeceptum tamquam Dei volitum, sed requiritur insuper notitia praecepti certa et manifestata: hoc quidem significat verbum illud *innotescit.*

Quaero nunc, ut hoc punctum concludamus: Casu quo voluntas divina quoad particularium praeceptorum observantiam nobis adhuc non innotuerit, tenemurne illi conformari? Minime, ait Angelicus dicens: *Sed in particulari nescimus quid Deus velit, et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinae voluntati.* Idque confirmat, ut vidimus, expresse p. Gonet: *Homo non tenetur se conformare voluntati divinae in volito materiali, nisi quando voluntas divina nobis praecepto vel prohibitione manifestatur*[4]. Imo scripsit Io. Gerson, ut alibi retulimus, quod nec Deus quidem potest creaturam obligare ad suam voluntatem servandam, nisi prius eam ipsi manifestet:

(1) Clyp. t. 3. d. 6. a. 2. n. 37. in fin.

(2) 2. 2. q. 104. a. 4. (3) 1. 2. q. 19. a. 10.

(4) Clyp. disp. 6. a. 2. n. 37

Necesse est dari manifestationem ordinationis ac voluntatis Dei, nam per solam suam voluntatem nondum potest Deus absolute creaturae imponere obligationem [1].

Hinc patet quod s. Thomas semper conformis fuit, nos instruens, leges certas esse debere, ut obligent; in cunctis enim locis ubi de hac materia sermonem habuit, semper usus est verbis expressis, quae hanc esse mentem suam clare ostendunt. Dixit ipse quod lex, ut obliget, oportet *ut per ipsius notitiam applicetur* [2]. Dixit, promulgationem legis esse *ex hoc ipso, quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam* [3]. Inquit *naturaliter cognoscendam*, ergo tunc homo tenetur legem servare, cum legem cognoscit, non vero cum dubitat de lege: dixit legem esse mensuram qua homo mensurare se debet, ac proinde dixit quod haec *mensura debet esse certissima* [4]. Dixit quod sicut funis non ligat, nisi applicetur rei ligandae per contactum, ita praeceptum non ligat, nisi per eiusdem scientiam. Et ideo subdit: *Unde nullus ligatur per praeceptum, nisi mediante scientia illius praecepti* [5]. Dixit hominem tum tantum teneri ad obediendum Deo, cum eius divina voluntas homini praecipue innotescit per praecepta divina [6]. Itaque iuxta has omnes d. Thomae doctrinas concludendum, divinam legem non obligare, nisi cum est *cognita*, nisi cum est *certissima*, nisi cum de illa habetur *scientia*, nisi ipsamet *innotescit*.

Quapropter, his positis, frustra obiicitur a nostris adversariis, quod cum opiniones sunt aeque probabiles, opinio tutior, si non inducit obligationem certam, inducit saltem obligationem probabilem; et ideo deerit dictamen moraliter certum de actionis honestate, sine quo non licet operari. Sed huic pluries supra data est responsio, nempe, quod cum duplex concurrit opinio aeque probabilis, opinio quae stat pro lege aliam non inducit obligationem nisi deponendi dubium; sed huiusmodi dubium, iuxta omnium probabilistarum et probabilioristarum, ipsiusque p. Patutii sententiam, ut vidimus, bene potest deponi, non tantum ex directo, sed etiam ex reflexo principio certo, quo certitudo de honestate actionis iam habetur.

79. Obiiciunt IV. Regulam sacrorum canonum illam: *In dubiis tutior via est eligenda*, ut habetur in *cap. Illud Dominus, de clerico excomm. deposito etc.* idemque dicitur in *cap. Ad audientiam, de homic.* et in *cap. Petitio tua, eod. tit.*, item in *Clement. Exivi* (ad verba, Item quia), *de verb. signif.* et in *cap. Iuvenis de sponsal.* Dicunt adversarii: Canones hi generaliter loquuntur de omnibus dubiis, generaliter igitur accipiendi sunt. Respondeo et concedo, quod generaliter accipiendi sunt quoad omnia dubia practica et facti, qualia utique erant illa quae occurrebant respectu ad casus praefatorum canonum; sed non quoad omnia dubia speculativa et iuris, ut dicunt s. Antoninus Lupus Nyder Soto Suarez Tabiena Sylvester Angelus Henriquez Angles s. Bonaventura Gerson Pelbartus et alii fere communiter, ut mox videbimus; aiunt enim regulam praefatam canonum quoad dubia speculativa esse de consilio, non de praecepto.

En quomodo loquitur s. Antoninus: *Inducunt illud:* In dubiis tutior via est eligenda. *Respondetur, hoc esse verum de honestate et meriti maioritate, et non de salutis necessitate quoad omnia dubia; alioquin oporteret omnes religionem intrare* [7]. Verba d. Antonini sunt nimis clara, sed p. Patutius ait, s. archiepiscopum loqui tantum de eo qui opinionem mitiorem habet pro unice vera, idque infert ex verbis illis, *alioquin oporteret omnes religionem intrare;* ergo, dicit p. Patutius, s. Antoninus vult hic loqui de duabus opinionibus aeque tutis et moraliter certis, et contra praetendit probare, s. Antoninum sentire vi praefatae regulae in omnibus opinionibus dubiis tutiorem esse tenendam; sed ut res clarescat, hic praemitten-

(1) Lib. de vita spir. lect. 2. (2) 1. 2. q. 90. a. 4.
(3) Ibid. ad 1. (4) 1. 2. q. 19. a. 4. ad 3.
(5) De verit. q. 17. a. 3. (6) 1. 2. q. 19. a. 10.
(7) P. 2. tit. 1. c. 2. §. 31

dum id quod praemittit s. Antoninus [1] loquens de quodam contractu, circa quem tunc valde inter sapientes disceptabatur, an esset vel ne usurarius. Sic scribit sanctus: *Et si diceretur, hic esse usuram, et usura est contra decalogum. Respondetur, sed hunc contractum esse usurarium, non est clarum, cum sapientes contraria sibi invicem in huiusmodi sentiant. Cum autem dicitur ignorantia iuris naturalis non excusare, intelligitur de his quae expresse per se, vel reductive sunt circa ius naturale et divinum, ut contra fidem, vel praecepta per evidentes rationes, vel determinationem ecclesiae, vel sententiam communem doctorum: et non de his quae per multa media, et non clare probantur esse contra praecepta et articulos.*

Deinde ait [2]: *Quod autem volentes probare, contractum esse illicitum, inducunt illud:* In dubiis tutior via est eligenda: *Respondetur, hoc esse verum de honestate et meriti maioritate, non de salutis necessitate, quoad omnia dubia; alioquin oporteret omnes religionem intrare.* S. Antoninus igitur neutiquam sentiebat universalem adesse legem, quod tutiora sequamur in omnibus dubiis; nam in speculativis quae occurrunt, cum duae probabiles opiniones concurrunt, iuxta casum qui tunc disceptabatur, censebat praefatam canonum regulam non esse de praecepto. Nihil autem obstat, quod ibi exemplum adduxerit, sive absurdum, quod alioquin oporteret omnes religionem intrare; nam ibi non quidem loquebatur sanctus adversus eos qui dicere praesumpserint, omnes de praecepto teneri propter regulam illam religionem ingredi; sed respondet ibi directe eis qui dicebant contractum illum vetitum esse vigore praedictae regulae obligantis ad tutiorem partem sequendam: *Quod autem volentes probare* (repetamus verba iam supra relata) *contractum esse illicitum, inducunt illud: In dubiis tutior via est eligenda.* Hic igitur sermo fit praecise de contractu illo speculative dubio, et respondet s. Antoninus, *Hoc esse verum de honestate et meriti maioritate, non de salutis necessitate quoad omnia dubia.* Unde non valet dici: s. Antoninus intendit loqui de eo, qui volens contractum inire, reputat illum non dubitanter, sed certe licitum; nam s. archiepiscopus non intendit utique loqui ibi de opinione habita pro unice vera, sed de opinione omnino dubia; alioquin ad obiectionem eorum, qui probare volebant, contractum esse illicitum, quia canones praecipiunt in dubiis tutiorem viam esse eligendam, inepte respondisset, regulam illam *esse de honestate et meriti maioritate, non de necessitate, quoad omnia dubia;* sed debuisset respondere, regulam procedere tantum in dubiis, non vero cum operans habet pro vera suam opinionem; sanctus autem ait, regulam canonum non esse de praecepto universali *quoad omnia dubia:* quoad omnia enim dicit esse tantum *de honestate et meriti maioritate.*

Sicut scribit s. Antoninus, sic etiam sentit Nyder, dicens: *Viam tutiorem eligere est consilii, non praecepti* [3]. Idem sentit Tabiena: *Non valet, quod in dubiis tutior via est eligenda, quia hoc non est praeceptum, sed consilium* [4]. Idem scripserunt Navarrus [5] Soto [6] Abbas [7] Sylvester [8] Suarez [9] Angles [10] Henriquez [11]. Item s. Bonaventura Gerson etc. [12].

Et revera iuxta casus relatorum canonum omnino servari opus erat regula illa, quia dubia erant practica et facti; nec haberi poterat principium aliquod certum, directum aut reflexum, quo excusanda foret obligatio partem sequendi tutiorem, propter scandala aliaque mala quae in iis casibus vitari debebant. Utque dilucide hoc dignoscatur, brevibus hic discutere oportet, qui tunc acciderunt casus et decisiones

(1) §. 28. l. c. (2) §. 31. (3) In consolat. p. 3. c. 10. (4) In summa verb. Scrupulus. (5) Manual. c. 27. n. 181. (6) De iust. et iure l. 7. p. 3. a. 2. (7) In cap. Significasti. Ieiunium, q. 10. n. 27. (9) T. 5. in 3. p. disp. 40. sect. 6. n. 8. (10) P. 1. de ieiun. q. 9. a. 1. dub. 2. concl. 3. (11) L. 14. de irreg. c. 5. n. 4. in fin. (12) Ap. Terillum de prob. q. 26. n. 21.

textuum qui nobis obiiciuntur. Quoad *cap. Illud Dominus, de clerico excomm. deposito, etc.* ibi casus fuit, quod quidam episcopus, non obstante fama publica de excommunicatione adversus eum lata, temere celebrare maluit, qua de re iure dicimus, eum depositione fuisse ab Innocentio III. punitum; nam persistente dubio de excommunicatione, ipse diligentiam adhibere tenebatur, ut de veritate certior fieret, interimque a celebratione desistere debebat. Idcirco merito dixit pontifex: *Quia in dubiis via tutior est eligenda, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius abstinere, quam sacramenta ecclesiastica pertractare.*

Quoad *cap. Ad audientiam, de homic.*, casus fuit, quod quidam sacerdos intulit viro cuidam vulnus, ex quo vita decessit. Deinde dubitabatur, an ille propter huiusmodi vulnus mortuus fuisset. Clemens III. decrevit convenire, ut sacerdos a sacrificando abstineret, et ideo dixit: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, te convenit iniungere presbitero, ut non ministret.* Hic primo advertendum, quod non adhuc facti veritas erat tunc explorata, nimirum, an tali ex vulnere mors accidisset, qua de causa subiungit textus: *Si ex alia infirmitate obierit, poterit divina officia ministrare.* Ideoque sapienter statuit pontifex, quod interim sacerdos non celebraret; dicebat enim in tali dubio viam tutiorem eligendam. Advertendum secundo cum Navarro et Suarez, quod eo casu non agebatur de observando aliquo praecepto, sed tantum de quadam convenientia, ut, si deinde constaret sacerdotem fuisse homicidam, populo non esset scandalum eum celebrantem conspicere. Idem statutum fuit in simili casu dubii homicidii *in cap. Petitio tua, 24. de homic.* ubi dictum fuit: *Cum sit consultius in huiusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare.* Quis non videt, in his casibus necessario ad scandalum effugiendum, convenisse, ut via tutior eligeretur, a celebratione abstinendo?

Ad Clementinam *exivi* respondemus, quod ibi fratres minores Sedem apostolicam efflagitarunt, an sub gravi tenerentur ad illas religionis regulas quae verbis praeceptivis conceptae erant? Papa respondit: *In his quae animae salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiae, pars securior est tenenda.* In primis, ut censet p. Amort, cum papa dixerit, *pars securior est tenenda*, non de securitate materiali intendit loqui in amplectendo tutiorem partem, sed de securitate formali conscientiae in operando cum morali certitudine sine dubio practico; nam si de materiali securitate loqui intendisset, utique declarasset, omnes voces imperativi modi praeceptum denotare, quod materialiter tutius proculdubio fuisset; at pontifex dixit *esse intelligenda* verba imperativa tantum illa quae talia videbantur *ex vi verbi*, nempe ob verborum expressionem, *vel saltem ratione materiae.* Caeterum inquit: *Licet fratres non ad omnium quae sub verbis imperativi modi ponuntur in regula sicut ad praeceptorum, seu praeceptis aequipollentium, observantiam teneantur, expedit tamen ipsis fratribus ad observandam puritatem regulae et rigorem, quod ad ea sicut ad aequipollentia praeceptis se noverint obligatos, quae hic inferius adnotantur.* Et post haec papa, quae tamquam praeceptum habenda essent, adnotavit. Ita respondet ad hanc Clementinam p. Amort.

Sed ego aliam responsionem addo magis convincentem. Casus erat, ut in eodem textu legitur: Antecedenter a fratribus fuerat dubitatum, an regula tantum ad vota paupertatis, castitatis et obedientiae obligaret; sed Nicolaus III. papa iam declaraverat obligare etiam ad illa consilia evangelica, quae in regula exprimebantur verbis obligatoriis praecepti, vel praecepto aequipollentibus. Deinde fratres Clementem V supplicarunt, ut eis declararet, *Quae censeri debeant praeceptis aequipollentia.* Idcirco Clemens, priusquam explicasset ea quae praeceptis aequipollentia videbantur ex vi verborum, et ratione gravis materiae de qua agebatur, prae-

misit illa verba, *ad vitandos graves remorsus conscientiae* pars securior est tenenda. Itaque eo casu non agebatur de duabus partibus aeque probabilibus, sed tantum, an adesset obligatio illam sequendi partem, quae iuxta regulae rigorem, et iuxta id quod Nicolaus III iam declaraverat, non tantum tutior, sed erat unice tuta; cum iam constaret, regulam ex vi verborum et gravitatis materiae obligare ad observanda tamquam praecepta non solum principalia tria vota religionis, sed etiam consilia evangelica quae in regula exponebantur, et ideo ipsa praeteriri non poterant sine gravi conscientiae remorsu. Hinc dixit Clemens, ad vitandos huiusmodi remorsus, tenendam esse securiorem partem, quae reipsa erat unice vera et unice secura; et ex alia parte nullae rationes suppetebant, quae transgressionem illorum consiliorum a gravi culpa excusare valebant.

Tandem quoad *cap. Iuvenis.*, 3. *de sponsal.*, casus fuit, quod iuvenis quidam septennis puellam quamdam duxit, qua mortua, postea cum consobrina illius alias nuptias contraxit. Hinc, suborto dubio, an primum matrimonium fuisset invalidum ob aetatis septennis impotentiam, Eugenius III praecepit, ut vir a praefata consobrina separaretur, propter honestatem ecclesiae, subiungens: *Quia igitur in his quae dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus etc.* His positis, dicimus I., pontificem iure separationem praecepisse, non quia putavit in opinionibus dubiis semper tutius tenendum esse, sed quia separatio necessaria erat ad scandala vitanda, atque ecclesiae honestatem sartam tectam servandam. Dicimus II. quod papa, proferendo verba, *quod certius existimamus, tenere debemus*, minime id dixit respectu iuvenis, qui utique bene conscius erat, si tempore primi coniugii potens vel impotens esset; sed respectu iudicum qui in foro, cum partium rationes sunt dubiae, proculdubio, quod certius est sequi tenentur; proindeque dixit, *certius* (non tutius) nempe quod ipse papa certius iudicabat, separationem imponendam esse, quia adhuc persistebat dubietas valoris primi matrimonii, pro quo possessio potius stabat. Quid autem inter hoc et quaestionem nostram, ubi de foro interno agitur, et non de dubio facti, sed de opinione aeque probabili? Hinc patet quod omnia dubia ad textum casus pertinentia erant dubia practica et facti, quae nullo ex reflexo principio deponi poterant.

Tanto magis quod ipsi pontifices in dubiis speculativis hac regula tenendi partem tutiorem non semper usi fuerunt. Adrianus VI., ut refert Soto [1] non obstante quod ipse oppositum sentiret, dispensavit in quodam matrimonio rato, tantummodo sententiae Caietani confisus. Praeterea in *cap. Laudabilem, de frigid. et mal.* habetur, pontificem cuidam coniugi qui dubius erat de potentia ad copulam, concessisse, ut eam per triennium experiretur. Si lex dubia semper est servanda, ut volunt adversarii, et tunc dubium vertebat an mulier illa esset aliena, quomodo pontifex viro illi permittere poterat per triennium ad eam accedere et copulam experiri? Adde, quod si lex ista esset universalis sequendi in cunctis dubiis, etiam speculativis, tutiorem partem, sequeretur, ne probabilissimam quidem teneri posse opinionem, quae utique non est tutior, sed intra fines probabilitatis manet; sed hoc dici nequit, cum proscripta sit ab Alexandro VIII. propositio quae dicebat: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Adde, quod etiamsi esset res dubia an praefata regula canonum intelligenda sit de omnibus dubiis, et non tantum de dubiis practicis, rationes ipsae, quibus sat clare probatum est, legem dubiam, utpote non satis promulgatam, non obligare, eaedem probant, hanc canonum regulam non esse legem universalem quoad omnia dubia, sed tantum quoad dubia facti et practica.

Denique, ut praesenti puncto finem

(1) In 4. dist. 27. q. 1. a. 4.

imponamus, quaero (et ad hanc rationem quam proferam, ignoro quid responderi possit): Quid canones praecipiunt? praecipiunt in dubiis tutiorem viam esse eligendam. Dicitur itaque *in dubiis*, sed si non simus in dubiis? Quid obstat regula illa, si homo alicui principio certo innititur? tunc sibi iam format conscientiam moraliter certam de honestate actionis, et a finibus dubietatis egreditur, nec amplius dici potest eum esse in dubiis. Praeterea ipsimet adversarii concedunt, praefatam regulam sequendi partem tutiorem locum non habere in materia iustitiae; at si regula canonum sequendi quod est tútius esset universalis pro omnibus dubiis, etiam qui legitime rem possidet, in dubio an res sit aliena, de illa expoliari teneretur; sed d. Augustinus[1] contrarium docet, inquiens: *In iure praediorum tamdiu quisque bonae fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum.*

80. Obiiciunt V. decisionem cuiusdam consessus episcoporum gallorum, ubi fuit decretum, in opinionibus aeque probabilibus tutiorem partem esse tenendam. Horum tantorum praesulum auctoritatem magnopere veneror, sed omnes docent, auctoritatem extrinsecam sapientum magni non posse esse ponderis, ubi intrinseca ratio certa videtur et convincens; tanto magis, cum ipsa sufficienti aliorum auctoritate non destituatur. Ego autem animadverto, quod pro nostra sententia non minor quam pro opposita extat auctoritas extrinseca, imo multo maior. Nec negari potest, nostram sententiam saltem per octoginta aut etiam nonaginta annos circiter communem fuisse apud moralis scientiae auctores, quos inter plurimi fuerunt cardinales, episcopi, universitatum doctores, et signanter plures magistri dominicanae religionis, in qua semper magna doctrina floruit. Hic brevitatis causa omitto cunctorum ipsorum nomina et suarum propositionum citationes adnotare, quas iam attuli in meo opusculo seorsim edito[2].

Nec valet dicere, horum auctoritatem in hac materia parvi aestimandam esse, etiam a me, dum ipsi habentur a me tamquam decepti, cum ad nostram tuendam sententiam innixi sunt principio illi quod egomet reprobavi: *Qui probabiliter agit prudenter agit.* Iam dixi sub initio dissertationis huius, quod tale principium solum, et per se directe sumptum, non est sufficiens ad cohonestandum usum opinionis aeque probabilis. Attamen adverto, iam plures auctores (ut supra vidimus) pro nostra sententia tutanda innixos fuisse eidem nostro principio, nempe quod lex dubia non potest obligare. Praeterea dico, quod nec etiam illi auctores solo praefato principio illo, *Qui probabiliter agit etc.* utebantur. Et sic rem confero: Auctores illi ex una parte iam fatebantur quod ad licite operandum necessaria esset moralis certitudo de honestate actionis. Contra vero ipsimet auctores eadem nostra principia in suis operibus in diversis locis iam statuerunt, nempe quod lex non sufficienter promulgata non obligat; et quod ubi libertas possidet, lex incerta nequit certam inducere obligationem, ex illo principio adeo ab ipsis acclamato, quod *In dubio melior est conditio possidentis.* Ergo si de huiusmodi principiis, loquendo de opinionum probabilium usu, expressam non faciebant mentionem, saltem ea indubitanter supponebant. Quapropter iuste censendum, quod ipsi dicto illo, *Qui probabiliter agit prudenter agit*, potius utebantur tamquam corollario quodam sive consequentia quae a principiis reflexis inferebatur. Tanto magis quod haec materia opinionum probabilium tunc erat valde confusa, unde confuse de ea loquebantur, postquam antiquiores auctores confusius de illa locuti fuerant. Caeterum dictum illud, *Qui probabiliter agit etc.* dupliciter accipi potest: si accipitur tanquam innixum aliis principiis reflexis, vere prudens et certum est; si vero accipitur tamquam prin-

(1) In can. Si virgo, caus. 34. q. 1.

(2) Dell'uso moderato dell'opinione egualmente probabile. - Confer supra notam ad n. 68. positam.

cipium directum, seclusa iudicii reflexione, falsum est. Et sic de effato illo directe sumpto iure merito gallicani praesules contenti non extiterunt, tuleruntque decretum quod circumfertur, nempe: *In dubiis de salutis negotio, ubi aequalia utrinque animo se offerunt rationum momenta, sequamur id quod tutius est, sive quod est in eo casu unice tutum; nec id consilii, sed praecepti loco habeamus dicente scriptura: Qui amat periculum in illo peribit.* Attentis quibus postremis verbis, apparet pro certo quod ipsi praesules locuti sunt de operante cum dubio practico, nullum habente principium quo dubium deponere posset, si autem loqui maluissent de operante, qui ultimum format iudicium, non ex sola probabilitate opinionis, sed ex alio certo principio reflexo, aliter quidem puto quod praesules illi decrevissent.

Quod autem ad plura episcoporum edicta in Gallia emanata, quae a p. Patutio in suo opere [1] afferuntur et transcribuntur, quibusque ipse ait proscriptum fuisse probabilismum, illa perlegi attente, et consideravi quod omnia ipsa respiciunt praecise quemdam librum [2] qui merito damnandus erat, utpote asserens propositiones nimis laxas, nempe teneri posse secure quamcumque opinionem, non tantum minus probabilem, sed etiam probabiliter probabilem, secundum quatuor vel trium, atque etiam unius auctoris auctoritatem. Quamobrem edicta praefata nihil aut valde parum nostram sententiam adversantur. Caeterum quoad vim rationum intrinsecam (quae principaliter attendi debet, auctoritas enim extrinseca non aliud operatur, quam afferre vis intrinsecae praesumptionem), iudico, et plurimi alii iudicant mecum, habere iam convincentem et evidentem. Quod autem ad extrinsecam doctorum auctoritatem pertinet, censeo, ut supra ostendi, tenere sufficientissimam. Tanto magis, cum animadvertimus, quod nostri adversarii nihil adaequate ad nostras rationes respondent; et ex alia parte, si eorum argumenta valerent, probarent utique tutiorismum damnatum necessario esse tenendum. Loquendo vero de iis qui non iam scribunt de proposito pro rigido systemate, sed tantum illud oretenus approbant, omnes ego veneror et reputo me sapientiores; sed dico quod tunc hi maiorem auctoritatem mihi afferrent, si scirem ipsos mature utriusque sententiae momenta ponderasse; sed de hoc valde dubito, et iure merito, dum video eosdem scriptores rigidae sententiae ab eis probatae, aut parum nostras rationes animadvertisse aut respondisse nobis aequivocis et fallaciis, quibus unusquisque intelligens facillime respondere valet. Addo huiusmodi approbatores ut plurimum (sicut supra dixi) directa respiciunt motiva, sed parum vel nihil ad reflexa animadvertenda animum intendunt, quae de caetero multam reflexionem requirunt; sed ego pro certo habeo, quod huiusmodi reflexio ab iis qui hodie antiprobabilistas se produnt et iactantur minime adhibetur. At progrediamur ultra, quia materia est odiosa, et in ea parum valeo me explicare. In libello autem super hanc controversiam a me nuperrime edito, plures episcoporum, abbatum et aliarum eruditarum personarum opiniones in eius calce transcripsi quae nostrum systema verum ac certum non dubitant appellare.

81. Obiiciunt VI. textum ecclesiastici [3]: *Qui amat periculum in illo peribit;* ergo aiunt, qui in periculum se immittit transgrediendi legem, iam peccat. Sed hic advertere oportet aequivocum sive ambiguitatem quae intercedit. Qui opinione aeque probabili utitur, principio certo innixus, est quidem in periculo transgrediendi legem, sed non peccandi. Sed cur? replicant adversarii, quomodo non peccat qui transgrediendi legem periculo se exponit? Repeto, non peccat; oportet enim distinguere legem certam ab incerta. Quando lex est certa, profecto non

(1) La regola prossima delle umane azioni.

(2) Apologia casuistarum.

(3) 3. 27.

possumus exponi periculo eam transgrediendi, sicut est periculum propriam conversionem procrastinandi usque ad mortem, prout in textu praefato dicitur: *Cor durum male habebit in novissimo; et qui amat periculum in illo peribit.* Certa est lex charitatis, quam quisque erga seipsum habere debet, non manendi diu in peccato ob periculum in suo peccato moriendi; amans autem hoc periculum in illo peribit. Pariter hic obiiciunt doctrinam illam d. Thomae, quae in idem coincidit: *Quicumque committit se discrimini peccati mortalis, peccat mortaliter* [1]. Haec verba dupliciter explicari possunt, vel de immittente se in periculum transgrediendi legem certam iuxta casum in scriptura expressum, vel potius de operante cum dubio practico, iuxta alium textum eiusdem s. doctoris, ubi dixit: *Qui aliquid committit vel omittit, in quo dubitat esse peccatum mortale, peccat mortaliter discrimini se committens* [2]. Notandum: Non dicit angelicus, in quo dubitat offendi legem, sed in quo *dubitat esse peccatum mortale;* alibi enim ipsemet de incerto praecepto loquens dixit, ut supra retulimus: *Nullus ligatur per praeceptum nisi mediante scientia illius praecepti* [3].

82. Dicunt igitur adversarii quod, cum lex est dubia, qui se immittit in periculum eam transgrediendi certe peccat ex scriptura allata: *Qui amat periculum in illo peribit.* Ergo resumo, ad hoc periculum vitandum semper opus erit strictum amplecti tutiorismum, non aliter operando quam cum morali certitudine absoluta et immuni ab omni formidine, quod opinio illa quam quis sequi vult sit vera. Minime, ipsi respondent, satis est quod illa opinio sit probabilissima, cum proscripta iam fuerit ab Alexandro VIII. opposita propositio quae dicebat: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Igitur, dico primo, ex hoc deduci veram non esse sententiam, quod, cum lex est dubia, peccat qui se exponit periculo eam transgrediendi, nam adhuc cum probabilissima opinione operans incurrit periculum (quamvis sit remotius) legem transgrediendi. Sed praeterea dico (et hic aliquantulum immoremur) quod is qui credit nunquam esse licitum se exponere periculo laedendi legem, et contra dicit posse opinionem minus tutam teneri, solummodo quando est probabilissima, difficillime et vix unquam induci poterit ad eam sequendam cum secura conscientia, nisi eam invenit stricte certam et ab omni formidine immunem. Et sic ratiocinor: Opinio probabilissima est illa quae, etsi supremum occupat probabilitatis gradum, tamen fines probabilitatis non excedit, iuxta terminos eiusdem propositionis ut supra damnatae quae dicebat: *inter probabiles probabilissimam;* et ideo, prout communiter doctores aiunt, opinio probabilissima, quae etiam moraliter certa (large tamen loquendo) vocatur, omnem prudentem formidinem non excludit, ne sit falsa: ad differentiam opinionis sive sententiae stricte certae quae omnem prudentem formidinem excludit. Si ergo opinio probabilissima omnem non excludit prudentem formidinem, opinio probabilissimae opposita non equidem est illa quae tenuiter tantum est probabilis: tenuis enim probabilitas non est probabilitas, sed dumtaxat quaedam falsa apparentia seu vana probabilitatis apprehensio quae nullum prudentem timorem producere potest, sed tantum aliquam imprudentem formidinem: sed imprudens formido non est formido quae valeat ullum peccati periculum secum afferre. Ipsimet rigidi et stricti tutioristae communiter aiunt, quod huiusmodi imprudentes formidines contemni debent, nec de eis ulla ratio est habenda. Insipientiam revera esse dicere, quod Deus nobis imposuerit etiam futiles et irrationabiles timores vitare. Itaque proprie loquendo opinio probabilissimae adversa non est ea quae tenuiter, sed ea quae dubitanter probabilis est: et haec, sicut probabilissima (ut diximus) non caret o-

(1) Quodlib. 9. a. 15. (2) In 4. dist. 21. q. 2. a. 3. (3) De verit. q. 17. a. 3.

mni prudenti formidine quod sit falsa; ita opinio probabilissimae opposita non caret omni prudenti motivo quod sit vera. Nunc peto, posito quod opinio stans pro lege opposita probabilissimae stanti pro libertate est dubie probabilis, quomodo qui censet illicitum esse immitti in periculum transgrediendi legem, volens probabilissimam sequi, poterit unquam in praxi cum tranquilla conscientia induci ad firmiter credendum quod opinio stans pro lege non sit vere probabilis, et sic probabilissima uti, quin periculo transgrediendi legem exponatur? Ubi stateram inveniet tam exactam, quae ipsum reddat securum, quod opinio stans pro lege careat quidem tanto probabilitatis pondere quod illam efficiat probabilem, et sic ipse secure et a periculo immunis operetur? Idcirco repeto quod ab initio dixi, quod ille qui credit non posse teneri in praxi aliquam opinionem minus tutam, nisi probabilissima sit, cum magna difficultate poterit sibi formare dictamen certum ad operandum, nisi strictum amplexetur tutiorismum, quod solummodo ab omni periculo legem transgrediendi immune atque liberum est.

83. Instant adversarii et dicunt: Qui tutiores opiniones amplectitur tutius incedit. Respondeo. Nefas quidem est divinarum legum observantiam relaxare plusquam licet; sed non minus est malum divinum iugum plusquam oportet durum aliis reddere; nimia enim severitas (scribit Cabassutius [1]) *dum homines ad nimis ardua compellit viam salutis aeternae praecludit; salvandos (ut ait d. Bonaventura) damnat et conscios propriae infirmitatis ad desperationem adigit. Accidit enim, ut miseri homines, hac audita rigidiore doctrina, credant vel dubitent inesse mortalem culpam ubi nulla est; sed tamen rei difficultate victi ex erronea conscientia mortaliter peccent et damnentur. Recte ergo* d. Bonaventura [2]: *Cavenda est conscientia nimis larga et nimis stricta; nam prima generat praesumptionem, secunda desperationem; item prima saepe dicit malum bonum, secunda e contra bonum malum; item prima saepe salvat damnandum, secunda e contra damnat salvandum.* Hinc sapienter scripsit Gerson: *Doctores theologi non debent esse faciles ad asserendum aliqua esse peccata mortalia ubi non sunt certissimi de re: nam per eiusmodi assertiones rigidas et nimis strictas in rebus universis nequaquam eriguntur homines a luto peccatorum, sed in illud profundius, quia desperatius, demerguntur. Quid prodest, imo quid non obest coarctare plus iusto mandatum Dei, quod est latum nimis* [3]? Optime nos instruit s. Chrysostomus: *Circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus* [4]. Addit p. Suarez et ait: *Maius periculum animarum incurreretur, si tot vincula in casibus dubiis eis iniicerentur* [5]. Idque fusius card. Pallavicinus scite explicat: *Per se spectatum effatum illud,* In dubio tutior pars est eligenda, *verissimum est, si recte intelligatur: nam vel agitur de electione practica, et haec semper debet esse tutissima, quia debet esse evidenter licita: vel de electione sententiae speculativae, et circa eam quaerenda quidem est maior securitas sententiae, non maior securitas actionis. Si induceretur opinio, quod semper teneremur facere actionem quae securior est, etiam a transgressione materiali, haec opinio non esset tutior, sed maxime exposita periculo frequenti transgressionis formalis; quare tutior est opposita* [6]. Idem scripsit p. Banchel dominicanus: *Multa sunt quae tutius est facere, sed simul etiam tutius est non se credere obligatum ad ea facienda, nisi moraliter ipsi constet de tali obligatione* [7]. Hinc idem auctor concludit: *Cum non debeamus formare conscientiam de obligatione ad aliquid sub poena, nisi moraliter constet de obligatione, non debemus onus illud imponere, dum moraliter nobis constat superesse nobis libertatem am-*

(1) Praef. theor. iuris etc. (2) Comp. theol. verit. l. 2. c. 32. n. 5. (3) De vit. spir. lect. 4.

(4) Can. Alligant, c. 26. q. 7. (5) De relig. tr. 5. l. 2. c. 34. (6) In 1. 2. disp. 9. c. 4. a. 11. n. 12. (7) Brev. univ. theol. p. 2. tr. 6. a. 5 [illegible]

plectendi quamcumque voluerimus ex huiusmodi opinionibus.

Ego, ut sincere veritatem fatear, cum theologiae moralis scientiae vacare coepi, quia rigidioris sententiae magistrum mihi audire contigit, pro hac strenue cum aliis tunc temporis contendebam; sed postea melius rationes huius controversiae discutiens, opposita sententia quae pro opinione aeque probabili stat, moraliter certa mihi visa fuit: et quidem inductus ab illo pluries hic repetito principio, quod lex dubia non potest obligare. Hinc persuasus remansi nefas esse conscientias, cum opiniones sunt aeque probabiles, ad tutiorem sequendam adstringere cum periculo in plurimas formales culpas incurrendi. Praeterea tamen, cum nostra hac tempestate viderim ita acriter adversus mitiorem sententiam reclamari, multoties hunc punctum ad trutinam diligenter revocavi, legens ac relegens auctores omnes quotquot ad manus habere potui modernos, qui pro rigida sententia certabant, promtus a mea sententia desciscere statim ac non amplius certa mihi appareret; prout enim plures opiniones, quas aliquando tanquam probabiles habui, postea non erubui reprobare; ita imo tanto magis non erubuissem hanc sententiam quae maioris est momenti retractare. Sed quo diligentius rationes nostrae sententiae perpendere sategi, eo magis certae mihi visae sunt. Caeterum si quis adesset qui me clarioribus momentis illuminare posset, falsitatem ostendendo duorum principiorum [1] quae hic exponere curavi, multas ei gratias haberem, atque statim etiam per publicam scripturam me revocari polliceor. Donec tamen aliter mihi quam in praesentiarum sentio persuasum non erit, dico quod sine gravi conscientiae remorsu non possem alios adstringere ad sequendam tutiorem, cum opiniones aeque sunt probabiles, nisi oppositum declararet ecclesia, cui libenter si declarabit iudicium meum submitto.

(1) Sc. duorum coroll. supra n. 69. et 75.

Caeterum protestor, quod sicut confessarios illos non approbo qui nimiae austeritati adhaerentes facile damnant usum plurium opinionum quae gravi fundamento nituntur; ita contra neque approbare possum eos qui de facili opiniones sine certo fundamento tanquam probabiles acclamant. Confessarius, antequam aliquam opinionem amplexetur, tenetur utique intrinsecas rationes perpendere, et cum ei occurrit ratio aliqua convincens pro tutiori opinione cui adaequatam responsionem suppetere non aspicit, tunc oppositam minus tutam amplecti non potest, quamvis plurimorum doctorum auctoritas ipsi faveat; modo auctoritas non sit tanti ponderis ut videatur ei magis quam rationi apparenti deferendum, iuxta id quod docet s. Thomas: *Aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur* [2]. Sed iste casus valde rarus erit.

84. Hoc pro theorica; sed quantum ad praxim spectat deligendi opiniones quaeri solet an expediat rigidas aut benignas praeferre. Respondeo: Ubi agitur de removendo poenitente a periculo peccati formalis, confessarius debet, generaliter loquendo et in quantum christiana prudentia suggerit, benignis opinionibus uti; ubi vero opiniones benignae proximius reddunt periculum formalis peccati, prout sunt nonnullae auctorum opiniones, v. gr. quoad vitandas occasiones proximas et aliae id genus; tunc semper expedit ut confessarius utatur, imo dico quod ipse ut medicus animarum tenetur uti opinionibus tutioribus, quae poenitentes ad se servandos in statu gratiae conducunt.

Nescio autem quomodo possit cum bona conscientia doceri (generice loquendo) quod poenitenti, qui ob confessionem suarum culparum peractam ius certum ad absolutionem iam fuerit adeptus, possit ipsa ei negari eo quod poenitens inter duas aequalis ponderis

(2) 2. 2. q. 4. a. 8. ad 2.

opiniones nolit tutiorem sequi. Hic est rigor ille quem immoderatum et iniustum procul dubio reputo et reprobo; cum austeritas haec caussa esse possit ut plures animae damnentur; dum alias plures auctores invenio etiam probabilioristas, tam modernos quam antiquos, relatos quidem ab adversariis uti rigidae sententiae fautores, qui oppositum docent. En quomodo loquitur probabiliorista Pontassus: *Fatendum tamen, quod si confessario persuasum foret, opinionem sui poenitentis esse probabilem* (loquitur iam de opinione cui tutior opposita etiam est probabilis) *tunc ei absolutionem posset impertiri, quandoquidem tunc contra conscientiam suam non ageret* [1]. Si autem confessarius potest poenitentem absolvere, tenetur, cum ille ius ad absolutionem habeat. Idem pariter scribit probabiliorista Cabassutius: *Quivis confessarius absolvere debet eum poenitentem qui non vult ab opere abstinere, quod secundum probabilem piorum et doctorum aliquot hominum non reprobatam in ecclesia auctoritatem est licitum: quamvis iuxta probabilem aliorum auctoritatem quam ipse sequitur confessarius habeatur minus probabilis* (intelligendum non notabiliter minus) *ut ostendunt Navarrus, Sylvius etc.* Et de hoc rationem dat, quoniam, *esto confessarius agat contra propriam opinionem, non tamen contra propriam conscientiam, cum teneatur absolvere dispositum* [2]. Praeterea Victoria, qui scripsit ante annum 1545., sic ait: *Sed quid faciet* (confessarius) *quando ambae opiniones sunt probabiles et habent suos proprios assertores? Respondeo, sive sit eius proprius sacerdos, sive non, tenetur eum absolvere in tali casu; ita Paludanus* [3]. *Probatur aperte, talis enim est in gratia, et confessor habet probabilitatem quod sit in gratia, quia scit esse probabilem eius opinionem: ergo non debet ei negare absolutionem* [4]. Item Adrianus similiter scribit: *Si a pluribus doctoribus gravioris, seu etiam aequalis auctoritatis contrarium teneatur, non debet adeo de se praesumere sacerdos ut totum velit in suam opinionem, quae forsitan erronea est, coarctare* [5]. Idem scripsit Navarrus: *Si sint contrariae doctorum opiniones, et confessarius credit evidenti se textu vel ratione niti, poenitentem autem dubia, non debet eum absolvere; at si poenitens nititur pari ratione vel fere pari, et habet pro se aliquem doctorem clarum, poterit eum absolvere.* Proinde subdit: *Cum dubitatur an poenitens hoc facere aut dare debeat, benigniorem opinionem confessarius eligere debet*, et pro hac sententia citat Angelum et Sylvestrum [6]. Idem confirmat s. Antoninus pluribus in locis: in uno scribit. *Idem videtur sentire Goffredus de Fontibus, in his scilicet opinionibus contrariis quae tolerantur ab ecclesia, ut dictum est, et quod debet proponere confitenti, quod bene studeat de hoc se ipsum per prudentes informari, eo quod alii tenent contrariam opinionem, maxime si illius contrariae opinionis confessor sit inordinarius eius, et sic eum absolvere. Idem sentit Ricardus claro modo, non distinguendo utrum confessor eius sit ordinarius vel non ordinarius* [7]. In alio loco idem s. archiepiscopus loquens de illo contractu (de quo supra sermonem habuimus) Florentiae disceptato ait, consulendum ei qui inire illum vellet ut abstineatur; at postea subdit: *Quod si tale consilium recipere recusaret quis... relinquendus videtur iudicio suo, nec condemnandus ex hoc aut deneganda absolutio* [8]. Alibi tandem ait: *Si vero non potest* (confessarius) *clare percipere utrum sit mortale, non videtur tum praecipitanda sententia, ut dicit Guillelmus, ut deneget propter hoc absolutionem vel illi faciat conscientiam de mortali; quia faciendo postea contra illam, etiamsi illud non esset mortale, ei erit mortale, quia omne quod est contra conscientiam aedificat ad gehennam* [9]. *Et cum promptiora sint iura ad absolvendum quam ligandum .... potius videtur absolven-*

(1) Verb. Confessarius. c. 2. (2) Theor. iur. l. 3. c. 13. n. 13. (3) 4. §. 17. q. 2. a. 1. (4) De conf. n. 109. (5) De conf. q. 5. dub. 7. (6) Manual. c. 26. n. 4. (7) P. 1. tit. 6. c. 10. §. 10. (8) P. 2. tit. 1. c. 11. §. 29. (9) 28. q. 1. §. Ex his

dum et divino examini dimittendum [1]. Idem, ut supra notavimus, ait Io. Gerson: *Doctores theologi non debent esse faciles ad asserendum aliqua esse peccata mortalia, ubi non sunt certissimi de re* [2]. Nota *ubi non sunt certissimi.* En quomodo hi magni nominis auctores, quos de laxitate nemo audebit culpare, uno ore loquantur. Idem tandem scribit Domin. Soto: *Postquam opinio poenitentis est probabilis, excusat eum a culpa, et ideo ius habet absolutionem petendi, quam ideo plebanus tenetur impendere* [3]. Ipsemet autem Soto alibi iam dixit: *Et quando sunt opiniones probabiles inter graves doctores utramque sequaris, in tuto habes conscientiam* [4]. His perspectis, oportet quod sint animi valde audentis confessarii illi qui poenitenti opinionem tutiorem, dum opposita minus tuta est aequalis ponderis, amplecti nolenti post suorum reatuum confessionem absolutionem denegare non dubitant. Tandem ab omnibus quae hic exposita sunt firmiter confirmatur principium a s. Thoma nobis traditum, quod lex nisi sit sufficienter ac certe promulgata non obligat. Deinde concluditur, quod nisi opinio quae stat pro lege sit aut certa aut saltem certe probabilior, prout ab initio diximus, eam sequi non tenemur.

Monitum *in quo exponitur Decretum S. C. generalis Inquisitionis Romae conditum an.* 1761. *circa usum opinionum probabilium.*

85. Quidam parochus Avisii tridentinae dioecesis anno 1760. folium edidit una cum undecim thesibus plures continentibus propositiones quae deinde ab eodem parocho publice promulgatae fuere. Folium erat hoc:

Probabilismus publicae disputationi ven. clero avisiensi exercitii gratia expositus contra probabiliorismum stricte talem, utpote *negotium perambulans in tenebris.* Pro die 10. iunii 1760. in aedibus canonicalibus Avisii. *Utinam observaremus mandata Domini certa! Quid nobis tanta sollicitudo de dubiis* [5]?

I. Probabilismus noster versatur circa haec tria: Licet sequi probabiliorem pro libertate, relicta minus probabili pro lege. Licet sequi aeque probabilem pro libertate, relicta aeque probabili pro lege. Licet sequi minus probabilem pro libertate. relicta probabiliori pro lege.

II. Usus probabilismi maxime tutus: usus probabiliorismi maxime periculosus.

III. Usus genuini probabilismi minime in laxitatem degenerare potest: usus probabiliorismi stricte talis in rigorismum excurrere debet.

IV. Probabilioristas, qua tales, qui ex consilio probabiliora sequuntur, laudabilissime operari affirmamus.

V. Probabilioristis stricte talibus, qui ex praecepto, quod nunquam clare probant, seipsos et alios ad probabiliora impellunt, merito rigoristarum nomen imponimus.

VI. Qui nullatenus ad christianam perfectionem tendere possunt nisi sequendo probabilissima.

VII. Abusus probabiliorismi stricte talis, non solum licentiae fraenum, sed licentiae calcar est, quod gallorum testimonio comprobamus.

VIII. Genuinus itaque noster probabilismus, qui nec morum corruptelam inducit nec a s. sede unquam male fuit notatus, origine sua thomisticus, progressu aetatis iesuiticus: utpote a quo arctatus, emendatus et a iesuitis contra iansenianos furores propugnatus fuit.

IX. Qui ergo habitat in adiutorio fundatissimi probabilismi, sub protectione plurimorum ex omnibus orbis christiani nationibus praestantissimorum theologorum commorabitur securus.

Ex historia critica. X. Hinc sine ulla laxismi nota beniguissimum etiam vocamus, sed legitimum quem suadent utraque lex caesarea et pontificia; sed dominicanum quem illustris dominicanorum ordo iam a primis temporibus est amplexus; sed pium qui chri-

(1) P. 2. tit. 4. c. 5. §. In quantum.
(2) De vit. spir. lect. 4.
(3) In 4. d. 18. q. 2. a. 5. ad 5.
(4) L. 6. de iust. et iur. q. 1. a. 6. circa fin.
(5) Celeber p. Const. Roncaglia l. 12. c. 3.

stianam pietatem fovet; sed thomisticum quem s. Thomas in amoribus habuit, qui ducentas et plures opiniones libertati faventes in suis sententiarum libris docet; sed christianum qui Christo Domino summe familiaris fuit.

Pro coronide. Probabilismus noster stans pro libertate est notabiliter probabilior ipso probabiliorismo stante pro lege.

Hoc autem folium anno sequenti proscriptum fuit a Tridenti principe et episcopo; et deinde a S. C. Inquisit. romanae die 26. febr. 1761., sic, ut fertur, damnatum fuit: *Cum vero theses huiusmodi notaeque theologicae expensae fuerint in C. gen. coram ss. D. N. Clemente papa* XIII. *sanctitas sua, auditis etc. folium praedictum, et theses in illo expositas, damnat et prohibet*, tamquam continentia propositiones, quarum aliquae sunt respective falsae, temerariae, et piarum aurium offensivae; *illam vero excerptam a* num. x. *nempe* probabilismum, qui Christo Domino summe familiaris fuit, *proscribendam censuit, uti erroneam et haeresi proximam. Praefatum itaque folium, sive theses, ut supra excriptas, sic damnatas et prohibitas ss. D. N. vetat, ne quis cuiuscumque status etc. imprimere, ac imprimi facere, vel transcribere, aut iam impressum, sive impressas apud se retinere et legere, sive privatim, sive publice propugnare audeat etc.*

86. Rev. p. Io. Vincentius Patutius in suo opello [1] sub nomine Adelphi Dosithei, contendit hoc decreto, in prima thesi integre probabilismum vetitum fuisse, ita ut illicitum sit sequi non tantum opinionem aeque probabilem, sed nec etiam probabiliorem pro libertate. Sed id iniuste contendit; folium enim illud plura distincta continet: continet diversas theses continetque etiam diversas propositiones quae thesium membra sunt sive partes. Cum autem folium praedictum emanavit, duae factae fuerunt difficultates a sapientibus super huiusmodi folii proscriptionem. Prior fuit, an singulariter damnatae fuissent non solum omnes folii theses, sed insuper omnes propositiones in thesibus contentae. At communiter visum fuit, quod licet pro vero se haberet, omnes theses proscriptas fuisse et unamquamque ipsarum, minime tamen omnes in thesibus contentae propositiones damnatae erant, sed tantum illae quae censuram merebantur; nam in decreto dicebatur: *Sanctitas sua folium praedictum et theses damnat et prohibet, tanquam continentia propositiones, quarum aliquae sunt respective falsae, temerariae etc.* Itaque non fuit damnatum folium et theses quoad omnes propositiones in illis contentas, *sed tanquam continentia propositiones, quarum aliquae sunt respective falsae etc.*

Harum autem propositionum proscriptio valde differt a proscriptione facta ab Alexandro VII. propositionum respectu quarum dictum fuit: *Sanctissimus decrevit, praedictas propositiones et unamquamque ipsarum damnandas... ita ut quicumque illas aut coniunctim aut divisim docuerit etc. incidit etc.* Eodemque modo damnatae fuerunt aliae propositiones ab Innocentio XI. et ab Alexandro VIII. Unaquaeque igitur propositionum illarum in particulari damnata fuit; atque eas docere sive *coniunctim* sive *divisim* fuit vetitum. At propositiones praedicti folii damnatae fuerunt, non singulae in particulari, sed, ut dicitur, in *globo* et *respective*, nempe illae tantum, quae merebantur ut damnarentur; nec prohibitum fuit docere eas *coniunctim* aut *divisim*, sed acervatim sumtas, prout quidem tridentinus episcopus in suo decreto expressit: *Prohibentes, ne iidem articuli acervatim sumti in disceptationem usque deducantur.*

Quod ad primam igitur folii thesim pertinet, neutiquam damnata fuit prima illius propositio quae dicebat licere sequi opinionem probabiliorem pro libertate neque altera de opinione aeque probabili. Difficultas tantum superat an tertia propositio de opinione minus probabili damnata esset: et

(1) La causa del probabilismo ecc.

quoniam propositio generaliter loquebatur, ita ut adhuc opinionem notabiliter minus probabilem amplecteretur, idcirco dubitabatur an ipsa saltem proscripta esset. Sicque etiam dubitari poterat, an damnata fuisset ultima thesis quae dicebat: *Probabilismus noster stans pro libertate est notabiliter probabilior etc.* ita ut propositio haec affirmaret sententiam, quod sequi posset opinio adhuc notabiliter minus probabilis, esse etiam notabiliter probabiliorem sententia, quae stat pro lege.

Hoc posito iam compertum erat, quod licet omnes theses proscriptae fuissent, minime tamen damnatae erant omnes harum thesium propositiones. Dubium tantummodo remanebat, an damnatis sic *in globo*, et in confuso folio, ac thesibus, damnatae essent singulae theses in particulari aut dumtaxat aliquae illarum, etenim in decreto non dicebatur, *omnes theses;* et verba, *quarum aliquae etc.* dubitabatur an referri deberent ad theses vel ad propositiones in thesibus contentas. Verumtamen dubium hoc ab eadem S. C. postea declaratum fuit, cum enim proscriptio praedicti folii deinde iussu eiusdem S. C. inserta fuisset in indice librorum prohibitorum, non dictum fuit, *Folium et theses in illo expositae*, prout prius dictum fuerat in decreto; sed simpliciter dictum fuit: *Plagula undecim thesium*, *cui titulus: probabilismus disputationi etc.* Quapropter in praesenti declaravit S. C. esse tantum praefatam *plagulam* proscriptam, idest tantum chartam sive folium undecim thesium, non autem omnes et singulas theses. Et revera, cum de hoc dubio litteras dedissem, ut certior de hoc omnino fierem, ad duos s. Inquisitionis romanae consultores, nempe ad reverendiss. p. m. Thomam Augustinum Ricchini sacri palatii magistrum atque reverendiss. p. m. Pium Thomam Schiara S. C. indicis secretarium, ambo mihi responderunt, minime prorsus in decreto S. C. vetitum fuisse probabilismum nec quoad primam nec secundam nec tertiam propositionem de opinione minus probabili pro libertate.

Praeterea, ut tutius agerem, de hoc epistolam misi etiam ad eminentiss. dom. cardinalem Galli poenitentiarium maiorem, eum deprecans ad faciendum de re hac verbum cum regnante pontifice, et ipse eminentiss. cardinalis idem mihi respondit, haec verba signanter scribens: *Posso accertare V. S. illustriss. che nella condanna dell' accennato foglio di cui mi scrive non si è inteso di condannare veruna delle proposizioni che si controvertono nelle scuole cattoliche e da molti cattolicamente si difendono*, *ma si è avuto il motivo di proibirlo*, *perchè le proposizioni che ella medesima riconosce meritevoli di censura ecc.* Censeo quod haec sola huius eminentissimi et sapientissimi cardinalis responsio ad occludenda omnium ora sufficiat.

Monitum II.

Postquam haec typis mandassem, valde miratus sum legendo apud novam theologiam moralem novissime editam a p. Patutio id, quod ibi p. Sidenius veronensis eiusdem Patutii vitam describens, praecipue ubi illius opera enumerat, confidenter asserit quod in controversia inter Patutium et me habita circa usum probabilium opinionum, cum ipse Patutius mihi respondisset secundo libello [1], ego vi argumentorum convictus, nihil iam ultra habens quod adversario meo opponerem, ab iterum respondendo abstinui; ne tamen omnino cederem, ut ipsi, quod scripsit, esset dedecori, omnia eius adversum me scripta ad S. C. indiciis ut damnarentur detuli.

Papae! hoc probrum mihi deerat, nomen accusatoris! Sed res ita se habet. Brevem quamdam dissertationem ego olim in lucem edidi pro usu moderato opinionis aeque probabilis, illo ductus principio quod lex incerta nequit certam parere obligationem, eo quod lex dubia caret sufficienti promulgatione, quae essentialiter requi-

(1) Osservazioni teologiche sopra l'apologia ecc.

ritur *ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis*, haec verba sunt s. Thomae [1]. Quapropter idem s. doctor protulit deinde celebrem illam sententiam: *Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti* [2]. Hanc meam dissertatiunculam p. Patutius ann. 1764. suo primo libello [3] acri et vehementi stylo oppugnavit, duas has praecipuas obiectiones proferens, quarum prima fuit, quod nomine *scientiae praecepti*, uti scripsit doctor angelicus, nequaquam intelligitur cognitio certa praecepti, sed tantum probabilis, quamvis dubia, praecepti notitia, quae (ut aiebat) iam habetur ubi de duabus oppositis opinionibus aeque probabilibus agitur. Secunda fuit quod lex aeterna, ex qua omnes aliae naturales leges emanant, ab aeterno iam promulgata fuit, priusquam creatus fuisset homo, promulgatione *causali*, *virtuali*, aut *eminenti*, et ideo ipsa usque ab aeterno vim habuit obligandi.

88. Huic libello copiose ego respondi in *apologia* meae dissertatiunculae in qua Patutii obiectiones omnino mihi et aliis diluisse visus fui. At deinde adversus hanc meam apologiam secundus Patutii libellus prodiit [4], de quo sub initio *moniti* mentionem feci; ibique meus adversarius cognoscens primas suas obiectiones parum firmas esse, spectatis responsis quae illis ipse dedi, duas alias adiecit: unam nimirum, in qua reapse nihil aliud egit nisi anteactam oppositionem in priori libello scriptam repetere, mutando solummodo epithetum promulgationis; nam ubi hanc *causalem*, seu *virtualem* prius dixerat, in hoc secundo *essentialem* appellavit: alteram, quod lex naturalis hômini promulgatur in ipsa animae in corpus infusione priusquam ipse actualem legis cognitionem acquirat. Hinc coactus fui respondere ampliori libro [5]. Ibi convincenter omnibus his et aliis Patutii obiectionibus feci satis, et plura alia adieci, quae magnopere meam sententiam confirmarunt.

Ad primam autem obiectionem, quod sufficit probabilis etsi dubia notitia legis ad eius promulgationem, iam responsum est supra in allata dissertatione, et proprie. Ad secundam vero, et tertiam, nempe quod lex divina iam ab aeterno fuit hominibus promulgata promulgatione *causali* aut *essentiali*, respondi, et ostendi ex auctoritate d. Thomae ac omnium theologorum, quos diligenti studio perquisivi, legem divinam nullo modo homines obstrinxisse, nisi postquam actualiter eis promulgata et manifestata fuit. En verba s. Thomae, quem Patutius omnino sequi profitetur (in hac tamen re aut nolle sequi, aut intelligere nolle videtur, dum s. doctor nimis aperte et in plurimis locis nostram sententiam docet): *Lex aeterna habet promulgationem aeternam ex parte Dei promulgantis....... sed ex parte creaturae audientis aut inspicientis non potest esse promulgatio aeterna* [6]. Ergo nulla dici potest facta homini divinae legis promulgatio, donec homo non audit legem et inspicit, scilicet donec lex ei intimatur et ipsi innotescit. Omnes autem reliqui theologi s. Thomam sequentes uno ore docent, quod licet lex divina ab aeterno habuerit in se virtutem obligandi in actu primo, tamen in actu secundo nunquam ipsa actualiter obligavit homines, nisi postquam ipsis applicata fuit per eius actualem promulgationem. Sylvius ita scribit: *Actualiter autem tunc* (lex) *unicuique promulgatur, quando cognitionem a Deo accipit dictantem, quid iuxta rectam rationem naturalem sit amplectendum, quid fugiendum* [7]. Et alibi ait: *Legem aeternam fuisse ab aeterno materialiter eo quod ratio gubernationis rerum tunc fuerit in mente divina, non fuisse tamen ab aeterno formaliter seu sub ratione legis actualiter obligantis; quia tunc non fuit actualis et perfecta promulgatio* [8]. Cardinalis Gotti

(1) 1. 2. q. 90. a. 4. (2) De verit. q. 17. a. 3.
(3) La causa del probabilismo richiamata all'esame.
(4) Osservazioni teologiche ecc.
(5) Dell'uso moderato dell'opinione probabile.
(6) 1. 2. q. 91. a. 1. ad 2. (7) In 1. 2. q. 90. a. 4. q. 4.
(8) 1. 2. q. 91. a. 1.

sic loquitur: *Ad hoc, ut lex in actu secundo obliget ad sui observantiam, requiritur quidem indispensabiliter, ut subditis promulgatione proponatur*[1]. Et in alio loco dicit: *Ab aeterno fuit lex* (aeterna) *in mente Dei concepta, quamvis pro aeterno non promulganda nec implenda, nec in actu secundo obligans*[2]. P. Gonet scribit: *Legem aeternam defectu promulgationis non potuisse obligare creaturas ab aeterno*[3]. Gerson scribit: *Necesse est dari manifestationem voluntatis Dei, nam per solam suam voluntatem nondum potest Deus absolute creaturae imponere obligationem*. P. Gonet in alio loco scribit: *Promulgatio legis naturalis fit per dictamen rationis intimantis homini quae praescripta aut prohibita sunt; ergo cum deest tale dictamen, lex non obligat*[4]. Idem sentiunt plurimi alii qui observari possunt in citato meo opere[5]. Sed deveniamus ad quartam obiectionem Patutii, cui respondendo praedicta hic validius confirmantur.

Quarta et ultima eius praecipua oppositio fuit haec, quod lex naturalis homini promulgatur habitualiter, cum Deus animam creat, eamque in corpus infundit, quia tunc rationem in homine imprimit. Huic fuse in opere citato a me responsum est: hic satis esse censeo ad Patutium confutandum afferre eadem verba s. Thomae, quibus ipse utitur: *Promulgatio legis naturae est ex hoc ipso, quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam*[6]. Patutius uti vult pro se verbo tantum *inseruit*, sed uti debet verbis subsequentibus, *naturaliter cognoscendam:* ergo non cum anima corpori infunditur, sed cum homo legem cognoscit, lex ei promulgatur. Id s. doctor alibi confirmat docens: *Etsi non semper teneatur homo velle quod Deus vult, semper tamen tenetur velle, quod Deus vult eum velle, et homini praecipue innotescit per praecepta divina*[7]. Tunc igitur tantum tenetur homo sequi voluntatem divinam, cum illa ipsi manifestatur, *innotescit per praecepta divina.* Audiamus, quid dicant in hoc alii auctores. Ioannes Gerson explicans quaenam sit lex naturalis, dicit: *Lex ista est proprie dicta declaratio creaturae rationali facta, per quam illa cognoscit, ad quas res Deus creaturam obligare vult*[8]. Duvallius scribit: *Quaeres quo tempore lex naturae unumquemque obligare incipiat. Resp. incipere quando promulgatur; tunc autem sufficienter promulgari, quando quisque annos discretionis attingit*[9]. Card. Gotti scribit: *Lex naturalis est in anima ut in habente per modum actus, actu quidem dum actu considerat, habitu vero vel in potentia dum consideratio iam transiit, vel nondum consideravit: et hoc modo lex naturalis in amentibus est habitu, in pueris autem est in potentia, qui nondum possunt perfectum dictamen de agendis conficere, nec sibi divinam ordinationem ac praeceptum, in quo consistit lex, intimare*[10]. S. Antoninus: *Nota diligenter, quod istud lumen legis naturalis non ostendit homini quae sint bona, quousque perveniatur ad usum rationis*[11]. P. Cuniliati scribit: *Actualis legis naturalis promulgatio evenit, quando quis a Deo cognitionem accipit dictantem, quid iuxta rationem naturalem fugiendum, vel amplectendum*[12]. P. Ludovicus Montesinus scribit: *Lex naturalis promulgatur in unoquoque, dum primo venit ad usum rationis; et quamvis pro tunc solum promulgatur ista lex quantum ad principia communissima iuris naturae, tamen postea paulatim per discursum promulgatur eadem lex quantum ad alia*[13]. Sed omissis aliis auctoribus relatis in meo libro[14] audiamus quid dicat s. Hieronymus; ipse[15] sic scribit: *Hanc legem* (naturalem) *nescit pueritia, et peccans absque mandato non tenetur lege peccati. Maledicit patri et matri, parentes verberat, et quia necdum accepit legem sa-*

(1) Theol. t. 2. tr. 5. de leg. q. 1. dub. 3. §. 3. n. 21. (2) Tr. 5. q. 2. dub. 1. §. 4. n. 13. (3) Clyp. theol. t. 3. d. 1. a. 3. (4) Diss. de op. prob. a. 6. §. 1. n. 172. (5) Dell'uso ecc. (6) 1. 2. q. 90. a. 4. (7) 1. 2. q. 19. a. 10. (8) Vit. spir. etc. lect. 2. col. 176. edit. Paris. (9) 1. 2. de leg. q. 3. a. 3. (10) De leg. q. 3. dub. 2. §. 3. n. 21. (11) P. 1. tit. 13. c. 12. vide §. 3. (12) Tr. 1. de reg. mor. c. 2. §. 3. n. 1. (13) De leg. disp. 20. q. 4. n. 85. (14) Pag. 154. (15) Ep. 121. al. 151. ad Agas. q. 8.

pientiae, mortuum est in eo peccatum. Cum autem mandatum venerit, hoc est tempus intelligentiae (quo Deï mandata cognoscimus) *appetentis bona et vitantis mala, tunc peccatum reviviscere incipit, et homo reus est peccati.* Notentur verba illa : *Cum autem mandatum venerit, hoc est tempus intelligentiae;* ita ut tunc lex venit ad hominem, scilicet ei promulgatur, cum homo illam intelligit. Idem scripsit prius s. Basilius[1]: *Postquam ratio nostra perfecta est atque cumulata, tunc fit quod scriptum est: Ego autem vivebam sine lege aliquando; sed cum venisset mandatum, peccatum revixit.*

88. Haec omnia in relato meo opere[2] reperiuntur, quod omnibus fere Italiae episcopis, et primariis ordinum praelatis mittere curavi; ac propterea cum accepissem, Patutium in lucem edere novam theologiam moralem, in hac aliquid his quae scripsi responsurum putabam, sed mea me fefellit opinio, nam iis quae maioris ponderis erant nullum responsum inveni. Quod autem ipse detulissem ad S. C. indicis scripta contra me a Patutio, hoc minime verum est, nec unquam in mentem mihi venit; immo quoad convicia a Patutio adversum me prolata, potius eum excusavi, dicendo quod ipse non iam animo me conviciandi talia scripserit, sed ut hac arte legentium mentes imbueret de praestantia suae causae, et sic ipsorum conniventiam sibi conciliaret. Caeterum pluries ego in meis operibus eruditos rogavi, ut si quid contra mea scripta haberent, mihi patefacerent, ut cognito errore a mea discederem sententia. Nemo tamen usque adhuc fuit qui id mihi praestiterit, praeter ephemeridum gallicarum scriptorem, qui mihi tantum obiecit, quod ego opinionem aeque probabilem admittendo, eo quod in huiusmodi casu lex est dubia, etiam minus probabilem admittere deberem, quia tunc lex etiam est dubia. Sed huic oppositioni iam in libro meo praeivi statuens quod ubi adest probabilior opinio pro lege, tunc lex est moraliter promulgata, ideoque obligat, non obstante illo dubio lato pro opinione benigniori; ubi enim veritatem certam non invenimus, illam sequi debemus opinionem quae magis veritati se appropinquat; contra vero, ubi opiniones sunt aeque probabiles, lex est vere dubia dubio stricto, ita ut nullo modo tunc lex dici potest sufficienter promulgata.

Nolo hic praeterire id quod nuper reperi in postrema editione theologiae moralis p. Fulgentii Cuniliati[3] allatum nempe in medium decretum S. R. Inquisitionis, quo theses quaedam a parocho Avisii dioecesis tridentinae exaratae anno 1761. proscriptae fuerunt, et quo adversarii autumant probabilismum universe damnatum fuisse. Sed ego in pluribus opellis ostendi in relato decreto nec probabilismum universum, nec aliquam opinionum, quae in catholicorum scholis propugnantur, sed aliquas tantum quae nimis laxae erant fuisse proscriptas, sicut duo s. officii consultores, et ipse cardinalis Gallus in eo tempore poenitentiarius maior mihi rescripserunt, ut notavi in dissertatione supra descripta.

89. Praeterea res admiratione digna est videre aliquos, nullum reputare tutiorem modum salvas faciendi animas, quam eas per semitas asperiores ducere; sed non minus isti errant, quam alii qui conscientias per laxiorem perducunt viam. Non solum enim rationem Deo reddere tenemur de nimia indulgentia, verum etiam de nimia rigiditate; qua conscientiae animarum illaqueantur, quod proprie est (iuxta s. Antoninum) *aedificare ad gehennam.* Valde apposite id explicat doctus Cabassutius ex doctrina s. Bonaventurae; postquam enim detestatur immodicam benignitatem, reprobat immoderatum rigorem, qui, ut ait, *dum homines ad nimis ardua compellit, viam salutis aeternae praecludit; salvandos* (ut ait s. Bonaventura) *damnat, et conscios propriae infirmitatis ad desperationem adigit. Accidit enim, ut miseri homines, hac audita rigidiore doctrina, credant*

(1) Hom. in Ps. 1. n. 5.

(2) Dell'uso ecc.

(3) Tr. de consc. c. 1. in fin. ad §. 6.

vel dubitent inesse mortalem culpam, ubi nulla est; sed tamen rei difficultate victi, ex erronea conscientia mortaliter peccant et damnantur[1]. Deinde subdit verba d. Bonaventurae qui docuit: *Cavenda est conscientia nimis larga et nimis stricta; nam prima generat praesumptionem, secunda desperationem. Item prima saepe salvat damnandum, secunda e contra damnat salvandum*[2]. Idem validius firmat Io. Gerson dicens: *Doctores theologi non debent esse faciles ad asserendum aliqua esse peccata mortalia, ubi non sunt certissimi de re; nam per eiusmodi assertiones rigidas et nimis strictas nequaquam eriguntur homines a luto peccatorum, sed in illud profundius, quia desperatius, demerguntur*[3]. Hinc scripsit s. Raymundus: *Non sis pronus iudicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam scripturam*[4]. Idem dixit Gabriel Biel qui an. 1480. scripsit: *Nihil debet damnari tanquam mortale peccatum, de quo non habetur evidens ratio vel manifesta auctoritas scripturae*[5]. Idem scripsit s. Antoninus: *Quaestio in qua agitur utrum sit peccatum mortale, nisi ad hoc habeatur auctoritas expressa scripturae aut canonis ecclesiae, vel evidens ratio, periculosissime determinatur*[6]. Et alibi scribit loquens de confessario: *Si vero non potest clare percipere utrum sit mortale, non videtur tunc praecipitanda sententia, ut dicit Guillelmus, ut deneget propter hoc absolutionem, vel illi faciat conscientiam de mortali. Et cum promptiora sint iura ad solvendum, quam ligandum... potius videtur absolvendus*[7].

TRACTATUS SECUNDUS
DE LEGIBUS

Cap. I. De natura et obligatione legis in genere

Dubium I. Quid sit lex sive praeceptum.

90. *Quid sit lex.*
91. *Quis ad eam teneatur.*
92. *An lex iniqua obliget.*
93. *An in dubio de iustitia teneamur lege.* (Vide etiam n. 99.)
94. *An leges latae a tyrannis obligent.*
95. *An obliget lex non promulgata.*
96. *Quid notandum circa promulgationem legis.*
97. *Quid circa legem dubiam. Et in dubio an lex existat; an adsit causa excusans; an lex sit promulgata; an usu recepta.*
98. *Quid in dubio, an superior sit legitimus. Et an excedat suam potestatem.*
99. *Quid in dubio an lex sit iusta. Vel an lex praecipiat. Vel an eam impleveris.*
100. *An lex humana possit praecipere actus internos. Et an prohibere externos occultos.* Vide ibid. quaer. 3. *An in dubio, si res sit licita, subditus teneatur obedire.*

90. « Respondeo: lex et praeceptum, prout hic indistincte accipitur, est recta agendorum aut omittendorum ratio. Interim, cum a superiore non communitati, sed alicui tantum aut aliquibus in particulari aliquid praecipitur, non appellatur lex, sed praeceptum tantum. Suar. Laym. Bonac.[8]. Unde resolves.

91. » 1. Ad legem seu praeceptum quis tenetur, non ad consilium: cum hoc tantum dirigat, illud vero obliget[9].

92. » 2. Cum iniqua lex est et contra rationem, non obligat: quia deficit a rectitudine[10].

93. » 3. Cum dubium est de iustitia, teneris lege; quia legislator possidet ius praecipiendi: idemque regitur altiore consilio, ac potest habere rationes subditis occultas. Addit Suarez, etiam obligare, licet contra iustitiam legis sint rationes probabiles; quia alias nimia daretur licentia legibus non parendi, cum vix possint esse tam iustae, quin aliqua apparens ratio dubitationem movere possit. Suar.[11] Bon.[12]. *Vide n.* 99.

94. » 4. Leges et sententiae latae a tyrannis obligant, si ii pacifice regna possideant et a republica tolerentur. Nec obstat quod sententia iudicis illegitimi dicatur esse nulla: id enim verum est de sententia, prout est praecise a tyranno; non autem prout est a voluntate, saltem interpretativa et implicita reipublicae, quae dum tyrannum et iudices ab eo constitutos repellere nequit, tacite confert iis potestatem gu-

(1) Theor. iur. in praef. (2) Comp. theol. verit. l. 2. c. 52. n. 5. (3) L. de vit. spir. lect. 4. (4) L. 3. de poenit. §. 21. (5) In 4. dist. 16. q. 4. concl. 5. (6) P. 2. tit. 1. c. 11. §. 28. (7) P. 2. tit. 4. c. 5. §. In quantum. (8) De leg. d. 1. q. 1. p. 1. (9) Ibid. (10) Ibid. (11) De leg. l. 1. c. 9. n. 11. (12) De leg. d. 1. q. 1. p. 7. n. 11.

bernandi, eorumque leges et acta ratificat. Less. [1] Salas [2]. (Idem dicunt Salm.[3] cum Pal. etc.)

95. » 5. Non tenetur quis ad legem, nisi promulgata sit sive denunciata. S. Th. [4] Laym. [5] Molina Salas Suarez et alii communiter. »

96. Circa promulgationem legis, I. notandum est id quod docet s. Thom. [6]: *Promulgatio necessaria est, ut lex habeat suam virtutem.* Et in iure canonico habetur: *Leges instituuntur, cum promulgantur* [7]. Ratio, quia lex nequit obligare, nisi perveniat per promulgationem ad notitiam communitatis. Hinc lex non obligat, si denuntietur tantum personis particularibus. Ita Scotus [8] Suar.[9] Palaus [10] et Salm.[11] cum Tapia et Diana. Hinc infertur quod si quis sciret aliquam legem esse conditam, non teneretur eam servare, nisi postquam esset promulgata: ut Palaus [12] Salm. [13] et Less. [14]. Sufficit autem ad obligandum, quod lex communiter et solemniter publicetur in locis, ita ut possit pervenire ad notitiam maioris partis communitatis, licet a singulis ignoretur. Vide Salm. [15].

II. Notandum circa modum promulgationis, quod leges caesareae, sive principum subiectorum imperatori, debent promulgari in singulis provinciis, seu civitatibus metropolitanis; et non obligant, nisi post duos menses a promulgatione [16].

Sed quaeritur 1. an leges pontificiae (et aliorum principum non subiectorum) ut obligent, promulgari debeant, non solum Romae (sive in curia) sed etiam in singulis provinciis. *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent plures graves auctores, ut Becanus [17] Nat. Alex. [18] Contin. Tourn. [19] Cabassut. [20] cum Medina Angel. etc. et probabilem vocant Sylvius [21] Anacletus Roncaglia et alii. Citatur pro hac sententia etiam Caietanus; sed Caietanus aliud non dicit, quam quod leges canonicae non obligant ignorantes. Citatur etiam Lessius; sed Lessius [22] loquitur tantum de legibus quae contractus irritant. Citatur quoque Soto; sed Soto [23] potius loquitur de legibus inhabilitantibus, aut revocatoriis privilegiorum. Fautores autem huius primae sententiae principaliter fundantur in authentica, *ut factae novae*, et aiunt quod ubi non adest specialis dispositio legis canonicae, standum civili, prout infertur ex illis verbis iuris can.: *Sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adiuvantur* [24]. Praeterea inquiunt nimis esse durum fideles totius orbis christiani obstringere ad servandas leges tantum Romae publicatas. Sed adhuc iuxta hanc primam sententiam excipi debent bullae insertae in bullario, quoniam hae sunt iam corpus legum, et in hoc omnes conveniunt, ut testatur card. Petra [25].

Secunda vero sententia valde communis et probabilior id negat, tenetque leges pontificias obligare fideles sola promulgatione Romae peracta; ita Suar. [26] Bon. [27] Laym. [28] Azor. [29] Castrop. [30] Carden. [31] Ferrar. [32] Salm. [33] cum Valent. Navar. Vasq. Menoch. Pont. Diana et Salas. Ratio haec est: nulli dubium quod lex, ut vim habeat obligandi, debet esse promulgata, alias ad notitiam subditorum pervenire non posset: sed quod ad promulgationis modum pertinet, hic ab arbitrio et intentione legislatoris pendet. Hinc observavi (prout etiam salmanticenses pro certo testantur) quod inter omnes dd. etiam inter adversarios, non est qui neget, opus non esse de natura, ut lex

(1) L. 2. c. 29. d. 9. (2) D. 10. sect. 3. n. 14. (3) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 10. (4) 1. 2. q. 90. (5) L. 1. t. 4. c. 2. (6) 1. 2. q. 90. a. 4. (7) C. In istis dist. 4. (8) De iust. l. 1. q. 1. a. 4. (9) De leg. l. 3. c. 16. a n. 2. (10) Tr. 3. d. 1. p. 11. n. 6. (11) Tr. 11. de leg. c. 1. n. 75. (12) L. c. n. 6. 7. (13) Tr. 11. de leg. c. 1. n. 76. (14) L. 2. c. 21. n. 44. (15) Ib. n. 77. 78. et 79. (16) Auth. Ut factae novae. Coll. 5. (17) De leg. c. 6. q. 6. n 5. (18) Theol. l. 4. a. 3. reg. 25. (19) T. 2. de leg. sect. 4. (20) Theor. iur. l. 1. c. 4. n. 4. (21) 1. 2. qu. 96. a. 4. q. 11. concl. 3. (22) L. 2. c. 22. n. 89. (23) De iust. l. 1. q. 1. a. 4. (24) C. 2. de nov. op. nunc. (25) In prooemial. c. 4. n. 50. et 54. (26) De leg. l. 4. c. 15. (27) De leg. d. 1. q. 1. p. 4. n. 16. in resp. 3. (28) L. 1. tr. 4. c. 2. n. 4. (29) P. 1. l. 5. c. 3. vers. In hac. (30) De leg. tr. 3. d. 1. p. 12. n. 2. 3. (31) In crisi theol. d. 9. c. 20. n. 416. (32) Bibl. verb. Lex, a. 2. n. 6. (33) Tr. 11. de leg. c. 1. n. 86. 87

obliget, quod in qualibet provincia publicetur, sed satis est quod promulgetur in curia legislatoris, sicut de facto etiam in Hispaniis (scribunt iidem salmanticenses), leges regiae, eo quod rex ibi non tenetur caesareas servare, tantum Matriti promulgantur. Et sic pariter bullae pontificiae ut plurimum, iuxta usum iam receptum, tantum Romae promulgantur locis ibi ad id destinatis; et vigore huiusmodi constitutionum deinde omnes causae ecclesiasticae iudicantur. Contra autem sedes apostolica, cum vult aliquam legem non obligare, nisi post publicationem factam in provinciis, id exprimit, sicut expressit in interdicto ab ecclesia, imposito a concilio lateranensi IV. adversus medicos qui pergunt ad assistendum infirmis, antequam illi confessionem expleverint, ut praecipitur [1]. Et sic etiam expressum fuit a concilio Tridentino [2] circa invaliditatem matrimoniorum clandestinorum.

Hoc posito, cum pontifex statuit suas bullas tantum Romae publicari, minime verisimile est quod ipse non alias provincias, sed solam romanam obligare intendat. Cum papa tantum romanos obstringere vult, solet peculiaria edicta emanare (et haec italico idiomate efformat); sed statuta per totam ecclesiam condens, eaque solemniter promulgans cum clausulis obligatoriis, proculdubio praesumitur omnes fideles obligare velle, statim ac ipsis notitia pervenerit. Quae notitia facile est, ut e Roma ad provincias perveniat; Romae enim conveniunt omnes fere nationes, et omnes praelati habent ibi suos procuratores qui ordinarie satagunt suos principales de novis bullis quae promulgantur, certiores facere. Praeterea quod leges pontificiae obligent statim ac solemniter promulgantur, id clare deducitur ex iure canonico [3] ubi dicitur: *Non sit necessarium, cum constitutio solemniter editur aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum vel litteras inculcare; sed solum sufficit ut ad eius observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam aut publice promulgatam.* Notetur, *solemniter editam aut publice promulgatam.* Qui igitur notitiam certam habet de aliqua bulla iam solemniter Romae promulgata, bene tenetur ad eam servandam. Et alibi: *Lex seu constitutio vel mandatum nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorumdem, aut nisi post tempus, infra quod ignorare minime debuissent* [4]. Ergo quisque tenetur leges illas observare, quarum notitia iam ipsi pervenit, cum illae iam promulgatae fuerint modo quo legislator eas promulgare potest. Nec est dubitandum quin papa adstringere possit omnes fideles ad observantiam bullarum suarum per solam promulgationem Romae factam, sicut quilibet princeps (prout omnes auctores admittunt, ut supra vidimus) obligare suis legibus valet cuncta sua regna per solam publicationem in sua curia expletam.

Sed quod magis nostrae sententiae vim praebet, sunt duae clausulae quae apponi solent in his bullis quae Romae promulgantur, locisque consuetis affiguntur. Altera clausula sic dicit: *Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas ad valvas etc. affigi et publicari, sicque publicatas omnes et singulos quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum personaliter intimatae fuissent.* Altera dicit: *Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus tam in iudicio, quam extra illud ubique adhibeatur observantia, ac si unicuique forent exhibitae vel ostensae.* Hae autem clausulae nimis diserte ostendunt, mentem pontificis esse velle omnes fideles obstringere ad huiusmodi statuta independenter ab eorum

(1) C. Cum infirmitas de poenit. et remiss.
(2) Sess. 24. c. 1.
(3) C. 1. Ad haec, de postulat. praelat.
(4) C. Quia cunctis 1. de concess. praebend. in 6.

publicatione in singulis provinciis. Et Sylvius ac Roncaglia, quamvis admittant ut probabilem primam sententiam, habent tamen ut certum, quod omnes bullae cum praefatis clausulis Romae promulgatae obligent per se absque alia promulgatione. Caeterum, recte ait Roncaglia, quod ex relatis verbis talium clausularum firmum adduci potest argumentum pro primae sententiae probabilitate respectu ad eas bullas ubi praedictae clausulae desunt, nihil enim in legibus frustra appositum supponendum, et clausulae illae omnino essent superfluae, si omnes bullae Romae publicatae etiam sine talibus clausulis obligarent ante quamlibet aliam publicationem in provinciis; modo (excipit) in aliquo loco consuetudo non vigeret indifferenter amplectendi bullas Romae quocumque modo promulgatas.

Quaerit autem Sylvius [1] an episcopi teneantur promulgare, aut satagere ut alii observent omnia pontificia statuta iam Romae promulgata. Et sic respondet: *Teneri curare ut observentur, quando pontifex significat se velle quod sua lex ubique obliget, etiam absque alia promulgatione alibi facta. Non tenentur tamen curare ut promulgentur, nisi vel mandatum pontificium ad eos dirigatur, vel rationabiliter iudicent, promulgationem in suis dioecesibus esse necessariam. Sive autem ista curent ordinarii, sive non curent nihilominus qui legis et latae et promulgatae notitiam habent ad eius observantiam obligari videntur, nisi appareat quod vel recepta non fuerit, vel per non usum eius obligatio in talibus locis desierit. Caeterum si pontifex neque significet non esse opus alia promulgatione, neque etiam mandatum dirigat ad ordinarios, probabile est quod ordinarii non tenentur legem pontificis promulgare, vel curare ut observetur, nisi fructum aliquem notabilem ex talis legis promulgatione in suis dioecesibus expectent. Possunt enim in eiusmodi casu interpretari, mentem pontificis esse, quod lex quam ipse iustis ex causis iudicet ecclesiae universali esse utilem, in diversis provinciis tunc observari, vel promulgari curetur ab ordinariis, quando illi existimaverint ita esse pro suis locis expediens et ad aliquem fructum notabilem utile.* Idem scribit Diana [2] cum Wigers et Mald. dicens: *Quando pontifex non significat opus esse alia publicatione, et non praecipit ordinariis, ut servari eam* (legem) *faciant, nec populis ut servent, non tenentur publicare et observari curare, nisi pro loco sperent fructum; nam mens pontificis generalem legem praescribentis est, ut ubi cum fructu fieri potest, curetur observari.*

Praeterea probabiliter aiunt Suarez [3] et Layman [4] cum Molina et Soto, quod leges pontificiae quae infirmant aliquem contractum suapte natura validum (prout fecit bulla s. Pii v. quoad contractus censuales) vel quae iurisdictionem auferunt, v. gr. in sacramento poenitentiae, circa has benigne interpretari possumus mentem esse pontificis, quod nolit eas effectum habere, nisi postquam fuerint in dioecesibus promulgatae; alioquin ipsae redundarent in detrimentum plurimorum qui illas invincibiliter ignorarent. Secus autem est respectu poenarum quae statuuntur adversus clericos male ordinatos et episcopos male ordinantes, prout Sixtus v. declaravit (praesertim quoad simoniace promotos et promoventes; nam quoad alios bulla Sixti per aliam bullam Clementis VIII. [5], fuit reducta ad terminos concilii Trid.). Sicut etiam secus procedit in legibus irritantibus actum aliquem ob defectum solemnitatis; quae leges, postquam obligandi vim habuerunt, etiam respectu ignorantium valent, ut dicunt Sanchez [6] ac Layman [7] cum Navar. et aliis.

Quaeritur II. an ut lex obliget requiratur spatium duorum mensium a promulgatione. Tres sunt sententiae. *Prima* dicit statim obligare. Ita Salas Vasq. Villal. etc. apud Salm. [8]. Ratio

(1) 1. 2. qu. 96. q. 11. concl. 3. (2) In summa v. Lex. n. 18. (3) De leg. l. 5. c. 33. n. 8. (4) Eod tit. c. 2. n. 7. (5) 40. Romanum. (6) De matr. l. 3. d. 17. n. 10. et l. 9. d. 32. n. 2 (7) Loc. cit. (8) Tr. 11. de leg. c. 1. n. 89.

quia lex, cum promulgatur, iam in suo esse integro constituitur. *Secunda* dicit obligare statim, vel quasi, saltem existentes in curia; alios autem non obligare, nisi post sufficiens tempus, plus minus iuxta distantiam locorum. Ita Palaus [1] Suar. [2] item Montes. Gran. etc. ap. Salm. [3]. *Tertia* sententia probabilior dicit, quando in lege non determinatur tempus ad obligationem, nullos obligare, neque in curia existentes, nisi post duos menses a promulgatione; sed transactis duobus mensibus, iam arbitrio prudentum taxatis, omnes obligare. Ita Sot. [4] Bon. [5] Sa [6] Sylvest. [7] et Salm. [8] cum Val. Reg. Men. Tab. et aliis. Ratio, quia lex non obligat, nisi eius notitia moraliter ad omnes subditos ut eruitur ex iure can. pervenire possit: *Leges sacratissimae intelligi ab omnibus debent, ut universi, praescripto earum manifestius intellecto, prohibita declinent* [9]. -*Lex, seu constitutio et mandatum nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorumdem, aut nisi post tempus intra quod ignorari minime debuissent* [10]. Hoc autem tempus quo lex humano modo pervenire possit ad aures subditorum, taxandum est arbitrio prudentum, hocque arbitrium iam taxatum habemus in *auth. Ut facta etc.* uti dictum est n. 96: ergo illi standum, ubi tempus non est determinatum.

97. Adduntur hic variae quaestiones circa legem dubiam.

Quaeritur, an in dubio si lex existat, lex obliget. Respondetur minime obligare post adhibitam sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem, praeciso tamen scandalo vel alio notabili inconvenienti, quia tunc possidet libertas. Ita communiter Suar. [11] Sanch. [12] Pal. [13] Salm. [14] cum Tap. Vill. Arav. etc. Id expresse confirmant d. Thom. [15]: *Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti.* Scotus [16]: *Nullus tenetur ad aliquod praeceptum divinum nisi per aliquem idoneum et authenticum sibi promulgetur.* Item Glossa [17]: *In dubio nullum praesumi obligatum, ex auth.* Quibus modis. Item Glossa [18]: *In dubio liberum est sequi quod magis placuerit.* Item Benedict. XIV. [19]: *Non si debbono porre legami, quando non v'è una chiara legge che gli imponga* [20]. Id clare probatur ex iure canonico ubi legitur: *Erit autem lex manifesta* [21]. -*Nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur* [22]. -*In his vero, ubi ius non invenitur expressum, procedas aequitate servata, semper in humaniorem partem declinando* [23]. S. Leo [24] sic docuit: *In iis quae vel dubia fuerint, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis ss. patrum inveniatur adversum.* Item Lactantius [25] dixit: *Stultissimi est hominis, praeceptis eorum velle parere, quae utrum vera sint an falsa dubitatur.* Ratio est, quia Deus sane donavit homini dominium libertatis ex apostolo [26]: *Potestatem autem habens suae voluntatis.* Et ex Ecclesiastico [27]: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adiecit mandata et praecepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Quamobrem possidet homo libertatem ad agendum quidquid vult, quod non constet a lege sibi vetitum, ut ait d. Thom. [28]: *Illud dicitur licitum quod nulla lege prohibetur,* ex *l. Necnon ff. Ex quib. caus. mai.* ubi: *Omnia sunt permissa per legem, quae prohibita non inveniuntur.* Hinc Melch. Canus [29] sic impugnat sententiam Scoti et aliorum qui volunt peccatores teneri ad actum contritionis in quolibet die festivo: *Quoniam* (ait Canus) *ignoro, unde ad hanc*

(1) Tr. 3. d. 1. p. 11. n. 6. 7. (2) De leg. l. 3. c. 17. a n. 7. (3) Loc. cit. n. 90. (4) De iust. l. 2. qu. 1. a. 4. (5) T. 3. c. 6. concl. 2. n. 3. (6) Verb. Lex, n. 8. (7) Eod. verb. qu. 6. (8) Loc. cit. n. 91. (9) L. Leges, c. de leg. (10) Cap. de concess. praeb. in 6. v. Nec obstat. (11) De cens. d. 40. sect. 5. n. 4. (12) Dec. l. 1. c. 10. n. 32. et 33. (13) Tr. 1. d. 3. p. 7. n. 1. (14) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 110. (15) De verit. q. 17. a. 3. (16) In 4. d. 3. q. 4. (17) In c. Cum sunt, de reg. iur. in 6. (18) In c. Ex parte de cens. (19) Notif. 13. (20) Vide supra n. 65. (21) Cap. Erit, dist. 4. (22) Ex c. Cum iure 31. de off. et pot. iud. del. (23) In c. fin. de transact. (24) In c. Sicut quaedam dist. 14. (25) In l. 3. instit. c. 27. (26) 1. Cor. 7. (27) 15. 14. (28) In 4. d. 15. q. 2. a. 4. ad 2. (29) In relect. de poenit p. 4. q. 2. concl. 4. in resp. ad ult.

opinionem dd. illi venerint, libere possum quod non satis explorate praeceptum sit et cognitum, sine ulla dubitatione negare. Ac propterea d. Thom. [1] dixit: *Periculosum est* (determinare aliquid esse peccatum mortale) *ubi veritas ambigua est,* nempe *si in iure divino non invenitur determinata expresse.* Et d. Antoninus [2] ait: Bene excusari ignorantiam, utpote invincibilem, *quantum ad ea quae non sunt expresse contra ius divinum vel naturale.*

Et idem dicendum cum Salm. [3] et aliis, si dubitetur an aliquid comprehendatur sub lege, seu an lex extendatur ad aliquid. Idem in dubio an incoeperit legis obligatio; secus autem in dubio an finierit. Salm. [4] cum Laym. Sanchez Pal.

Quid in dubio an causa quam habes sit sufficiens ad te excusandum a lege? Quidquid dicat Salas, verius est te teneri ad legem; quia tunc possidet lex antecedenter ad tuam libertatem. Salm.[5] cum Sanchez Pal. etc.

Quid in dubio an lex sit promulgata? Legem non obligare tenent Dicast. ap. Croix [6] et Salm. [7]. Excipit tamen Croix, si lex fuerit iam usu recepta.

Quid in dubio an lex usu recepta sit? Adsunt tres sententiae. *Prima sententia* tenet tunc legem non obligare, saltem si sit poenalis, ut Azor. [8] Salas [9] et Dian. Tap. etc. apud Salm. [10] et universaliter de omni lege hoc tenent Nav. Rebell. Felin. Dec. etc. apud Pal. [11] et probabile putant ipse Pal. Sporer [12] ac Tamb.[13]. Ratio, quia tunc, cum dubitetur de receptione legis, dubitatur etiam an lex unquam obligaverit; et ideo possidet libertas. Hanc autem opinionem dicunt esse probabilem, quia probabile putant esse necessariam acceptationem legis ut ipsa obliget, iuxta sententiam referendam *num.* 138. *Secunda sententia* quam tenet Croix [14], dicit legem obligare, si sit ecclesiastica; secus vero si sit civilis. *Tertia* tamen sententia sequenda affirmat legem obligare. Et hanc tenent Pal. [15] Sanch. [16] et Salm. [17]. Ratio 1, quia cum constet de lege, pro ea stat possessio; regula enim generalis est, ut factum praesumatur quod de iure faciendum erat, prout hic praesumitur facta acceptatio. Ratio 2. quia lex, cum iam lata et promulgata fuerit, non indiget acceptatione, uti praefati aa. censent: saltem, ut recte dicunt Croix [18] et Mazzot.[19] lex modo non sit certe abrogata, ante acceptationem iam habet vim obligandi; unde, licet quis non peccet contra legem quia ipsa nondum est recepta, peccat tamen quia eam non acceptat, prout dicemus *dict. n.* 138.

98. Quid in dubio an legislator sit superior legitimus? Negant Vasq. Salas Diana et Arab. ap. Salm. [20] quia cum dubium sit ius praecipiendi, dubia etiam est possessio. Sed affirmandum cum Sanch. [21]. Croix [22] cum Oviedo et Salm. [23] cum Tap. et Martin. semper ac superior est in pacifica possessione suae potestatis, tunc enim melior est eius conditio iam possidentis ius praecipiendi.

Quid in dubio an superior suam potestatem excedat? Tunc non teneri subditum censent Adrian. Rodr. Vasq. Salas ap. Pal.[24] et alii apud Croix[25]. Sed recte contradicunt Nav.[26] Pal.[27] Croix[28] cum Tol. Mol. Az. Sa etc. communiter, cum Sanch. [29] quia possessio stat pro potestate superioris. Limitat tamen Sanch.[30] cum Sot. Lot. Lop. Tap. Salm. etc. si res praecepta sit nociva subdito, vel tertio, aut valde difficilis vel molesta.

99. An autem subditus teneatur obedire in dubio de iustitia legis. Negant Dicast. et alii apud Croix [31] quia tunc non habetur possessio pro iure supe-

(1) Quodlib. 9. a. 15. (2) P. 2. tit. 1. c. 11. (3) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 110. (4) Ibid. n. 120. (5) Ibid. n. 112. (6) L. 1. tr. 2. n. 590. (7) Ibid. n. 110. (8) T. 1. L. 2. c. 19. q. 12. (9) D. un. n. 169. (10) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 113. (11) Tr. 1. disp. 3. p. 7. n. 4. (12) De consc. c. 1. n. 81. (13) De consc. c. 3. §. 7. verb. Leges.

(14) L. 1. n. 591. (15) Loc. cit. n. 3. (16) Dec. l. 1. c. 11. (17) Loc. cit. n. 114. (18) L. 1. n. 591. (19) C. 6. q. 6. (20) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 118. in fin. (21) Dec. l. 7. c. 3. n. 29. (22) L. 1. n. 593. (23) Loc. cit. (24) Ib. p. 13. n. 1. (25) L. 1. n. 594. (26) De rest. c. 3. d. 12. n. 252. (27) Tr. 1. disp. 3. p. 13. n. 2. (28) Ibid. (29) Dec. l. 6. c. 3. n. 4. (30) Ibid. et n. 23. et 24. (31) L. 1. n. 593.

rioris. Sed omnino affirmandum cum Bon.[1] qui citat Vasq. Suar. et Salas; Salm.[2] cum aliis communiter. Ratio, quia revera in dubio superior possidet ius praecipiendi. Excipiunt tamen dd. si lex sit nimis ardua, vel si grave damnum subdito afferat. *Vide dicenda lib. 3. n. 617. quaer. 5.*

Quid in dubio an lex praecipiat vel suadeat? aut an obliget sub gravi vel levi? Resp. tunc legem aut non obligare, aut non obligare sub gravi, ex regula iuris[3]: *Semper in dubiis benigniora sunt praeferenda.* Ita Croix[4] cum Nav. Sanch. etc. contra Laym. Contra, in dubio an lex sit abrogata aut dispensata; vel adsit causa excusans a lege, ad eam tenemur ex communi. Vide Spor.[5] Salm.[6] Tamb.[7] Croix[8]. Quid in dubio an advenerit vel praeterierit tempus obligationis legis. Resp. in dubio inceptionis, v. gr. an expleveris annos 21. non teneris ad ieiunium, quia tunc possessio est pro libertate. Secus in dubio praeteritionis, v. gr. an in sabbato transacta sit hora mediae noctis, nequis edere carnes, tunc enim possidet lex. Sic etiam si dubitas an habeas annos 16. ad professionem, vel an. 25. ad sacerdotium, nequis profiteri aut ordinari. Ita communiter Laym.[9] Sanch.[10] Pal.[11] et Sal.[12] cum Tap. Diana et Villalob.

Quid in dubio an legem impleveris? In dubio negativo teneris implere; secus, in positivo. Carden. et Ils. cum Croix[13].

Circa materiam legis humanae nota sequentes quaestiones.

100. Quaeritur 1. An lex humana possit directe praecipere actus internos. Probabilius negant Salm.[14] cum s. Thom. Cai. Suar. Bon. etc. contra alios, quia legislator humanus nequit iudicare de internis.

Quaeritur 2. An possit lex humana praecipere actus indirecte internos ob connexionem cum actibus externis. Distinguitur: potest, si actus interior per se cum exteriore coniungitur. Et duplici modo potest coniungi, vel tanquam forma constituens actum externum in esse morali actus virtutis; sic requiritur consensus internus ad matrimonium contrahendum, ad contractum ineundum etc. vel tanquam causa cum effectu: et sic qui prohibet homicidium prohibet etiam voluntatem occidendi. Ideo ex iure can. obligatur clericus ad resignationem beneficii, si receperit illud animo non se ordinandi intra annum[15]. Ita Salm.[16] cum Tapia Cai. Pal. etc.

Si vero actus interior per accidens coniungatur cum exteriore, tunc non potest praecipi a lege humana, puta, si praecipiatur dari eleemosynam ex vera devotione etc. Ita Salm.[17] cum Suar. Pal. Tapia etc. contra Cai. et Sot.

Quaeritur 3. An actus exteriores occulti possint a lege humana prohiberi. Resp. affirmative; et sic prohibetur sub excommunicatione haeresis externata licet occulta; sic sub irregularitate homicidium occultum. Actus enim occulti, licet non cadant sub iudicio, cadunt tamen sub lege, ut docet s. Thomas[18].

Utrum autem in dubio an res sit licita, teneatur subditus obedire. Negant Sylvest. Ang. Hostiens. etc. apud Sanch.[19] qui dicunt tunc eum nec teneri nec posse obedire nisi prius inquirat a peritis, quod res saltem non sit certe illicita. Sed verius affirmat Sanch[20] cum Nav. Val. etc. ex d. Thoma[21] qui docet non pertinere ad subditos, sed tantum ad superiores inquirere de honestate rei praeceptae; ideoque bene potest et tenetur subditus obedire, semper ac ei non constet rem esse malam. Vide Croix[22]. Caeterum, praecisa quaestione, an subditus de honestate rei praeceptae teneatur vel non,

(1) De leg. d. 1. q. 1. p. 7. §. 3. n. 11. (2) Tr. 11. de leg. c. 1. n. 15. (3) 59. ff. de regulis iur. (4) N. 596. (5) Ibid. n. 82. (6) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 112. (7) N. 2. ll. cc. (8) N. 597. et 598. (9) L. 1. tr. 1. c. 5. §. 4. (10) De matr. l. 2. d. 41. n. 4. et dec. l. 1. c. 10. n. 58.

(11) Tr. 1. d. 3. p. 8. a n. 6. (12) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 120. (13) L. 1. n. 600. (14) Tr. 11. de leg. c. 1. n. 66. (15) C. Commissa, §. Caeterum, de elect. in 6. (16) Tr. 11. de leg. c. 1. n. 69. (17) Ibid. n. 70. (18) Vide ibid. n. 71. et 72. (19) Dec. l. 6. c. 3. n. 19. (20) Loc. cit. (21) De verit. q. 17. a. 5. ad 4. (22) L. 1. n. 439.

prius inquirere ab aliis rei veritatem, communis est sententia omnium theologorum tam recentium, quam antiquorum, qui docent in obscuris esse obediendum superioribus, ubi non est certum peccatum; ita s. Bonav.[1] Gerson[2] Nyder[3] qui citat Raym. Henr. Gand. Halensem[4]; et sic docuerunt omnes qui de hac re egerunt. Ita etiam omnes mysticae theologiae magistri cum s. Ignatio Loyola[5] ubi: *Est igitur haec ratio subiiciendi proprii iudicii non solum sanctis viris usitata, sed etiam perfectae obedientiae studiosis imitanda, omnibus in rebus quae cum peccato manifesto coniunctae non sunt.* Audiatur praecipue d. Bernardus[6]: *Quidquid vice Dei praecipit homo quod non sit certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si praecipiat Deus.* Deinde sibi obiicit: *Sed homines facile falli possunt.* Et respondet: *Sed enim quid hoc refert tua, qui conscius non es? praesertim cum teneas de scripturis, quia labia sacerdotis custodiunt scientiam etc. Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quae non sunt aperte contra Deum, audire debemus.* Item Leo x. (ut refert Casarubius[7]) concessit fratribus minoribus, ut possint in omnibus dubiis secura conscientia stare determinationi suorum superiorum. Item s. Bern. Sen.[8] ait: *Ubi subditus rationabiliter dubitat an quod praecipitur sit peccatum, an non, tunc profecto obedire debet.* Item b. Humbertus[9]: *Nisi aperte sit malum quod praecipitur, accipiendum est ac si a Deo praeciperetur.* Item Dionys. Cartusianus[10]: *In dubiis an sit contra praeceptum Dei, standum est praecepto praelati, quia, etsi sit contra Deum, attamen propter obedientiae bonum non peccat subditus.* Item Glossa[11]: *Si vero dubium sit praeceptum, propter bonum obedientiae excusatur a peccato, licet in veritate sit malum.* Idem docuit prius d. Aug. loquens de obedientia debita superioribus temporalibus[12]: *Ergo vir iustus, si forte sub rege homine, etiam sacrilego, militet, recte potest illo iubente bellare, si quod sibi iubetur vel non esse contra Dei praeceptum certum est; vel utrum sit certum non est; ita ut fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.*

Quaeres etiam hic, an tenearis parere legi fundatae in falsa praesumptione. Universe negat Rebel. ap. Croix[13]. Sed Mol. et alii[14] ac Mazzot.[15] melius affirmant teneri ad legem, puta reficiendi damnum ex tuo animali causatum etiam sine tua culpa: quia finis legis est, non solum punire culpam, sed etiam reddere homines cautiores. Hoc tamen non ante sententiam iudicis. Si vero tuum animal non intulit damnum, sed iuridice probetur intulisse, tunc non teneris solvere etiam post sententiam, praeciso scandalo; et poteris compensare, si solvisti; quia tunc lex esset certe iniusta, falsum praesumendo, et in foro interno praesumptio debet cedere veritati[16]. Ita communiter Suar.[17] Pal.[18] Sot.[19] Pontius[20] Bon.[21] et Salm.[22] cum aliis. Nec obstat dicere, quod Tridentinum irritans matrimonia clandestina nititur praesumptioni de fraudibus in illis occurrentibus, et tamen nemo dixit valere tale matrimonium, ubi nulla revera intervenit fraus: item irritantur testamenta solemnitatibus carentia, ut fraudes vitentur; et nihilominus, licet fraus aliquando cesset, nec testamentum subsistit; sed in his et similibus casibus distinguenda est praesumptio iuris, qua lex quaerit avertere pericula quae facile evenire solent, et tunc lex locum habet etiam in casibus qui fraude carent, a praesumptione facti, quod, si deest, lex merito cessat.

(1) In 2. d. 39. a. 1. q. 3. (2) De poll. noct. cons. 3. (3) In consol. p. 3. c. 17. (4) P. 2. q. 121. (5) Ep. de virt. obed. n. 18. (6) De praec. et disp. c. 12. (7) V. Declarare, n. 4. et 5. (8) Dialog. de obed. (9) L. de erud. rel. c. 1. (10) In 2. d. 39. q. 3. (11) In c. Ad aures. De temp. ord. lit. f. in fine.

(12) C. Quid culpatur 4. caus. 23. q. 1. (13) L. 3. p. 2. de rest. n. 174. (14) Ibid. (15) De leg. c. 5. n. 7. (16) Ex cap. Veritatem dist. 8. (17) L. 3. c. 23. et l. 5. c. 24. (18) Tr. 3. d. 1. p. 14. n. 12. (19) De iust. l. 1. q. 6. a. 4 (20) De matr. l. 5. c. 5. n. 6. (21) D. 2. q. 1. p. 7. §. 3. n. 2. et 6. (22) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 78

Dubium II. Quotuplex est praeceptum.

101. *Praeceptum dividitur 1. in affirmativum et negativum.*
102. *Dividitur 2. in naturale et positivum.*
103. *Praeceptum autem positivum dividitur in praeceptum divinum et humanum.*
104. *Quinam possint ferre leges. An reges et respubl. An papa. An concilia. An episcopi, synodus et capitula. An abbatissa.*
105. *Quid comprehendat lex canonica et civilis.*
106. *An declarationes S. C. et decreta Rotae habeant vim legis. An leges civiles obligent in conscientia.*
107. *De consuetudine; et quae conditiones requirantur ad statuendam consuetudinem.*
108. *De effectu consuetudinis. Et quid si a lege reprobetur.*
109. *Quid si consuetudo a lege revocetur.*
110. *Dissertatio de potestate pontificis*, usque ad n. 135.

101. « Respondeo: praeceptum dividitur I. universaliter in affirmativum et negativum. Illud est quod bonum praecipit, hoc quod malum prohibet. Differunt inter se, quod affirmativum obligat quidem semper, sed non ad semper, seu non pro omni tempore; v. g. Honorandi sunt parentes, non semper, sed suo tempore. Negativum obligat et semper, et ad semper. Vide Bec. [1]. »

102. « 2. In naturale et positivum. Praeceptum naturale, seu iuris naturae, est dictamen seu iudicium nostrae rationis, quo per lumen nobis ab auctore naturae impressum statuimus, quid agendum et quid vitandum sit; quale est illud: Bonum est faciendum, malum fugiendum. Ex quo praecepto generali particularia, v. g. Deum esse colendum, nemini faciendam esse iniuriam, imo omnia praecepta decalogi (excepta circumstantia sabbati) multaque alia derivantur. Praeceptum positivum seu iuris positivi est quod libera Dei vel hominum voluntate positum est, et ex eadem dependet; v. g. Praeceptum de baptismo, ieiunio quadragesimali, etc. »

« Porro, quomodo praecepta positiva mutari ac variari possint ac soleant, naturalia vero semper maneant, vide apud scholasticos, et Less. [2]. »

103. « Resp. 2. Praeceptum positivum dividitur in praeceptum iuris divini, quod scilicet a Deo traditum est, et in iuris humani, quod ab homine. Positivum divinum dividitur in praecepta veteris et novae legis. Lex vetus continebat praecepta moralia, caeremonialia, et iudicialia, de quibus vide s. Thom. [3]. Lex nova continet praecepta supernaturalia fidei et sacramentorum. Positivum humanum dividitur in praeceptum iuris ecclesiastici sive canonici, quod auctoritate ecclesiae, scilicet summi pontificis aut concilii, statutum est; et iuris civilis seu politici, quod fundatur in potestate saeculari. »

104. Certum est dari in hominibus potestatem ferendi leges; sed potestas haec quoad leges civiles a natura nemini competit, nisi communitati hominum, et ab hac transfertur in unum vel in plures, a quibus communitas regatur. Hinc summus pontifex nequit leges civiles ferre, nisi in populos qui eius temporali ditioni subduntur. Poterit tamen abrogare vel corrigere leges civiles aliorum principum, si opponantur aequitati. Ideo in c. *Cum haberet. De eo qui duxit in matr.* abrogatur lex prohibens alimenta dari filiis illegitimis.

Reges autem et principes supremi qui superiorem non agnoscunt, leges civiles ferre possunt in suis ditionibus, et ad eas in conscientia obligare. *Vide dicenda hoc lib. n.* 140. Circa autem reginas regni haeredes, dubitatur inter dd. Nam si coniugatae non sint, certum est posse ferre leges; si vero sint coniugatae, etiam, constante matrimonio, ad ipsas pertinere potestatem gubernandi et inde ferendi leges, probabilius putant Salm.[4] cum Suar. Pal. etc. contra aliquos.

Eamdem potestatem habent respublicae. Aliae vero civitates non exemptae nequeunt ferre leges, nisi ex consuetudine aut concessione principis. Possunt tamen aliqua statuta condere, quibus vi contractus obligentur cives; vel alia praecepta statuere temporalia (non perpetua), revocabilia tamen a principe, quibus subditi teneantur. Vide Salm. [5].

(1) In 1. 2. t. 3. c. 1. q. 3.

(2) L. 2. de iure et iust. c. 2. d. 2. (3) 1. 2. q. 99.
(4) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 10. (5) Ibid. n. 12.

Quoad leges autem ecclesiasticas, certum est adesse in ecclesia potestatem eas ferendi immediate a Christo Domino ecclesiae institutore communicatam. Et hanc potestatem certo tenendum est reperiri apud summum pontificem tanquam caput universale, Christi vicarium et successorem s. Petri, cui totum ecclesiae regimen a Christo fuit commissum independenter a conciliis ut Salm.[1] cum Bellar. Cai. Laym. Pal. etc.

Concilia generalia etiam possunt ferre leges pro tota ecclesia, modo sint congregata de licentia summi pontificis, et pro loco ac tempore ab ipso assignatis. An autem leges seu definitiones ab oecumenicis conciliis editae robur habeant ante pontificis confirmationem: affirmant aliqui, si consensus accesserit pontificiorum legatorum. Sed omnino dicendum necessario requiri expressam papae confirmationem, quando ipse non est concilio personaliter praesens; legatis enim nulla tribuitur facultas confirmandi synodorum statuta, quae caeterum nullam maiorem auctoritatem habent, quam illam quae ipsis a pontifice conceditur ut docet s. Th.[2] et cum eo communiter nostri dd. ut card. Turrecrem. Suarez Laym. Pal. Tapia etc. cum Salm.[3] contra recentiores gallos. Et confirmatur exemplo tot conciliorum generalium, quae post confectas definitiones necessarium duxerunt confirmationem pontificis petere et obtinere; ut factum fuit in concilio Nicaeno, et ultimo in concilio Tridentino[4]. Hinc merito ab Alex. VIII. proscripta fuit propos. 29. quae dicebat: *Futilis et toties convulsa est assertio de pontificis romani supra concilium oecumenicum auctoritate, atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.*

Hanc falsissimam propositionem plene et ex principiis confutari valde prodest ad firmanda tam fidei, quam morum dogmata: omnes enim propositiones a pontificibus damnatae, licet non omnes sint haereticae, sed aliae temerariae, aliae erroneae, aliae scandalosae, etc. tamen accedente pontificis definitione, tenendum est de fide, quod illae propositiones vere sint temerariae, vel alia inficiantur nota, quam ipsas pati pontifex declaravit, et ideo esset quidem haereticus qui easdem tanquam veras et licitas sequeretur aut propugnaret; ut bene ait Viva[5]: Qua de re operae pretium censuimus peculiarem super praedictam propositionem dissertationem conficere quam reperies in fine huius dubii *n.* 110.

Verum est quod caeteris apostolis etiam fuit collata potestas universalis ecclesiam gubernandi; diverso tamen modo, ac fuit commissa s. Petro, qui poterat eos obligare, et ipsorum leges abrogare, ut Salm.[6] cum Bell. Suar. Cai. Sot. etc.

Hinc episcopi, qui successores sunt apostolorum, bene ferre possunt leges pro suis dioecesibus sine consensu capituli[7], exceptis rebus quae cedere possunt in praeiudicium capituli vel cleri[8]. A quonam vero hanc potestatem legislativam episcopi recipiunt? Alii dicunt recipere immediate a Christo Domino: quia ab ipso est dignitas et officium episcopale institutum, ut Vasq. Victor. etc. apud Salm.[9]. Alii dicunt recipere a pontifice, ut s. Thom. s. Antonin. Sot. Pal. etc. apud Salm.[10]. Et sic definitum videtur a Gregorio[11]: *Romana ecclesia vices suas ita aliis impertivit ecclesiis, ut in partem sint vocatae sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Caeterum haec quaestio est tantum de nomine; nam ex una parte certum est quod episcopi, licet immediate recipiant hanc potestatem a Christo, semper tamen suscipiunt cum subordinatione ad papam: et ex alia, licet episcopi recipiant a pontifice, possunt tamen leges ferre absque eius licentia, modo non opponantur legibus pontificis, et modo potestas circa aliqua non

(1) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 14. (2) De pot. etc. q. 19. a. 4. ad 13. (3) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 24. (4) V. sess. 25. in fin. (5) Q. prod. ad prop. damn. n. 1.

(6) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 15. et 16. (7) C. de maiorit. et c. 2. de const. in 6. (8) Cap. Quanto, de his quae fiunt a prael. (9) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 20. (10) Ib. n. 21. (11) C. Decr., caus. 2. q. 6. c. 11.

sit pontifici reservata. Vide Salm. [1]. Archiepiscopi autem non possunt ferre leges in dioecesibus suffraganeis, nisi ex consuetudine id habeant; vide Salm. [1].

Concilia provincialia sive nationalia alicuius nationis, sive provincialia alicuius metropolis, nempe episcoporum cum suo archiepiscopo, sive synodalia, in quo episcopus cum suis parochis etc. conveniunt, ferre etiam possunt leges perpetuas pro suo territorio; vide Salm. [3].

Capitula autem nequeunt condere leges sine consensu episcopi (nisi tantum circa suos capitulares, ut probabile putant Pal. Suar. etc.). Ita Salm. [4] cum Sylvest. Tapia etc. An vero mortuo episcopo, possit capitulum ferre legem pro tota dioecesi, usquedum revocetur ab episcopo successore. Recte affirmant Salm. [5] cum Laym. Bon. Pal. Suar. etc. quia, sede vacante, capitulum succedit loco episcopi.

Abbatissae possunt etiam ferre praecepta pro recta gubernatione domus, et adhuc sub culpa gravi obligare ut dicunt Sanch.[6] et Mazzot. [7]. Vid. *lib.* 4. *n.* 52.

105. Communiter autem lex humana dicitur alia *canonica* sive *ecclesiastica*, alia *civilis*. Lex *civilis* dividitur in leges imperiales quae dicuntur ius commune divisum in digestos, codicem, et instituta; et in leges regias particulares regnorum quae dicuntur ius municipale.

Lex autem *canonica* comprehenditur in quinque voluminibus, quorum I. est *decretum* Gratiani (quod verius vim legis non habere praeter illam, quam ex se habent decreta in ea contenta, dicunt Salm.[8] cum Cai. Sot. Suar. etc. contra aliquos). II. *Decretales* (Decretum citatur per causas, quaestiones, distinctiones, et canones; *decretales* per capitula, et titulos). III. *Sextus decretalium;* qui etiam citatur per capitula, sed addito in *sexto*. IV. *Clementina* et *extravagantes*. V. *Bullarium*. Hi libri constant sancitis pontificum, et conciliorum statutis, et sine dubio vim legis habent.

106. Quaeritur hic 1. an decretalia, sive epistolae, responsa, aut declarationes pontificiae non insertae in corpore iuris vim obligandi habeant. Respondetur affirmative ex *c. Si Romanorum* 1. *dist.* 19. ubi papa Nicolaus v. id expresse declarat. Advertit tamen p. Suarez eas non obligare nisi post promulgationem: quamvis enim citatus auctor [9] dicat: *Ordinariae epistolae sive responsa pontificia sunt potius non constitutiva, sed declarativa, et habent vim legis obligantis ad illam interpretationem tenendam vel ad servandum antiquum ius secundum illam interpretationem*: Attamen [10] haec addit: *Ut authentica sit interpretatio, oportet ut habeat legis conditiones, ut sit iusta, sufficienter promulgata etc. Unde consequenter fit, ut haec lex interpretativa alterius exposita sit dubiis, ita ut aliae interpretationes necessariae sint.* Idem docet Pal. [11]: *Debet autem haec declaratio publicari ea solemnitate, qua lex; alias non erit authentica, neque legis obligationem habebit, sed solum erit declaratio doctrinalis.* Idem scribit Escobar [12]: *Hinc colligo, epistolas pontificias non habere vim legis, nisi publicentur eo modo quo epistolae assolent publicari.* Idem scribit Bonac. [13]: *Interpretationem legis factam auctoritative non habere vim legis, nisi promulgetur, quia de ratione legis est promulgatio; ita ut, qui interfuerunt publico legis consilio non teneantur ad eam, nisi post promulgationem.* Et citat pro hac sententia Salas et alios: subditque [14]: *Ex quo licet inferre, epistolas pontificias non habere vim legis, nisi publicentur eo modo quo publicari solent leges.* Idque satis etiam confirmatur ex eodem citato *can. Si Romanorum*, ubi refertur et confirma-

(1) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 18. et 19. (2) Ib. n. 22. (3) Ibid. n. 25. (4) Ibid. n. 31. (5) Ibid. n. 33. (6) Dec. l. 6. c. 1. n. 17. (7) Tr. 1. d. 1. qu. 1. c. 2. q. 4. (8) Tr. 11. de leg. c. 1. n. 43. (9) L. 4. de leg. c. 14. n. 3. (10) L. 6. c. 1. n. 3. (11) Tr. 3. de leg. disp. 5. punct. 3. §. 1. n. 2. (12) T. 1. l. 3. de leg. c. 3. n. 21. (13) T. 2. de leg. disp. 1 q. 1. punct. 4. n. 1. (14) N. 12.

tur decretum s. Leonis papae, quo sic ille declaravit et decrevit: *Ne quid vero sit, ut quid a nobis praetermissum forte credatur, omnia decretalia constituta tam beatae recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quae de ecclesiasticis ordinibus, e canonum* (nota) *promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri mandamus.* Sed hic sapienter advertit Ronc.[1] quod non solum constitutiones pontificiae, quae solemniter sunt promulgatae, obligationem legis inducunt, sed etiam omnes aliae, quae ex usu et consensu ecclesiae universalis iam a pluribus saeculis habentur pro sufficienter promulgatis et authenticis.

Quaeritur 2. an declarationes sacrae congregationis cardinalium vim legis habeant. Nulli dubium, quod pro casibus particularibus, pro quibus fiunt, obligant ut leges, prout est commune apud Salm.[2] et Croix[3]. Dubium est, an obligent pro casibus similibus. Duplex est sententia, utraque probabilis, ut recte dicunt Salm.[4]. *Prima sententia* asserit, quod tales declarationes, si sint munitae sigillo et subscriptione card. praefecti, robur habent obligandi omnes, quia talem potestatem declarandi cardinales habent a pontifice, ut eruitur ex bulla 74. Sixti v. Nec obstat, non esse promulgatas, quia promulgatione indigent leges novae, non iam declarationes de legibus iam promulgatis. Ita Garcia Salas Rodr. apud Salm.[5] Fagnan. Barb. etc. apud Croix[6]. Sed dicunt esse necessarium, quod in ipsa declaratione exprimatur, eam fuisse promulgatam, aut saltem latam mandato summi pontificis, aut saltem pontifice consulto; nam in bulla Sixti v. sic dicitur: *Interpretandi facultatem (nobis autem consultis) impertimur.* Caeterum, sicut dictum est cum Ronc.[7] de declarationibus pontificiis, sic etiam potest dici de declarationibus sacr. congr. concilii, quod illae declarationes, quae ex usu et consensu ecclesiae a pluribus annis sunt sufficienter promulgatae per orbem christianum, ipsae satis obligent omnes ad earum observantiam.

Secunda vero sententia dicit, quod, licet tales declarationes magni sint ponderis, non obligant tamen universe, nisi sint, non solum papa consulto et mandante editae, sed etiam sint eius mandato speciali solemniter promulgatae pro tota ecclesia, ita ut praecipiat pontifex ab omnibus illas observari. Tunc enim tantum ipse loquitur ut ecclesiae caput et doctor; alioquin videtur loqui solum ut praeses illius congregationis, cui non videtur tunc communicare totam suam auctoritatem et infallibilitatem. Ita Sanch.[8]. Bonac.[9]. Pontius[10] Suar.[11] Mazzotta[12] Croix[13] cum Carden. Terril. Loth. et Delbene, Diana[14] cum Vega Valer. Serar. etc. Salmant.[15] cum Vasquez Tapia Lezan. et Villal. Ratio huius sententiae est, quia, ut lex obliget, omnino requiritur solemnis promulgatio legis, iuxta dicta *n.* 95. Hinc huiusmodi declarationes, cum frequenter non promulgentur solemniter, sunt quidem magni ponderis, sed nequeunt habere vim legis, et tantum obligant uti sententiae particulares illorum casuum, pro quorum decisione petuntur, non vero pro similibus. Nec obstat dicere, quod promulgatio requiritur quidem pro legibus, sed non pro declarationibus legum iam promulgatarum. Nam respondent aa. citati, quod tales declarationes, quando fiunt de rebus dubiis, in quibus extare possunt opiniones contrariae circa intelligentiam legis, tunc se habent ut novae leges. Saltem in dubio, an ipsae habeant vel ne vim obligandi ut leges, eas non obligare dicit Laym.[16]: *Pendet quaestio ex mente pontificis potestatem ipsis* (cardinalibus) *tribuentis. Interim praesumendum non est habere vim legis, praesertim cum authentice non promulgentur.* Ci-

(1) De leg. qu. 1. c. 2. q. 7. resp. 11. (2) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 23. (3) L. 1. p. 3. n. 574. (4) Ibid. n. 28. in fin. (5) Ibid. n. 29. (6) N. 574. (7) N. 105. vers. Quaerit. hic 1. in fin. (8) De matr. l. 8. d. 2. n. 10. (9) De leg. d. 1. q. 1. p. 8. n. 4.

(10) De matr. l. 5. c. 13. §. 2. n. 7. (11) De leg. l. 6. c. 1. n. 3. et 6. (12) Tr. 1. d. 2. q. 1. c. 2. q. 3. (13) L. 1. n. 215. 216. et 217. (14) P. 1. tr. 10. r. 29. (15) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 30. (16) L. 1. tr. 4. c. 7. §. 7.

tatque pro hoc Sanchez et Rodriguez[1].

Decisiones autem rotae minorem utique quam declarationes S. C. auctoritatem habent. Croix [2] cum Luca et Fagund. apud Tamb. [3].

An vero regulae cancellariae obligent ubique negat Less. [4] qui ait obligare tantum in curia romana, et huic adhaerent Diana et alii. Sed affirmat Mazzott.[5] cum Az. Gomez etc. quia sic fert praxis. Vide Croix [6].

Quaeritur 3. an leges civiles obligent in conscientia. De hoc puncto, valde scitu necessario, oportet aliqua principaliora hic adnotare. Aliae leges civiles sunt expresse a iure canonico approbatae, aliae expresse correctae, aliae vero neque approbatae, neque reprobatae. Hinc dicendum I. leges approbatae sine dubio in conscientia obligant; ita est lex Iustiniani [7], qua datur triennium ad experiendam coniugum impotentiam: haecque approbata fuit a Caelestino III[8]. Ita pariter Nicolaus I.[9] approbavit leges invalidantes matrimonium inter adoptantem et adoptatum, atque ab hoc descendentes [10], item inter adoptatum et filios adoptantis [11], item inter adoptantem et uxorem adoptati, et contra [12].

Dicendum II. Leges civiles a iure canonico correctae non obligant quidem in conscientia; talis est lex [13] qua invalidantur matrimonia filiorum fam. inita sine consensu parentum: sed hae leges correctae sunt in iure canonico [14] et ultimo in Tridentino [15]. Ita etiam in iure canonico [16] abrogatur lex civilis prohibens alimenta dari filiis spuriis. Sic pariter in iure civili [17] coniugatus cognoscens solutam non tenetur adulterii iudicio, licet damnetur coniugata solutum admittens: sed in iure canonico [18] uterque iudicio subiicitur, quia utrinque fides coniugalis adhibenda est. Item in iure civili [19] vidua nubens intra annum luctus multis subiicitur poenis: sed hoc abrogarunt Urbanus III. et Innoc. III.[20]. Item in iure civ.[21] datur facultas viro occidendi adulterum turpiter cum uxore agentem, et conceditur patri facultas interficiendi filiam in adulterio deprehensam [22]. Sed haec reprobantur in iure canonico [23] et ab Alexandro VII.[24]. Dubitatum autem fuit an fuerit abrogata lex *Uxorem*, *de ritu nupt.* quae invalidabat matrimonium inter vitricum et uxorem privigni: sed S. C. concilii die 28 martii an. 1721.[25] declaravit validum tale matrimonium.

Dicendum III. Leges civiles non reprobatae videntur tacite approbatae a iure canonico; nam ibi [26] sic dicitur: *Sicuti leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adiuvantur.* Et alibi [27]: *Sancta ecclesia legum secularium non respuit famulatum, quae aequitatis et iustitiae vestigia imitantur.* Hinc Fagnanus [28] et Bened. XIV.[29] cum abb. Menoch. et communi, dicunt iudicem ecclesiasticum in quaestionibus, in quibus de iure canonico nihil reperitur decisum, debere se conformare iuri civili. Et Gelasius papa [30] scripsit: *Quantum ad ordines pertinet publicae disciplinae, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites.*

DE CONSUETUDINE

107. *De consuetudine* hic tractandum, de qua nihil habetur apud Busemb.

(1) Hanc secundam sententiam s. Auctor in suis quaestionibus recentius reformatis quaer. 2. sic restringit: « Addendum tamen est, quod huiusmodi declarationes, quae iam in Ecclesia universaliter divulgatae et facto promulgatae fuerint, usu plurium annorum vel relatione auctorum ipsas referentium, hae satis omnes fideles obstringunt. »

(2) L. 1. n. 576. (3) Dec. l. 8. tr. 1. §. 2. n. 16. (4) In Auctar. v. Beneficium. (5) L. c. q. 3. (6) L. 1. n. 575. (7) Novel. §. Per occasionem. (8) C. Laudab., de Frig. et Mal. (9) C. Ita 30. q. 3. (10) L. Quin etiam 55. ff. de ritu nupt. (11) L. Per adoptionem, 17. ff. eod. tit. (12) L. Adoptivus, 14. ff. eod. tit. (13) In prin. inst. de nupt. et in l. Nuptiae 2. ff. de rit. nupt. (14) C. Cum locum, de sponsal. etc. matr. etc. Licet ac c. Tua de spons. duor. (15) Sess. 24. c. 1. de reform. sac. matr. (16) C. Cum haberet, de eo qui duxit in matr. (17) L. 6. §. 1. ff. de adulteriis, et l. 2. c. eod. tit. (18) C. Nemo, 32. q. 4. (19) L. Liberorum 81. ff. de his qui not. in fam. (20) C. 4. et 5. de secund. nupt. (21) L. Marito ff. ad leg. Iul. de adult. et l. Gracchus c. eod. tit. (22) L. Quod ait ff. eod. tit. (23) C. Inter haec, c. 33. q. 2. (24) Prop. damn. 19. (25) Ap. Bened. XIV. in op. de synodo. (26) C. 1. de novi op. nunt. (27) C. Super specula, de privil. (28) In c. Cum esses, de test. n. 18. (29) Loc. c. (30) Ep. 4. ad Anast. imperat.

Dictum est de lege scripta: nunc aliqua sunt addenda de consuetudine quae dicitur lex non scripta.

Ut consuetudo vim legis habeat, tria requiruntur. I. Quod introducatur non a persona particulari, sed a communitate; saltem a maiori parte communitatis, quae capax sit ferendi leges, licet actu leges ferre nequeat; nam consuetudo tunc habet vim legis ex tacito principis consensu. Salm.[1] cum s. Thom. Notandum hic quod mulieres nequeunt introducere consuetudinem contra leges proprias virorum, nec vice versa; uti neque ecclesiastici contra leges laicorum, vel e contra, nisi materia sit communis. Salm.[2]. Hinc etiam circa res spirituales clerici non obligantur ad consuetudinem factam a laicis. Salm.[3] cum Sanch. Pal. etc. Mercatores tamen, quia distinctam faciunt communitatem, possunt introducere consuetudinem obligantem omnes. Salm.[4] cum Pal. Suar. Bon. Tap.

II. Requiritur ut consuetudo sit rationabilis: quare nulla valet consuetudo contra legem naturalem aut divinam, sed tantum contra humanam. Addendum tamen non requiri bonam fidem; nam etiam peccando potest fieri consuetudo. Salm.[5] cum Suar. Pal. etc. Consuetudo enim triplicem statum habet. In initio, introducentes consuetudinem contra legem, omnes peccant. In progressu non peccant illa iam a maioribus introducta utentes, sed possunt a principe puniri. In fine autem nec peccant, nec puniri possunt illa iam praescripta utentes. Ita Salmant.[6] cum Pal. Cai. Sot. Laym. etc.

III. Requiritur tempus diuturnum continuatum cum repetitis actibus. Quodnam autem tempus sufficiet? *Prima sententia* dicit relinqui arbitrio prudentum, iuxta repetitionem actuum, et negotiorum qualitatem, Vasq. Tap. Vill. etc. apud Salm. [7]. *Secunda sententia* dicit sufficere et requiri decennium; hoc enim est longum tempus requisitum a iure ad consuetudinem introducendam; nisi aliud sit alicubi sancitum[8]. Ita Salm. [9] cum Laym. Suar. Pal. etc. licet doceant primam esse valde probabilem.

An vero hoc decennium sufficiat contra leges canonicas. Affirmant Less. Sa Azor. Pal. Nav. etc. Negant tamen Salm. [10] cum Laym. Bonac. Suarez Regin. etc.[11]. Sed vide *n.* 139. Notant autem Salm. cum Granad. Salas etc. [12] sufficere dictum eximii doctoris, etiam moderni, asserentis legem abrogatam esse, ut a lege deobligemur.

Dicitur autem requiri *tempus continuatum;* nam si interrumpatur etiam per unicum actum a maiore parte communitatis, vel si interim princeps puniat consuetudinem introducentes, consuetudo non praescribitur. Ita Salm. [13] cum Laym. Suar. Bon. Pal. etc.

Dicitur autem *repetitis actibus*; ad consuetudinem enim requiritur: 1. ut actus sint repetiti per plures vices iuxta prudentum arbitrium, ut Salm. [14] cum Pal. Bon. Suar. etc. contra Less. Reg. Sa Dianam etc.[15] qui dicunt duos vel tres actus sufficere. 2. Ut actus sint liberi, non autem per vim aut metum aut ignorantiam positi; puta si populus censeat existere legem quae revera non est. Salm. [16] cum s. Thom. Dian. Tap. etc. 3. Requiritur ut actus sint notorii, saltem notorietate facti, ut Salm.[17] cum Pal. Suar. Bonac. Dian. Basil. etc. contra aliquos qui requirunt notorietatem etiam iuris, ut sententia iudicis consuetudo probetur.

IV. Requiritur ad consuetudinem perficiendam intentio se obligandi, vel consuetudinem introducendi. Quare nulla fit consuetudo, si populus aut maior eius pars agit ex devotione, gratitudine et simili; aut si laeserit legem animo tantum non satisfaciendi ex levitate. Salm.[18] cum Pal. Laym. Bonac. etc. Hic autem animus cognoscitur ex

(1) Tr. 11. de leg. c. 6. n. 6. (2) Ibid. n. 8. et 37. (3) Ibid. n. 38. (4) Ibid. n. 8. (5) Ibid. n. 11. (6) Ibid. n. 13. (7) Ibid. n. 15. (8) Ex l. ult. c. de praescriptione. (9) Tr. 11. de leg. c. 6. n. 16.

(10) Ibid. n. 17. (11) Ex c. De quarta et ex c. Ad Aures. de praescr. (12) Tr. 11. de leg. c. 6. n. 18. (13) Ibid. n. 19. (14) Ibid. n. 22. (15) Ibid. n. 21. (16) Ibid. n. 24. et 25. (17) Ibid. n. 26. et 27. (18) Ibid. n. 28.

circumstantiis, nempe si consuetudo constanter observetur, et cum non levi incommodo: si transgressores puniantur: si ita sentiant communiter homines pii. Croix[1] et Salm.[2]. In dubio autem, an consuetudo sit ex devotione vel obligatione sub gravi vel levi, an obliget ad culpam vel poenam tantum; benignior pars tenenda est; nam nulla lex obligat, nisi de ea constet. Ita Salm.[3] cum Pal. Suar. Bon. Dian. etc. Et ita Croix[4], qui notat tamen cum Carden., quod universales consuetudines Ecclesiae de se obligant. Hoc intelligendum vero de consuetudinibus proprie ut talibus obligantibus sumptis, ut de consuetudine ieiunandi in vigilia Pentecostes, et de alia aliqua simili, si adest. Nam aliter dicunt plures aa. de consuetudine abstinendi a lacticiniis in vigiliis extra quadragesimam: de qua vide *l.* 3, *n.* 1005 *et seq.* Et aliter dicunt aliqui etiam de consuetudine monialium recitandi officium in privato. Sed de hoc vide *l.* 4. *n.* 142. quid alii communius et probabilius dicant.

V. Requiritur consensus principis[5]. Requiritur enim ut habeatur consensus saltem tacitus generalis principis, scilicet approbandi quamcumque legitimam consuetudinem quando illam specialem consuetudinem princeps ignorat. Ita Salm.[6] cum s. Thom. Pal. Suar. Sanch. Laym. Bonac. Tapia etc. Quando vero princeps resistit, tunc nulla fit consuetudo. Salm.[7]. Hinc discurrit[8] cum Laym. Bon. Suar. Barbos. etc. contra alios, nullam dari consuetudinem contra immunitatem ecclesiasticam.

Quod ad effectus autem consuetudinis pertinet, notandum quod consuetudo potest non solum tollere legem, sed etiam poenam illius, remanente culpa, vel contra. Vide Salm.[9]. Potest etiam consuetudo validare contractum irritatum per legem. Salm.[10]. Potest etiam introducere nova impedimenta irritantia matrimonium, Salm.[11].

108. Sed quid si a lege prohibeatur contraria consuetudo? Distingue: si apponatur clausula, *non obstante quacumque consuetudine*, intelligitur reprobari consuetudo opposita praeterita, non vero futura. Salm.[12] cum Suar. Tapia, Vill. Si autem clausula reprobat quamcumque consuetudinem futuram, adhuc Salm.[13] cum Suar. Basil. Bon. etc. dicunt probabilius esse posse consuetudinem talem legem abrogare.

Quid si reprobetur omnis consuetudo futura, ut irrationabilis? Respondetur, quod si reprobetur tamquam contraria legi naturali seu divinae, nulla tunc consuetudo valere potest. Si vero reprobetur ut irrationabilis pro tempore quo fit lex, tunc ex nova causa rationabilis reddi potest et valere. Salm.[14] cum Suar. Tap. Dian.

109. Potest denique consuetudo legem dubiam interpretari; et haec interpretatio vel potest esse authentica, ita ut illa interpretatio sit nova lex: vel potest esse probabilis, cum consuetudo praecedat, vel legem subsequatur; lex enim non intelligitur derogare consuetudini antecedenti, nec consuetudo legi, nisi expresse opponantur. Et ad hanc consuetudinem probabiliter interpretantem minus tempus requiritur, quam ad consuetudinem legi adversantem praescribendam. Communiter autem asserunt dd. leges interpretandas esse iuxta loci consuetudinem, etsi verba legis minus proprie accipienda sint. Salm.[15].

Potest autem consuetudo per contrariam legem a superiore revocari.

Sed quaeritur 1. an per legem generalem derogetur consuetudini speciali alicuius loci. Respondetur negative, nisi in lege mentio fiat illius consuetudinis, vel in ea revocetur quaecumque consuetudo. Et probatur ex iure canonico[16] ubi sic habetur: *Non enim*

(1) L. 1. n. 571. (2) Tr. 11 de leg. c. 6. n. 30. (3) Ibid. (4) L. 1, n. 592. (5) Ex l. de quibus ff. de leg. (6) Tr. 11. de leg. c. 6. n. 31. (7) Ibid. (8) Ibid. n. 52. (9) Ibid. n. 35. (10) Tr. 9 de matr. c. 11. n. 52. (11) Ibid. n. 22. (12) Tr. 11. de leg. c. 6. n. 42. (13) Ibid. n. 43. et tr. 9, de matr. c. 11, n. 53. (14) Tr. 11. de leg. c. 6. n. 44. (15) Ibid. n. 45. (16) De consuet. in 6

censetur abrogata consuetudo speciali lege, quia praesumitur princeps ignarus talis consuetudinis. Vide Salm.[1]. Si vero princeps notificatus de consuetudine nolit legem revocare, tunc censetur revocata consuetudo. Salm.[2] cum Pal. Suar. Bon. etc. Episcopi tamen per eorum leges abrogant quamcumque consuetudinem particularem, quia praesumuntur ipsi plenam notitiam habere consuetudinum dioecesum suarum. Salm.[3]. Nota autem, quod praedicta doctrina procedit de consuetudine iam praescripta, non autem de incoepta. Salm.[4] cum Masc. Gloss. etc. contra Suar.

Quaeritur 2. an posita clausula revocatoria cuiusque consuetudinis, intelligatur revocata etiam consuetudo immemorabilis. Nega, nisi exprimatur; quia, quando superior vult etiam illam revocare, id exprimit. Salm.[5] cum Abb. Suar. Bon. Pal. et Garcia, qui affert plures declarationes S C.

Potest autem aliqua consuetudo abrogari per aliam contrariam, quae repetitis actibus modo, ut supra, praescribatur. Vide Salm.[6].

DISSERTATIO

Super proposit. 29. damnatam ab Alexand. VIII. quae dicebat: *Futilis et toties convulsa est assertio de pontificis romani supra concilium oecumenicum auctoritate atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.*

110. Haec celeberrima quaestio, et hoc tempore tam fortiter agitata, sicut ad eam pertractandam integro libello (qui tamen lucem non vidit) aliquando me duxit; ita nunc me urget, ut in ea aliquantulum immorer. Hinc parcat mihi lector, si a meo instituto nimis recedere videar. Duo hic valde magni ponderis enucleanda occurrunt; primum, an auctoritas summi pontificis extra concilium in rebus fidei et morum decernendis sit infallibilis: alterum, an auctoritas papae sit supra oecumenicum concilium.

§. 1. *De infallibilitate papae.*

Circa hanc pontificis infallibilitatem plures adsunt opiniones. *Prima* est Lutheri et Calvini, qui haeretice docent papam loquentem etiam ut doctorem universalem, etiamque una cum concilio, esse fallibilem. *Secunda* sententia omnino opposita est Alberti Pighii sentientis papam non posse errare etiam private loquendo. *Tertia* est nonnullorum dicentium papam esse fallibilem extra concilium docentem.

Circa quod pro rei maiori elucidatione praesciendum hanc sententiam amplexatum fuisse clerum gallicanum an. 1682. cum illas quatuor celebres propositiones emanavit; quarum, omissis aliis ad praesentem materiam non pertinentibus, secunda asserit: *Sic inesse apostolicae sedi rerum spiritualium potestatem, ut simul valeant synodi constantiensis decreta de auctoritate conciliorum; nec probari ab ecclesia gallicana, qui eorum decretorum ad solum schismatis tempus conciliarie dicta detorqueant.* Quarta autem. *In fidei quoque quaestionibus praecipuas summi pontificis esse partes, eiusque decreta ad omnes ecclesias pertinere; nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi ecclesiae consensus accesserit.* Et in eodem gallicanae facultatis decreto demandatum fuit, ut nullus lauream doctoratus reciperet, nisi has propositiones publice prius propugnasset, et exinde ad eas sustinendas iuramento se adstringeret. Postmodum Alexander VIII. an. 1690.[7] praefatum facultatis parisiensis decretum irritum declaravit, nullamque de eo rationem habendam esse praecepit. Sed Ludovicus Maimburgus (cui postea se adiunxit alter Ludovicus Dupinus), dimisso habitu societatis Iesu, imo ab illa merito expulsus, ad eas tuendas se obtulit, sicut audacter fecit, donec inopinata morte dignam suae audaciae a Deo mercedem recepit. Verumtamen circa annum 1693. iidem episcopi qui ad eas quatuor propositiones emanandas conspiravere in consessu habito anno 1682.; postea per epistolam ad Innocentium XII. missam ab omnibus illis se retractarunt. Idemque christianissimus rex Ludovicus XIV. edictum

(1) Tr. 11. de leg. c. 6. n. 52. (2) Ibid. n. 53. (3) Ibid. (4) Ibid. n. 54. (5) Ibid. n. 55. (6) Ibid. n. 56. et 57. (7) Bulla Inter multiplices.

publice prius editum pro observatione antecedentis parisiensis decreti, alio publico edicto revocans, aliam retractationis epistolam ad pontificem transmisit. Vide de hoc Graveson. [1] Roncaglia [2] et Milante [3]. Hactenus de tertia sententia; quarta vero communis sententia, cui nos subscribimus, est, quod licet romanus pontifex quatenus particularis persona, sive privatus doctor possit errare (sicut etiam est fallibilis in quaestionibus meri facti, quae ex hominum testimoniis praecipue pendent); cum tamen papa loquitur tanquam doctor universalis definiens ex cathedra, nempe ex potestate suprema tradita Petro docendi ecclesiam, tunc dicimus ipsum in controversiis fidei et morum decernendis omnino infallibilem esse. Hanc sententiam tuentur d. Thom. [4] Turrecrem. Sotus Caiet. Alexandr. de Ales, s. Bonavent., August. Triumph., Nic. de Lyra, s. Franc. Sal. Spondan. Thomass. Ludovic. Bail. Duvallius, aliique innumeri citati a Milante episcopo Stabiensi [5] Alex. VIII. et communiter reliqui theologi omnes, ut testantur card. Gotti [6] Milante [7] et Troila [8]. Adsunt aliqui inter hos, qui dicunt papam esse quidem infallibilem, sed tum tantum cum in quaestionibus definiendis mature procedit, sapientum iudicium audiendo: sed rectius alii dicunt hanc conditionem solum de congruentia esse, non autem de necessitate: infallibilitatis enim promissionem necesse est, ut omnes qui pontificiam infallibilitatem tuentur, non consiliariis, nec examini, sed soli pontifici factam fuisse fateantur: alias haeretici semper obiicere possent sufficiens examen non extitisse, sicut de facto sectarii in Tridentinum opposuere. Ad providentiam autem Spiritus sancti pertinebit (ut recte ait Suar. [9]), quod pontifex non temere nec imprudenter unquam in tantis rebus agat et decernat.

111. Nostra conclusio probatur I. ex scripturis, et praecipue ex illa [10]: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Natalis Alexander pro *petra* explicat ecclesiam; sed inepta interpretatio, quae ineptum redderet sensum, nimirum (ut ipse intelligit, *super hanc ecclesiam aedificabo ecclesiam meam.* Attamen ex ipso sensu patet quod totus sermo dirigitur ad Petrum; communiter ss. patres, ut Basilius Cyprianus Chrysostomus Hilarius Tertullianus Epiphanius et Origenes, (apud Ios. Baron. contra Piccinin. [11]) dicunt nomine *petrae* intelligi Petrum; et signanter s. Basilius [12] ait de Petro: *Quoniam fide praestabat, ecclesiae aedificationem in seipsum recepit.* Et s. Leo [13]. *Tantum in hac fidei sublimitate complacuit* (Christo), *ut beatitudinis felicitate donatus, sacram inviolabilis petrae acciperet firmitatem, supra quam fundata ecclesia portis inferi et mortis legibus praevaleret.* Item s. Cyprian. [14] dicit: *Primatus Petro datur, ut una Christi ecclesia et cathedra una monstretur.* Et alibi adversus novatianos post verba: *Tu es Petrus, et super hanc petram etc. Et pasce oves meas*, subdit: *Super illum unum aedificat ecclesiam, et illi pascendas mandat oves suas.* Item s. Leo [15] ita Christum loquentem Petro repraesentat: *Cum ego sim inviolabilis petra.... tamen tu quoque petra es, qui mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.* Et id magis patet ex conc. chalcedonensi [16] ubi dicitur: *Appellat Petrum petram ecclesiae catholicae.* Hinc addit Bellarm.: *Catholici docent hac metaphora significari Petro esse commissum regimen totius ecclesiae, et praecipue circa fidem; petrae enim fundamentalis hoc est proprium totum aedificium regere et sustentare.* Accedit s. Cyrillus Alexand. dicens: *Secundum hanc promissionem ecclesia*

(1) T. 8. p. 1. fol. 191. (2) Animadvers. ad Nat. Alex. §. 11. sup. conc. const. (3) Exerc. 18. sup. propos. 19. (4) 2. 2. q. 1. a. 10. (5) Loc. cit. (6) De ver. eccl. I. Chr. t. 1. c. 11. §. 1. (7) Loc. cit. (8) Theol. dogm. tr. 6. de pontif. n. 1. §. 2. n. 14.

(9) 5. de fide sect. 8. (10) Matth. 16. 18. (11) Diss. 2. c. 3. (12) L. 2. contra Eunom. (13) Serm. 94. de transf. (14) L. de unit. eccles. (15) Serm. 3. in anniv. assumpt. (16) Action. 3. ap. Bellarm. Contr. de rom. pontif.

apostolica Petri ab omni seductione manet immaculata. Si itaque huiusmodi aedificium est ecclesia, adversus quam inferi praevalere non possunt; ut illa non possit ruere, necesse est basem eius et fundamentum neque destrui posse, ne destructo fundamento, tota domus corruat. Ideo Origenes in hoc loco dicit: *Si praevalerent inferi adversus Petrum, in quo ecclesia fundata est, contra ecclesiam etiam praevalerent.*

Probatur quoque ex Luca [1]: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Ex quo pariter textu affirmat Maldonatus auctores collegisse pontifices esse perpetuo infallibiles.

112. Probatur II. Ex conciliis oecumenicis; et I. ex conc. chalcedonensi, ubi (ut refert d. Thom. [2]) habetur: *Omnia ab eo* (scil. papa) *definita teneantur tanquam a vicario apostolici throni.* In eiusdem synodi act. cum legeretur epistola d. Leonis, dictum fuit anathema iis qui ita non crederent. Deinde [3] patres concilii pontificis doctrinam ut b. Petri amplexi sunt, et universa concilii dogmata petierunt sedis apostolicae auctoritate firmari. II. Ex concilio lugdunensi oecumenico 2. habetur: *Ipsa quoque sancta romana ecclesia summum principatum super universam ecclesiam obtinet, quem se ab ipso Domino in b. Petro, cuius romanus pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse recognoscit; sic, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri.* III. Ex concilio florentino, ubi [4] sic legitur: *Definimus romanum pontificem in universum orbem habere primatum, et successorem esse Petri, totiusque ecclesiae caput, et christianorum patrem ac doctorem existere: et ipsi in b. Petro regendi ecclesiam a D. N. Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.* Si ergo certum est, papam esse totius ecclesiae doctorem, certum quoque tenendum ipsum debere esse infallibilem, ne ecclesia a suo magistro aliquando decipi possit. Accedit concilium viennense 15. generale sub Clem. v. ubi sic sancitum fuit: *Dubia fidei declarare ad sedem dumtaxat apostolicam pertinere.*

113. Probatur III. ex ss. patribus; s. Irenaeus [5] scribit: *Omnes a romana ecclesia necesse est ut pendeant tanquam a fonte et capite.* S. Athanasius in epistola ad Felicem papa dicit: *Romanam ecclesiam semper conservare veram de Deo sententiam.* Et in eadem epistola ad pontificem suum sermonem dirigens, sic eum alloquitur: *Tu profanarum haeresum, atque imperitorum omniumque infestantium depositor, princeps et doctor, caputque omnium orthodoxae doctrinae et immaculatae fidei existis.* Theodoretus episc. asianus [6] inquit: *Ego apostolicae vestrae sedis expecto sententiam, et supplico et obsecro V. S. ut mihi opem ferat iustum vestrum et rectum appellanti iudicium.* S. Cyprianus [7] scribit: *Deus unus est, Christus unus est, et una ecclesia, et cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud constitui sacerdotium novum, fieri praeter unum sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit.* Et alibi [8]: *Qui cathedram Petri super quam fundata est ecclesia, deserit, in ecclesia se esse non confidat.* S. Hieron. [9] scribit: *Cum successore piscatoris loquor... super illam petram, scilicet cathedram Petri, aedificatam ecclesiam scio; quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.... Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* S. Basilius [10] scribit: *Romanum pontificem compellendum esse, ut quid credendum sit, si per concilium definiri non donetur, ipse determinaret.* S. August. [11]: *Per papae rescriptum causa pelagianorum finita est.* S.Thom. [12]: *Magis standum est sententiae papae, ad quem pertinet determinare de*

(1) 22. 32. (2) Op. cont. err. graec. (3) Act. 3. (4) Sess. ult. (5) L. 3. c. 3. (6) Ep. ad Leonem p.

(7) Ep. 8. l. 1. (8) L. de unit. eccl. (9) Ep. ad Damasum pap. (10) Ep. 52. ad Athan. (11) L. 1. contra Iulianum c. 5. (12) Quodlib. 10. a. 6.

fide, quam quorumlibet sapientum. Et[1]: *Postquam essent aliqua ecclesiae auctoritate determinata, haereticus esset, si quis repugnaret; quae quidem auctoritas principaliter residet in summo pontifice*. S. Bon.[2]: *Papa non potest errare, suppositis duobus: primum quod determinet quatenus papa; alterum, ut intendat facere dogma de fide*.

114. Probatur IV. ex ipsa schola gallicana; falso enim nobis obiicit Hottingerus haereticus, dicens: *Gallia universa a nobis dissentit*. Quandoquidem asserit Milante[3] paucos esse gallos, qui romani pontificis infallibilitatem contendunt, respectu ad gallos nobiliores qui illam propugnant, praesertim Petrus Matthaei[4] Spondanus[5] Bosvinus[6]. Idem aliquando docuit Gerson[7] dicens: *Tandem ex his dicere possumus, quod plenitudo potestatis est a Christo collata Petro sicut vicario suo, et suis successoribus*. Caeterum nulli dubitandum quod Gerson, ut ait p. Victoria[8], *Per omnia fuit infestissimus auctoritati summorum pontificum, et multos alios infecit suo veneno; parum enim differt a schismate eius sententia de auctoritate papae*. Idem statuere conati sunt episc. gallicani antiqui an. 1626 art. 137. et in conc. generali lugd. 2. (ubi prae caeteris numerabantur episcopi galli, qui graecorum confessionem acceperunt: scilic. quod s. romana ecclesia plenum principatum obtineret super universalem ecclesiam etc. ut infra refertur). Et quamvis universitas sorbonica (ortum agnoscens a Roberto Sorbon ex anno 1253. confessario s. Ludovici, erectaque a Carolo rege ann. 1290. in universitatem) contrariae fuerit sententiae, hoc tamen accidit tantum ex tempore concilii constantiensis opera Gersonis et Almaini, qui in eadem universitate adscripti ad comprimendum trium pontificum schisma, ad concilium, tanquam ad iudicem superiorem, et in huiusmodi casu necessarium, causam deferendam existimarunt. Novissimi vero sorbonici non attendentes, quod ipsorum maiores de papa dubio sint loquuti, eorum innixi auctoritati, dixerunt iudicium romani pontificis non esse infallibile, nisi ecclesia, sive generalis concilii consensus accedat. Caeterum ante concilium constantiense et basileense advertit Raynaldus scriptor gallus[9] omnes theologos anteriores unanimiter docuisse, definitiones pontificias, etiam extra concilia, rem facere de fide. Immo habetur apud Nauclerum[10] quod facultas parisiensis anno 1320. damnavit tanquam haereticos articulos Marsilii Paduani dicentis romanum pontificem esse fallibilem. Et anno 1534. (ut apud eumdem Nauclerum) damnavit eumdem errorem contra Ioannem Morandum. Item Duvallius doctor gallus, qui scripsit circa an. 1712.[11] refert consuetudinem fuisse facultatis parisiensis, ut ab ea laureati protestationem nunquam ecclesiae romanae contradicendi praemitterent. Idem auctor refert ipsam facultatem damnasse ut haereticum Marcum Antonium de Dominis, quia docebat pontificis auctoritatem esse fallibilem. Ideo quamvis eiusdem Sorbonae doctor, non dubitavit sic scribere: *Opinio quae Romae tenetur vacat omni temeritate; cum totus orbis, exceptis pauculis doctoribus, eam amplectatur, et praeterea rationibus validissimis tum ex scriptura, conciliis et patribus, tum ex principiis theologiae petitis confirmetur*. Et paulo post: *Nemo nunc est in ecclesia, qui ita pro certo sentiat praeter Vigorium et Richerium, quorum si vera esset sententia, totus fere orbis christianus, qui contrarium sentit, in fide turpiter erraret*. Propterea addit, quod opinio de praelatione conciliorum auctoritati romani pontificis, *a temeritate inobedientiae vix potest excusari; fovet enim ut plurimum inobedientiam et dissidia multa; magnosque tumultus semper in ecclesia excitavit*. Hinc videre est apud Troila[12] et

(1) 2. 2. q. 11. a. 2. ad 5. (2) Summ. theol. q. 1. a. 3. d. 3. (3) Exerc. 19. dict. prop. 29. Alex. 8. (4) In sum. const. (5) An. 1415. n. 16. disserens in decr. const. (6) T. 4. de concordia (7) De pot. eccl. c. 10. (8) Tr. de auct. pap. et conc. tr. 5. (9) Op. de rom. pont. (10) P. 4. l. 8. c. 6. (11) De sup. pont. p. 1. q. 7. (12) Tr. 6. de sum. pont. a. 6. ex n. 54.

ap. Milante [1] quod concilia provincialia gallicana plauserint pontificis infallibilitati. Synodus ipsa parisiensis an 1626. [2] ecce quid sensit: *Hortamur igitur episcopos omnes, ut sanctam apostolicam romanamque ecclesiam, utpote ex Dei sponsione infallibili ecclesiarum matrem*....Et infra loquens de ipso romano pontifice: *Is enim successor est Petri super quem Christus Iesus ecclesiam fundavit, quando illi claves regni coelorum, et donum infallibilitatis in causis fidei reliquit*.... Valde autem notandum id quod episcopi Galliarum [3] in obsequium bullae quam Innoc. x. emanavit in confixione ianseniaoarum thesium, ad ipsum scripserunt: et inter caetera verba haec: *Huius doctrinae lucem pristino decori restituit prolatum a S. V. postulantibus Galliarum episcopis decretum.* Deinde praefati episcopi bullam venerantes eam promulgari permiserunt, sicque ad Innocentium rescripserunt: *Beatissime pater*: *Optata pervenit ad nos constitutio illa, qua V. Sanctitatis auctoritate, quid sentiendum sit de controversis quinque propositionibus excerptis e Cornelii Iansenii Yprensis episcopi libris perspicue decernitur* .... quo in negotio illud observatione dignum accedit, ut quemadmodum ad episcoporum Africae relationem Innocent. I. pelagianam haeresim damnavit olim, sic ad gallicanorum episcoporum consultationem haeresim ex adverso pelagianae oppositam Innoc. x. auctoritate sua proscripserit. Enim vero vetustae illius aetatis ecclesia catholica, sola cathedrae Petri auctoritate fulta, quae in decretali epistola Innocentii ad Africanos data elucebat; quamque dein Zosimi altera ad universos orbis episcopos epistola subsecuta est, pelagianae haeresis damnationi absque cunctatione subscripsit: perspectum enim habebat non solum ex Christi D. pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum pontificum et anathematismis adversus Apollinarium et Macedonium, nondum ab ulla synodo oecumenica damnatos, a Damaso paulo antea iactis, *iudicia pro sancienda regula fidei a summis pontificibus data, super episcoporum consultatione (sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive omittant, prout illis collibuerit) divina aeque ac summa per universam ecclesiam auctoritate niti*: *cui christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium praestare teneantur etc.*

115. Probatur V. rationibus; prima ratio est d. Thom., qui [4] docet pollicitationem infallibilitatis in rebus fidei tantum successoribus Petri esse factam, et ideo dicit ecclesiam non posse errare, quia papa errare nequit: *Ecclesia universalis* (verba d. Thom.) *non potest errare, quia ille qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia, dixit Petro super cuius confessione ecclesia fundata est*: *ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Secunda ratio est eiusdem s. doctoris, qui alibi [5] ait, quod in ecclesia non posset una fides servari, nisi per eius caput pontificem quaestiones fidei definirentur. *Et huius ratio est, quia una fides debet esse totius ecclesiae,* secundum illud 1. *ad Cor.* 1., *quod servari non posset, nisi quaestio fidei determinaretur per eum qui toti ecclesiae praeest.* Ratio tertia est inveterata ecclesiae consuetudo. Hac ratione pro nostra sententia tuenda utitur eruditissimus Melchior Canus[6] dicens: « Si nullus itaque, sic ferme auctor arguit, legum Christi sanior est interpres, quam perpetuus ecclesiae usus, ecclesia vero in fidei rebus, non ad antiochenum, alexandrinum, hyerosolimitanum, sed romanum pontificem omni tempore recurrerit, eiusque iudicia uti irrefragabilia semper tenuerit; cur dubitabimus illum Petro in hac praerogativa dare successorem? Hoc ipso rerum testimonio roboratur; nam Christi de Petro et successoribus vaticinia in romana ecclesia videntur impleta. Cum caeterae apostolorum ecclesiae

(1) Exerc. dogm. 19. super prop. 29. Alex. VIII.
(2) Art. 137. ubi tit. Monita cleri gallicani ad dom. achiepiscopos regni.
(3) Ut refert Milant. l. c.
(4) Suppl. 3. p. q. 25. a. 1.
(5) 2. 2. q. 1. a 10.
(6) Op. de loc. theol. l. 6. c. 7.

vel ab infidelibus occupatae, vel ab haereticis affectae aliquando fuerint: haec una tot inter hostes nec infidelibus, nec haereticis valuit expugnari. Hinc quaeri solet, an haereticum sit asserere, posse quandoque romanam sedem, quemadmodum et caeteras a Christi fide deficere. Ei faciant satis Hieronymus periurum dicens, qui romanae sedis fidem non fuerit secutus; Cyprianus dicens, Qui cathedram Petri supra quam fundata est ecclesia deserit, in ecclesia esse non confidat; synodus constantiensis haereticum iudicans, qui de fidei articulis aliter sentit, quam s. romana ecclesia docet: illud postremo addam, cum ex traditionibus apostolorum ad evincendam haeresim argumentum certum trahatur: constat autem romanos episcopos Petro in fidei magisterio successisse, ab apostolis esse traditum, cur non audebimus assertionem adversam tanquam haereticam condemnare? Sed nolumus ecclesiae iudicium antevertere: illud assero, et fidenter quidem assero, pestem eos ecclesiae et perniciem afferre, qui negant romanum pontificem Petro in fidei doctrinaeque auctoritate succedere, aut certe adstruunt summum ecclesiae pastorem, quicumque ille sit, errare in fidei iudicio posse. Utrumque scilicet haeretici faciunt: qui vero illis in utroque repugnant, hi in ecclesia catholici habentur. » Hucusque Canus; cui valde favet id quod d. Cyprianus sedulo advertit[1] dicens: *Neque enim aliunde haereses obortae sunt quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur; nec unus in ecclesia sacerdos, et ad tempus iudex vice Christi cogitatur.* Et ratio huius gravis sententiae Cypriani est, quia romanae sedis decretis illi qui pertinaciter restiterunt, primum (ut bene advertit cit. episcopus sabiensis) schismatici facti sunt, deinde haeretici.

Ex his omnibus tandem inferunt dd. prout Suar.[2] Bannez et Bellarm.[3] nostram sententiam esse saltem fidei proximam; et *contraria* (dicit Bellarm.[4] *videtur omnino erronea et haeresi proxima.*

Postquam haec scripsi, alia mihi occurrerunt multum notatu digna pro summi pontificis infallibilitate, quae praesertim adversus relatam gallicani cleri declarationem urgent. Dicitur in ea: *Nec tamen irreformabile esse iudicium* (nempe pontificis) *nisi ecclesiae consensus accesserit.* Nunc quaerimus, quomodo huiusmodi consensus accedere debeat. Alii dicunt, tum pontificias definitiones evadere irreformabiles, cum omnium fidelium consensus accedit. Alii, cum saltem accedit consensus omnium episcoporum. Alii putant unius tantum provinciae consensum satis esse. Alii demum requirunt consensum maioris partis episcoporum in orbe christiano degentium; haec enim opinio conformior est consuetudini, qua oecumenicae synodi usae sunt in dubiis fidei decernendis. Hoc posito, quaeritur, quid dicendum, si pontificio decreto pars aequalis episcoporum accedat, quid tunc de pontificis iudicio sentiendum et quid si minor accedat pars, ut seculo 4. accidit, cum sententiae s. Melchiadis papae tantum 18. episcopi orthodoxi adhaeserunt, sed contra alii 400. eam reiecerunt; prout refert Haunoldus[5]. In simili casu quis litem dirimet, si unus supremus iudex non agnoscatur, qui fidei causas definiendi infallibilem potestatem habeat? Si autem consensus maioris partis episcoporum sufficit, utique papam esse infallibilem, credere omnes tenemur, statim ac aliquid circa fidem aut mores ipse definitive decernit; non solum etenim maior pars, sed tota fere ecclesia, excepta Gallia, id docet et semper docuit. Aut igitur infallibilitatem pontificis fateri oportet, aut dicere quod ecclesia catholica tantum ad exiguum gallorum numerum redacta sit.

Praeterea certum est, quod si gallicani cleri admitteretur sententia, ita ut pontificis iudicium esset fallibile,

(1) Ep. 3. l. 2. (2) L. 3. de fid. defens.

(3) L. 4. de pont. c. 2. (4) Loc. cit.
(5) Introd. ad ius canon.

donec consensus ecclesiae accederet, modus haereticos de suis erroribus convincendi amplius non suppeteret, etiamsi generalia concilia adhiberentur; haeretici enim iudicio concilii, in quo ipsi non intersunt, nunquam acquiescunt, eo quod deficiente interventu ipsorum qui saniorem ecclesiae partem constituere praesumunt, quodcumque concilium irritum esse exclamant. Hinc mos ortum habuit, quod heterodoxi, cum errores suos ad romanam sedem viderint denuntiari, aut ab ea proscribi, ad damnationem evitandam statim appellare ad oecumenicum concilium consueverunt. Quapropter sapienter scripsit s. Cyprianus, cuius verba hic iuvat repetere: *Non aliunde haereses obortae fuerunt, aut nata schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in ecclesia ad tempus iudex vice Christi cogitatur; cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo ecclesiam scinderet.* Proinde scribit p. Petitdierus abbas senonensis [1] quod si haec s. Cypriani regula servata fuisset, facile iansenianorum ora praeclusa fuissent in tam longa bullae *unigenitus* disceptatione; at quia ipsi relatae gallicani cleri declarationi sunt innixi, qua infallibilitas pontificis, antequam ecclesiae accedat consensus, negatur, ideo usque adhuc de acceptatione bullae certant, et lis in Gallia adhuc vivit et viget.

Fautores declarationis opponunt, quod ecclesia est corpus Christi mysticum, unde, dicunt, quod sicut corpus nequit subsistere sine capite, ita caput nequit subsistere sine corpore. Sed huic facile respondetur. Nulli dubium est, quod nec corpus potest esse sine capite nec caput sine corpore; sed nihil obest hoc in casu nostro, ubi non de corporis constitutione sive integritate, sed tantum de corporis ecclesiae regimine agitur: constitutio quidem corporis importat, ut ipsum non sit sine capite et caput non sit sine corpore: corporis autem ecclesiae regimen importat, ut sicut corpus humanum a mente hominis gubernatur, sic corpus ecclesiae gubernetur a papa tanquam ab eius capite. Officium igitur capitis idest pontificis est docere et regere ecclesiam; officium corporis idest ecclesiae, est instrui et obedire pontifici.

Id quippe concilium florentinum diserte nos docuit, appellando pontificem *Caput totius ecclesiae*, *omnium christianorum patrem et doctorem:* ac proinde subiungens: *Et ipsi regendi ecclesiam plena potestas tradita est.* Idque sane eruitur ex verbis Christi Domini, cum dixit Petro: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Et alias: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quod autem Dominus Petro dixit, profecto omnibus etiam eius successoribus dixit, namque, ut observat s. Augustinus, potestas pastoris universalis non fuit Petro propter ipsum collata, sed propter ecclesiam ab ipso regendam; et ideo potestas in ecclesiam ita Petro conferri debuit, ut ad omnes pontifices successores pertransiret, et ecclesia usque ad consummationem saeculi permansura recte regeretur, unitasque eius usque ad finem conservaretur. Si decreta pontificum non essent infallibilia, nisi consensus ecclesiae accederet, utique dicendum foret quod non ecclesia fundata sit super Petrum, sed quod Petrus fundatus sit super ecclesiam. Et sic pariter dicendum quod non fratres confirmandi fuissent a Petro, sed Petrus confirmandus a fratribus.

Caeterum doctrinam nostram, quod decreta dogmatica pontificis sint infallibilia, testatur Bellarminus [2] fuisse antiquam fere omnium catholicorum, theologorum et patrum. Canus [3] refert pro ea testimonia Irenaei Cypriani Ambrosii Cyrilli Hieronymi et Bernardi. Habetur praesertim inter alias auctoritas s. Thom. [4] qui ut certam doctrinam hanc tradit, dicens: *Ad illius* (idest pontificis) *ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quae*

(1) Praef. ad tr. de auct. et infallib. s. pontif.

(2) Controv. l. 4. de rom. pont. (3) De loc. theol. l. 6. c. 5. (4) 2. 2. q. 1. a 10.

sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur ..... Et huius ratio est: quia una fides debet esse totius ecclesiae, secundum illud [1] Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. *Quod servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinaretur per eum qui toti ecclesiae praeest.* Eamdem rationem olim protulit Ioannes de Parisiis[2] pro infallibilitate pontificis, antequam in eam infestus esse inciperet; en eius verba: *Divideretur ecclesia, nisi per unius sententiam unitas servaretur: hic autem principatum eiusmodi habens est Petrus, successorque eius.*

Id etiam plurimi pontifices expresse declaraverunt. Anacletus[3] sic scripsit: *Maiores causae ad sedem apostolicam referantur ... super quam Christus universam construxit ecclesiam, dicens ad b. principem apostolorum: Tu es Petrus, et super hanc petram etc.* Id confirmat idem pontifex [4] atque explicat, quid intelligatur nomine *sedis apostolicae*, dicens: *Haec sacrosancta romana et apostolica ecclesia ab ipso Domino obtinuit eminentiam potestatis super universas ecclesias* [5]. Idem expressius declaravit Nicolaus I.[6]: *Fidem quippe violat, qui adversus illam* (scil. ecclesiam romanam) *agit, quae mater est fidei.* Ibique haereticum dicendum esse praescribit, qui romanae ecclesiae privilegium negaret Petro concessum, nempe ut ei *terreni simul et coelestis imperii iura a Christo Domino commissa fuerint.* Hancque Nicolai sententiam confirmavit synodus VIII.[7] adversus Photium et Michaelem, qui huiusmodi privilegium romanae sedis infirmare conati fuerant.

Idem scripsit Innocentius III.[8] qui loquens de primatu romanae ecclesiae, et memorans de verbis illis, *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua;* sic deinde subdit: *Ex hoc innuens manifeste, quod successores eius a fide catholica nullo unquam tempore deviarent, sed revocarent magis alios, per hoc sic ei alios confirmandi potestatem indulgens, ut aliis necessitatem imponeret obsequendi.* Idem scripsit Gregorius VII. inquiens: *Ecclesia romana nunquam erravit, nec pro catholico habendus est, qui huic ecclesiae non coniungitur.* Idemque senserunt plures alii pontifices, Evaristus, Alexander I., Sixtus I., Pius I., Victor, Zephirinus, Marcellus, Eusebius, et alii quos refert Canus[9]. Eamdem sententiam de infallibilitate pontificiarum definitionum, praeter concilia chalcedonense, lugdunense, et florentinum *n.* 112. relata, confirmavit synodus VIII. ubi loquendo de auctoritate sedis romanae sic patres fassi sunt: *In qua est vera et integra christianae religionis soliditas; quare non consentientes sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra mysteria non sunt recitanda.* Idem habetur in concilio oecumenico viennensi[10] ubi dictum fuit: *Dubia fidei declarare ad sedem apostolicam dumtaxat pertinet.* Alia plura clarissima testimonia referuntur a Cano[11] quibus romanae ecclesiae comprobatur auctoritas.

Scribit p. Petitdid. [12] historiis satis compertum haberi, quod nullus vel fere nullus haereticus conciliorum iudicio unquam acquievit: contra vero plures eorum iudicio pontificis acquieverunt, cum ipse illis praesto occurrerit. De caetero primis ecclesiae saeculis plures errorum contra fidem satores, semper ac a romanis pontificibus damnati fuerunt, statim ut haeretici, nullo expectato ecclesiae consensu, ab omnibus habiti sunt. Sic accidit anno 150. cum Valentinus damnatus fuit ab Hygino: anno 215. montanistae a Zephyrino: anno 300. Iovinianus a Siricio: anno 416. Pelagius ab Innoc. I. Unde ipsimet Galliae episcopi in litteris ad Innoc. X. missis, postquam pontifex ille iansenianas propositiones proscripsit, ita scripsere: *Non solum ex Christi pollicitatione Petro facta, sed ex actis prio-*

(1) 1. Cor. 1. (2) L. de pot. reg. et pap. c. 3. (3) Ep. 1. de oppr. episc. (4) Ep. 3. de patriarch. (5) Can. Sacrosancta, dist. 22. (6) Can. Omnes, dist. 22.

(7) Act. 1. 7. (8) Ep. 209. ad patriarch. Constant. ap. Balbut. l. 5. (9) L. 6. c. 4. (10) In clem. unic. de summ. Trinit. (11) L. 6. c. 6. (12) Loc. sup. relat. c. 14.

rum pontificum, iudicia pro sancienda regula fidei a summis pontificibus lata super episcoporum consultatione, divina aeque ac summa per universam ecclesiam auctoritate niti, cui christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium praestare teneantur. Definitionibus ergo pontificis, priusquam fidelium accedat consensus, ipsi obsequium ex officio praestare tenentur.

Ita igitur firme tenuerunt omnes antiqui; sed eadem, scribit Bellarminus[1] est hodie sententia cunctarum nationum, sola Gallia excepta. Eamdemque ubique receptam esse scribit Benedictus XIV.[2]. Quamvis autem (ait p. Petitd.[3]) ob caliginem offusam ex dictis a Gersone et cardinali de Aliaco quaedam universitates Germaniae, et Poloniae aliud senserint, postea tamen omnes in infallibilitatem pontificiarum definitionum consenserunt; ita ut hodie nulla universitas nullusque theologus extra Galliam reperiatur, qui infallibilitatem papae, eiusque supra concilia auctoritatem non tueatur. Imo Augustinus Triumphus academiae parisiensis doctor[4] non obstante Gersonis auctoritate, asserere non dubitavit, haeresim esse pontifici aliquid de fide decernenti non adhaerere.

Obiiciunt adversarii plures pontifices in fidei iudiciis errasse. Sed facili negotio nos ab hac oppositione possemus expediri, generaliter respondendo cum Cano et Bellarmino, quod ii pontifices qui errasse adducuntur, non ut universales ecclesiae doctores, sed tantum private locuti fuerint, ut ex historiis patere demonstrant. Sed ne ex aliquibus gestis, quae passim et iactanter, sed nimis discerpta ab adversariis adducuntur, quis forte decipiatur, nobis ad singula libet respondere.

116. Obiiciunt I. quod Liberius papa arianae haeresi non dubitaverit subscribere. In hoc autem sciendum, quod cum Liberius primum ad mediolanensi conciliabulo subscribendum reluctaret, in exilium a Constantio imperatore fuit expulsus, ac in eius locum ab arianis suffectus fuit Felix II. Indeque ariani in conventu firmiensi novam fidei formulam prodiderunt, in qua dolose dixerunt Filium Patri similem in substantia. Huic Liberius taedio exilii victus imprudenter subscripsit: ob quam rem ab exilio revocatus Romam devenit, sed a romanis ob huiusmodi flagitium aversis reiectus fuit, et in eius locum Felix vocatus; qui postmodum ob suam constantiam in abiicienda arianorum formula damnatus capite plexus est. At Liberius, Felice defuncto, cum resipuisset, eamdemque formulam damnasset, denuo pontifex est acclamatus. Liberii itaque privatus lapsus, cum ipse non ex cathedra docuerit, nostram non infirmat sententiam.

117. Obiiciunt II. Vigilium papam in epist. ad Theodoram imperatricem anathema dixisse iis, qui duas in Christo naturas confiterentur, quo videtur ipse pontifex haeresi Eutychetis adhaesisse. Sed hic notandum, ut refert Baron.[5] quod hunc errorem Vigilius professus sit tempore, quo, expulso imperatricis ope Silverio legitimo pontifice, ipse papa, potius antipapa, fuit creatus. Sed postmodum, cum idem, mortuo Silverio, legitime sedem pontificiam est adeptus, nullimode errorem illum protulit unquam, aut simulavit.

118. Obiiciunt III. in eumdem Vigilium, quod approbasset tria capitula, quae postea damnavit concilium constantinopolitanum generale, iam ab ipso Vigilio inde confirmatum. Sciendum hic quod Iustinianus imperator, opera Theodori Caesariensis, edictum prodidit, in quo tria capitula continebantur, scil. damnatio memoriae et scriptorum Theodori Mopsuesteni, Ibae episcopi Edessae, et Theodoreti episcopi Cypri, in quibus errores Nestorii excusabantur. At quia in conc. chalcedonensi praefatorum auctorum laudabilis mentio facta fuit, plures episcopi edictum illud reprobarunt. Deinde Constantinopoli consensu pontificis concilio

(1) Loc. sup. cit. (2) In ep. ad inquisit. gen. Hispan. die 15. iul. 1748. ut refert Billuart 2. 2. t. 1. dis. 4. a. 5. (3) C. 15. §. 5. (4) L. de pot. eccl. q. 10. a. 3. (5) Ann 547. n. 40.

convocato, iuxta Caesaris edictum, tria illa capitula fuerunt confirmata; et Vigilius ad suasionem imperatoris edicto clam subscripsit. Sed, ut hoc propalatum fuit, magna in ecclesia scissio orta est. Qua de re Vigilius decrevit, ut effectus edicti suspenderetur, et res ad generale concilium revocaretur. Deinde idem Vigilius in quodam suo rescripto, *constituto* Vigilii vocato, damnavit quidem scripta Theodoreti et Ibae, sed personas a censuris immunes reliquit. Verum est, non negamus, quod postea anno sequenti imperator a Vigilio revocationem *constituti*, et concilii constant. confirmationem obtinuit; sed ex hac revocatione quid aliud inferre possunt adversarii, nisi ad summum id quod dicit s. Gregorius [1]: *Non enim mutatio sententiae, sed inconstantia sensus in culpa est?* Si quis autem dixerit, quod Vigilius in suo *constituto* in fide erravit, pariter dicere deberet, quod erravit et synodus chalcedonensis quae idem declaravit ac Vigilius in suo *constituto*. Caeterum constat rem hanc non ad fidem pertinuisse; quod enim Theodoretus et Iba non solum male, sed etiam mala fide descripsissent, et ideo non tantum scripta, sed etiam personae fuissent damnandae, meri facti res erat. Hinc ne dicantur concilia inter se discrepasse, dicendum quod in chalcedonensi fuit pertractatum de personis, in constantinopolitano autem de scriptis. Hinc s. Gregorius monuit: *Scire vos volo, quod in ea*, (scilicet in synodo chalcedonensi) *de personis tantum, non autem de fide aliquid gestum est.*

119. Obiiciunt IV. Maimburgus et Iuveninus, in VI. et VII. synodo Honorium papam ob epistolas ad Sergium monothelitarum principem damnatum ut haereticum fuisse: in actione enim 13. VI. synodi sic legitur: *Simulque anathematizare praevidimus et Honorium qui fuerat papa antiquae Romae, eo quod invenimus per scripta quae ab eo facta sunt ad Sergium, quod in omnibus eius mentem secutus est, et impia dogmata confirmavit* Ac proinde concilium romanum II. sic de eo declaravit: *Honorium iudicatum fuisse post mortem a* VI. *synodo, quia de haeresi fuit accusatus.* Hocque asseritur confirmatum a s. Leone papa in epistola ad Constantinum imperatorem, in qua legitur Leo inter haereticos enumerasse etiam Honorium.

Resp. I. Non desunt plures scriptores qui asserunt epistolas enunciatas a graecis fuisse suppositas, et Roncaglia [2] dicit, peritiores criticos asserere, quod acta praefatae synodi ad nos adulterata pervenerint. Nec adulteratio haec gratis asseritur, sed eam ut certam testatur s. Gregor. [3]. Et videtur clare etiam probari ex eadem synodo, in qua alibi tantum damnati leguntur ii qui in epistola Agathonis papae ad imperatorem nominati fuerunt, et in ea epistola nulla mentio de Honorio facta fuit, imo fuit pronunciatum, romanam cathedram nunquam defecisse, et nunquam deficere posse. Et hoc sane creditur Agatho pronuntiasse ad omnem evellendam erroris suspicionem adversus Honorium, cuius innocentia antea diu discussa, et enixe a s. Maximo propugnata fuerat, et patefacta iudicio Ioannis papae antecessoris Agathonis. Pariter acta VII. synodi corrupta fuisse testatur Anastasius bibliothecarius [4]. Ad concilium autem romanum respondetur, id patres concilii asseruisse ducti ex falsis corruptisque actis praedictae VI. synodi, ut supra ostensum est. Pariter epistolam s. Leonis suppositam fuisse a graecis late multisque validis argumentis probat Baronius [5].

Sed adhuc admissis pro veris tum actis praefatarum synodorum, tum epistola Leonis: resp. II. quod epistolae Honorii bene possint explicari in sensu catholico, ut tenent Frass. et Tournely, ac id affirmant viri dignissimi, ut s. Maximus, qui in disputatione contra Pyrrhum eodem tempore Honorii eum defendit, et de monothelitarum erroribus indemnem fecit. Idem scripsit Anastasius Honorii secretarius. Idem

(1) L. 3. ep. 3. (2) In animad. cit. an Nat.

(3) L. 3. ep. 14. (4) Praef. hist. ad 6. synod.
(5) Ad ann. Chr. 683 n. 19. et seq.

Ioannes IV. in apologia pro Honorio ad Constantinum imperatorem, ubi asseruit, quod Pyrrhus festinabat quidem ad sensum suum Honorium attrahere, sed Honorius a falso dogmate prorsus fuit alienus. Honorius enim duas in Christo voluntates et operationes fassus est, sed prudenti consilio nomina prohibuit unius vel duarum voluntatum, quae tunc erant inaudita; tunc enim temporis cum monothelitarum error exurgeret, et Cyrus alexandrinus unam in Christo operationem, Sophronius autem hierosolymitanus duas praedicaret, Honorius ad sedandum imminens schisma in sua prima epistola scripsit abstinendum tam a voce unius operationis ne videretur cum eutychianis unam in Christo naturam agnosci; quam a voce duarum operationum, ne cum Nestorio duas personas supponi appareret. Et hoc patet ex epistola 2. ipsius Honorii, ubi sic habetur: *Auferentes ergo, sicut diximus, scandalum novellae adinventionis, nos non oportet unam vel duas operationes definientes praedicare, sed pro una, quam quidam dicunt, operatione nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri*. Ita apud Frassen[1]. Nec obstat illud quod Honorius etiam scripsit: *Unam tantum voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi*. Nam ibi tantum de humana natura Christi locutus est, cum dixerit in homine Christo non adfuisse duas pugnantes voluntates, alteram carnis, alteram spiritus, sed unam spiritus tantum; in Christo enim caro non concupiscebat adversus spiritum: *Quia profecto* (en sua verba) *a divinitate assumta est nostri natura, non culpa*... *Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit vel contraria, aut super legem natus est humanae conditionis*. Hinc praedictus Ioannes scripsit: *Secundum hunc igitur modum dictus decessor noster scripsisse dignoscitur, quia in Salvatore nostro duae voluntates contrariae in membris ipsius penitus non consistunt, quoniam nihil vitii traxit ex praevaricatione primi hominis*. Ita apud Nat.[2] qui non dubitavit id confirmare dicens, quod Honorius in suis epistolis *locutus est mente catholica, siquidem absolute duas voluntates Christi non negavit, sed voluntates pugnantes*.

Resp. III. Dato etiam quod Honorius vere errasset, ait Natalis, dicendum a fidei tramite illum non deviasse, sed non virtute qua debuit monothelitis repugnasse. Et quamvis Natalis credat VI. synodum vere Honorium damnasse, dicit tamen non damnasse ut haereticum sententia et pertinacia, sed ut fautorem haereticorum ob patrocinium ipsis impensum; pro cuius probatione affert epistolam Leonis II. ad Constantinum Pogonatum pro confirmatione synodi, ubi Leo scripsit: *Anathematizamus Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, necnon et Honorium, qui profana proditione immaculatam* (ecclesiam) *maculari permisit*. Et quamvis in canone VI. synodi asseratur *Honorius mentem Sergii in omnibus secutus, et impia dogmata confirmasse;* hoc intelligendum, ait Natalis, non consentiendo, sed connivendo, seu silentium indicendo: haereticos enim dicit in eamdem impietatem tendisse, sed ipsos pravi dogmatis assertione, Honorium catholici dogmatis dissimulatione. Hinc infert, quod licet Honorius haereticus non fuerit, merito tamen damnatus fuit ob negligentiam in damnanda monothelitarum haeresi. Sic etiam sentit auctor anonymus[3] respondens Ludovico Maimburgo: *Quis nescit epistolas Honorii privatas fuisse, non dogmaticas, in quibus nihil Honorius definivit, sed tantum suam privatam sententiam aperuit?* Concedit enim errare posse pontifices ut homines, scriptis privatis respondendo, non autem ut magistros ecclesiae, fideles docendo: *Cum hoc privilegium* (addit) *infallibilitatis in publicum ecclesiae bonum vergat, noluit Deus illud personae, sed officio adnecti; et tunc solum praesto esse, cum pontificali officio fungeretur*.

120. Obiicitur V. Quod s. Cypr. for-

(1) T. 7. tr. 1. diss. 2. a. 1. sect. 2. q. 3.

(2) L. c. (3) Lib. Gallia vindicata, diss. 3. 3. n. 9.

titer restitit decreto Stephani papae, et ad futurum concilium appellavit. Sed respondetur I. quod s. martyr nunquam hoc dogma putavit spectare ad fidem, sed tantum ad disciplinam, dum ipsemet scripsit ad Iubaianum[1] in hac controversia quemlibet episcopum se gerere posse iuxta suum arbitrium. Stephanus enim nunquam declaravit hoc esse de fide, sed tantum ad ipsum Cyprianum scripsit: *Si quis a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est.* Et quia Cyprianus putabat vetustam traditionem esse, ut baptizati ab haereticis iterum rebaptizarentur: ideo concilium generale expetivit, ut ex testimonio tot episcoporum praxis ecclesiarum, huiusque rei veritas innotesceret. Praeterea, esto Cyprianus prius restiterit, tandem decreto se subiecit, ut testantur quam plurimi aa. Cabass. Baron. Thomass. Bail et alii apud Milante, et hoc absolute ex maiorum testimoniis testatus est s. Hier.[2]. Sed nolo hic multus esse, cum altius haec prima conclusio confirmabitur ex dicendis mox in secunda, ad quam nunc veniamus.

§. 2. *De auctoritate pontificis supra concilium.*

121. Praenotandum I. hoc quod papa sit supra concilium, non intelligendum de papa dubio tempore schismatis, cum probabiliter dubitetur de legitima eius electione: quia tunc quisque debet concilio subesse, sicut definivit concilium constantiense[3]. Tunc enim generale concilium supremam potestatem immediate habet a Christo, sicut tempore sedis vacantis, ut bene advertit s. Antonin.[4]. Praenotandum II. Idem valere respectu pontificis haeretici manifesti et externi, non autem occulti aut mentalis. Quamvis alii rectius dicant, tunc nequaquam papam a concilio tanquam a suo superiore auctoritate privari posse, sed immediate expoliari a Christo, supposita conditione depositionis, prout ad id requisita. Praenotandum III. Quod concilium generale respectu papae potest multipliciter intelligi: primo, cum concilium sine papa consideratur, et tunc nullam concilium auctoritatem habet, nisi in casibus praedictis schismatis et haeresis: quia concilium est episcoporum congregatio sub papa uti capite constituta. Secundo, quando in concilio praesidet papa, ut caput a corpore (nempe ab episcoporum coetu) non divisum; vel quando concilium confirmatur a papa, tunc nequit concilium intelligi esse supra papam, nam alias concilium nulla indigeret papae auctoritate, vel alias papa auctorisaret contra seipsum, quod nequit subsistere. Tertio, cum concilium est congregatum a papa, et papa consideratur ut caput, et episcopi ut corpus a capite divisum; in hoc sensu quaeritur, an papa sit supra concilium, vel e converso.

122. Circa hoc quaesitum *prima* haereticorum sententia est quod concilium sit supra papam, ut Calvinus et alii. Huic autem sententiae adhaeserunt episcopi conciliabuli basileensis cum Ioanne Antiocheno: et tempore schismatis Ioannes Gerson de quo ait Victoria: *Ille doctor per omnia fuit infestus auctoritati pontificum, et multos infecit suo veneno.* Et sic etiam tenuere Almainus, Alliacensis, et alii pauci illius temporis, quorum sententiam Fagnanus ait pro nihilo esse habendam, eo quod ex ambitione ortum habuit in concilio basileensi, dum de eis fuit benemeritus Felix v. antipapa, postquam Eugenium iv. deposuerunt. Clerus autem gallicanus declaravit, ut supra relatum est, decretum concilii constantiensis de auctoritate synodi supra papam etiam extra schismatis tempus extendendum. Differt tamen haec sententia a sententia haereticorum, qui dicunt papam non esse totius ecclesiae caput, sed tantum romanae; catholici vero dicunt papam esse caput totius ecclesiae, non autem in conc. congregatae et collective, sed divisive singularum ecclesiarum, ut se habet generalis respectu ad monasteria religionis. Adest *secunda* sententia Gloss.[5] dicentis, quod papa sit

(1) Ep. 73 (2) Dial. adv. Lucif. (3) Sess 4.

(4) P. 3. tit. 23. c. 2. §. 26.
(5) In c. Nisi competerent, 2. q. 7.

supra concilium; tamen, ubi ipse sponte se subiiciat concilio, concilii sententiae teneatur parere. Hoc vero recte reprobant s. Antonin. Caiet. Bellarm. etc. quia, cum auctoritas pontificia sit de iure divino, non potest papa ei renuntiare, et declaravit Bonif. VII.[1] dicens: *Potestas suprema a Deo solo, non ab homine poterit iudicari*. Secus vero esset, si ageretur tantum de iudicio discretivo (non autem coactivo), ut aliqui papae fecerunt, dum accusati causas suas in concilio discuti voluerunt. *Tertia* tamen sententia, cui subscribimus, tenet papam non dubium semper esse supra concilium generale, sive supra omnes ecclesias, etiam collective sumtas. Et hanc tuentur s. Thom., s. Bonav., Alex. de Ales, s. Ioan. a Capistr., s. Bern. Sen., b. August. Triumphus, Baron., Bellarm., Sfondratus, Pallavic., Emman. Schelstrate, Lupus, Cabass., Caiet., Gotti, et alii nostri aa. communiter. Vide apud Milant.[2].

123. Probatur I. ex scripturis, et 1. ex Luca[3]: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Observa, quod Christus Dom. pro solo Petro rogavit, qui solus fratres confirmare debebat. Ergo, si fides Petri deficere potuisset, fratres non valuissent confirmari a Petro. Falsum est nonnullorum parisiensium commentum, qui hoc loco putant Christum orasse pro ecclesia universali, sive pro Petro ut totius ecclesiae figuram gerente: Dominus enim designavit unam tantum personam, *Simon, Simon;* Et cum coepisset loqui in plurali: *Satan expetivit vos, ut cribraret;* deinde mutavit loquendi formam: *Ego autem rogavi pro te*. Certe, si de tota ecclesia locutus fuisset, multo rectius dixisset rogavi pro vobis. Verba porro illa, *confirma fratres tuos*, manifeste revincunt Christum non fuisse ecclesiam allocutum: qui enim fingi possunt ecclesiae universalis fratres? Nec audiendi sunt qui docent Christum orasse hoc loco pro perseverantia Petri; laborant namque ad interpretanda in eo sensu posteriora illa verba, *confirma fratres tuos*. Est itaque habenda textus expositio, ut privilegium Petro et successoribus eius Christus impetraverit, ne aliquid contra fidem possent docere. Ita scripsit Agatho papa in epistola ad Constantinum imperat. quae lecta est in VI. synodo, et ibi ab omnibus probata: *Haec est vera fidei regula* (verba epistolae), *quam tenuit apostolica Christi ecclesia, quae per Dei gratiam a tramite apostolicae traditionis nunquam errasse probabitur, quia dictum est Petro:* Ego autem rogavi pro te, etc. *Hinc Dominus fidem Petri non defecturam promisit, et confirmare eum fratres suos admonuit, quod apostolicos pontifices meae exiguitatis praedecessores confidenter fecisse semper cunctis est agnitum*. Ita elegantius s. Leo etiam monuit[4]: *In Petro ergo omnium fortitudo munitur, ut firmitas, quae Petro tribuitur, per Petrum apostolis conferatur*. Probatur 2. ex act. apost.[5] ubi concilio inter apostolos inito, sic Petrus affatus est: *Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum evangelii et credere*. Quibus verbis sat diserte Petrus significavit Deum tantum ipsi et successoribus suis potestatem docendi gentes, quid debeant credere, tradidisse. Probatur 3. ex Ioanne[6]: *Pasce agnos meos... pasce oves meas*. Hinc Cyprianus ait[7]: *Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, et grex pastori suo adhaerens*. Eusebius Emiss.[8] dicit: *Prius agnos, deinde oves commisit, quia non solum pastorem, sed pastorem pastorum eum constituit*. S. Ber.[9] addit: *Habent illi assignatos greges, tibi universi crediti: uni unus*. Sic loquuntur patres: probent autem adversarii, ubi in scripturis habeatur, quod oves in concilio desinant esse oves subiectae suo pastori, immo quod oves ibi in pontificis pastorem commutentur. E contrario in

(1) In extrav. Unam sanctam, de maior. et obed. (2) Loc. c. (3) 22. 31. (4) Serm. 3. ass. ad pont. (5) 15. 7. (6) 21. 16. et 17. (7) Ep. 9. L. 3. (8) Serm. nat. s. Io. (9) L. 2. de cons. ad Eug. 3.

scriptura legitur, quod pontifex fuit positus ut pastor, non tantum ovium, sed totius ovilis, quando Christus pronunciavit [1], *Fiet unum ovile et unus pastor*. Nec obstat dicere, quod [2] apostoli miserint Petrum una cum Ioanne in Samariam; nam non miserunt imperio, sed consilio tantum, prout rex a suis ministris dicitur etiam ad bellum missus.

124. Probatur II. ex conciliis: et I. ex nicaeno can. 18, ubi sancitur: *Omnes episcopi in gravioribus causis libere apostolicam appellent sedem, cuius dispositioni omnes maiores causas antiqua apostolorum auctoritas reservavit*. De quo canone Iulius I. memoratur; et Nicolaus I. dicit, quod concilium sic non esset locutum nisi infallibilem in pontifice agnovisset potestatem. Rursusque habetur in can. 29. eiusdem nicaenae synodi (ut apud Fagnan. [3]): Ille qui tenet sedem Romae, caput est omnium patriarcharum, sicut Petrus, ut qui sit vicarius Christi super cunctam ecclesiam christianam. Si ergo papa est supra ecclesiam, necessario supra concilium erit, quod ecclesiam repraesentat, ut constantiensis synodus in relato decreto quartae sess. expressit. 2. Ex concilio chalcedonensi habetur (ut legitur apud d. Thom. [4]); *Omnia ab eo* (scilicet a papa) *definita teneantur tanquam a vicario apostolici throni*. Refert insuper Bellarm. [5] ex act. 3. eiusdem concilii, ibi damnatum fuisse Dioscorum, quia romanum pontificem ausit iudicare et damnare, etiamsi hoc fecerit suffultus auctoritate synodi ephesinae generaliter congregatae. Ergo bene arguit Bellarm. si Dioscorus cum generali concilio papam non valuit iudicare, profecto infertur concilium non esse supra papam. 3. Ex concilio constantinopolitano IV. ubi [6] sic habetur: *Neque nos sane novam de illo iudicii sententiam ferimus, sed iam olim a ss. papa Nicolao pronunciatam, quam nequaquam possumus immutare*. Et [7]: *Itaque bb. papam Nicolaum tanquam organum sancti Spiritus habentes, etc.* Ergo hoc concilium declaravit sententiam pontificis esse immutabilem. 4. Ex concilio constantiensi, ubi ut refert Bellar. approbata fuit epistola Martini V. in qua de haeresi suspectos sic interrogare praecipiebatur: *Utrum credant quod papa sit successor Petri, habens supremam auctoritatem in ecclesia Dei?* At certe potestas suprema illa est (recte arguit Bellarm.) qua nulla est maior, et cui nulla aequalis. Deinde habetur quod idem concilium constantiense damnavit propositionem 37. Wiclephi, quae dicebat: *Papa non est immediatus et proximus vicarius Christi:* si ergo papa est immediatus Christi vicarius, necessario dicendus etiam superior concilio, alias non immediatus sed vix mediatus vicarius Christi dici deberet. Valde etiam nostram sententiam confirmat concilium florentinum, prout relatum est supra in probatione primae conclusionis, ubi papa appellatur totius ecclesiae caput, doctor et pastor; caput enim non pendet a membris, doctor non instruitur a discipulis, pastor non regitur ab ovibus. Maxime autem urget concilium lateranense V. sub Leone X. [8] in quo decretum basileensis conciliabuli fuit reprobatum, et solemniter recepta fuit constitutio Leonis X. *Pastor aeternus*, in qua perspicuis verbis fuit declaratum: *Solum romanum pontificem, tanquam super omnia concilia auctoritatem habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum ius et potestatem habere, nedum ex s. scripturae testimonio, dictis ss. pp. ac aliorum romanorum pontificum, sed propria eorumdem conciliorum confessione manifeste constat.* Huic autem expressae definitioni potestatis pontificiae supra concilia, duo tantum ait Bellarminus obiici posse: primum quod hoc concilium non fuerit generale, quia episcopi nec ad numerum centesimum pervenerunt. Sed Bellarm. respondet hoc vix dici posse, dum concilium legitime convocatum fuit;

(1) Io. 10. 16. (2) Act. 8.
(3) C. Nullus de elect. n. 49. (4) Op. cont. graec.
(5) T. 2. l. 2. pag. mihi 87. (6) Sess. 5.
(7) Can. 2. (8) Sess. 11.

omnibus patuit et in eo verus pontifex praesedit; et ideo hoc concilium ut certe legitimum et oecumenicum communiter habetur, prout videre est apud Cabass., Graves., Baron., Thomassin. etc. Alterum, quod concilium non fuerit ab omnibus receptum: sed hoc parum refert (addit Bellar.), nam constat conciliorum decreta approbatione populi non indigere, cum non ab eo auctoritatem accipiant. Et, si decreta circa mores aliquando per desuetudinem abrogari valent, quia ex temporis diuturnitate praesumitur ipse pontifex in abrogationem consentire, hoc tamen nequit esse in decretis circa fidem, quae postquam sunt constituta necessario immutabilia evadunt: *Quod vero* (subiungit Bellarm.) *concilium hoc rem istam non definivit proprie ut decretum catholica fide tenendum, dubium est; et ideo non sunt proprie haeretici, qui contrarium tenent, sed a temeritate magna excusari non possunt.* Idemque tenent Ludovicus Bail et alii apud Milante [1].

125. Probatur III. ex definitionibus pontificum (quos ideo novatores ambitionis temeritatisque arguunt): quamvis enim non videtur probare definitio iudicis illius, qui an iudex sit, in dubium revocatur: attamen negari non potest, saltem magnum pondus nostrae sententiae addere tot definitiones pontificum, qui iuste existimantur, quod non ita facile has sanctiones emanassent, nisi in ecclesia sat universe haec sententia esset recepta. Infallibilia autem esse romani pontificis decreta definivit Anacletus [2] Gelasius [3] et praecipue Paschalis II. [4] qui ita decrevit: *Omnia concilia per romanae ecclesiae auctoritatem robur acceperunt, et in eorum statutis rom. pontificis patenter excipiatur auctoritas.* Bonifac. VII. [5] dicens: *Porro subesse rom. pontifici omnem humanam creaturam declaramus, definimus et pronunciamus omnino esse de necessitate salutis.* Leo IX. scribens ad Leonem Acridanum dixit: *Petrus, et eius successores liberum de omni ecclesia habent iudicium.* Idem declaravit Innocent. I. [6]. Idem Dionysius papa [7]. Idem Gregorius Magnus [8]. Has quidem sanctiones, licet in causa propria, ut vocitant galli, editas, Gersoni tamen et quibuscumque aliis auctoribus praeferendas esse constat. Et quod potestas romani pontificis sit superior omni concilio magis patet ex irritatione canonis 28. concilii chalcedonensis, quam decrevit s. Leo papa contra privilegium primi loci post romanum pontificem delatum a concilio antistiti constantinopolitano adversus episcopum alexandrinum; sic enim s. pontifex [9] scripsit ad Pulcheriam Augustam: *Consensiones vero episcoporum, sanctorum canonum apud Nicaeam conditorum regulis repugnantes unita nobiscum vestra fidei pietate, irritum mittimus, et per auctoritatem b. Petri apostoli generali prorsus definitione cassamus.* Si concilia pontifici superiora essent, quomodo sanctus Leo huius synodi canonem irritare potuisset? Hinc Nicolaus I. [10] ad ostendendum omnes conciliorum sanctiones nullo robore pollere, nisi a romano pontifice firmentur, sic scripsit de s. Leone, qui non solum praefatum canonem chalcedonensem irritum fecit, sed etiam acta ephesini concilii rescidit, quamvis unanimi consensu omnes patres illa approbassent: *Non ergo dicatis non eguisse vos in causa pietatis romanae ecclesiae, quae collecta concilia sua auctoritate firmat. Unde quaedam eorum, quia consensum romani pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt. Quomodo non eget quaelibet synodus romanae sedis, quando in ephesino latrocinio, cunctis praesulibus probantibus, nisi magnus Leo, divinitus excitatus, totum orbem, et ipsos quoque Augustos concuteret, religio catholica penitus corruisset?*

126. Probatur demum ex ratione, quia regimen monarchicum inter alia est optimum, ut docet d. Thom. [11] his

(1) Loc. c. (2) C. Sacrosanta. Diss. 22. c. Facta, caus. 9. q. 3. (3) C. Cuncta, caus. 9. q. 3. (4) C. Significasti. Extrav. de elect. (5) C. Sacrosancta, de maior. et obed. (6) Ep. ad Chartagin. (7) Ep. 2. ad Severum. (8) L. 4. ep. 52. (9) Ep. 53. (10) Ep. 8. (11) In 4. cont. gent. c. 76.

praestantibus verbis: *Optimum regimen multitudinis est, ut regatur per unum; pax enim, et unitas subditorum finis est regiminis; unitatis autem congruentior causa est unus, quam multi, unde Christus*[1] *dixit: Et fiet unum ovile et unus pastor.* Calvinus docuit Christum non instituisse gubernium monarchicum in ecclesia; sed communiter oppositum vere docent catholici cum d. Cypriano; et idem Gerson scripsit: *Haereticum esse qui contrarium tenet; nullam aliam politicam constituit in ecclesia Christus praeter monarchicam.* Adde si regimen in ecclesia non esset monarchicum, non satis a Deo ecclesiae bono provisum esset; nam cum raro concilia conveniant, et raro convenire possint, ob incommoda, dispendia, bella, raro etiam hoc regimen existeret. Et ideo d. Antonin.[2] dixit Christum Dominum monarchiam in ecclesia instituisse, pontificem vicarium sui constituendo. Quapropter pluries accidit, ut notat Bellar.[3] pontifices absolute haereses sine concilio damnasse, ut Pelagii Priscilliani Ioviniani Vigilantii aliorumque multorum, quae eo ipso quod a papa damnatae fuerunt, a tota Christi ecclesia pro veris haeresibus habitae sunt. Hinc docet d. Thomas, quod auctoritatem quam concilia praeseferunt, totam a pontificia auctoritate exhauriunt: et ideo a concilio ad papam bene appellari potest, sed non a papa ad concilium. S. Thom.[4] sic loquitur: *Sicut posterior synodus potestatem habet interpretandi symbolum a priori synodo conditum... ita etiam rom. pontifex sua potest: cuius auctoritate sola synodus congregari potest, et a quo sententia synodi confirmatur, et ad ipsum a synodo appellatur.* Et[5]: *SS. patres in concilio congregati nihil statuere possunt, nisi auctoritate romani pontificis interveniente.* Accedit s. Io. a Capistrano de papa et concilio dicens: *Patet igitur expressissime papam supra concilium, et non concilium supra papam iurisdictionem plenariam in omnibus obtinere. Et concilium quantumlibet oecumenicum papae subiici, et obedire teneri, a quo salus fidelium post Christum pendet.* S. autem Antoninus[6] non abstinuit a declarando opinionem contrariam esse haereticam, his verbis: *Sed nec ad concilium generale a papa appellari potest, quia papa omni concilio superior est; nec robur habet quicquid agitur, nisi auctoritate rom. pontificis roboretur et confirmetur. Sentire ergo quod a papa ad concilium appellari possit, est haereticum.*

127. Obiiciunt adversarii I. et dicunt, si ergo pontifex est supra concilia, haec inutilia sunt, et frustra ipsi pontifices toties, ut fidei quaestiones decernerentur, concilia indixerunt. Sed responsio cuique patet, non enim pontifices concilia dicuntur convocasse, quia de fide controversias definire non valerent, sed hoc fecerunt, ut, rebus magis ad trutinam mandatis, haeretici validius convincerentur, et dogmata fidei, totius ecclesiae iudicio examinata, statuerentur firmius ac facilius a fidelibus reciperentur. Et ideo (ut adversarii opponunt, sed immerito) plures pontifices post suas definitiones concilia convocarunt: sed omnia quae in conciliis sunt unquam definita circa res fidei, a pontificia approbatione auctoritatem exhauserunt, prout declaravit lateranense ultimum sess. IX. ubi sic habetur: *Consueverunt antiquorum conciliorum patres pro eorum, quae in suis conciliis gesta fuerunt, corroboratione a romanis pontificibus subscriptionem, approbationemque humiliter petere et obtinere, prout ex nicaena, ephesina, chalcedonensi, sexta constantinopolitana, septima nicaena, romana sub Symmacho synodis habitis, eorumque gestis manifeste colligitur*[7].

128. Obiiciunt II. textum[8]: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum... quod si non audierit eos, dic ecclesiae.* Ergo dicunt, si correctio a Petro ad ec-

(1) Io. 10. 16. (2) P. 3. tit. 22. c. 2. §. 3. (3) L. 4. de rom. pont. c. 3. (4) Q. 10. de potent. a. 4 ad 13. (5) Op. cont impugn. relig. c. 4.

(6) P. 1. tit. 23. de appel. pap. c. 3. §. 3. (7) Ita ap. Porrect. in d. Th. 2. 2. q. 1. a. 10. (8) Matth. 18. 15 et 17

clesiam est deferenda, potestas suprema est in concilio per ecclesiam designato. Et confirmant ex verbis Innocentii IV.[1], qui Friderico II. scripsit, se paratum esse de consilio concilii suam revocare sententiam. Sed respondetur, quod Christus non direxit Petro verba illa ut suo vicario, sed omnibus discipulis et fidelibus, praeceptum correptionis imponendo. Deinde per illa verba, *dic ecclesiae*, non fuit designatum concilium (quod raro habetur), ut possit corrigere delinquentes, sed nomine ecclesiae intelliguntur superiores iurisdictionem habentes, ut docet Chrysostomus[2]: *Dic ecclesiae* (explicat), *praesulibus scilicet ac praesidentibus*. Ad illud autem Innocentii respondet Bellarm.[3] posse intelligi de iudicio discretivo, non decisivo. Praeterquamquod ibi non agebatur de quaestione fidei decernenda, sed tantum de sententia punitionis moderanda, si id pro pace cum imperatore per pontificem excommunicato concilianda conveniens visum fuisset. Hinc s. Irenaeus[4] loquens de ecclesia romana, ait: *Ad hanc enim ecclesiam propter principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam* (hoc est, eos qui sunt undique fideles) *in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quae ab apostolis est traditio.*

Obiiciunt III. d. Leonem, Eutychetis haeresi damnata, iudicium illud passum esse denuo in synodo chalcedonensi discuti: ex quo inferunt ipsum pontificem sensisse suam definitionem sine concilio fallibilem esse. Sed respondetur quod s. pontifex non ideo permisit synodum, quia suam sanctionem non censuerit irreformabilem, sed ut error pleniori iudicio concilii potuisset aboleri, et omnia exorta dissidia, iuxta imperatoris desiderium, hoc modo sedari. Hoc patet ex eiusdem s. Leonis epistola 47., patetque ex eiusdem synodi subsequenti decreto, ubi sancitum fuit: *Definitio omnibus placet: per os Leonis locutus est Petrus: haec fides patrum: qui aliter sentit anathema est.*

129. Obiiciunt IV. concilia constantiense et basileense. De constantiensi duo decreta opponunt edita, unum in sess. 4. quo dictum fuit: *Haec sacrosancta synodus ecclesiam repraesentans potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiusque dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur in iis quae pertinent ad fidem, et extirpationem dicti schismatis, et reformationem generalem ecclesiae in capite et in membris.* Hoc decretum editum in sess. 4. fuit postea confirmatum in sess. 5. Sed antequam ultra procedamus, circa decreta haec sciendum, ut referunt Milant.[5] et Troila[6], quod sacrum cardinalium collegium cum tribus nationibus (adversus germanicam) interfuerunt in sessione, tantum ob timorem Sigismundi imperatoris, sine animo articulum definiendi: atque in scriptis patres sunt protestati de nullitate sessionis huius. Verba autem protestationis cardinalium, et trium nationum, factae die 29 septemb. anno 1417. haec fuerunt: *Clerus et populus nonnullorum regnorum nondum clare et solide huic sacro concilio adhaeserunt propter rumores discordiarum quas in eodem concilio fieri audiunt, fides iam de eodem concilio dicitur vacillare etc.* Ita ap. Ronc.[7]. Insuper testatur card. Turr.[8] quod, *sicut apertissime patet ex gestis illius congregationis, decreta illa, si ita sunt appellanda, facta sunt solum a patribus aliquibus obedientiae Ioannis* XXIII. Qui patres tantum ad tertiam partem pertingebant; qua de re (asserit Milante[9]) concilium definitionem illam emanavit, cum nondum fuerit oecumenicum. Et ideo quisque videt cuius roboris sit illud decretum tam tumultuarie editum, saltem sine unanimi suffragio patrum: nam ut scripsit idem Ioannes XXIII. duci Bituricae[10] non fuerunt data suffragia per singulos, uti oportebat, sed incongruenter statutum fuit quam-

(1) C. Ad apostolicae, de sent. et re iud. in 6. (2) Hom. 61. in Matth. (3) L. 2. de conc. c. 18. (4) L. 3. adv. haer. c. 3. (5) Loc. c. (6) Tr. 7. §. 8. n. 58. ex Emman. Schelstrate de sensu decret. conc. constant. (7) Animad. in Nat. t. 20. (8) L. 2. de eccl. c. 99. et 100 (9) L. c. (10) Ap. Troila n. 59

ibet nationem unum suffragium habere. Et hoc factum confirmat cardinalis Alliacensis[1] qui in concilio adfuit, hocque dubium in illo proposuit, ne ipsius acta deinde in dubium de nullitate vocarentur. Hinc praefatus card. Turrecrem.[2] qui etiam synodo interfuit, et Caiet.[3] absolute asserunt decreta illa nullius fuisse momenti, cum non intervenerit ecclesia: prout etiam affirmavit Eugenius IV. in apologia contra basileenses affirmans, *Quod ibi actum est universae ecclesiae non debet adscribi.*

130. Praeterea, adhuc praefatis decretis admissis, respondent Bellarm. Turrecrem. Spondan. et alii, quod decreta illa fuerunt pro papa dubio, et tempore schismatis tunc grassantis, cum inter tres pontifices tunc constitutos quisque pontificiam dignitatem sibi vindicabat; sed omnes a concilio fuerunt depositi, et Martinus V. eodem tempore a cardinalibus pontifex legitime creatus. Et hoc bene constat ex ipsius concilii verbis, ut supra relatis: *Cui quilibet .... obedire tenetur in iis quae pertinent ad fidem*, *et extirpationem dicti schismatis.* Nec officiunt verba subsequentia: *Et reformationem generalem ecclesiae Dei in capite*, *et membris.* Nam primo respondet Troila[4] quod praedicta ultima verba fuerunt a basileensibus adulterata in secundo decreto, ubi eadem verba primi decreti identice leguntur repetita, additis illis, *et reformationem etc.* Deinde respondetur quod decreta illa loquebantur in subiecta materia, scilicet in casu papae dubii, in quo (ut notatum est in praemissis) suprema potestas est in concilio tam quoad materias fidei, quam quoad definiendum quis sit verus pontifex, tunc enim quisque definitioni concilii subiici debet. Tunc autem temporis in dubium revocabatur, quis esset verus pontifex: et quamvis legitimus pontifex esset Ioannes XXIII. ut aliqui contendunt, attamen hoc ubique non constabat; quapropter, ut habetur ex historiis[5], ipse Ioannes ad ecclesiae pacem firmandam sponte pontificatum resignavit. Idem confirmatur ex declaratione eiusdem synodi constant. sess. 5. ubi dictum fuit: *Item declarat*, *quod quicumque qui mandatis huius s. synodi*, *et cuiusque alterius concilii generalis super praemissis*, *seu ad ea spectantibus factis vel faciendis*, *obtemperare contempserit*, *etc.* Ex quibus verbis sat patet synodum locutam esse tantum de conciliis quae celebranda fuerint *super praemissis etc.* Quae autem erant illa *praemissa*, nisi schisma sopiendum, pontificesque dubii deponendi? Haec enim fuit vera causa huius synodi celebrandae, nempe eventus papae dubii. Caeterum in congregatione habita die 11. septemb. ann. 1417. communiter decisum fuit, quod *papa rite et canonice electus a concilio ligari non posset.* Si igitur est certum, papam non posse ligari legibus concilii, certum est etiam concilium non esse supra papam, nec a papa appellari posse ad concilium.

131. Nec obstat quod obiicit Iuveninus[6] scilicet Martinum V. (ut in ult. sessione concilii legitur) per advocatum concilii denuntiari iussisse: *Se omnia et singula determinata in materiis fidei per concilium constantiense conciliariter tenere velle*, *ipsaque sic conciliariter facta probare*, *et non aliter nec alio modo.* Ergo (dicunt) etiam Martinus confirmavit decreta quartae et quintae sessionis. Nam respondetur: Per illa verba, *in materiis fidei*, Martinus tantum comprehendere voluit decreta adversus Wicleffum et alios haereticos in concilio damnatos, non vero decreta de superioritate concilii; haec enim decreta non ad fidem, sed ad reformationem tantum spectabant, ut ipsi pp. dicebant, *ad reformationem generalem ecclesiae Dei in capite et in membris.* Ergo decreta illa minime confirmare voluit Martinus. Resp. II. Decreta illa pontifex non solum non approbavit,

(1) Tr. de eccl. auct. p. 1. c. 4. (2) Loc. cit. (3) P. 1. de auct. pap. c. 8

(4) Tr. 7. a. 7. §. 8. n. 54. ex Emm. Schelstr. de sensu decr. conc. const. (5) Ap. Suarez de fid. l. 3. c. 18. (6) Inst. theol. diss. 4. q. 3. a. 16.

sed expresse reprobavit: cum enim a concilio damnatus fuisset ut haereticus quidam libellus a Ioanne Falckemberg editus contra regem et nationem Poloniae, Martinus obstitit, declaravitque hanc non esse fidei causam. Et ex hoc, cum poloni ad futurum concilium a Martino appellassent, pontifex constitutionem edidit, in qua dixit: *Nulli fas est a supremo iudice, videlicet apostolica sede, seu romano pontifice Iesu Christi vicario in terris appellare, aut illius iudicium in causis fidei (quae tanquam maiores ad ipsum, et sedem apostolicam deferendae sunt) declinare.* Huius constitutionis meminit Ioannes Gerson [1] et huius causa edidit tractatum: *An liceat a pontifice appellare.*

132. Accessit inde synodus basileensis, quae non solum decretum constantiense confirmavit, sed etiam concilium supra papam indubium esse definivit: proposuitque tanquam credendas de fide sequentes tres impias propositiones.

I. Veritas de potestate concilii generalis, universalem ecclesiam repraesentantis, supra papam, et quemlibet alterum, declarata per constantiense, et hoc basileense generalia concilia, est veritas fidei catholicae.

II. *Veritas haec, quod papa concilium generale, universalem ecclesiam repraesentans, actu legitime congregatum super declaratis in praefata veritate, aut aliquo eorum, sine eius consensu nullatenus auctoritative potest dissolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, est veritas fidei catholicae.*

III. *Veritatibus duabus praedictis pertinaciter repugnans, est censendus haereticus.*

Tandem usque adeo basileensium antistitum audacia pertransiit, ut postquam Eugenius concilium Ferrariam transtulit, ausi fuerint ipsum a sede papali deponere, et haereticum declarare, ac Amadaeum Sabaudiae ducem in eius locum sufficere nomine Felicis; reclamantibus tamen, et a concilio recedentibus fere cunctis episcopis, ut testatur divus Antoninus [2] et Spondanus [3] qui de hac iniqua depositione sic scripsit: *Crescente dissensione, adeo diminutus est eorum numerus, ut cum iudicium in Eugenium intentarunt, vix triginta adfuerint, et in eius depositione septem tantum episcopi.* Adeo ut ipse Felix postea suae electionis nullitatem agnoscens, ab omni iure ad papatum se abdicaverit, et Nicolao v. Eugenii successori obedientiam humiliter praestiterit.

133. Ludovicus Dupinus, quem secuti sunt aliqui alii ex gallis, hoc basileense conventiculum oecumenicam synodum non erubuit appellare, dicens ipsam legitime a Martino v. fuisse indictam, ab Eugenio autem IV. ut legitimam confirmatam, et demum a Nicolao v. in omnibus approbatam. Ad horum falsissimas suppositiones refellendas longa utique ac integra dissertatio requireretur; sed ne nimis a meo proposito recedam, breviter respondeo, et dico quod huiusmodi basileensis conventus nullo modo generalis concilii nomen meretur; et hoc ex ipsis gestis, de quibus dubitari non potest, aperte constat. Primo, quia numerus episcoporum fuit in eo tam exiguus, ut nulla ratione potuerit unquam universalem ecclesiam repraesentare. In sessione enim 2. et 3. in quibus praefatae definitiones editae fuerunt, septem vel octo tantum episcopi adfuerunt; idque habetur ex responso ipsius synodi dato 6. id. nov. 1440. ubi legitur: *Cum tempore primae dissolutionis praetensae pacis praelati essent in concilio, non numerum quatuordecim excedentes, neque medietas numeri suppositorum in concilio haberetur, quae praemissis actibus interfuit, etc.* Et licet, aucto deinde antistitum numero, in sess. 18. fuerint decreta 2. sessionis renovata; refert tamen cardinalis Turrecremata [4] quod in illa sess. 18. non omnes consenserunt, sed plures protestati sunt, alii

(1) Dial. apolog. pro conc. const.
(2) Hist. tit. 22. c. 10. §. 4.
(3) Ad an. 1431.
(4) Resp. ad basileens. habita in conc. florent. et in summ. de eccl. l. 2. c. 100.

vero consensum praestiterunt, vel ut privatae personae, vel potius violenter; alii tandem noluerunt intervenire, cum decreta ederentur non per solos episcopos, ut opus erat, sed *per multitudinem populi parvi pretii et nullius auctoritatis*. Quod confirmatur ex oratione card. Arelatensis (quae legitur apud Aeneam Sylvium [1]): qui cum esset praecipuus promotor praestantiae concilii supra papam, ibi fortiter conquestus fuit de hoc praelatorum dissensu et ideo praefata decreta inferioris potius cleri suffragiis, quam ipsorum, adscripsit, dicens: *Opus Dei hac vice fuisse autumo, ut inferiores ad dicendum reciperentur*. Et praedictus Aeneas Sylvius in oratione habita ann. 1452. adversus australes (ut fert Ludovicus Muratorius [2]) de relatis decretis loquens, dixit: *Inter episcopos vidimus in Basilea coquos et stabularios orbis negotia iudicantes*.

Secundo nequit concilium basileense nuncupari oecumenicum, quia ibi non adfuerunt legati pontificii, ut oportebat. Quomodo enim concilium dici potest oecumenicum, ubi caput suum deest, quando existit papa certus? S. Thom.[3] docet: *Sancti patres in conciliis congregati nihil statuere possunt, nisi auctoritate romani pontificis interveniente*. Et Glossa[4] ait: *Universale* (concilium) *est quod a papa vel eius legato cum omnibus episcopis statuitur*. Hinc Nicolaus I.[5] ita scripsit: *In universalibus synodis quid ratum, nisi quod sedes b. Petri probavit, ut scitis, habetur? Sicut e contrario quod ipsa sola reprobavit, hoc solummodo constat hactenus reprobatum*. Si igitur loquimur de sessione 2. ut supra habita 14. kalend. mart. ann. 1432. habetur [6] quod cardinalis Iulianus, tunc temporis sanctae sedis legatus, iam antea die 8. februar. se praesidentia concilii exoneravit. Adde quod Eugenius post primam sessionem iam concilium revocaverat, ut refert Didacus Payva ex Alexandr. [7]. Ita pariter in sess. 18. legati pontificii defuerunt: nam alii abfuerunt, alii autem non ut legati, sed ut privatae personae subscripserunt, ut supra diximus, et ostendit Roncaglia [8].

Tertio praeterea scitur suffragia data in praefata synodo minime fuisse libera, ut refert cardinalis Turrecr. et ut asseruit Eugenius in sua bulla [9] dicens: *Plerique accedere sunt coacti, in quibus nec vis nec potestas concilii generalis consistit, quorum deliberationes minime sunt liberae, cum ab eorum qui compulerunt voluntate dependeant*. Quapropter s. Antoninus [10] vocavit hanc basileensem synodum *conciliabulum viribus cassum, et synagogam Satanae*. S. Io. de Capistrano [11] appellavit illam *synodum profanam, excommunicatam et basiliscorum speluncam*. Episcopus Meldensis legatus Caroli VII. ad Eugenium [12] nuncupavit *daemonum catervam*. Concilium florentinum [13] damnavit declarationes basileenses tanquam impias et scandalosas. Demum lateranense V. ut legitur in bulla Leonis V. edita, praefato concilio approbante, synodum basileensem conciliabulum schismaticum, seditiosum et nullius auctoritatis agnovit. Quis ergo modo concilium illud legitimum dicet, quod temerarii, profani et diabolici grande nomen promeruit? Postquam igitur Eugenius basileensem synodum revocavit, prorsus quidem illegitima ipsa evasit. Nec obstat quod Eugenius deinde dissolutionem illius revocasset, ut adversarii obiiciunt; nam refert card. Turrecrem. [14] hanc revocationem ab Eugenio metu extortam fuisse, et ipsius constitutionem revocationis quodammodo ipso nesciente fuisse publicatam. Scripsit enim s. Athanasius [15]: *Non est censenda eius sententia, quam minae et terrores extorserunt, sed ea quam protulit, cum liberos haberet affectus*. At dato quod Eugenius liberrime dissolutionem con-

(1) In act. basil. (2) T. 2. in suis anecdotis.
(3) Op. contr. impugn. rel. c. 41.
(4) In dist. 17. verb. gen. conc.
(5) Ep. 7. (6) Act. miss. l. 2. (7) Art. 3. n. 1.
(8) Animadv. ad Nat. Alex. sup. concil. bas. § 1.
(9) Ad archiep. Colon. 3. id. februar. ann. 1431.
(10) P. 3. tit. 22. c. 10. §. 4. (11) De pap. et conc. auct. c. 3. (12) Ap. Raynald. ad ann. 1441. n. 10.
(13) Sess. habita ann. 1439. prid. non. sept.
(14) Dict. l. 2. c. 10. (15) Ep. ad solitar.

cilii revocasset, ipse tamen ut patet ex eiusdem epistolis [1] expresse declaravit decisiones tantum ad extirpandam haeresim, et pacem inter principes statuendam editas, non autem adversus pontificiam potestatem pertinentes, confirmasse. Atque in ipsa constitutione revocationis *Dudum*, duas conditiones apposuit; unam ut legati ab eo deputati *ad concilii praesidentiam cum effectu admitterentur:* alteram, ut expressit: *Ut omnia et singula contra auctoritatem nostram facta prius omnino tollantur*. Sed patres basileenses neutrum implevere: neque enim decreta abstulerunt, neque legatos in sess. 18. admiserunt, nisi exutos omni iurisdictione coactiva, contra Eugenii intentionem; imo nec etiam legatorum assensum in sess. 18. ubi decretum de praeeminentia concilii fuit renovatum, curaverunt obtinere: nam testatur card. Turrecrem. [2], quod in dicta sess. 18. praesidentes pontificis *non consenserunt*, *imo contradixerunt*, *et protestati sunt. Licet aliqui non ut praesidentes, sed ut privatae personae et quasi violenter, cum aliter non admitterentur ad praesidentiam*, *in renovationem illam consenserunt*. Deinde, cum ipsi basileenses patres instanter postmodum ab Eugenio approbationem decretorum suorum petiissent, illam nunquam Eugenius concedere voluit, ut ipse Eugenius in concilio florentino declaravit, inquiens: *Nos quidem progressum concilii approbavimus*, *non tamen eius decreta.* Et cum rex romanus ac imperii electores instassent pro decretorum confirmatione, Eugenius scribens ad legatos suos in Germania, quamvis concilia tum constantiense, tum basileense in sua epistola fassus sit venerari, verumtamen ibi expresse protestatus est ea suscipere, *absque tamen praeiudicio iuris*, *dignitatis*, *et praeeminentiae s. sedis apostolicae*, *ac potestatis sibi et in eadem canonice sedentibus concessae.* Atque in synodo florentina ad proscribendas propositiones concilii basileensis, concilium pontifici praeferentes, constitutionem edidit *Moyses* (quae legitur in nova editione veneta conciliorum [3]), in qua habetur: *Quas propositiones iuxta pravum basileensium intellectum*, *quem facta demonstrant*, *velut s. scripturae et ss. patrum et ipsius constantiensis concilii sensui contrarias*, *tanquam impias*, *scandalosas*, *necnon in manifestam ecclesiae scissuram.... cedentes*, *ipso sacro approbante concilio*, *damnamus et reprobamus*. Vide hic autem quam futilis sit verborum istorum ingeniosa interpretatio Natalis Alexandri dicentis, quod ideo Eugenius propositiones illas damnavit, quia haeresis nota inurebantur qui adversus eas sentiebant: nam ad istius commenti insubsistentiam probandam sufficit verba relatae bullae relegere, quibus clare patet noluisse quidem pontificem ab haeresi tutari solum qui contra concilium sentiebant, sed expresse damnare voluisse et reprobare *tanquam impias*, *scandalosas*, *nec non in manifestam ecclesiae scissuram cedentes* propositiones illas, *iuxta* (nota) *pravum ipsorum basileensium intellectum*, qui asserebant concilium praestare pontifici etiam certo: et huiusmodi intellectum, quem facta demonstrabant (cum patres basileenses Eugenium monuerint, citarint, etc.) utique pontifex improbavit.

Instant adversarii et aiunt praefatam constitutionem *Moyses* postmodum abolitam fuisse a Nicolao v. Sed revera in litteris Nicolai (ut videre est apud ipsum Natalem [4]) nihil aliud reperitur, quam confirmatio possessionum et collationum beneficiorum, quas fecerant basileenses, nulla penitus facta mentione potestatis praetensae concilii supra papam.

134. Instat ultimo pro superioritate concilii Ludovicus Maimburgus, obiiciens eosdem pontifices aliquando conciliorum superioritatem supra papam fuisse confessos. Et opponit I. factum Siricii, qui ab aliquibus episcopis requisitus super errore Bonosi, nempe

(1) L. 15. p. 117. et 123. et l. 17. p. 201.

(2) In dict. resp. ad basileens.

(3) T. 13. n. 1202.

(4) Art. 1 n. 15.

quod B. V. Maria alios post Iesum filios suscepisset; respondit super hanc controversiam se non posse iudicare, cum eius iudicium concilio capuensi commissum fuerit. Sed respondetur 1. quod hoc argumentum probaret nimis; nam hoc modo papa non solum generali concilio inferior esset, sed etiam provinciali, quale erat capuense. Resp. 2. quod haec verba falso Siricio apponuntur; cum tantum in epist. 79. Ambrosii reperiantur. Resp. 3. quod, dato etiam quod sint Siricii, Siricius ibi non declaravit se synodo inferiorem, sed significavit dedignari sua auctoritate ex declaratione illius concilii causam iudicare: et patet ex verbis ibi: *Nos quasi ex synodi auctoritate iudicare non convenit.* Vide Troil. [1]. Opponit II. Maimburgus testimonium Sylvestri II. quod *si romanus episcopus ecclesiam non audierit, ut ethnicus habendus sit.* Respondetur, illud testimonium non fuisse Sylvestri sed Gerberti Monachi, qui (ut referunt Baronius [2] et Spondanus [3]) dum fuisset illegitime assumptus ad rhemensem archiepiscopatum, Arnulpho iniuste deposito, et tunc contenderet sui confirmationem, non obstante dissensu pontificis, Seguino metropolitano verba illa scripsit. Sed postmodum idem Gerbertus, cum favore Otthonis imperatoris ad pontificatum assumptus esset, ipsummet Arnulphum in suam rhemensem ecclesiam restituit. Opponit III. Maimburgus confessionem Pii II. qui in sua bulla retractationis fassus est, ipsum antea in synodó basileensi antiquam sententiam de superioritate concilii tutatum fuisse: ergo, arguit Maimburgus, haec est antiqua sententia. Sed respondetur opus esse legere bullam praefatam (apud Troilam [4]) et ibi patenter quisque intelliget quo sensu Pius asseruerit sententiam illam *antiquam;* antiquam, quia ipse prius, cum non esset pontifex (tunc temporis dictus Aeneas Piccolominus), pro superioritate concilii contenderat: sed postea, veritate perspecta, adhuc ante pontificatus adeptionem se retractavit, ut patet ex epistola ab ipso ad Eugenium IV. missa. Hinc cernitur, quam fraudulenter miser Maimburgus gestis verbisque utatur.

135. Adversarii pro eorum opinione stare dicunt cardinales Cusanum et Alliacensem, item Gersonem, Almainum, Adrianum VI., Panormitanum, Alphonsum Tostatum, Dionysium Carthusianum et Driedonem. Sed operae pretium est observare cum Roncaglia [5] quot exceptiones praefatorum auctoritatibus opponantur. Cardinalis enim Cusanus licet prius [6] concilium papae praetulisset, tamen postea non obscure oppositum se sensisse ostendit: nam [7] docuit romanam ecclesiam esse ac iugiter futuram columnam veritatis, et proinde nunquam a fide defecisse, nec alterius sedis correctione indiguisse; ac veritatem certo apud eos inveniendam, qui a romano pontifice non separantur. De Alphonso Tostato refert Spondanus [8] quod ipse ideo papae praerogativis fuit infensus, quia quaedam suae theses Eugenio IV. non fuerunt acceptae, et repulsae fuerunt a card. Turrecremata; proinde scripsit Spondanus quod ipse *in pontificum auctoritatem invectus prae studio tuendi sua apparuit; sed cum non obtinuit quod petiit non potuit adeo genio imperare, ut non acerbius rem in contradictores ageret.* Verumtamen ipse Tostatus [9] sic scripsit: *Voluit Christus, quod confessio fidei esset per Petrum solum, ut innuatur quod talis fides tenenda est, qualem praedicat romana sedes, quae est mater et caput ecclesiarum, cui Petrus praefuit.* De Panormitano [10] legitur, quod hic doctor fuit a rege aragonensi contra Eugenium irritato, ad synodum basileensem data opera missus, ut romani pontificis auctoritatem impugnaret, prout iam egisse refert Panzaroli [11] subdens eumdem *ex pluribus responsis editis magnam pecuniam conflasse, pleraque indigna egisse.* Caete-

(1) Loc. c. (2) An. 992. (3) An. 991. n. 2. (4) Tr. 7. a. 7. n. 9. (5) Animad. §. 11. in Nat. Alex. de conc. const. (6) L. de concordia.

(7) In ep. 2. de usu calic. ad Bohem. (8) Ad an. 1447. (9) In c. 16. Matth. (10) In comp. gest. eius inter vitas pont. descr. a Ciacon. (11) De leg. interpr.

rum legens quae ipse scripsit [1] circa potestatem conciliorum, nunquam asserere poterit ipsum infallibilitatem conciliis tribuisse adversus pontificis potestatem.

De auctoritatibus Alliacensis, Gersonii et Almaini scribit Andreas Duvallius eas non multi faciendas, cum praefati auctores tempore schismatis scripserint. Addit Thomassinus [2], Gersonium scripsisse exasperatum schismatis pertinacis importunitate; *Atque ideo plurimum degenerasse a reverentia pontificum gallicanorum, qui cum Leone adfuere romanae synodo. Antiquitas ergo eorum et numerus anteponi debet novitati et paucitati per abrupta molienti se se extricare a schismate intricatissimo.* Iactant etiam habere Adrianum VI. Sed revera hic pontifex, dum privatus doctor fuerat Lovanii, nil aliud scripsit [3] quam posse pontificem in sua decretali haeresim docere, scilicet intelligendum, quatenus doceat prout doctor privatus, non vero ut doctor ecclesiae. Quis enim negabit papam ut hominem erroribus posse esse obnoxium? Iactant etiam Dionysium Carthusianum pro ipsis esse; sed qualis fuerit huius doctoris sententia, valde dubium est; nam hic [4] dicit, papam intolerabiliter vitiosum subiici concilio; sed alibi [5] aliter loquitur dicens: *Papam ut summum ecclesiae pastorem* non posse a generali concilio iudicari aut deponi, *quia ut talis est superior, et praelatus et iudex ecclesiae.* De auctoritate Driedonis [6], ipse nihil aliud sentit, nisi quod pontifex concilio subiiciatur, si doctrinam evangelio contrariam pertinaciter defendat, quod nemo negat. En quomodo istae omnes auctoritates ab adversariis romanae sedis adductae, aut infirmae sint aut dubiae.

Ex his omnibus denique, in unum colligendo sensum scripturarum, pontificum, patrum, ipsorumque conciliorum, quisque animadvertere potest nostram sententiam non esse tam nostram, quam totius ecclesiae sententiam, regulam et sensum. Et ideo non ipsam, sed potius oppositam, ut futilem, saepiusque convulsam, merito censendam ac reiiciendam.

(1) In cap. Significasti, de elect. (2) Diss. 15. in conc. n. 24. (3) Sum. theol. in 4. sent. de sacr. conf.

Dubium III. An vis et substantia legis positivae dependeat ab acceptatione communitatis.

136. *An obliget lex non acceptata.*
137. *Quid si lex a maiore parte populi non accipiatur. Quanto tempore praescribantur leges.*
138. *An peccent legem non acceptantes. Et an lex pendeat ab acceptatione populi. Quid circa leges pontificias. Quid circa civiles.*
139. *Quid si lex sit ardua vel abrogata, vel si maior pars eam non receperit.*

136. « Resp. Etsi ita sentiant canonistae, item Navarr. Azor. etc. citati a Laym [7] eo quod ponant leges hac tacita conditione ferri, si a populo fuerint acceptatae, alioquin vim seu obligationem non habituras: verior tamen sententia est theologorum, leges absoluti magistratus non pendere a populi acceptatione et consensu, sed mox ut legitime promulgatae sunt obligare populum ad recipiendum, praesertim in legibus pontificis qui suam potestatem non accepit a populo sed a Christo. Vasq. Suar. Molin. etc. Unde a Laym. [9] resolvuntur hi casus.

» 1. Episcopis ex officio incumbit novas leges pontificias (ut principibus imperatorias) promulgare per suas dioeceses, atque in usum deducere.

137. » 12. Si lex in provincia promulgata sit, sed a maiore parte populi non accipiatur nec observetur; tunc, si legislator id sciat et taceat, censetur hoc ipso legem revocare. Si vero id sciat et urgeat observationem, quisque tenetur eam servare quia potius caput suum quam reliqua membra sequi debet.

» 3. Si princeps nesciat non accipi nec deduci ad usum, durat legis obligatio, donec elabatur decennium: quo elapso, praescriptum est contra eam, sive imperatoria sit, sive pontificia, et tunc non amplius obligat. Uti et lex ecclesiae, etsi semel recepta sit, aboletur per praescriptionem, sed annorum plurium, nempe quadraginta. Na-

(4) In l. de auct. pap. et conc. p. 2. a. 48.
(5) Ibid. (6) L. 4. c. 4. in fin.
(7) L. 1. tr. 4. c. 3. (8) L. c.

varr. Azor. Suarez. *Vide dicenda n.* 139. *v. lim.* 2.

» 4. Si tu legem promulgatam paratus sis suscipere, et data occasione etiam observes: sed alii plerique e communitate non recipiant nec recepturi videantur, tunc saltem ab ea excusaberis per discretionem.

» 5. Etsi primi episcopi forte peccaverint non recipiendo legem nec in usum deducendo, successores tamen eorum, si post longum tempus videant non observatam, credere possunt esse sublatam per praescriptionem.

» 6. In dubio, num lex recepta sit necne, praesumendum est pro ipsa: quia factum in dubio praesumitur, si de iure faciendum erat. Vide Azor. [1] Laym. [2] Salm.[3]. »

138. Quaeritur, an lex obliget de se independenter ab acceptatione populi. Certum est peccare legem iustam non acceptantes ex prop. 28. ab Alex. VIII. quae dicebat: *Populus non peccat, etiam si absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.* Ratio, quia, licet lex de se non obligaret, nisi populus eam acceptaret; tamen princeps ius habet ut subditi iustas leges suas recipiant. Dubium fit an essentia legis pendeat ab acceptatione populi, ita ut ipsa non liget donec populus acceptet. Et hic distinguendum inter leges ecclesiasticas et civiles. Et quoad leges ecclesiasticas certum est quod summus pontifex potest obligare ad leges populum christianum independenter ab illius acceptatione, quia certum est papam non recipere potestatem legislativam a populo, sed a Christo Domino qui dixit: *Pasce oves meas: quodcumque ligaveris super terram etc.* Et idem dicitur de episcopis, qui vel immediate vel mediate (ut supra) per Christi vicarium ab eodem Domino potestatem habent. Vide Sal. [4]. An autem idem sit quoad leges *civiles*, vide infra.

Quaestio igitur est an lex, ubi non exprimitur velle principem obligare independenter ab acceptatione populi, de se obliget sine populi consensu.

Circa leges pontificum vel aliorum praelatorum, *prima sententia* negat ex iure canonico[5], ubi habetur ex s. Aug.: *Leges constituuntur, cum promulgantur; confirmantur, cum moribus utentium applicantur.* Ratio quia hoc spectat ad suave regimen ecclesiae, ut perturbatio populi evitetur. Ideoque multa decreta pontificia de facto non obligant, quia non sunt acceptata. Ita Cabass. [6] et Val. Fill. Reg. Bon. Cov. et alii apud Salm. [7].

Secunda sententia contraria, cui subscribimus, affirmat, quia praelati ecclesiastici non habent potestatem a populo, uti praenotatum est a principio. Ad textum s. Aug. respondetur, leges per acceptationem confirmantur facto, non iure. Ita Salm. [8] cum Laym. Suar. Pal. etc. Notatur autem quod lex tunc dicitur recepta, cum maior pars communitatis eam recipit in totum vel in partem. Salm. [9] cum Bon. et Val.

Idem quod dicunt de legibus pontificiis dicunt etiam de legibus civilibus Busemb. cum Pal. Suar. Laym. etc. apud Salm.[10] (quamvis negent alii [11] cum Croix[12]). Ratio, quia obligatio legis oritur non ex acceptatione populi, sed ex ipsa potestate principis, quam habet condendi leges independenter a populo.

139. Limitant aliqui dd. (sive lex sit civilis sive ecclesiastica) 1. si lex sit difficilis observantiae, vel contraria consuetudini: quod iudicatur ex arbitrio prudentum: vel si plures ab ea appellent. Ita Pal. Suar. Salas apud Salm. [13]. Contrarium tamen sentiunt Tap. et Gorgon. [14]. Salmanticenses adhaerent primae sententiae, quando lex sit adeo dura, ut per epikeiam iudicetur, quod si legislator illas circumstantias advertisset legem minime emanasset.

Limitant 2. si lex fuerit abrogata per desuetudinem a maiori parte populi. Sed dubitatur inter dd. an praescriptio per decennium sufficiat

(1) L. 5. c. 4. (2) L. 1. tr. 4. c. 3. (3) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 114. (4) Ibid. c. 1. n. 94. (5) C. 3. dist. 4. §. legis. (6) Theor. iur. l. 1. c. 4. n. 6.

(7) Tr. 11. de leg. c. 1. n. 98. (8) Ibid. n. 99. et seq. (9) Ibid. n. 97. (10) Ibid. n. 101. (11) Ibid. n. 102. (12) L. 1. n. 591. (13) Ibid. n. 104. (14) Ibid. n. 105.

ad abolendas leges ecclesiae. Negant cum Busemb. *ut supra n.* 3. Salm. [1] cum Bon. Laym. Diana etc. quia ad praescribendum adversus ecclesiam requiruntur 40. anni, ut habetur ex iure canonico [2]. Sed Lessius [3] et Pal. Sa Gran. Nav. et Azor. apud Salm. [4] probabiliter dicunt sufficere decem annos, sive leges sint receptae sive non; quia non maior ratio habenda est de consuetudine contra legem ecclesiasticam, quam civilem, cum nullum ius inter has leges distinguat. Respondet autem Lessius ad citatos textus, eos non loqui de legibus, sed de iuribus et bonis immobilibus ecclesiae praescribendis; nomine autem iurium ecclesiae non veniunt quidem ecclesiae leges. Quando vero lex nunquam fuerit recepta, certe sufficit decennium pro utraque lege sive civili sive ecclesiastica, ut dicit Bus. *hic n.* 3. Et tunc, licet primi non observantes peccarint, praesentes tamen non peccant. Salm. [5] cum Suar. Bon. Pal. et communiter cum Busemb. *hic n.* 5.

Limitant 3. si maior et sanior pars populi legem non receperit; quamvis enim primi non acceptantes peccent, si desuetudo nondum sit praescripta; caeteri tamen non tenentur ad legem; nam praesumitur princeps nolle hos obligare ad observandum quod non est a maiori parte receptum. Ita Salm. [6] cum Suar. Pal. Tap. etc. cum Busemb. *hic n.* 2. et Less. [7].

Quaeritur hic, an si populus supplicet principem ut revocet legem, teneatur illam observare. Negant Bon. Villal. Salas etc. apud Salm. [8]. Sed recte contradicunt Salm. cum Suar. et Pal. At si princeps audiat supplicationem populi et taceat, nec instet pro observantia, censetur legem abrogare; nisi aliud coniiciatur ex circumstantiis. Salm. [9] cum Pal. Bon. Salas et aliis.

DUBIUM IV. An praecepta etiam humana obligent sub peccato et quali.

140. « Resp.: Cum Deus sit Dominus noster, atque etiam superioribus parere nos iusserit, non solum ipse, sed et illi nobis praecipere possunt et praecipiunt, tum sub poena, tum etiam sub culpa sive peccato, eoque gravi aut levi, prout et rei praeceptae ad intentum finem necessitas et materiae quantitas et eorum voluntas se se habent, quae ex eorum verbis, circumstantiis, aut prudentum aestimatione solet colligi. Ita theologi communiter, s. Thom. Suar. Salas etc. »

Ut lex obliget, quatuor conditiones requiruntur. 1. Ut lex sit pro tota communitate. 2. Ut legislator habeat publicam potestatem. 3. Ut lex sit perpetua. 4. Ut sit ad bonum commune: deinde sit honesta, iusta et possibilis. Vide Salm. [10]. Hinc lex differt a praecepto seu mandato; nam praeceptum fertur pro persona particulari et etiam a persona privata. Deinde praeceptum est ad tempus, cum spiret morte mandantis; nisi res non sit amplius integra, vel nisi praeceptum sit ad causas pias, vel pariter favorabiles. Vide Croix [11] Salm. [12].

Unde resolvuntur hi casus:

« 1. Graviter peccat qui deliberate, et in materia magna violat praeceptum aliquod decalogi vel ecclesiae.

141. » 2. Cum res levis est, non peccat mortaliter transgrediens, etsi su-

(1) Tr. 11. de leg. c. 6. n. 17. (2) C. de quarta, et c. Ad aures, de praescr. (3) L. 2. c. 6. n. 47. (4) Loc. cit. (5) Tr. 11. de leg. c. 1. n. 106. (6) Ibid. n. 107. (7) L. 2. c. 22. n. 98. (8) Tr. 11. de leg. c. 1. n. 111. (9) Ibid. n. 112. (10) Ibid. a n. 7. (11) L. 1. n. 565. et 566 (12) Tr. 11. de leg. c. 1. n. 5.

perior sub mortali praeceperit: quia id eum posse negant Suar. Laym. et alii communiter; v. gr. ne quis frangat silentium, ne edat uvam, ut claudat ostium, etc. quia est res parva et incapax tantae obligationis. Nec ipse Deus in materia parva sub mortali obligat. Vide Less.[1] Salas [2]. » Est communissimum apud Salm.[3]. Tenent tamen[4] cum s. Thom. Valent. etc. contra Sanch. Vasq. etc. posse praelatum regularem praecipere sub gravi, quod a regula praeceptum est tantum sub levi, si timetur quod regula aliter non observetur.

142. « 3. Aliud esset, si materia alias levis, fieret gravis ratione circumstantiarum; ut verb. gr. contemptus, scandali, magni boni communis, vel finis a legislatore intenti. Sic abstinentia a pomo in paradiso, in se quidem parva, gravissima tamen erat ex circumstantia finis. Suar.[5]. »

Nota quod in quacumque materia contemptus formalis legis aut legislatoris (quod est contemnere legem, vel legislatorem, seu superiorem qua superior est) semper est peccatum mortale. Salm.[6] cum s. Thom. Suar. et communi. Secus si contemnatur res praecepta, quia parvi aestimatur, vel ex indignatione particulari contra superiorem. Salm.[7] cum Sanch. Caiet. etc. Contemptus enim non qua superioris, sed qua singularis personae, v. gr. quia indocti, imprudentis, etc. de se non est culpa mortalis; nisi forsan iudicium sit graviter temerarium. Ita Salm.[8] cum Pal. Sanch. Less. Bon. Hinc dicunt raro contingere peccatum mortale ratione contemptus.

143. « 4. Quando materia est gravis potest superior praecipere sub culpa tantum levi: quia sicut potest nullo modo obligare non praecipiendo: ita etiam potest obligare sub veniali tantum. Ita Suar. Less.[9] contra Vasq. »

Quaestio est, an legislator in materia gravi possit obligare tantum sub levi. *Prima sententia* negat, quia gravitas obligationis non dependet ex voluntate superioris, sed gravitate materiae. Ita Bellarm. Reg. Sot. Vasq. Bec.; *secunda* tamen *sententia* probabilior affirmat, quia in legibus obligatio taxatur a legislatore iuxta finem intentum, ad quem aliquando expedit non imponere obligationem gravem in gravi materia. Ita Lessius[10] Salm.[11] cum Sanch. Pal. Bon. Val. etc. Sicut bene quis potest vovere in quacumque materia, etiam gravissima, tantum sub levi; ut s. Antonin. Pal. Sanch. etc. apud Salm.[12].

144. « 5. Potissima signa ex quibus colligi possit an lex obliget sub gravi culpa, sunt haec. 1. Si materia sit gravis, et non constet in contrarium de voluntate praecipientis. Unde Caiet.[13] docet clericos tantum peccare venialiter, dum contra praecepta iuris positivi aves et canes sequuntur ad venandum. 2. Si verba magnam vim habent, ut iubemus, interdicimus, in virtute sanctae obedientiae, vel vi voti, aut iuramenti, vel graviter mandamus, etc. 3. Si poena magna adiiciatur, ut excommunicationis, depositionis, maledictionis aeternae, exilii perpetui, mortis, etc. 4. Si ita fert usus et consuetudo inter peritos et timoratos: quia consuetudo est optima legum interpres, ut patet in lege ieiunii ecclesiastici et abstinentiae a carnibus; item communionis annuae, quas graviter obligare probant hic Tol. Laym.[14] Bonac.[15]. »

145. Docet auctor legem obligare sub gravi si magna poena in ea adiiciatur. Hic addendae sunt plures quaestiones scitu necessariae: et ante omnia est notandum quod alia est lex pure poenalis quae nullum dat praeceptum, v. gr. Qui hoc fecerit solvat poenam. Et haec non obligat in conscientia, etiamsi poena sit gravissima, ut Salm.[16] cum Nav. Pal. Tap. Regin. etc. Hinc leges oppidorum prohibentes sub poena caesionem lignorum sive herbarum, pi-

(1) L. 2. c. 4. d. 9. (2) D. 10. s. 7. (3) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 18. (4) In tr. 15. de stat. rel. c. 6. a n. 85. (5) L. 3. c. 25. (6) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 38. (7) Ibid. n. 39. (8) Ibid. n. 40.

(9) Loc. c. (10) L. 2. c. 41. n. 46. (11) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 20. (12) Ibid. (13) In summ. verb. cler (14) L. 1. tr. 4. c. 14. n. 4. (15) P. 7. §. 4. (16) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 53.

scationem, venationem, non obligant sub culpa; sic enim habet consuetudo. Ita Salm. [1] cum Nav. Val. Montes. etc. Alia est lex non pure poenalis, seu mixta, quae praecipit et poenam imponit, v. gr. Nemo hoc faciat sub poena etc.

Omnes leges sub poena excommunicationis latae sententiae obligant graviter: est commune. V. Salm. [2].

146. Quaeritur 1. An obliget sub gravi lex quae praecipit sub poena suspensionis, interdicti, vel irregularitatis. Negant obligare sub gravi, cum ista possint incurri sine peccato gravi, Cai. Val. Salon. (et Azor. quoad suspensionem) apud Salm. [3] contradicunt tamen Salm. tam quoad irregularitatem cum Sanch. Pal. Tap. etc. quam quoad interdictum et suspensionem, si sint maiores, prout suspensio ab officio vel beneficio ad longum tempus, et interdictum ad omnem usum, quae dicunt non posse incurri sine peccato gravi. Ita Salm. [4] ex Suar. Bon. Conin. Pal. etc. [5]. (Vide etiam de hoc *l.* 7 *de censur. n.* 313.) Et idem dicunt de aliis poenis spiritualibus gravissimis [6].

Quid si tales poenae sint ferendae sententiae, an obligent sub gravi. Alii affirmant: alii probabilius negant, ut Salm. [7] cum Caiet. Pal. Suar. Sanch. Vasq. etc. Nisi dicatur quod censura incurratur *sine alia monitione:* vel nisi de se materia sit gravis.

147. Quaeritur 2. An leges assignantes poenam temporalem et simul praecipientes, obligent ad culpam, an solum ad poenam. *Prima sententia* negat, nisi ipsa lex exprimat velle obligare etiam ad culpam. Ita Nav. [8] qui ait: *Leges humanae etiam praecipientes, quae poenam temporalem constituunt, in dubio ad aeternam non obligant, quatenus sunt leges eius qui poenam statuit.* Ita etiam Caiet. [9]. Item Mencada Gomez Imola ap. Salm. [10] et probabilem [11] vocant Val. Bon. Dian. Tap. ac Vill. et loquendo de lege civili probabilem etiam putat Mazzot. [12] cum Fill. Ratio, quia licet principes bene possint obligare tam ad poenam, quam ad culpam; tamen cum non sint imponenda onera sine necessitate, non praesumuntur ipsi velle ad culpam obstringere, quando sufficit poena ad eos coercendos: et ita huiusmodi leges dicunt a consuetudine interpretari. Verius tamen contradicit *secunda sententia;* quam absolute tenent Salm. et probabiliorem censent Val. Bon. Dian. Tapia et Vill. [13]. Ratio, quia haec est differentia inter legem *pure poenalem* quae obligat ad solam poenam, et haec est quando in ea tantum poena assignatur; et legem mixtam quae obligat etiam ad culpam; et haec est quando ultra poenam praeceptum adiungitur: ipso enim praecepto tunc creditur superior velle ad culpam obligare, ne frustra videatur praecipere. Quid si poena sit magna? Vide dicenda *de restit. l.* 3. *n.* 616.

148. Quaeritur 3. An incurratur poena ante iudicis sententiam. Poenae spirituales, ut excommunicatio, irregularitas, etc. quando imponuntur ipso facto, non indigent sententia; est certum apud omnes, vide Salm. [14] et patet ex iure canon. [15]. Idem dicitur de poenis privativis, modo reus subire eas possit sine infamia, sicut etiam privatio vocis activae et passivae, ut Suar. [16] Bon. [17] et Salm. [18] cum Tapia Vasq. Montes. etc. Et modo alicubi non habeat aliter consuetudo particularis: Salm. [19]. Adde, nisi poena consistat in privatione alicuius iuris acquisiti, puta in beneficio, electione, etc. tunc enim semper requiritur declaratio iuridica vel poenae vel saltem criminis etiam si poena imponatur *ipso facto incurrenda, nulla expectata declaratione*, ut docent Less. [20] Mol. [21] Soto [22] Sanch. [23] Pal. [24] et

(1) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 54. (2) Ibid. n. 44. (3) Ibid. n. 45. (4) Tr. 10. de cens. c. 1. n. 126. (5) Ibid. n. 127. (6) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 45. (7) Ibid. n. 46. (8) Man. c. 23. n. 55. et 60. (9) In summ. v. Clericus, §. Verum. (10) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 47. (11) Ibid. (12) De leg. q. 2. c. 1. (13) Salm. tr 11. de leg. c. 2. n. 49. (14) Ibid. n. 57.

(15) Ex c. Non dubium de sent. exc. c. Significasti de hom. et aliis. (16) L. 5. c. 9. n. 5. (17) D. 1. q. 1. p. 7. n. 10. (18) Loc. c. n. 58. (19) Ibid. n. 60. (20) L. 2. c. 29. dub. 8. et c. 34. dub. 34. (21) De iust. tr. 2. disp. 96. n. 8. (22) L. 1. q. 6 a. 6. et l. 4. q. 6. a. 6. (23) De matr. l. 2. d. 53. n. 5. et l. 7. d. 89. n. 11. (24) Tr. 3. d. 2. p. 2. n. 8.

Salm.[1] cum Led. Caiet. et Gran. Cum enim lex poenalis accipi debeat in mitiori sensu, verba illa, *nulla declaratione etc.* possunt explicari, scil. nulla expectata declaratione poenae; sed non excluditur declaratio criminis, ut poena possit reo applicari. Id confirmatur ex *c. Secundum de haeret. in* 6. ubi haeretici, licet priventur ipso iure bonis suis, tamen non tenentur bona tradere ante sententiam, ut in eodem textu habetur.

149. Quod dictum est de poenis privativis, a fortiori dicendum de positivis, quae consistunt in actione positiva, v. gr. aliquid restituendi aut patiendi, ut communiter cum d. Th.[2] Sanch.[3] Mol.[4] Soto[5] et Salm.[6] cum Tap. Sa Vasq. etc. Et sic igitur dicendum de legibus privantibus beneficiis iam obtentis, ratione simoniae, vel alienationis bonorum beneficii, etc. ubi semper requiritur declaratio iudicis, Salm.[7] cum aa. cit. Ratio autem omnium horum est, quia nimis ardua et inobservabilis esset lex illa humana; quod reus ipsemet in se ipsum deberet poenam exequi.

Poenae autem inhabilitantes obligant ante iudicis sententiam, ut est poena imposita a Tridentino non residentibus non lucrandi fructus, et similia. Vide Salm.[8]. Item quando poenae sunt conditionales, v. gr. ut habens beneficium curatum, si non ordinetur sacerdos infra annum, sit ipso facto privatus beneficio, ut *ex cap. Licet. de elect. in* 6. Sic etiam clericus beneficiatus non deferens habitum, ipso facto privatur privilegio fori. Salm.[9] cum Sanch. Pal. Bon. etc.

150. Quaeritur 4. an poena conventionalis in contractibus debeat solvi ante sententiam. *Prima sententia* affirmat, quia quisque tenetur ante sententiam pactum observare. Ita Bon. Suar. Mol. Sa ap. Salm.[10]. *Secunda sententia*, quam aeque probabilem vocant Salm.[11] et tenent Nav. Less. Sanch. Vasq. Laym. Pal. etc. negat, quia sentiendum est contrahentes non aliter velle sibi imponere poenam, quam iuxta dispositionem iuris circa leges poenarum, quae nonnisi post sententiam contrahuntur. Profecto tenetur reus post sententiam ad poenam: sed notandum est, non teneri eum ad solvendam pecuniam, nisi petatur a parte. Et si poena sit nimis dura ultra sententiam, requiritur praeceptum iudicis et ministrorum executio. Vide Salm.[12].

Deinde notandum, quod leges quae fundantur in falsa praesumptione de se non obligant in foro conscientiae, quando praesumptio certe sit falsa. Sic enim haeres non tenetur, omisso inventario, ad omnia debita solvenda, si haereditas revera non est solvendo. Vide Salm.[13]. Et vide dicta *n.* 100. *v. Quaeres.*

151. An quando lex requirit aliquam conditionem, sine qua irritet actum, uti lex irritans testamentum sine solemnitatibus, vel lex irritans alienationem bonorum ecclesiae sine consensu capituli, obliget in conscientia. *Prima sententia* negat, ut Nav. Covarr. Tap. Sylv. Medin. et alii ap. Salm[14]. Ratio quia tales leges fundantur in praesumptione fraudis quae tunc non adest. *Secunda sententia* affirmat, quia tales leges non solum fundantur in praesumptione fraudis, sed etiam in periculo illius, quod semper adest. Ita Salm. cum Sanch. Pal.[15]. Utraque est probabilis, sed secunda probabilior.

152. Quaeritur hic ultimo, quando teneamur tollere impedimenta, vel ea non apponere quae obstant impletioni legis. Praenotandum est ad quaestionis solutionem, aliud esse quod quis non obligetur a lege, sive ab illius obligatione extrahatur: aliud quod excusetur a transgressione legis, manendo tamen sub eius obligatione. Unde fit ut dupliciter possis te impedire ab observatione legis, vel apponendo causam qua

(1) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 59. et 60. (2) 2. 2. q. 62. a. 3. (3) De matr. l. 6. d. 53. n. 1. (4) Ibid. (5) L. 1. q. 6. ad 8. (6) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 61. et 64. (7) Ibid. n. 64. (8) Ibid. n. 62 (9) Ibid. n. 63. (10) Ibid. n. 66. (11) Ibid. n. 67 (12) Ibid. n. 70. (13) Ibid. a n. 78. (14) Ibid. n. 103 (15) Tr. 3. disp. 2. p. 10. n. 4. 5. 6. 7

extraharis a legis observatione, scilicet si ab hoc loco, ubi est praeceptum audiendi sacrum, discedas ad alium ubi tale praeceptum non viget; vel efficiendo opus quod licet impediat te ab observatione legis, non te extrahit tamen a legis obligatione; nempe si die dominico discedas a loco sacri ad silvam, ubi etsi sacrum audire nequeas, ab illius obligatione tamen non extraheris. Deinde notandum est quod contra leges naturales nunquam licet apponere impedimentum, ut ab illius obligatione extraharis: secus autem dicendum de legibus humanis, quae non obligant cum tanto rigore. Ita sapienter distinguunt Salm. [1].

Hinc inferunt non peccare excommunicatum, si sacrum non audiat et absolutionem non procuret; nam per impedimentum excommunicationis iam extrahitur ab obligatione audiendi sacrum: sed vide dicenda *l.* 3. *n.* 325. *v. Excommunicatus*, *et l.* 7. *n.* 161. Inferunt 2. Non peccat contra praeceptum ieiunii, recitandi officium, etc. qui sua culpa incidit in infirmitatem, etsi praeviderit: nec qui die ieiunii pedester iter agit, vel multum laborat, ex quo excusetur inde a ieiunio: etiamsi ex pravo fine iter assumat, nempe ad furandum etc. Ita Salm.[2] cum Sanch. Medin. Henr. etc. Sed nos omnino oppositum sentimus cum s. Thom. Vide dicenda *lib.* 3. *n.* 1046.

An vero peccet contra legem, qui eo animo id impedimentum apponit, ut a legis obligatione extrahatur, scilicet si se fatiget ut non ieiunet? Affirmant peccare Pal. Salas Med. etc. ap. Salm.[3] quia nemini debet prodesse sua fraus. Negant tamen peccare contra ieiunium Sanch. Fill. Azor. Vill. etc. quod satis probabilem sententiam vocant Salm.[4] quia tunc ille utitur iure suo, quo potest extrahi ab obligatione legis, in quo nulla est fraus: prout si quis exeat e sua patria ubi est obligatio ieiunandi, ut eximat se a ieiunio. Sed nos tanto potius, iuxta sententiam quam mox supra secuti sumus, omnino primam sententiam sequimur; vide *l.* 3. *n.* 1045.

Peccat vero contra praecepta naturalia vel divina qui praevidens se hominem occisurum in ebrietate ab ebrietate non abstinet: vel qui non procurat absolutionem excommunicationis tempore paschali; tunc enim urget gravius praeceptum radicaliter divinum communionis. Sic etiam peccat qui se inebriat, vel somno se tradit tempore audiendi sacrum vel recitandi officium, quia illa praecepta tunc iam eum obligant, neque per eas actiones a praecepto extrahitur. Ita Salm.[5] cum communi.

(1) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 158. 159. et 160.
(2) Ibid. n. 161. (3) Ibid. n. 163. (4) Ibid. n. 164.

Cap. II. De subiecto cui datur praeceptum

Dubium I. Quae personae praeceptis obligentur.

153. *An ad leges obligentur ebrii, infideles, ignorantes etc.*
154. *An legislator teneatur ad legem.*
155. *Quando pueri obligentur ad leges ecclesiasticas.*

153. « Resp. Soli subditi ratione utentes obligantur ita ut eorum transgressione peccent. Quod addo propter ebrios, et ad tempus amentes, qui, etsi vere iis obligentur, eorum tamen violatione non peccant, defectu advertentiae rationis et consensus. Pars prior est communis et certa, Fil.[6]. Bonac.[7]. Laym.[8]. Posterior est eorundem. Cuius ratio est, tum quia praeceptum, cum sit directivum, supponit usum rationis: tum quia obedientia tantum est eorum, qui ratione et voluntate utuntur. Neque alias transgressio ad culpam imputari posset. »

Pro maiori claritate notanda est regula: aliud est ad legem non teneri; sicut non tenentur ad leges ecclesiasticas infideles, pueri, amentes. Aliud a lege excusari, sicut excusantur ebrii, ignorantes, dormientes. Hinc est peccatum praebere carnes in die vetito secundis, non vero primis. Sicut etiam peccatum est incitare omnes istos ad aliquid malum iure naturae.

Unde resolves hos casus:

154. « 1. Legislator non tenetur suis legibus, ut sic, quoad vim coactivam,

(5) Ibid. n. 162. (6) T. 21. c. 11. q. 10.
(7) P. 6. etc. (8) L. 1. tr. 4. c. 10.

et poenam, sive directe: indirecte tamen, et quoad vim directivam, et ex aequitate quadam tenetur se, tanquam caput, membris conformare. Ita s. Thomas [1] Sylv. Suar. Bonac. Laym. [2] contra Azor. Tenetur etiam in contractibus cum reliquis pari conditione uti. Vide Fill. [3]. »

Ita ex communi Salm. [4]. Num autem legislator teneatur ad suam legem sub gravi vel levi. Alii dicunt sub gravi, sicut lex alios obligat, ut Sot. Laym. Vasq. etc. ap. Salm. [5]. Sed probabile est, praeciso scandalo, tantum teneri sub levi; quia tantum ex honestate obligatur ad legem: ita Salm. [6] cum Less. Azor. Bon. Pal. etc. Limitatur tamen si lex lata sit de taxatione pretii vel de irritatione contractus; tali legi enim tenetur stare etiam princeps ad servandam aequalitatem. V. Salm. [7].

« 2. Infideles non baptizati, etiam cathecumeni, non obligantur praeceptis ecclesiae: obligantur tamen haeretici, et alii qui per baptismum ecclesiae semel sunt subiecti.

155. » 3. Etsi pueri ratione utentes legibus iis ecclesiae, quarum materia eorum aetati est conveniens, v. gr. confessionis annuae, secundum Navarr. Henriq. et Azor.; item abstinentiae a carnibus, auditionis sacri, secundum Sanch. etc. obligentur quoad culpam; non tamen quoad poenas ordinarias, nisi sint puberes, quales sunt masculi anno 14., puellae 12. absoluto. Ita Sotus Vasq. [8]. Sa [9]. »

Quaeritur an pueri statim ac pervenerint ad usum rationis teneantur ad leges ecclesiasticas audiendi sacrum, abstinendi a carnibus vel lacticiniis, et confitendi. Affirmant Sanch.[10]. Laym.[11] et Salm.[12] cum Pal. Bon. Salas etc. Atque peccare dicunt parentes qui negligunt impletionem ipsorum. Et regulariter aiunt hunc usum rationis iudicandum advenire expleto septennio. Admittunt tamen pueros ante pubertatem non obligari ad poenas [13]. Nec ad communionem ante decennium, nisi in articulo mortis, si sit usus rationis; ut Salm. [14]. Negant vero s. Antonin. Sot. Sa Henr. March. ap. Salm.[15] dicentes non teneri statim, sed post aliquod tempus. Hoc tempus, Sa ait, esse tempus pubertatis; Sotus vero et s. Anton. dicunt saltem esse decimum annum, vel nonum cum dimidio in foeminis. Sed haec opinio merito reiicitur communiter ut ait Croix [16]. An vero obligentur pueri qui ante septennium pervenerint ad usum rationis. Negant Diana, Sanct. Burg. ap. Croix [17] qui probabile putat, quia leges positivae attendunt tantum ad ea quae communiter contingunt. Sed probabilius Bosco [18] affirmat teneri. Vide dicenda *lib.* 3. *n.* 270. *et* 1012.

« 4. Infantibus non baptizatis, et perpetuo amentibus licite dantur carnes diebus vetitis, et imponuntur opera servilia festis; non tamen ebriis cum legi maneant subiecti; uti nec licite irritantur amentes ad blasphemandum, laedendum, etc. eo quod talis actio tribueretur principali agenti, qui alterius opera uteretur quasi instrumento, ut Laym. [19] Bonac. [20] et Sanch. [21]. »

DUBIUM II. An peregrini teneantur legibus sui domicilii dum ab eo absunt.

156. « Suppono I. Praeceptum aliud esse locale, quod scilicet certo tantum in loco, urbe, v. gr. vel parochia obligat; aliud universale, seu iuris communis, quod totam fere ecclesiam obligat.

» Suppono II. Peregrinos proprie dici eos qui aliquo veniunt animo non manendi, sed tantum subsistendi per aliquot dies, vel ad summum per minorem anni partem, ut mercatores, viatores, non autem studiosi neque

(1) 1. 2. q. 96. a. 5. ad 3. (2) L. 1. tr. 4. c. 9. (3) T. 21. c. 5. (4) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 37. (5) Ibid. n. 38. (6) Ibid. n. 42. (7) Ibid. n. 43. et 44. (8) De poenit. q. 90. a. 2. (9) V. Censura. (10) Dec. l. 1. c. 12. n. 6. (11) C. 10. n. 4.

(12) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 52. (13) Ibid. n. 50. in fin. (14) Tr. 4. de euch. c. 7. a n. 15. (15) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 51. (16) L. 3. p. 1. n. 615. (17) L. 1. n. 676. (18) Ibid. (19) L. 1. t. 4. c. 10. n. 5. (20) P. 6. (21) 1. Mor. c. 12.

ancillae quae veniunt ad serviendum.

» Respondeo non obligari. Ita Nav. Sanch. Less. [1]. Ratio, quia praecepta localia per se et directe respiciunt territorium eique sunt affixa; atque adeo non obligant, nisi existentes intra illud. Lex enim ita fertur; v. gr. festum illud tali loco celebretur: ideoque id valet illud: *Si fueris Romae, etc.* Addit Laym. [2] praeceptum locale expirare etiam intra proprium territorium in loco exempto, quod is aequiparetur loco sito extra territorium. »

Hic refert ante omnia distinguere domicilium a quasi domicilio. Verum domicilium acquirit, qui habitat alicubi animo ibi perpetuo manendi, ut commun. docet Bon. [3]. Ronc. [4] et Salm. [5] cum Pal. Trull. Dicast. et aliis passim, ex iure civ. [6]. Censetur autem huiusmodi animum habere qui habitat alicubi per decennium, non significata voluntate recedendi, vel qui maiorem partem bonorum ibi asportaverit, aut domum emerit aut aedificaverit, ut habetur in bulla *Speculatores* relata *l.* 6. *n.* 770. *ad n.* 5., vel qui saltem expressis verbis (ut addunt Salmant. [7]) voluntatem ibi perpetuo manendi expresse significaverit. Ille autem acquirit quasi domicilium qui manet in aliquo loco per maiorem anni partem, ut dicunt Sylvest. [8] et Sanch. [9] vel qui ibi moratur per aliquod notabile tempus cum animo ibi manendi maiori parte anni, ut recte aiunt Roncag. [10]. Laym. [11] cum Navarro et Bened. XIV. [12] utque eruitur ex iure civili [13]. His positis, dubitatur 1. an, ut quis teneatur legibus loci ubi est, requiratur ut ibi verum domicilium contraxerit. Affirmant Glossa [14] et alii ap. Sanch. [15], quia advena (ut aiunt) donec non acquirat verum domicilium, saltem per animum ibi perpetuo manendi, non fit subditus illius loci. Sed communis sententia tenenda docet sufficere quod is contraxerit ibi quasi domicilium: ita Suarez [16] (qui oppositam putat non esse practice probabilem), Sanch. [17] Salm. [18] et Laym. [19] cum s. Antonin. Palud. Sylvest. Rosella etc. Ratio, quia tales peregrini iam subiiciuntur iurisdictioni superiorum illius loci, ergo etiam legibus tenentur; et tenentur a prima die, qua illuc perveniunt animo habitandi per maiorem anni partem, ut recte notat Sanch. [20] cum Sylvest. Palud. Rosella etc.

Dubitatur 2. an si quis in aliquo loco ad breve tempus moretur, teneatur leges illius servare. *Prima sententia affirmat:* et hanc tenent Pontius [21] Suarez [22] Salas [23] Tap. [24] et Covarr. Gordon. Henr. etc. apud Salm. [25] et alii plures apud Sanch. [26] qui vocat valde probabilem, sicut etiam putant Salm. [27]. Probant 1. ex iure canonico [28] ubi refertur illud celebre d. Ambrosii: *Cum Romam venio sabbatum ieiuno, cum Meliolani sum non ieiuno; sic et tu ad quamcumque ecclesiam veneris, eius morem serva; si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* Probant 2. ratione, tum quia qui sentit commodum debet sentire et incommodum; sicut enim talis advena deobligatur legibus patriae a qua abest, ita aequum est eum obligari legibus loci ubi moratur; et hoc modo advena vere fit subditus superioris loci, quamvis brevi ibi sit; tum quia expedit ad pacem publicam servandam et ad scandalum vitandum, ut omnes servent leges loci ubi reperiuntur, uti colligitur ex relata doctrina d. Ambrosii; et saltem ratione dicti scandali vitandi, ut ait Suarez, episcopus loci iurisdictionem habet in peregrinos; eadem enim iurisdictio, quae ipsi competit super o-

(1) L. 4. c. 2. dub. 8. (2) L. 1. tr. 4. c. 11. n. 5. (3) De leg. d. 1. q. 1. p. 7. n. 39. (4) Eod. tit. c. 1. p. 3. pag. 44. (5) Tr. 8. de ord. c. 4. n. 48. (6) Ex l. 2. c. Ubi senatores, et l. Haeres absens, §. Proinde, ff. de iudic. (7) Ibid. n. 49. (8) V. Domicil., n. 2. (9) De matr. l. 3. d. 18. n. 9. (10) Loc. c. (11) L. 1. tr. 4. c. 12. n. 1. v. Quaeres. (12) Notif. 33. n. 6. (13) Cit. l. Haeres. (14) In c. Quae contra, dist. 8. verb. Aut peregrini. (15) Loc. c. n. 8. (16) T. 1. de rel. c. 14. n. 5. et l. 3. de leg. c. 33. n. 3. (17) Loc. c. n. 9. (18) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 55. (19) Dict. c. 12. n. 1. (20) Dict. n. 9. (21) De matr. l. 5. c. 7. §. 1. n. 6. (22) De leg. l. 3. c. 33. et l. 1. de rel. c. 14. a n. 9. (23) De leg. d. 16. sect. 4. concl. 4. (24) L. 4. q. 16. a. 3. n. 2. (25) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 56. (26) De matr. l. 3. d. 18. n. 4. et in dec. l. 1. c. 12. n. 3. (27) Loc. c. n. 58. (28) C. Illa, dist. 20.

ves suas, ut eas bene regere possit, competit etiam super advenas, ne scandalum ovibus praebeant, leges loci non servando. Plures alias rationes pro hac sententia adducit Suarez. Fatentur tamen aa. citati, non satis esse solum transitum ad hanc obligationem contrahendam; etenim (apud Sanch.[1]) Emmanuel Sa dicit teneri peregrinum, si maneat illa die qua pervenit: Leonardus, si integra die: Sayrus, si illic accedat multo spatio ante prandium, et tota die ibi quiescat. Sed melius videtur distinguere Suarez[2] dicens quod si quis venit ad locum destinatum ut terminum viae, tenetur eius legibus, licet parum ibi adsit; secus si ibi sit in via sive per transitum ad alium locum; tunc enim si praeceptum est affirmativum, puta audiendi sacrum, non tenetur, quia tale praeceptum obligat existentes, quales non sunt itinerantes; tenetur vero, si praeceptum sit negativum, nempe abstinendi a carnibus vel ab opere servili, etiamsi ibi moretur ad horam, quia praeceptum negativum, cum obliget pro semper, habet tractum successivum per totum diem.

Haec sententia est satis probabilis, sed probabilior videtur *secunda*, quae dicit advenam non teneri legibus loci ubi non moratur nec intendit morari per maiorem anni partem; hanc tenent Sanchez[3] cum pluribus aliis, Bonac.[4] s. Antonin.[5] Azor.[6] Tolet.[7] Laym.[8] cum Sylvest. Ang. et Medina, item Sayr. Diana Granado et alii apud Salm.[9] qui hanc non minus probabilem vocant. Ratio, tum quia leges non obligant nisi subditos, quales non sunt peregrini, cum ipsi ob brevem illam moram minime subiiciantur iurisdictioni superioris loci, ut habetur ex iure civili[10]; tum quia non dicitur moraliter commorari in aliquo loco, qui ibi non manet, nec animum manendi habet per maiorem partem anni. Ad textum autem d. Ambrosii respondetur 1. illum procedere tantum ubi vitandum est scandalum. Respondetur 2. s. doctorem loqui ibi de lege communi servandi ieiunii, quod Mediolani non servatur in primis quatuor diebus quadragesimae; sed lex communis utique servanda est a peregrinis, quando absunt a patria, ubi lex illa non servatur, ut ex communi sententia docent Suarez[11] et Laym.[12] cum Medina et Henriq. Quamvis tamen Laym.[13] non improbet oppositam Sanchezii, qui[14] ait cives mox in patriam redituros per fictionem iuris pro praesentibus haberi.

Limitatur vero haec secunda sententia 1. in legibus de iure communi, vel circa solemnitates contractuum, aut circa commoda ipsius loci, v. gr. de non extrahendo triticum, arma etc. 2. Limitatur si eaedem leges vigeant in patria peregrini, licet Sanch. cum Dian. huic contradicat. 3. Limitatur, si peregrinus ibi delinquat contra ius commune; tunc enim fit subditus ratione delicti[15]. Vide Salm.[16] et Sanch.[17].

157. Non tenentur autem absentes ad leges patriae, ut communissimum est ex iure canonico[18] etiamsi lex sit de iure communi, quando peregrinus est in loco ubi illa abrogata est. Salm.[19] cum Pal. Less. etc. Et hoc etiamsi discederet a patria ad eximendum se a lege. Salmant.[20] cum Pal. Bon. Sanchez etc. (Hinc docet Pal. cum Basilio, posse peregrinum qui nolit confiteri peccata reservata proprio parocho, alio discedere, ut ab alio absolvatur; quia tunc utitur iure suo. Sed de hoc vide dicenda *de poenit. l.* 6. *n.* 589.) Et hoc etiam valet, si ille maneat in sua patria, sed in loco exempto, ut tenent Salm.[21] cum Laym. Bon. Pal. Salas Diana Tap. An vero pro locis exemptis intelligantur etiam conventus regula-

(1) Dec. l. 1. c. 12. n. 57. (2) Dict. c. 13. ex n. 8. (3) Loc. cit. de matr. n. 6. et in dec. n. 58. (4) De leg. d. 1. q. 1. p. 6. n. 7. et 43. (5) P. 2. tit. 6. c. 2. §. 2. (6) T. 1. d. 5. c. 11. q. 2. (7) L. 6. c. 5. in fine. (9) Tr. 11. de leg. c. 7 absens. (11) Cit. c. 14. n. 27. (12) L. c. n. 3. (13) L. 1. tr. 4. c. 12. n. 3. (14) De matr. l. c. n. 7. (15) Ex c. Finali, de foro compet. (16) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 59. et 60. (17) Dec. loc. c. n. 36. (18) C. Ut animarum, de const. in 6. (19) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 62. (20) Ibid. n. 63. (21) Ibid. n. 64.

rium. Negant Suar. Con. apud Salm.[1]. Sed dicunt intelligi tantum oppida et ecclesias intra dioecesim, alienae tamen iurisdictioni subiectas. Sed affirmant Salm.[2] cum Avil. Henr. Sayr. Cand. et Dian., et alibi confirmant[3]. Quia tam loca, quam personas Tridentinum exemptas appellat[4]. Et valde probabile est. Vide etiam *l.* 7. *de censur. n.* 24.

Ex quibus resolves hos casus:

« 1. Si episcopus sub poena excommunicationis vetet lusum aleae, non obligantur clerici ludentes in loco exempto a iurisdictione episcopi. Bon.[5] Laym.[6].

» 2. Si quis die ieiunii aut festo sit in loco alio, non sui territorii, aut exempto, ubi tunc non est ieiunium aut festum; potest ibi comedere, exercere servilia. Laym.[7] Bonac.

» 3. Id etiam habet locum in praeceptis iuris communis, si in loco isto sint usu abrogata, vel non recepta, vel habeatur privilegium. Quare potes v. gr. Mediolani primis quatuor diebus quadragesimae vesci carnibus, cum id ibi liceat. Item in Belgio sabbatis intra Nativitatem et Purificationem vesci carnibus: item in loco ubi Tridentinum non est receptum, valide (etsi non licite) inire matrimonium clandestinum. Suar. Sanch.[8] Less. etc.

» 4. Potest quis discedens mane ex oppido ubi non est ieiunium, vesci carnibus, etsi meridie rediturus sit domum, ubi est ieiunium; nec tunc, ubi domum venerit, tenebitur ad servandum ieiunium ista die, cum illud iam violaverit, ideoque servare non possit; tenebitur tamen domi ad abstinentiam a carnibus, cum illa adhuc possit ibi servari, eo quod sit dividua. Vide Sanch.[9] Less.[10].

» 5. Si quis abiturus est loco ubi est ieiunium, sciatque certo perventurum vesperi ad locum ubi non sit ieiunium, tunc etsi non possit ibi vesci carnibus, unde abit (cum ista abstinentia sit dividua), potest tamen ibi mane ientare, et meridie prandere, ut contra quosdam docent Less. et Sanch. supra. (Et probabile putant Salm.[11] cum Suar).

» 6. Probabile etiam est, et in conscientia securum, quod docet Sanch.[12] contra Navarrum et Suar. peregrinos, antequam excedant proprio territorio, non teneri implere praecepta quae ibi deprehendunt, v. gr. non teneri eum mane audire sacrum die festo, qui ante prandium venturus sit alio ubi non sit festum; quia si mansisset in loco ubi praeceptum obligabat, poterat differre ad id tempus; quando autem pervenit ad alium locum, desinit obligari. Nec obstat, quod praevidens impedimentum teneatur praevenire; quia id tunc tantum verum est, quando, manente vi praecepti, quis est impediendus; hic autem ab obligatione praecepti absolvitur. (Ita etiam Salm.[13] cum Pal. Tapia Salas etc. Secus tamen esset, si ibi unum illud sacrum diceretur, quia teneretur audire, antequam discederet; non tenetur autem expectare. Salm.[14].) Contraria tamen sententia, tanquam magis pia, suaderi potest, nisi quid obstet. Sanch.[15]. »

158. Hic magna quaestio occurrit disceptanda, an peregrini possint dispensari ab episcopo loci ubi sunt, tam in legibus communibus (puta ieiunii vel abstinentiae ab opere servili), quam in votis et iuramentis. Adsunt quatuor sententiae. *Prima*, quam tenent Pontius[16] Ioseph de Ianuar.[17], cui adhaeret Tanner. apud Croix[18] probabilemque merito putat Palaus[19] affirmat universe tam pro legibus, quam pro votis. Ratio, quia peregrinus per illum accessum, quamvis unius diei, fit vere subditus superioris loci ubi reperitur, ut dicunt Suar. Salas ac Pontius cum Palao[20]. Vide dicta *n.* 156. et dicenda *l.* 3. *num.* 332. *in fin. v. An autem.* Quamobrem sicut peregrinus te-

(1) Tr. 10. de cens. c. 1. n. 113. (2) Ibid. n. 114. (3) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 64. in fin. (4) Sess. 14. c. 5. de ref. in fin. (5) P. 6. (6) L. 1. tr. 4. c. 11. n. 5. (7) Loc. cit. c. 11. (8) L. 1. c. 12. (9) Loc. c. (10) C. 2. d. 8. (11) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 79.

(12) L. 3. de matrim d. 18. et 1. mor. c. 12. (13) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 67. (14) Ibid. n. 66. (15) L. 1. mor. c. 12. et l. 3. de matr. dub. 8. n. 21. (16) De matr. l. 8. c. 4. n. 7. (17) Tr. de leg. (18) L. 6. p. 3. n. 754. (19) De leg. tr. 3. d. 6 p. 7. §. 2. n. 5. (20) Tr. 3. d. 1. p. 24. §. 3. n. 12

netur ad leges loci illius, ita aequum est ut gaudeat etiam privilegiis. *Secunda sententia* prorsus opposita, quam tenent Sylvest. Abb. Tab. Ang. apud Pal. [1] item Palud. Med. Led. Hostiens. apud Suar. [2] dicit, quod peregrinus quoad usque acquirat alicubi verum domicilium (id est per animum perpetuo ibi manendi), nunquam subditus est censendus; et ideo nec tenetur ad leges loci, nec potest dispensari in legibus communibus, neque in votis aut iuramentis ab illius episcopo. Ad confirmationem huius sententiae Farinac. et Garz. apud Pal. [3] afferunt quamdam declarationem S. C. concilii approbatam a Gregor. XIII. ubi dictum fuit posse peregrinum recipere beneficium absolutionis a peccatis in loco ubi est, sed non posse dispensari ab episcopo illius. Sed Mazzot. [4] dicit hanc declarationem non constare authentice; saltem, ut infra videbimus in quarta sententia, communiter illa non fuit recepta. Tanto magis, quia Henriq. [5] affert aliam diversam declarationem s. Pii V. ubi pontifex declaravit episcopum loci bene posse dispensare in votis scholasticorum Salmanticae commorantium. Hanc secundam sententiam etiam putat probabilem Pal. [6]. Attamen Suar. [7] improbabilem eam putat, quoad eximendum peregrinum a servandis legibus loci, si ibi maneat maiore parte anni. *Tertia sententia*, quam tenent Pal. [8] cum Navarr. et Menoch. qui plures alios refert, censet peregrinum adhuc transeuntem bene posse dispensari ab ordinario loci in legibus etiam communibus, quia ipse quoad leges bene subditur iurisdictioni illius superioris; non autem quoad vota et iuramenta, quia haec iurisdictio pendet a consuetudine et a conniventia episcoporum, quae non habentur pro huiusmodi dispensationibus, prout alias habentur pro absolutione peccatorum et censurarum eis annexarum. *Quarta sententia* communissima, ut ait Croix [9] et communiter recepta, ut asserunt Salm. [10] cui subscribimus, tenet posse peregrinum dispensari ab episcopo loci, non solum in legibus, sed etiam in votis et iuramentis, modo ibi sit animo permanendi per maiorem anni partem. Ratio quia ex illa diuturna habitatione contrahitur quasi domicilium, ut probant Abbas et Innoc. Quapropter tunc peregrinus dispensatur non iam ratione consuetudinis et conniventiae sui proprii superioris, sed ex propria auctoritate ordinarii loci, cui peregrinus per illud quasi domicilium tunc vere subditur. Ita Sanch. [11] cum Henr. Ang. Arag. etc. Less. [12] Croix [13] cum Laym. Salm. [14] Sporer [15] cum Suar. et Man. apud Pal. [16]. Et idem sentit Sanch. [17] cum Henr. et Man. quoad dispensationem facultatum concessarum episcopis a Tridentino [18]. Atque idem quoad conferenda omnia sacramenta, praeter ordinem, ut dicunt etiam Croix cum Laym. et Salm. [19]. Circa vero matrimonium, vide *l.* 6. *n.* 1091.

DUBIUM III. An peregrini et vagi teneantur praeceptis locorum in quibus morantur.

159. « Respond. Regulariter non tenentur praeceptis specialibus illorum locorum. Ita Laym. Sanch. Azor. Coninc. Less. Reginald. Fill. contra Navarr. Suar. Sa etc. Et quoad vagos etiam (ut cum Busemb. tenent Less. Laym. Sayr. etc. apud Salm. qui contradicunt [20] contra Bonac. et Sanch. Ratio est, quia non potest dari ulla ratio huius obligationis, cum illi non sint subditi vel locis, vel superioribus, quorum tales leges fuerunt; ideoque sint extra eorum iurisdictionem. Nec obstat 1. eos nullis partialium locorum statutis, sed solo iure communi teneri, quia id non est absurdum. Nec 2. quod vagi, ob delicta admissa, puniri possint: hoc enim consuetudo recepit, ne scelera maneant impunita.

160. » Dixi 1. *regulariter;* quia tenentur

(1) Tr. 3. d. 6. p. 7. §. 2. n. 4. (2) De rel. l. 2. c. 14. (3) N. 7. (4) De leg. d. 4. q. 1. c. 3. (5) L. 14. de irreg. c. 18. §. 2. (6) Ibid. n. 5. (7) Loc. c. (8) Ibid. n. 5. et 6. (9) L. 6. p. 3. n. 721. (10) Tr. 11. de leg. c. 3. n. 55. (11) De matr. l. 3. d. 23. n. 12. et 13. (12) L. 2. c. 40. n. 122. (13) Loc. c. (14) Loc. c. (15) Suppl. de leg. c. 1. n. 254. (16) Loc. c. n. 3. (17) Loc. c. (18) C. Liceat. (19) Loc. c. (20) Tr de leg. c. 3. n. 60. in fine.

quibusdam legibus, maxime quarum violatio cederet in damnum et iniuriam illius loci in quo morantur; ut etiam iis quae sunt de contractibus celebrandis.»

Unde resolves hos casus:

« 1. Tales non tenentur audire missam, et possunt opera servilia exercere die istic festo: non tenentur ieiunare, nec abstinere a carnibus, quando istic est ieiunium et domi suae non est. Intellige utrumque, secluso scandalo, propter quod episcopus loci punire posset. Laym. [1].

» 2. Peregrinis non licet frumenta evehere vel vendere supra pretium ibi statutum, noctu arma ferre etc. si talia ibi prohibita sunt. Pan. Reg. Sanch.[2].

» Dixi 2. *praeceptis specialibus:* quia si domi tuae consuetudine derogatum sit alicui praecepto iuris communis, et alio venias ubi illud viget, eodem obligaberis. Ratio est quia lex iuris communis est universalis, et obligat omnes sine ordine ad locum. Laym.[3]. »

Unde resolvitur hic casus:

« Belga aliquis veniens Coloniam, v. gr. tenetur istic sabbatis inter Nativitatem Christi et Purificationem abstinere a carnibus, quia privilegium eius comedendi tunc carnes non est personale, sed locale: ideoque expirat extra locum. Laym.[4]. »

DUBIUM IV. An peregrini teneantur praeceptis iuris communis, si non sint in usu loco ubi morantur.

161. « Resp. Non teneri. Ratio est, quia tunc valet privilegium locale quo frui possunt omnes qui in loco morantur. Ita Sanchez [5] Suar. Laym. etc. »

Unde resolvuntur sequentes casus:

« 1. Si germanus per Hispaniam transeat, potest sabbatis vesci intestinis animalium. Idem si per Belgium aut Mediolanum iter habeat, potest inter Nativitatem Christi et Purificationem, in Belgio sabbatis, Mediolani vero quatuor primis diebus quadrages. carnibus vesci. Sanch. Suar. Bon.[6].

» 2. Si quis ex dioecesi catholica, v. gr. Hildesio, ubi vetus calendarium adhuc est in usu, veniat in aliam ubi novum est receptum, v. gr. Monasterium, potest, si ibi quadragesima praeteriit, carnibus vesci, ut docet Sanch.[7] Salas[8] Bon.[9] Less.[10] qui tamen contrariam sententiam suadet in praxi, licet haec tuta sit, ut etiam docet Laym.

» Addidi *ex dioecesi catholica:* quia si catholicus veniat in terras haereticorum, ubi alii catholici non sunt, tenetur ibi servare novum calendarium ad vitandum scandalum, et contemptum ecclesiae catholicae. V. Laym.[11]. »

CAP. III. DE MODO QUO OBSERVANDA SUNT PRAECEPTA

DUBIUM I. An debeant impleri ex charitate.

162. « Resp. Possunt impleri sine charitate, nisi hanc in substantia includant, v. g. praeceptum dilectionis Dei. Ratio est, quia tantum praecipitur substantia actus inclusi in praecepto, v. g. ut honorentur parentes; non autem finis aut modus praecepti, ut docet s. Th.[12]. Interim certum est requiri charitatem in operante, ut impletio praecepti sit meritoria, iuxta illud[13]: *Si linguis hominum loquar, etc.* s. Th. Suar. Sanch. »

Unde resolvuntur sequentes casus:

« 1. Si quis ieiunet, vel intersit sacro ob vanam gloriam, vel etiam ut furetur, potest nihilominus implere praeceptum, etiam per actum ex circumstantiis peccaminosum, quia implet substantiam illius praecepti, licet peccet contra aliud, cui finis ille malus opponitur, ut docet Sanch.[14] Laym.[15] card. de Lugo [16] (cum Salmant. [17]).

» 2. Simili ratione impletur votum, iuramentum Deo factum, poenitentia sacramentalis, licet actus ipse sit peccatum[16]. (Nota tamen hic prop. damn. ab Alex. VII. n. 14. *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto ecclesiae*). »

DUBIUM II. An ad impletionem praeceptorum requiratur intentio iis satisfaciendi.

163. « Resp. Quod non. (Requiritur tamen intentio faciendi illud quod est

(1) L. 1. t. 4. c. 12. n. 4. (2) N. 36. (3) Ibid. n. 3. (4) Loc. c. (5) 2. mor. c. 12. (6) P. 6. n. 61. (7) L. c. (8) N. 69. (9) N. 46. (10) L. 4. c. 2. d. 8.

(11) L. 1. tr. 4. c. 11. n. 8. (12) 1. 2. q. 100. a. 10. (13) 1. Cor. 13. (14) 1. mor. c. 14. (15) L. 1. t. 4. c. 4. n. 6. (16) Disp. 22. sect. 2. n. 23. (17) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 147. et 148. (18) Ibid. l. c

praeceptum, ut Salm.[1] cum Bus. [2]). Ita sentit Sanch. Vasq. [3] et alii communiter. Ratio est, quia lex tantum praecipit liberam operis externi executionem, v. gr. auditionem sacri, non autem, ut alio peculiari actu quis velit, vel intendat praecepto satisfacere: sive, ut alii loquuntur, praecepta non obligant ad obedientiam formalem, hoc est, ut illud fiat quia praecipitur, sed tantum ad materialem, sive, ut fiat quod praecipitur. Vid. *infr. l.* 3. *tr.* 3. *c.* 1. *d.* 3.»

Unde resolvuntur sequentes casus:

« 1. Qui alicuius praecepti immemor, illud implevit, v. g. ignorans esse diem festum, libere tamen interfuit sacro, is satisfecit. Neque, ut quidam volunt, necesse est, ut postea intelligens diem festum, velit tunc satisfacere per missam auditam, quia implevit substantiam actus praecepti. S. Thom. Henr. Fill. [4].

» 2. Is votum, iuramentum, et poenitentiam sacramentalem vere implet, qui opera promissa vel iniuncta exequitur, etsi non habeat intentionem implendi: modo tamen non applicet ea pro alia re. Ratio est, quia vota etc. sunt leges quasi peculiares, quas homo sibi vel alteri imponit, unde tantum obligant ad substantiam actus. Suar. Azor. Less. Laym. [5]. »

Dubium III. An satisfaciat praecepto qui faciens opus expresse intendit per illud non satisfacere.

164. « Resp. Satisfacit. Ita Suar. Val. Vasquez [6] et Less.[7] contra Navar. Azor. etc. Ratio est, quia praecepta tantum obligant ad substantiam operis iniuncti: ergo, illa posita, non est in potestate operantis ut non satisfaciat. Nec refert 1. quod actus non operentur ultra intentionem agentis; quia id intelligitur, quando est in potestate operantis, v. gr. satisfacere, vel non. Nec 2. quod qui debet alteri centum non satisfaciat obligationi si liberali donatione det ducentos. Nec 3. quod voto obligatus ad recitandum rosarium, si recitet animo non implendi, non satisfaciat. Ratio est, quia hae et similes obligationes proveniunt ex voluntate promittentis; qui sicut ab initio debitorem se libere constituit, sic in debito libere permanere potest: obligatio autem parendi legi provenit ex voluntate legislatoris, ideoque non extenditur ultra eius intentionem et voluntatem, nempe ultra substantiam operis praecepti. Con. [8] Less. [9] et Laym. (Et sic tenet sententia communissima cum Tournely Pontas Suar. Vasq. Valent. Salm. etc. *Vide lib.* 4. *n.* 176.). »

Unde resolvuntur sequentes casus:

« 1. Sacerdos qui legit horas non ea devotione qua voluit, ideoque proposuit ad satisfaciendum praecepto repetere; etsi deinde non repetat, satisfecit tamen praecepto. Suar. Con. Card. de Lugo etc.

» 2. Audiens sacrum die festo, quod scit esse ultimum (vel, si non sit ultimum, intendens non audire aliud), licet intenderit non satisfacere, vere tamen satisfecit praecepto de audienda missa; etsi peccarit contra aliud praeceptum, quo quis tenetur esse subditus legislatori. Card. de Lugo [10]. »

Dubium IV. An ad impletionem praeceptorum requiratur intentio seu voluntas faciendi id quod praeceptum est.

165. « Resp. Quod sic. Ratio est, quia, cum lex detur hominibus, non brutis, ideoque humano modo sit implenda, hinc impletio omnis praecepti, sive humani, sive divini debet esse actus humanus coniunctus cum libertate et voluntate operantis, id est, ut velit sive intendat facere hoc quod est praeceptum, v. gr. audire sacrum, ieiunare, etc. Est communis. Vid. Vasq. [11] Suar. Sanch. »

Unde resolvuntur hi casus:

« 1. Qui audivit sacrum die festo ebrius, dormiens, aut impos sui quomodocumque, aut nescius quid aggrederetur aut vellet facere, tenetur postea compos sui factus audire aliud sacrum. Suarez Sanch. Salas [12].

» 2. Is qui audivit sacrum, ieiunavit,

(1) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 139. (2) Infr. dub. 4. (3) 1. 2. q. 100. a. 9. (4) T. 3. c. 7. q. 7.

(5) Ibid. n. 7. (6) Loc. c. (7) L. 2. c. 7. dub. 10. (8) N. 309. (9) Loc. c. (10) Loc. c. (11) . 2. q. 100. a. 9. (12) D. 9. n. 52.

etc. prorsus violenter coactus, non satisfecit; non enim fuit actus humanus defectu voluntarii. Vasq. Suar. Azor. Filib. [1].

» Dixi *prorsus violenter;* quia, si famulus, v. gr. metu domini, aut puer metu magistri sacrum audiat (esto non sit auditurus, si magister abesset) is, etsi perversa voluntate illa peccet, praecepto tamen satisfacit. Ratio est, quia metus non tollit libertatem, Sanch. Salm. [2] Laym. [3].

» 3. Recitans horas sola intentione legendi vel addiscendi non satisfacit; ut nec ille qui vadit ad sacrum tantum ut oculos pascat, cum alio colloquatur, vel expectet amicum. Card. de Lugo [4].

» 4. Nec satisfacit is qui tantum ficte confitetur, v. gr., orat, etc. quia non eius fictio, sed opus praeceptum est. »

DUBIUM V. An duplici praecepto, uno actu vel diversis actibus eodem tempore possit satisfieri.

166. « Resp. 1. Uno actu diversa praecepta simul impleri possunt, nisi aliud colligatur ex mente praecipientis. Patet ex praxi quotidiana: qui enim obligatur ad horas ratione ordinis et beneficii, satisfacit una recitatione. Sanch.[5] Salm. Bonac. [6]. »

Unde resolvuntur hi casus:

« 1. Cum dominica et festum incidunt in eamdem diem, non teneris audire duo sacra.

» 2. Votum et poenitentia in confessione iniuncta plerumque non implentur per actum alias debitum: quia haec plerumque non est mens voventis et confessoris. Vid. Suarez [7] Sanch. [8].

» Dixi *plerumque;* quia subinde confessarii iniungunt opus alias praeceptum.

» 3. Qui alteri ex pluribus obligationibus debet centum, v. gr. non satisfacit, si semel dat centum: quia in debitis iustitiae attenditur aequalitas rei ad rem; non potest autem unum centum aequale esse debitis plurium centum. Unde in his alia est intentio et mens se obligantis. Sanch. Salas [9]. »

« Resp. 2. Potest quis eodem tempore diversis actibus duplici praecepto satisfacere, dummodo unum non impediat alterum. Est communis. Et ratio est, quia plerumque temporum diversitas non praecipitur. Suar. Az. [10] Sanch. [11]. »

Unde resolves:

« 1. Potest quis eodem tempore audire missam in festo praeceptam, et simul legere horas, vel alias orationes voto, aliave ratione debitas. Bonac. [12].

» 2. Potest item qui tenetur audire duas missas, eas audire simul, imo etiam tres, ut docent aliqui, dum simul in pluribus altaribus celebrantur. Sanchez. [13]. Maior [14]. »

DUBIUM VI. An qui uno actu violat plura praecepta committat plura peccata.

167. « Resp. Si violet praecepta materialiter tantum diversa, ita ut licet sint plurium legislatorum, habeant tamen motivum formale idem, et versentur circa materiam eamdem numero cum iisdem circumstantiis, unum tantum peccatum committit: si vero praecepta sint formaliter diversa, ob motiva proxima specie distincta, vel versentur circa materiam numero diversam, committet plura peccata: quia sunt obligationes et malitiae diversae. Ita Sanch.[15] Vasq.[16] Salmant. card. de Lugo [17]. (*Vide dicenda l. 5. n. 4.*). »

Unde resolvitur:

« 1. Qui non ieiunavit die vigiliae incidentis in quadragesimam, aut neglexit sacrum festo incidente in dominicam, unicum commisit peccatum, satisque est confiteri de ieiunio et sacro uno; quia in his praeceptis unica est ratio formalis, et motivum proximum, v. gr. in priore maceratio carnis, in posteriore cultus Dei. Laym. Sanchez card. de Lugo [18].

« 2. Qui violat votum et iuramentum, vel votum et praeceptum ecclesiae de eadem re, duplicem malitiam committit ac proinde id in confessione explicandum est: quia voti observatio praeci-

(1) N. 232. (2) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 142. (3) L. 2. t. 4. c. 4. n. 12. (4) Loc. c. n. 23. (5) L. 1. c. 14. (6) P. 10. (7) L. 4. in 5. p. (8) 1. mor. c. 14. (9) Loc. c. (10) P. 1. l. 7. c. 5. (11) L. 1. c. 14. (12) P. 10. n. 8. (13) 1. mor. c. 14. 12. (14) In 4. dist. 18. (15) L. 9. de matr. dist. 15. (16) 1. 2. dist. 19. (17) D. 16. n. 245. (18) Loc. cit.

pitur, ut fides Deo debita servetur; iuramenti autem, ne Deus vocetur in falsum testem: et sic duae sunt hic rationes formales; uti et sunt in omissione missae, quae et propter festum, et ex iniuncta poenitentia audiri debet. Card. de Lugo [1].

» 3. Si ligatus cum ligata adulteretur, duplex peccatum iniustitiae committit, unum contra propriam uxorem, alterum contra maritum adulterae: uti etiam si quis uno actu occidat plures, sunt plura homicidia, quia in istis materia est numero diversa. Laym.[2] Sanch. card. de Lugo [3]. »

Cap. IV. Quae excusent a transgressione praecepti

Dubium I. An ignorantia excuset.

168. *An ignorantia invincibilis excuset.*
169. *An ignorantia excuset a poena annexa legi.*
170. *An detur ignorantia invincibilis etiam circa praecepta iuris naturae,* usque ad 173.

168. « Resp. Si sit invincibilis, excusat; quia nemo peccat, nisi actu voluntario; hic autem cognitionem praesupponit. Si autem sit vincibilis et culpabilis non excusat; qualis est, cum poteras et tenebaris scire aut discere, et in mentem veniebat dubitare, nec studuisti intelligere. S. Aug. s. Th. Sanch.[4] et caeteri communiter contra Palaum.

Unde resolvitur:

« 1. Si quis die ieiunii nihil cogitans de praecepto coenet, aut carnes comedat, non peccat: similiter in aliis, ut si occidas hominem putans esse feram. Bonac. [5].

» 2. Si in aliqua re tantum advertas malitiam unius generis, illam solam contrahis; ut v. gr. si quis cognoscat foeminam, quam scit non esse suam, ignorat autem esse consanguineam, is fornicationem tantum, vel adulterium committit, non incestum. Laym. [6] Bonac. [7]. »

169. Quaeritur inde an ignorantia excuset a poena legi annexa. Respondetur ex Laym. [8] quod qui ignorat inculpabiliter legem excusetur a culpa et ab illius poena. E converso qui scit legem, sed ignorat poenam illi adnexam, minime excusatur a poena, Ita Laym. cum communi [9]. Excipitur 1. Si poena sit gravissima excedens meritum criminis. 2. Si sit censura ecclesiastica, quam ignorantes non incurrunt, nisi ignorantia sit crassa seu culpabilis, ut docet Laym. cum communi [10]. Et constat ex iure canon. [11]. Idem autem efficit ignorantia quod oblivio legis, Laym. [12]. Ratio est, quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, sive virtualis contemptus legis. Vide *l.* 7. *n.* 47.

Immo si censura sit indicta praesumentibus, sive temere, consulto, aut scienter peccantibus; tunc excusat ignorantia etiam crassa, non autem affectata (quae adest, cum quis studiose negligit scire legem, ut liberius agat); quia haec scientiae aequiparatur. Ita Laym. [13] et alii; sed vide *lib.* 7. *n.* 48.

Dissertatio

in qua ostenditur dari ignorantiam invincibilem in nonnullis ad naturalem legem spectantibus.

170. Exploratae iam veritatis est invincibilem ignorantiam dari non posse in rebus iis quas homo scire potest et tenetur. Cum itaque quod scire tenetur ignorat, et ignorantiam versa vice *studio superare potest*, ut verbis utar divi Thomae [14] a culpa liberari neutiquam potest. Quaenam vero nos scire tenemur, tradit Angelicus [15]; cuius haec sunt verba: *Omnes tenentur scire communiter ea quae sunt fidei, et universalia iuris praecepta; singuli autem ea quae ad eorum statum vel officium spectant.* Eapropter, ubi de naturali iure sermo fit, palam est invincibilem ignorantiam in primis ipsius principiis dari non posse, quo pacto sunt: *Deus est colendus: Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Ita etiam dicimus, neque immediatas ab ipsis erutas conclusiones, seu proxime praefatis principiis connexas, et cohaerentes invincibiliter posse ignorari, quemadmodum

(1) Loc. c. (2) L. 1. tr. 2. c. 10. n. 3. (3) Loc. cit. (4) 10. mor. c. 6. (5) Q. 8. p. 3. (6) L. 1. tr. 2. c. 4. (7) Loc. c.

(8) L. 1. tr. 4. c. 20. (9) Ibid. n. 6. (10) L. 1. tr. 5. c. 5. n. 7. (11) C. 2. de const. in 6. (12) Ibid. (13) D. c. 5. (14) 1. 2. q. 76. a. 2. (15) Ibid.

certe sunt decalogi praecepta. Porro insuper affirmamus, quod istiusmodi ignorantia invincibilis ne in obligationibus quidem datur, quae ad proprium statum vel officium pertinent; quandoquidem qui cuipiam statui se mancipat, ex. gr. ecclesiastico vel religioso, vel qui aliquod munus suscipit obeundum, veluti iudicis, medici, confessarii, aut id genus munus aliud, tenetur illius status aut officii obligationes callere, vel in iis instrui, et qui eas ignorat, negligens instrui, aut ob timorem ne deinceps teneatur eas observare, aut ob voluntariam negligentiam, eius ignorantia culpabilis semper erit, atque omnes errores quos tali negligentia deinde patraverit, omnes culpabiles erunt, etiamsi in iis patrandis actualem eorum malitiae advertentiam non habeat; siquidem ad hoc ut culpabiles sint, virtualis advertentia satis est, seu interpretativa (ut alii loquuntur), quam initio habuit, cum proprias obligationes scire neglexit, ut sapienter et communiter docent Habert[1] Collet. Contin. Tournely [2] Antoine [3] aliique, divo Thoma duce, iuxta quod superius praenotatum est, et pro eo quod expressius idem s. doctor [4] ad hanc rem apposite dicit, ubi docet excusari non posse iudicem illum, qui in sententia ferenda errat, propterea quod leges ignorat quas didicisse tenebatur.

Dixi communiter, quia licet alii multi dd. ut Sylvius, Suarez, Gammachaeus, Isambertus, videantur pro singulis peccatis actualem advertentiam postulare, saltem quando cuiusque peccati causa ponitur, tamen omnes, nemine discrepante, consentiunt, satis esse, ut culpabiles futuri errores fiant, advertentiam illam, quam initio habet homo, cum statum quempiam assumit, aut aliquod munus suscipit, de obligatione se se peritum reddendi, si peritus non sit in iis quae agere debet, et in quibus necesse est versari ratione muneris, et hoc non obstante negligit; quia tunc in confuso saltem errores praevidet, quos non informatus, et instructus admittere poterit, et cavere non curat. Si vero quis in suo munere sufficienter antea se curaverit instrui, et nihilominus in re quapiam erraverit, quae munus suum respiciat aut statum, non ob negligentiam, sed ob invincibilem ignorantiam, vel invincibilem inadvertentiam, ab omni prorsus culpa utique liber esset, ut mox docebimus.

Certum igitur est, quod in primis iuris naturalis principiis, aeque ac in proximis conclusionibus, et certis obligationibus proprii status non datur invincibilis ignorantia, quia lumine ipso naturae talia omnibus nota sunt, praeterquam illis qui oculos claudunt ne ea videant. Et de his nimirum loquitur d. Thomas [5]: *Ad legem naturalem pertinent primo quidem quaedam praecepta communissima quae sunt omnibus nota; secundo autem quaedam secundaria praecepta, magis propria, quae sunt quasi conclusiones propinquae principiis;* et affirmat utraque ignorari non posse nisi ex passione vel ex ignorantia culpabili; quoniam sicuti docet p. Suarez: *Natura ipsa ac conscientia pulsat in actibus eorum, ut non permittat ea inculpabiliter ignorari.*

171. Contra vero unanimis theologorum sententia est, tum probabilistarum tum antiprobabilistarum, in conclusionibus mediatis et obscuris, seu remotis a principiis utique dari et admitti debere ignorantiam invincibilem; ita docet idem s. Thom. [6] qui statuit, dupliciter ignorantiam esse voluntariam et culpabilem, vel *directe*, *sicut cum aliquis studiose vult nescire aliqua, ut liberius peccet: vel indirecte, sicut cum aliquis propter laborem vel propter alias occupationes negligit addiscere id per quod a peccato retraheretur. Talis enim negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam, et peccatum, dummodo sit eorum, quae quis scire tenetur et potest: et ideo talis ignorantia non totaliter excusat a peccato. Si vero sit talis ignorantia, quae omnino sit involuntaria*,

(1) Theol. dogm. t. 3. de act. hum. c. 1. §. 3. q. 5.
(2) Comp. mor. t. 1. (3) Theol. m[illegible]. c. 4. de pecc. q. 7.
(4) Op. de consc. q. 17. a. 5. ad 3. et ad 5.
(5) 1. 2. q. 94. a. 6. (6) 1. 2. q. 76. a. 3.

sive quia est invincibilis, sive quia est eius, quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat a peccato. Affirmans itaque Angelicus, *Si vero sit talis ignorantia quae omnino sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est eius quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat a peccato*, sane ostendit, ignorantiam adhuc eorum quae scire tenemur, posito quod sit invincibilis, a peccato excusare. Idem pariter docet alibi [1] s. doctor luculentioribus verbis: *Error autem conscientiae quandoque habet vim absolvendi sive excusandi, quando scilicet procedit ex ignorantia eius quod quis scire non potest vel scire non tenetur, et in tali casu, quamvis factum sit de se mortale, tamen intendens peccare venialiter, peccaret venialiter;* et consequenter si nullum peccatum committere intenderet, nullum quidem committeret. Notetur attente: *Scire non potest vel scire non tenetur;* igitur etiam in casu, quo quis scire tenetur praeceptum, si illud scire nequeat, eius ignorantia est invincibilis, excusatque a culpa, prout in sua natura esset, sapienter advertendo cum Ioanne a s. Thom. [2] illa verba *scire potest* intelligi non remote, sed proxime et expedite, ita ut omissio debitae diligentiae in veritate requirenda sit proprie volita: *Illud axioma: Qui potest et tenetur, et non facit, peccat; intelligi de eo qui potest proxime et expedite, non remote tantum et impedite, quia (ut supra diximus) omissio, ut sit voluntaria, debet procedere ab ipsa voluntate.*

Itidem d. Antoninus aperte monet in conclusionibus remotis quidem dari ignorantiam invincibilem [3] sic inquiens: *Et si diceretur hic esse usuram, et usura est contra decalogum. Respondetur, sed hunc contractum esse usurarium non est clarum, cum sapientes contraria sibi invicem in huiusmodi sentiant. Cum autem dicitur ignorantia iuris naturalis non excusare, intelligitur de his quae expresse per se vel reductive sunt circa ius naturale et divinum, et contra fidem vel praecepta per evidentes rationes, vel determinationem ecclesiae, vel sententiam communem doctorum; et non de his quae per multa media, et non clare probantur esse contra praecepta et articulos.* Idem tuetur Habert dicens [4]: *Circa conclusiones remotiores iuris naturalis, quales sunt prohibitio usurae, uxorum pluralitas, matrimonii indissolubilitas, etiam interveniente aliqua gravi causa, potest esse ignorantia invincibilis, quia non deducuntur ex primis principiis, nisi longiori discursu.* Et Gerson [5] qui scripsit: *Concors est sententia, nullam in iis quae legis naturalis sunt, cadere ignorantiam invincibilem*, respondet, id dici et affirmari quoad prima principia et primarias conclusiones, secus vero quoad remotiores conclusiones; immo addit quandoque adhuc ipsas primarias conclusiones quibusdam in circumstantiis invincibiliter ignorari posse, ex. gr. si quis sibi persuadeat errore deceptus, quod teneatur mentiri, ut proximum a morte vindicet.

Io. Bapt. Du-Hamel non absimiliter nos certiores facit [6] sic scribens: *Quod autem ex eo iure necessario quidem, sed non ita manifeste deducitur, ut forte polygamia et alia huius generis invincibiliter ignorari posse probabile videatur, adeo ut nulla vel levi suspicione ea esse prohibita his in mentem venerit; ac licet ea vitia ex peccatis libere admissis oriantur, ac proinde voluntaria videantur, et ea ratione ignorantia sit poena peccati: hinc tamen non sequitur ea esse voluntaria, cum ex iis peccatis sequutura mala praevisa non fuerint.*

P. Berti [7] eamdem sententiam sic scribendo defendit: *Verissimam tamen puto sententiam oppositam, et circa consequentias iuris naturae remotissimas censeo ignorantiam invincibilem esse admittendam ..... Illam tenent omnes fere aegidiani ac thomistae, et Sylvius, l'Herminier, aliique communiter, cuius as-*

(1) Quodl. 8. a. 15. (2) 1. 2. q. 6. disp. 3. diffi. 1.
(3) P. 2. tit. 1. c. 11. §. 23. (4) Theol. t. 3. de act. hum. c. 1. § 3. (5) De vita spir
(6) L. 2. de act. hum. c. 5. vers. ad legem.
(7) De theol. disc. t. 2. l. 21. c. 10

sertionis haec videtur ratio apertissima, quod conclusiones iuris naturae remotiores deducuntur ex principiis longiori implexoque discursu, quem rudes plurimi ... efformare nequaquam valent. Idque comprobat cum d. Th. [1] qui dicit: *Quaedam vero sunt, quae subtiliori consideratione rationis a sapientibus iudicantur esse observanda: et ista sic sunt de lege naturae ut tamen indigeant disciplina, qua minores a sapientibus instruantur.* Quocirca concludit p. Berti, rudem hominem, si in hoc negligens non sit, non esse condemnandum. Et ne peritum quidem esse damnandum, subiungo, si ex ignorantia invincibili operetur; quoniam nullus reperitur, doctissimus licet sit, qui iudicare sciat de cunctis obscuris rebus ad ius naturale pertinentibus, iuxta inconcussam veritatem; nam eadem veritas, ut ait d. Th. [2] non est omnibus aeque nota: *Sed quantum ad proprias conclusiones rationis practicae non est eadem veritas, seu rectitudo apud omnes, nec etiam apud quos est eadem est aequaliter nota.* Idem habet p. Gonet [3] qui loquens de praeceptis remotis a primis principiis, dicit: *Potest dari de illis ignorantia invincibilis et excusans a peccato.* Et [4] de eadem sententia loquens, ait contrariam esse singularem, paucorum, et improbabilem. Idem habet p. Colet Continuat. Tournely [5] hisce verbis: *Non datur ignorantia invincibilis iuris naturalis quoad prima principia, et proximas eorum conclusiones; datur vero quoad magis remotas.* Idem quoque p. Antoine [6] dicens: *Datur in aliquibus ignorantia invincibilis circa quaedam praecepta iuris naturalis valde abstrusa, et remota a principiis: est communis sententia, quia cum aliqua praecepta sint valde abstrusa et remota a primis principiis, a quibus sine longo et difficili discursu deduci nequeunt, facile ignorari possunt invincibiliter.* Et insuper refert anno 1685. die 8. augusti Romae inter varios articulos tertium sequentem articulum fuisse damnatum: *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem iuris naturae in ullo homine, dum hic et nunc contra ius naturae agit.* Arrisit mihi fuse et distincte horum quos retuli auctorum referre verba, quia sunt antiprobabilistae. Caeterum innumeri pene sunt alii qui veluti certam eamdem vindicant sententiam, uti Sylvius Sotus Gammachaeus Isambertus card. Aguirre Wigandt Cuniliati Salmant. Scholastici et Morales, quibus omnibus adhaerent d. Anselmus Azorius Suarez Tapia Prado Vasq. La-Croix Duvallius Medina Maldonatus et alii. Neque in aliam sententiam ivit doctissimus praesul Iulius Torni in suis notis in Estium, ubi scripsit eiusdem fuisse sententiae Caietanum, (quem perperam pro se stare facit Contensonius) cum hisce conceptis terminis scripserit Caietanus: *Hominem quantum in se est in opinionum delectu a divina bonitate excusari, si veritatem non assequens a recta deflectat morum regula, non exigit magis Deus ab homine.* Prorsus idem nuperrime scriptum reliquit archiepiscopus parisiensis Beaumont in sua pastorali catechesi, cuius verba gallico sermone conscripta sic latine reddita afferuntur: *Licet invincibiliter ignorari non possint iuris naturalis principia, eorumque proximae conclusiones, nihilominus tamen eorum obscuriores, remotioresque consequentiae possunt esse, et saepe sunt invincibilis ignorantiae materia. Hoc punctum cunctis in verbis simul congregat celebriorum theologorum suffragia.*

172. Comprobatur autem magisque firmatur nostra sententia a secunda Baiana propositione ab Alex. VII. proscripta: *Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.* A cuius propositionis proscriptione luculenter infertur quod pontifex idcirco eam damnavit, quia pro certo habuit, dari utique posse ignorantiam invincibilem

(1) In 1. 2. q. 100. a. 1. (2) 1. 2. q. 94. a. 4.
(3) Clyp. theol. t. 3. disp. 1. a. 4. §. 1. n. 64
(4) Tr. de probabil. circa fin.
(5) Comp. mor. t. 1. c. 1. a. 1. sect. 2. concl. 4.
(6) Theol. mor. de pecc. c. 4. q. 6

in aliquibus difficilibus, reconditisque rebus quae ad legem naturalem spectant. Nec dissimile colligitur ab alterius Baianae propositionis damnatione: *Infidelitas negativa in iis, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.* Ulterius apertissime confirmatur a thesi ab eodem pontifice damnata: *Non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam.* Nisi ignorantia invincibilis daretur circa ius naturale, ut aiunt adversarii, a culpa neque excusaretur quidem qui sequitur opinionem probabilissimam, quia adhuc probabilissima versatur in discrimine errandi, quandoquidem haec non extra, sed intra probabilitatis terminos existit: ratio nostrae sententiae, ut finem tandem aliquando faciam, quam s. Thom. adducit [1] ea cum primis evidens est: *Manifestum est, quod illa ignorantia quae causat involuntarium tollit rationem boni et mali moralis.*

173. Sed ad eam dissertationis partem deveniamus, ubi audire vacat, quae contra nos iaciant duo acerrimi contradictores, alter nempe p. Patutius, qui se ficto nomine appellat Adelphum Dositheum, alter anonymus, qui librum suum *regulam morum* inscribit, qui ambo quae italico sermone scripserunt, latine hic redduntur. Absolute igitur negantes dari ignorantiam invincibilem circa quamlibet rem audiamus primum Patutium italice (ut dixi) scribentem in ea, quam latine traducimus, forma: « Iuxta ideam quam habemus a divinis scripturis, a ss. pp., a divo Thoma, et a communi antiquorum sensu, ac etiam a modernis primi subsellii theologis, peccata ignorantiae, quando tenemur scire legem, ea sunt (rigorose et proprie loquendo) quae committuntur, et quorum coram Deo rei sumus tempore quo ignoramus ea committere, quia a propria nostra culpa oritur quod ignoremus, et hac de causa d. Thomas hac in re [2] clarissimum axioma illud, et certum docuit: *Ignorantia quae causatur ex culpa, non potest subsequentem culpam excusare:* atque hac ratione peccatur, quamquam non habeatur, nedum scientia a vobis expostulata, cognitio nimirum certa et evidens (loquitur hic mecum circa licitum usum opinionis aeque probabilis, quem defendo) sed ne incerta quidem et obscura peccati, quae haberi poterat, quamque habere tenebamur. Et deinde concludit: *Pauca haec sint satis, ut instruamini in negotio, cuius adaequatam non videmini ideam efformasse.* » Sed hic erravit p. Patutius existimans me, ut ipse est, penetrantis et acris esse ingenii; sed dura obtusaque mente cum ipse sim, fateor hanc brevem instructionem mihi satis non esse, quoniam intelligere nunquam potui, quomodo homo peccet, cum invincibili ignorantia de peccato laboret, postquam debitam adhibuerit diligentiam, ut informetur, et ignorantia careat.

Auctor vero *regulae morum* in universo fere suo libro probare nititur, nos minime posse sine formali peccato rem quampiam ignorare, quae ad ius naturae spectet; sed videamus, quaeso, quomodo id probet; etenim a responsionibus, quae suis oppositionibus reddentur, clarius patebit nostra sententia: *Non datur* (inquit), *ignorantia invincibilis iuris naturae et divini, praeterquam in pueris, furiosis et amentibus.* Deinde sic concludit: *Ignorantia iuris naturalis numquam illos excusat, qui cognitione et libero rationis usu operantur.* Quae sane conclusio reprobat, damnatque cuiuscumque probabilis opinionis usum, etiamsi probabilissima foret: omnesque ad amplectendum tutiorismum proscriptum adigit.

Probat ipse potissimum intentum suum, affirmans nos teneri sequi veritatem, propterea quod veritas est unica morum norma, et idcirco [3] ob eam rem multos consarcinat simul scripturae textus: *Ego sum via, veritas et vita* [4]. *Viam Dei in veritate doces* [5]. *Omnes viae tuae veritas* [6]. *Si custodierint filii tui vias suas et ambulaverint coram me*

(1) 1. 2. q. 19. a. 6. (2) In c. 1. ad Rom. (3) C. 1. (4) Io. 14. 6. (5) Matth. 22. 16. (6) Ps. 118. 151.

in veritate[1]. *Ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus a Patre*[2]. *Gentium custodiam veritatem*[3]. *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem*[4]. *In veritate non stetit*[5].

Verum enim vero tanto poterat auctor labori parcere; nemo enim inficiatur in operando teneri nos veritatem quaerere, eamque sequi: at petere fas sit, quonam alio pacto possumus nos veritatem noscere, nisi ratione ducti? Dicendum igitur, illam veritatem nobis esse sequendam ac amplectendam, quae a ratione exhibetur, et praeter oculos veluti ponitur: hinc p. Colet[6] recte distinguit moralitatem obiectivam actus in se considerati a moralitate formali agentis, docetque, quando ex invincibili ignorantia quis operatur, contingere posse, ut non solum non peccet, sed insuper mereatur operando iuxta rationem quae recta videtur, licet ipsa revera supremae rationi repugnet. *Sed quia* (inquit) *repugnantia haec aliquando involuntaria est, ut in iis, qui invincibili laborant ignorantia, ideo non semper imputatur ad culpam, sed aliquando ad meritum ob bonam fidem agentis, qui rectam rationem sibi sequi videtur, dum etiam ab ea deficit.* Idque totum confirmat d. Th.[7] docens obiectum actus ratione mediante repraesentari voluntati, atque in quantum cadit sub ordine rationis, obiectum illud causat in voluntate bonitatem moralem. En eius verba: *Ad* 3. *dicendum, quod bonum per rationem repraesentatur voluntati ut obiectum, et in quantum cadit sub ordine rationis, pertinet ad genus moris, et causat bonitatem moralem in actu voluntatis; ratio enim principium est humanorum et moralium actuum, ut supra dictum est*[8]. Ubi idem s. doctor docendo notat voluntatis actus bonos et malos dici, prout a ratione manifestantur: *In actibus autem bonum et malum dicitur per comparationem ad rationem; quia ut* Dionysius dicit [9]: Bonum hominis est secundum rationem esse, malum autem quod est praeter rationem .... *Dicuntur autem aliqui actus humani vel morales secundum quod sunt a ratione.*

Quocirca idem angelicus doctor[10] humanam rationem statuit tanquam proximam voluntatis naturae regulam, dicens quod lex aeterna, licet sit prima regula, nihilominus tamen est remota, et potius est ratio Dei, quam nostra: *Regula autem voluntatis humanae est duplex, una propinqua et homogenea, scilicet ipsa humana ratio: alia vero est prima regula, scilicet lex aeterna, quae est quasi ratio Dei.*

Sed nequaquam, inquit praefatus anonymus auctor *regulae bonorum morum;* quando contra legem quis operatur semper peccat, neque ratio sufficit ad excusandum a peccato. Sic ipse c. 11. ubi quod italice scribebat, sic nos fideliter latine reddimus: *Non negatur quod ratio debet esse regula proximior nostrarum actionum.... At hoc intelligitur, cum ipsa legi aeternae submittitur etc. Sed non semper accidit quod ratio a lege Dei dirigatur; unde non solum dici non potest, rationem esse regulam nostrorum morum, et in errorem labi non posse quemquam ipsam sequentem, sed etiam veritas est universis in scholis receptissima, quod quando ratio fallitur, voluntas peccet, si eam sequitur:* Ratio humana potest errare, et ideo voluntas concordans rationi humanae non semper est recta; sed voluntas concordans rationi erranti est mala. *Haec est conclusio s. Thomae, omniumque theologorum.* Sic auctor finem facit.

Sed videamus, quaeso, quod tradit s. Thomas in loco ubi hunc articulum proponit: *Utrum voluntas concordans rationi erranti sit bona*[11]. Ibi s. doctor sic ait: *Haec autem quaestio dependet ab eo quod supra dictum est*[12] *quod ignorantia quandoque causat involuntarium, quandoque autem non. Et quia bonum et malum morale consistit in actu, in quantum est voluntarius, ut ex prae-*

(1) 3. Reg. 2. 4. (2) 2. Io. 4. (3) Is. 26. 2. (4) Io. 3. 21. (5) Io. 8. 44. (6) T. 1. c. 3. a. 1. sect. 1. concl. 2. (7) 1. 2. q. 19. a. 1. ad 3.

(8) Q. 18. a. 5. (9) 4. cap. de div. nomin. (10) 1. 2. q. 71. a. 6. (11) 1. 2. q. 19. a. 6. (12) Q. 6. a. 8.

missis patet[1], *manifestum est, quod illa ignorantia quae causat involuntarium tollit rationem boni et mali moralis; non autem illa quae involuntarium non causat. Dictum est etiam supra*[2] *quod ignorantia quae est aliquo modo volita, sive directe sive indirecte non causat involuntarium. Et dico ignorantiam directe voluntariam, in quam actus voluntatis fertur: indirecte autem propter negligentiam, ex eo quod aliquis non vult illud scire, quod scire tenetur, ut supra dictum est. Si igitur, ratio vel conscientia erret errore voluntario, vel directe, vel propter negligentiam, quia est error circa id quod quis scire tenetur, tunc talis error rationis vel conscientiae non excusat, quin voluntas concordans rationi vel conscientiae sic erranti sit mala.* Notentur verba: *Si igitur ratio vel conscientia erret errore voluntario, vel directe, vel propter negligentiam, quia est error circa id, quod quis scire tenetur, tunc talis error rationis vel conscientiae non excusat.* Quapropter quando error non est volitus, neque directe neque indirecte per negligentiam, excusat a peccato.

Neque obstat dicere, quod cum res aliqua mala sit, etiamsi ratio eam repraesentet ut bonam, semper est mala; etenim respondet d. Th.[3] id esse verum propter illud generale axioma: *Bonum causatur ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus. Et ideo* s. doctor subiungit, *ad hoc quod dicatur malum id in quod fertur voluntas, sufficit sive quod secundum suam naturam sit malum, sive quod apprehendatur ut malum.* Hoc vero nequaquam efficit, actiones quae contra legem fiunt, esse formalia peccata. Quando peccatur contra legem invincibiliter ignoratam, materialiter tantum, non formaliter peccatur, quia lex non ut in se est, sed prout repraesentatur a ratione, ita fit regula et mensura nostrae voluntatis, ut sapienter animadvertit et scribit Io. a s. Thoma[4] dicens: *Et cum instatur quod potest ratio proponere contra legem ex errore invincibili, dicimus quod non potest proponere contra legem formaliter, sed materialiter, idest contra legem ut est in se, non contra legem ut existimatam, sub qua conditione tantum potest lex mensurare, non secundum se praecise ut in re, et nondum ut manifestatam.* Iuxta id quod idem auctor antea scripserat[5]: *Moralitas in actibus liberis non est aliud quam eorum commensuratio, et ordinatio secundum regulas rationis.*

Sed reponit auctor *regulae morum*, d. Th. eodem articulo haec verba subiungere: *Si ratio errans dicat quod homo teneatur ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti est mala, eo quod error iste provenit ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur.* Igitur, infert, quotiescumque quis operatur contra legem Dei, non excusatur a peccato, licet ratio contrarium ei repraesentet. Idque confirmat alio Angelici textu[6]: *Si alicui dictat conscientia, ut faciat illud quod est contra legem Dei, si facit, peccat; quia ignorantia iuris non excusat a peccato, nisi forte sit ignorantia invincibilis, sicut est in furiosis et amentibus, quae omnino excusat.* Insuper id confirmat textu Bonifacii VIII.[7]: *Ignorantia facti, non iuris excusat.*

Verum textibus hisce omnibus clarae sunt responsiones. Cum s. Thom. ait: *Ignorantia legis Dei, seu ignorantia iuris non excusat,* loquitur tantum de ignorantia illorum praeceptorum Dei, quae idem exprimit aliis in locis, prout superius animadvertimus[8], quae ignorari non possunt sine culpa positivae negligentiae, quemadmodum sunt prima principia legis naturalis, eorumque proximae conclusiones, idest praecepta decalogi, ut communiter docent cum d. Thom. alii supra laudati aa. Nec absimiliter intelligi debet auctoritas Gersonis nobis ab adversario obiectata, uti explanat Habert. Eadem quoque ratione explicandae sunt auctori-

(1) Art. 2. huius quaest. (2) Q. 6. a. 8.
(3) In eod. art. ad 1. (4) 1. 2. q. 18. disp. 11. a. 2.
(5) Cit. q. 18. disp. 9. a. 1.
(6) In quodl. 3. a. 27. ad 2. (7) De reg. iur. 13. in 6.
(8) 1. 2. q. 76. a. 2. et q. 94. a. 6.

tates Alb. Magni [1] et Adriani papae [2]; nam in pastorali epistola archiepiscopi Beaumont pro me hos auctores stantes, citatos reperio. Caeterum certum est, d. Th. primis principiis exceptis, ac proximis inde conclusionibus, in reliquis abstrusis et obscuris admittere, pluribus in locis, uti monuimus, ignorantiam invincibilem, siquidem [3] affirmat, quod cum ignorantia est invincibilis, licet sit de rebus quas homo scire tenetur, excusat a peccato illis verbis: *Si vero sit talis ignorantia, quae omnino sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est eius quod quis scire non tenetur, omnino excusat a peccato.* Accedit quod alio superius allato loco [4] docet, tunc esse malam voluntatem quae sequitur erroneam rationem, quando ratio errat sive directe sive indirecte propter voluntariam negligentiam circa ea quae homo scire debet: *Si igitur ratio vel conscientia erret errore voluntario, vel directe, vel propter negligentiam, quia error est circa id quod quis scire tenetur, tunc talis error non excusat.* Igitur cum error non sit voluntarius, saltem ratione negligentiae utique excusat a peccato.

Ad textum autem Bonifacii VIII. qui contra nos ponitur: *Ignorantia facti, non iuris excusat*, apposite respondent Sylvius [5] et Antoine [6] id locum habere in statutis forensibus, quorum ignorantia plerumque praesumitur vincibilis post eorum promulgationem in foro factam, dummodo aliqua specialis ratio, qua contrarium praesumeretur, non adesset [7].

Opponit deinde anonymus varias scripturae auctoritates, quibus probare nititur, non dari ignorantiam invincibilem circa ius naturae: *Qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis* [8]. *Delicta iuventutis meae et ignorantias meas ne memineris* [9]. *Misericordiam Dei consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* [10]. Verum textus hi omnes, prout docet Habert [11] et ex concordi suffragio interpretum universorum de ignorantia crassa intelliguntur, quae caeteroqui peccatum diminuit, sed supplicium non effugit, *quia*, ut ait Habert, *est volita saltem indirecte, quatenus nempe qui ea laborat, voluntarie vel omittit diligentiam necessariam ut addiscat, vel suscipit officium, ad quod praestandum non potest adipisci scientiam requisitam.* Et ideo, prosequitur idem auctor, a concilio diospolitano damnata fuit propositio Pelagii, hisce terminis concepta: *Ignorantia non subiacet peccato, quoniam non secundum voluntatem evenit, sed secundum necessitatem.* Fuit igitur damnata, quia nempe ignorantia crassa est vincibilis, adeoque culpabilis.

At insurgit anonymus: Christum iudaei cruci affixerunt, ipsum non cognoscentes, prout idem Salvator noster patefecit, cum dixit: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt* [12]. Infideles credunt honorem se praestare Deo, apostolos morti tradentes: *Sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo* [13]. Ita pariter haeretici veritatem tueri putant, catholicos persequendo. Verum quidquid obiicitur paucis clare diluit praelaudatus Habert: *Iudaei per miracula et prophetias potuerunt cognoscere Christum Dominum, iuxta illud: si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit* [14]. *Si opera non fecissem in eis... peccatum non haberent* [15]. *Haeretici et alii infideles, si velint attendere ad notas verae religionis, eam in ecclesia romana facile deprehendissent.*

174. Sed iterum instat anonymus sic dicens: ignorantia cognoscendi aliquod naturale praeceptum oritur a nobis ipsis, vel quia omnem debitam diligentiam non adhibemus in veritate quaerenda, vel quia a Deo non postu-

(1) In 2. dist. 22. a. 10. (2) In 4. sent. tr. de clav. eccl. q. 5. (3) 1. 2. q. 76. a. 3. (4) 1. 2. q. 19. a. 6. (5) In 1 2. q. 76. a. 3. q. 7. concl. 7. (6) De pecc. c. 4. q. 6. (7) Ex cap. In tua, tit. Qui matr. accus. etc. (8) Luc. 12. 48. (9) Ps. 24. 7. (10) 1. Tim. 1. 13. (11) De act. hum. c. 1. §. 3. q 7 (12) Luc. 23. 34. (13) Io. 16. 2. (14) Io. 5. 46. (15) Io. 15. 24.

lamus, uti par est, gratias, ut divinam legem cognoscamus; quoniam (inquit), quemadmodum fides nostra divino elevari debet lumine ad sancta mysteria credenda, ita nostra ratio ab eodem lumine elevari debet ad habendas perspectas vias progrediendi ad Deum. Quocirca David propheta orabat: *Domine, ostende mihi legem tuam, et doce me facere voluntatem tuam.* Et sic denique concludit: *Non potest sine peccato esse, quod hac ignorantia contra legem Dei efficitur.*

Ergo, respondeo, cum videmus tot viros doctos et pios, ac etiam in sanctorum numerum relatos multis in quaestionibus invicem adversatos fuisse in pluribus ad legem naturalem spectantibus, dicere forte ne debemus alterutros eorum peccasse, et damnationem subiisse? Ita loquitur p. Antoine [1] in hanc rem: *Si s. Thom. et s. Bonav. de multis ad legem naturalem pertinentibus inter se dissident; alteruter ergo erravit; et tamen neuter opinionem ullam ante obitum retractavit; ergo si non datur ignorantia invincibilis legis naturalis in re quapiam, alteruter in gravi peccato diem clausit extremum, cum sit gravis culpa docere culpabiliter errorem circa praecepta divina, sicque damnatus est.* Et revera nos non latet s. Thomam defendere, iudicem debere damnare illum, quem in iure constat esse reum, licet ipse iudex sciat illum esse innocentem; sed s. Bonaventura id negat. E converso s. Bonaventura tuetur, peccatorem nisi statim a commisso peccato confiteatur, novum patrare peccatum, idque negat d. Thomas. Atque id genus exempla eruditorum, sanctorumque virorum, qui de praeceptis naturalibus discutientes discordes manserunt, ait s. Antoninus [2] sexcenta prope afferri posse. Idem doctissimus Morinus [3] docet, cum dicit: *Quicumque annales ecclesiae attenderit, facile animadverterit, auctores ecclesiasticos multa aliquando opinionum varietate discordes fluctuasse.* Insuper Nat. Alex. [4] p. Berti [5] affirmant, quamplures etiam ss. patrum in nonnullos esse lapsos errores; *Fatemur in singulis pene patribus naevos reperiri, in plerisque etiam errores.* Et quod de s. Io. Chrysostomo refert Xistus Senensis [6]: *Restat tertium, quod in praemissis Chrysostomi verbis continetur assertum, videlicet Saram in eo potissimum esse laudandam atque imitandam, quod servandi mariti causa barbarorum sese adulterio exposuerit, consentiente tamen marito in eius adulterium, imo etiam suadente.* Concludendum proinde ex eo foret, sanctos hosce, vel alios ecclesiasticos auctores ad tartara esse detrusos, propterea quod erroneas scripserunt opiniones, earumque postea non curarunt emendationem; vel saltem concludendum, in iis scribendis semper mortaliter peccasse, verum nescio an quis reperietur qui id audebit asserere.

Quapropter non valet dici, quod ille qui, ut convenit, studet ac orat, cognitionem quidem obtineat veritatis in universis naturae legis dubiis; siquidem opportune respondet p. Colet [7] praestantiora ecclesiae lumina minime neglexisse studium et orationem, nec propterea ad veritatis notitiam pervenisse, ut eam assequerentur. *Et vero, si quaelibet ignorantia iuris naturalis vinci possit, maxime per orationem; atqui falsum consequens, cum maiora ecclesiae lumina dies noctesque orando et studendo consumpserint, nec tamen eas quas optabant, cognitiones obtinuerint.* Quandoquidem, ut optime idem p. Colet animadvertit, multarum legis naturae conclusionum, sed remotarum a primis principiis ne patres quidem et ecclesiae doctores cum omnibus praesidiis a natura et a gratia acceptis veritatem in pluribus assequi potuerunt: *Atqui multae sunt conclusiones a primis principiis oriundae, quarum cognitio ne cum magnis quidem naturae et gratiae auxiliis haberi potest, cum circa eas dividantur acutissimi simul et piissimi patres ecclesiae.*

(1) Cit. l. de pecc. c. 4. (2) P. 1 tit. 3. c. 10. §. 10. (3) P. 3. exerc. 5. c. 9. de sacram. ord.
(4) T. 3. disp. 16. sect. 2. (5) Theol. l. 21. c. 12. n. 5. (6) Bibl. sacr. adnot. 89. (7) Loc. c. c. 1.

Sed replicatur: Deus est fidelis, promisit exaudire orantem se: *Petite et accipietis.* Si nos lucem suam a Deo debitis conditionibus postularemus, eam ipse non denegaret; quamobrem si non obtinemus, per nos profecto stat, nosque sumus in culpa. Sed duo sunt distinguenda genera lucis. Altera lux, seu cognitio est naturalis, vel potius naturae viribus comparata, qua morales veritates cognoscimus divinae legis circa imperata, et vetita. Altera est lex supernaturalis gratiae, qua illustramur ut cognoscamus divinae gratiae valorem, maximum aeternae salutis negotium, media ad eam consequendam, occasiones quae ad eius iacturam praecipites nos agere possunt, et id genus alia. Cum autem contra legem formaliter delinquitur ex huius lucis gratiae defectu, quam a Deo poscere minime curavimus, dubium non est quin eiusmodi negligentia nobis imputetur ad culpam, quippe tunc nostra oscitantia est voluntaria; nam si lucem hanc postulavissemus, non defuisset utique; Deus enim non desinit impertiri gratiam oranti, ut quod bonum esse cognoscit amplectatur, et quod malum fore noscit caveat; atque haec illa lux est quam petebat David cum aiebat: *Da mihi intellectum, et discam mandata tua: doce me facere voluntatem tuam.* Contra vero Deus neque dat, neque se daturum promisit omnibus lucem veritates omnes cognoscendi, quae naturali lumine cognosci possunt; ideoque cum quis materialiter operatur contra legem, sed invincibiliter, ob huius naturalis cognitionis defectum, tunc ad formale peccatum non imputatur error, contentus cum sit Deus, ut nosmet nos dirigamus iuxta conscientiae dictamen, quod per rationem nobis exhibetur et ostenditur tanquam rectum. Apostolus ait: *Omne autem quod non est ex fide* (id est iuxta conscientiam, uti communiter explicant Ambrosius, Chrysostomus Theodoretus, aliique) *peccatum est.* Igitur qui operatur iuxta propriae conscientiae dictamen non peccat. S Ioannes quoque tradit: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum* [1]. Ut unô verbo dicam, Deus non damnat, nisi illas actiones in quibus adest malitia voluntaria, vel voluntaria negligentia; unde eum qui existimat invincibiliter se recte operari, Deus non solum non punit, sed quandoque rectam eius intentionem remuneratur, etiamsi opus suum legi, prout est in se, repugnet, *sed quia repugnantia haec* (scribit p. Colet, ut superius praenotatum est) *aliquando involuntaria est, ut in iis qui invincibili laborant ignorantia, ideo non semper imputatur ad culpam, sed aliquando ad meritum ob bonum finem agentis, qui rectam rationem sibi sequi videtur, dum etiam ab ea deficit.*

Id pariter scribit severissimus p. Concina [2] qui licet [3] dicat, opus ex errore conscientiae patratum adhuc invincibili, neutiquam bonum esse posse, meritoque dignum; nihilominus [4] expresse sententiae nostrae adhaeret, dicens: *Potest enim quis, dum exercet opus materialiter malum, habere plures actus bonos, intentionem nempe bonam Deo placendi, hos bonos et meritorios dicimus, quamvis actus qui per se tunc exercetur sit materialiter malus... Haec bona intentio nulla prava circumstantia inquinatur, quia opus materialiter malum cum non sit voluntarium, refundere in ipsos actus malitiam non valet.*

Verum anonymus noster contra id quasi tuba exaltat vocem suam et caput integrum in hoc insumit [5], ubi magna vi nititur probare, quando actio divinae legi est contraria, semper hominem peccare, licet recta intentione operetur. En quomodo italice loquitur, quod nos latine vertimus. Primum inquit: *Est igitur in evangelio, et in patrum doctrina constans axioma, intentionem et finem communicare eorum bonitatem, aut malitiam nostris actionibus, easque bonas aut malas facere.* Sed paulo post sibimet ipsi adversans aliter loquitur et inquit: *Quamquam re-*

(1) 1. Io. 3. 21. (2) Theol. christ. t. 2. l. 2 de consc. diss. 1. (3) Arg. c. 3. (4) N. 36. (5) C. 13.

cta sit intentio, si quod fit suapte natura pravum est, vel aliqua alia peculiari circumstantia, vel si divina lege prohibeatur, hoc non obstante, peccatur ab eo qui facit.

Ita sentit noster adversarius; sed praeter p. Concinam superius laudatum, et praeter sententiam communem aliorum doctorum, d. Thom. d. Ambrosius d. Bernardus et d. Io. Chrysostomus contrarium sentiunt, uti ostendemus. Primum itaque d. Thom.[1] proponit quaesitum: *Utrum actus habeat speciem boni vel mali ex fine*. Et respondet: *Dicendum quod aliqui actus dicuntur humani in quantum sunt voluntarii, ut supra dictum est*[2]. *In actu autem voluntario invenitur duplex actus, scilicet actus interior voluntatis et actus exterior: et uterque eorum actuum habet suum obiectum. Finis autem proprie est obiectum interioris actus voluntatis: id autem circa quod est actio exterior, est obiectum eius. Sicut igitur actus exterior accipit speciem ab obiecto, circa quod est; ita actus interior voluntatis accipit speciem a fine sicut a proprio obiecto. Id autem quod est ex parte voluntatis se habet ut formale ad id quod est ex parte exterioris actus... Neque actus exteriores habent rationem moralitatis, nisi in quantum sunt voluntarii. Et ideo actus humani species formaliter consideratur secundum finem, materialiter autem secundum obiectum exterioris actus.* Isthaec sancti doctoris verba clariora sunt, quam ut explanatione egeant; nam in his luculentissime docet, actum humanum, bonum aut malum evadere prout finis est, quo fit; etenim ipse humanus actus, in tantum habet rationem moralitatis, idest ut sit bonus vel malus, in quantum est voluntarius. Obiectum actus externi est res, prout est in se ipsa: obiectum vero actus interni voluntatis est intentio qua quis operatur; unde licet materialiter actus sit in se ipso malus, tamen formaliter bonus est, quando bonus est finis; hoc tamen semper intelligendum, cum nempe malitia actus materialis invincibiliter ab operante ignoretur.

Adversarius vero pro se affert longam admodum d. Bernardi periodum[3] et deinde dicit: *Eiusmodi d. Bernardi responsio clare ostendit, quod ut oculus simplex faciat corpus luminosum, duo continere debet, bonam nempe intentionem, et veritatis cognitionem.* Hoc ipse italice, nos latine dicebamus. Ego autem lego, d. Bernardum duas doctrinas dare iis oppositas quae adversarius affirmat[4]; nam ipse ait, quod ille qui obedit praelato *ex recta intentione, meritorie agit, quamvis materialiter erret contra legem:* et alibi[5] haec verba habet: *Et laude quidem dignam dixerim vel solam intentionem piam, nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas.* D. Ambrosius[6] scribit: *Affectus tuus nomen imponit operi tuo.* Io. Chrysostom.[7] similiter scribit: *Ex proposito bono etiam quod videtur malum bonum est, quia propositum bonum excusat malum opus.*

Sed qui contra legem operatur, instat auctor, semper peccat ignorantia vincibili, quia non orat; nam si oraret, sibi non deesset gratia ad cognoscendam legem. Ad quod sic respondeo: Deus oranti, ut formale peccatum caveat, non denegat sufficientem gratiam, sed non semper gratiam impertit, ut materiale peccatum vitetur. *Non deest gratia* (scribit p. Colet) *qua peccatum formaliter devitet, concedo: peccatum etiam materialiter, nego. Porro peccatum, quod ex ignorantia invincibili committitur, non est peccatum, nisi materialiter, nec impedit quominus aeterna salus obtineri possit. Imo sunt qui credunt, quarumdam rerum cognitionem homini subtrahere, quia mavult ut propter cognitionis defectum non peccet, nisi materialiter, quam, ut occasione cognitionis suae formaliter delinquat.*

Vix tamen, imo ne vix quidem intelligo, quid ad rem nostram pertineat propositio, quam opponunt, ab Alexandro VII. damnata, circa peccatum phi-

(1) I. 2. q. 18. a 6. (2) Q. 1. a. 1.
(3) De praec. et disp. c. 12. et 18.
(4) Eod. tr. c. 12. et 17. (5) C. 14. n. 35.
(6) L. 1. off. c. 30. (7) Hom. 19. in op. imp.

losophicum, quae habebat: *Peccatum philosophicum, seu morale, quantumvis grave in eo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.* Quid ad rem nostram, inquam, pertinet propositio isthaec? Qui cognoscit offendere naturam, necessario offendit etiam naturae auctorem, qui est Deus, etiamsi de Deo non cogitet: sed qui operatur ex ignorantia invincibili legis naturalis, neque Deum offendit, nisi tantum materialiter, vel (ut melius dicam) in nihilo offendit; etenim materialis offensio non habet rationem offensae, sed ad summum esset materia offensae, si homo tanquam offensam Dei, aut naturae eam apprehenderet.

Nec quidquam suffragatur dicere in sensu adversarii, quod quemadmodum fides nostra elevari debet lumine supernaturali, ut revelata mysteria credamus, ita etiam nostra ratio eodem debeat elevari lumine, ut iuris naturae negotia cognoscamus; quia quantum attinet ad mysteria, ultro concedimus; sed ad bene operandum, licet homini in tenebris veluti constituto in poenam primigeniae labis non sufficiat sola, nudaque ratio naturalis, requiritur insuper divina praeceptorum revelatio ut ea intelligat quae facienda sint quaeque cavenda; postquam vero homo hoc divinae revelationis lumen acceperit ad bene vivendum, et ad omnes morales veritates cognoscendas, prout in se sunt, aliud non opus est supernaturale lumen; etenim Deus gratias supernaturales minime pollicitus est ad hunc finem, sed vult, ut homo naturali ratione utatur directa iam a revelatione praeceptorum facta; tantummodo, ut iam supra dictum est, ea eget gratia, qua ipse illuminetur et confortetur ad id amplectendum quod cognoscit bonum, idque fugiendum malum quod cognoscit esse vitandum. Optime admonet d. Th.[1] non posse hominem propriis actibus gratiam acquirere, sed utique propria diligentia rerum scientiam comparare posse: *Homo potest aliquam scientiam acquirere per suos actus, gratia vero non acquiritur ex nostris actibus, sed ex Dei munere.* Si igitur ita se res habet, non debet homo necessario expectare gratiam, ut naturalium praeceptorum ignorantiam superet, quia eiusmodi ignorantia propria diligentia superanda est; et quotiescumque haec diligentia tanti non esset roboris, ut ad cognitionem perduceret remotorum obscuriorumque praeceptorum, invincibilis cum sit ignorantia, a Deo non imputatur ad culpam.

Atqui anonymus aliam insistit viam, culpabilem ut reddat ignorantiam invincibilem cuiuscumque rei ad ius naturae spectantis; ait enim: duo nobis inflicta vulnera esse, et adhuc residentia ab originali peccato, concupiscentiam nimirum, ob quam voluntas ad malum proclivis remansit et ignorantiam ex qua obnubilata remansit ratio; proindeque sic argumentatur italice loquendo, quod nos latine: *Si concupiscentia non excusat eum qui sequitur concupiscentiae deordinationes, quare ignorantia excusare debet illum qui sequitur deordinationes ignorantiae?* Ex quo deinde concludit, quod sicuti peccat operans propter concupiscentiam, ita peccet operans propter ignorantiam.

Sed responsio est aperta. Idcirco peccat concupiscentiae deordinationes sequens, quia cum voluntate sponte illius malitiae adhaeret, tunc etiam concupiscentia ipsa est voluntaria. Aliter vero accidit in ignorantia invincibili quae non est volita neque placet. Manifestum est nullum esse peccatum, nisi voluntarium; eo fit, ut quemadmodum sequentes nos voluntarias concupiscentiae deordinationes, peccamus, ita pariter peccamus ignorantiae vincibilis et volitae sequentes deordinationes; e contrario tamen, sicuti operari iuxta concupiscentiam, sed contra voluntatem nostram, peccatum nullum est, iuxta quod aiebat apostolus[2]: *Quod nolo malum, hoc ago;* ita quoque peccatum nullum est operari ob ignoran-

(1) 1. 2. q. 76. a. 2. (2) Rom. 7. 19.

tiam invincibilem, cum non sit volita.

Ulterius vero progreditur auctor, et culpabilem putat ignorantiam nostram, saltem propter propria peccata a nobis prius commissa, affirmatque, quod quemadmodum nos propter peccata nostra in morali constituimur impotentia operandi bonum, ita in morali etiam impotentia constituimur cognoscendi bonum quod faciendum sit, et malum quod sit fugiendum. Quapropter, sicuti non excusat impotentia, quando malum operamur quod cognoscimus esse malum; ita non excusat impotentia, cum ignoramus malum quod facimus.

At cum Du-Hamel[1] respondemus primum, poenam peccati non esse malum, quod imputatur ad culpam eius qui talem patitur poenam; quare licet talis ignorantia esset poena aliorum peccatorum quae antea commisimus, attamen haec peccata non faciunt culpabiles errores, quos deinde committimus ex invincibili ignorantia; quoniam tales errores non sunt a nobis voliti neque praevisi. *Ac licet ea* (scribit Du-Hamel) *vitia ex peccatis libere admissis oriantur, ac proinde voluntaria videantur, et ea ratione ignorantia sit poena peccati; hinc tamen non sequitur ea esse voluntaria, cum ex iis peccatis sequutura mala praevisa non fuerunt.* Insuper respondetur, a veritate prorsus alienum esse, quod sicuti nostra peccata nos constituunt in morali impotentia operandi bonum, ita pariter constituant in morali impotentia praecepta naturalia cognoscendi; quia, iuxta quod superius praenotavimus, ut bonum operemur requiritur gratia, ad quam sane obicem ponit qui peccat; ut vero simpliciter praecepta cognoscantur necesse non est gratia, sed satis est naturale lumen; unde neutiquam dici potest peccatum locare hominem in morali impotentia cognoscendi praecepta.

At fortasse dicet; peccata peccantes excaecant, et cognitionem abripiunt. Libenter annuo, peccata a peccatoribus auferre cognitionem illam quae ad bonum agendum allicit, removetque a malo patrando; et ut cognitio ista habeatur requiritur gratia, et ad eam obtinendam orare oportet. De hac nimirum cognitione loquebatur Augustinus contra Pelagium: *Dum tamen potius disputet, quam, ut oret, et dicat: da mihi intellectum, et discam mandata tua.* Bellarminus hunc Davidis explicans textum inquit: *Da mihi intellectum, non significat da mihi vim intelligendi, sed da mihi lumen divinum quo mens mea discat mandata tua* (scilicet) *ut sibi persuadeat, optimum esse illa complere.* Postulabat igitur propheta gratiam, ut illuminaretur et sibi persuaderet, quantum illud foret bonum, quod in exequendis divinis praeceptis requiritur. Id quoque expostulabat, quando orabat: *Viam iustificationum tuarum instrue me: idest* (idem Bellarminus explicat) *doce me quae sit via praeceptorum tuorum, quomodo videlicet debeam in lege tua ambulare;* nempe quomodo ambulare debeam iuxta tua praecepta. Id insuper, quando orabat: *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam. Petit* (Bellarminus) *ut scrutari possit eius utilitates.* Id pariter, cum aiebat: *Doce me facere voluntatem tuam;* idest doce me, Domine, ut secundum voluntatem tuam operer; sed, ut supra dictum est, voluntas Dei est ut nos operemur iuxta nostrae conscientiae dictamen. Peccatum igitur peccantem privat hac cognitione gratiae; sed non cognitione naturali praeceptorum, quae nobis se praestant cognoscenda ratione dumtaxat naturali, ut recte scribit Habert[2] ex d. Thoma: *Peccatum naturam humanam prorsus non corrumpit; alioquin per peccatum desineret esse homo.*

Multas autem auctor divi Augustini opponit auctoritates, et praesertim illam[3]: *Ignorantia quae non est eorum qui scire nolunt, sed qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat.* Super hanc auctoritatem auctor sic italice scribit quod nos latine: « Minime con-

(1) L. 2. de act. hum. c. 5. (2) De act. hum. c. 1. §. 3.

(3) De grat. et lib. arb. c. 3.

tendit s. Augustinus, semper esse reum qui ignorantia deliquit, quemadmodum qui peccat cum cognitione suae culpae... addit tamen quod hoc non debet aperire asylum ad tenebras ignorantiae, ut in ea suam inveniat excusationem, quia eadem non sic excusat, ut quis minime damnetur ad ignem aeternum. » Verum ego non intelligo, quid auctor velit pro rei summa inferre ab hac Augustini auctoritate. Si ab illis verbis, *qui tanquam simpliciter nesciunt*, inferre vellet ignorantiam non excusare ab aeterna damnatione, quamvis invincibilis sit, contra ipsum obstaret propositio secunda ab Alexand. VIII. proscripta, et superius iam allata, quae habebat, ignorantiam invincibilem iuris naturae non excusare a peccato formali. Caeterum Du-Hamel et p. Berti recte huic Augustini textui respondent: Et sic Du-Hamel [1]: *Haec intelligenda, ut nescientia simplex non excuset a peccato, cuius non est causa, sed eximit ab eo cuius est causa. Unde qui legem Dei nesciunt, nec scire potuerunt, non peribunt, quod legem ignotam violaverint, sed propter peccata quae in lege naturae admiserunt.* Eademque ratione relato Augustini textui respondet p. Berti [2] dicens Augustinum scripsisse, quod infideles qui non crediderunt Iesu Christo, mereantur ignem aeternum, *non quia non crediderunt, id enim ipsis non imputatur ad culpam, dummodo nescire noluerint; sed quia legem naturae inscriptam cordibus suis libere transgressi sunt.* Itaque mens Augustini ea profecto est, quod ignorantia nempe illorum qui penitus ignorarunt veram religionem, licet eos ab incredulitatis peccato excuset, non tamen ab iis peccatis excusat, quae ipsi talia esse cognoscunt iuxta naturae lumen. Quod vero s. doctor de ignorantia culpabili loqueretur, ex verbis iam constat, quae immediate citato textui subiungit, dicens: *Non enim sine causa dictum est: effunde iram tuam in gentes quae te non noverunt.* Deum non cognoscere, non potest nisi malitia aut voluntaria obcaecatione contingere. Idem scribit s. Ioannes Chrysostomus [3]: *Iudaei ignorarunt, sed haec ignorantia non erat digna venia. Graeci quoque ignorarunt, sed defensionem non habent.* Sed postea immediate subiungit: *Quando enim ea quae sciri nequeunt ignoraveris, culpae obnoxius non eris.* Cui conformatur celebris illa s. Augustini doctrina [4]: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere quod ignoras.*

Caeterum ne longum faciam et ne ulterius taedio lectorem afficiam, omnibus aliis Augustini textibus quos anonymus obiicit una tantummodo eiusdem sancti auctoritate respondemus. Is [5] videtur prima facie sentire, nescientem se peccare, adhuc peccare, quando voluntarie id agit quod in se peccatum est: *Qui nesciens peccavit non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamvis et ipse, quod nesciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum.* Sed, ut egregie animadvertit Du-Hamel [6], idem s. doctor aperit mentem suam explanatque quod dicere intelligebat: *Quia voluit, ergo fecit; etsi non quia voluit, peccavit nesciens peccatum esse quod fecit. Ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, et non voluntate peccati.* Id denotat, quod licet factum sit materia peccati, cum tamen voluntas deest peccandi, peccatum est tantum materiale; sed non formale, seu voluntarium, ut optime Du-Hamel, *quod nimirum factum ipsum est materia peccati, non formaliter, et reipsa peccatum est.*

Id pariter est quod scripsit d. Thomas [7]: *Si ignoretur deformitas, puta cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, sed non voluntarie facit peccatum.* Non negatur vero, ut sincere loquamur, Angelicum, alibi negare fornicationem invincibiliter ignorari posse; et merito id negat, quia fornicatio

(1) De act. hum. l. 2. disp. 3. c. 6. n. 6.
(2) T. 2. l. 21. c. 10.
(3) Hom. 27. incp. ad Rom n. 3.
(4) L. 3. de lib. arb. c. 19. n. 53.
(5) Prim. lib. retr.
(6) L. c. n. 3.
(7) Qu. de malo, q. 3. a. 8.

prohibetur praecepto proximo, et immediato primis principiis; attamen s. doctor loco nuperrime adducto, ut certam exploratamque rem statuit, quod quando quis invincibiliter ignorans operatur etiam contra aliquid spectans ad ius naturae, is materialiter tantum errat, sed nequaquam peccat.

Eadem responsio datur cum Du-Hamel textui divi Hieronymi [1] nobis ab anonymo obiectato, ubi s. doctor ait adversus pelagianos, ignorantiam non excusare a peccato; quod intelligitur de peccato facti materialiter, secus vero de peccato formaliter accepto. Et quidem sanctus loquitur de homicidio casu patrato, pro quo in veteri lege etiam victimae erant offerendae, non obstante quod sine culpa voluntatis contingeret.

Item opponit auctor quamdam d. Bernardi auctoritatem [2] ubi ignorantiam esse ait unam ex causis peccatorum quae nos committimus, sed quae Deus non excusat. Attamen advertendum est, de qua ibi ignorantia s. Bernardus sermonem fecerit; en de qua ignorantia loquatur: *Multa nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut verecundia inquirendi.* Sed hanc ignorantiam ortam a negligentia se instruendi de propriis obligationibus, aut inquirendi veritatem quis unquam a peccato excusare poterit? Neque obstat, quod alibi ait s. doctor [3]: *Sive itaque malum putes bonum quod forte agis, sive bonum malum quod operaris, utrumque peccatum est.* Quoniam scribit p. Berti [4] perperam Vendrochium ab hac auctoritate colligere, d. Bernardum negare ignorantiam invincibilem excusare a peccato; nam s. doctor [5] iam scripserat: *Est qui bonum diligit, et malum nescius agit; huius quidem bonus est oculus, quia pius, non tamen simplex, quia caecus.* Et Berti addit: *Igitur est oculus, qui non est simplex, et tamen non est nequam, scilicet nescientis ignoratione excusabili.*

En igitur demum quomodo nostri contradictores ad negandam ignorantiam invincibilem omnium conclusionum etiam remotarum, obscurarumque de rebus ad legem naturae spectantibus, nedum adversati sunt communi sensui sanctorum Thomae, Bonaventurae, Antonini, Anselmi, aliorumque theologorum tam benignioris, quam severioris sententiae, verum etiam funditus everterunt firmissima receptissimaque theologiae axiomata; idque sane non ad alium finem, quam ut illicitum facerent usum quarumcumque probabilium opinionum.

(1) Cont. Pelag. c. 10. 11. 12. (2) Tr. ad Hug. de qu. c. 1. et 4. (3) De praec. et disp. c. 14. n. 40.

(4) L. 21. c. 14. prop. 2. vers. Praeterea. (5) N. 37.

Dubium II. An metus excuset.

175. « Resp. Si ex metu facis quod simpliciter malum est, peccas quidem; minuitur tamen per metum malitia, quia minuitur libertas. Interim saepe fit, ut praecepta quaedam non obligent, cum eorum observatio cederet in grave alicuius incommodum: et tunc, si ex metu talis incommodi quis tale praeceptum omittat, non peccat, cum praeceptum non liget. Est communis. »

Unde resolvuntur hi casus:

« 1. Praeceptum naturale negativum, prohibens rem intrinsece malam, non licet violare, ne ob metum quidem mortis. (Et si aliquando videatur licere violari praeceptum negativum, v. gr. non furandi, non occidendi, puta ad defensionem vitae propriae etc. tunc dicitur, praeceptum non existere. *Vid. l. 2. n. 51*).

» 2. Metus gravis, v. gr. mortis etc. saepe non tantum excusat a praecepto positivo, tam divino, quam humano, sed quandoque etiam ab affirmativo naturali, et sic (ut Sanch.[6]) non tenetur quis cum periculo vitae integre confiteri, servare depositum, implere votum, succurrere proximo extreme indigenti. Bec. [7]. Azor. [8]. Laym. [9]. Excipe tamen casum de quo infra, *l. 2. ad n. 26.*

» 3. Si observatio legis humanae necessaria sit ad conservandum bonum,

(6) 1. mor. c. 18. (7) T. 2. l. 3. c. 6.
(8) 1. p. l. 1. p. 1. c. 11. (9) L. 1. t. 4. c. 14. n. 5.

aut avertendum malum commune, quod pluris sit, quam vita propria, tunc lex illa obligat cum periculo vitae, ut verb. gr. si dux mandat militi non discedere ex statione; item, si periturae sint animae, nisi pastor adeat aegros tempore pestis. Laym.[1] (Cum Salmant[2].).

» 4. Alioqui nulla praecepta humana, etiam ecclesiastica, per se obligant cum periculo vitae, aut similis incommodi, Sanch.[3], ut si v. gr. cogaris metu mortis contrahere cum consanguinea in gradu prohibito lege ecclesiastica, posses contrahere (in speciem), non tamen posses consummare; quia, cum matrimonium esset irritum, fornicareris, quod intrinsece malum est. Sanchez [4].

» 5. Per accidens interim accidere potest, ut lex humana obliget cum periculo vitae, ratione alterius praecepti iuris naturalis, aut divini concurrentis, ut v. gr. si quis cogere vellet transgredi praeceptum ecclesiae in odium fidei, vel contemptum religionis. Sanchez[5] (Ita etiam Salm. [6].) »

DUBIUM III.
An excuset impotentia totius vel partis.

176. « Resp. 1. Cum ad impossibile nemo teneatur, certum est quod impotentia excuset, etiam illa, cui ante causam cum peccato dedisti, dummodo de hoc doleas: quare id praecipue hic dubitatur, an qui non potest implere totum teneatur ad partem.

» Resp. 2. Si praeceptum tale sit, ut commode possit aut soleat dividi, atque in eius parte salvetur ratio seu finis praecepti, tunc qui non potest servare totum debet servare partem quam potest. Quod si vero non salvetur ratio praecepti in parte, neque id commode possit aut soleat fieri, tunc qui non potest totum, hoc est tantum, quo moraliter impleri censeatur integrum praeceptum, is non tenetur ad partem. Quae omnia aestimanda sunt 1. Ex intentione legislatoris. 2. Ex ratione, fine et materia legis. 3. Ex iudicio prudentum. 4. Ex communi usu. Ita Sanchez [7] Laym. [8]. »

Unde resolvuntur hi casus:

177. « 1. Qui non potest legere omnes horas debet dicere eas, quas potest; quia dividuae sunt. Laym.[9] et Bonac.

» 2. Qui in quadragesima non potest ieiunare, debet abstinere a carnibus, si potest: aut qui non potest omnibus diebus, tenetur iis quibus potest. Ita Laym.[10] et Bonac.

» 3. Qui potest notabilem partem sacri (v. gr. usque post consecrationem) audire, aut horarum dicere, aut commode potest cum alio, et solet, tenetur, alioquin non[11]. *V. infra de horis.*

» 4. Si quis carens breviario pauca ex horis sciat memoriter, non tenetur ea dicere [12].

» 5. Qui obligatur visitare limina apostolorum Romae, et scit se eo pervenire non posse, non tenetur ingredi iter; quia nec finis, nec ratio praecepti salvatur[13], et Suarez, Bonac. [14]. »

DUBIUM IV. An excuset dispensatio.

178. *An excuset dispensatio facta ex iusta causa. Quid si sine iusta causa.*
179. *An existente causa teneatur superior dispensare.*
180. *An valeat dispensatio inferioris.*
181. *An existente iusta causa valeat dispensatio facta mala fide superioris.*
182. *An in dubio dispensatio censeatur valida.*
183. *An quis possit dispensare cum seipso.*
184. *An valeat dispensatio extorta per vim, aut metum.*
185. *Quid si causa exposita fuerit falsa.*
186. *Vide alios casus.*
187. *An dispensatio stricte accipienda. Et an detur dispensatio tacita.*
188. *De iis qui possunt dispensare de potestate ordinaria.*
189. *Num papa in praeceptis divinis.*
190. *Num episcopi; et in quibus.*
191. *An inferior dispenset in legibus superioris, ubi dispensatio non est reservata.*
192. *Quid in dubio, an casus egeat dispensatione.*
193. *Quid de potestate delegata. Et an haec spiret morte concedentis.*
194. *Quando praelati regulares possint dispensare.*
195. *Quot modis cesset dispensatio.*
196. *Quomodo cesset 1. per cessationem causae.*
197. *Quomodo 2. per revocationem dispensantis.*
198. *Quomodo 3. per renunciationem dispensati.*
199. *An cesset lex cessante fine legis.*

(1) L. 1. tr. 4. c. 14. (2) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 127. (3) 1. mor. c. 18. (4) De matr. l. 7. d. 5. n. 4. (5) Loc. c. con. n. 3. t. 2. d. 13. dub. 12. (6) Tr. 11. de leg. c. 2. n. 130. (7) 1. mor. c. 9. (8) L. 1. t. 4. c. 19. (9) Loc. c. (10) Loc. c. (11) Ibid. (12) Ibid. (13) Ibid. (14) D. 1. q. 8. p. 1.

178. « Resp. In iure humano dispensatio legislatoris, vel parem potestatem habentis, facta ex iuxta causa, excusat a transgressione praecepti. Est communis. Sanch. Azor. [1]. Salas [2].

» Ratio est, quia, cum sit auctor suae legis, potest quemvis excipere. Dixi 1. *Ex iusta causa*, quia, si temere et sine causa dispenset, tenet quidem dispensatio; peccat tamen tam dans, quam petens dispensationem, contra ius naturale, dictans partem debere conformari suo toti, nisi iusta causa excuset. Sanch. [3]. Suar. Fill. [4] et quidem (ut vult Suar.) mortaliter; venialiter, ut Pontius apud Dian. [5]. (Idem tenent Salm. [6] cum Sanch. Laym. Pal. etc. Praeciso tamen scandalo, etc. utentem autem tali dispensatione commune est non peccare graviter, et probabile nec etiam leviter, ut Salm.[7] cum Suar. Pal. Pon. etc.). Si dubitet, an causa sit iusta, posse dispensare, vult Sanch. (Cum Salm. [8] Tapia Gran. Dian. Quia possidet potestas dispensativa. Secus esset, si dubitaret an adsit causa) contra Bon. qui dicit peccare. Etsi autem causa sit iusta, non tamen tenetur dispensare, nisi cum vel ius praecipit ex ea causa dispensari, vel necessarium est ad commune bonum, vel spirituale poenitentis: vel ad avertendum grave damnum aut publicum scandalum, et sine dispendio fieri potest. Dian. [9] contra Suar. Sanch. etc. »

179. Quaeritur, an existente causa teneatur superior dispensare. Distingue: si causa sit tantum sufficiens, ut dispensatio sit permissa, non autem debita, potest licite superior eam concedere et negare, vel uni concedere et alteri negare; quia, licet expediat bono subditi dispensatio, expedit vero bono communi legis observantia. Ita Salm. [10] cum Conin. Pal. Bonac. Sanch. Suar. etc. Si vero causa sit talis quae efficiat dispensationem esse debitam, nempe ad evitandum damnum commune vel privatum magni momenti, vel ad utile commune, vel magnum particulare (expedit enim aliquando dispensare, etiam pro bono particulari, quod indirecte redundat ad bonum commune. Et ideo docet s. Th.[11] quod convenit dispensare, quando alias maius bonum privati impediretur. Ita Salm. [12] cum Con. Sanch. et Aversa) tunc tenetur superior dispensare, alioquin peccaret graviter vel leviter iuxta materiam. Denegata tamen (etiam iniuste) dispensatione, nequit subditus agere contra legem; nisi talis causa urgeat, ut eum extrahat a lege: quare, si episcopus iniuste neget dispensationem publicationum ante matrimonium, potest, urgente gravi causa, illud contrahi sine eis. Ita Salm. [13] cum Con. Sanch. Pal. Sot. et aliis.

180. « Dixi 2. *Legislatoris:* quia dispensatio inferioris in lege superioris sine iusta causa invalida est, ac proinde non excusat a transgressione praecepti. Ratio est, quia qui nomine alterius sine causa dispensat, dissipat. Suar.[14] Sanch.[15]. Valide autem et licite inferior potestate ordinaria dispensat ex iusta causa in lege superioris 1. Circa levia, hoc est, quae sub mortali non obligant, etsi facilis sit ad superiorem recursus. 2. Circa ea quae frequenter occurrunt, v. gr. in ieiuniis, celebrandis festis, etc. *(Vide n.* 190. *circa fin.).* 3. Circa ea quae ita sunt propria uni communitati, ut non conveniant alii. 4. Quando recursus ad superiorem difficilis est, sive quando est necessitas et periculum in mora, Dian.[16] ex Gran. Sal. Gord. et Pal. qui addit 5. Si consuetudo praescripserit, ut inferior dispenset, ut Dian.[17]. Quando est dubium negativum, an casus egeat dispensatione. Quo casu, secundum Palaum, non

(1) 1. p. l. 5 c. 13. (2) D. 20. (3) L. 8. d. 18. (4) N. 438. (5) P. 8. t. 3. r. 8. 9. et 10. (6) De leg. c. 5. n. 66 (7) N. 76 (8) N. 75. (9) P. 8. t. 3. r. 27. et 28. (10) D. c. 5. n. 80. (11) 1. 2. q. 97. a. 4. (12) De matr. c. 14. n. 20. (13) Ibid. c. 8. n. 92. (14) L. 6. c. 19. (15) L. 8. de matr. d. 17. (16) P. 8. tr. 3. r. 2. (17) Loc. c. r. 95. 6.

opus est dispensatione, cum praesumptio sit pro libertate, Barb. Dian.[1]. Unde resolvitur (*Vide n.* 192.).

» 1. Pontifex sine iusta causa non potest dispensare in lege Dei, nec episcopus in lege ecclesiae. Sanch.[2] Suar. Vasq.

» 2. Dispensatio in voto vel iuramento, sine iusta causa, etiam a papa facta, est invalida, ut Sanch. Suar.[3].

» 3. Valida est, si superior per errorem iustam causam arbitretur (In bona fide, ut Sotus Laym. Sanch. Azor. cum Salm.[4]. Sed oppositum est tenendum. *Vid. de voto l.* 3. *n.* 251.): aut (etsi non arbitretur, et temere dispenset) reipsa tamen sit. Sanch.[5] Azor. Sa Salas[6]. »

181. Quaestio est, si superior mala fide dispenset, iudicans non subesse causam, et causa revera existat, an valeat dispensatio, et dispensatus illa uti possit. *Prima sententia* dicit valere, si fiat a legislatore, non autem si ab inferiore; quia isti data est facultas dispensandi tantum cum causa. Ita Pal. Azor. Covar. apud Salm.[7]. *Secunda sententia* probabilior et communior dicit, quod, existente causa, valeat dispensatio, et licite dispensatus utatur illa, a quocumque superiore illa sit impensa. Ratio quia valor dispensationis non pendet a cognitione causae, sed ab existentia illius: sicut valet electio capacis ad beneficium, licet capacitas ignoretur ab electore[8]. Ita Salm.[9] cum Sanch. Suar. Tapia Basil. Diana Vill. Secus tamen dicendum, si inferior dispenset bona fide, sed sine causa, contra Busemb. et alios ut supra. *Vide lib.* 3. *n.* 251.

182. « 4. In dubio de valore dispensationis, validam censeri, eo quod praesumatur in favorem actus, ne pereat, probabile putat Sanch. etc. cum Dian.[10] (Cum Salm.[11]. *Vide l.* 3. *n.* 251.).

183. » 5. Habens potestatem generalem dispensandi potest etiam secum dispensare directe et immediate. Sanch. Dian.[12] contra Suar. (Ita Salm.[13] cum s. Thom. Caiet. Laym. Pal. Bonac. etc. Quia est iurisdictio pure voluntaria, quae etiam erga seipsum exerceri potest. Hinc bene sibi dispensare potest in votis, iuramentis, ieiunio etc.).

184. » 6. Valet dispensatio obtenta per vim aut metum (modo causa sit iusta). Item data sine ullis verbis, sola mente. Turrian. Dian.[14]. »

Quaeritur an valeat dispensatio extorta per metum. Resp. quod quando causa dispensationis existit, dispensatio semper est valida: dummodo non constet superiorem dispensasse sine animo dispensandi: metus enim voluntarium non tollit, sicut tollit vis. Obtentio autem talis dispensationis est etiam licita, si iuste praelato metus incutitur; nempe si subditus minatur se conquesturum apud supremum superiorem; vel iustam accusationem laturum de aliquo suo crimine. Illicita autem esset, si metus sit iniustus, ideoque dispensatio tunc pro libito a superiore posset postea revocari. Ita Salm.[15] cum Sanch. Pal. Suar. Bon. Quando vero superior metu coactus verbis tantum concedit dispensationem, non autem animo, tunc certe ipsa est nulla. Caeterum, nisi constet defuisse animum, hoc non est praesumendum. Salm.[16].

185. « 7. Qui impetravit dispensationem, v. gr. in impedimento dirimente matrimonium, et per ignorantiam, vel simplicitatem expressit causam falsam, eum valide contrahere matrimonium dicit Pont.[17]. Sed contrarium tenet Pal.[18] v. Dian.[19] (*V. de matr. l.* 6. *n.* 1131. *not.* 2.) »

Quaeritur, an petitio subreptitia, vel obreptitia vitiet dispensationem. Subreptitia dicitur quando veritas reticetur: obreptitia, quando mendacium

(1) P. 5. t. 6. r. 28. p. 4. t. 3. r. 46. p. 8. t. 3. r. 72. et 93. (2) D. 17. n. 3. (3) Loc. c. (4) C. 5. n. 71. (5) Loc. c. (6) N. 81. (7) C. 5. n. 78. (8) C. Nihil de electione. (9) D. c. 5. n. 79. (10) P. 5. t. 6. r. 9. p. 4. t. 3. r. 45. 64. p. 8. t. 3. r. 62. (11) N. 38

(12) P. 8. t. 3. r. 10. (13) C. 5. n. 60. et 61. (14) P. 8. tr. 3. r. 17. 76. p. 4. t. 4. r. 118. (15) D. c. n. 82. 83. et 84. (16) D. n. 82. ex c. 22. q. 5. (17) De matr. l. 8. c. 16. ex c. Cum inter. (18) T. 3. d. 6. p. 16. §. 5. n. 4. ex c. Sup. litteris. (19) P. 8. t. 3. r. 69.

apponitur. Resp. Regula sit, quod tunc dispensatio erit nulla, quando tacetur veritas quae de stylo curiae debeat necessario exprimi: vel allegatur falsum, quod de iure taceri debebat. Ita Salm.[1] cum Sanch. Pal. Con. Suar. etc. Alia regula est, si tacetur vel exponitur falso causa tantum impulsiva, valet dispensatio: secus vero, si causa esset motiva, ita ut sine ipsa superior minime dispensasset. Salm.[2].

Quid si plures causae allegentur, quarum aliae sint falsae, aliae verae? Resp. quod semper ac vera sit una ex illis, quae sufficiens sit ad dispensandum, valida est dispensatio. Salm.[3] cum Basil. Sanch. Pal. Suar. Quid autem in dubio, an causa falso allegata fuerit motiva, an impulsiva? Tunc valida censenda est dispensatio facta, cum in dubio iura faveant valori actus[4]. Ita Salm.[5] cum Dic. Bas. Sanch. Pal. etc.

186. « 8. Subditus bona fide dispensationem petens, rationibus superiori allatis, potest, dispensatione impetrata, esse securus. V. Laym.[6] (Idem dicunt Salm.[7] cum s. Thom. Sanch. et Bon.)

» 9. Peccat, qui aliquem inducit ad dispensandum sine causa, vel allegata falsa causa. Nav. Sanch.[8] Fill.[9] Salas[10] qui addit, id verum esse, etsi dispensans excusetur ob bonam fidem.

» 10. Dispensatio potest impetrari non tantum pro ignorante, sed etiam invito, quando necessitas exigit. Sanch. Beia contra Suar. vid. Dian.[11]. Id tamen locum non habet in ea quae impetratur ex poenitentiaria romana; nisi impetretur a personis coniunctis, vel consanguineis intra quartum gradum, vel saltem a confessario. Marcus Leo[12]. (Ita Salm.[13]. A principali tamen, opus est, ut dispensatio acceptetur, ut Sanchez etc.).

» Quaeres, an cessante causa dispensationis, cesset ipsa.

» Resp. pro hoc servient sequentes regulae.

» 1. Si tantum impulsiva seu minus principalis causa cesset, manet dispensatio.

» 2. Etsi cesset pars causae motivae, seu principalis, manet dispensatio, v. Dian.[14].

» 3. Si commissa facultate dispensandi, priusquam dispensetur, cesset omnino causa principalis, nulla est dispensatio.

» 4. Si dispensatione redacta ad actum irrevocabilem, cesset tota causa, non ideo cessat vel vim amittit; v. g. dispensatum fuit in impedimento consanguinitatis, propter paupertatem foeminae, licet, contracto matrimonio, divitias obtineat, non est irritum. Idem est, si beneficium per dispensationem obtinueris, et postea cesset causa ob quam dispensatum fuit.

» 5. Si facta dispensatione, cesset omnino causa finalis, et actus possit facile revocari; v. gr. dispensatum est in voto castitatis propter vehementes tentationes, quae postea cessant, an reviviscat votum vel in praecepto recitandi horas, ieiunandi, etc. propter infirmitatem, et postea convalescit, an teneatur recitare, ieiunare etc. Affirmant Sanch. Amicus Portel Bonac. etc. quia alias non esset iusta. Negativam tamen sententiam probabilem, et in praxi tutam esse censet Dian.[15] ex Salm. Gran. etc. si quidem dispensatio fuerit absoluta: quia obligatio legis semel extincta non reviviscit: et quod destructum est non reproducitur, nisi ab eo qui producere potest. Vid. Suar.[16] Laym. Praepos. etc. qui recte id concedunt, quando non est de re dividua et successiva; alias negant. Unde, supposita probabilitate sententiae negativae, Gran. Dian. etc. sequentes casus (in quibus tamen alii melius contrarium sentiunt) resolvunt (*vide n.* 196.).

» 1. Cum quo dispensatum est propter morbum in esu carnium, potest vesci, licet omnino convalescat.

(1) De matr. c. 14. n. 33.
(2) 16. n. 35.
(3) De matr. d. c. 14. n. 36.
(4) Ex l. Quoties, ff. de rebus dubiis.
(5) Ibid. 37.
(6) L. 1. t. 4. c. 22. n. 12.
(7) N. 71. et 76.
(8) L. 8. de matr. d. 18. n. 8.
(9) T. 10. n. 314.
(10) Disp. 20. s. 6. n. 58.
(11) P. 8. t. 3. r. 86. 87.
(12) In praxi p. 1. 34.
(13) De matr. c. 14. n. 38. ex c. Si motu proprio. De praebend. in 6.
(14) P. 8. t. 3. r. 62.
(15) Ibid. r. 24.
(16) De leg. c. 22.

» 2. Cum quo propter infirmitatem dispensatum est in voto religionis, postquam convaluit, non tenetur. Dian. [1].

» 3. Cum quo propter oculorum infirmitatem dispensatum fuit in onere recitandi horas, etsi convaluerit, non tenetur legere. »

187. Deinde notandum, quod dispensatio, cum sit odiosa, stricte est accipienda [2]. Potestas contra dispensandi, cum favorabilis sit, late accipitur, ut Sanch. Gran. Martin. ap. Salm. [3].

Bene autem dari potest dispensatio tacita, quae colligatur ex coniecturis, ut si sciens praelatus te esse excommunicatum confert tibi beneficium, tunc tacite dispensat. Requiritur tamen ad hoc praesumptio voluntatis praesentis superioris, vel antecedentis ad actum. Non enim sufficit praesumptio de futuro, v. gr. si sciret, dispensaret. Tantum licentia praesumpta de futuro admittitur, non vero dispensatio, quae est vulneratio legis. Vide Salm. [4] cum Suar. Laym. Pal. Sanch.

Quaeritur an superior videns subditum agere contra legem, et tacens, cum facile posset corrigere, censeatur dispensare. Affirmant Salm. [5] cum Tap. Sanch. Pal. Suar. Quia non est tunc praesumendum delictum superioris, qui aliter ex officio, et ad evitandum damnum, teneretur loqui. Secus tamen dicendum, si superior non potest corrigere sine incommodo Salm. [6].

De iis qui possunt dispensare.

188. Potestas dispensandi alia est ordinaria, alia est delegata. Summus pontifex potestate ordinaria potest dispensare in quibuscumque legibus canonicis, etiam sancitis ab apostolis, tanquam particularibus praelatis ecclesiarum, ut sunt ieiunium quadragesimale, observatio festorum in dominicis. Ita Salm. [7] cum s. Thom. et communi. Non vero in legibus traditis ab apostolis, quas ipsi acceperunt a Christo Domino tamquam auctore principali, ut sunt leges circa formas et materias sacramentorum, circa oblationem sacrificii, etc.

189. Num autem papa possit dispensare in aliquibus praeceptis divinis. *Prima sententia* affirmat ex potestate delegata a Deo, quando expedit dispensatio. Ita Sanch. Canus et Bonac. apud Salm. [8] qui vocant hanc satis probabilem. *Secunda*, quam probabiliorem merito putant Salm. [9] cum s. Thom. Pal. Suar. etc. negat, quia nullibi haec concessio reperitur papae facta a Deo. Obiiciunt: cur dispensare potest, ut minister ordinis et confirmationis sit simplex sacerdos? Resp. quod ex iure divino episcopus in his est minister ordinarius, non autem necessarius. Ita Salm. [10]. *Vide dicenda de matr. l. 6. n. 1119. infra.*

Certum autem est posse pontificem et praelatos dispensare in votis, cum in his gerant vicem Dei. Ita s. Thom. [11]. Vide Salm. [12].

190. Episcopus potestate ordinaria potest dispensare in omnibus statutis sive episcopalibus, sive latis a synodo dioecesana, independenter a capitulo et clero, ut supra diximus. Et idem potest capitulum, sede vacante. Hoc tamen non potest vicarius generalis [13] nisi expresse ab episcopo ei concedatur. Vide Salm. [14]. Episcopi possunt etiam dispensare in legibus concilii provincialis in suis dioecesibus; modo non sint concilio specialiter reservatae. Hoc enim expedit ad bonum regimen. Salm. [15] cum Sanch. Suar. Bonac. Palao etc.

Notandum quod legislator non potest dispensare in sua lege, si lex transeat in contractum, ut si dicat: *Gaudeant immunitate habitantes in tali loco etc.* Vide Salm. [16]. Potest autem inferior dispensare in lege superioris, si in lege generaliter permittatur dispensatio, v. gr. si dicatur: *Donec dispensetur*. Salm. [17] cum Caiet. Bon. Suar. Pal. etc.

Possunt etiam episcopi dispensare

(1) P. 6. t. 7. r. 45. (2) C. 1. §. 1. de fil. presb. in 6. (3) De leg. c. 5. n. 20. (4) De leg. c. 1. ex n. 11. (5) De leg. c. 5. n. 15. (6) Ibid. n. 17. (7) Ibid. n. 30. (8) Ibid. n. 25. (9) N. 26. (10) Ibid. n. 27. (11) 2. 2. q. 88. a. 12. (12) De voto tr. 17. c. 1. ex n. 84.

(13) Quia in generali commissione non includitur facultas dispensandi, nisi specialiter committatur. *Hom. Ap.* tr. 2. c. 6. n. 57.
(14) C. 5. n. 31. 32. (15) Ibid. n. 33.
(16) Ibid. n. 35. (17) Ibid. n. 37.

in rebus quae communiter eveniunt in ieiuniis, esu ciborum, observatione festorum, recitatione officii, votis non reservatis. Salm.[1] cum Pal. Basil. Bon. Sot. Suar. etc. cum Bus. *hic*.

Item in legibus latis a papa pro illa particulari dioecesi, in quibus videtur relicta facultas dispensandi illius praelato. Salm.[2] cum Sot. Valent. Caiet. Azor. etc. cum Bus.

Item potest episcopus dispensare in legibus communibus pontificis, v. gr. in impedimentis matrimonii, in irregularitatibus, in votis reservatis, et similibus, quando non est facilis aditus ad papam, et periculum est in mora; quia hoc expedit ad commune bonum. Salm.[3] cum Sanch. Bus. Pal. Tap. Gran. Salas etc. Et hoc etiamsi sit facilis recursus ad habentem facultatem dispensandi ex privilegio pontificis. Salm.[4] cum Tap. et Martin.[5]. Parochi possunt etiam dispensare cum suis ovibus in ieiunio et observatione festorum, ubi non est facilis recursus ad episcopum; Suar. et Tap. Immo ex consuetudine, etiamsi sit facilis recursus ad episcopum, posse semper parochos dispensare in his duobus praeceptis testatur Sanch. Gran. Sylv. apud Salm.[6]. Vide *lib*. 3. *n*. 288.

Et in his omnibus dicuntur episcopi dispensare iure ordinario, cum talis facultas eis competat vi proprii officii, cui est perpetuo annexa, Salm.[7] cum Suar. Pal. Basil. etc. Et ideo bene possunt eam alicui delegare, ut certum est, vid. *n*. 193. cum Salm.[8].

194. Quaeritur 1. An praeter dictos casus possit episcopus dispensare in legibus superioris, in quibus non sit reservata dispensatio. *Prima sententia* affirmat; quia hoc ipso quod superior eam non reservat, videtur eam concedere; aliter ad quid deserviret reservatio? Ita Sotus[9] Covarr.[10]. Et probabilem dicunt Pal.[11] ac Bonac.[12] dum oppositam tantum probabiliorem vocant; sed expresse docet, vocatque communem d. Antonin.[13] dicens: *Episcopi autem dispensare possunt, secundum communem opinionem doctorum, in iis quae non sunt eis a iure prohibita.* Eamdemque tenet etiam Glossa *in c. Nuper de sent. excomm.* ex quo canone praefati aa. hanc sententiam probant; cum enim ibi quaesitum fuerit a quodam episcopo, an ipse potuisset absolvere ab excommunicatione lata a iure, affirmative respondit pontifex, sic inquiens: *Quia tamen conditor canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Et Glossa ibi[14] sic addit: *Et est hic argumentum, episcopos posse dispensare: ubi specialiter dispensatio non est inhibita, et concessum videtur quod non est prohibitum; ex l. Necnon, ff. Ex quib. caus. mai. etc.*

Hanc primam sententiam olim probabilem censui; sed re melius perpensa, omnino tenendam puto secundam oppositam, quam tenent Suar.[15] Bonac.[16] Pal.[17] Salm.[18] cum Pontio et Sal.; item Bened. XIV.[19]. Favetque s. Th.[20] qui ait: *In lege humana publica non potest dispensare, nisi ille a quo lex auctoritatem habet, vel is cui ipse commiserit.* Ratio est quia inferior nihil potest in lege superioris, ut expressum est in *Clement*. 2. *de elect.* ubi dicitur: *Lex superioris per inferiorem tolli non potest.* Nec prorsus concludit textus citatus in *cap. Nuper* pro prima sententia; valde enim differt facultas absolvendi a censuris a facultate dispensandi in legibus canonicis, prout sapienter scribit p. Suarez. Verum est leges, in quibus imponuntur censurae, etiam leges esse, sed commune est apud omnes, et constat ex consuetudine recepta, quod censurae non reservatae, praesertim excommunicationes, bene possunt absolvi ab episcopis et a parochis, et adhuc ab approbatis confessariis; ut probat Suar.[21] cum Soto Navarro et aliis. Unde

(1) C. 5. n. 38. (2) Ibid. n. 39. (3) D. c. 9. n. 39. (4) Ibid. (5) De cens. c. 2. n. 65. (6) D. c. 5. n. 40. (7) Ibid. (8) De voto c. 3. n. 83. (9) In 4. d. 27. q. 1. a. 4. §. At quo. (10) In c. Alma mater 1. §. 7. n. 8. (11) Tr. 3. d. 6. p. 4. n. 7. (12) Eod. tit. d. 1. q. 2. p. 1. n. 27. (13) P. 1. tit. 17. c. 11. §. 20. (14) Verb. retinuit. (15) T. 5. in 3. p. d. 7. sect. 4. (16) De leg. d. 1. q. 1. p. 1. n. 17. (17) Ibid. n. 8. (18) De cens. c. 5. n. 45. (19) De syn. l. 7. c. 30. (20) 1. 2. q. 97. a. 4. (21) Loc. c. n. 9.

in hoc bene urget ratio apud textum allata, nempe quod cum legislator non sibi reservaverit absolutionem a censura, videatur praebuisse facultatem aliis eam absolvendi. Sed quoad dispensationes in legibus pontificiis nequaquam adest haec communiter recepta consuetudo, ut ipsae concedantur ab episcopis, semper ac non sint expresse pontifici reservatae; sed circa ipsas procedit generale et certum axioma, quod ex ipsa natura rei oritur, quod inferior nequeat dispensare in legibus superioris, prout habetur exemplo expressum in alio canone [1], ubi dicitur quod circa leges ordinationum episcopus dispensare non possit, ideo nimirum, quia id episcopis minime est concessum: *Cum illi huiusmodi dispensatio a canone minime sit permissa*, sunt verba textus. Et nota, quod ibi non dicatur, *cum non sit prohibita*, *sed cum minime sit permissa*. Nec iam anterius aderat aliqua prohibitio episcopis dispensandi in tali materia, sed tantum id aderat, quod talis dispensatio ipsis nunquam permissa fuerat; ex quo Glossa recte infert: *Argumentum, quod episcopus dispensare non potest, nisi in casibus sibi concessis a iure*. Nec valet dicere quod episcopi immediate a Deo iurisdictionem habent, iuxta sententiam Natal. Alex. Cont. Tournely Soto Vasq. Victoriae et aliorum; et ideo possunt dispensationem impertiri, ubi illa non est eis specialiter vetita. Nam respondetur, quod licet praefata sententia sit satis probabilis, attamen nemo negat talem iurisdictionem semper esse pontifici subordinatam. Praeterea arguimus adversus primam opinionem, quod si ratio illius fautorum valeret, non solum episcopi, sed etiam parochi dispensare possent eodem modo in legibus pontificis; dum etiam parochis permissum est absolvere a censuris non reservatis, ut loquitur textus in *cap. Nuper* allatus, dicens: *A suo episcopo, vel a proprio sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere*. Sed hoc quis audebit dicere? Quoad autem axioma a pluribus dd. admissum, ut referetur *lib.* 6. *n.* 980. *v. Sed dubitatur*, nempe quod, quidquid potest papa in tota ecclesia, potest episcopus in sua dioecesi, nisi specialiter id ei prohibeatur, ait p. Suarez [2] aut non admittendum aut admittendum dumtaxat in iis rebus quae spectant ad communem directionem animarum, et quae sunt moraliter necessariae; sed ad hunc ordinem nequaquam pertinere dispensationes legum canonicarum. Hoc tamen non excludit, ut scribit Bonacina [3] quod episcopi dispensare possint in iis casibus qui frequenter occurrunt et saepe dispensatione egent; aut vero (inquit) cum aliqua gravis urget necessitas aut gravis utilitas, et tunc non possit commode apostolica sedes adiri, iuxta quae dicentur in *append. de privil. num.* 40.

192. Quaeritur 2. quid in dubio, an casus indigeat dispensatione? Resp. quod sive dubium sit positivum, sive negativum, potest subditus uti sua libertate [4]. Consultius tamen est tunc adire praelatum, qui declaret vel dispenset; cum in tali dubio bene possit etiam praelatus inferior dispensare sine concessione legislatoris. Ita Pal. [5] Laym. [6] et Salm. [7] cum Sa et Diana. Idem dicunt [8] Suar. et Sanch. de dubio circa vota reservata. Idem in dubio, an adsit causa sufficiens ad dispensandum, Salm. [9] cum Caiet. Gran. et Sylv. Idque asserit Croix [10] tenere Sanch. Gob. et Tap. quia potestas dispensandi late interpretanda est, intellige, si data sit, non per modum commissionis, sed gratiae (ut infra dicetur *n.* 195.); et tunc dispensans non obligatur ad examen de plena sufficientia causae. Notat autem Pal. [11] Covar. Sanch. Suar. Bas. etc. quod potestas quam habent praelati inferiores dispensandi ratione officii in legibus superioris, utpote in casibus qui frequenter occurrunt, de-

(1) C. Dilectus, de temp. ord. (2) Loc. c. n. 5. (3) Loc. c. (4) Excipiuntur tamen dispensationes matrimoniales; in his enim non solum agitur de valore contractus, sed etiam sacramenti, ideoque non possumus operari cum dubio. *Hom. Ap.* tr. 2. n. 51. Et vide *De matr.* l. 6. n. 902. (5) Tr. 3. d. 6. p. 5. n. 10. (6) L. 1. tr. 4. c. 22. n. 4. (7) D. c. 5. n. 45. (8) Ibid. (9) Ib. n. 46. (10) L. 1. n. 803. (11) Tr. 3. d. 6. p. 5. n. 12.

bet dici potius ordinaria, quam delegata.

193. Circa potestatem autem delegatam dispensandi, notandum, quod quisque habens potestatem ordinariam potest eam delegare: et tunc si delegatio est per modum commissionis pro certo casu, expirat morte concedentis, si res sit adhuc integra; si vero per modum gratiae, tunc non expirat[1]. Pariter quisque inferior, qui iure ordinario potest dispensare in legibus superioris (ut possunt episcopi in ieiuniis, votis, etc. uti supra diximus *n.* 190.) potest etiam delegare potestatem dispensandi; modo hoc ei non sit limitatum. Vide Salm.[2]. Delegatus autem nequit subdelegare, nisi sit delegatus a principe, sive a papa [3]. Vel nisi sit ab inferiore ordinario delegatus ad universitatem causarum[4]. Aut nisi concessa sit facultas subdelegandi. Sed de his sedulo observa quae dicentur *de sacram. poenit. l.* 6. *n.* 566. *vers. Generaliter.*

194. Nota, quod praelati regulares non possunt dispensare in regula, nisi iis concedatur a *privilegio* vel a *iure*. Ratione *privilegii*, quod ex se muneri praelati adnectitur, possunt praelati etiam inferiores dispensare 1. in rebus levibus, quae scilicet sub levi praecipiuntur: 2. in rebus frequentibus: 3. in statutis propriis, scilicet quae sunt propria illius conventus. Peyrin. [5] et Pal. [6] cum aliis.

Ratione autem facultatis iis concessae a *iure*, praelatus dispensare nequit in votis essentialibus [7]. In aliis vero regulis bene potest in casu particulari, nisi expresse sit ei interdicta dispensatio. Ita Peyrin. cum Rod. Angel. Sylv. Turrecr. Miranda. Talem enim facultatem praelati habent a iure [8]. Et ratio est, quia cum lex humana non possit providere omnibus casibus, expedit, ut in particularibus rectores provideant; alioquin non sufficienter provideretur bono communi. Et ideo ex s. Thom.[9] quisque rector habet potestatem dispensandi in lege humana ex iusta causa. Sed adverte dicta *n.* 191. An autem subditus teneatur obedire praelato praecipienti aliquid contra regulam: Resp. negative, si certum sit rem praeceptam esse contra regulam, atque constet praelatum in illa non posse dispensare, vel non duci ex causa iusta, ut Peyrin.[10] Sanch.[11] Salm.[12] qui quoque [13] dicunt praelatum iubentem aliquid probabiliter licitum, vel quod non sit certe iniustum, iuste iubere; alias magna confusio adesset, si iubere nequirent praelati, nisi evidenter iusta. Vide dicta *n.* 24.

An autem facultas delegata dispensandi sit late vel stricte interpretanda. Resp. late, si concessa sit per modum gratiae, ut supra; stricte, si per modum commissionis pro certo casu. Laym.[14] Sanch.[15] ac Salm.[16] cum Tapia Basil. etc. Ipsa vero dispensatio, cum sit odiosa, semper stricte sumenda est; nisi dispensatio sit debita: vel sit ex motu proprio principis: vel sit inserta in corpore iuris: vel tandem nisi concedatur communitati, vel ad bonum commune. In his enim casibus late accipienda est. Ita Salm.[17] cum Tapia.

195. Quaeritur autem, quotupliciter dispensatio cessare possit. Ad hoc praenotandum est, quod, si dispensatio iam sortita sit suum effectum, vel si dispensationi fuerit adiuncta aliqua commutatio oneris, tunc etiam cessante causa, dispensatio non cessat. Vid. Salm.[18].

Notandum etiam est circa causas dispensationum, quod aliae causae per se excusant a praecepto, puta ieiunii, officii divini etc. Et istae non egent dispensatione, si sint certe vel saltem probabiliter iustae. Aliae vero sufficiunt ad dispensationem, sed ea indigent: sufficiens nempe causa est dignitas petentis, aut superioris, ut benignum se ostendat: necnon utilitas com-

(1) Ex reg. 16. iuris in 6. (2) C. 5. n. 51. (3) Ex c. fin. §. 1. de offic. et pot. deleg. (4) Ex leg. 1. §. An ab eo ff. quis, et a quo. (5) T. 2. q. 1. p. 5. (6) Ibid. n. 4. 5. 6. (7) Ex c. Cum ad monast. de statu monach.

(8) Glossa in c. Monachum 20. q. 4. (9) 1. 2. q. 97. a. 4. (10) D. l. (11) In dec. l. 6. c. 5. lib. 8. (12) De stat. rel. c. 6. n. 72. (13) Ibid. n. 66. et 67. (14) L. 1. tr. 4. c. 22. n. 6. (15) De matr. l. 8. d. 2. n. 1. et 6. (16) De leg. c. 5. n. 53. (17) Ibid. n. 54. (18) Ibid. n. 86. 87.

munis vel privata, et similia. Vide Salm.[1]. In dispensationibus autem impedimentorum in matrimoniis sufficit pro causa solutio pecuniae in subsidium ecclesiae, ut est praxis. Salm.[2] cum communi.

196. Tribus autem modis dispensatio cessare potest. 1. Per *cessationem causae*. 2. Per *revocationem dispensantis*. 3. Per *renunciationem dispensati*.

Et 1. per *cessationem causae*, si cesset causa motiva et totalis. Secus autem, si cessat causa impulsiva; aut cessat motiva, sed non totaliter; nam si aliquid istius perduret, adhuc perdurat dispensatio, ut Bus.[3] cum Salm. At si dubium sit an totaliter cessaverit, standum est pro dispensatione quae possidet. Salm.[4]. Vide *l.* 6. *n.* 1132.

Quaestio vero est, an, certo cessante totaliter causa, pereat dispensatio. *Prima sententia* affirmat, quia valor dispensationis pendet a voluntate superioris, qui praesumitur nolle dispensare, nisi pro tempore quo causa duret. Ita Sanch.[5] Bon.[6] et Dicast. Con. Hurt. et Trull. apud Sal.[7]. *Secunda sententia* negat: ratio, quia obligatio legis iam ablata per dispensationem non redit, nisi rursus imponatur a legislatore. Ita Sanch.[8] Suar.[9] Pal.[10] Laym.[11] et Salm.[12] cum Perez Salas Sa Ang. Sylv. Tapia etc. Et probabilius vocant Sanch. Dicast. et Trull. Et probatur ex iure canon.[13]: *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari*. Secus vero dicendum, si dispensatio non fuerit concessa absolute, sed sub conditione expressa vel tacita, si causa perduret. Utraque sententia satis probabilis videtur.

Sed difficultas magis urget, quandonam dispensatio censenda sit concessa absolute, et quando sub tacita illa conditione, *si causa duret*. Resp. quod si causa iudicatur perpetua, tunc dispensatio censeatur data absolute, etsi postea per accidens causa cesset. Hinc dicunt Salm.[14] quod si quis obtineat dispensationem ab officio, vel abstinentia a carnibus pro infirmitate, quae existimatur perpetua, tunc, etiamsi valetudo superveniat, potest uti dispensatione. Sed huic minime acquiesco, quia in iis casibus, puto dispensationem omnino censendam esse factam sub conditione. Consentio autem cum Salm.[15] quod irregularis qui obtinuit dispensationem ob paupertatem parentum, ob inopiam ministrorum, vel ob honestatem morum, bene possit illa uti, etsi casu postea cessent illae causae. Secus autem, si causa iudicatur tantum pro tempore duratura; hinc si quis obtinet dispensationem a ieiunio ob infirmitatem quae non iudicatur perpetuo duratura, cessante causa, cessat dispensatio.

Quando vero dispensatio est absolute concessa, non cessat per unum actum; v. gr. obtinuisti dispensationem in voto castitatis ad contrahendum matrimonium, mortua coniuge, perdurat dispensatio; nisi fuerit concessa pro speciali casu, scilicet ad ducendam virginem a te defloratam; et sic de similibus. Ita Salm.[16] cum Bon. Laym. Sanchez Basil. et aliis supra citatis.

197. 2. Cessare potest dispensatio per *revocationem dispensantis*. Et quidem, cessante causa, vel alia nova contraria superveniente, superior dispensationem revocare potest, immo tenetur, cessante totaliter causa motiva. Peccabit tamen (sed tantum leviter) revocans sine causa, licet revocatio valeat. Bonac.[17] et Salm.[18] cum Tapia.

Etiam praelatus inferior, qui potest concedere dispensationem sive iure ordinario, sive ex commissione legislatoris, potest ex iuxta causa, dispensationem revocare, sine tamen causa, nulla erit revocatio: Bonac.[19] Sanch.[20] et Salm.[21] cum Salas, Tapia etc.

Notandum hic, quod dispensatio quae

(1) C. 5. n. 73. et 74. (2) Ibid. n. 72. (3) N. 2. (4) C. 5. n. 88. (5) De matr. l. 8. d. 30. n. 15. (6) De leg. d. 1. q. 2. p. 10. §. 2. n. 5. (7) C. 5. n. 89. (8) De matr. l. 8. c. 30. n. 3. (9) De leg. l. 6. c. 20. n. 13. et l. 8. c. 30. (10) Tr. 3. disp. 4. p. 15. n. 7. (11) Lib. 1. tr. 4. c. 22. n. 15. (12) C. 5. n. 90. (13) Reg. 73. de reg. iur. in 6. (14) C. 5. n. 91. (15) N. 92. (16) Ex n. 91 ad 94. (17) D. 1. q. 2. p. 7. §. 2. n. 2. (18) C. 5. n. 97. (19) Loc. c. (20) L. 8. de matr. d. 33. n. 14 (21) C. 5. n. 99.

absolute sit concessa, non cesset morte dispensantis, quicumque ille sit, sive supremus sive inferior; cum dispensatio sit gratia, et gratia non spiret morte concedentis. Excipe, si superior dispensaverit, *donec ei placuerit*, vel *ad suum arbitrium;* tunc enim morte eius spirat, si res adhuc sit integra: puta si confessarius nondum incoeperit audire confessionem. Si vero dispensatio concessa sit, *donec revocetur*, tunc non spirat morte concedentis: idem si concessa sit *ad arbitrium sedis apostolicae* vel *episcopi*, tunc neque spirat morte pontificis aut episcopi. Vid. Salm.[1].

198. 3. Cessat dispensatio per *renuntiationem dispensati;* quod ipse bene facere potest, quando effectus dispensationis nondum sit secutus, nisi renuntiatio redundet in damnum alterius vel communitatis, in cuius favorem sit impensa dispensatio; vel nisi praelatus praecipiat subdito uti dispensatione concessa ex iusta causa. Salm.[2] cum Caiet. et Tapia.

Potest igitur dispensatus renunciare dispensationi expresse et etiam tacite; et consummata renunciatione, nequit illa amplius uti. Consummata autem intelligitur renunciatio, quando a superiore renunciatio acceptatur, alias dispensatio durat. Salm.[3] cum Suar. Tap. Bonac. etc.

Quando autem intelligatur facta tacita renunciatio dispensationis. Alii dicunt, quando dispensatus per decennium illa non utitur, cum uti possit, ut ait Martin. Alii (ut Sanch. et Bordon.) quando dispensatus actum contrarium ponit, puta, si obtenta dispensatione ad contrahendum cum una, quaerat inde contrahere cum alia, sed per ista signa nullo modo censeri factam renunciationem, tenendum esse dicunt Sal.[4] cum Suar. et Tap. Hinc inquiunt, quod dispensatus ad contrahendum cum una, bene potest illa dispensatione uti etiam postquam cum alia contraxerit quae mortua sit; vel postquam emiserit votum castitatis, voti dispensatione postea tantum obtenta. Denique qui habuit dispensationem ieiunii, officii divini, potest illa uti, etsi officium et ieiunium postea servaverit. Ita Salm.[5].

Hic libet addere aliqua 1. de cessatione legis: 2. de interpretatione. 3. de epikeia.

De cessatione legis.

199. Nota, quod per legem generalem nunquam abrogatur lex particularis alicuius loci, nisi expresse dicatur: *Non obstante quacumque lege particulari.* Salm.[6] cum Sanch. Pal. Bonac. etc.

Sed hic notanda est quaestio illa magna inter dd. an cesset lex, cessante fine adaequato legis. Finis adaequatus est ille, qui est totalis finis legis: nam si lex plures fines habeat, finis adaequatus ex omnibus illis constituitur. Hoc posito certum est, quod cessante fine adaequato, seu totali legis in communi, cessat lex; ut si vovisti non ingredi talem domum ob periculum fornicationis, cessante periculo, cessat votum. Ratio, quia lex cum sit inutilis, vim amittit obligandi. Ita d. Thom.[7] et Salm.[8] cum communi. An vero tunc sit expectanda declaratio legislatoris, vel contraria consuetudo. Affirmant aliqui; sed alii omnes negant cum Salm.[9]; sufficit enim, ut mihi in particulari constet, vel saltem probabile sit (ut Salm.[10] cum Palao et Gran.) cessasse in communi finem legis adaequatum.

Quaestio urget, an cesset lex, cessante fine adaequato in casu particulari. Prima probabilior sententia negat, si tantum cessat privative, scil. si lex tunc redderetur inutilis: nam si cessat contrarie, quando scilicet materia legis redderetur in illo casu nociva vel valde difficilis; tunc omnes asserunt legem non obligare. Ratio dictae primae sententiae est, quia, licet cesset finis damni in casu particulari, non tamen cessat finis periculi in communi; ideo tunc non cessat finis adaequatus. Ita Salm.[11] cum d. Th.[12] ac Sot. Suar. Pal. et communiori. Altera vero sen-

(1) C. 5. n. 93. 96. (2) Ibid. n. 100. (3) Ibid. n. 101. (4) Ibid. n. 102. (5) Ibid. n. 103.

(6) C. 3. n. 14. (7) 1. 2. q. 103. a. 4. ad 3. in fin. (8) De leg. c. 4. n. 3. (9) Ibid. n. 4. (10) Ibid. (11) Ibid. n. 6. et 7. (12) 2. 2. q. 154. a. 2

tentia (quam tenent Cai. Sot.[1] Sylv.[2] Ang.[3] item Valent. Tiraq. Hurt. et Carden. apud Croix[4] Gran. Henr. Castr. ac Diana apud Salm.[5] qui dicunt hanc sententiam non posse negari esse satis probabilem, sicut probabilem etiam vocat Viva[6] cum Panorm. Led. Sa) tenet, quod cessante fine adaequato, etiam privative in casu particulari, cesset obligatio legis. Quia, ut dicunt, in quocumque casu, cessante fine legis, lex etiam cessat; et sicut cessante fine legis in communi pro uno tempore cessat lex, licet non cesset pro alio; sic cessante pro uno casu particulari, cessat lex pro illo, licet non cesset in communi. Sic aiunt evenire etiam in legibus naturalibus; correctio enim fraterna non obligat, ubi non speratur fructus. Idem etiam tenent Abb. Nav. Comit. etc. apud Tamb.[7] quia (ait Tamb.) sicut cessante fine in universo, cessat lex universaliter, sic cessante fine in particulari, cessat lex in particulari, cum in utroque casu aeque lex reddatur inutilis, cessante fine legis. Fornicatio semper est mala iure naturae, licet in aliquo casu cessaret periculum malae educationis prolis. Ratio, quia in fornicatione semper adest periculum magnae hallucinationis, immo in illa, ultra periculum malae educationis, sunt alia damna, scilicet hebetatio mentis, subiectio rationis sensui, etc. ideoque ibi nunquam cessare potest, nec in particulari quidem, finis adaequatus; vide Viva[8]. Ac ideo non obstat auctoritas d. Th. in contrarium adducta a Salm. Nam s. doctor tantum loquitur ibi de fornicatione, quod certum est apud omnes. His tamen non obstantibus, magis mihi arridet prior sententia, eo quod communiter loquendo fere nunquam in particulari cessat omnino periculum hallucinationis. Si vero aliquando casus accideret, quo aliquis omnino certus et securus esset abesse omne hallucinationis periculum, tunc non auderem secundam sententiam improbare; sed huiusmodi casus rarissime poterit evenire.

Utrum autem probabile sit legi posse libros prohibitos, cessante periculo et scandalo. Affirmant ob eamdem rationem Felin. Ab. Masc. Decian. et inclinat Laym.[9]. Sed negandum cum Pal.[10] qui citat Tol. Suar. Sanch. etc. ac Tamb. qui dicit quod in hoc non cessat omnino periculum, vel non cessat omnino finis prohibitionis, nec etiam in particulari, cum finis prohibitionis sit, non solum ut vitetur damnum conscientiarum ex lectione pravorum librorum, sed etiam ut servetur obedientia ecclesiae in materia tam periculosa; et ne detur ansa haereticis vel malis scriptoribus perniciosa typis demandare; ideo bene inquit Tamb. nullo modo aperiendam esse ianuam impune legendi huiusmodi libros, etiamsi quis putet pro se abesse periculum.

2. *De interpretatione legis.*

200. Interpretatio alia est authentica, alia usualis, alia doctrinalis. *Authentica* fieri potest vel ab ipso legislatore, vel a suo successore, aut a superiore. *Usualis* est illa quae ita ab usu est recepta. *Doctrinalis* autem est declaratio quaedam mentis legislatoris quae a quocumque doctore fieri potest.

Hic dubitatur an declarationes quae fiunt a pontifice, vel a principe alicuius legis, indigeant promulgatione, ut obligent. In hoc distinguere oportet declarationes *pure tales* ab aliis quae sunt *non pure tales*, sed potius sunt merae interpretationes. Declarationes *pure tales* sunt, cum ab illis explicatur aliquis sensus qui usque ab initio iam erat clare imbibitus in lege: ex gr. si dubium sit, an sub verbo *filii* intelligatur solus legitimus aut etiam spurius, et legislator declarat intelligi etiam spurium, tunc verum fit quod sensus in lege erat clare imbibitus. Interpretatio autem, sive declaratio *non pure talis* est illa, cuius sensus non est clare im-

(1) Op. t. 1. n. 12. q. 2. (2) Verb. Lex, q. 8. et 9. (3) Ibid. n. 4. cas. 7. (4) L. 1. n. 867. (5) L. c. n. 5. (6) De leg. q. 6. a. 5. n. 5.

(7) Dec. l. 2. c. 1. §. 7. n. 38. (8) Sup. prop. 48. Innoc. xi. (9) L. 2. c. 14. n. 3 (10) Tr. 4. disp. 2. p. 10. §. 2. n 9.

bibitus in lege, seu circa ipsum variae sunt opiniones, et tantum deducitur ex argumentis, v. gr. quod sub nomine *patris* intelligatur etiam avus, aut quod sub nomine mortis intelligatur etiam mors civilis, prout est carcer perpetuus aut simile, recurrendo ad quamdam impropriam significationem.

His positis, dicimus cum Suarez Castropal. Vasquez Salas Salmant. Holzman La-Croix Supplet. Sporer etc. quod declaratio sensus clare imbibiti in lege non requirit promulgationem, sed statim obligat eos omnes qui illum noverint, cum talis declaratio non sit nova lex. Interpretatio vero alicuius sensus non clare, sed tantum obscure, sive improprie imbibiti in lege, quae est declaratio *non pure talis* (ut diximus) haec, quia habetur tanquam nova lex, ut obliget, necessario promulgationem requirit, sicut omnes aliae leges iuxta dicta *n.* 95. *et* 96. Hinc infertur cum Suar. [1] et Castrop. [2] (qui citat pro se Bonac. Salas et Lorca), quod declaratio quae fit a legislatore alicuius sensus clare in lege imbibiti (iuxta exemplum adductum filii legitimi et spurii) non requirit promulgationem ut obliget. Contra vero declaratio sensus obscure imbibiti (iuxta exemplum avi sub nomine *patris*, vel mortis civilis sub nomine *mortis*) indiget quidem promulgatione; tunc enim ipsa novam constituit obligationem, quae per se non erat prius clare in lege imbibita. Et idem dicunt Suar. [3] et Castrop. [4] de illis declarationibus quae fiunt non ab eodem legislatore, sed ab eius successore aut superiore; quia legislatoris mens nequit his esse ita cognita, ut erat ipsi legislatori; unde tunc, ut declaretur sensus (quamvis imbibitus in lege) alicuius obligationis, semper opus est recurrere ad argumenta et interpretationes quae novam legem iam constituunt reddendo certum quod erat dubium; et ideo promulgatio requiritur, alias declaratio nunquam authentica, sed tantum doctrinalis reputabitur. Interpretatio autem doctrinalis quae est declaratio simplex mentis legislatoris, a quocumque doctore fieri potest, modo fiat iuxta regulas et sensum a sapientibus magis receptum; cum enim saepe dubia occurrant, nec de facili semper obtineri possint resolutiones a legislatore, necesse fuit ut viris peritis haec facultas interpretandi praeberetur, ut eruitur ex iure canonico [5]. An vero possit fieri interpretatio legis, si in ea omnis interpretatio prohibetur. Negant Salm. [6] cum Regin. Enriquez etc. Sed affirmant Palaus [7] Salas [8] Sa [9]. Tunc enim dicunt excludi tantum interpretationes frivolas, non autem prudentes. Idque colligunt ex Trident. [10] ubi prohibetur fieri interpretatio s. scripturae contra sensum quem tenet ecclesia; quare aiunt, quod si quis praeter consensum patrum non tamen illi contrarium, scripturam interpretetur, huic tali prohibitioni non adversatur, ut dicunt Azor. [11] Bann. [12] Barbosa [13] et Palaus [14]. Qui tamen advertit [15] aliquando prohiberi etiam interpretationem doctrinalem, non vero quamcumque, sed quae typis mandatur, et ex professo fit; nam haec tantum videtur vetita a Pio IV. in bulla confirmatoria Tridentini, ubi prohibetur ne quis commentarios in praefatum concilium edere audeat: quod verbum *edere* ex consuetudine sumitur pro interpretatione typis mandata, ut dicunt Barbosa [16] et idem Palaus cum Sa Rodriq. Salas Regin. etc. Imo aiunt Bonac. [17] et Pal. [18] cum Suar. et Salas, nec prohiberi quamlibet interpretationem typis excusam, sed eam tantum quae ex professo desumitur, non vero si unum vel alterum Tridentini decretum incidenter interpreteris.

Regulae in interpretandis legibus sunt 1. Ut attendatur mens sive finis intrinsecus legislatoris: hinc, si con-

(1) De leg. l. 6. c. 1. n. 3. (2) Tr. 3. d. 5. p. 3. § 1. n. 5. (3) Loc. c. (4) Ibid. n. 2. (5) C. 2. de privil. in 6. (6) C. 4. p. 3. §. 1. n. 23. (7) Tr. 3. d. 5. p. 3. §. 2. n. 6. (8) D. 21. sess. 2. in fin. (9) Vers. Interpretatio, n. 5. (10) Sess. 4. decr. de usu sacr. libr. (11) P. 1. l. 8. c. 2. q. 3. (12) P. 1. q. 11. (13) In rom. conc. loc. cit. Trid. (14) Ibid. n. 6. (15) N. 7. (16) In remiss. conc. sess. 25. c. 2. (17) De leg. d. 1. p. 7. n. 3. in fin (18) Eod. n. 7.

stat de mente legislatoris, huic magis standum est quam verbis legis. 2. Attendenda est ratio legis. 3. In dubio mentis legislatoris verba legis accipienda sunt secundum proprium sensum, semper ac non sequatur aliquod absurdum. Sensus autem proprius potest esse naturalis, et hic accipiendus est in poenalibus; potest esse etiam civilis, et hic etiam accipi potest in favorabilibus. 4. Ut in dubio fiat interpretatio pro valore actus. 5. Quod lex in favorabilibus amplietur, restringatur in odiosis. Quando vero leges sint favorabiles, quando odiosae, primarium motivum legis attendendum est. Vide Salm. [1].

Quaeritur hic an lex extendi debeat de casu ad casum ob identitatem rationis. Si non currit eadem, sed tantum similis ratio, communiter docent doctores non esse faciendam extensionem, nisi casus exprimatur in lege tantum causa exempli, puta si lex imponat poenam contra furantes centum aureos, certe comprehendit etiam furantes rem eiusdem valoris. Dubium fit an fieri debeat extensio quando occurrit pro alio casu non tantum similis, sed eadem adaequata ratio. *Prima sententia* affirmat ex illo trito dicto: *Ubi eadem est ratio, ibi eadem currit legis dispositio* [2]. Et hanc tenent Laym. [3] Roncag. [4] et Salm. [5] cum Suar. Gran. Tapia et communi, ut asserunt. Ratio quia mens legislatoris colligitur ex legis ratione, quae ideo dicitur anima legis; unde censetur legislator bene comprehendere voluisse omnes casus, ubi eadem adaequata ratio legis reperitur. *Secunda* vero sententia quam tenent Palaus[6] Bonac. [7] et Mazzotta [8] negat fieri extensionem de casu ad casum ob eamdem rationem etiam in casibus favorabilibus, et tanto minus in odiosis et correctoriis. Ratio, quia ratio legis non est lex, et ideo quamvis militet pro alio casu, illum non comprehendit: potuit enim legislator unum casum velle comprehendere, et non alium, vel quia non expedit omnia praecipere aut vetare, vel quia potest adesse aliqua superior ratio nobis ignota movens principem, ut in uno casu, non in alio disponat.

Hae tamen sententiae facile conciliantur, nam licet fautores primae sententiae (a qua non recedendum cum sit communis, ut idem Palaus fatetur) doceant extendi legem de casu ad casum, quando eadem currit adaequata ratio; tamen addunt tunc currere eamdem adaequatam rationem, quando, nisi lex extenderetur, legislator argui posset de iniustitia vel imprudentia; tunc enim casus non expressus potius dici debet comprehensus in lege, quam lex extendi ad illud: ita Suar. [9] Roncag. [10] et Laym. [11]. Et in hoc conveniunt etiam auctores secundae sententiae, ut Bonac. [12] Palaus [13] et Mazzotta [14].

Id autem evenire dicunt 1. In correlativis, prout in viro et uxore; tunc enim quod est sancitum de uno censetur etiam de alio, si pro utroque eadem ratio procedat. Sicut enim sponsa potest resilire a sponsalibus, si sponsus sine eius licentia absit [15], sic etiam sponsus. Item si uxor potest communicare cum viro excommunicato [16], ita etiam vir. 2. In aequiparatis, ut sunt electio, praesentatio, provisio ad beneficium. 3. In connexis, ut sunt diaconus et subdiaconus. 4. In contentis, ut sunt vicarius episcopi, et vicarius capitularis, sede vacante, filia et neptis. In his conveniunt omnes, etiamsi lex sit poenalis, aut correctoria.

Regulam autem iuris [17] *Odia restringi, favores convenit ampliari*, recte dicunt Suar. [18] et Bonac. [19] cum Menoch. procedere quando dispositio legis extenditur ex interpretatione congruitatis, ut aiunt, non autem quando extendi debet ex interpretatione necessitatis, quae

(1) C. 4. §. 2. (2) Summ. in l. Illud ff. ad l. Aquil. et c. Inter, de transl. episc. (3) L. 1. tr. 4. c. 18. n. 9. (4) De leg. c. 2. q. 4. r. 2. (5) Eod. tit. tr. 11. c. 4. p. 3. n. 34. (6) De leg. l. 1. tr. 3. d. 5. p. 3. §. 4. n. 2. (7) Eod. tit. d. 1. q. 1. p. 8. n. 28.

(8) Tr. 1. d. 2. q. 1. c. 3. q. 5. (9) De leg. l. 6. c. 3. ex n. 4. (10) D. r. 2. (11) Ibid. n. 9. v. Caeterum. (12) Dict. n. 25. v. Ad secundam. (13) Loc. c. n. 8. (14) V. Excipe. (15) Ex c. De illis, de sponsal (16) Ex c. Quoniam 2. q. 3. (17) 49. in 6. (18) L. 6. c. 4. (19) Loc. c. n. 27.

dicitur potius adaequata interpretatio legis, quam extensio.

Advertunt tamen 1. Sanch.[1] et Mazzotta[2] quod si lex decernat aliquid causa frequentioris usus, ipsa etiam comprehendit casum minus frequentem. Et ideo lex s. Pii v. permittens monialibus egressum propter incendium et lepram aut epidemiam, extenditur etiam ad ruinam domus, inundationem et invasionem hostium, ut communiter dd. docere ait Mazzotta[3]. Advertunt 2. Laym.[4] Pal.[5] quod iudices ex similitudine rationis tenentur legem ad alios casus extendere, quia ipsi quantum fieri potest legibus debent conformari[6]. Cum in aliqua causa sententia earum (nempe legum ut supra exprimitur) manifesta est, is qui iurisdictioni praeest ad similia procedere debet.

3. *De epikeia legis.*

201. Epikeia, seu epikia, est exceptio casus ob circumstantias, ex quibus certo vel saltem probabiliter iudicatur legislatorem noluisse illum casum sub lege comprehendi. Salm.[7] cum Pal. et Martin.

Haec epikeia non solum locum habet in legibus humanis, sed etiam in naturalibus, ubi actio possit ex circumstantiis a malitia denudari. Salm.[8].

Ut tamen detur locus epikeiae, non solum debet lex cessare in casu particulari negative, quia nimirum deficiet tunc finis legis; sed debet cessare contrarie, nempe quod lex reddatur damnosa vel nimis onerosa: quare potest negari ensis depositus domino, si ille eo sit abusurus. Ita Salm.[9] cum s. Thom. Sufficit autem, si aliter lex redderetur nimis dura. Salm.[10] cum Arav. Gord. etc. Hinc excusatur ab auditione sacri, qui timet notabilem iacturam bonorum. Et etiam excusatur ab observatione festi, qui aliter amittere cogitur magnum lucrum; ut Suar. et Pal. apud Salm.[11]. Et super hoc vide dicenda *l.* 3. *n.* 301.

APPENDIX I. BUSEMBAI

De dispensationibus s. poenitentiariae.

202. « Quia ex officio s. poenitentiariae multae dispensationes (et gratis quidem) impetrari possunt, saltem pro foro conscientiae, operae pretium censui quaedam circa huius rei praxim poenitentibus et confessariis utilia hic subnectere.

» Et quidem tria potissimum circa hanc rem requiri possunt. 1. Circa materiam et causas, in quibus nimirum casibus dispensationes istae concedi soleant. 2. Circa formam litterarum poenitentiariae, quibus dispensatio confessario committitur, quarum verba nonnulla quae difficultatem pariunt explicanda sunt. 3. Circa ipsam executionem dispensationis, quae nimirum in ea observanda sint. De quibus ex Bon. Dian.[12] et Marci Pauli Leonis volumine integro ea de re edito.

203. » Resp. 1. In triplici materia (pro cuius diversitate diversa quoque est forma) dispensationes, sive gratiae istae concedi solent.

» *Prima* est in votis, v. gr. ut votum religionis, ob inopiam parentum, vel fratrum, similive ex causa liceat differre: ut quis a voto simplici castitatis, vel etiam religionis (postquam matrimonium contraxit) absolvatur ad manendum in matrimonio, debitumque licite petendum: ut a voto religionis (ob debilitatem virium, per quas eius onera ferre non possit, aut ob metum incontinentiae, aut dotis defectum) absolvatur in ordine ad contrahendum matrimonium.

» *Secunda* in impedimentis occultis matrimonii, sive ea sint impedientia tantum sive etiam dirimentia, sive matrimonium cum iis publice contractum sit sive contrahendum, dummodo de eo privatim fuerit actum et conclusum, praesertim bona fide, sive etiam quando contracto superveniunt. Circa quae *notandum*. 1. Impedimenta occulta dici quae vel nulli nota sunt, vel licet uni

(1) L. 3. de matr. d. 20. n. 3. (2) Loc. cit. (3) Loc. cit. (4) Ibid. n. 11. (5) Ibid. n. 14. (6) Ex l. 12. ff. de leg. (7) C. 4. n. 41 n. 42. et 43. (8) Ibid. n. 44. (10) Ibid. n. 45. (11) Ibid in fin. (12) P. 4. t. 4. r. 71. et p. 8 105 etc. usque ad r. 111.

alterive innotuerint, ad forum tamen contentiosum non sunt deducta (*Vide lib.* 6. *n.* 1111.) 2. Etsi aliqua impedimenta, v. gr. cognationis spiritualis, natura sua sint publica, cum contrahantur in facie ecclesiae; fieri tamen potest per accidens ut sint occulta, v. gr. 1. Ob diuturnitatem temporis, ex quo sunt contracta. 2. Ob distantiam loci a loco contractae cognationis. 3. Per mortem eorum qui fuerunt conscii. 4. Per ignorantiam huius contractionis.

» *Tertia* in variis censuris, ut excommunicationibus, suspensionibus (item irregularitatibus), praesertim occultis, ad absolvendum ab iis, dispensandum, rehabilitandum, etc. Item ad condonandam obligationem restitutionis ob horas neglectas, ad commutandum onus recitationis horarum, eligendum confessarium etiam pro reservatis, transeundum ad aliam religionem sive ordinem (pro utroque foro) etiam post apostasiam a suo.

204. » Resp. 2. In formulis frequentioribus ipsius brevis apostolici verba, quae substantialia continent, et difficultatem habent, sunt haec.

» *Si est ita:* vel *quatenus si ita est:* quorum sensus est, si preces veritate nitantur, praesertim tempore datarum litterarum apostolicarum. Requiritur autem veritas rerum narratarum, principaliter quoad essentialia facti, v. gr. affinitatem esse contractam, incestum commissum, et actum sive tractatum esse de matrimonio (intellige perfecte, ita ut in id utrinque consenserint), et periculum revelationis ac scandalum imminere. Secundario autem requiritur quoad accidentalia, v. gr. bona fide actum esse, et similia, quae tantum sunt impulsiva, et sine quibus nihilominus conceduntur tales dispensationes; unde, etsi in iis, vel in aliis parvi momenti sit erratum in petitione, gratia nihilominus est valida. *V.* M. Leon. [1]. (Vide hic bullam Bened. XIV. *l.* 6. *n.* 1131.)

» 2. *Si periculum immineat revelationis.* Ad hoc enim ut subsistat dispensatio requiritur ut sit periculum ne reveletur impedimentum (intellige quando id in formula exprimitur) si non subsequatur matrimonium, docet Marc. Leo [2]. Periculum autem hoc non importare necessariam detectionem, sed tantum probabilem et moralem credulitatem, futurum, ut si resiliatur a matrimonio contrahendo, et huius causae assignari non possint, ex vehementi suspicione et curiosa inquisitione detegatur [3].

» 3. *Et scandalum.* Quo nomine intelligitur gravis infamia, ex qua deinde sequantur contentiones, minae, pugnae etc. Leo [4].

» 4. *Ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, etc.* Clausula haec est substantialis, ut nimirum, si dispensandum sit in impedimento dirimente, cum quo matrimonium contractum fuit in facie ecclesiae, coniux ignorans illud impedimentum fiat certa de nullitate prioris sui consensus, et novum validumque libere praestet (ita tamen ut in cognitionem occulti impedimenti non veniat). Leo [5] Diana [6]. Sufficit autem ut istum consensum praestent inter se secreto, nemine praesente per verba vel signa sufficientia, v. gr. copulam maritali affectu. Neque debet executor dispensationis eos coram se et testibus iterum copulare Leo [7] *(Vide dicenda l.* 6. *de matrim. n.* 1115.*)*

» 5. *Postquam dicto sacerdoti, si nondum satisfecerit.* Verba haec solent esse in facultate absolvendi ab excommunicatione, v. gr. ob percussionem clerici: et important conditionem prius satisfaciendi parti laesae, quam possit absolvi, hoc est, compensandi iniuriam, expensas, et omnia damna quae ob percussionem illam incurrit, quorum aestimatio committitur executori dispensationis: neque ab eius obligatione liberatur percussor per hoc quod percussus iniuriam remiserit. Vide Leon. [8] Si autem non possit in praesenti satisfacere, sufficit si iuratus promittat se satisfacturum cum primum poterit.

(1) P. 2. f. 226. et p. 3. f. 391. (2) P. 2. f. 230.

(3) V. l. c. f. 233. (4) F. 230. et 317. (5) P. 231. (6) P. 8. t. 3. r. 110. (7) P. 552. (8) P. 582. 58[illegible]

205. » Resp. 3. Circa praxim sive executionem huius dispensationis, haec facienda.

» 1. Litterae sacrae poenitentiariae diriguntur ad oratorem, hoc est ad ipsum qui dispensationem (per se vel alium) petiit, qui non debet eas resignare, sed eligere confessarium talem, quali inscribuntur, qui eas sibi ab oratore traditas resignet, legat, et deinde cum eo secundum commissionem dispenset. Licet vero quocumque casu ab alio aperiantur, non ideo carent effectu, Salas Dian.[1].

» 2. In confessario hoc requiritur. 1. Ut sit approbatus ab ordinario territorii in quo dispensaturus est. 2. Ut sit magister sive doctor in theologia vel iure canonico; promotus in academia, vel religiosus habens privilegium, quale concessit Gregorius XIII. an. 1582. confessariis societ. Iesu, quos generalis, vel alius superior de eius licentia ad id designarit. 3. Ut specialiter ad hoc sit electus ab oratore, hoc est, ab eo cum quo dispensandum est: qui tamen semel electum, nisi deprehendat ignorantem, mutare non potest. Leo[2] Dian.[3]. Contrarium tamen docent Sanch. et Perez[4].

206. » 3. Confessarius ad id electus, 1. debet dispensare in ipsa confessione vel saltem immediate post, Dian.[5] Leo[6]. 2. Debet causae cognitionem quando ea in brevi exigitur, essentialiter praemittere per diligens examen poenitentis, nisi habeat ante perspectam: quia non est merus executor, sed iudex cui delegatur potestas dispensandi. 3. In ea debet credere illi etiam sine testibus et iuramento, nisi aliunde sciat esse falsam; tunc enim dispensare non debet. Leo Diana[7]. 4. Opera in ipso brevi praescripta, etsi possit moderari, non tamen condonare potest. 5. Etsi non praescribantur certa verba ad dispensandum, debet tamen servare formam a rituali romano probatam, et post verba ista, *Absolvo te a peccatis tuis*, addere: *Et eadem auctoritate declaro te in dicto matrimonio manere; et debitum coniugale reddere posse et debere: necnon dispenso tecum, ut idem debitum etiam exigere licite valeas. In nomine Patris, etc.* Si vero sit absolvendus ab excommunicatione, vide formulam infra *l.* 7. *n.* 116. Absoluta dispensatione, debet lacerare litteras, praecipue sigillum, ita ut ad probandum servire non possint, alias incurrit excommunicationem maiorem, Leo[8]. Laceratio tamen ista non est de substantia: quia tantum intenditur, ut non suffragentur in foro externo. 7. Nullo modo debet attestationem dispensationis factae, neque ipsum breve seu diploma reddere, cum pro solo foro conscientiae debeat servire. 8. Nihil debet accipere, ne via quidem compensationis pro dispensatione etiam pro foro externo facta: ideo enim inscribitur, *gratis ubique*. Alias incurrit ipso facto excommunicationem maiorem. Gavant. Dian.[9]. »

Ex dictis resolvuntur sequentes casus:

207. « 1. Confessarius pro hac dispensatione eligi non potest qui tantum est doctor ordinis vel professor vel licentiatus theologiae; quod enim hic in favorabilibus veniat nomine doctoris, tantum intelligitur de iis quae ratione exercitii, non quae ratione dignitatis committuntur. Leo[10] Dian.[11].

» 2. Ex privilegio soc. Iesu concesso, alii etiam mendicantes eligi possunt ob communicationem. Debent tamen tam hi, quam isti specialem ad hoc habere facultatem a suis superioribus: alias dispensatio erit nulla. Ita auct. cit. Et patet ex dictis.

» 3. Confessor debet ita examinare poenitentem, ut cognoscat, et quidem distincte merita causae, possitque inter ea discernere: ideo enim inscribitur *viro discreto*. Praecipue autem debet inquirere an preces nitantur veritate, quia gratia non conceditur simpliciter, sed sub conditione, ideoque solet addi clausula: *Quatenus si ita est:* vel,

(1) P. 8. t. 3. r. 103. (2) F. 22. (3) P. 8. t. 3. r. 104. (4) De matr. d. 48. sect. 5. n. 7. (5) P. 4. t. 4. r. 7. (6) P. 4. f. 54. et 28.

(7) P. 8. t. 3. r. 103. (8) F. 259. (9) Loc. c.ex decl. card. (10) P. 1. f. 21. (11) P. 4. t. 4. r. 41.

si ita esse repereris. V. auct. cit. (*Vide de matrim. l. 6. n. 1131.*).

» 4. Is qui dispensationem petit debet executori ad id electo confiteri: nec sufficit ante ei confessum fuisse. Patet ex dictis. Leo [1] Dian. [2] Reg. Pont. contra Sanch. Sal. Perez Palaum quorum sententiam non amplius esse probabilem docet Fill. Escob. Lezan. Dian. [3].

208. » 5. Commissio huius dispensationis non expirat morte poenitentiarii concedentis, re integra: quia est gratia non facienda, sed facta in favorem oratoris cui ius quaesitum est, et executor est dispensator necessarius, si quidem preces nitantur veritate. Neque etiam morte pontificis, tum ob rationem allatam, tum quia officium maioris poenitentiarii non expirat morte pontificis. Dian. [4] ex Suar. Sanch. Garc. etc. contra Navarr. Bon. etc. »

APPENDIX II.
De privilegiis.

Cap. I. De privilegiis in communi

1. *Differentia inter privilegium, dispensationem et licentiam.*
2. *Quando privilegium deroget iuri communi.*
3. *Quando privilegiatus tenetur uti privilegio.*
4. *Utrum extra sacramentum censurae, etc.*
5. *De clausulis*, ad instar etc. Quatenus sacris can. non adversetur etc. Supplentes defectus etc.
6. 7. *et* 8. *De interpretatione privilegiorum.*
9. 10. *et* 11. *De communicatione.*
12. *De privilegiis regularium revocatis, cum declarationibus s. Pii V.*
13. *De rescriptis gratiae et iustitiae utrum expirent morte pontificis.*
14. *Quot modis cesset privilegium.*
15. *Quomodo cesset per revocationem.*
16. *De revocatione expressa.*
17. *De tacita, et utrum sit intimanda, vel saltem publicanda revocatio.*

1. Privilegium definitur: *Lex privata, aliquod speciale concedens beneficium.* Privilegium differt a dispensatione quae eximit a lege, et ideo semper est odiosa; differt etiam a licentia quae conceditur tantum ad paucos actus. De privilegiis in particulari inferius proprio loco dicemus; hic tantummodo adnotabimus quasdam regulas advertendas circa privilegia in communi.

2. Et I. Ut privilegium deroget iuri communi non requiritur clausula derogatoria; praesumitur enim princeps iam scire leges communes. Excipitur tamen 1. Quando privilegium non posset suum effectum sortiri sine hac expressa derogatione. 2. Si in lege cui derogatur esset apposita clausula: *Non obstante quocumque privilegio:* hoc intelligitur, dummodo in privilegio non extet clausula: *Ex certa scientia;* vel: *Ex plenitudine potestatis.* Salm. [5]. 3. Quando privilegium est contra aliquam consuetudinem aut legem municipalem. His enim non derogatur, nisi de illis specialis mentio fiat. Suar. [6] Castrop. [7] et Salm. [8] cum Pelliz. Tamb. etc.

3. II. Privilegiatus non tenetur, regulariter loquendo, uti privilegio [9]. Sed excipiendum est: 1. Si non utendo grave damnum proximo inferret: hoc tamen intellige si per se, non vero consequenter; v. gr. si confessarius habeat privilegium absolvendi a peccatis reservatis, post auditam confessionem tenetur eo uti. Vide Salm. [10] cum aliis. 2. Si privilegium cedat in bonum commune, quemadmodum est privilegium immunitatis, quo unusquisque tenetur uti [11]. 3. Si privilegium tollat impedimentum ad observandum praeceptum: v. gr. si infirmus habet domi oratorium privatum, et facile potest audire sacrum, tenetur privilegio uti. Suar. [12] Pal. [13] Sanch. [14]. Salm. [15] cum Sylvest. Avila etc. 4. Si privilegium non est personale, sed reale, addictum loco vel dignitati vel statui, quemadmodum sunt privilegia concessa episcopis et regularibus. Vide Salm. [16].

4. III. Qui habet privilegium pro foro poenitentiali, etc. absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis, valde probabiliter potest eo uti etiam extra sacramentum, etiamsi facultas concepta esset in terminis: *Sacerdoti confessario.* Suar. [17] Castrop. [18] et Salm. [19] cum

(1) F. 28. (2) P. 4. t. 4. r. 71. (3) Loc. c. et p. 8. t. 5. r. 105. (4) P. 8. t. 3. r. 89. (5) Tr. 18. c. 1. n. 41. 42. et 43. cum aliis. (6) De leg. l. 8. c. 14. n. 4. (7) T. 1. tr. 3. d. 4. p. 10. n. 9. 10. et 11. (8) Loc. cit. c. 1. n. 8

(9) Reg. 61. iur. in 6. (10) Tr. 18. c. 1. n. 11. (11) Ex c. Si diligenti, de foro comp. (12) C. 35. n. 8. (13) Ibid. p. 7. n. 3. (14) De matr. l. 6. d. 6. n. 14. (15) C. 1. n. 12. (16) C. 1. n. 17. et 18. (17) L. 8. c. 6. n. 15. (18) Ibid. p. 2. §. 5. n. [illegible] (19) C. 1. n. 33.

Sylvest. Tamb. etc. contra alios qui probabiliter etiam negant.

5. IV. Loquendo de clausulis: clausula *Ad instar* importat tunc valere privilegium, quando aliud (ad cuius formam secundum concessum est) fuerit validum saltem a principio, quamvis postea revocatum fuerit vel non acceptatum, ut advertit p. Mazzotta. Alias enim, si primum privilegium fuerit nullum, nullum quoque erit secundum, dummodo in secundo non exprimatur id quod conceditur: Suar. [1] Castrop. [2] Salm. [3] cum Bonac. etc. et p. Mazzotta [4]. Hoc tamen currit (ut aiunt praefati auctores) quando dicitur: *Ad instar;* non vero si dicatur, *sicut concessum est*, etc. ut limitant Bonac. et Garcias apud Salm. Clausula: *Quatenus sacris canonibus non adversetur*, intelligitur de iis tantummodo canonibus in quibus est expressum: *Non obstante quocumque privilegio*. Salm. [5] cum Nav. Suar. Garc. etc. Clausula: *Supplentes singulos defectus* intelligitur tantum de defectibus earum rerum quae requiruntur solum de *iure positivo*, et qui sunt tantummodo accidentales; non vero de defectibus naturalibus aut substantialibus, utpote esset, si supplicans foret excommunicatus, aut si supplicatio foret subreptitia vel fraudulenta; aut si defectus esset circa causam aut personam supplicantis. Salm. [6] cum Barbosa et Tamb. Aliae clausulae videri possunt apud Salm. [7].

6. V. Loquendo de interpretatione privilegiorum, plura adnotanda sunt. Notetur 1. omne privilegium interpretandum esse eo modo, quo privilegiato non sit neque inutile neque onerosum. Salm. [8] 2. Privilegia solum princeps, vel alii quibus a principe foret commissum, authentice vel iuridice possunt interpretari. Doctrinaliter vero potest ea interpretari quicumque vir doctus, cuius resolutioni licite potest acquiesci, ut omnes affirmant: et quando in privilegio prohibetur quaecumque interpretatio, de sola authentica et iuridica est intelligendum, vide Salm. [9]; aut ad summum intelligi debet de interpretatione quae fit *ex professo*, ut dictum est de legibus (*tract.* 2. *n.* 200.). 3. A Clemente IV. et ab aliis pontificibus prohibentur episcopi interpretari iuridice privilegia regularium. Solum id ab Alexandro VI. et Paulo III. (quando apostolica sedes consuli nequit) concessum est iurisperitis, caeterisque iudicibus in favorem regularium. Idem concessum est generalibus, visitatoribus, et etiam provincialibus, et praelatis immediatis, quoties ipsi peritos consulunt. Idem locum habet in interpretatione regularum, constitutionum et consuetudinum. Eodem modo possunt iidem praelati auferre vel limitare subditis usum privilegiorum. Vide Salm. [10].

7. Notandum 4. Quod generaliter loquendo de privilegiis, omne privilegium large est interpretandum, ut habetur in iur. can. ubi dicitur [11]: *Cum beneficia principum interpretanda largissime* etc. et ex iure civili [12]. Contra vero privilegia odiosa stricte sunt interpretanda, cuiusmodi sunt illa quae sunt derogatoria iuris communis, aut statutorum et consuetudinum particularium, dummodo haec statuta non sint contra ius commune, aut dummodo privilegium non sit insertum *in corpore iuris;* ideoque aiunt Sanch [13]. et Mazzot. [14] omnia privilegia realia late esse interpretanda; ob suam enim perpetuitatem habentur tanquam inserta in iure communi. Insuper excipitur si alias privilegium redderetur inutile, aut si in eo extaret clausula: *Ex certa scientia*, vel ex *motu proprio:* vel si privilegium esset absolvendi, dispensandi, aut communicandi illud ad alios. Salm. [15]. Privilegia vero in praeiudicium aliorum, cuiusmodi essent ad obtinenda plura beneficia, aut ad conferenda beneficia vacantia, aut contra observantiam regularem, stricte sunt interpre-

(1) C. 15. n. 2. (2) D. 3. p. 2. §. 8. n. 2. (3) C. 1. n. 39. (4) T. 1. de privil. pag. 221. v. Sexto. (5) C. 1. n. 50. (6) Ibid. n. 51. (7) Ibid. ex n. 40. (8) Ibid. n. 70. et 71. (9) Ibid. n. 72. et 73.

(10) Ibid. n. 74. 75. et 76. (11) C. Olim 16. de verb. sign. (12) L. ult. ff. de constit. princ. (13) De matr. l. 8. d. 1. n. 8. (14) Loc. c. pag. 223. c. 2. v. Resp. (15) Tr. 18. c. 1. n. 78. ad 80.

tanda, etiamsi concessa fuerint *ex motu proprio*. Salm. [1].

8. Hoc vero intelligendum est de privilegiis concessis personis particularibus: sed ea quae sunt concessa alicui ordini, conventui, communitati, aut ad aliam piam causam, omnia sunt interpretanda non modo late, sed etiam latissime, etiamsi adversentur iuri communi, vel alicui tertio, quemadmodum communissime affirmant dd. Suarez [2] Castrop.[3] Mazzotta [4] et Salmant. [5] cum Azor. Laym. Sylv. Bon. Henr. Coninch. Lezana Bord. et aliis. Privilegia enim communitatibus concessa praesumuntur omnia esse remuneratoria servitiorum praestitorum, et ideo omnia habentur tanquam favorabilia[6]. Vid. Salmant. [7].

9. VI. Loquendo de communicatione privilegiorum adnotetur 1. quod religiones mendicantes communicant in totum inter se de privilegiis praeteritis et futuris, tum circa personas, tum circa loca, festivitates, et indulgentias, prout habetur ex bullis Sixti IV. Clementis VIII. et Leonis X. Vide Salm. [8]. Et hoc currit, quamvis religio cui concessum est privilegium, vel non acceptaverit vel eo usa non fuerit. Insuper quando ampliatur privilegium alicui religioni concessum, intelligitur ampliatum etiam quoad alias. Salm. [9]. Insuper hae religiones mendicantes communicant privilegiis caeterarum religionum vel congregationum vel collegiorum monasticorum vel non monasticorum. Ita communissime Salm. [10] cum Rodr. Pelliz. Tamb. etc. Et hoc valet, etiamsi in privilegio concesso alteri religioni vel congregationi adsit clausula quod non communicetur; nam in aliis bullis de communicatione dicitur quod tollitur quodcumque impedimentum communicationis. Salm.[11] cum Rodr. Basseo Miranda Bon. Diana Donato etc. Huiusmodi privilegiis perfruuntur tam conversi (ipsi enim vere religiosi sunt, vid. Salm. [12]) quam novitii, quemadmodum declaravit Clemens VIII., et est communis sententia (quidquid dicant quidam pauci) cum Suar.[13] et Salm.[14] cum Sanch. Castr. Lez. Pell. et aliis; fruuntur quoque religiosi ad episcopatum promoti, dummodo non agatur de rebus quibus episcopi si utantur, aliquod religioni praeiudicium proveniret, ut esset habitatio in monasterio, datio suffragii, etc. Vid. Salm.[15] cum Suar. Lez. et Castrop. Tertiarii autem, et tertiariae (vel beatae) subditae mendicantibus, et quae habitum religionis deferunt et votum habent castitatis (quibusdam tantum rebus exceptis) eorum quoque privilegiis gaudent, sed quatenus sunt capaces. Confratres scapularis et cinguli (vocati *cordonis*) fruuntur tantum et participant in omnibus indulgentiis et remissionibus peccatorum, sed non in alio. Salm. [16] cum aliis.

10. Notandum 2. Moniales tam ordinum mendicantium, quam non mendicantium, gaudere privilegiis monachorum sui ordinis, et consequenter cuiuscumque alterius ordinis in omnibus, quorum sunt capaces (intellige de favorabilibus). Hoc valet, etiamsi privilegium tantum de hominibus loqueretur, ut deducitur ex bulla Leonis X. Atque ita e contrario fratres gaudent privilegiis monialium ordinum, ex eo quia ipsi communicant (ut superius dictum est) privilegiis concessis cuicumque religioni, congregationi aut monasterio. Vide Salm.[17]. Sed redeundo ad moniales; huiusmodi privilegiis gaudent etiam illae, quae pontifici aut episcopo subiiciuntur; atque ita, quando religiosis conceditur privilegium ut absolvantur, vel dispensentur a suo praelato, moniales subiectae episcopo possunt quidem ab eodem absolvi et dispensari. Et hoc currit, etiamsi in privilegio nominarentur tantum moniales quae regularibus subditae sunt.

(1) N. 83. 84. (2) C. 27. n. 7. (3) Ibid. p. 10. n. 6. (4) Loc. c. (5) C. 1. n. 27. et 29. et iterum n. 85. et 86. (6) Ex l. Sicut persona, ff. de relig. (7) C. 1. n. 23. ad 27. (8) N. 88. 89. (9) C. 8. n. 98. 99.

(10) Tr. 18. c. 1. n. 90. (11) N. 107. (12) Tr. 15. de statu relig. c. 1. n. 33. (13) T. 4. de relig. tr. 10. l. 9. c. 1. n. 18. (14) Ibid. c. 3. n. 85. (15) Dict. tr. 15. c. 5. n. 43. (16) Ibid. n. 94. (17) Tr. 18. de priv. c. 1. n. 91.

Suar. [1] Bon. [2] Salm. [3] cum Castrop. Lez. Pelliz. Bordonio Boss. et aliis contra paucos.

11. Notandum 3. Privilegia non communicari quando sunt odiosa, vel contraria propriis statutis, adeo ut praeiudicent bono sive communi observantiae religionis. Castrop. [4] et Salmant. [5] cum Pelliz. Lez. Portell. Tamb. Bord. Notetur 4. Privilegia alicui concessa non tanquam personae particulari, sed ratione sui officii seu dignitatis, vel tanquam membro illius communitatis, intelliguntur concessa omnibus aliis eiusdem officii aut communitatis. Et privilegia concessa subditis, seu praelatis inferioribus, etiam praelatis superioribus concessa intelliguntur. Salmant. [6]. Similiter privilegia concessa alicui conventui aut ecclesiae, aut particularibus alicuius conventus, sed tanquam membris illius, intelliguntur quoque concessa caeteris religiosis tam illius ordinis, quam aliorum, qui communicationem habent, quando scilicet eadem vel similis ratio militat. Salm. [7] cum Pelliz. Garcia Quintan. Tamb. etc. Sed hoc non est intelligendum de privilegiis quae conceduntur alicui congregationi ad tempus determinatum, vel per brevia particularia sunt concessa alicui monasterio ob specialem aliquam causam, vel quando agitur de rebus quae difficile solent concedi. Salmant. [8] cum Peyrin. Tamb. Merula etc.

12. VII. Certum est, ut habetur ex propos. 36. damn. ab Alex. VII., religiosos non posse amplius uti privilegiis iam revocatis per concilium tridentin. Verum hoc non obstante, attendendae sunt quaedam declarationes concilii factae per s. Pium V. in sua bulla: *Etsi mendicantium*. Hae sunt: 1. Quod saeculares possunt audire sacrum et conciones in ecclesiis regularium. 2. Quod episcopus nequeat impertiri licentiam ingrediendi monasteria monialium exemptarum. 3. Quod quarta funerum non intelligitur nisi de eo quod affertur. Vid. Salm. [9]. 4. Quod confessarii monialium exemptarum, et concionatores regulares in propriis ecclesiis non examinentur ab ordinario; verum quod attinet ad confessarios hoc privilegium abrogatum est per varias apostolicas constitutiones, et praesertim per bullam *Apostolici ministerii*, emanatam ab Inn. XIII. ann. 1723. et confirmatam per Benedictum XIII. die 23. septembris anni 1724. Ibi [10] declaratur, quod confessarii monialium exemptarum debeant examinari et approbari ab episcopo dioecesis, *remota quacumque contraria consuetudine etiam immemorabili.*

13. VIII. Distinguendum est *rescriptum gratiae*, ut esset absolvendi, dispensandi etc., a *rescripto iustitiae*, ut exercendi iurisdictionem, appellandi etc. In rescripto gratiae dicitur *gratia facta*, quando delegatus habetur tanquam merus necessarius executor: *gratia facienda*, quando conceditur facultas dispensandi, et relinquitur arbitrio delegati. Rescriptum iustitiae expirat morte principis, dummodo res adhuc sit integra; et idem de rescripto gratiae faciendae. Oppositum vero dicendum de rescripto gratiae factae, ut absolvendi, recipiendi ordines *extra tempora*, de oratorio privato etc. Castrop. [11] Sanch. [12] Salm. [13] cum Suar. Privilegium concessum cum clausula, *Donec voluero*, probabiliter non expirat post mortem concedentis. Salm. [14]. Quod si in concessione exprimitur officium delegati, mortuo delegato, transit etiam ad successorem, Salm. [15].

14. IX. Privilegium multis modis cessare potest, et 1. per decursum termini constituti: 2. per cessationem causae finalis: intellige quando privilegium est concessum sub conditione dictae causae; sed quando concessum esset absolute, adest opinio valde probabilis, quod etiamsi cessaret causa finalis, non cesset tamen privilegium; neque cessat, quamvis semel privilegio usi fuerimus;

(1) De leg. l. 8. c. 10. n. 7. (2) Dist. 1. q. 3. p. 7. §. 2. n. 2. (3) Tr. 18. c. 1. n. 92. (4) Tr. 3. disp. 4. p. 2. §. 9. n. 2. (5) C. 1. n. 100. (6) Ibid. n. 110. et 111. (7) Ibid. (8) Ibid. n. 113.

(9) Tr. 18. c. 1. n. 137. (10) §. 18. (11) Tr. 3. disp. 4. p. 16. §. 4. n. 1. (12) De matr. l. 8. d. 38. n. 45. (13) C. 1. a n. 141. ad 146. (14) C. 16. n. 149. (15) N. 150.

Salm.[1] iuxta id quod diximus de dispensatione *tr.2.n.*199.3. ob renuntiationem privilegiati; in quo notandum est quod particulares nequeunt renuntiare privilegiis communitatis; et ut valida sit renuntiatio fieri debet in manu illius qui privilegium concessit, et ab eodem acceptanda; vid. Salm.[2]: 4. per usum contrarium, vel per non usum: in dubio tamen praesumptio semper est pro usu. Sed in hoc advertendum est quod privilegia gratiosa quae non sunt aliis gravamini, ut absolvendi, dispensandi, vel non ieiunandi, et his similia, haec nunquam amittuntur per non usum, et etiam per usum contrarium, quamvis temporis longissimi. Suar.[3] Bonac.[4] Castropal.[5] et Salmant.[6] cum Laym. Pont. Lez. Garcia etc. Privilegia contra, quae tertio sunt onerosa, ut non solvendi decimas et similia, haec praescribuntur per usum contrarium, et etiam per non usum privativum (non vero dumtaxat negativum) quod accidit, quando privilegiatus conscius iam sui privilegii, occasionibus oblatis, sponte uti recusavit. Hoc autem currit, dummodo in privilegio non sit clausula *utendi ad sui arbitrium*. Castrop.[7] Bonac.[8] et Salm.[9] cum Laym. Garc. Lez. etc. Insuper hoc intelligitur pro foro externo; nam in conscientia non amittit privilegium qui animum non habet renuntiandi. Vid. Salm.[10]. Potest cessare etiam privilegium per abusum sive in totum sive in partem. Salm.[11].

15. Cessat 5. privilegium ob revocationem principis. In hoc autem distinguere oportet privilegia gratuita a remunerativis et ab onerosis; si privilegium est mere gratuitum, revocari potest valide etiam sine iusta causa: quamvis hoc non excusatur saltem a culpa veniali, si scandalum adsit. Pont.[12] Castr.[13] et Salm.[14] cum Suar. Sanch. Bon. etc. Si vero cum privilegio translatum fuisset dominium alicuius rei in privilegium, illud revocari nequit nec licite nec valide, nisi ob causam urgentissimam boni communis vel gravis delicti, vel ob illas causas ob quas revocari nequit quaelibet donatio. Castrop.[15] Bonac.[16] Suar.[17] et Salmant.[18] cum Pont. Garc. Lez. etc. Sed si privilegium est remuneratorium vel ob iustitiam vel ob gratitudinem, semper requiritur iusta causa, ut valide revocetur. Et si insuper est onerosum, ut exempli causa, concessum ob pretium acceptum, vel ob aliquod onus privilegiato impositum, ut revocetur (ultra iustam causam) requiritur compensatio. Et hoc dicendum de privilegiis remuneratoriis ob iustitiam, ut dicunt communiter dd. Suar.[19] Pont.[20] et Salm.[21] cum aliis.

16. Revocatio vero privilegiorum alia est *expressa*, alia vero *tacita:* quoad *expressam* regulariter loquendo sufficit clausula generalis, *non obstantibus privilegiis* etc. ut revocentur omnia privilegia in contrarium. Excipiuntur tamen 1. privilegia concessa per modum contractus, sive onerosa sint, sive remunerativa ob iustitiam (ut supra dictum est), in quibus mentio specialis fiat meritorum in particulari. 2. Privilegia quae clausulam habent, quod non intelligantur derogata, nisi mentio particularis fiat. 3. Privilegia regularium, quae etiam specialem mentionem requirunt, quia sunt remunerativa, et videntur clausulam habere derogatoriam futurae revocationis, nisi eorum mentio specialis fiat, ut affirmant Rodriq. Portel. et Miranda apud p. Mazz. 4. Privilegia inserta in *corpore iuris*, quia tunc sunt verae leges, et ut revocentur requiritur clausula specialis, *non obstantibus legibus in contrarium* etc. Suar.[22] Bonac.[23] Castrop.[24] Pont.[25] Mazz.[26] et Salm.[27]. Idem asserunt Bonac. Sanch. Castrop. et Salm. cum Mol. Pell. aliisque quamplurimis

(1) C. 3. n. 3. et 4. (2) Tr. 18. c. 2. n. 5. ad 8. (3) De leg. l. 8. c. 34. n. 17. (4) D. 1. q. 3. p. 8. §. 5. n. 4. (5) Tr. 3. d. 4. p. 18. n. 3. et p. 19. n. 1. (6) C. 2. n. 13. (7) Ibid. p. 18. n. 4.5. (8) N. 3. (9) N. 14. (10) C. 2. n. 18. (11) N. 17. (12) L. 8. c. 19. n. 15. (13) Ibid. p. 21. §. 1. n. 1 (14) C. 2. n. 37. (15) Ibid. n. 2. (16) P. 8. §. 2. n. 5. (17) L. 8. c. 37. n. 7. (18) C. 3. n. 29. (19) L. c. n. 6. et 7. (20) N. 15. (21) Tr. 18. c. 2. n. 30. 85. (22) L. 8. c. 38. n. 2. (23) Tr. 2. d. 3. p. 8. §. 4. n. 11. (24) Tr. 3. d. 4. p. 21. §. 4. a n. 2. (25) L. 8. c. 19. n. 16. (26) T. 1. de priv. q. 2 c. 1. pag. 251 (27) C. 2. n. 39. 40.

(contra Pontium), de privilegiis concessis ab aliquo conc. generali, quae non censentur revocata, nisi per clausulam expressam, *non obstante quacumque constitutione, etiam a concilio generali edita;* ut colligitur ex iure canonico [1] Bonac. [2] Castrop. [3] Sanch. [4] et Salm. [5] cum Pellizz. Boss. etc. contra Pontium [6]. Opponit Pontius ecclesiae praxim, et quamdam declarationem s. Pii v. Sed Castrop. cum Garcia respondet gratis id asseri; tantum inquit Garcia referri quemdam motum proprium s. Pii, in quo dicitur, quod concessiones propria pontificis manu signatae non egent aliqua Tridentini revocatione neque generali neque speciali. Omnes vero praefatae limitationes intelliguntur locum habere si non constet de contraria mente derogantis, quemadmodum omnes praefati dd. communiter affirmant; unde si in lege revocatoria adsit clausula *Ex certa scientia* aut *ex motu proprio*, aut *de potestatis plenitudine*, tunc revocatur omne privilegium quantumcumque qualificatum, exceptis onerosis, aut quando revocatio praeiudicaret iuri a tertio acquisito. Vide Salm. [7].

17. Quod attinet ad revocationem *tacitam*, privilegia ante concessa intelliguntur revocata per quamcumque legem universalem in contrarium, etiam si in ea non adsit clausula revocatoria, quando ipsa lex, vel novum privilegium aliis concessum non posset effectum intentum sortiri, nisi revocatis privilegiis antea concessis; non praesumitur enim legislator velle condere legem inutilem, aut concedere privilegium elusorium, sive generale, sive particulare illud sit. Hoc tamen intelligendum est quando privilegia prius concessa nota sint principi, quemadmodum praesumitur de omnibus privilegiis insertis in *corpore iuris*. Quod e contra non praesumitur de aliis quae existunt *extra ius*, unde horum specialis mentio est facienda. Suar.[8] Pont. [9] Pal.[10] Bon.[11] Salm.[12] cum aliis communiter. Affirmant aliqui, ut Sot. Henr. et Quintanad. quibus adhaerent Salm. [13] quod privilegium remanet in suo vigore, quousque revocatio non intimetur civitati vel religioni. Verum ipsimet Salm. postea [14] se retractant, et merito asserentes cum Laym. Suar. Portell. et Lezana, quod sufficit ad invalidandum privilegium, ut publicetur revocatio, et ut transeant duo menses a publicatione, ita ut pervenire possit notitia ad privilegiatos, quamvis de facto non perveniat.

Actum est usque adhuc de privilegiis in communi; in sequentibus tractatibus agetur de privilegiis in particulari ecclesiasticorum episcoporum et religiosorum.

CAP. II. DE PRIVILEGIIS ECCLESIASTICORUM

18. *Quibus in rebus ecclesiastici sint exempti a potestate laicali.*
19. *De privilegiis canonis, et fori quoad personas.*
20. *Quoad bona.*
21. *Quis gaudeat huiusmodi privilegiis.*
22. *De beneficiatis.*
23. *De tonsuratis.*
24. *De illis qui deposuerunt habitum.*
25. *ad* 28. *De immunitate piorum locorum.*

18. Ecclesiastici iure divino exempti sunt a potestate saeculari quoad materias spirituales vel mere ecclesiasticas, ut sunt ordinationes, electiones praelatorum etc.[15]. Quoad personas vero et loca ecclesiasticorum, quaestio est, utrum sint vel ne exempti iure divino. Multi negant, ut Lessius Caiet. Becan. et Salm.[16]. Multi alii affirmant, ut Suarez et Azor. Laym. etc. et probant ex pluribus textibus [17], et ex Trident. [18]: *Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione et canonicis sanctionibus esse constitutam.* Certum tamen est ecclesiasticos tum iure canonico tum civili non esse subiectos foro laicali. Vide iura ap. Less. [19]. Cae-

(1) Cap. Ex parte. et cap. ult. de capell. mon. (2) N. 13. (3) Ibid. n. 6. (4) De matr. l. 3. d. 26. n. 7. (5) Tr. 18. c. 2. n. 41. (6) N. 19. (7) C. 1. n. 40. et 42. (8) L. 8. c. 30. n. 2. (9) L. 8. c. 19. n. 19. (10) Ibid. n. 10. (11) D. 3. p. 8. §. 4. n. 14. (12) C. 2. n. 43. 44. (13) Tr. 10. de cens. c. 2. n. 80. (14) Tr. 18. de priv. c. 2. n. 43. (15) Ex can. 5. conc. rom. sub Symmaco et lib. 2. decret. tit. 1. c. 2. (16) Tr. 8. de ord. c. 7. n. 6. (17) Praesertim ex c. Quamquam de gentibus in 6. (18) Sess. 25. c. 20. de ref. (19) De iust. l. 2. c. 33. dub. 3.

terum tenentur in conscientia illis legibus civilibus quae non repugnant eorum statui, non vi *coercitiva*, ut dicitur, *sed directiva*, ut uniformentur communitati. Est commune cum Salm.[1].

19. Ecclesiastici ergo gaudent 1. exemptione circa suas personas. Praeter privilegium canonis, cuius vigore incurrunt excommunicationem qui iniuste illos percutiunt, gaudent clerici immunitate, ne puniantur a curia laicali, ut patet ex legibus a Becano relatis[2]. Et quamvis ius civile eos eximat tantum in causis civilibus, et in criminalibus eas recognoscendi sibi ius reservaverit, nullatenus clericos condemnando nisi post degradationem; nihilominus ius canonicum totaliter eas exemit. Vide Salm.[3]. Verum his non obstantibus, in aliquibus casibus potest potestas laicalis ad clericorum carcerationem procedere, ut si e. c. aliquem noctis tempore inveniret deferentem arma prohibita, vel sine veste clericali, vel inveniret *in fragranti* patrantem aliquod delictum; tunc enim potest ad eius carcerationem procedere, ut postea remittat curiae ecclesiasticae; quod si interdiu illum invenerit, potest armis prohibitis spoliare. Potest etiam in quibusdam casibus illum castigare (sed non poena mortis), si ille rebellionem adversus principem moliretur, aut populum ad seditionem excitaret, et a proprio episcopo de hoc non esset punitus. Insuper probabiliter potest supplicio afficere clericos notorie sodomitas; hi enim a Leone x. et s. Pio v. omni clericali privilegio spoliati sunt. Vide Salm.[4]. Caeterum pro quocumque alio crimine clerici nequeunt puniri a curia seculari[5].

20. 2. Gaudent ecclesiastici exemptione a foro laicali quoad propria bona tam ecclesiastica, quam quocumque alio modo acquisita; unde respectu illorum non tenentur solvere ullum vectigal[6]. Vid. Salm.[7]. Clerici vero negotiatores circa bona mere ecclesiastica negotiationi iam destinata, spoliantur omni exemptione[8]. Quoad vero reliqua bona propria, privantur post tertiam monitionem. Salm.[9] cum Less. Mol. etc. Insuper notandum hic est quod in casu urgentis necessitatis, potest princeps extrahere e domibus et vendere frumentum ecclesiasticorum. Salm.[10] cum Diana et Molf.

21. Ii qui gaudent praefatis exemptionibus tam quoad personas, quam quoad bona, sunt primo omnes regulares cum suis novitiis, et tertiariis, et etiam franciscanae tertii ordinis, carmelitanae etc. quae deferunt habitum una cum voto castitatis: quemadmodum declaravit S. C. Insuper equites s. Ioannis, s. Iacobi Alcantarae et Calatravae, ut probant Bon. Filliuc. et Diana. Vid. Salm.[11]. Insuper omnes clerici in *sacris* constituti. De aliis vero in *minoribus*, vel simpliciter tonsuratis, ita loquitur Trid.[12]: *Fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens alicui ecclesiae de mandato episcopi inserviat; vel in seminario clericorum, aut aliqua schola, vel universitate de licentia episcopi quasi in via ad suscipiendos maiores ordines versetur*. Atque hoc privilegio gaudent etiam clerici coniugati, qui deferunt habitum et tonsuram, et ecclesiae inserviunt: verum in iure canonico[13] prohibetur coniugatis tonsura, nisi velint religionem ingredi, vel in *sacris* ordinari praevia uxoris licentia. Vid. *lib.* 6. *num.* 827. *in fin.*

22. Igitur privilegio fori gaudent 1. beneficiati etiamsi nulli ecclesiae inserviant, neque deferant habitum et tonsuram, ut probabiliter infertur ex concilio, ut volunt Salm. cum Filliuc. Diana et Rodriq. adversus Suar. Et etiamsi non percipiant fructus beneficii neque possideant; sufficit enim quod solum titulum habeant: ut aiunt Garcias Filliucius et Diana contra Salm.

(1) Tr. 8. c. 7. n. 16. (2) De sacr. c. 26. q. 9. (3) Tr. 8. c. 7. ex n. 24. (4) A n. 27. ad 29. et a n. 18. ad 20. (5) C. fin. De vita et hon. cleric. et v. in audientia 25. De sent. excomm. (6) C. Quia. et c. Clerici de immunit. eccl. in 6. et l. Sancimus 22. c. de sacr. eccl. (7) Tr. 8. c. 7. n. 35. et 55. (8) C. Quamquam 4. c. de cens. in 6. (9) N. 54 (10) Tr. 8. c. 7. n. 17. (11) C. 7. n. 77. (12) Sess 23. c. 6. (13) C. ult. de temp. ordin, in 6.

Sufficit etiam capellania vel praestimonium, quae censentur tanquam vera beneficia: sed non sufficit pensio. Vide Salm.[1] cum aliis.

23. Gaudent 2. clerici *in minoribus*, et tonsurati, dummodo habitum simul et tonsuram deferant, iuxta id quod affirmat concilium, *clericalem habitum et tonsuram deferens*, et ut probabilius existimant multi dd. cum Castrop. et Barbosa contra Salm., qui interpretantur particulam *et* pro particula *vel*, ita ut sufficere dicant alterutrum. Vid. *lib.* 6. *n.* 927. dummodo ecclesiae similiter inserviant; sed quoad ecclesiae servitium (dummodo spirituale sit, quia temporale non sufficit) satis est ut alicui ecclesiarum serviant, etiamsi haec destinata non sit ab episcopo, ut declaravit S. C. apud Card. Lambertini[2].

24. Ut vero clerici in minoribus constituti foro priventur (nam aliud de canonis privilegio dicendum) non requiritur trina monitio, quia haec requiritur tantum pro beneficiatis, et pro ordinatis in *sacris*[3], vel pro minoristis, qui negotiis saecularibus se addicunt[4] (v. *l.*6. *n.*827.); sed sufficit quod habitum et tonsuram dimiserint, quemadmodum pluries declaravit S. C., et quemadmodum communiter affirmant dd. ap. card. Lambert.[5] et ap. Salm.[6] dummodo per longum tempus dimiserint ut notant Salm. cum Bonac. Suar. Barb. et aliis. Quamvis vero praefati clerici nequeant allegare forum, potest nihilominus episcopus eos a foro saeculari resumere iuxta declarationem S. C. ab hodierno summo pontifice approbatam. Vid. Lamb.[7]. Illi vero clerici qui habitum resumunt, iure gaudent privilegio, dummodo id in fraudem non faciant: quae fraus tunc supponitur, cum aliquis in aliqua causa civili iam citatus fuisset ad forum laicale: aut pro causa criminali iam fuisset in carcerem coniectus; aut vero e carcere sub cautione egressus: ut aiunt Salm.[8] cum Bonac. (adversus Guttierez et Ceballos), et card. Lambertini[9] cum pluribus decretis sacrae congregationis. Magna vero quaestio est utrum potestas laicalis possit cognoscere causas innocentium adversus ecclesiasticos. Quidam theologi absolute affirmant: sed quidam alii magis communiter tantummodo admittunt quando aut nullo modo, aut difficulter potest haberi recursus ad superiores ecclesiasticos maiores. Vid. Salm.[10].

25. Immunitas autem ecclesiastica locorum, quoad asylum delinquentium, competit iure ecclesiastico et civili omnibus ecclesiis, quamvis interdicto subiectis, sive pollutis, et etiam dirutis (nisi omnino praesulis auctoritate fuerint profanatae), earumque capellis, sacristiis, coemeteriis, etiam ab ecclesia separatis, muris, campanilibus, tectis, atriis, atriorum gradibus, cum quadraginta passibus ultra pro ecclesiis cathedralibus, et triginta pro aliis ecclesiis (sed hoc intelligendum de illis quae sint positae extra moenia urbis vel loci), dummodo non intercedat via publica aut aliqua saecularium domus: aliud vero est si domus sit alicuius clerici. Salm.[11]. Gaudent eadem immunitate hospitalia in quibus extat aliqua capella publica, oratoria ab episcopis erecta, palatium episcopale, et domus regularium cum suis dormitoriis, claustris hortis, et porticibus ante ecclesias vel monasteria. Vide Salm.[12].

26. Omnes vero delinquentes, dummodo sint christiani, licet haeretici aut interdicti aut in carcere inclusi, qui ruptis carceribus ad praedicta sacra loca confugerint, hac gaudent immunitate. Et in hoc reprobatur qualibet consuetudo in contrarium[13]. Excipiuntur tamen in bulla Gregorii XIV. latrones publici, depopulatores agrorum, qui committunt homicidium per proditorium vel per assassinium (sed regnans summus pontifex excepit omnia homicidia pro tota ecclesia), vel in ipsa ecclesia vel coemeterio; insuper haere-

(1) Tr. 8. c. 7. n. 62. 63. (2) De synodo l. 7. c. 69. n. 4. (3) Ex c. Contingit de sent. excom. (4) Ex c. Ex litteris de vit. et hon. cleric. (5) De synodo l. 5 c. 12. n. 1. (6) Tr. 8. c. 7. n. 65.

(7) Loc. c. (8) Loc. c. n. 67. (9) De syn. c. 67. n. 1. (10) Tr. 8. c. 7. ex n. 76. (11) Tr. 18. c. 3. ex n. 86. (12) Ibid. a n. 84. ad 88. (13) C. Noverint de sent. excomm. et auth. de sacr. eccl. Ibid. n. 819.

tici et rebelles contra eamdem personam principis. Vide Salm.[1] cum Suar. Castrop. Pelliz. Guttier. etc. Et in casibus clare exceptis potest iudex saecularis ex se extrahere ab ecclesia delinquentes iuxta communem praxim. In dubio autem iudicium exceptionis spectat ad episcopum; ita Salm. et alii. Vide Salmant.[2]. Praeter delinquentes exceptos, omnes alii gaudent immunitate, quemadmodum gaudent debitores ad ecclesiam confugientes. Salm.[3].

27. Quaestio est utrum clerici et religiosi gaudeant eadem immunitate respectu suorum praesulum: affirmant multi, ut Barbosa Bordonus Guttierez, quibus suffragatur quaedam declaratio sacr. congreg.; atque haec sententia est probabilissima, ut aiunt Salmanticenses. Nihilominus ipsi cum sententia communissima Suarez Castropalai Layman Bonacinae Sylvestri aliorumque, negant tam vigore bullae Gregorii XIV. quae respectu praefatae immunitatis loquitur tantummodo de laicis, *Ut laicis ad ecclesiam confugientibus*, etc.; quam vigore communis et iam receptae consuetudinis; alias enim religiosi semper in monasterio commorantes difficulter possent puniri. Sicuti vero possunt superiores ecclesiastici (episcopi et eorumdem vicarii) extrahere proprios subditos ab ecclesia, ita quoque, si opus sit, possunt eamdem extrahendi licentiam curiae saeculari concedere. Salmanticens.[4]. Episcopus vero nequit extrahere suos clericos ab ecclesiis regularium, non ratione immunitatis, sed quia illa sunt loca a sua iurisdictione exempta[5].

28. Extrahentes vero, aut illi qui tentaverint extractionem, incurrunt excommunicationem *ipso facto*, a qua nequeunt absolvi nisi a pontifice. Quidam dd. opinati sunt huiusmodi excommunicationem posse absolvi etiam ab episcopo; ita Salmanticenses[6] cum Bonacina Castropal. et aliis. Id tamen negandum cum Fagn.[7] Farinac. et aliis: nam Gregorius XIV. declaravit quod violatores immunitatis incurrunt censuras omnes et poenas prius impositas a canonibus, conciliis et aliis pontificibus iis qui violant libertatem, his verbis: *Declaramus eum ipso facto censuras et poenas ecclesiasticas incurrere, quae contra libertatis, iuris, et immunitatis ecclesiasticae violatores per sacros canones et conciliorum generalium, nostrorumque praedecessorum constitutiones sunt promulgatae*. Contra vero habetur ex Paulo II.[8], quod olim adversus violatores ecclesiasticae libertatis excommunicatio papalis iam inflicta fuerat. Nec obstat dicere, prius pontifici reservatam esse tantum violationem libertatis quae personas respicit, non autem violationem immunitatis quae respicit loca; et quod tametsi a Gregorio lata fuerit excommunicatio contra violatores immunitatis, minime tamen fuit illa papae reservata; reservatio autem excommunicationis, nisi exprimatur, facta non censetur. Respondetur enim quod Gregorius, cum violationi immunitatis eamdem imposuerit censuram quae prius imposita erat violationi libertatis, si reservata erat censura quoad laesionem libertatis, est etiam reservata quoad laesionem immunitatis.

Tanto magis quod Clemens VIII. duobus decretis ab ipso emissis super casus papae et episcopis reservatos, in primo decreto prohibuit omnibus confessariis absolvere a quocumque casu reservato pontifici; in altero autem inter casus papales quos ibi enumerat, docet adesse violationem immunitatis iuxta bullam Gregorii XIV.; caeterum satis erat quod laesio immunitatis vocaretur casus papalis, ut ab episcopis nequiret absolvi. Hoc tandem Fagnanus[9] refert sic decisum fuisse a sacr. congr. concilii. Deinceps advertendum hic est quod religiosi qui expellerent a suis ecclesiis aut monasteriis aliquem delinquentem ad evitandum aliquod

(1) Tr. 18. c. 5. n. 91. (2) Ex n. 96. (3) N. 95.
(4) Tr. 18. c. 3. n. 120. (5) Ibid. n. 125.
(6) C. 3. de priv. tr. 18. n. 116. 117.
(7) In c. Cum pro causa, de sentent. excomm.
(8) Extrav. 3. Inter communes, de poenit. et rem.
(9) Num. 36.

incommodum seu periculum, hi non violant immunitatem et rite id facere possunt. Salm. [1].

29. I. Episcopi vigore Tridentini *sess.* 24. *c.* 6. *Liceat*, sequentes habent facultates: *Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; et in quibuscumque casibus occultis, etiam sedi apostolicae reservatis, delinquentes sibi subditos in dioecesi sua per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum vicariis sit permissum.* Quare episcopi vigore dicti *cap. Liceat*, dispensare possunt in omnibus irregularitatibus et suspensionibus papalibus incursis ob delictum occultum, excepto homicidio voluntario, aliisque deductis ad forum contentiosum. Diximus ob *delictum occultum;* unde bene aiunt Bonacina Castropal. Salmant. etc. quod non potest episcopus vigore praedictae facultatis dispensare in aliqua irregularitate occulta *ex defectu* (vide *lib.* 7. *n.* 469.), nisi esset dubia, ut probabiliter tenent cum Gibert aliisque [2] Fagnanus [3] Tournely et alii [4]. Sed insuper absolvere possunt proprios subditos vel per se vel per alium sacerdotem ad id specialiter deputatum a casibus papalibus occultis; quin immo iuxta concilium poterant antea etiam ab haeresi absolvere (per se, non per alios); sed vide dicenda *n.* 38.

30. Quoad hanc concilii facultatem plura notatu digna consideranda sunt. Notandum 1. quod in iis locis in quibus Tridentin. non est receptum, nequeunt episcopi uti praefata facultate *cap. Li-*

(1) N. 118. (2) Ex c. Nuper de sent. excom.

(3) In c. Veniens de fil. presb. n. 7. 8.

(4) T. 2. pag. 116.

ceat, ut notant communiter dd. Suar.[1] Sanch.[2] Salm.[3] Pal.[4] cum Barb. et Garc. et merito: facultas enim concilii non recipitur ab episcopis, nisi per acceptationem illius: et valde incongruum esset ut concilii gauderet privilegiis, qui onera subire recusaret.

31. Notandum 2. sub nomine episcoporum communi sententia venire etiam vicarios capitulares *sede vacante;* non vero vicarios episcoporum ex generali eorum commissione vicariatus; nam vicarius bene potest quod potest episcopus potestate ordinaria propria (ut dicetur *n.* 47.); non vero id quod potest episcopus potestate delegata, quamvis ordinaria, utpote adnexa officio (ut dicetur *n.* 34. *et* 47.). Praeterquamquod hac in facultate requirit concilium expresse delegationem specialem. Vid. Sanch.[5]. Utrum veniant abbates et alii qui iurisdictionem episcopalem habeant. Negant Coninchius Barb. et alii cum p. Suar. qui affert etiam quamdam declarationem S. C. Affirmant vero communius Fagnanus Sanchez Castr. Sairus Avila Salm. La-Croix etc. dicentes quod quando concessio facta est *in iure*, habet rationem legis quae extenditur ad omnes casus in quibus currit eadem ratio: alias, aiunt, talium praelatorum subditi ad quem recurrerent non haberent: vide *lib.* 6. *n.* 593 *vers. Eamdem*, *et l.* 7. *n.* 79.

32. Notandum 3. nomine *subditorum* venire etiam peregrinos qui ab episcopo loci absolvi possunt ab omnibus casibus papalibus occultis, ut docent Suar. Sanchez Bonac. Navarrus Barb. Trullenchius Bossius aliique; quia etsi Tridentinum concedat episcopis absolvere tantummodo *delinquentes sibi subditos*, nihilominus, aiunt praefati aa., quod exteri subiiciendo se foro sacramentali iam fiunt illorum subditi; et p. Suarez affert etiam quamdam declarationem S. C., in qua dicitur peregrinus posse quidem absolvi a praefatis casibus occultis ab episcopo loci, non vero a suo proprio, quia absolutio sacramentalis de qua loquitur concilium requirit praesentiam. Vid. *l.* 6. *n.* 593. Et ideo in eadem declaratione dictum fuit quod episcopi extra sacramentum nequeant a casibus iam dictis absolvere, contra id quod asserunt Salmanticenses cum Bonacina aliisque; immo Fagnanus tradit[6] hoc idem declaratum etiam fuisse a Gregorio XIII. Hoc currit quoad absolutionem casuum: quoad vero dispensationem ab irregularitatibus et suspensionibus propter delictum occultum, idem Gregorius XIII. declaravit, non posse illam concedi ab episcopis loci, nec etiam iis qui ibidem officium praetoris, vel medici exercendo commorarentur, ut refert Fagnanus[7]. Utrum vero proprius episcopus valeat dispensare in irregularitate cum *subdito* absente in aliena dioecesi, negant Avila aliique; sed communius et probabilius affirmant Bonac. Tournely Suarez Barbosa Sanchez Salm. etc. quia dispensatio potest etiam absentibus dari, et iurisdictio voluntaria potest etiam extra proprium territorium exerceri. Neque obstant verba illa, *in dioecesi sua*, praefati *c. Liceat*, quoniam aiunt Salm. et Tourn., illa sufficienter verificari, quando episcopus dispensat a sua dioecesi. Immo valde probabiliter dicunt Suar. Sanch. La-Croix et Holzman cum Castrop. et Pignatello, praefata verba non referri ad primam partem dispensationis irregularitatis, sed tantummodo ad secundam (in qua sunt posita) de absolutione casuum: unde concludunt posse episcopum dispensare, etiamsi ipse et subditus maneant extra propriam dioecesim. Vid. *l.* 7. *n.* 81.

33. Notandum 4. nomine *delicti occulti* non intelligendum illud quod potest in iudicio probari per duos testes, ut quidam volunt, ratione cuiusdam declarationis S. C. apud Fagnanum, in qua dicitur quod tutus sit in conscientia qui tali casu absolutus vel dispensatus sit; sed ut vult communior sententia,

(1) De cens. d. 41. n. 6. (2) Dec. l. 2. c. 11. n. 2. (3) De poenit. t. 13. n. 3 dum alter
(4) Tr. 4. disp. 4. p. 3. §. 1. n. 2.
(5) De matr. l. 2. d. 40. n. 16.
(6) In c. Dilectus de temp. ord. n. 36. (7) Loc. c.

nomine *delicti occulti* intelligendum quodcumque delictum quod aliquo modo possit celari; etiamsi in iudicio probari possit. Unde dicunt Azorius Sanchez Tournely Bonacina Castrop. Salmant. aliique, tunc delictum non censeri occultum, quando innotuit maiori parti oppidi vel viciniae vel collegii, dummodo ibi decem saltem commorentur personae. Vid. *lib.* 6. *n.* 593. *v. Hic autem.* Et card. Lambertinus [1] cum Tiburtio Navarro Siro etc. (loquendo de impedimentis occultis matrimonii, ubi currit eadem regula) asserit haberi pro occulto impedimentum illud quod innotuit septem vel octo in aliqua civitate, et sex in aliquo oppido. Et idem Fagnanus [2] testatur s. poenitentiariam habere pro impedimento occulto illud quod quatuor aut quinque tantum personis sit notum. Immo mihi constat s. poenitentiariam dispensasse in quodam impedimento, quod decem circa personis innotuerit. Vid. *lib.* 6. *n.* 1111. Praeterquamquod idem Fagnanus affirmat tunc delictum vel impedimentum non censeri occultum quamvis duobus testibus notum, quando in concessione absolvendi aut dispensandi extat clausula, *dummodo sit omnino occultum.*

34. Dubitatur hic 1. utrum episcopus possit generaliter delegare aliis sacerdotibus hanc Tridentini facultatem. Quoad dispensationem irregularitatum, sufficit (ut dicunt Suar. Barbosa Sanchez aliique) quod episcopus simpliciter aliis suam facultatem committat sine ulla speciali deputatione; quoniam praefata dispensandi facultas vigore concilii competit hodie episcopis de potestate ordinaria, cum ea adnexa sit officio episcopi, non vero industriae personae. Quantum autem ad absolutionem casuum, quidam affirmant requiri specialem deputationem pro quocumque casu particulari, attentis verbis Tridentini, *per se aut vicarium ad id specialiter deputandum.* Verum hoc non obstante, communissima sententia est et probabilior cum Suarez Sanch. Barbosa Navarro Laym. La-Croix Salmant. etc. posse episcopum etiam generaliter delegare alicui sacerdoti hanc facultatem *cap. Liceat*, dummodo expresse illam specificet; quoniam specificando iam habetur pro facta specialis deputatio, quae recte quidem poterit inde generalis esse pro cunctis casibus occurrentibus: nam, ut diximus, haec facultas hodie competit episcopis *de iure ordinario*, utpote adnexa dignitati episcopali. Vide *lib.* 6. *n.* 594. *dub.* 9.

35. Dubitatur 2. utrum episcopus absolvere possit aut delegare, vigore *c. Liceat*, facultatem absolvendi etiam a casibus reservatis cum censuris ab aliis episcopis, quando sunt occulti. Bonacina et alii affirmant ob particulam *etiam* quae in eodem capite legitur: *In quibuscumque casibus occultis* ETIAM *sedi apostolicae reservatis.* Unde aiunt, ne particula *etiam* inutiliter videatur apposita, intelligendum esse concessam episcopis facultatem absolvendi etiam censuras occultas ab aliis episcopis sibi reservatas; ita Bonacina [3]: qui addit hoc videri receptum consuetudine, quae conferre solet iurisdictionem. Item addit hoc intelligendum, *modo illa censura lata sit per statutum, vel sententiam generalem;* nam si lata sit per sententiam particularem, existimat absolutionem impendendam esse a praelato qui eam tulit, vel eius superiore vel successore. Ratio, quia eo casu, cum censura lata sit per sententiam particularem, crimen non est amplius occultum, sed publicum; citatque Suarez [4] Avilam Coninch. et alios. Idem tenet Barbosa [5] qui inter subditos numerat etiam advenas et peregrinos et etiam vagabundos, quia isti subduntur episcopo loci ratione fori sacramenti poenitentiae; citatque Suar. Sanchez Navarr. Bossium Trullench. etc. Idem tradit Barbosa cum aliis [6]. Et referunt decisum Nicol. Garcia [7] et Stephanus

(1) Notif. 87. n. 45. in fin. (2) In c. Vestra, de cohab. cler. etc. n. 118. (3) De cens. disp. q. 5. punct. 3. Quaeres quinto etc. (4) T. 5. disp. 7. sect. 2. n. 27. (5) Collect. dd. in conc. trid. sess. 24. de reform. c. 6. n. 43. v. Quoscumque subditos. (6) De potest. episcop. alleg. 39. n. 27. (7) De benef. p. 11. 2. c. 10. n. 139. in 3. decl. armentar. l. 7. de irregul. n. 18.

Dalvin. [1]. Id tamen videtur intelligendum iuxta limitationem Clementis x. qui [2] ait, *posse regularem confessarium in dioecesi in qua est approbatus*, *confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa tantum reservatis absolvere; nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse*. Quomodo autem intelligi debeat illud *in fraudem*, vide dicenda *lib*. 6. *n*. 589. *vers*. *Quomodo etc.*, ubi probabilius censemus cum Roncaglia et aliis, illud *in fraudem* intelligendum esse, cum quis alienam petit dioecesim ob principalem finem obtinendi absolutionem, vitandique iudicium proprii pastoris. E contra auctor theologiae moralis in usum seminarii Petrocorensis [3] scribit: *Receptissima consuetudo est*, *ut viatores*, *mercatores*, *aliique*, *qui propter negotiorum necessitatem*, *vel ob pium alium finem in alienas dioeceses transeunt*, *ibi possint sacramentaliter absolvi*.

36. Dubitatur 3. utrum facultas Tridentini intelligatur concessa episcopis etiam pro casibus et irregularitatibus post concilium reservatis. Garcia et Floronus apud Dianam negant, et inferunt ex quadam declaratione Gregorii XIII., in qua cum dubitatum fuisset utrum episcopus posset absolvere monialem frangentem clausuram ab excommunicatione (quando est occulta) a s. Pio v. reservata, pontifex declaravit non posse. Attamen sententia communissima cum Sanchez Bonac. Suar. Bosio Diana Vega aliisque iure affirmat; *in cap*. enim *Liceat* conceditur facultas indefinite: et secundum axioma generale; *ubi lex non distinguit*, *nec nos distinguere debemus*. Neque obstat laudata declaratio, quia in bulla s. Pii extabat clausula, *a qua*, *praeterquam a romano pontifice*, *nisi in mortis articulo absolvi nequeat*. Unde prorsus non dubitamus cum Diana, quod per illas bullas, in quibus extat aliqua clausula derogatoria, ut est illa *nisi in mortis articulo*, intelligitur ablata episcopis facultas. Vide *l*. 6. *n*. 594. [4].

37. Dubitatur 4. utrum episcopus vigore *cap*. *Liceat* possit absolvere ab excommunicatione papali, quam per bullam Benedicti XIV. *Sacramentum*, incurrunt confessarii absolventes suos complices in peccato turpi. Ex parte una videtur quod non possit, quia cum casus iste per se sit occultus, si episcopi possent ab illo absolvere, evaderet inutilis pontificis reservatio; et iam diximus *n*. 17. quod intelligitur tacite revocatum omne privilegium, quando aliter lex emanata post privilegii concessionem non posset suum effectum sortiri. Ex alia posset quis respondere, quod salva episcopis iam dicta facultate, memorata reservatio non remaneret prorsus inutilis, tum quia evenire potest quod casus aliquando publicus fiat; tum quia reservatio ista saltem Romae suum semper sortietur effectum, et in omnibus aliis locis, in quibus Tridentinum non est receptum, et in quibus (ut diximus *n*. 30.) nequeunt episcopi hoc privilegio gaudere.

38. Dubitatur 5. utrum episcopis vigore bullae *Coenae* ablata fuerit praefata Tridentini facultas respectu haeresis occultae, et respectu aliorum casuum per ipsam reservatorum. Negant Navar. Coninch. aliique, a quibus non dissentiunt Milante Conc. et Salm., dicentes quod in bulla non fuerit expresse revocata concessio Trid., quemadmodum oportebat [5]. Sed nos cum sententia communiori affirmamus, et ob plures S. C. declarationes, tam vigore clausulae derogatoriae, *Nisi in mortis articulo*, quae in bulla iam legitur, ut diximus *n*. 36. quam vigore alterius clausulae, qua prohibetur ab illis absolvere, *praetextu quorumvis indultorum per nos*, *ac cuiusvis concilii decreta concessorum*. Hac de re plures a Fagnano et card. Lambertino [6] afferuntur declarationes etiam s. Pii v. et Gregorii XIII. Insuper ab Alexandro VII. damnata fuit

(1) De pot. episc. c. 26. in fin. (2) Bulla Superna, ed. 21. iun. 1670. (3) Relat. a Bened. XIV. in op. de synod. dioeces. l. 5. c. 5. n. 8.

(4) Hanc tamen sententiam in dubium aliquomodo revocat in *Hom. Ap*. tr. 20. n. 36. (5) Ex c Nonnulli de rescr. (6) De synod. l. 7. c. 32.

propositio 3. quae dicebat quod prior sententia a S. C. fuerat *visa et tolerata.* Quae damnatio, ut recte dicunt Viva Holzman Elbel, praelaudatus cardinalis Lambertinus [1] certe reddidit improbabilem contrariorum sententiam; nam cum pontifex declaraverit nunquam illam fuisse toleratam, implicite quoque declaravit non esse tolerandam: unde Lambertinus concludit, quod non sine temeritatis nota quis ea hodie uti possit.

39. Advertendum tamen hic est, quod licet episcopus in foro interno nequeat ab haeresi occulta absolvere, potest nihilominus tanquam delegatus apostolicus dispensare in irregularitate incursa ob dictam haeresim occultam, ut dicunt Salmanticenses et Felix Potestas. Vide *l.* 7. *n.* 76. Insuper bene potest episcopus ut delegatus apostolicus absolvere haereticum etiam notorium quoad forum externum, facta prius abiuratione coram notario et testibus: et postquam absolutus fuerit ab episcopo delinquens, tunc poterit ipse absolvi a peccato haeresis a quolibet confessario; ita affirmant communiter dd. Roncagl. [2] cum Farinac. ex Castrop. [3] cum Sanch. Nav. Bannez Guttier. Comit. Vivald. etc. [4].

40. Dubitatur 6. utrum episcopus absolvere possit ab haeresi, et ab aliis casibus bullae *Coenae*, impeditos ire Romam. Alii absolute negant; alii negant tantum in haeresi. Sed nos affirmamus communiter posse cum communi sententia theologorum et canonistarum, quam tenent Lugo Layman. Conc. Roncag. Castrop. Milante Salm. Coninchius Avila Potestas Viva Pellizzarius, etc., quia stante impedimento, restituitur episcopis potestas ordinaria, quam prius habebat super dictis casibus vigore *cc.* 13., 29. *et* 58. *de sent. exc.*, ubi quamvis sermo habeatur tantum de censura ex percussione clerici, tamen communiter dd. extendunt ad omnes alias censuras; et specialiter ex *c. Eos qui* 22. *eod tit.*, ubi generaliter sermo habetur de omni censura *canonis*, vel *hominis*, et dicitur, cum ad illum, a quo fuerant absolvendi, nequeunt, propter impedimentum, habere recursum, ab alio absolvantur. V. *l.* 7. *n.* 85.

41. I. Et notandum hic 1. quod in tali casu impedimenti episcopus non solum absolvere potest haeresim per se ipsum, sed etiam per alios generaliter delegatos. Nec obstat Trident., in quo dicitur, *eis tantum, non vicariis sit permissum*, quia tunc episcopus non absolvit in virtute concilii, sed iuris communis, iuxta quod ex potestate ordinaria conceditur episcopis absolvere et delegare, ut in aliis casibus. Vid. *l.* 7. *n.* 90.

42. Notetur 2. quod respectu eorum qui sunt impediti veniunt senes, mulieres, infirmi, impuberes, pauperes, et illi qui aliquam habent inimicitiam, et omnes alii *qui habent alias iustas excusationes, quibus ab itinere rationabiliter excusentur* [5]. In hoc autem advertatur, quod si impedimentum sit temporale, et est notabile (durante exempli causa sex vel septem mensibus), tunc impediti possunt bene absolvi, sed ipsi, exceptis mulieribus et pueris, debent iuramentum praestare se praesentandi, cessante impedimento, sedi apostolicae, saltem per procuratorem, ut ab illa directe absolvantur; et non se praesentantes reincident in eamdem censuram [6]. Et hoc currit, etiamsi emendati sint, et partibus offensis satisfecerint. Vid. *lib.* 7. *a n.* 85. *ad* 87.

43. Si vero impedimentum sit perpetuum (idest duraturum sit per decem annos, vel saltem quinque, ut dicunt Roncaglia Viva et Tamb.) absoluti remanent penitus liberi ab obligatione se praesentandi. Sed generaliter loquendo impediti in perpetuum dicuntur: 1. filiifamilias: 2. religiosi, etiamsi incurrerint censuram ante ingressum: 3. senes septuagenarii: 4. servi: 5. pauperes: 6. damnati in vita ad triremes, vel carceres: 7. infirmi morbo gravi et diuturno, ut quartana, et

(1) De syn. l. 7. c. 32. (2) Tr. 4. q. 1. c. 6. q. 4. p. 81.
(3) De fide tr. 4. d. 4. p. 3. §. 2. n. 1. 2.
(4) Ex bulla Cum sicut Clem. vii. ed. an. 1530.

(5) Ex c. De caetero, de sentent. excomm. et ex c. Ea noscitur; et Quamvis eod. tit.
(6) Ex c. Eos qui, de sent. excomm. in 6.

simili: 8. qui alere tenentur vel ministrare bona familiae: 9. omnes mulieres, etiamsi non moniales (excepta excommunicatione quae incurritur a monialibus ob fractionem clausurae, quamvis occultam, quae semper reservatur papae ex declaratione Gregorii XIII., ut diximus *n*. 36.): 10. impuberes, etiamsi peterent absolvi post pubertatem: 11. qui convivunt in loco aliquo, unde egredi nequeant, ut milites, seminaristae. Et tandem caeteri omnes qui nequeunt Romam ire sine gravi damno vel spirituali vel temporali. Vid. *lib*. 7. *n*. 87. 88.

44. Notandum 3. quod taliter impediti secundum probabiliorem, communemque sententiam Castropal. Avilae Coninchii Milantis Roncagliae Salmant. Vivae Sporer Dicast. aliorumque (contra Bonac. et Potest.) non tenentur recurrere Romam per procuratorem aut per epistolam; quia stante impedimento (ut diximus *n*. 40.), restituitur episcopis potestas ordinaria absolvendi, quae ipsis per pontificiam reservationem fuerat ablata. Eo magis quia lex ad aliud non obligat, nisi ad recursum personalem; unde qui personaliter Romam ire impeditur, solvitur omni alia obligatione, *n*. 89.

45. Notandum 4. quod quando poenitens nequit se pontifici praesentare, tenetur necessario ad episcopum habere recursum, ut absolvatur a censura papali [1]. Quando vero nec etiam se potest episcopo praesentare (etiam extra mortis periculum), est valde probabile cum Soto Nav. Suar. Castr. Laym. Ronc. Salm. La-Croix etc. quod absolvi possit a quocumque simplici confessario (cum obligatione tamen se praesentandi episcopo, cessante impedimento) [2]. Vid. *l*. 7. *n*. 92. Et tunc dicimus, quod poenitens probabiliter, per se loquendo, ut dicunt Castrop. Gerson Sotus s. Antoninus Lugo Salas etc. non tenetur confiteri peccata reservata, nisi quando in illis est recidivus, aut ratione illorum extet in occasione proxima, adeo ut necesse sit illa manifestare, ut confessarius recte iudicare valeat de sua dispositione; vid. *l*. 6. *n*. 265. *quaest*. 2. Et quando poenitens est in mortis articulo probabiliter etiam praesente episcopo absolvi potest a casibus papalibus a quocumque confessario; in morte enim (ut diximus) cessat quaecumque reservatio. Dicimus a *casibus papalibus*, sed non a casibus reservatis cum censura ab eodem episcopo; quoniam confessarius etiam moribundo iniungere debet quod se praesentet suo superiori, casu quo convalescat, ut accipiat ab eodem tam convenientem admonitionem, quam poenitentiam ob censuras reservatas, quamvis absolutas, iuxta communem sententiam: unde quomodo possit inde absolvere superiore praesente, vid. *l*. 7. *n*. 92. Sed transeamus ad reliqua privilegia et facultates quibus gaudent episcopi.

46. II. Extant in iure quaedam excommunicationes, quarum absolutio tantummodo episcopis est reservata; et sunt 1. contra percutientes clericum vel monachum vel aliam personam habentem privilegium canonis. 2. Contra procurantes abortum foetus animati. 3. Contra eos qui absolvuntur in mortis articulo a censura episcopis reservata, et postea recuperata sanitate non curant se eidem praesentare. 4. Contra fratres minores admittentes in suis ecclesiis ad divina officia fratres tertii ordinis. 5. Contra communicantes in eodem delicto cum excommunicatis ab episcopo. 6. Reservantur tandem omnes excommunicationes quas episcopus sibi reservat. Vid. *lib*. 7. *num*. 213. Adnotanda autem hic sunt quaedam specialia circa absolutionem excommunicationis ob percussionem clerici. Ante omnia distinguenda est percussio levis a gravi (seu mediocri) et ab enormi. Ad incurrendam excommunicationem semper requiritur peccatum mortale. Percussio *levis* [3] est quando intercedit simplex percussio quae fit manu, pede, baculo et his similibus. *Gravis* quando

(1) Ex c. De caetero 1. et c. Ea noscitur, de sent. excomm. (2) Ex c. Nuper. eod. tit.

(3) Ex Extravag. Perieetis, quam refert Navarrus manual. c. 27. n. 91.

eruitur dens, quantitas notabilis capillorum, aut quando intervenit aliqua percussio relinquens maculam aut contusionem in carne, aut quando adest effusio sanguinis pugnis vel ungulis causata. *Enormis* vero est quando mutilatur aliquod membrum, aut fit aliquod magnum vulnus; aut vulnus fiat instrumento aliquo, aut adsit magna effusio sanguinis, aut quando irrogatur magna quaedam iniuria. Unde saepe vulnus ex levi potest evadere grave aut enorme, ratione aut dignitatis personae offensae, aut scandali, ut si religiosus clericum percuteret: aut ratione loci sacri aut publici: aut ratione temporis, ut si e. c. dum fiunt sacrae aliquae functiones; aut tandem si iniuria ipsa per se sit enormis. Vid. *lib.* 7. *a num.* 277. *ad* 279.

47. His positis [1] si excommunicatio incurritur ob percussionem levem, potest absolvi ab episcopo, immo etiam a suo vicario: haec enim facultas competit episcopo de iure ordinario, ut dicunt Sanchez Bonac. Molina aliique; et iuxta regulam generalem (ut diximus *n.* 31.) quicquid potest episcopus ex iurisdictione ordinaria, non vero delegata, idem potest vicarius qui cum episcopo constituit unum idemque tribunal, ut probant Fagnanus Sanchez aliique. Vide *lib.* 7. *num.* 224. Eadem excommunicatio probabiliter absolvi potest etiam ab iis qui habent iurisdictionem quasi episcopalem, quique veniunt sub nomine episcopi, ut diximus *n.* 31. Quod si percussio fuerit *publica*, excommunicatio tantum a pontifice aut a suo legato potest absolvi (potest etiam haberi recursus ad s. poenitentiariam), sed non ab episcopo; excipe si fuerit occulta, aut si percutientes essent impuberes, aut mulieres [2], aut si impedirentur Romam ire, iuxta ea quae diximus *n.* 40. Collegialiter conviventes possunt absolvi ab episcopo, si percussio fuerit gravis, non vero si fuerit enormis [3]. Vide *lib.* 7. *n.* 279.

48. Notandum hic 1. quod in dubio utrum percussio fuerit levis an gravis iudicatur gravis ex illo textu [4]: *Potius in dubio esse percussionem gravem, et ab ea non posse absolvere.* Notandum 2. quod iuxta sententiam communiorem et probabiliorem, si aliquis det venenum clerico, tunc incurrit censuram, quando venenum coepit nocere, quia tunc adest iam violentia; e contra, priusquam noceat, non adest violentia effectiva, sed solum actio apta ad causandam violentiam: ita Bonac. Viva Diana etc. Vide *l.* 7. *n.* 280.

49. III. Quoad irregularitates non occultas, episcopus [5] potest dispensare cum illegitimis tantum ad recipiendos ordines minores et beneficia simplicia et canonicatus in collegiatis, ut etiam portiones non integras in ecclesiis cathedralibus, aut alia beneficia, quibus sacer ordo non est adnexus; sed non ad beneficia curata [6]. In hoc conveniunt omnes. Dubitatur autem 1. utrum episcopus possit dispensare ad canonicatum in ecclesiis cathedralibus. Et quidem cum probabiliori sententia, et communiori Bossii Castropal. Barbosae Conc. Salm. etc. (contra Pontas et Tourn. cum Gibert) dicimus non posse; quamvis enim canonicatus in se sit simplex beneficium, tamen vigore Tridentini [7] est adnexus ordini sacro; unde hodie de sua natura ordinem sacrum requirit. Vid. *lib.* 7. *num.* 428. 429. Dubitatur 2. utrum episcopus possit generaliter dispensare in huiusmodi irregularitatibus cum illegitimis occultis. Admittunt Diana Avila Barb. etc. dicentes Tridentinum iam permittere episcopis posse dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus. Sed nos negamus cum Suar. Laym. Bonac. Castrop. Tourn. aliisque: quin et ipse Diana quoad hoc se retractavit, ex eo quia huiusmodi irregularitas non oritur ex delicto, sed ex defectu; et etiamsi oriretur ex delicto, *cap. Liceat* intelligitur de delicto proprio,

(1) Ex Extravag. Perlectis cit.
(2) Ex c. Pueri, et c. Mulieres, de sent. excomm.
(3) Ex c. Quoniam, de vita et hon. cleric.
(4) In cit. Extravag. Perlectis.
(5) Ex c. 1. et c. 2. de filiis presbyt.
(6) Ex c. Is qui, eod. tit.
(7) Sess. 24. c. 12.

non alieno. Vide *lib.* 7. *num.* 430. Dubitatur 3. utrum episcopus valeat dispensare cum illegitimo occulto, saltem ad ministrandum in ordinibus maioribus iam susceptis. Affirmant Laym. Castrop. et Diana, non solum si ille susceperit ordines bona fide sed etiam mala fide, et inferunt ex iure canonico [1] ubi dicitur posse episcopum dispensare cum illegitimo occulto qui culpabiliter est ordinatus. Verum omnino negandum est cum Suarez Fill. Salm. etc. ex rationibus supra allatis, quod episcopus nequeat dispensare circa ordines maiores. Neque obstat citatus textus, quia illud posse dispensare intelligitur omnino de papa; ibi enim sermo est de quodam episcopo hoc modo perperam ordinato. *Ibid. num.* 431.

50. Asserunt Nav. Sanch. Conc. aliique cum d. Thoma posse episcopum dispensare etiam cum bigamo ad suscipiendos ordines minores et beneficia simplicia. Sed nos negamus cum Suarez Laym. Castrop. Tourn. Barbosa Bonac. etc. vigore cuiusdam declarationis Sixti v., in qua pontifex declaravit suspensum quemdam episcopum, ex eo quia contulerat beneficium cuidam bigamo, addiditque ordinatum incurrisse poenas, utpote perperam promotum [2]. Si vero bigamia sit similitudinaria, quamvis ea sit publica, communissima est sententia cum Toleto Suar. Castrop. Sanch. Salm. Tourn. aliisque compluribus, posse episcopum dispensare etiam quoad susceptionem maiorum ordinum [3]. Excipiendum vero communiter si clericus habuerit in uxorem viduam aliquam, aut aliam non virginem, aut si habuerit aliam uxorem ante ordinationem. Vid. *lib.* 7. *num.* 452.

51. IV. Ut diximus ab initio, potest episcopus dispensare in irregularitatibus incursis ob delictum occultum, excepto homicidio voluntario. Circa hoc aiunt quidam doctores, quod his non obstantibus, si homicidium esset taliter occultum, ut nullo modo in iudicio probari posset, tunc posse episcopum dispensare. Verum haec sententia iure fuit a Salmant. reprobata, a Roncaglia etc., quia ex parte una episcopi nihil possunt super irregularitatibus, praeter id quod ipsis a Tridentino concessum est in eodem *cap. Liceat*, in quo expresse excipitur homicidium voluntarium occultum. Quod vero nomine *occulti* intelligatur, ut volunt contrarii, id quod in iudicio probari potest, licet non adhuc probatum sit, id gratis omnino asseritur. Vide *lib.* 7. *num.* 392. Atque ita declaravit S. C. concilii die 21. maii 1718. In ea enim cum propositum esset, utrum episcopus posset dispensare in quodam homicidio perpetrato a quodam puero, qui ludens cum alio puero istum parvo gladiolo vulneraverat, et qui post quadraginta dies ex eodem vulnere mortuus est; ea scilicet ratione quia delictum istud per decem et octo annorum spatium fuerat occultum; et quia erat moraliter impossibile ut ad forum deduceretur, S. C. respondit *negative* [4]. Caeterum communis sententia est, posse episcopum dispensare, quando immineret periculum animae, aut alia causa gravissima, et difficile esset ad pontificem habere recursum. *Ibidem num.* 391. Insuper communiter asserunt Suar. Castropal. Bonac. Salm. aliique, posse episcopum dispensare in irregularitate per mutilationem occultam: *num.* 381. Insuper est sententia communissima cum Nav. Laym. Sylv. Barb. etc. posse episcopum dispensare in irregularitate ob homicidium casuale non modo occultum, sed etiam notorium, ad suscipiendos ordines minores et beneficia simplicia; hoc enim antiquitus iam poterant episcopi, ut plures dd. testantur; et Tridentinum excepit tantummodo homicidium voluntarium, non casuale quamvis publicum. Vide *lib.* 7 *num.* 393.

52. Homicidium vero casuale v. gr. est, si aliquis volens simpliciter percutere, ob negligentiam occidat: aut

(1) C. Nisi, §. Personae, de renunc.
(2) Ap. Fagn. in c. Quoniam, de constit. n. 32.
(3) Ex c. 4. de cler. coni. et c. 1. qui cler. vel mon.
(4) In thesaur. declar. S. C. pag. 85.

si chirurgus ob negligentiam sit causa mortis, et his similia. Dubitatur inde utrum reputetur casuale homicidium commissum in rixa. Multi affirmant, ut Diana et Salm. cum aliis: sed nos negamus cum sententia communiori Suar. Nav. Conc. Tamb. Sporer, aliorumque cum eodem Diana qui se retractat: nam qui in rixa perpetrat homicidium iam voluntarie occidit. Vide *lib.* 7. *num.* 394. Attamen est valde probabilis et communissima sententia cum Suarez Laym. Nav. Tourn. Bonac. et La-Croix (qui eam communem vocat) posse episcopum dispensare cum eo qui occidit ob propriam defensionem, sed in defensione aliquantum excedit; nam huiusmodi homicidium nequit dici absolute voluntarium.

53. V. Quoad inhabilitates iniunctas a pontificibus in poenam, dubitatur utrum episcopus possit dispensare: talis v. gr. est inhabilitas ad recipienda beneficia imposita a Sixto v. in sua bulla *Effraenatum*, procurantibus abortum; et inhabilitas ad celebrandum a Bened. XIV. iniuncta confessariis sollicitantibus, in sua bulla *In generali congregatione*. Alii affirmant, sed negandum iuxta dicta *lib.* 1. *num.* 191. ubi diximus omnino tenendum non posse episcopos dispensare in legibus pontificiis, nisi specialiter eis facultas a pontifice fuerit impertita. Negat Anacl. et dubitat Ronc. loquendo de abortu; verum Elbel et Sporer admittunt absolute ob regulam communiter receptam (ut dicunt) a Scoto s. Bonaventura aliisque; quod dispensatio ab omnibus poenis impositis a iure communi, et pontifici specialiter non reservatis, intelligitur concessa episcopis, ut colligitur ex iure canonico[1]. Vide *lib.* 1. *n.* 191. *et lib.* 6. *n.* 705. *in fin.*

54. VI. Circa materiam matrimonii episcopus habet varias dispensandi facultates. Dispensare quoque potest in publicationibus. Insuper dispensare potest in voto castitatis emisso a coniugibus. Videndum nunc superest utrum episcopi habeant aliquam facultatem circa impedimenta dirimentia.

55. In impedimentis dirimentibus solum pontifex potest dispensare. Quod si impedimentum esset dubium, communissima est sententia posse etiam episcopum dispensare; ita dicunt Salm. Merbes. Tourn. Diana Pichler etc. et quamvis Sanchez[2] id negaverit, tamen[3] videtur se retractasse, dicens tanquam ex regula generali: *cum dispensationis reservatio sit odiosa, est restringenda ad casus certos; dubii enim non comprehenduntur sub reservatione;* ut asserit probasse antea[4]. Vide *lib.* 6. *n.* 902. *v. Caeterum.*

56. E contrario quando impedimentum dirimens esset certum, et matrimonium iam fuisset contractum, est communis sententia posse episcopum in eo dispensare quoties non facile posset haberi recursus ad pontificem, et quoties immineret periculum scandali aut infamiae si coniuges separarentur, aut incontinentiae si non separarentur; ita Sanchez Castrop. Concina Merb. Tourn. Cabass. Natalis ab Alexandro Bonac. Barbosa Salm. etc. contra quosdam paucos. Vide *lib.* 6. *num.* 1123. Et idem sentit Bened. XIV.[5]. *Praesumendum est summum pontificem delegare episcopo facultatem dispensandi, quam certe requisitus non esset denegaturus.* Sed advertunt hic La-Croix et Felix Potestas, quod si dispensatio potest commode obtineri a s. poenitentiaria, et coniuges essent in bona fide, tunc illa est expectanda, et interim sponsi sunt relinquendi in sua bona fide. Insuper advertendum est cum Pontio Castrop. Barb. Escob. Sanchez Salm. aliisque communiter, non posse episcopum, si ambo coniuges mala fide contraxerint; tunc enim si daretur locus huiusmodi dispensationibus, daretur ansa celebrandi quotidie matrimonia nulla sub spe dispensationis. Praeterquamquod Tridentinum[6] vult omnino privari quacumque spe dispensationis quicumque scienter contrahit

(1) C. Nuper 29. de sent. excomm. (2) Tr. de matr. l. 8. d. 6. n. 18. (3) L. 4. c. 40. n. 26.

(4) L. 1. c. 10. n. 74. (5) De syn. l. 12. c. 8. n. 1. (6) Sess. 24. cap. 5.

in gradu prohibito. Notandum tamen cum Sanchez Salm. Bann. Conc. Aversa etc. quod ad constituendam in hoc casu malam fidem oportet ut contrahens non modo scienter factum commiserit, quod scilicet cum coniuncta contraxerit, sed insuper quod sciverit extitisse impedimentum, immo quod de eo veram notitiam habuerit; concilium enim inquit: *Scienter praesumpserit.* Unde cum ignorantia crassa potest quidem dispensari. Deneganda est insuper dispensatio ei qui contraxit, sed ex malitia publicationes praetermisit, ut habetur ex eodem concilio [1]. Vide *lib.* 6. *num.* 1124.

57. Si vero matrimonium non adhuc contractum sit, probabilissima quoque adest sententia, et est communis, quod possit tunc episcopus dispensare in impedimento dirimenti, quando imminet periculum infamiae, et facilis non est recursus ad pontificem; ita Suarez Pignatell. Pontius Concina Cabass. Castr. Salm. Bonac. Cardenas Sylvius La-Croix Viva etc. cum Bened. XIV. [2] contra rigidissimum Fagnanum, qui id negat etiam in mortis periculo et in necessitate legitimandi prolem: sed alii communiter aiunt tunc praesumi aut quod pontifex deleget episcopo suam dispensandi facultatem, vel quod in casu tantae necessitatis cesset dispensationis reservatio, et quod tunc episcopus dispenset ex potestate sua ordinaria. Vide *lib.* 6. *num.* 1122. et fusius *n.* 613. Immo asserit Pignatellus, probatque [3] in tali casu cessare non modo reservationem, sed etiam legem impedimenti, utpote ea quae iam perniciosa evaserit; cum certum omnino sit, legem nocivam non obligare, ut docent omnes cum d. Thoma. Et ex hoc inferunt Roncaglia et Instructor novor. confessarior., quod adveniente casu quo sponsi iam ad ecclesiam pervenerint, et unus ex ipsis manifestaret confessario impedimentum occultum iam contractum tanquam peccatum, et sine scandalo aut infamia matrimonium differri non posset, potest tunc confessarius declarare eo casu non obligare legem impedimenti, et posse licite contrahi. Verum ad maiorem cautelam consulunt, ut obtineatur inde dispensatio a s. poenitentiaria. Sed advertendum est hoc currere quando episcopus esset absens; quando etenim fieri potest, necessario ad ipsum est recurrendum, ut dispenset iuxta ea quae diximus *n.* 45. Dicunt autem Sambovius et Gibert, quod si contrahentes sint diversarum dioecesium, quisque sponsus debet a proprio episcopo dispensari. Verum probabiliter id negat Honoratus Tournely, cum aliis, quia sublato per episcopum impedimento sui subditi, iam hoc ipso reddit habilem ad contrahendum cum alio impedito; quemadmodum qui habet facultatem dispensandi in aliquo gradu, eo ipso quod dispensat cum uno ex sponsis, dispensat etiam cum alio. Vide *lib.* 6. *num.* 1142.

58. Quaeritur utrum episcopus possit aliis delegare hanc facultatem dispensandi in impedimentis dirimentibus in supra narratis casibus. Quidam pauci negant; sed communiter affirmant Castrop. Bonac. Barbosa Sylvest. Sanch. Pontius Coninch. Salm. Escob. etc. Et potest eam delegare non modo in particulari, sed etiam generaliter pro omnibus casibus occurrentibus, ut aiunt Sanchez Castrop. Salm. Bonac. Elbel Valentia Vasquez Salas Henriq. Coninch. Gutt. etc. Cum enim huiusmodi potestas non industriae personali, sed episcopali officio sit adnexa, ipsa iam reputatur ordinaria, et ideo recte potest delegari, ut notavimus *n.* 34. Et tanto magis idem dicendum de omnibus aliis facultatibus quas habent episcopi circa publicationes et impedimenta impedientia. Advertendum tamen, quod hanc facultatem dispensandi non habent vicarii episcoporum sine eorumdem speciali commissione; diximus enim *n.* 31. quod in generali commissione vicariatus non committitur facultas illa quam habent episcopi dispensandi in huiusmodi casibus, ob

(1) Loc. c. (2) De synod. l. 9. c. 2. n. 2. (3) T. 5. consult. 53. n. 6.

praesumptam pontificis voluntatem. Vid. *l.* 6. *n.* 613. et fusius *n.* 1126.

59. VII. Episcopus dispensare potest in interstitiis a Tridentino praescriptis quoad ordinationem clericorum. Et 1. quoad ordines minores, concilium remittit prudentiae episcopi huiusmodi dispensationem, dicens: *Minores ordines ... per temporum interstitia, nisi aliud episcopo expedire magis videretur, conferantur* [1]. Quare etiam inter ordines minores (per se loquendo) habet aliquid temporis intercedere, scilicet vel ab una generali ordinatione ad aliam, ut quidam asserunt, vel ab uno die festivo ad alium, ut quidam alii affirmant. Caeterum, ut dispensetur in huiusmodi interstitiis quaevis sufficit causa, ut plurimi dd. docent. Inter primam vero tonsuram et ordines minores probabilius nullum requiritur intervallum, quia probabilius prima tonsura non est ordo. 2. Quoad subdiaconatum, concilium requirit annum intervalli a susceptis minoribus ordinibus, sed subdit inde: *nisi necessitas, aut ecclesiae utilitas, iudicio episcopi, aliud exposcat.* Tò *ecclesiae* intelligendum de ecclesia in qua clericus est adscriptus [2]. 3. A subdiaconatu ad diàconatum etiam annus requiritur: sed in hoc potest episcopus ex quacumque rationabili causa dispensare; inquit enim concilium: *Nisi aliud episcopo videatur* [3]. 4. Tandem a diaconatu ad sacerdotium annus item requiritur, sed mágis rigorose. Exigit enim concilium non modo ecclesiae utilitatem, sed etiam necessitatem, dicens: *Ad minus annum integrum, nisi ob ecclesiae utilitatem, ac necessitatem aliud episcopo videretur.* Vid. *l.* 6. *n.* 795.

60. VIII. Episcopus potest etiam dispensare ad celebrandum in alio altari aut ecclesia non destinata a fundatore, quando adest aliqua iusta causa: e. c. si hoc ad eiusdem ecclesiae utilitatem redundaret: aut si capellanus morbo detineretur, aut studiis operam daret, vel aliis negotiis; aut si non sine magna molestia ad ecclesiam destinatam se conferre nequiret, aut ex similibus aliis rationabilibus causis; ita communiter asserunt Castrop. Concina La-Croix Salmantic. Barbosa Roncagl. Passerinus Henriq. Tambur. Mazzotta aliique; tunc enim episcopus (ut recte potest, iuxta ea quae dicemus *n.* 68.) fundatoris voluntatem interpretatur. Merito tamen excipit La-Croix cum Pasqualigo, si fundator ecclesiam designasset et horam, ob commodum speciale familiae vel populi, vel ad cultum alicuius sancti peculiarem. E contra De Lugo et Tourn. aiunt, quod si fundator nullum circa hoc finem habuerit, aut si finis iam cessaverit, sacerdos alibi celebrans nonnisi venialiter peccat; immo excusatur ab omni culpa si celebret in altari privilegiato; quia tunc redundat in maius bonum eiusdem fundatoris. Vid. *l.* 6. *n.* 329.

61. IX. Potest insuper episcopus dispensare iustis de causis tam secum, quam cum aliis ad celebrandum post meridiem, ut dicunt Lugo Wigandt Navarrus Castrop. Laym. Salm. etc. Vid. *l.* 6. *n.* 345.

62. X. Olim [4] poterant etiam episcopi celebrare vel per se vel per alios sacerdotes in quocumque loco, etiam in privatis domibus. Sed postea a Tridentino [5] vetitum fuit episcopis celebrandi licentiam impertiri in aliis locis, praeterquam in oratoriis ab eisdem benedictis, et ad sacros usus destinatis, quae censentur tanquam publica; unde ibidem potest quotidie celebrari. Huiusmodi oratoria debent habere ianuam ad viam publicam; sed hoc non est intelligendum de illis quae in regularium domibus sunt erecta, aut alicuius communitatis, ut esset in seminariis, conservatoriis, hospitalibus, vel in carceribus, quae non requirunt ianuam secus viam, et rite potest in diebus solemnibus, quemadmodum S. C. declaravit. Idem dicendum de oratoriis quae habent episcopi in suis domibus etiam campestribus extra proprias dioeceses. Vid. *l.* 6. *n.* 357.

(1) Sess. 23. c. 11. (2) Ibid. c. 13. (3) Ibid.

(4) Ex can. missarum 11. de consecr. dist. 1.
(5) Sess. 22. in decr. de celebr. missar. etc.

63. Insuper episcopi olim [1] cum a suis dioecesibus essent absentes, poterant celebrare per se vel per alios in quacumque domo extra propriam habitationem. Sed Clemens XI. abstulit ipsis huiusmodi facultatem: verum Innocentius XIII. iterum illam restituit in sua bulla *Apostolici ministerii*, sub die 4. maii 1723., in qua dixit quod prohibitio non erat intelligenda de domibus, in quibus morarentur episcopi, *occasione visitationis vel itineris, ut nec etiam quando episcopi in casibus a iure permissis absentes moram faciunt in aliena domo.* Atque hoc confirmatum fuit per aliam bullam Benedicti XIII. Sed cum hoc privilegium sit personale episcopi, ideo advertit Tamburinus, alios sacerdotes, absentibus episcopis, non posse in dictis domibus celebrare. Vid. *l.* 6. *n.* 358.

64. Dubitatur utrum episcopus possit aliquando dispensare, ut celebretur in oratoriis existentibus in domibus privatis. Negat p. Mazzotta; sed communiter affirmant Suarez Lugo Castrop. Navarrus Vasquez Coninchius Salmantic. Holzman Elbel La-Croix aliique complures; dummodo adsit aliqua rationabilis causa, et dummodo licentia non concedatur permanenter *per modum habitus*, sed solum *per modum actus*, idest ob illam accidentalem causam. Dicuntque minime obstare tam decretum Tridentini, quia per illud ablata fuit episcopis potestas ipsis data (ut diximus *n.* 62.) impertiendi licentiam celebrandi per modum privilegii, et ad suum arbitrium, sed non dispensandi ex aliqua iusta causa; quam decretum Clem. XI.: illud enim est intelligendum iuxta decreta Pauli V. et Urbani VIII., in quibus prohibetur episcopis dispensare per modum habitus, praeter casum alicuius necessitatis transitoriae, ut infirmitatis etc. Istud tamen aliqui admittunt tantum pro quibusdam vicibus intra annum; sed Pasqualigus et Gallemart [2] (neque dissentiunt Holzman et Elbel) dicunt indefinite posse concedi quousque illa accidentalis causa perduret; et merito; nam prohibitio (quae semper stricte est intelligenda) cum respiciat tantum dispensationes permanentes per modum habitus, non debet extendi ad illas quae conceduntur ad tempus per modum actus ratione alicuius causae transeuntis. Sed vide de hoc quae fusius dicentur *l.* 6. *n.* 359.

65. XI. In iure can. [3] legitur concessum episcopis extra propriam dioecesim commorantibus, praelatisque minoribus exemptis (quo nomine veniunt abbates, et superiores locales, et etiam praelati romanae curiae, ut protonotarii, auditores rotae etc. ut dicunt Suarez Lugo Diana etc.), posse sibi eligere confessarium, sine aliqua ordinarii illius licentia. Sed S. C. declaravit (quod confirmatum est a Greg. XIII. apud Fagnanum) hoc intelligendum esse, quod valeant sibi eligere aliquem sacerdotem sibi subditum, vel aliquem non subditum, sed a proprio ordinario approbatum, idest ab ordinario domicilii eiusdem sacerdotis, ut explicat Lugo. Vid. *l.* 6. *n.* 565. *v. Dubitatur hic* 1. Eodem privilegio gaudent cardinales, sed non alibi nisi Romae, ut inquit Fagnanus: et valent eligere in confessarium quemlibet sacerdotem tam pro se, quam pro sua familia, quem possunt etiam extra Romam perducere; quod etiam episcopis est concessum. *Ibidem v. Dub.* 2.

66. XII. Episcopi sunt delegati sedis apostolicae ad tuendam clausuram monasteriorum monialium etiam exemptarum, earumque quae regularibus sunt subiectae. Ex hoc inferunt De Alexand. Bautrius Clericatus Pellizar. etc. (contra Dianam et Pasqual.) quod bene quidem possunt episcopi reservare sibi casus circa clausuram, atque ita declaravit S.C. concilii die 16. novemb. 1720. Quod est intelligendum etiam respectu iesuitarum etc.

67. Omnes confessarii monialium etiam exemptarum debent ab episcopo approbari, ut praescripsit Greg. XV. in

(1) Ex cap. ult. de priv. in 6.

(2) In Trid. sess. 22. decr. de celebr. miss. n. 6.

(3) Cap. fin. de poenit. et remiss.

bulla *Inscrutabili*, quam confirmavit in omnibus Clem. x. cum alia bulla *Inscrutabili* 7. Bened. xiii. et nuper Clement. xii. qui in omnibus Greg. bullam innovavit (de qua infra *num.* 80.) etiam quoad ea quae Bened. xiii. contra Gregorii bullam concesserat: vide *lib.* 6. *n.* 577. Et ideo ait Tamburinus etiam moniales exemptas incurrere casus ab episcopo reservatos: quia sicut ille in approbatione limitare potest tempus et personas, ita etiam casus. Sed alii communius et probabilius (Pelliz. Quintanad. et de Alexand.) id negant, quia moniales exemptae sunt extra iurisdictionem episcopi; et approbatio confessarii respicit tantum eiusdem idoneitatem; tanto magis quia in bulla Clem. x. *Superna*, dicitur episcopus posse limitare tempus, locum et personas, et nulla fit mentio casuum. Vid. *l.* 6. *num.* 602. *quaest.* 6. Verum hoc non currit quoad clausuram, circa quam bene potest episcopus tam casum, quam censuram sibi reservare, iuxta quae dicemus *n.* 80. Insuper advertendum est, quod per bullam *Pastoralis*, Bened. xiv. potest episcopus assignare confessarium extraordinarium monialibus exemptis, si illarum praelatus regularis illum concedere recusaret (qui esse debet alterius ordinis, vel saecularis), et hoc non solum in morte, sed etiam in vita singulis annis. Vid. *l.* 6. *n.* 576.

68. XIII. Plures dd. asserunt, ut Angel. Sylvest. Armilla Tabiena aliique cum Croix (qui illis adhaeret) posse episcopum ex iusta causa commutare pias testatorum dispositiones, ex eo quia ipsi habent dispensandi potestatem in lege quae iubet impleri ultimas voluntates, quoties adsit iusta causa; idque confirmant ex Trident. [1]. Sed nos negamus cum sententia probabiliori Mol. Laym. Sanch. etc. quia in iur. can. et a Trid. [2] iubentur episcopi adamussim exequi ultimas voluntates. Neque obstat quod opponunt, et quod legitur in Trid. c. 8. quia ibi tantummodo committitur episcopis, ut examinent causas utrum verae sint nec ne, quando ultimae voluntates a sede apostolica commutantur. Tanto magis quia in iur. can. [3] dicitur bona in aliquem usum applicanda, non posse in alios nisi a sede apostolica applicari. Caeterum est valde probabile quod dicunt Laym. Bonacin. Salm. Coninc. et Trull., quod sive superveniat aliqua causa, sive testator ignoraverit aliquam causam, quam si cognovisset aliter disposuisset, tunc episcopus potest opus commutare, sed una cum haerede; quamvis si haeres contradicat, asserant plures dd. posse id facere episcopum illo contradicente. Vid. plura *de hoc l.* 3. *n.* 931. *quaer.* 2.

69. XIV. Dicunt insuper dd., ut Viva Diana Trull. Busemb. aliique, posse ab episcopo fieri compositionem incertarum restitutionum (illarum scilicet quarum dominus est incertus) quae pauperibus sunt erogandae; quoniam (ut ipsi dicunt) huiusmodi compositio nulla lege pontifici reservatur; et e contra ipsa est iuxta praesumptam creditorum voluntatem. Sed magis rationabiliter contradicunt Lugo Molina Turrianus Corduba aliique, quia talium bonorum administratio pertinet tantummodo ad pontificem vel ad principem. Vide *l.* 3. *n.* 591. *v. Notat.* Et re quidem vera Bened. xiv. in bulla *Pastor bonus* 23. april. 1744. huiusmodi facultatem s. poenitent. concessit. Vid. *l.* 7. *n.* 470. *ad* 10.

70. XV. Affirmant quoque La-Croix Tamb. et Pasq., posse ab episcopo minui numerum missarum a testatore relictarum, quoties ob eleemosynae parvitatem, qui missas celebraret, non inveniretur. Sed hic se opponit p. Concina, et quidem rationabiliter; nam decretum S. C. emanatum iussu Urbani viii. et confirmatum ab Innocent. xii. prohibet districte episcopis reductionem, moderationem, aut commutationem onerum missarum impositorum in *limine fundationis*, et post Tridentinum; volens quoad hoc omnino ad sedem apostolicam recursum haberi.

(1) [Se]ss. 22. c. 6. (2) C. Tua. de testam. - C. 8. sess. 22. (3) Clem. Quia contingit, de rel. dom.

Quare recte ibidem declaratum fuit, quod facultas concessa episcopis, aliisque a concilio [1] intelligenda est pro reductione missarum relictarum ante concilium. Caeterum ait Fagnan. cum Felino, quod si ab initio reditus erant sufficientes, et deinde taliter fuerint imminuti, ut nullo modo sufficiant, tunc non videri ablatam facultatem quam habent episcopi de *iure communi* moderandi missas [2]. Vide *l.* 6. *n.* 331. *v. dub.* 1.

71. Iam superius dictum est *n.* III. posse probabiliter episcopum dispensare in omnibus in quibus dispensatio non est specialiter pontifici reservata. Notandum hic denique posse ab episcopo, iuxta Trident.[3] uniri aut transferri ad aliam ecclesiam beneficia simplicia iam ad tenuitatem redacta, aut fundata in aliqua ecclesia quae lapsu temporis iam corruit, adeo ut nequeat amplius reparari; vide Barb. [4]. Insuper episcopus potest unire seminariis beneficia simplicia etiam reservata aut affecta aut vacantia in curia romana. Trident. [5]. Insuper tempore visitationis potest episcopus cogere parochianos ad necessaria parocho subministranda. Trident.[6]. Potest etiam novas parochias erigere, et de matricis fructibus dotare, si haec abundet, sed sine praeiudicio possessoris. Trid.[7]. Potest etiam duas parochias unire, si divisae nequeant singulae suum parochum sustentare; dummodo populus non adeo distet, ut non sufficiat unius parochi assistentia. Trid. [8].

Cap. IV. De privilegiis regularium

De privilegiis spectantibus ad omnes regulares in communi.

72. 73. *et* 74. I. *De exemptione a iurisdictione episcoporum.*
75. *Casus excepti, praecipue circa celebrationem missarum.*
76. *Declaratio S. C.*
77. *Quibus casibus potest episcopus obligare regulares etc.*
78. *Utrum regulares teneantur praeceptis episcoporum.*
79. *Utrum episcopus possit eos visitare.*
80. *Utrum visitare clausuram monialium.*
81. *Utrum petere rationem missarum relictarum etc.*
82. *et* 83. *Quibus casibus possit criminaliter procedere etc.*
84. *ad* 87. II. *De obligatione decimarum.*
88. III. *Circa fundationes.*
89. *De monasteriis episcopo subiectis.*
90. IV. *De iudice conservatore.*
91 *et* 92. *De sepultura.*
93. *et* 94. *De portione canonica etc.*

72. I. Regulares habent privilegium exemptionis a iurisdictione episcoporum; nam praelati regulares habent in suis ecclesiis et monasteriis iurisdictionem quasi episcopalem, tam quoad personas, quam loca, sicut probant Salm., qui agunt fusius de omnibus privilegiis praedictis in hoc puncto; sed nos solum denotabimus hic res magis principales. Salm. [9].

73. Itaque quoad praedictam exemptionem adnotandum primo quod in dubio alicuius privilegii decisio spectat ad summum pontificem, quemadmodum declaratum fuit a Clemente IV. et ab aliis pontificibus. Salm.[10]. Adnotandum secundo, quod huic privilegio exemptionis regulares cedere non possunt [11], quia id redundaret in damnum religionis. Quare nulla consuetudo in contrarium potest in hoc praevalere. Salm. [12].

74. Notandum tertio, hoc privilegio gaudere non solum professos et conversos, sed etiam novitios, qui in favorabilibus veniunt sub nomine religiosorum, et etiam tertiarios et beatos; sicut dictum est *n.* 8. Servi etiam regularium, qui actu famulantur et resident intra claustra monasteriorum et vivunt sub obedientia, iuxta Trident.[13] eximuntur a iurisdictione episcoporum, tam quoad censuras (iuxta bullam Alex. IV. apud Salm.), quam etiam quoad communionem paschalem. Vide Salm.[14] et vide *l.* 6. *n.* 240. *in fin.* Notandum quarto, quod apostatae et fugitivi possunt capi ab episcopis, sed solummodo ut consignentur suis superioribus. Episcopus solum eos posset punire in casu quo eorum mona-

(1) Sess. 25. c. 4. de reform. (2) Ex c. Nos quidem de testam. (3) Sess. 21. c. 7. (4) De pot. episcop. all. 66. ex n. 15. (5) Sess. 23. c. 18.

(6) Sess. 21. c. 4. (7) Ibid. (8) Ibid. c. 5. (9) T. 18. c. 3. n. 3. (10) Ibid. n. 6. (11) Ex c. Cum tempore de arbitr. (12) Ibid. n. 7. (13) Sess. 24. c. 11. (14) C. 3. n. 8.

steria essent in longinquo posita, et ab ipsis moniti nollent regredi, iuxta Tridentinum [1]. Salm.[2]. Vide alia quae de hac re dicentur *n.* 82. *et* 83. Notandum quinto, quod saeculares in monasteriis existentes, si ibi patrent aliquod delictum, non incurrunt poenas ab episcopo impositas. Salm.[3] cum Laym. Avila Peyrin Garcia et aliis pluribus. Excipiatur, si contravenirent ordinibus episcopi circa missarum celebrationem, sicut dicetur in fine sequentis numeri.

75. Sexto adnotantur e contrario multa hoc in loco, in quibus regulares non eximuntur ab episcoporum iurisdictione. Et primo. Sine episcoporum licentia nequeunt regulares aedificare monasteria iuxta bullam Urbani VIII. die 28. aug. 1624. Et animadvertatur, quod in bulla Greg. XV. *Alias* prohibetur episcopis dare hanc licentiam, si in monasterio nequeant ali reditibus, aut eleemosynis saltem duodecim religiosi; sed hoc non intelligitur quoad hospitia, ut dicunt Barb. Peyrin et caeteri. 2. Regulares non possunt in lucem libros edere sine episcopi licentia, ut ex Tridentino [4]. Salm. [5]. 3. Episcopus potest cogere religiosos ad restituendum novitiis qui nolunt professionem emittere totum id quod attulerunt ingressu. Vide Salm. [6]. Dispositio facienda a novitio, non ante duos menses quam profiteatur, fieri potest (iuxta Tridentinum [7]) absque licentia episcopi aut vicarii. 5. Episcopus habet potestatem cognoscendi simul cum superiore de religiosi causa nullitatis professionis. Salm.[8]. 6. Episcopus, aut alius ab eo deputatus debet scrutari voluntatem virginum, quando ingrediuntur aut profitentur in monasteriis ex Tridentino [9]. Sed id debet efficere infra quindecim dierum spatium, aliter non potest hac in re se amplius ingerere. 7. Episcopus potest prohibere, ne in monasteria monialium, etiam exemptarum, suscipiantur ultra numerum earum quae possint ibi ali iuxta redituum facultatem, sicuti statutum fuit bulla s. Pii V. Salm.[10]. 8. Episcopus potest cogere monachos qui permanenter degunt extra monasteriorum claustra, propter debita ab ipsis contracta cum pauperibus personis, ut sunt pupilli, viduae, etc. Salm. [11]. 9. Episcopus potest adstringere religiosos, ut processionibus intersint, iuxta Trid. [12], dummodo eos vocet non per publicum edictum, sed medio aliquo nuntio personaliter. Salm. [13]. 10. Episcopus habet iurisdictionem supra monasteria, in quibus non possunt ali 12. religiosi, ut dicetur *n.* 88. Deinde excipiuntur episcoporum ordines circa missarum celebrationes: etenim quoad hoc statuit Tridentinum [14], ut episcopi se gerant velut delegati apostolici, dicens: *Ut non solum ea ipsa, sed quaecumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi... ut delegati sedis apostolicae prohibeant, mandent etc. atque ad ea inviolate servanda censuris ecclesiasticis, aliisque poenis ... fidelem populum compellant: non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque.* Item hic notandum quod adest respons. S. C. ad episcop. Nebiens. 7. febr. 1632. [15], ubi generaliter loquendo dictum fuit: *In his, in quibus a iure communi, a s. concilio Trident. a constit. apostolicis tributa est episcopo iurisdictio in regulares, potest illos etiam per censuras ecclesiasticas compellere.* Et idem decisum fuit die 4. iunii 1672. [16]; quare, sicut bene advertit Bened. XIV. [17], episcopi quoad celebrandas missas possunt adigere omnes, quamvis regulares, ad observanda non solum ea quae statuuntur a concilio, sed etiam quae statuuntur a se ipsis: quare recte eminentissimus card. Spinelli cum esset archiepiscopus Neapoli die quinta ianuar. 1743. praecepit sub poena suspensionis a divinis, etiam regularibus, ne admitterent ad celebrandum

(1) Sess. 6. c. 3. (2) C. 3. n. 8. (3) Ibid. n. 9. et tr. 10. de cens. c. 5. n. 115. (4) Sess. 4. decr. de edit. libror. (5) C. 3. n 10. 11. 12. (6) Tr. 15. c. 3. n. 76. (7) Sess. 25. c. 16. (8) Ibid. c. 3. n. 15. (9) Sess. 25. c. 17. (10) Tr. 18. c. 3. n. 14. (11) Ibid. n. 15. (12) Sess. 25. c. 13. (13) Dict. c. 3. n. 16. et 17. (14) Sess. 22. de obs. in celebr. (15) L. 14. decr. p. 571. (16) L. 27. decr. pag. 406. (17) De synod. l. 9. c. 16. n. 5.

in suis ecclesiis aliquem sacerdotem advenam sine licentia ordinarii.

76. Adnotantur alia quae declarata fuere a S. C. in decreto die secunda iulii 1520. Et 1. Regulares possunt recipere quae a devotis offeruntur, sed non mendicando per ecclesiam. 2. Non possunt uti pallio aut pluviali per parochiam extra earum ecclesias aut earum recinctum; neque possunt facere processiones, dummodo non habeant pro se consuetudinem in contrarium, ut dicunt Rodriq. Bordon. et Villalobos. Vide Salm. [1]. 3. Vocati ad funeralia debent ire ad ecclesiam ubi manet clerus iam coactus; sed in hoc dicunt Salm. cum Lezana, esse consuetudinem in contrarium [2]. 4. Non potest vetari regularibus, ne celebrent missam in suis ecclesiis ante missam parochialem, et non pulsent campanas, uti declaravit s. Pius v. [3]. 5. Regulares nequeunt publicare matrimonia. 6. Possunt ipsi concionari in suis ecclesiis, tempore adventus et quadragesimae, quamvis in parochia sermocinetur. Vide Salm. [4].

77. In tribus casibus potest episcopus cogere regulares ad obediendum, etiam adhibitis censuris: primum est, ad restituendas res novitiis, ut dictum est, iuxta Trid. [5]: 2. ad observandam clausuram, loquendo de monialibus, Trid. [6]: 3. ad observandum totum id quod ab episcopo statutum est quoad missarum celebrationem, ut dictum est *n.* 75. Et circa id refert Bened. XIV. [7] duo decreta S. C. concilii, in quibus dictum fuit, quod episcopi ut delegati apostolici possint etiam censuris cogere religiosos, et procedere adversus eosdem, si admittant ad celebrandum in suis ecclesiis advenas sine episcopi licentia, iuxta Trident. [8], ubi praeceptum fuit, praesertim episcopis: *Interdicant, ne cui vago vel ignoto sacerdoti missas celebrare liceat.* An deinde in aliis casibus supracitatis possit episcopus cogere censura regulares; affirmant Barbosa Garcia et alii; sed communius negant Sanch. Lezana et Salmanticenses, cum aliis, propter multa privilegia papalia quae hac de re afferunt, et addunt cum Barb. Diana Lezana (contra alios) quod episcopus ne denuntiare quidem potest regulares excommunicatos, etiam ob publicum delictum. Salm. [9].

78. Quaeritur primo, utrum regulares obligentur decretis synodorum provincialium aut dioecesanarum, aut aliis episcopi praeceptis. Certum est regulares non teneri interesse dictis synodis, dummodo non essent parochi, sicut habetur ex Trid. [10], ex pluribus decretis S. C. Deinde quoad quaesitum, Vasquez Sanchez Becanus aliique dicunt, eos obligari ad eorum omnium observantiam, quae non praeiudicant observantiae regulari; sed non intelligitur quoad vim coactivam, ita ut contraveniendo non incurrant aliquam poenam, sed solummodo quoad vim directivam, idest ut se conforment reipublicae cuius sunt partes. Alii tamen, ut Suar. Lez. Salm. etc. id negant (dummodo hoc necessarium non sit ad evitandum scandalum, aut casus non esset, in quo religiosus aliquis haberet aliquod munus dependens ab episcopo, ut munus parochi, confessoris, concionatoris, etc.). Et id probant ex iure can. [11] ubi dicitur, regulares eximi a praeceptis episcoporum, exceptis casibus in iure expressis. Rationem deinde adversariorum dicunt valere, quando partes sunt homogeneae, non cum sunt heterogeneae, ut sunt religiosi, qui non perinde ac saeculares multa alia onera particularia habent. Caeterum in duobus ulla sine haesitatione ipsi obligantur ad obediendum, ut dicunt in Trid. [12]: 1. quoad observantiam interdicti positi ab episcopo semper ac observatur ab ecclesia matrice: 2. quoad observanda festa ab episcopo statuta, vid. Salm. [13], praeter ordinationes circa missarum celebrationem

(1) Tr. 18. c. 8. n. 18. et 19. (2) Cit. n. 19.
(3) Constit. Etsi mendicantium, §. 2.
(4) C. 3. n. 19. (5) Sess. 25. c. 16.
(6) Ibid. c. 5. (7) De synodo l. 9. c. 16. n. 5.
(8) Sess. 22. decr. de observ. in celebr.
(9) C. 3. §. 3. per totum. (10) Sess. 24. c. 2.
(11) C. 1. de privil. in 6. (12) Sess. 25. c. 12
(13) Tr. 13. c. 3. §. 4.

ut dictum est superius *n.* 75. *circa fin.* Praeterea notetur episcopum posse regularibus interdicere auditum confessionum in propriis aedibus sive cellis, iuxta decretum S. C. emanatum ann. 1617. 16. septemb. et videri potest apud p. Ferraris. Potest etiam vetare omnibus confessariis audientiam confessionum mulierum aut puellarum extra confessionarium, sub poena suspensionis ab audiendis confessionibus ex decreto congr. 18. decemb. 1693. apud eumdem Ferraris [1].

79. Quaeritur secundo, utrum episcopi possint visitare personas et monasteria regularium. Communiter loquendo, certum est ex iure canonico [2] et ex Tridentino [3] exempta esse a visitatione episcopi tam personas, quam monasteria, et ecelesias regularium (dummodo in illis degant duodecim religiosi. Vide *num.* 88.) Et iuxta plures declarationes sacrae congregationis etiam ecclesias parochiales saecularium, quae subduntur regularibus, et ubi parochus est religiosus; qui, si delinqueret etiam circa suum officium, non posset ab episcopo puniri. Sed hoc non obstante nunc praeter bullam Gregor. xv. *Inscrutabili*, a Bened. xiv. declaratum atque definitum est [4] huiusmodi subiectos esse episcopo *in his vel quae ad ipsum spectant exercitium curae animarum, vel etiam ad eorum vitam et mores pertinent.* Sed fusius idem Bened. xiv. de hac re agit in quadam bulla peculiari [5] ubi plura statuit. 1. Quod parochi regulares omnimode subsunt iurisdictioni et correctioni et visitationi episcopi, in iis quae concernunt curam animarum et proprios mores. 2. Quoad visitationem localem possunt visitare altare, in quo ss. Eucharistiae sacramentum asservatur, sacrum tabernaculum, fons baptismalis, confessionale in quo residet parochus, pulpitum e quo parochus concionatur, sacrarium ad inspiciendam sacram supellectilem, sepulchrum parochianorum, eorumque coemeterium, turris campanaria, si adsint ibi campanae parochiales, omnia sacra vasa. 3. Quoad personalem, debet scrutari vitam ac mores curati, quatenus ea quae extra claustrum prodierint; item examinare an titulo legitimo eam curam exerceat, an resideat, an ad synodum vocatus iverit, an conferentias casuum conscientiae habeat frequenter, an onera curae adimpleverit, an missam pro populo applicaverit, an festis diebus concionatus fuerit etc. an vacet confessionibus audiendis, an aegrotantibus assistentiam praestiterit, an pueros ante confirmationem et communionem instruxerit, an de matrimonii impedimentis inquisiverit, an sponsi in rebus fidei sint edocti, et an recte ordinatos habeat libros parochiales. 4. Quod licet superiores regulares non possint deputare aliquem ad curam sine episcopi approbatione, possunt tamen eum removere, illo inscio, et ita pariter episcopus potest cura illum privare sine consensu superioris, si id iusta causa expostulet, etc. Potest etiam visitare ecclesias etiam adnexas et subditas monasteriis, si earum administratio sit penes parochos saeculares, prout pluries declaravit S. C. apud Bellarminum et Barbosam: excipe, si incorporatae essent monasteriis, aut nullius essent dioecesis: possunt praeterea episcopi visitare confraternitates saecularium fundatas in monasteriis, sed dumtaxat quoad administrationem bonorum, non quoad altaria, ut ex Trid. [6] et ex pluribus decretis sacrae congregationis. Excipiuntur insuper illae quorum praefectus est religiosus ex privilegio Gregorii xiii., cui nulla contraria consuetudo potest obstare. Salm. [7].

80. Quaeritur tertio, utrum episcopi possint visitare claustra monialium exemptarum. Negant Salm. cum Nav Sanch. Bonac. Pelliz. etc. *ex cap. Periculoso de statu monach. in* 6., ubi cura Christi monialium exemptarum manifeste conceditur superioribus regulari-

(1) Verb. Confessarius. (2) C Nulli, 16. q. 1. (3) Sess. 25. c. 8. (4) Bulla Cum nuper. 51. an. 1751.
(5) Firmandis, ed. 6. nov. 1744. (6) Sess. 22. c. 8. (7) Tr. 18. c. 3. a n. 31. ad 36.

bus. Neque obstat (ut aiunt) Tridentinum [1], ex quo contendunt patroni adversae sententiae, episcopos esse delegatos apostolicos quoad claustrum monialium exemptarum; cum ibi statuatur, ut ipsi curent ut restituatur aut conservetur claustrum *in omnibus monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero sedis apostolicae auctoritate.* Etenim respondet, quod sub *in aliis etc.* non intelligantur monasteria regularibus subiecta, sed subiecta immediate pontifici, quod asserunt declaratum fuisse per Pium v. [2], eo magis quia concilium in loco praedicto renovat non revocat citatum textum *Periculoso.* His non obstantibus contraria sententia amplectenda est cum Barb. Gavanto Lezan. etc.; quia licet non obstaret Tridentinum, nihilominus obstat quidem bulla Gregorii xv. [3], in qua dictum fuit: 1. ut regulares nequeant destinare alium ad audiendas monialium confessiones, praeter eum qui fuerit approbatus ab ordinario (et in hoc animadvertendum est, quod praeterea statuit Bened. xiv. [4] confirmans bullam, *Apostolici ministerii,* Benedicti xiii.; quod scilicet, si regularis superior negligeret assignare saltem semel in anno confessarium extraordinarium, aut saecularem, aut alterius ordinis quemadmodum pontifex praecipit; possit illum assignare dioecesis episcopus). 2. Statuit Gregorius xv., ut administratores monasteriorum dictarum monialium debeant rationem reddere episcopo administrationis bonorum. 3. Ut episcopus valeat removere confessarium, aut alium administratorem monasterii, si superior monitus illum non removet. 4. Ut episcopus praesidere possit electioni abbatissae. Ac quinto specialiter fuit statutum, ut episcopus possit corrigere et punire, veluti delegatus apostolicae sedis, eos omnes qui aliquid admittunt adversum claustrum monialium, etiam exemptarum. Placet hic adnotare verba bullae: *Tam saeculares, quam regulares nullis privilegiis tueri se possint, quominus si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram monialium, etiam regularibus subiectarum, ab episcopo, tanquam ad hoc sedis apostolicae delegato, puniri et corrigi valeant.* Vide Barbosam [5] et Salm. [6]. Refert Barbosa decretum quoddam sacrae congregationis, ubi statuitur, quod nullimode possit impediri episcopis, quin visitent monasteria exempta, et regularibus subiecta quoad observantiam clausurae, et qui praesumit impedire, post tertiam monitionem incurrit excommunicationem ipso facto [7]. Vide de Alexandr. [8]. Praeterea hoc in loco adnotandum est quod Clemens x. et Clemens xii. praeceperunt ut observaretur bulla Gregorii xv. *non obstante quacumque contraria consuetudine.*

81. Quaeritur 4. utrum episcopi exigere queant a regularibus rationem haereditatis relictae cum onere missarum, aut legatorum satisfaciendorum saecularibus. Videntur posse ex eo quod eruitur ex Tridentino [9] ubi praebetur episcopis potestas visitandi omnia legata pia, *non obstante quocumque privilegio in contrarium.* Et dicunt Salmant., quod ex hoc recte sententia ista redderetur probabilis. Sed ipsi deinde id negant ob multa privilegia regularibus concessa, praesertim per Pium v. in quibus declarantur exempta religiosorum bona a quacumque episcopi iurisdictione, non obstantibus quibuscumque constitutionibus apostolicis et conciliis. Salm. [10].

82. Quaeritur 5. utrum episcopus in aliqua causa possit procedere criminaliter contra regulares. Dictum est regulares exemptos esse ab episcoporum iurisdictione, praeterquam in casibus in iure expressis. Praeter id quod spectat ad missarum celebrationem et clausuram monialium, in duobus aliis casibus possunt ex Tridentino episcopi contra eos procedere. 1. Si regularis aliquis patraret delictum, degendo

(1) Sess. 25. c. 5. (2) Bulla Circa pastoralis. (3) Inscrutabilis an. 1662. (4) Bulla Pastoralis 5. aug. 1748. (5) De potest. episc. all. 102 n. 7. (6) C. 5. a n. 37. ad 59. (7) Ex Clem. Attendentes, de statu mon. (8) De monial. c. 6. §. 4. q. 5. (9) Sess. 22. c. 8. (10) Tr. 18. c. 3. a n. 40. ad 42.

extra monasterium[1]. Sed hoc intelligitur eorum respectu, qui permanenter extra monasterium habitant, non vero quoad illum religiosum qui extra maneret causa confessionum excipiendarum, aut concionandi, aut alterius negotii ad tempus; aut incoleret pagum, aut locum alium dependentem a monasterio ob negotia religionis. Sed hic oritur dubitatio, utrum possit episcopus punire illum delinquentem, qui habitaret alium locum ad longum tempus ex licentia sui superioris. Alii affirmant, veluti Tamburin. Barbosa, Lezana etc. pluribus innixi declarationibus sacrae congregationis. Alii quemadmodum Salm. cum Sanch. Sylvest. Peyrin. Bordono etc. negant ex iure canonico[2] ubi dicitur, quod qui manet extra monasterium ex licentia superioris, iudicetur in monasterio manere. Quare aiunt, quod tam concilium, quam praedictae declarationes vigere intelligantur in eos qui extra monasterium morantur sine licentia, aut in loco adeo remoto ab eorum superiore, ut puniri non possint, nisi post longissimum tempus. Salm.[3].

83. Secundus casus est, cum religiosus, etiam degens in monasterio, extra illud delinqueret cum publico populi scandalo, et superior eum non puniret. Trid. [4]. Et quia superiores quidam transmittebant huiusmodi delinquentes extra dioecesim, ut immunes essent a poena, statuit Clem. VIII. [5] ut in tali casu, instante episcopo, superior infra tempus ab episcopo praescriptum revocare debeat delinquentem et punire; alias possit eum castigare episcopus loci, quo ipse transmissus est: Salm. [6]. Adnotant deinde Salm. cum aliis 1. ut huiusmodi concilii decretum vigere debeat cum delictum est notorium, etiam facti publicitate. 2. Non valeat adversus superiores delinquentes, qui in odiosis non includuntur sub nomine regularium, quemadmodum ait concilium. 3. Ut episcopus procedere non possit, nisi postquam pluries monuerit superiorem, ut delinquentem puniret, et ille neglexerit. Si tamen episcopus delinquentem in actuali delicto interciperet, potest illum capere (sicut dictum fuit), sed ut statim eum transmittat ad superiorem; et quando crimen fuisset gravis scandali, potest etiam eumdem retinere in carcere, ut transmittat infra 25. saltem horarum spatium. Superior deinde praebere episcopo debet sufficientia argumenta sequutae punitionis. Episcopus, licet capere possit summariam informationem, ut eam ad superiorem transferat, non potest tamen iuridicum efformare processum adversus reum; sed si forte efformasset, probabile est eo superiorem uti posse ad procedendum in suum religiosum, ut aiunt Salm. cum aliis [7].

84. Secundo, regulares privilegium habent exemptionis a contributione decimarum. Arrepta occasione, opportune hoc in loco adnotantur quaedam circa decimas. Decimae dicuntur illa fructuum portio, aut industriarum personalium, quae a fidelibus tribuenda est ecclesiae ministris pro eorum substentatione. Revera decimae debentur ex iure divino naturali; sed quoad quantitatem, idest decimam partem, sunt ex iure ecclesiastico, cum cessaverit ius antiquum divinum, ut iudiciale. Hinc fit 1. pontificem posse quemlibet eximere ex onere decimarum. Pontificem, inquam, non episcopos: ipsi dumtaxat possunt ex Trid. [8] applicare decimas unius loci ad alium, et unire ac separare beneficia. Vid. Salm.[9]. Infertur 2. quod consuetudo rite potest aliquos eximere a solvendis decimis, dummodo remaneat id quod sufficit ad congruam ecclesiasticorum substentationem; sed huiusmodi consuetudo praescriptionem quadraginta annorum non interruptorum habere debet, licet ab initio, nec titulus, nec bona fides interfuerit: ad praescriptionem deinde (accipiendo vocem prout

(1) Sess. 6. c. 3. (2) C. Ex rescripto, de iureiur. (3) C. 3. a n. 40. ad 46. (4) Sess. 25. c. 14.

(5) An. 1596. in bulla Suscepti oneris. (6) Tr. 18. c. 3. a n. 46. ad n. 48. (7) Num. 50. et 51. (8) Sess. 21. c. 5. 6. 7. (9) Tr. 18. c. 3. n. 52. et 54

sonat praescriptio, non ut consuetudo) necessaria sunt bona fides, et quadraginta anni cum titulo; sine autem titulo requiritur tempus immemorabile. Pro futuris decimis fieri potest compositio; sed etiam solummodo a pontifice, non ab episcopo, nisi fieret inter unam et aliam ecclesiam. Dictum est pro futuris, quia praeteritas remittere potest etiam ille cui debentur. Salm. [1].

85. II. Olim decimae debebantur, ut dictum est, tam ex fructibus bonorum, quam ex personarum industria. Sed iuxta praesentem consuetudinem pene universalem solvuntur solum ex fructibus bonorum tam stabilium, quam mobilium [2]. Et debentur ex fructibus integris, non deductis expensis, et oneribus contributionum, ut ait s. Th. [3] et alii communiter [4]. Salm. [5].

86. Decimae praeterea solvi debent ab omnibus fidelibus, etiam a principibus; sed non a pauperibus: omnes tamen, nisi sint in extrema necessitate, sed solum in gravi, si pervenirent ad meliorem fortunam, tenentur solvere praeteritas decimas, ut dicunt Suar. Laym. Castr. et alii, cum Salm. [6]. De iure autem communi tam clerici, quam religiosi, et etiam parochi tenentur solvere decimas suorum bonorum patrimonialium, licet assignata fuissent ad titulum ordinationis, non autem bonorum beneficialium, ut docet d. Th. [7]. Quoad eos vero qui deficiunt a solvendis decimis, haec statuit Trid. [8] *Qui vero eas* (decimas) *subtrahunt*, *vel impediunt*, *excommunicentur*, *neque ab hoc crimine*, *nisi plena restitutione secuta*, *absolvantur*. Vide Salm. [9].

87. Sed quicquid sit de iure antiquo, hodie ex multis privilegiis pontificiis omnes regulares, etiam moniales, cuiuscumque ordinis (et etiam equites hierosolymitani) eximuntur a decimis non solum personalibus, sed etiam stabilium, tam propriorum (etsi colantur a colonis), quam conductorum, ut emphiteuticarum. Vid. Salm. [10]. Notandum tamen quod si transeant in dominium regularium bona iam decimis obnoxia, remanent ipsa ad idem onus subiecta, ex pluribus decretis S. C. et rotae apud Pignatell. [11].

88. III. Olim regularibus vetitum erat, ne nova aedificarent monasteria, aut derelinquerent aedificata sine expressa licentia summi pontificis [12]. Tractu deinde temporis obtinuerunt diversa privilegia; sed haec omnia ann. 1624. limitata fuere ab Urbano VIII. in bulla *Romanus pontifex*, ubi statutum fuit, non posse acceptari nova monasteria, nisi observata forma canonum Tridentini, et bullae Clementis VIII. *Quoniam ad institutam*. Quare hodie ad fundandum novum monasterium tria requiruntur. 1. Licentia episcopi. Utrum vero requiratur etiam licentia pontificis, alii affirmant, ut Barb. Tambur. Pelliz. ex declaratione S. C.: negant vero Salm. cum Lez. Suar. Rodriq. et alii. 2. Adsit consensus eorum quorum interest, et praesertim omnium monasteriorum existentium intra quatuor miliariorum spatium, aliter episcopus concedere non potest dictam licentiam, nisi quando illi iniuste contradicerent. Salm. [13]. Carmelitae tamen privilegium habent, ut alii ordines fundari non possint, ubi ipsi habent monasterium infra spatium 560. ulnarum florentinarum; et minores infra spatium 1200. ulnarum etc. Contra minimi et iesuitae privilegium habent fundandi in locis etiam non remotis intra spatium 560. ulnarum praedictarum. Et in omnibus his privilegiis conceditur communicatio. At praedicta privilegia circa ulnas iuxta consuetudinem non intelliguntur quoad monasteria quae fundantur in civitatibus. Vid. Salm. [14]. 3. Requiritur, ut novum monasterium possit commode reditibus aut eleemosynis substentare duodecim religiosos, sufficit tamen, ut adsit intra breve tempus probabilis spes prae-

(1) Tr. 18. c. 3. n. 55. (2) Ex c. Non est, de dec. (3) 2. 2. q. 87. a. 2. ad 4. (4) Ex c. Cum non sit, de decim. (5) C. 3. n. 58. (6) Ibid. n. 59. (7) Loc. c. a. 4. in corp. et ad 1. ex c. Si quis laicus, 16. q. 1. (8) Sess. 25. c. 12. (9) A n. 60. ad 62. (10) A n. 82. ad 80. (11) T. 1. cons. 355. et t. 8. cons. 8. n. 9. (12) C. 1. de excess. praelat. in 6. et c. un. de relig. dom. in 6. (13) Tr. 18. c. 3. a n. 124. ad 131. (14) A n. 137 ad 140.

dictae sufficientis substentationis. Quod si monasterium (intelligitur de monasteriis fundatis post citatam bullam Urbani VIII.) non valeret substentare duodecim religiosos, qui revera in illo non habitarent, statutum fuit per sacram congregat. pluribus decretis, confirmatis a Greg. XV. et Urbano VIII. ut huiusmodi monasterium omnino subiectum esset episcopo per haec verba: *Ordinarii loci visitationi*, *correctioni*, *atque omnimodae iurisdictioni talia monasteria erecta absque eo*, *quod* 12. *fratres in eis valeant habitare*, *et de facto habitent*, *subiecta esse intelligentur*. Salmant [1]. Eaedem conditiones requiruntur in fundandis monialium monasteriis. Et advertendum hic quod ex Tridentino et sacr. congregat. prohibetur, ne fundentur monialium monasteria extra habitatum [2].

89. Praedictae conditiones non requiruntur in fundandis hospitiis religiosorum, ut notant Peyrin. Tamb. etc. saltem (ut limitat Lez.) si ibi non recipiant missas, et non habeant ecclesiam [3]. Neque requiritur in translationibus monasteriorum, quae possunt fundari (ut probant Salmant. cum Navarr. Barbosa Peyrino Lezana etc.) sine consensu pontificis, nec episcopi, nec aliorum monasteriorum, dummodo translatio non afferat iis praeiudicium: etenim dicunt quod iam antea habebant tale privilegium a pluribus pontificibus concessum, et quod illud limitatum est tantum quoad novas fundationes, quales non vocantur translationes monasteriorum ex uno situ ad alium commodiorem eiusdem terrae (ut intelligitur), aut prope illam, derelinquendo antiquum monasterium. Et in tali casu religiosi retinent omnia bona, et iura monasterii derelicti [4]. Possunt praeterea religiosi ex concessione Urbani VIII. et Innocentii VIII., quando deficerent reditus et eleemosynae unius monasterii, illud unire et incorporare alteri. Salm. [5]. Insuper possunt ad libitum redire ad monasteria derelicta, dummodo reditus non afferret aliquod novum praeiudicium aliis monasteriis [6]. Possunt insuper generales religionum superiores ex concessione Sixti IV. et eiusdem Urbani VIII. supprimere monasteria miserabilia, transferendo eorum bona ad maiora monasteria. Adnotetur hic, quod monasteria concessa ab universitatibus, cum derelinquuntur, in manus ordinarii derelinqui debent; at si propriis reditibus et eleemosynis aedificata fuerint, remanent in dominio religiosorum, ut de iis possint libere disponere. Salm. [7].

90. IV. Regulares habent privilegium eligendi iudicem conservatorem, qui iudicet de omnibus illis causis, in quibus religiosi sunt rei, et etiam in quibus sunt actores; sed quando sunt actores, solum propter iniurias et manifestas violentias ipsis irrogatas. Vid. Salm. [8].

91. V. Regulares habent privilegium admittendi eos omnes qui volunt sepeliri in eorum ecclesiis. Adnotamus hic praecipua quaedam circa sepulturam, de qua fusius tractant Salm. [9]. Quicumque ad pubertatem pervenerit, sibi eligere valet sepulturam ubicumque; etiam episcopi; nisi autem illam sibi eligant, sepeliri in cathedrali debent [10]. Religiosi tamen debent sepeliri in monasterio, etsi morarentur extra illud, dummodo locus non esset nimis remotus. Novitii valent sibi eligere sepulturam extra monasterium: quod si non faciant, sepeliri debent in illo, licet obirent dum alia in domo manerent ex licentia sui superioris [11]. Idem intelligitur quoad commensales et familiares qui actu serviunt et resident in monasterio sub obedientia superioris. Et hi valent recipere omnia sacramenta a religiosis, baptismo excepto, et matrimonio [12]. Gravissimas incurrunt poenas clerici et religiosi inducentes alios ad promittendum iuramento, voto, aut fide data, se electuros se-

(1) Tr. 18. c. 3. n. 129. et 130. (2) Ibid. n. 134. (3) Ibid. n. 132. (4) A n. 133. ad 143. (5) C. 3. n. 150.

(6) N. 148. (7) N. 147. (8) A n. 152. ad 178. (9) Tr. 18. c. 3. punct. 6. (10) Ibid. n. 186. (11) N. 187. (12) N. 118. 214. et 213.

pulturam in propria ecclesia [1]. Privandi sunt sepultura, qui moriuntur impoenitentes, et publice constat non fuisse confessos in anno, nec communicasse paschali tempore, et ita etiam haeretici, excommunicati, qui sibi ex ira mortem intulerunt, si deinde poenitentiae indicia non praebuerint, uti habetur in rituali romano: *Peccatores publici cuiuscumque peccati, et qui moriuntur in fragranti crimine* [2] *nullo dato signo poenitentiae;* etenim tunc praesumuntur et in peccato obiisse, ut dicunt communiter dd. cum rituali, quicquid dicant Lezana et Sancius. Salm.[3]. Qui huiusmodi defunctos sepelit, lethaliter peccat: et qui sepelit haereticum, aut haereticorum fautorem, aut publice excommunicatum, aut usurarium, etiam excommunicationem incurrit; et huiusmodi defuncti, si fieri possit, ex sepultura extrahendi sunt. Caeterum nemo sepultura privandus in quocumque casu sine sententia episcopi aut superioris, si cadaver est religiosi. Salm. [4].

92. Sed ad rem nostram, ad regulares videlicet, redeamus. Plura sunt notanda. 1. Quilibet clericus aut saecularis sibi eligere potest sepulturam in ecclesia regularium. Et quando aliquis haberet sepulturam suorum maiorum in alia, et non elegisset aliam ecclesiam, possunt regulares illic eum sepelire. Salm. [5]. 2. Parochi qui in associatione ad ecclesiam regularium plus exigunt, quam exigerent in sepeliendo defunctos in parochia, ut retraherent fideles ab eligenda alibi sibi sepultura, papalem excommunicationem incurrunt, ex bulla Clementis VIII. apud Salm.; et licet bulla edita fuit pro Indiarum parochis; tamen Lezana Peyrinus et Salm. cum aliis intelligunt eam editam fuisse universaliter pro omnibus [6]. 3. Cum sepeliendus est defunctus in regularium ecclesia, debent ipsi vocare et attendere parochum; sed si ille renuit venire aut nimis moratur, possunt ipsi extollere cadaver, et illud in suam ecclesiam asportare. Ita communiter Barbosa Lezana Peyrinus et alii cum Salm., ex pluribus decretis S. C. [7]. Officium supra cadaver tum celebrandum est, non a parocho aut canonicis, sed ab iisdem regularibus. Nec parochus exercere potest illud actum in eorum ecclesia; nec cogere haeredes ad celebrandas missas, aut eorum partem in parochia, ex pluribus decretis etiam S. C. Et idem observandum est etiam pro monasteriis monialium exemptarum [8]. Adnotandum tamen, in monialium ecclesiis sepeliri non posse laicos sine licentia sacr. congr., dummodo aliquis non haberet in eo ius sepulturae. Vid. *l.* 4. *n.* 62.

93. Quaeritur, utrum regulares teneantur ad solvendam canonicam portionem ordinario aut parocho. Alia est portio canonica *episcopalis*, et est illa quae debetur episcopis pro omnibus donationibus *causa mortis*, et pro legatis ecclesiis relictis, aut locis piis eorum dioecesium [9]. Haec portio quandoque fuit tertia, quandoque quarta pars; ut Innocentius III. [10] statuit, ut quoad quantitatem attenderetur consuetudo. Salm.[11]. Alia est *parochialis*, quae proprie vocatur *quarta funeralis*, et est illa portio quae parocho debetur ex funeralibus, legatis piis, et omnibus quae perveniunt ad ecclesiam, in qua sepeliendus est defunctus. Et ista etiam fuit diversa, sed quoad eamdem etiam consuetudo attendenda est [12].

94. Sed quoad regulares, eximuntur a solvenda portione episcopali eorum monasteria tam hominum, quam foeminarum, ex iure canonico [13] et ex aliis privilegiis apud Salm.[14]. Quo vero ad *quartam funeralem*, ex iure communi olim regulares tenebantur ad illam solvendam, sed hodie attentis eorum privilegiis, et Trident.[15] et bulla Pii V. *Et si mendicantium* anni 1567. tenentur ad illam solvendam ea monasteria dumtaxat, quae ultra 40. annos

(1) N. 191. (2) Ex c. fures, de furto. (3) Tr. 18 c. 3. n. 99. (4) Ibid. n. 202. et 204. (5) Ibid. n. 205. (6) Ibid. (7) Ibid. n. 208. et 209. (8) Ibid. n. 212. et 213. (9) Ex Clem. Dudum, de sepult. (10) Cap. Requisitis de testament. (11) Tr. 18. c. 3. n. 216. (12) Ibid. n. 218 (13) Extrav. Inter cunctas, §. Quibuscumque, de priv. (14) N. 217. (15) Sess. 25. c. 13.

antequam concilium confirmaretur, solebant solvere: ita probant Salmant. cum sententia communi, et pluribus decretis S. C. ex multis privilegiis pontificiis, et praesertim Sixti IV., qui imposuit poenam excommunicationis, et privationis beneficiorum parochis, qui vellent exigere praedictam *quartam*. Vid. Salm. [1]. Excipiuntur tamen illa monasteria quae solverent praefatam *quartam* ex contractu inito, aut ex consuetudine immemorabili [2].

Cap. V. De privilegiis regularium in particulari

95. I. Quoad facultatem quam habent superiores regulares circa absolutionem casuum reservatorum et censurarum, oportet hic distinguere potestatem erga subditos ab illa quam habent erga saeculares. Sub nomine *superiorum regularium* veniunt non solum generales et provinciales, et eorum vicarii subrogati in eorum locum, sed etiam omnes locales superiores, ut priores, guardiani, rectores, et etiam eorum vicarii: quando ipsi absunt, saltem per integrum diem. Ita communiter doctores, vid. Salm. [3]. Omnes isti absolvere possunt suos subditos, primo ab omnibus casibus, et censuris non reservatis pontifici, licet fulminatae essent *ab homine* per specialem sententiam, ut dicunt Salmant.[4] cum Lez. Candido Pelliz. etc. ex privilegiis Pauli V. Sixti IV. et Eugenii IV. Et id quod currit pro professis valet et pro novitiis, ita ut iidem absolvi possint a superioribus regularibus a casibus episcopis reservatis incursis, non solum post ingressum, sed etiam ante, ut Salm.[5] cum Bon. Pell. etc. et p. Maz.[6] cum Sanch. Tamb. etc. Et idem dicunt Salm.[7] et Mazz.[8] cum Peyrin. et Tamb. quoad illos qui proximi sunt, qui recipiantur, verb. gr. si manent in probatione in monasterio, ut assumant habitum, et id ex bulla Clementis VII. relata a Candido Rodriq. et a Salm. [9], in qua fuit concessum provincialibus regularibus et eorum vicariis aut aliis deputatis absolvere novitios ordinis ab omnibus casibus reservatis (exceptis illis bullae *Coenae*) incursis ante ingressum, et a censuris quae illis sunt annexae. His posset aliquis obiicere decretum Urbani VIII. allatum *l.* 7. *n.* 95., in quo fuit statutum, quod per confirmationem privilegiorum obtentorum a regularibus post Tridentinum non intelligebantur rursus concessa ipsa privilegia ipsis ablata tam a concilio, quam a S. C. absolvendi a casibus reservatis ordinario. Multipliciter respondent Salm. huic oppositioni; sed eorum responsiones non suadent, ut dicimus *ibid. n.* 103. Responsio congruentior videtur esse, ita scilicet, quod decretum Urbani loquitur de saecularibus, sicut etiam loquebatur prop. 12. damnata ab Alexand. VII.; sed non de novitiis, qui in favorabilibus communiter a dd. reputantur, ut religiosi; ita Sanch. Suar. Castr. Lez., cum iisdem Salm. [10] et aliis. Eo magis quia Clemens VIII. ita declaravit. Diana [11] refert privilegium concessum iesuitis

(1) Tr. 18. c. 5. a n. 218. ad 228. (2) Ibid. a n. 229. ad 233. (3) Tr. 18. c. 4. n. 1. ex c. Abbatis, de priv. in 6. (4) Ibid. n. 2. (5) Tr. 18. c. 3. n. 87. (6) T. 3. de res. cas. c. 2. q. 8. (7) Ibid. n. 98. (8) Loc. c. (9) Tr. de cens. c. 2. n. 80. (10) Tr. 15. c. 3. n. 85. (11) P. 3. tr. 2. resp. 75.

(quod ex communicatione extenditur ad omnes religiones), quo possint communicare novitiis omnia privilegia societatis. Excipiunt tamen Bon. Pelliz. et Salm. [1], casum, quo iam incoeptum esset iudicium episcopi contra novitium, antequam intraret; quia tunc (ut aiunt) posset episcopus eum extrahere et punire. Quod dictum est de novitiis, idem dicit p. Mazzot. [2] cum Peyrino de familiaribus monasteriorum: dummodo *inibi sint quasi de familia, et continui commensales*, ut dicunt in bulla *Superna* Clementis x.

96. Possunt secundo regulares absolvere suos subditos professos, et novitios etiam, sicut superius dictum est (vide *lib.* 6. *n.* 593. *v. Eadem*), ab omnibus casibus papalibus occultis eodem modo quo episcopi valent absolvere suos subditos [3]. Atque hoc ex privilegio Pii v. relato per extensum a Salm. et p. Concina, confirmato a Benedicto xiii. in bulla *Pretiosus* anno 1727., in qua fuit concessa regularibus potestas absolvendi etiam a casibus bullae *Coenae*, excepto relapsu in haeresim, falsificatione litterarum apostolicarum, et translatione rerum prohibitarum ad infideles. Ac obiter hic notandum, quod in dicta bulla fuit etiam concessa generali dominicanorum potestas dispensandi ab irregularitate ob homicidium commissum a subditis, dummodo patratum non fuerit data opera, et secutum intra claustra monasterii. Sed id revocatum est a Clemente xii. Vide dicenda *l.* 7. *n.* 101.

97. Possunt tertio regulares absolvere suos subditos ab excommunicatione ob percussionem, etiam gravem et enormem et publicam, inflictam non solum religiosis eiusdem ordinis, sed etiam alterius, et etiam clericis saecularibus. Castr. Ronc. Salm. et Croix, ex privilegiis Bonifacii iv. et Clementis viii. Atque hic adnotandum, quod si percussio sit levis aut occulta, religiosus percussor (si velit) potest petere absolutionem etiam ab episcopo, sed obtenta sui superioris licentia *l.* 7. *n.* 107. Dictum est *subditos*, quia nequeunt absolvere saeculares, cum hic casus limitatus sit regularibus intra Italiam, et extra Romam a Clemente, ut mox dicetur, *n.* 99.

98. Adnotandum hic praeterea, superiores regulares ex concessione Clementis viii. posse, si ipsis expediens videtur, reservare undecim casus, sed non plures, sine consensu capituli generalis, aut saltem provincialis pro provincia. Si autem superior denegat licentiam, et utrum pro prima vice possint religiosi absolvi a reservatis vide *l.* 6. *n.* 586.

99. Quoad vero saeculares, olim mendicantes gaudebant privilegio, quo poterant absolvere saeculares ab omnibus casibus et censuris reservatis tam a pontifice, quam ab episcopis. Sed deinde decreto Clementis viii. anno 1602. confirmato a Paulo v. anno 1617. et Urbano viii. anno 1627. limitata fuit praedicta potestas, et statutum fuit, ne regulares existentes extra Romam et intra Italiam possent absolvere saeculares nec a casibus bullae *Coenae*, nec ab aliis sex sequentibus: scilicet 1. a percussione clerici: 2. a duello: 3. a violatione immunitatis: 4. a violatione clausurae monasteriorum monialium ob pravum finem: 5. a simonia confidentiali in beneficiis; et denique ab omnibus casibus quos sibi reservant episcopi. Itaque tam ex dicto decreto Clem. viii., quam etiam ex bulla Gregorii xii. *Cum a sacra;* et praesertim ex propositione 12. damnata per Alex. vii. quae sic se habebat: *Mendicantes possunt absolvere a casibus episcopis reservatis, non obtenta ad id episcoporum facultate;* hodie non est in dubium revocandum (quicquid aliqui dicant) quin saeculares absolvere possint a casibus ab episcopis reservatis. Vid. *l.* 6. *n.* 599. *vers. Certum est*, et *l.* 7. *n.* 95. Ita neque possunt absolvere saeculares a sex casibus Clementis, etsi occulti sint, contra p. Vivam: potestas enim, quam regulares habent ex bulla s. Pii v. relata *n.* 96. qua possunt ab-

(1) Loc. cit. n. 87.

(2) Loc. cit.

(3) Ex c. Liceat.

solvere casus occultos, quam habent episcopi ex *cap. Liceat;* est solum respectu suorum religiosorum, non autem saecularium. Id tamen probabile iudicamus cum Viva Comitolo et aliis, quibus adhaeret etiam p. Concina, scilicet quod regulares possint absolvere a casibus, quos sibi in synodo episcopus reservarit, sed deinde non expressit illos in tabella; quia tunc praesumitur voluisse concedere potestatem ab iis absolvendi omnibus confessariis, modo ab ipso approbatis. Vid. *lib.* 7. *n.* 100.

100. Dubitatur 1. utrum religiosi possint absolvere saeculares a casibus non reservatis sibi ab episcopis, sed *in iure*, aut ex consuetudine reservatis episcopis, ut sunt abortus foetus animati, et alii adnotati *n.* 46. Negant Viva Bord. Cabass. Milante et alii, eo quod (ut aiunt) in decreto Pauli v., et Urbani viii. prohibetur regularibus absolvere laicos a casibus episcopis reservatis. *A casibus eisdem ordinariis reservatis*, sunt verba Urbani. Nihilominus probabilius affirmant Conc. LaCroix Sporer Salm. Lez. Sanch. cum multis aliis, quibus adhaeret etiam (se retractans) p. Viva [1]. Ratio est, quia citata verba decreti Urbani (et idem de decreto Pauli v.) intelligenda sunt de casibus quos episcopi sibimet reservant: cum talia decreta, ut diximus *n. praec.* sint confirmativa decreti Clem. viii. in quo fit mentio tantum casuum, qui sibi ab episcopis reservantur. *Nec a casibus* (haec ait Clemens) *quos ordinarii* reservarunt, aut in posterum *reservabunt*. Eo magis, quia, ut ait p. Suar., casus reservati episcopis *in iure* debeant potius dici delegati episcopis, quam reservati. Sed animadvertendum, id non valere quoad percussionem clerici, nec quoad omnes alios casus, quos sibi ordinarius reservaret; etenim quoad istos sublata fuit omnis facultas regularibus, ut dictum est *n. praec.* Vide *l.* 7. *n.* 99.

101. Dubitatur 2. utrum regulares absolvere valeant saeculares a casibus papalibus. Negant pauci quidam, idest Viva cum Bordono et Florino, ex iisdem decretis Pauli v. et Urbani viii., quibus etiam vetitum fuit regularibus absolvere a casibus reservatis sedi apostolicae. At communissime et probabilius affirmant Bon. Aversa Salm. Pelliz. Rodriquez Potestas Peyrinus et ipse Viva [2] (licet id affirmet solummodo quoad casus papales occultos) ex privilegio Pauli iii. concesso ann. 1545. *iesuitis*, quo dictum fuit, quod possent absolvere saeculares *ab omnibus peccatis etiam sedi apostolicae reservatis*, *exceptis contentis in bulla Coenae*. Nec obstant praedicta decreta Pauli v. et Urbani viii., quia (ut dictum est *n. anteced.*) intelliguntur de casibus Clementis viii. (quos supradicti pontifices confirmare voluerunt) in quo solum casus bullae *Coenae*, et sex alii excepti fuere. Animadvertendum autem est, hanc potestatem valere tantummodo quoad forum internum *n.* 96. *et* 97. Observetur praeterea, quod dictum est *n.* 31. de abbatibus habentibus quasi episcopalem iurisdictionem.

102. I. Adnotandum hic, quod olim confessarii regulares ex concessione Gregorii xiii. et Eugenii iv. in itinere poterant excipere confessiones, non modo subditorum dioecesis ubi approbati erant, sed caeterorum omnium. Ex bulla *Cruciatae*, cum approbarentur in uno loco, erant approbati pro omnibus. Ita apud Salm. [3]. Innocent. autem x. deinde statuit, ne regulares possent excipere confessiones alicubi sine loci ordinarii licentia: etiamsi haberent privilegium *Cruciatae*, ut declaravit Innocentius xii. [4]. Vid. *lib.* 6. *n.* 548. 549.

103. Animadvertendum praeterea est, quod olim [5] regulares approbati absolute semel ab ordinario non poterant obligari, ut denuo examinarentur. Attamen s. Pius v. [6] dixit, quod episcopus successor *pro maiori quiete suae conscientiae* posset rursus illos exami-

(1) In sua morali. (2) Ibid. (3) Tr. 38. c. 4. n. 71. et 72. (4) Bulla Cum sicut, an. 1700.

(5) Ex Clem. Dudum, de sepult.
(6) In Extrav. Romani pontificis.

nare. Sed post Gregorium XIII. in sua bulla *In tanta negotiorum etc.* [1] ad tollendas lites exortas circa regulares, revocavit omnes declarationes s. Pii, et praesertim hanc concernentem approbationem confessariorum regularium: revocavit, inquam, ad statum pristinum dispositionis Trid., quod [2] nihil aliud exegit quoad regulares, nisi ut approbarentur ab ordinario. Hinc inferunt multi dd., ut Anavius Dicastillus Villalobos Delbene etc. apud Salm. [3] quod regulares approbatos examine ab aliquo episcopo non possit denuo examinare successor. Attamen contrarium tuentur Diana [4] et Lezana Bossius Bordone et multi alii ex decreto S. C. (relato a Lezana et Diana), quo fuit declaratum, quod non obstante bulla Gregorii XIII. posset episcopus successor examinare approbatos ab antecessore, et hanc hodiernam esse episcoporum praxim testantur Diana, ipsi Salm. Sed probabiliter dicunt Salm. [5] cum Villalobos, quod tam ex constitutione s. Pii, quam ex declaratione S. C. possit ordinarius successor iterum vocare ad examen aliquem, aut aliquos regulares, quos notitiam habet non esse idoneos; sed non potest edicto generali suspendere omnes confessarios regulares usquedum denuo examinentur. Caeterum animadvertendum est, quod revocando generaliter ordinarius omnes licentias, non comprehendantur regulares, qui in odiosis non comprehenduntur, nisi exprimantur. Salmant. [6] cum communi. Animadvertatur insuper quod capitularis vicarius *sede vacante* non possit ad examen vocare regulares ex privilegio iis concesso a Clemente IV. Vide Salm.[7] et Dianam [8]. Animadvertendum praeterea, supradicta valere pro approbationibus concessis absolute, non tamen pro concessis ad tempus, e. g. ad sex menses, ut plerumque fit, cum certum sit ex bulla Innocentii XIII. *Apostolici ministerii*, confirmata per Benedictum XIII. quod confessarii tam saeculares, quam regulares non valeant excipere confessiones extra locum, personas, et tempus praescriptum, quocumque privilegio non obstante.

104. II. De facultate regularium dispensandi in irregularitatibus. Regulares valent ex privilegio s. Pii V. relato *n.* 96., confirmato a Iulio II., dispensare cum suis subditis in omnibus irregularitatibus occultis, in quibus possunt ordinarii dispensare cum suis dioecesanis [9] ut dictum est *n.* 29. Et idem possunt cum saecularibus, ut aiunt Suar. Sanch. Pelliz. Sairus Salm. Sporer Lezana, etc. ex concessionibus Sixti IV., et praedicti Iulii II. Vide *lib.* 7. *n.* 355.

105. Possunt praeterea regulares dispensare cum subditis in quacumque irregularitate, aut ob delictum aut ob defectum ex privilegio Martini V. Vide *eodem n.* 355. Itaque, ut ad particularia descendam, possunt superiores dispensare cum subditis 1. in irregularitatibus ob homicidium non solum occultum, ut concessum fuit in privilegio Martini V., sed etiam voluntarium notorium, ut dictum est *n.* 96., ex privilegio Benedicti XIII., dummodo data opera patratum non fuerit, et consummatum intra claustra. 2. Quoad defectum animae possunt dispensare cum religioso ad suscipiendum sacerdotium, licet ipse passus esset permanentem dementiam, si deinde medicorum iudicio cessavit eius periculum. Vide *l.* 7. *n.* 400. Quoad defectum corporis, ut si alicui pes, aut oculus deficeret, etiam sinister, possunt dispensare, ut probant Salm. [10] cum Bordon. ex privilegio Sixti IV. Et in dubio possunt etiam declarare, defectum non obstare, ut possunt ordinarii cum suis subditis. Vide *l.* 7. *n.* 414. 4. Quoad defectum natalium, haec irregularitas per se cessat religionem profitendo quoad id quod spectat ad ordinum susceptionem [11]; nam quoad dignitates necessa-

(1) Rel. a Nav. in fin. sui man. (2) Sess. 23. c. 15.
(3) Tr 18. c. 4. n. 119. (4) Pag. 3. tr. 2. resp. 27.
(5) Tr. 18. c. 4. n. 120. (6) Ibid. n. 15.
(7) N. 116. (8) P. 3. tr. 2. resp. 27.
(9) Ex c. Liceat. (10) Tr. 10. de cens. c. 9. n. *5
(11) Ex c. 1. de fil. presbyt.

ria est dispensatio. Sed pluribus privilegiis possunt dispensare cum suis omnes superiores regulares generales, provinciales, et etiam priores. *Lib.* 7. *n.* 354. *et* 426. Vid. etiam Salm. [1] cum Bord. Peyr. Lez. Pelliz. etc. Quod vero inquit Sotus professione cessare quamlibet irregularitatem, id communius negatur. Vide Salm. [2]. 5. Possunt dispensare in bigamia etiam vera ex privilegio Martini V., ita Castr. Pelliz. Macado Salmant. etc. Vide *l.* 7. *n.* 355. *et* 453. 6. In irregularitate etiam publica ob defectum lenitatis. *Lib.* 7. *n.* 469. 7. Et ultimo possunt regulares dispensare cum suis subditis in omnibus inhabilitatibus, et poenis contractis ratione delicti, ut privationis officii, beneficii, vocis, loci, etc. etsi illae reservatae sint pontifici, ut aiunt Suar. Sanchez Pelliz. et Salm. cum aliis privilegiis Sixti IV., s. Pii V., et Greg. XIV. Salm. [3].

106. III. Praelati regulares habent potestatem dispensandi cum suis subditis in praeceptis ecclesiasticis, ut possunt episcopi cum suis dioecesanis. Etenim ipsi habent quasi episcopalem iurisdictionem, ut communiter docent dd. [4] et Salm. [5] cum Bonac. Pasqual. etc. Et ideo possunt probabiliter dispensare in omni eo quod non est specialiter pontifici reservatum. Et praesertim in dubio, utrum res dispensatione indigeat, ut diximus. Salm. [6]. Possunt etiam dispensare cum causa (sicuti semper supponitur) in legibus pontificiis, cum latae sunt pro aliqua provincia, aut monasterio particulari, quia tunc praesumitur data huiusmodi facultas; aut cum talis est consuetudo, aut quando non potest facile recurri ad superiorem; aut quando agitur de rebus parvi momenti quae non obligant ad lethale peccatum, aut quae frequenter accidunt, ut ieiunia, abstinentia a carnibus, festorum observantia, recitatio officii; dummodo non dispensetur per longum tempus, ut dicunt Salm. cum Caiet. Soto etc. Et idem valet quoad regulares religionis [7]. Ita dicunt etiam Azor. Castrop. Salm. Trullench. Macado etc. posse superiores dispensare ad operandum diebus festis tam cum religiosis, quam servis domesticis, sed non cum extraneis; qui alioqui possunt operari pro monasterio, si monasterium sit pauper, ut aiunt Sylvest. Fagund. et Salm. [8] cum Pasqual. Leandro et aliis.

107. Quoad divinum officium notentur hic privilegia quae habent regulares. 1. Leo X. concessit religiosis, ut possent recitare horas privatim omnino mentaliter (sed p. Ferraris [9] citans Sporer, ait hoc privilegium esse adulterinum). Praeterea ut possint anticipare officia longiora, et reservare brevia pro diebus maioris occupationis: 2. Clemens VII. concessit omnibus regularibus infirmis (intelligitur de illis infirmis qui per se non excusantur ab) officio) et infirmariis posse satisfacere officio recitando 6. aut 7. psalmos (assignandos a superiore) 7. *pater et* 2. *credo*. Et Martinus V. concessit convalescentibus, ut satisfacere possent dicendo illam officii portionem quam iudicaverit eorum confessarius. 3. Innoc IV. concessit monialibus s. Clarae (et ita intelligitur pro omnibus aliis communicantibus) satisfacere officio conversarum ob quamcumque rationabilem causam, v. gr. si religiosa non sit bene instructa iuxta iudicium abbatissae, aut confessarii, in officio coristarum: aut si sit scrupulosa, aut ob labores lassa, aut occupata in rebus utilibus, ut esset religiosis esse applicatum ad excipiendas confessiones, praedicationi, aut studio ecclesiastico pro maiori diei parte; etenim supponitur, quod privilegiis concessis monialibus gaudeant etiam religiosi *ad invicem*, ut dictum fuit *n.* 10. Animadvertunt insuper Salm. huiusmodi privilegio eas posse uti etiam sine licentia superiorum; fuit enim concessum sine ista conditione. Animadvertunt praeterea, quod

(1) Tr. 10. c. 9. n. 57. et tr. 18. c. 4. n. 23.
(2) Tr. 10. c. 7. n. 58. (3) Tr. 18. c. 4. n. 29.
(4) Ex Clem. Ne Romani, de elect. (5) Tr. 18. c. 4. n. 31. (6) N. 33. (7) N. 34. et 35 (8) N. 37. (9) Bibl. v. Offic. a. 3. n. 101.

si monialis omitteret laicorum officium, utentes huiusmodi privilegio non peccarent lethaliter, quia tunc reputantur ut laicae, quae sub mortali non tenentur ad sui officii recitationem. Sed hoc non mihi placet, etenim huiusmodi privilegio monialis non transit in qualitatem laicae, sed tantum officium eius coristae transit, et commutatur in illud laicae.

108. V. Confessarii mendicantium, et caeteri regulares communicantes potestatem habent irritandi, remittendi, et dispensandi iuramenta ac vota. Possunt insuper dispensare cum coniugibus quoad impedimentum ad petendum debitum, propter incestum commissum cum consanguinea coniugis, ut communiter aiunt Sanchez Pontius Salm. aliique contra p. Conc. ex multis privilegiis variorum pontificum. Vide *lib.* 6. *n.* 1076. *v. Insuper.* Animadvertendum est autem hic, quod confessarius debet in hoc obtinere licentiam specialem, saltem a superiore inferiore sui monasterii. *Ibid. v. An autem.*

109. Possunt praeterea confessarii mendicantes dispensare cum coniugibus in voto castitatis elicito ante matrimonium, ad petendum debitum, sicut etiam communiter dicunt Castr. Pont. Sanch. Tourn. Wigandt Salm. etc. ex privilegio s. Pii v. Et etiam in voto elicito post matrimonium, uti rite existimant Sanch. Salm. etc. (contra Pontium) ex aliis privilegiis, ex quibus possunt ipsi dispensare in omnibus votis, in quibus valent *de iure ordinario* dispensare episcopi cum suis subditis. Vide *lib.* 6. *num.* 987. *v. An autem, et num.* 1128. Id vero quod magis ambigitur est, utrum in casu necessitatis possint dispensare cum sponsis, ut possunt episcopi in voto castitatis ad contrahendum matrimonium. Plerique affirmant, ut Anacletus Vidal. Passeus Henriquez etc. quam sententiam probabilem iudicant Salm. et Elbel. Sed communius negant Layman. Barbosa Sanchez et Pontius, dicentes quod regulares possint dispensare solum in votis, in quibus valent dispensare episcopi *de iure ordinario*, sed non extraordinario, ut in casu isto. Respondent autem adversarii in casu necessitatis episcopos etiam *de iure ordinario* dispensare, cum sit huiusmodi potestas annexa eorum officio et dignitati, ut dictum fuit *num.* 34. *et* 41., unde non possumus habere ut improbabilem primam sententiam. Vide *lib.* 6. *num.* 1128. *in fin.*

110. VI. Cum saecularibus conceditur facultas deligendi sibi confessarium, aut a summo pontifice aut ab eorum ordinario, semper supponitur quod sit confessarius approbatus ab episcopo; sed regulares ex expressa aut tacita sui superioris licentia possunt confiteri cuicumque simplici sacerdoti: quod communiter existimatur cum Suarez Lugo Salm. [1]. Quare omnes superiores regulares possunt sibi eligere in confessarium quemlibet sacerdotem, ut etiam communiter dicunt dd. [2]. Idem vero quod pro religiosis, valet et pro famulis commensalibus monasterii, uti habetur ex Trid. [3] ex quo possunt recipere a religiosis sacramenta poenitentiae, eucharistiae, et extremae unctionis. Et idem valet quoad novitios, qui *in favorabilibus* sub religiosorum nomine veniunt, ut omnes fatentur, et declaravit sacr. congr. die 14. augusti 1665. Quare ipsi possunt absolvi ab omnibus casibus ab episcopo reservatis, Salm. [4] ut dictum est *n.*95. Sed id non valet pro equitibus s. Iacobi et similibus, ut dicunt Salmant. cum communi, nam huiusmodi viget consuetudo [5].

111. Adnotandum insuper, quod religiosi peregrinantes, si habeant socium (dummodo sit idoneus) eiusdem ordinis, illi confiteri debent. Si vero desit socius, aut alius eiusdem ordinis sacerdos, tunc confiteri possunt cuilibet sacerdoti idoneo regulari aut saeculari: quod commune est apud omnes.

(1) Tr. 18. c. 4. n. 49.
(2) Ex c. ult. de poenit. et rem.
(3) Sess. 25. c. 11.
(4) Tr. 18. c. 4. n. 524
(5) Ibid. n. 80

Sed quaeritur utrum talis sacerdos approbatus in illo loco esse debeat. Ita volunt pauci quidam ut Wigandt Concina etc. Sed communissime, et quidem recte negant Suarez Roncaglia Castropal. Salmant. Elbel aliique. Et quia talis est consuetudo religionum, quae facit praesumere consensum ordinariorum; et quia Innoc. VIII. absolute concessit religiosis peregrinantibus, ut cum non possent habere sui ordinis confessarium, *quemcumque alium presbyterum idoneum religiosum, vel saecularem eligere valeant*. Vide *lib.* 6. *numer.* 575.

112. Dicunt insuper Lugo [1] et Salmant. [2] cum Navarro Soto Castrop. Peyrino Bossio etc. quod tempore generalis iubilaei possint regulares et etiam moniales sine suorum superiorum licentia confiteri religiosis alterius ordinis, licet haberent confessarium ordinis sibi assignatum, ex pluribus privilegiis, quae referunt Lugo Mendo etc. Vide *lib.* 6. *n.* 536. *in fine.*

113. VII. Regulares, quoad ordines, non recipiunt litteras dimissoriales ab episcopis, sed ab eorum superioribus, aliter graviter peccant, et incurrunt suspensionem. Attamen quoad recipiendos ordines, primo s. Pius v. ipsis concessit privilegium recipiendi ordines a quocumque episcopo; sed hoc revocatum fuit per Gregorium XV. Quae abrogatio confirmata est a pluribus aliis pontificibus, et nuper a Benedicto XIV. bulla *Impositi etc.* anno 1747., qua praeterea praecipitur, ut si loci ordinarius ordinationem tenet, ab ipso debeat examinari et ordinari religiosus; quod si episcopus absit, aut non habet ordinationem, potest ordinari ab alio episcopo; sed tunc requiritur attestatio authentica vel vicarii generalis, vel secretarii, aut cancellarii ipsius episcopi, qua constet aut vel ipsum abesse a dioecesi, vel ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per leges ecclesiasticas statuto. Et praecipit idem pontifex hoc expresse declarandum esse, ut cognoscatur, quod non sufficit, ut dicatur episcopum ordinationem non habiturum si accedant extra tempora; aliter easdem subit poenas, quas subeunt qui sine dimissorialibus litteris ordinantur. Insuper vetatur religioso, ne alibi data opera permaneat, ut eximat se ab examine episcopi loci, ubi prius morabatur. Religiosi vero morantes in dioecesibus, quae sunt *nullius*, ordinari debent ab episcopo viciniori. Vide *lib.* 6. *num.* 768. *et n.* 788. *not.* 8.

114. Quaeritur hic 1. a quo debeant ordinari novitii. Dicunt Suarez et Henriquez, ab ordinario aut originis, aut domicilii: sed Sanchez Castrop. Delbene et Fagnanus cum aliis existimant, quod possint ordinari ab ordinario loci, ubi est novitiatus. Recte dicunt LaCroix et p. Mazzotta, utramque sententiam esse probabilem, dummodo (quoad hanc secundam) novitius animum habeat, quantum in se est, perpetuo permanendi in illo monasterio in quo est, et hac de re iuramentum praebeat, ut praecipitur in bulla *Speculatores. Lib.* 6. *n.* 765.

115. Quaeritur secundo utrum religiosi possint ordinari *extra tempora.* Negant Vasquez Lezana etc.; etenim aiunt, quod etsi Gregorius XIII. id concesserit iesuitis, attamen prohibuit communicationem. Sed hodie non amplius est in dubium revocandum, quin possint tam ex multis privilegiis concessis aliis religionibus, quam ex declaratione nuper facta per Bened. XIII. in conc. romano [3] in quo statutum fuit, quod talia privilegia *in suo robore persistant, nec eis derogatum fuisse constat. Lib.* 6. *num.* 797. *v. dub.* 3.

116. Quaeritur 3. utrum cum ordinantur regulares *extra tempora*, valeant ordinari quocumque die in quo fit officium duplex, etiamsi non sit festum de praecepto. Affirmant Fagundez Villalob. Diana etc. et dicunt esse probabile Suarez aliique; quia Alexander VI. cum ageret de huiusmodi privilegio dixit posse ordinari *diebus dominicis, sive festivis duplicibus*, at non di-

(1) D. 20. n. 36. (2) Tr. 18. c. 4. n. 124.

(3) Tit. 5. cap. 2

xit de *praecepto*. Hanc opinionem reiicere non audeo, existimo tamen probabiliorem oppositam cum Lug. Morin. et Escobar, quia Gregor. XIII. agens de eodem privilegio declaravit dicens, *diebus dominicis et festivis diebus*, et non dixit *duplicibus*: dies festivus proprie accipitur ille in quo vetantur opera; unde intelligitur de praecepto. Et revera usus obtinet quoad omnes eos qui dispensatione ordinantur *in tribus diebus festivis*, pro quibus valet eadem regula. Vide *lib.* 6. *n.* 797. *v. dub.* 4.

117. Quo vero ad potestatem conferendi ordines, olim abbates regulares ex concessione ipsis facta in synodo VII.[1] poterant ministrare tonsuram et ordines minores, non solum suis subditis religiosis, sed omnibus aliis: attamen per Trid.[2] huiusmodi potestas fuit ipsis limitata pro solis regularibus subditis. His tamen non obstantibus plerique dd. substinuerunt abbates, saltem mitratos (ut existimant Salm. et adducunt plura S. C. decreta) qui possunt pontificalia exercere, posse ordinare etiam saeculares suos subditos, et etiam alios, habentes dimissoriales litteras suorum ordinariorum; nihilominus omnes istae opiniones locum amplius hodie non obtinent post decretum S. C. approbatum ab Urbano VIII. die 17. ian. anno 1642., in quo reiecta quacumque contraria sententia, prohibitum fuit abbatibus ne ordines conferrent, vel litteras dimissoriales concederent aliis, quam solis subditis regularibus; iisque contrarium facientibus suspensio imposita fuit. Excipiuntur tamen plerique descripti in cancellaria rom., qui privilegium habent dimissoriales epistolas concedendi, ut abbas Montis Cassinensis, abbas Cavensis, etc. Vide *lib.* 6. *n.* 763.

118. Quaeritur hic I. utrum abbates, habentes iurisdictionem pene episcopalem in aliquo territorio separato, possint ordinare suos subditos saeculares. Molfesius apud La-Croix[3] affert declarationem affirmativam S. C. Sed Bened. XIV.[4] refert alteram contrariam, et idem affert decisum p. Zacharia apud La-Croix[5].

119. Quaeritur 2. utrum abbates qui possunt ordinare subditos professos, valeant et novitios. Negant Castrop. Barb. Sayrus etc. Communius autem et probabilius affirmant Suar. Laym. Sanch. Escobar. et Salm. cum aliis, quoniam in *favorabilibus* regulariter sub regularium nomine veniunt etiam novitii ut diximus. Vide *lib.* 6. *n.* 764.

120. Quaeritur 3. utrum ordines collati ab huiusmodi abbatibus, saecularibus, aut regularibus non subditis, sint validi. Negant Suar. La-Croix etc. Sed affirmandum est cum Sanchez Salm. Tambur. Pelliz. etc. quia haec facultas (ut diximus) olim fuit concessa abbatibus, et a concilio deinde, et decreto Urbani vetitum illis fuit tantum facultatis exercitium: unde ipsi illicite, sed valide ordinant. Et quod ita se res habeat, apparet ex eodem decreto Urbani, in quo ordinatis imponitur suspensio. Pro validis itaque habentur ordines iis collati. Et ita decisum pluries per S. C. affert Bened. XIV.[6].

121. VIII. Quoad celebrandam missam et ministrandam eucharistiam, olim ex privilegiis Sixti IV. Alexandri VI. et Urbani VIII. poterant celebrare in altari portatili, tam in suis domibus, quam in suis ruralibus domibus, vulgo *grancie*, etiam contradicente episcopo. Salm.[7]. Sed Clemens XI. anno 1703. suo decreto declaravit, quod omnia eorum privilegia celebrandi in altari portatili revocata sint per Tridentinum. Idemque declaravit Benedict. XIV.[8]. Nec possum assentiri p. Mazzottae dicenti, huiusmodi prohibitiones intelligi factas quoad domos privatas, sed non quoad proprias religiosorum; nam in decreto Clementis agitur de privilegio celebrandi *in locis, in quibus degunt*; loca autem, in quibus degitur, sunt domus propriae, non alienae. Innocentius insuper XIII. anno 1723. in bulla *Aposto-*

(1) Ut habetur in can. Quoniam, dist. 69.
(2) Sess. 23. c. 10.
(3) L. 6. p 2. n. 2253.
(4) De syn. l. 2. c. 11. n. 15.
(5) Loc. c.
(6) Ib. n. 13.
(7) Tr. 15. c. 7. n. 96.
(8) Bull. Magno, §. 29.

lici ministerii, quae cum ab ipso pro cleri hispanici reformatione tantum edita esset, confirmata fuit ann. 1724. a Bened. XIII. in bulla *In supremo* pro toto orbe, prohibuit, *ne in privatis regularium cellis, seu cubiculis erigatur altare, remota quacumque in contrarium consuetudine*. Vide *lib*. 6. *num*. 360. *v. Hanc*. Sciatur tamen, quod Gregorius XIII. concessit provincialibus iesuitarum facultatem deputandi publica oratoria in suis ecclesiis, in quibus omnes possunt celebrare, etc. apud Merat.[1].

122. Ex privilegio Gregorii XIII. possunt regulares celebrare una hora ante auroram; quare valent celebrare missam tribus horis ante solis ortum; ita Lugo Suar. Rodriquez et Salm.[2]. Immo cum adest aliqua iusta causa possunt celebrare immediate post duas horas a media nocte ex privilegiis Alex. VI., et Clem. VIII. Et huiusmodi privilegia dicunt Lugo Rodriquez Diana Narbona et Salmant. cum aliis non esse revocata per Trident.[3]. Monent tamen praedicti dd., id valere tantum pro ecclesiis propriis; in quibus tamen (subdunt) possunt huiusmodi privilegio uti etiam sacerdotes saeculares. De Lugo[4], et Salm.[5]. Insuper Eugenius IV. concessit regularibus licentiam celebrandi tribus horis post meridiem, iusta tamen ex causa: attamen Azor. Fagundez, aliique dicunt, huiusmodi privilegium fuisse revocatum per s. Pium[6] cuius rei Lezzana affert declarationem S. C. Sed his non obstantibus, dicunt Lugo et Salm. cum Aversa Dicastillo Narbona Diana etc. authentice non constare de revocatione s. Pii, qui loquutus fuit de missis tantum, quae celebrantur *de sero*, *etiam forsan circa solis occasum;* unde dicunt, vigere privilegium Eugenii IV., et ut quis illo utatur, sufficere quamcumque mediocrem causam, ut convalescentiae, studii, et similium.

123. Quo vero ad ministrandam eucharistiam Paulus III., aliique pontifices concesserunt regularibus facultatem ministrandi in suis ecclesiis omnibus fidelibus. Excipitur tamen 1. si episcopus rationabiliter prohiberet alicui ne eucharistiam sumeret. Excipitur 2. communio in mortis articulo, aut periculo, dummodo non adsit extrema, aut gravis necessitas, et parochus nequeat aut nolit ministrare; Lugo Roncaglia, etc. Vide *l*. 6. *n*. 239. *et* 240. Excipitur tertio communio paschalis; idest illa qua praecepto satisfit, ut communiter aiunt Filliucius Sa Busemb. etc.

124. IX. Quoad facultatem concionandi olim regulares[7] poterant libere praedicare in suis ecclesiis et in plateis; sed Tridentinum[8] statuit, ne in alienis ecclesiis praedicare possent sine licentia ordinarii, et in ecclesiis propriis sui ordinis antequam benedictionem petant ab episcopo. Quare religiosi, ut in suis concionentur ecclesiis, sufficit, ut petant benedictionem, etsi illa denegetur, ut dicunt Lezzana Pelliz. Bordonus et Salm.[9] cum aliis, adducto decreto S. C. Sed huiusmodi benedictio, ut dicunt Salm., non requiritur, ut praedicent per *plateas:* nam concilium loquitur solum de ecclesiis. Semper tamen debent regulares habere approbationem suorum superiorum, qui peccarent si nullo eorum praehabito examine iis praedicare permitterent. Salm.[10]. Possunt autem superiores committere etiam simplicibus clericis tonsuratis ut praedicent ex privilegio Gregorii XIII.; licet S. C. generaliter declaraverit, praedicationem non posse committi cuicumque tonsurato[11].

125. Quo vero ad ecclesias alienas, ut dictum est, regulares ibi praedicare non possunt sine venia ordinarii, nisi id esset pro duabus aut tribus vicibus, ut dicunt Navarrus Barb. Diana Salm. aliique; aut dummodo ordinarius non maneret inibi, et religiosus aliquis transeunter ibi esset, quia tunc potest

(1) P. 1. tit. 20. ad lit. F. (2) Tr. 15. c. 7. n. 94. (3) Sess. 22. de evit. etc. (4) De euch. d. 20. n. 27. (5) Ibid. n. 95. (6) In bull. Amantissimus, an. 1566.

(7) Ex Clem. Dudum, de sepult. (8) Sess. 5. c. 2. (9) Tr. 18. c. 4. n. 178. (10) Ibid. n. 176. et 177. (11) Ibid. n. 174.

illi parochus licentiam concedere praedicandi, uti concessit Gregorius XIII. Salm. [1]. Quando tamen ordinarius veniam concederet, religiosus valet concionari in parochiis, etiam contradicente parocho, et quia ordinarius est parochi superior, et quia id fuit expresse concessum per Alex. IV. [2].

126. Quaeritur 1. utrum liceat regularibus concionari contradicente episcopo. Quando sunt alienae ecclesiae, et episcopus ab initio veniam denegat, proculdubio non licet. Sed si episcopus iam concessisset licentiam, et inde vellet eam revocare, atque ecclesiae essent propriae, dicunt Peyrinus Vega Pelliz. et Salm. cum Diana etc. [3] posse praedicare. Sed huic obstat quod in Trid. statuitur [4] *nullus saecularis, sive regularis... contradicente episcopo praedicare praesumat*. Obstat insuper bulla Gregorii XV. *Inscrutabili*, in qua statuitur, episcopum, ut delegatum apostolicae sedis, posse punire religiosos, *qui in alienis ecclesiis suorum ordinum non petita benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint*. Sed respondent Salm. quod tam praedicta bulla, quam concilium accipienda sint iuxta id quod statuitur in Clementina *Dudum*, qua prohibetur praedicare, quando praedicat episcopus, aut quando solemniter coram ipso praedicatur. Et ita decisum referunt per S. C. episcoporum et regularium die 30. ian. 1629. apud Barbosam [5]. Cum ego tamen observassem Barbosam, inveni, quod sacr. congregat. declaratio fuerit solummodo quoad conciones in ecclesiis propriis regularium; unde, quoad ecclesias alienas mihi non videtur probabilis supradicta responsio.

127. Quaeritur 2. utrum episcopus valeat examinare religiosos petentes veniam concionandi in ecclesiis non propriis. Sacr. congr. apud Barb. [6] die 12. ian. ann. 1628. statuit affirmative; sed negant Salm. [7] cum Pelliz. Bordono Diana Peyrino etc. ex bulla Leonis X. *Supernae*, in qua statutum fuit, ut nemo ad concionandum admitteretur; *nisi prius per superiores suos respective examinatus;* et deinde declaratum fuit ibidem, quod religiosus approbationem sui superioris ostendere deberet. Respondent deinde Salmant. cum Pelliz. et Granado supradictam contrariam S. C. declarationem non amplius quam probabilem praeseferre sententiam; unde non esse praeferendam bullae Leonis. At, inquam, saltem probabile est ex dicta declaratione, quod episcopus valeat examinare, et aliter negare possit licentiam. E contrario bulla Leonis prohibet episcopis, ne admittant religiosum non afferentem approbationem sui superioris, sed non vetat illum examinare, si velit, et negare veniam, si ipse renuat examinari.

128. Animadvertendum tandem est, ordinarium ex concilio lateranensi V. posse suspendere et punire concionatores regulares in tribus casibus, in quibus immo ipsi *ipso facto* suspenduntur a concionando. 1. Si praedicent *miranda falsa aut incerta*. 2. Si praedicent prophetias non fundatas in sacra scriptura, aut non approbatas a sede apostolica. 3. Si praedicando detrahunt episcopis et suis superioribus. Insuper ex Trident. [8] episcopus potest suspendere et punire regulares illos qui praedicant propositiones haereticas, erroneas aut scandalosas. Salm. [9]. Demum adnotandum quod Urbanus VIII. [10] revocavit omnia privilegia ab antecessoribus regularibus concessa *vivae vocis oraculo;* exceptis iis quae testificata fuerint per ministros, quibus vi sui officii fides adhiberi solet.

(1) Tr. 18. c. 4. n. 184. (2) Ibid. n. 179. (3) Ibid. n. 171. (4) Sess. 24. c. 4. (5) In Trid. sess. 5. c. 2. n. 19. (6) Loc. c. n. 20. (7) Cit. c. 4. n. 186. (8) Sess. 5. c. 2.

(9) Tr. 18. c. 4. n. 188. (10) In constit. Alias felicis rec. etc. adnotata 11. apr. 1695., in extensum relata apud p. Ferrar. Bibliothec. verb. Oracula, n. 9.

APPENDIX III.

DISSERTATIO *de iusta prohibitione et abolitione librorum nocuae lectionis*,

Brevi calamo plura continens, quae diffuse ab auctoribus tradita sunt.

Nuper in duas offendi epistolas calamo exaratas, in quibus saluberrima ac pernecessaria ecclesiae disciplina

circa librorum prohibitionem perperam impetitur, et temere asseritur licitum esse, ecclesiae lege non obstante, modo evidens non appareat periculum subversionis, libros quoscumque perlegere. Epistolarum auctores his duabus falsis fulciuntur rationibus: prima, quia lex prohibitionis librorum non procul ab hisce temporibus invecta est in ecclesiam, sed prisca disciplina non comprobatur. Secunda, quia ecclesia in hac re nec canonice procedit, nec recto iuris ordine servato, et ideo huiusmodi lex obligare nequit. Miratus sum quidem novas hasce opiniones tam perfricta fronte ab auctoribus epistolarum obtrudi, cum satis compertum sit disciplinam, qua pravorum librorum lectionem ecclesia prohibet, a primis usque saeculis semper et constantissime viguisse: tum etiam ecclesiam catholicam in huiusmodi librorum proscriptione accurato semper examine, rectoque ordine processisse, et nunc quoque procedere. Hinc aggressus sum rem hanc funditus ad trutinam revocare: praesertim cum experimento constet ex praefatis pravis opinionibus auctoritatem ecclesiae non minimum labefactari, et fidelium mentes ab obsequio ecclesiae definitionibus debito valde retrahi; ex quo deinde alios in errores contra fidem et mores misere et de facili incidunt, cum immensa animarum strage. Ac proinde operae pretium duxi in publicam lucem hanc dissertationem edere, in qua primum ostendam necessitatem prohibendi libros omnes qui errores in legentes ingerere possunt: deinde hanc ecclesiae legem vetandi libros ab eius incunabulis usque nunc continuato semper usu firmatam fuisse: tertio demonstrabimus, quam prudenter et ordinate in huiusmodi prohibitione semper ecclesia processerit et procedat. Tandem quorundam confutabimus inanes obiectiones haereticorum, a quibus postmodum catholici aliqui minus caute effata quaedam sunt mutuati, quae deinde impudenter in vulgus maxima cum fidelium pernicie prodiderunt.

(1) Deut. 16. (2) Rom. 16. et Tit. 3. (3) 2. Io. 10.
(4) 2. Tim. 2. 16. (5) Ad an. 44. n. 8. et 9.
(6) Eus. hist. l. 4. c. 13 (7) Ad ann. 356. n. 96.

Cap. I. *Demonstratur utilitas ac necessitas prohibendi libros noxiae lectionis.*

I. Haereticos homines omni modo et studio evitare speciale Domini mandatum est, tam in veteri [1] quam in novo testamento [2]. Praesertim s. Ioannes scripsit: *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec* ave *ei dixeritis* [3]. Sapienter enim dixit s. Paulus, quod verba eorum *multum proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit* [4]. Hinc Ioannes maxime sategit se cavere ab Ebione; horruitque adhuc balneum, quo Cerinthus usus fuerat. Vide Baron. [5]. Eodem modo se gessit Polycarpus cum Marcione [6]. Eusebius Vercellensis potius fame destitui patiebatur, quam ex arianorum manibus panem accipere. Apud Baron. [7] Cyprianus loquens de quibusdam excommunicatis, sic oves suas commonuit: *Ne fallacibus verbis consensum facile commodetis, ne pro luce tenebras, venenum pro remedio, mortem pro salute sumatis .... Procul ab huiusmodi hominum contagione discedite, et sermones eorum velut cancer, et pestem fugiendo, vitate* [8]. Porro quod ab omni cum haereticis et excommunicatis commercio fideles abstinerent, semper in ecclesia custoditum fuit, ut testantur s. Ephrem [9] Alexander Alexandr. [10] s. Athanasius [11] s. Leo [12] et sic pariter concilia, pontifices, et patres omnes.

II. Si igitur pravum collocutorem devitare tam instanter ab ecclesia semper praeceptum fuit, quanto magis se cavere oportebit a libro pernicioso, qui valde plus quam sermo potest lectores corrumpere? Si verbum quod statim avolat, serpit ut cancer et ad mortem vulnerat; quid mali non afferet liber improbus, qui potest evadere perpetuus fons subversionis? Nefarius

(8) De s. Cypr edit. Pamel. ep. 40. alias 8. l. 1.
(9) De virtute. c. 8. (10) Ep. ad Alex. episc.
(11) In vita s. Ant. abb. (12) Serm. 5. de ieiun.

liber quascumque potest penetrare domos, ad quas auctor nunquam forte aditum posset habere. Si religio et publica quies consistere non possent, ubi perversi homines permitterentur prava dogmata evulgare, aut perniciosas ingerere opiniones contra receptas morum regulas[1], quanto minus salva consistere valebunt, ubi huiusmodi nebulones permitterentur eadem latius disseminare scriptis, ipsaque comprobare captiosis argumentis, quae longe magis perlecta, quam audita nocent? Quicquid enim legimus, mentem validius occupat, ac facilius ad cor pertransit. Sicut sancta lectio virtutes fovet, sic contra lectio prava ad vitia impellit, et fortius impellit, cum ad vitia procliviores sint homines, quam ad virtutes. Bene s. Basilius libros appellavit *cibum animarum;* quia sicut cibus delectabiliter ingreditur in hominem, et deinde fit proprius hominis sanguis; sic liber, cum legitur, delectabiliter legitur (quis enim leget invitus?), et sic de facili fieri solet res propria lectoris. Praeterea, qui ad auctorem legendum accedit, illi pene discipulum se tradit, ipsique cor docile et benevolum offert, et ideo facile ab illo decipi potest; valde enim difficile est, quod lector aliquo amore erga auctorem illum non afficiatur: ex quo deinde facile eveniet, ut impietas et error latens hauriatur insensibiliter, et tenaciter postea retineatur.

III. Adde quod impii scriptores magno quidem studio errores suos ita ornant et colorant, ut non solum simplices, sed etiam docti decipiantur. Illos enim nunquam (saltem sub initio) aperte produnt, sed eos variis speciosis rationibus, eruditionibus ac leporibus vestiunt et liniunt, sicque lethale venenum ingerunt. Quandoque sanctitatem ac zelum praeseferunt, sollicitudinem de publico bono affectant, canonesque perfectionis tradunt, sed latet anguis in herba. Spectabis eos innumeras scripturae et patrum sententias, et exempla afferre, sed cuncta, vel adulterata, vel perperam interpretata. Ita haeretici decipere plures consueverunt, scientes foetores suos nulli cito fore placituros, si nudi exhalentur; et ideo illos coelestibus eloquiis velut quibusdam aromatibus condiunt ut alii impietates horrentes, divina non facile oracula contemnant. Hinc Salvator clamabat: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*[2]. Quid est *vestitus ovium*, nisi simulatio pietatis, qua captiosi scriptores callide se induunt? Quid *lupi rapaces*, nisi sensus haereticorum qui gregem Christi dilaniant? *Vide*, inquit Origenes, *ne te decipiat fulgor operis, ne te rapiat sermonis pulchritudo.* Pariter ait s. Gregorius: *Haeretici permiscentes recta perversis, ut ostendendo bona, auditores ad se trahant: et exhibendo mala, latenti eos peste corrumpant*[3].

IV. Sed valde refert hic afferre verba cuiusdam docti haeretici, Abraham Le Moine[4] qui loquens de pluribus libris in Anglia editis atheismum sapientibus, sic ait: *Libri huiusmodi, cum incidissent in manus gentis innumerae, malum peperere infinitum. Et eo magis, quo prima facie exornati apparent ex fine et ratione laudabili. Contra incredulitatem, quae se palam prodit, quisque se vertit. Sed auctores isti angli sub specie deferendi evangelicam veritatem, difficultatibus suis eiusdem fundamenta submovent, ac principia diruunt, nihilque omittunt, quo eiusdem argumenta reddant valde suspecta. Virus evomunt, eo magis lethale, quo subtilius et magis abditum. Diu inde dementati homines bibunt; nihil autem ibi vident, quia nihil suspicantur. Vellicationes etiam ac eruditiones miscent, ut melius visco obliniant. Et quoniam delectat novitas, et exigua est religionis instructio, inclinatio vero ad pravitatem nimia, non est mirum, si libri huiusmodi spiritum ac corda pervertant illorum qui incaute perlegunt. Sermo incredulorum ferit: lectores implicantur, egrediuntur scru-*

(1) Ut dicitur in l. congruit. ff. de off. praesid.

(2) Matth. 7. 15. (3) T. 1. l. 1. mor. c. 11.

(4) In traduct. 3. ep. past. episc. Lond. an. 1750.

puli, et tandem fiunt increduli inopinato. Effraena inde mentis libertas immoderatam necessario, ac irresistibilem creat cordis licentiam; haec passionibus indulget, ac vitiorum dilatat imperium. Hinc vere dici potest magnam hanc civitatem (nempe Londini) *nunquam eo magis fuisse depravatam sicut est hodie. Et quidem pene status omnes europaei, et regna nimis infeliciter conspiciuntur infecta; sed essent absque dubio amplius, si esset in illis libertas quae in nobis est cogitandi, scribendi ac legendi.* Hactenus ille. Quippe huius haeretici querela praefata, et exclamatio vel sola sufficit ad ostendendum, quam sit necessarium ad religionem et publicam pacem fovendam libros perniciosos interdicere. Atque utinam falsum esset illud quod praefatus auctor ultimo loco asserit, nempe etiam apud catholicos pestem atheismi plures infecisse. Et hoc cui tribuendum, nisi damnatorum librorum improbae lectioni? Alii quoque angli cum haeretico relato de suae gentis communi contagione fortiter conqueruntur; sed interim minime curant exitiosam scribendi et legendi libertatem comprimere. Tempore quo Anglia romanae ecclesiae obtemperabat, nulli quidem ibi lugebantur increduli, nulli athei, deistae, vel latitudinarii nulli, eo quod nulli ibi edebantur, et nulli legebantur qui talia docerent libri.

V. Nunc praestat id exemplis confirmare. Testatur b. Dionysius Alexandrinus apud Baron., libros noxios Nepotis episcopi in partes Kiliastarum pene medium adduxisse orientem. Bardasanes Syrus in Mesopotamia, ad fidem iam conversus, ita olim fuit pietate conspicuus, ac sollicitus in exagitandis haereticis voce et scriptis ut catholicis admirationi haberetur; sed ubi valentinianorum quaedam volumina legit, non tantum eorum subscripsit erroribus, sed alia atrociora paradoxa finxit, et sic innumeros homines seduxit: vide Ephraim Chamber [1]. Idem testatur s. Hieronymus [2], quod Hispania et Lusitania non contaminatae fuerunt, nisi cum ibi libri priscillianorum fuerunt vulgati. Pariter s. Turibius in suis ad Idacium Ceponium et b. Leonem epistolis corruptionem Iberiae et Galliae Narbonensis deplorat ob quosdam nefarios libros, quos unicam dicebat causam fuisse tantae stragis. Eutyches invictus antea fidei defensor, ad unam lectionem libri cuiusdam manichaei mutatus est in infandum caput innumerabilium haereticorum. Vide Anast. Sin. [3]. Postea ille in monasterio detentus mutire coactus est, sed sua scripta, ipsius silentio non obstante, ad orientem corrumpendum progredi non cessarunt. Iulian. Halicarnassaeus in Caria ex lectione librorum Valentini a fide similiter misere defecit. Anastas. [4]. Sic et Avitus presbyter hyspanus, legendo scripta Origenis, quamvis simul legeret ipsorum confutationem, et per Hieronymum admonitus fuisset ab erroribus se cavere, virus tamen reiecta monitione lethaliter absorbuit. Baron. [5]. Luctuosius Henricus Bulincerus doctor catholicus, olim piissimus, imo perfectionis cupidus, mox ad carthusianos ingressurus, in librum incidit Melanctonis, a cuius lectione licet divina voce interius exterritus, tamen ad legendum a daemone impulsus, legit et cecidit: sicque ex probo Dei ministro infelix minister Satanae evasit [6]. Hieronymus Wicleffi post multos improbos suos labores in Anglia editos, donec ore docuerit, nihil pene nisi improperia reportavit, et paucissimos fecit sui erroris sectarios; at ubi nefarios suos libros diffudit, totam quam nunquam vidit Bohemiam perdidit, potumque venenatum et aliis tradidit; quum enim Io. ab Hus Wicleffi libros a quodam bohemo, qui Oxoniae studuerat acceperit, eorumdem impiam doctrinam undique disseminavit. Cocleus [7]. Vide etiam Bon. Blacciot. [8]. Omittimus, ne longiores simus, alia similia exem-

(1) In cycl. v. Bardasanitae. (2) In Is. l. 18. c. 64. (3) L. contra acephalos. c. 6. et 14. (4) Ibid.

(5) Ad an. 144, n. 4. (6) V. dict. port. v. Zuinglius. (7) In hist. Hussitarum. (8) In notis ad Thom. Waldens. ad Doctr. G. Wicleffi

pla quae in historiis passim inveniuntur; caeterum eruditis cunctis patet, novas haereses fere semper exhaustas et exscriptas fuisse ex libris aliorum veterum haereticorum.

VI. Hinc concilia, pontifices, ac pii principes, et calamo et voce et censuris et aliis poenis toti fuerunt ad extirpandos libros, qui fidem aut mores quoquomodo inficere potuissent. Hinc patres in suis scriptis magnopere sunt conati avertere fideles ab huiusmodi librorum lectione. Origenes eos qui libros impudicos aut impios iniuste revolvant, eiusdem culpae asseruit reos, quam qui carnes falsis numinibus oblatas manducarent[1]. Sanctus Isidorus scripsit, impia scripta legere idem est ac thus immolare diabolo; addiditque non licere christianis legere figmenta poetarum, quia per illa mens ad libidinem incensa excitatur[2]. S. Hieronymus ait: *Nemo in perforatam intrat cymbam, ut discat vitare naufragium; et ad haeresibus plenum volumen animam diriges immunem doli, ut ibi discas catholicam veritatem*[3]? Fortius Tertullianus: *Nemo inde strui potest, unde destruitur: Nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur*[4]. Etiam impius Lutherus librum edidit de abolendis scriptis pravae doctrinae. Vide Sleidanum[5]. Calvinus pariter eiulabat adversus malos libros. Braschius[6]. Notum est etiam libros Michaelis Serveti ann. 1552. una cum impio auctore Genevae fuisse, Calvino instante, concrematos. Ipsi gentiles, sola duce ratione aut experientia, idem de malis scriptis extirpandis iudicium protulerunt. Plato hinc necessarium duxit, ut libri, priusquam ad alios pertranseant, sapientum examini subiiciantur.

VII. Quippe apud omnes nationes cultas mos abolendi libros noxiae lectionis semper invaluit. Apud hebraeos Ioakim, cum per Baruch librum accepisset a Ieremia transmissum, timens ne iudaeis scandalo esset, ignibus dari iussit. Vide Bodinum[7]. Rex etiam Herodes omnes hebraicarum originum codices concremari voluit, utpote paci publicae adversos. Euseb.[8]. Apud syros Antiochus Epiphanes publico edicto praecepit libros hebraeorum comburendos[9]. Ioseph. Hebr.[10]. Apud athenienses Protagoras ex senatus consulto undique exterminatus est, eiusque scripta publice igni tradita, quia in illis de existentia deorum dubitabatur. Cicero[11] et Lactant.[12]. Apud graecos pariter concremati fuerunt libri Epicuri, Erasm.[13]. Apud romanos, cum quidam bubulcus aratrum traiiciens in arcula sepulchrali, Numae volumina reperisset, ubi Numa de cultu Deorum non bene (licet vere) sentiebat, senatus iussit illa igni tradi. Valer. Max.[14] et Plin.[15]. Marcus Aemilius certior factus de multitudine librorum qui Romam intromittebantur, iussit ore praeconis omnia concremanda scripta, ubi novi ritus et preces continebantur. Testatur Arnobius[16] apud Baron.[17] romanos petiisse extirpari libros Ciceronis de natura Deorum, ubi Cicero de ipsorum religione patenter male sentire iam videbatur. Plura item romana iura habentur, ubi iubetur exterminandos libros improbae lectionis[18]. Paul. Sent.[19]. Praeterea testatur Livius[20] ap. romanos pontifici maximo demandatum esse de scriptis agnoscere, eosque damnare et comburere. Item imperator Augustus supra duo millia combussit libros, ubi nullus auctor, vel parum idoneus legebatur. Svet. in August. et Niceph.[21]. Idemque Caesar cavit, ne legeretur liber de arte amandi; eiusdem auctorem Ovidium in exilium misit.

VIII. Et hic maxime advertendum quod multo studio episcopi et parochi curare debent, ut removeantur a suis ovibus libri obscoeni, aut de vitioso amore tractantes, quos sapienter vo-

(1) Hom. 20. in Num. (2) In c. Ideo; 15. dist. 37. (3) Ep. ad Laetam. (4) De praescript. c. 2. (5) Lib. 2. (6) De lib. eccl. t. 3. c. 26. n. 5. (7) L. 2. daemonoman. c. 2. (8) Hist. l. 1. c. 8. (9) 1. Machab. 1. 59. (10) Lib. 12. c. 7.

(11) L. 1. de nat. Deor. (12) De ira Dei c. 9. (13) In Prov. Ficul. (14) L. 1. c. 1. (15) L. 13. c. 13. (16) L. 3. (17) Ad ann. 302. n. 19. (18) L. 10. §. Tantumdem, ff. Fam. ercisc. c. 4. Caeterae. (19) Lib. 5. t. 23. ad L. Cor. l. Quicumque, l. Damnato. (20) L. 10. dec. 10. (21) L. 13.

cat Origenes, *calices Babylonis venena propinantes;* et s. Augustinus, *ranas ascendentes de ore bestiae.* Etiam gentiles huiusmodi putida scripta execrabantur. Plato aiebat, impudicos libros omnino a civitatibus arcendos. Apud Lacedaemones et per totum spartianorum dominium vetitum fuit legere ac retinere libros Archilochi, eo quod obscoenum quid continebant. Valer. Maxim. [1]. Fama est, ut tradit quidam auctor, Beierlingh[2], Virgilium opus suum propter confictam Didonis impudicitiam, praecepisse iam morti proximum in ignem iniici. Plures huius farinae libelli, dicti romanenses (vulgo *romanzi*), undique hodie per domos circumferuntur, et per manus simplicium adolescentium circumeunt. Horum romanensium primus inventor fuit Heliodorus phoenix episcopus tricensis in Thessalia, ut enarrat Nicephorus[3]: hic cum talem romanensem tempore suae iuventutis inscripsisset, cuius lectio facile poterat iuvenes impellere ad exitiosos amores, synodus provincialis, cognito hoc periculo, eam Heliodoro imposuit conditionem ut vel opus suum traderet flammis, vel episcopatui renuntiaret; at ille maluit suae dignitati cedere, quam opus suum destruere.

IX. Huiusmodi romanenses non sunt quidem universe damnati de iure ecclesiastico, nam in indice[4] tantum damnantur *libri qui res lascivas ex professo tractant aut docent;* tamen de iure naturali, ut optime advertit quidam doctus auctor, Continuator Tournely[5], saepe sunt per se vetiti propter grave damnum quod legentibus inferunt; in ipsis enim virus quanto minus patet, tanto magis nocet. Scribit de huiusmodi libellis Alexander Tassoni[6]: *Col leggere accidenti e stratagemmi amorosi, particolarmente nelle solitudini e negli ozi, si appresentano fantasmi osceni sotto apparenza di diletto, e l'ingegno vi si abbandona.* Porro ipsi non apertae impudicitiae scatent, sed animum ad profanos amores mirabiliter incendendo, illum obtenebrant, a Deo alienant, et vehementer ad malum inclinant, ita ut occasione oblata homo facile in infandas libidines ruat, et pertinacius in ipsis deinde perseveret. Et insuper hic notandum quod saepius patresfamilias rei sunt de hoc damno, quia ipsi tenentur eripere hos improbos libellos e manibus filiorum; et si non faciunt, intelligant non posse a culpa excusari; et minime deinde querantur, si filii utilia studia negligant et despiciant, quia ipsi delectabili illi romanensium lectioni assuescendo, alios proficuos libros legere postea fastidiunt et horrent; et sic remanent rudes et vitiosi evadunt. Ioannes Gerson scribens contra quemdam romanensem, inscriptum *de Rosa*, damnationem affert Caesaris Augusti libri Ovidii, deinde exclamat! *O Deus: oh praesentis temporis mores! Inter paganos paganus iudex et incredulus paganum condemnat, qui doctrinam scribit quae ad fatuum alliciebat amorem, et inter christianos tale opus sustinetur, laudatur, defenditur!*

X. Similis farinae est liber inscriptus, *Pastor fidus* (hodie iam merito expresse damnatus); cuius non defuit quidam insipiens, ut refert Petrus Bayle[7], qui tutelam huius perniciosi libelli assumit, inepte dicens nihil damni eum allaturum, si puellae a se repellant amasios. Sed bene idem Bayle, licet vir impius et sine fide, sic defensorem illum insulsum exprobrat (eius verba e gallico idiomate ad latinum transferimus): *Responsio haec sophistica est, nam ipsa conditionem exigit, quam liber idem difficillimam reddit. Duas tu res requiris, ut tuum legamus opus, et ut amasios repellamus. Si haec duo simul requiris, iniustus es, quia idem nostrum poema vim repellendi nobis aufert. Illud porro amoribus nos implet, concupiscentiam accendit, mentem deturbat: illud ad amasiorum praesentiam expetendam nos violenter impellit. Sed dato quod eos repelleremus, nonne propter huiusmodi narrationes multis impuris passionibus ex-*

(1) L. 6. c. 13. (2) Cosl. verb. Liber, litt. D.
(3) L. 12. c. 34. (4) Reg. 7. (5) T. 3. dec. c. 1. a. 1.
(6) L. 7. Pensieri diversi, c. 11.
(7) Diction. v. Guarin. Remarq. litt. G.

positae ac excitatae misere inveniremur? Et deinde prosequitur Bayle ad exhortandum, quod haec librorum genera undique et omnino aboleantur.

XI. Scripsit Cicero [1]: *Videsne poetae quod mali adferant? molliunt animos nostros... nervos omnes virtutis elidunt.* Hinc Quntilianus [2], prohibuit ne unquam libri Horatii, et aliorum similium poetarum pueris explicentur; et s. Hieronymus dixit: *Daemonis cibus sunt poetarum carmina* [3]. Ipse Lutherus, quamvis moribus foedissimus, scripsit: *Necessarium est ut libri Iuvenalis, Martialis, Catulli et Priapea Virgilii ex omnibus locis et scholis exterminentur, quia tam turpia et obscoena scribunt, ut sine magno detrimento iuventutis non possint legi* [4]. Similis, imo perniciosior est liber pestiferus Boccacii (etiam ille qui expurgatus dicitur et circumfertur), qui meo sensu plus iuvenibus nocere potest, quam opera Lutheri et Calvini. At ibi, proferunt aliqui, selectum idioma discitur, et plura adsunt quae ad bonos mores instruunt. Sed bene respondet huic Io. Gerson, scribens adversus romantium de Rosa: *Sunt ne quaeso propterea mala in eo deleta? Ignis est periculosior. Hamus nocet pisci, si coopertus sit esca. Gladius unctus melle ferit ne minus?* Subdit sapienter Gretserus: *At haec bona pura et sincera in catholicorum libris reperies; quid ergo opus divertere ad lutulentos illos rivos? Quis non libentius aquam limpidam bibat, quam veneno tinctam, licet veneni segregandi non sit ignarus? Saltem enim periculo exitii caret, quisquis aquas omnis contagionis expertes bibit* [5]. Scripsit etiam s. Augustinus adversus legentes Terentium, ut verba addiscant: *Non omnino per hanc turpitudinem verba ista commodius discuntur, sed per haec verba turpitudo ista confidentius perpetratur. Non accuso verba, sed vinum erroris quod in eis nobis propinatur* [6].

(1) Lib. 2, Tuscul. quaest. (2) Lib. 1. c. 13. (3) Ep. 136. (4) Tit. de doctis. (5) De iur. et mor. prohib. libr. l. 1. etc. c. 29. (6) L. 1. conf. c. 16. (7) Theol. t. 6. p. 7. diss. 4. q. 1. c. 6. §. 2. (8) T. 3. dec. c. 1. a. 1 (9) Hist. p. 2. coll. 5.

XII. Sed ad nostrum propositum redeamus, et concludamus ex omnibus dictis constare, quod ipsius naturae iudicium sit libros illos qui religioni aut bonis moribus officiunt, omni modo extirpandos, ut theologi omnes docent; imo addunt, ne cum licentia quidem pontificis lectionem permitti posse illius libri qui subversionis occasio alicui esse posset. Iuvenin. [7]. Continuat. Tournely [8] Graveson. [9] Busemb. [10] Habert [11]. Subdit autem doctissimus Sylvius apud Continuat. Tournely [12] neminem posse haereticorum opera legere sine proximo periculo gravis damni, nisi tribus saltem quatuorve annis theologiae operam dederit. Si igitur gentes, ut supra vidimus, ad ipsarum falsam religionem conservandam, libros adversantes aboleri necesse putarunt; quanto magis ecclesia incumbere debet, ut veram religionem illaesam custodiat? *Necesse est* (dixit Theodosius [13]) *ut quae scripta vel Deum accendunt ad iracundiam, vel animos hominum in perniciem et fraudem impellunt, ad nullius aures perveniant.* Et Marcianus [14] dicit: *Materia subtrahetur erroris, si peccatorum et doctor defuerit, et auditor, et pravitatis facinorosae vestigia in flammis combusta depereant.* Item Carolus v. [15] sapienter sic protulit: *Si optimi quique cibi unius tantum guttae veneni, qua humanum corpus laederetur, infusione suspecti, sunt omnino abiiciendi; quanto magis ea scripta quae tantis et tam noxiis animabus venenis passim infecta sunt, non solum nobis cavenda sunt, sed etiam, ne aliis noceant ab omnium hominum memoria sunt obliteranda?*

Cap. II. *Demonstratur quod sancta Dei ecclesia usque ab initio, ex apostolorum praecepto, pro abolitione pravorum librorum sollicita fuit.*

I. Communiter theologi tradunt dogma esse veritatemque fidei, quod ecclesia, et pro ipsa eius caput romanus pontifex, utpote Christi vicarius, iurisdictionem ab ipso Domino acceperit

(10) L. 2. c. 4. dub. 3. n. 6. (11) T. 3. tr. de virt. theol. c. 4. q. 9. (12) Loc. c. (13) In l. Iubemus, c. de summ. Trinit. (14) Ap. concil. chalcedon. act. 3. et v. l. Quicumque, c. de haeret. et manich (15) In edict. dato Bruxell. ann 1550.

prohibendi fidelibus lectionem librorum, sive de religione impie tractantium, sive contra bonos mores, aut ecclesiae disciplinam aliquid continentium. Suarez [1] card. Albit. [2] Charlas [3] Braschius [4] Anonym. [5]. Equidem si haec facultas penes ecclesiam non esset, et fideles in hoc parere illi non tenerentur, nec fides illaesa servari posset, nec Christus satis ecclesiae suae providisset. *Frustra ecclesia*, bene ait Baronius [6], *laboraret in haeresibus extirpandis, bonisque moribus fovendis, nisi unde scatet errorum ac vitiorum colluvies, fons penitus obstrueretur.* Patet equidem, quod cura et ius removendi e manibus fidelium noxios libros, specialiter ecclesiae competit: illi nam soli datum est de fidei et morum causis decernere, ovibusque suis bona pascua ad pascendum designare. Recte hinc docent doctores (vid. Honorat. Tournely [7]) quod ecclesiae circa libros censura seu iudicium sit omnino infallibile: *Ecclesiae enim* (ut ait Nat. Alex. [8]) *cum sanam doctrinam ab haeretica discernere pro suo iudicio datum sit a Christo, et cum quaelibet doctrina libris aliquibus contineatur, operae pretium erat, ut ecclesia in iudicio quod tulerit de libris, in quibus de fidei et moralis christianae quaestionibus agitur, non posset deficere.* Nemo quippe pastorem illum censebit idoneum ad oves pascendas, qui noxia pascua a salutaribus certo distinguere non posset. Inepte igitur ecclesiae fidelium cura esset demandata, si certa scientia ad libros rectae vel improbae doctrinae diiudicandos ipsi tributa non fuisset.

II. Quod autem mos ecclesiae prohibendi et abolendi pravos libros sit ex traditione et praecepto apostolorum, plura demonstrant, primo enim constat hanc disciplinam semper et ubique in ecclesia viguisse, quin aliquis pontifex aut concilium possit indicari a quo ipsa initium sumserit. Dicit Origenes: *De his qui diversa ab ecclesiis docentes divinam pertulerunt ultionem, si iudicaretur, non ne iudicarent, ut si quid scriptum reliquerunt, universa pariter cum ipsorum cineribus deperirent* [9]? Ergo iam ex tempore Origenis mos vigebat erronea scripta extirpandi. Sensus Ephremi Tertulliani et Cypriani iam supra exposuimus. Alexander Alexandrinus (qui vixit tempore concilii nicaeni) enarratis damnis quae fidei inferebant haereticorum libri, dicit scripta illa suscipere non potuisse [10]. Idem testantur Arnobius ap. Baron. [11], s. Athanasius [12] ap. Braschium, Socrates [13] et historici omnes recenter conversos ab haeresi nusquam fuisse in ecclesia receptos, nisi postquam cunctos codices quos haberent ultro concremandos detulissent. Item Nazianzenus [14] notat, s. Cyprianum non aliter receptum fuisse, nisi cum attulerit plures libros comburendos. S. Augustinus idem confirmans, de quodam haeretico loquens, sic scripsit: *Perierat iste, nunc quaesitus, inventus, adductus est. Portat secum codices incendendos, per quos fuerat ipse incendendus; ut illis in ignem missis, in refrigerio transeat* [15]. Idem tradit Damascenus de quodam Theuda [16]. Praeterea in apostolicis constitutionibus [17] sic habetur: *Abstine ab omnibus libris gentilium... Quid autem tibi cum alienis sermonibus, aut legibus, aut falsis prophetis, quae quidem homines a fide recta detorquent?*

III. Constat igitur iuxta receptam Augustini regulam [18], morem cavendi ab impiis libris, ipsosque concremandi, ab apostolis demanasse; s. Paulus enim dixit: *Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula, praeter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis* [19]. Idem apostolus sic monuit Timotheum: *O Timothee, depositum custodi, devitans pro-*

(1) De triplici virt. disp. 20. sect. 2. n. 4.
(2) De inconst. in fide c. 30. n. 136. (3) L. 7. c. 18. n. 3.
(4) De lib. eccl. t. 3. c. 26. n. 6. (5) Ad hist. de inquis. f. Pauli, p. 226. (6) Ad ann. 447. n. 7.
(7) De eccl. t. 5. q. 5. a. 3. (8) Hist. t. 2. ad sec. 6. diss. 5. n. 448. ed. Neap (9) Hom. 9. sup. Num.
(10) Ep. ad Alex. C. P. ap. Theod. l. 1. hist. c. 4. et ap. Baron. ad an. 318. n. 85. (11) Ad an. 56. n. 502.
(12) De inc. Verb. (13) Hist. l. 2. c. 24. (14) Or. 18.
(15) In Ps. 61. in fin. (16) Ap. Beierling. v. Liber.
(17) L. 1. c. 6. (18) De baptismo, l. 4. c. 24
(19) Rom. 16. 17

fanas vocum novitates, *et oppositiones falsi nominis scientiae*[1]. Significavit hic apostolus principia gnosticorum, et falsas doctrinas Simonis, nicolaitarum, aliorumque haereticorum aevi illius, admonens Timotheum, ut se et fideles ab eis removeret. Item eidem scripsit: *Profana autem et vaniloquia devita; multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit; ex quibus est Hymenaeus et Philetus qui a veritate exciderunt... et subvertunt quorundam fidem*[2]. Illud *devita* importat quidem cavere non tantum a sermone, sed etiam a scriptis haereticorum. Atque si apostoli fidelibus praeceperunt ne quidem *ave* dicere haereticis[3], quanto magis putandum iussisse cavere ab eorum codicibus, dum nulla peior cum haereticis potest esse communicatio, quam in legendo eorum scripta?

IV. Tandem quod mos ille avertendi fideles a scriptis impiorum hominum, ab ipsis apostolis fuerit inductus, constat ex actis apostolorum, ubi legimus: *Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati contulerunt libros et combusserunt coram omnibus, et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium; ita fortiter crescebat verbum Dei, et confirmabatur*[4]. Valde insipienter ait Pecininus[5] textum hunc non iam intelligi de libris haereticis, sed de curiosis et sortilegiis. At si, respondetur, apostoli opus esse iudicabant libros sortilegos concremari, quanto magis haereticos? Sed quidquid deliret Pecininus, s. August. testatur ut certum[6] quod omnes sectarii, cum in ecclesia recipiebantur, ad pedes apostolorum suos codices afferebant ut cremarentur: *Nostis*, inquit, *in actis apostolorum esse scriptum, quia multi perditi, et variarum doctrinarum sectatores omnes codices suos ad apostolos attulerunt, et incensi sunt libri multi.* Ipse impius Lutherus non renuit scribere: *Est veteris exempli et antiqui moris, infectos et improbos codices comburendi, quemadmodum legimus in actibus apostolorum*[7]. Idem faciendum scribit s. Cyprianus de libris mordacibus: *Si quando talia quorundam calumniosa temeritate conscripta sunt, legi apud nos non patimur*[8]. Idem scripsit Iustinianus imperator de libris haereticis in suo edicto ad populum constantinopolitanum.

V. Sed praestat nunc exemplis rem hanc magis elucidare. Quamvis videbatur de se permittendum ecclesiae pastoribus *pro necessitate et tempore* libros haereticorum legere, ut eos confutare valerent, iuxta concilium carthaginense IV.[9] attamen primis ecclesiae saeculis iidem patriarchae ab huiusmodi operum lectione se cavebant; vel cum esset necessitas, non sine magno legebant timore; *Ego vero* (scribit Dionysius alexandrinae ecclesiae patriarcha) *in libris et traditionibus haereticorum cognoscendis operam posui; execrandis quidem illorum sententiis animum meum tantisper coinquinans; hanc tamen ex eis utilitatem percipiens, ut illos tacitus apud me refutarem, multoque magis quam antea detestarer. Et cum frater quidam ex presbyterorum ordine prohiberet me, veritus ne forte nequitiae illorum et coeno commiscerem; quippe animum meum contaminatum iri aiebat, et quidem verissime et ipsemet sentiebam..... e visione coelitus missa confirmatus sum*[10]. Attende: quamvis Dionysius patriarcha extaret tam magnae ecclesiae, et libros haereticorum tantum ad eos confutandos inspiceret, tamen ex lectione animum suum nonnihil inquinationis aut saltem perturbationis attraxisse fatetur. Et quod magis mirum est, licet Dionysius esset vir tanta sanctitate et doctrina praeditus, ipse enim expulit kiliastarum errores, et Nepotis episcopi libros explosit, ipse primus Sabellii haeresim debellavit, et de ea Sixtum papam reddidit certiorem; ipse contra novatianos felicissime disputavit, ac Fabium Antiochenum mox in eumdem errorem

(1) 1. Tim. 6. 20. (2) 2. Tim. 2. 16. (3) 2. Io. 10. (4) Act. 19. 19. (5) Apolog. c. 18. n. 495.
(6) Post. tr. de Ps. n. 65. n. ult. col. 442. t. 4. (7) Vide t. 2. ep. ad Spalat. (8) Ep. 42. ad Corn. (9) Can. 16. (10) Ap. Euseb. hist. l. 7. c. 7.

prolapsurum sustinuit: ipse scriptis confutavit etiam Paulum Samosatenum, nepotianos, aliosque haereticos: et tamen, his non obstantibus (ut refert Eusebius), fideles cum noverint Dionysium libros haereticorum evolvere, magnum scandalum passi sunt; imo de hoc apud pontificem eum accusarunt, et pontifex reprehendit ac prohibuit ne haereticorum lectionem prosequeretur, ubi suis offendiculum praeberet. Praeterea narrat Socrates [1] quod Theophilus eiusdem alexandrinae ecclesiae patriarcha, vir doctissimus, cum perlegisset Origenis libros *de principiis* (quos ipse omnium primus damnavit), non modo a suis obiurgatus est, sed in concilio damnatus, ubi excusationes ab eo allatae nequaquam admissae fuerunt.

VI. Usque ab ecclesiae primordiis, hoc ipso quod aliquod opus ab haeretico nosceretur conscriptum, etiam nulla emanata speciali prohibitione, illud legere (saltem generaliter loquendo) vetitum erat. Sic respondit s. Gregorius Anastasio patriarchae antiocheno interroganti, an damnato quodam haeretico, omnia eius opera statim damnata habenda essent. Vide card. Petra [2]. Praeterea, cum in domo cuiusdam Athanasii presbyteri monachi in Isauria inventus fuisset codex, in quo errores aliqui contra fidem continebantur, Ioannes episcopus, damnato codice, ipsum a monasterio expulit, transmisitque acta ad s. Gregorium, qui rem probavit; sed cum Athanasius asseruisset ignoranter legisse, Gregorius ei reditum ad monasterium concessit, expresse tamen prohibens illius operis lectionem [3]. Hinc notant editores e congregatione s. Mauri [4] antiquam iam fuisse apud romanos pontifices libros proscribendi potestatem et disciplinam, cui parere etiam orientalis ecclesiae patriarchae, et alii tenebantur.

VII. Hinc etiam illud eruitur, eos qui haereticorum libros legissent vel habuissent, semper reputatos fuisse de haeresi suspectos, ac ut tales puniri potuisse. Vide Archid. Io. Andr. [5] Ananiam [6] Roias Sing. [7]. Et quod tandem in primis ecclesiae saeculis omnia haereticorum scripta fuerint igni damnata, ex eo eruditi demonstrant, quod cuncta sic perierint, ut omnium pene haereticorum ne nomina quidem hodie haberentur, nisi illorum ecclesiae patres meminissent. Ubi sunt enim arianorum innumeri libri orientem replentes? Ubi plura volumina Apollinaris, Celli, Manetis et gnosticorum? De illis omnibus factum est id quod dixerunt patres concil. constantinopolitani II. [8]: *Haereticorum quidem effraenatas linguas, et impiissima conscripta patri mendacii diabolo connumerantes, illis dicemus: omnes vos convalescere facitis flammam ignis: ambulatis in lumine ignis vestri, et per flammam quam incendistis.*

VIII. Hic etiam sedulo notandum id quod tradunt Baron. [9] card. Albitius [10] Braschius [11] Ludov. Bail [12] et alii nimirum quod ex primis ecclesiae saeculis mos fuit, ut quilibet libros suos subiiceret examini et censurae summi pontificis, prout fecisse testantur in occidente Caesarium Arelatensem, s. Honoratum, Gennadium, et alios. Fecit et episcopus Possessor, qui cum de codicibus suis, quos ad Hormisdam pro examine et correctione direxerat, responsione non dignaretur, sic illum interpellavit: *Codicem tractatuum antehac direxisse memini continentem b. Pauli epistolarum explanationes, pro quibus rescripto gratulari non merui. Unde simili prece deposco, ut praerogativam benedictionis vestrae competenti responsione merear adipisci* [13]. Fecit et Anselmus, prout constat ex eius praefatione ad Urbanum II. libri *de fide Trinitatis etc.* Idem fecit s. Augustin. [14] quoad libros suos contra pelagianos, quos ad s. Bonifacium transmisit. Idem

(1) Hist. l. 6. c. 15. (2) T. 1. p. 8. in const. Gelas. Valde etc. (3) S. Greg. ep. ad Ath. 64. l. 5. c. 164. (4) T. 2. op. s. Greg. ep. l. 6. ad ep. 66. nota C. (5) In c. Fili, de haer. l. 6. (6) In c. Episcopus, de haer. (7) In fav. fidei sign. 124. (8) Can. 1.

(9) Ad ann. 490. a n. 21. ad 47. (10) De incost. in fide, c. 30. n. 155. (11) De lib. eccl. t. 3. c. 26. n. 13. (12) T. 1. Sum. concil. in conc. lat. 5. in fin. (13) Ep. Posses. ad Hormisd. inter ep. Hormisd. (14) Lib. 1. contra duas ep. Pel. c. 1. n. 3.

fecerunt orientales, prout Dionysius Alexandrinus, Ioannes Orthodoxus, Photius et alii, praesertim Eulogius patriarcha Alexandriae scripta sua censurae s. Gregorii submittens, ut apparet ex eiusdem Gregorii epistola [1].

IX. Item inter scripta abbatis Ioachim chartula inventa fuit ann. 1200. ipsius manu subscripta, dicens: *Universis quibus, in qua ista leguntur. Pro angustia temporum non potui hucusque opuscula praedicta, praeter librum concordiae, apostolico culmini praesentare, ut ab eo corrigerentur, quia ea conditione suscepi dictanda, ut cui datum est, omnimode magisterium praesentarem. Si me contigerit prius egredi ab hac luce quam possim, rogo ex parte Dei omnes coabbates meos et priores, et ea qua posse videor auctoritate praecipio, quatenus praesens scriptum aut exemplar habentes secum, ac si pro testamento opuscula (quamcitius poterunt) collecta omnia, relictis in salva custodia exemplaribus, apostolico examini repraesentent, recipientes ab eadem sede, vice mea, correptionem, abiicientes quod ipsa abiicit, suscipientes quod ipsa suscipit, etc.* Apud Natal. Alexand.

X. Item s. Iulianus Toletanus episcopus circa annum 685. subiecit examini Benedicti II. apologiam suam adversus obtrectatores concilii VI. universalis; pontifex in ea nonnulla reprobavit, quae cum iterum recte explicasset Iulianus, ac iterum opus cum explicatione ad Sergium papam transmisisset, Sergius opus approbavit, et aliis legendum indixit. Natal. Alexan.[2]. Refert Baronius [3] de quodam Gothofrido, qui fuit notarius Conradi III. et Friderici I. ac Henrici VI., quod iste, quamvis esset in curia praefatorum principum tam adversantium ecclesiae iuribus, tamen pro certo habuit romanorum pontificum proprium esse libros recognoscere et approbare. Sed praestat hic ipsum audire Gothofridum, qui in praefatione ad opus suum chronicum, quod anno 1189. transmisit ad Urbanum III. sic scripsit: *Si quod historiarum opus conficitur, ratio suggerit, ut antequam in publicum deveniat, apostolico examini praesentetur. Quapropter hoc opusculum ante vestrum examen protuli, ut si per vos fuerit approbatum, ad alias ecclesias derivetur.* Item patres synodi suessionensis ann. 1121. sanxerunt libros Petri Abailardi hoc ipso damnatos reputandos, quod romani pontificis aut ecclesiae auctoritate commendati non apparerent [4]. Sic etiam Nicolaus papa, cum Scotus Erigenas circa medium saeculum IX. volumina traduxisset s. Dionysii, s. Maximi, et aliorum, sine ecclesiae approbatione, eum acriter increpavit dicens: *Quia iuxta morem nobis mitti, et nostro debuit iudicio approbari.* Et ideo praecepit statim scripta illa transmitti. Tandem ad hoc probandum unum sufficit decretum Nicolai I.[5] ubi dictum fuit: *Romanorum pontificum decreto caeterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur.*

XI. Romani igitur pontificis olim semper fuit praesidere arbitrium librorum omnium; sed ubi in immensum excrevit moles librorum, statuit Leo X. anno 1515. constitutione probata in concilio V. lateranensi, et deinde confirmata in regulis indicis, ut non vulgentur libri cuiusque generis absque licentia et approbatione ordinariorum, vel inquisitorum, sub poena amissionis librorum et suspensionis ac excommunicationis pro editoribus; qui si in excommunicatione ultra annum permanserint, erunt acriter puniendi. Et notandum quod praefata constitutio Leonis iam reperitur adnotata in archivio regiae iurisdictionis [6] in regno neapolitano, ut refert Bartholom. Chioccarellus.

Cap. III. *Fusius ostenditur ecclesiae praecipuum et proprium semper fuisse libros malos proscribere; et huiusmodi iurisdictionem semper ecclesiam exercuisse.*

I. Saeculo IV. concilium nicaenum anno 325. Arii scripta damnavit (Nicephor.[7]) et deinde Constantinus praece-

(1) L. 8. indict. 3. ep. 35. et 42. (2) Hist. ad sec. 7. c. 3. a. 22. (3) Ad ann. 1185. n. 26.

(4) Petr. Abail. ep. 1. ad Amicum, int. op. Petr. Abb. (5) Inc. 5. Romanorum, dist. 19. (6) T. 17. tit. 7. (7) Hist. l. 8. c. 18.

pit morte multari, qui librum aliquem ab Ario confectum statim non attulisset. Apud Socrat.[1]. Patres etiam pseudo-concilii in Tyro circa annum 336. Marcellum Anacyranum ideo deposuerunt, quia sententiae damnationis suorum librorum noluit acquiescere, nec illos igni tradere. Socrates[2]. Teophilus Alexandriae episcopus anno 385. fuit primus, qui libros Origenis damnavit, prohibuitque, ne sui illos legerent; de quo eum postea Hieronymus, Epiphanius, et Damasus papa valde commendarunt. At cum Origenis opera usque tunc ubique cum plausu perlecta fuissent, quidam monachi in Palaestina dicebant, errata, si quae in libris invenirentur, illa ex aliena manu in scripta Origenis irrepsisse; hinc contendebant, non propter illa etiam reliqua esse damnanda; Teophilus vero, hoc non obstante, ut refert Sulpitius Severus[3]: *Cogebat renitentes pro potestate recta etiam universa cum pravis damnare*, *quia satis superque sufficerent libri quos ecclesia recepisset; subdens respuendam esse penitus lectionem*, *quae plus esset nocitura insipientibus*, *quam sapientibus profutura.*

II. S. Epiphanius pariter, coacto concilio cum episcopis suae insulae, eosdem Origenis libros proscripsit, suosque a lectione compescuit. Denique Anastasius papa illos pariter damnavit. Vide s. Hieron.[4]. Censuit Baron.[5] tantum *Periarchon* Origenis fuisse damnatum, sed in hoc aperte ei contradicunt Severus, Palladius, Sozomenus, Hieronymus, et alii, dicentes omnes codices Origenis vetitos fuisse. Eosdem deinde medio saeculo VI. Iustinianus comburendos mandavit, de hoc ab ecclesia requisitus; et non obstante plurimorum reclamatione, edictum concremationis omnino executioni demandari voluit. Eodem saeculo VI. concilium carthaginense IV. (sed verius V.) anno 398. sic statuit: *Episcopus gentilium libros non legat; haereticos autem pro necessitate*, *et tempore*[6]. Circa eadem tempora s. Ioannes Chrysostomus Montani opera interdixit, ac igni tradidit. Vide Nicephor[7].

III. Saeculo V. Innocentius I. in sua epistola anno 418. Pelagii, et Caelestini opera damnavit. Praeterea anno 431. patres concilii ephesini, postquam libros omnes proscripserunt Nestorii (Liberatus[8]); praevidentes autem non defuturos homines pertinaces, qui censuras despicerent, in epistola synodali Theodosium imperatorem rogaverunt, ut obtrectantes sua potestate puniret[9]: et ideo Theodosius, ac deinde Valentinianus non solum bonorum publicatione, sed etiam capitis supplicio contumaces coercendos esse mandarunt[10]. Deinceps cum nestoriani curaverint circumferri libros Diodori Tarsensis, et Theodori Mopsuesteni, in quibus Nestorii errores magna ex parte latebant, Cyrillus Alexandrinus, et Acacius metropolita Armeniae, coactis synodis, illos proscripserunt, caveruntque ne fideles eos haberent. Liberatus[11]. Item anno 451. concilium chalcedonense libros Eutychetis damnavit; et eodem tempore insuper mandavit, ut omnes manichaeorum libri flammis traderentur. Platina apud Braschium[12]. Ac proinde Marcianus imperator horum canonum contemtores damnavit poena deportationis; atque si impia dogmata postea docuissent, poena mortis. Extat apud concil. chalc.[13] et vide etiam Baron.[14].

IV. Eodem saeculo V. iterum s. Leo libros manichaeorum proscripsit, ut refert s. Prosper[15] sic scribens: *Diligentia papae Leonis innotuit*, *qui manichaeos de secretis suis erutos*, *et oculis totius ecclesiae publicatos omnis dogmatis sui turpitudinem et damnare fecit*, *et prodere*, *incensis eorum codicibus*, *multique orientalium sacerdotes industriam rectoris sunt imitati*. Idem s. Leo scripsit: *Curandum esse*, *et sacerdotali*

(1) Hist. l. 1. c. 6. (2) Ibid. (3) Dial. 2.
(4) Ep. 78. ad Pammach. (5) Ad ann. 402. n. 12.
(6) Ita refertur in c. Episcopus, dist. 37.
(7) Hist. lib. 8. c. 18. (8) In brev. c. 10.
(9) Ep. synod. conc. ephes. ad Theod. act. 2.
(10) L. Damnato, c. de haeret. et manich. et l. Iubemus, c. de summa Trinit. (11) In brev. c. 10.
(12) Loco supr. cit. (13) Act. 3.
(14) Ad an. 418. et 419. (15) In chron. ad an. 443

diligentia maxime providendum, ut falsati codices in nullo usu lectionis habeantur. Apocryphae autem scripturae, non solum interdicendae, sed ignibus concremandae ... Unde si quis episcoporum apocrypha haberi per domos non prohibuerit, haereticum se noverit iudicandum; quoniam si alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat[1]. Idem s. Leo, ut legitur in suo responso ad s. Turribium, scripta damnavit apollinaristarum, et Dictinnii episcopi asturicensis (qui tamen ab errore iam resipuerat) sic inquiens: *Sed nemo haec catholicus praesumat, nec inter catholicos censeatur, quisquis utitur scriptis, non solum ab ecclesia catholica, sed etiam a suo auctore damnatis.*

V. Eodem saeculo V. putatur prodiisse celebre decretum de censura librorum Gelasio attributum. Baronius[2] cum aliquibus aliis Damasum credit decreti illius auctorem, Gelasium vero promulgatorem; sed Personius[3] ex antiquissimo codice in Angliam perlato a Lanfranco ex coenobio beccensi, legit titulum: *Decretum Gelasii papae de recipiendis et non recipiendis libris; quae sunt scripta ab eo cum 70. eruditissimis episcopis.* Et idem confirmat Gratianus[4] Lupus Ferrariensis[5] aliique cum Nicolao papa[6]. Non obstat quidam codex apud Baluzium, ubi decretum illud adscribitur Hormisdae papae; nam, ut referunt idem Baronius[7] Pagius[8] card. Noris[9] P. Orsi[10] et alii. Idem Hormisda scribens ad Possessorem episcopum, asserit iam pridem extitisse decretum, dicens: *Quae essent catholica dogmata* (in illo decreto) *definiuntur, ac certa librorum, etiam veterum in auctoritatem recipienda.* In decreto autem Hormisdae legitur: *Non solum repudiata* (nempe haereticorum scripta) *verum ab omni romana, et apostolica ecclesia eliminata, atque in suis auctoribus anathematis indissolubili vinculo in aeternum confitemur esse damnata.* Abbas de Fleury scribit[11] in eo decreto simplicem directionem ad cautelam dari, non vero praeceptum prohibitionis, quia nullae in ipso adsunt censurae seu poenae iniunctae. Sed perperam, nam verbum *eliminata* satis demonstrat, quod scripta illa iam ab ecclesia fuerint damnata. Quomodo autem asserere potest Fleury in illo decreto nullam adesse censuram impositam, dum in eo legitur, *sub anathematis indissolubili vinculo?* Accedit quod Clemens VIII.[12] testatur Gelasium sub censura librorum illorum detentores iam damnasse. Accedit insuper, quod patres concilii tridentini, ut refert cardinalis Pallavicinus[13], ex digestis a Gelasio arguerunt non esse opus in prohibitione librorum, ut citentur auctores, quorum libri sunt interdicendi. Alius autem auctor, nempe Van-Espen[14] dicit in laudato decreto actum esse tantum de publica, non autem de privata lectione. Sed hic etiam perperam, nam in decreto dicitur, *cum haec ad catholicorum manus devenerint*, quis non videt hic etiam de privata lectione fieri sermonem?

VI. In saeculo VI. anno 536. patres concilii sub Menna constantinopolitano proscripserunt libros Severi, Petri Antiocheni, et Zoarae, dicentes: *Abiicimus, et anathemate ferimus omnia ab ipsis conscripta.* Et deinde ab imperatore petierunt, ut sua sanctione canones pro re illa statutos roboraret[15]. Eodem tempore papa Vigilius damnavit scripta Theodoreti adversus s. Cyrillum; item libros Theodori Mopsuesteni, et epistolam Ibae: ac deinde anno 555. libri in concilio II. constantinopolitano igni traditi sunt, et omnia eorum exemplaria, si quae postmodum invenirentur, sub excommunicatione vetita. De libris pariter priscillianorum in concilio I. bracharensi anni 563. sic legitur[16]: *Si quis scripturas, quas Priscillianus se-*

(1) Ep. 15. alias 93. c. 15. edit. ven.
(2) Ad an. 469. n. 4. (3) In vind. Ignatian. l. 1. c. 4.
(4) C. Sancta Rom. dist. 15. (5) Ep. ad Car. Calv. in fin.
(6) Ep. 42. ad episc. Gall. (7) Ad an. 420. n. 21.
(8) Ibi in crit. an. 404. n. 4. (9) In coenotaph. Pis. diss. 4. §. 1. (10) Hist. eccl. ad an. 494. (11) T. 19. orat. 7. sup. hist. eccl. n. 13. et t. 7. pag. 64.
(12) Const. Sacrosanctum, dat. 17. oct. an. 1595.
(13) Hist. conc. Trid. p. 21. c. 18. et 19.
(14) P. 1. tit. 22. de congr. card. c. 4. n. 2.
(15) Synod. sub Menna, act. 1. (16) Can. 17.

cumdum suum depravavit errorem, vel tractatus Dictinnii (quos ipse scripsit priusquam converteretur) *legit aut defendit, anathema sit.* Pariter in concilio toletano III. anni 589. habetur: *Sancitum est, ut libri omnes haereticorum igne comburendi darentur.* Baron. [1]. In sequentibus saeculis anno 649. in concil. romano sub Martino I. [2] dictum fuit: *Si quis non respuit et anathematizat animo et ore nefandissimos haereticos* (nempe Theodorum Pharanitam , Cyrum, Sergium, et Paulum Pyrrhum) *cum omnibus impiis eorum conscriptis... condemnatus sit.* Et [3] damnata fuerunt, et sub anathemate prohibita scripta commentitia Mennae, et Vigilii papae de unica Christi voluntate. Et in trullano anno 692. [4] proscriptae fuerunt quaedam apocriphae martyrum historiae ; et flammis traditae. Item anno 745. s. Bonifacius episcopus moguntinus, sedisque apostolicae legatus concilium advocavit, cuius imperio scripta impii Adalberti combusta fuerunt. Deindeque Zacharias papa in concilio romano idem confirmans dixit: *Optime provisum a vestra sanctitate, ut conscripta illius omnia igne concrementur.* Apud Baron. [5]. Item in concilio nicaeno II. ann. 787. proscripti fuerunt aliqui iconoclastarum libri, his verbis: *Anathema illis libris et eis qui legunt* [6].

VII. Nono saeculo Nicolaus papa, cum requisitus fuisset a bulgaris, quid faciendum de libris allatis a saracenis; respondit: *Utpote noxii et blasphemi, igni tradendi* [7]. Praeterea Adrianus papa anno 869. sic Basilio imperatori scripsit: *Cuncta decernimus exemplaria* (Photii) *prorsus a possessoribus ablata igne cremari; nec superesse apud quemlibet ex his unum apicem nisi forte quisquis totius nominis christiani dignitate, anathemate perculsus, carere voluerit. Accendatur etiam tuae zelus pietatis etc.* Sicque prosequitur pontifex, rogans imperatorem, ut ipse suis etiam edictis poena coerceret inobedientes.

(1) Ad an. 589. n. 44. (2) Can. 18. (3) Act. 4. (4) Can. 63. (5) Ad an. 745. n. 36. (6) Act. 2. (7) Ep. ad Bulgar. (8) Ling. verb. Dedecus, lit. f. (9) Can. 4. (10) De corp. Dom. c. 4. (11) Loc. c.

Apud Baier [8]. Concilium tullense XIV. anno 860. [9] confirmavit canonem 4. concilii Valentini III. qui de libris Scoti Erigenae ita statuerat: *A pio fidelium auditu penitus explodimus, et ut talia et similia scripta caveantur, auctoritate Spiritus Sancti interdicimus.* Leo IX. anno 1050. in concilio vercellensi sub anathemate pariter damnavit librum Scoti de corpore Christi. Honorius III. anno 1225. confirmans acta concilii senonensis proscripsit alium praefati Scoti librum *de naturis.* Lanfranc. [10]. Praeterea in concilio romano sub Nicolao II. anno 1059. Berengarius, eiuratis erroribus, adducere omnes suos suorumque libros coactus est, qui omnes concremati fuerunt. Lanfranc. [11]. In concilio suessionensi anno 1121. coactus est Petrus Abailardus sua scripta propriis manibus igni committere. Gaufrid. [12]. Innoc. II. sub excommunicatione mandavit, ut qui haberet libros praefati Abailardi et Arnaldi a Brixia, illos statim combureret. Conc. later. Idemque praeceptum datum fuit anno 1140. in concilio sen. Apud s. Bernard. [13]. Idem de libris Gilberti Porretani statuit Eugenius III. anno 1148. in concilio rhemensi, ut refert Gaufrid. ap. Grav. [14] et ap. Nat. Al. [15] dicens: *Dominus papa apostolica auctoritate capitula ipsa damnavit, districte praecipiens ne eumdem librum legere vel transcribere quis auderet.*

VIII. Pariter concilium parisiense ann. 1204. damnavit libros Davidis a Dinando: *Qui libri,* ait Rigordus [16], apud Petav. [17] et apud Natal. Alex. [18] *iussi sunt omnes comburi, et sub poena excommunicationis cautum est in eodem concilio, ne quis eos de caetero scribere, legere praesumeret, vel quocumque modo habere.* In concilio toletano 1229. vetitum fuit, ne laici cuiuscumque generis et status penes se haberent, durante haeresi, quemcumque librum sacrae scripturae, exceptis psalterio et breviario [19]. Et quoniam haereticorum

(12) In vita s. Bern. l. 3. c. 5. (13) Ep. 115. ad Yvonem card. (14) T. 1. hist. p. 4. coll. 4 (15) T. 12. pag. 77. (16) De gest. Philip. (17) In prol. c. 3. n. 8. (18) T. 16. pag. 156. (19) Statut. 13. ap. Hard. t. 7. coll. 178.

est sacras scripturas in vernaculam linguam vertere, ut illas modo suo interpretantes erronee postmodum tradant suis addiscendas, ideo synodus biterrensis anno 1245.[1] interdixit omnes scripturae libros vulgarem in linguam traductos. Idem statuerunt concilia hierosolymitanum, mechliniense, cameracense, et alia plura quae observari possunt in libro edito Parisiis anno 1661. ex praecepto cleri gallicani sub titulo: *Collectio auctorum, qui ex professo sacrae scripturae in vulgarem linguam translationes damnarunt*. De hac re adest etiam quarta regula indicis. Insuper papa Clemens XI. proscripsit propositionem 79. Quesnellii, quae dicebat: *Utile, ac necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi studere, et cognoscere spiritum, et pietatem, et mysteria sacrae scripturae*. Praeterea cancellarius parisiensis, et doctores regentes iussu Gregorii IX. libros thalmudos publice concremarunt. Nat. Alex.[2]. Idem statuerunt Clem. IV., Honorius IV., Ioannes XII., et alii; vide Sixtum Senens.[3] et ex sola bibliotheca iudaeorum, quae erat Cremonae, combusta sunt duodecim millia exemplaria. Insuper Iulius III.[4] praecepit quoscumque codices iudaeorum ex eorum domibus eruendos et concremandos: et Clemens VIII.[5] omnibus facultatem ademit, adhuc inquisitoribus, et legatis a latere, impertiendi licentiam ad eos legendos.

IX. Alexander IV.[6] sub excommunicatione vetuit, ne quisque haberet scripta Guillelmi a Sancto Amore, mandavitque, ut intra octo dies illa comburerentur; et omnes paruerunt. Vide Guillelm. Nancium[7]. Pariter Petrus Tarraconensis archiepiscopus auctoritate Alexandri V. anno 1260. sub anathemate libros Laurentii Lulli proscripsit; et cum deinde anno 1376. Gregorius XI. prohibitionem confirmasset, Petrus Aragoniae rex de illa moerens pontificem rogavit, ut opus Lulli iterum examinaretur ab episcopo barcinonensi: sed hoc non obstante, proscriptio stetit, et rex humiliter illi acquievit. Item Thomas Arundelius archiepiscopus cantuariensis, coacto concilio provinciali anno 1408. Oxoniae prohibuit sub excommunicatione, ne quis legeret aut haberet quemcumque librum ab academia oxoniensi, aut cantabrigensi prius non probatum. Pariter Ioannes XXII. in concilio romano anno 1513. plures libros damnavit episcopis curam iniungens, ut omnes illi concremarentur. Vide Labbè[8] et Nat. Alex.[9]. Idemque mandatum renovavit concil. generale constantiense anno 1415. His perspectis nequeo intelligere, qua fronte possint quidam asserere ecclesiae tantum esse censuram dare de pravis libris, non vero illos prohibere et comburere.

CAP. IV. *Respondetur inanibus adversariorum obiectionibus, quibus impugnatur librorum prohibitio ab ecclesia indicta.*

I. Diversi diversa obiiciunt. Alii absolute asserunt librorum prohibitionem per se nocuam et iniustam esse. Alii concedunt quidem ad ecclesiam pertinere censuram ferre de libris, ad principes vero lectionem eorum prohibere, illosque comburere. Alii demum utrumque ecclesiae concedunt, quod possit nimirum libros damnare et eorum lectionem interdicere, sed autumant prohibitiones quae hisce temporibus ab ecclesia prodeunt, omnino esse irregulares et a recto ordine aberrantes, ac proinde non posse conscientias obstringere. Singula discutiamus.

II. Obiiciunt igitur 1. Iniustam esse librorum prohibitionem, ex illo apostoli: *Omnia probate, quod bonum est tenete*[10]. Errat igitur ecclesia romana, temere dicunt, librorum lectionem prohibendo, cum unicuique ex praecepto apostoli datum sit libros lectione probare, bona in eis inventa retinendo, mala autem reprobando.

(1) C. 36. (2) T. 16. p. 41. (3) L. 2. t. 1. pag. 202. (4) Const. 23. Cum sicut ius. (5) Const. 20. Cum Hebraeorum. (6) Const. Romanus pontifex, an. 1256. (7) In vita s. Ludov. an. 1225. (8) T. 1. conc. p. 2. (9) T. 16. p. 231. (10) 1. Thess. 5. 21.

III. Id confirmant auctoritate s. Hieronymi, qui cum argueretur ab aliis, quod haereticorum opera evolveret, sic respondit: *Si quis immurmurat, quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquiesco, sciat me illud apostoli libenter audire;* Omnia probate, quod bonum est retinete ... *Cur me lacerant amici mei, et adversus silentem crassae sues grunnitant? Meum propositum est antiquos legere, probare singula, retinere quae bona sunt, et a fide catholicae ecclesiae non recedere*[1]. Confirmant deinde exemplis, et dictis Teophili et Dionysii Alexandriae episcoporum: Teophilus enim, cum reprehenderetur quod scripta Origenis legeret, reposuit: *Si quid boni in illis reperio illud excipio; si vero spinosum quid visum fuerit hoc tanquam aculentum praetereo.* Item Dionysius, pariter reprehensus de lectione haereticorum, rem cum Deo in oratione conferens, coelestem vocem audivit ei dicentem: *Lege omnia quae in manus tuas veniunt; valebis enim omnia expendere et probare.* Hinc Dionysius legit, et aliis (forte ipsum reprehendentibus) scripsit: *Acceptavi visionem hanc, tanquam apostolicae voci conformem.* Apud Euseb. [2].

IV. Addunt, quod etiam Hormisda papa lectionem librorum pravorum non reprobavit, imo laudavit, eo quod alias non bene possent errores confutari nec vitari; sic enim dixit: *Nec tamen improbatus diligentia per multa discurrens, sed animus a veritate declinans. Saepe de his necessaria providetur, de quo ipsi aemuli convincantur, instructio. Nec vitia dari potest nosse, quod fugias: atque ideo non legentes incongrua in culpam veniunt, sed sequentes. Quod si ita non esset, nunquam doctor ille gentium acquievisset nunciare fidelibus: Omnia probate, quod bonum est tenete*[3]. Quin et ipse Gelasius in decreto supra laudato, eodem tempore quo damnata opera recensebat, sic ibidem adnotavit: *Sed cum haec ad catholicorum manus advenerint, b. Pauli apostoli praecedat sententia: Omnia probate, quod bonum est tenete.* Hinc Fleury et Van-Espen inferunt pontifices, ac ipsummet Gelasium libros notatos damnasse, non ut eorum lectio prohiberetur, sed ut illi cum praeventione et cautela legerentur; dum alias rigorosa prohibitio (ut aiunt) nonnisi perniciosa esse potest, eo quod libertinos ipsa prohibitio magis ad lectionem impellit; et contra aufert cordatis viris, ut possint errores qui serpunt adnotare et confutare.

V. Respondetur. Et primo quoad textum illum apostoli, *Omnia autem probate, etc.* communiter dictum illud explicatur a commentatoribus, Estio Cornelio a Lapide Ugone Nat. Alexand. Tirino et aliis; nimirum quod omnia quae dubia et incerta sunt, examine et probatione indigent, prout erant quaedam prophetiae, de quibus sermonem fecerat apostolus in versu praecedenti, ubi dixerat: *Prophetias nolite spernere;* has voluit b. Paulus iudicare, an verae fuerint aut falsae; iam pridem enim ab ipso Domino[4] mandatum fuit, ne pseudo-prophetae a fidelibus audirentur; Tertullianus autem misere in haeresim impegit, quia Montani et insanarum mulierum somnia ut prophetias habuit. Non igitur, inquit Estius, de omnibus doctrinis verba illa dixit apostolus, sed tantum de iis quae de novo proferebantur a fratribus, et nondum probata erant; haec enim diiudicari oportebat, secundum id quod idem Paulus praecepit, scribens: *Prophetae autem duo aut tres dicant, et caeteri diiudicent*[5]. Ea vero quae ab ipso aut ab aliis tradita erant apostolis, non diiudicari vult, sed teneri, dicens: *Tenete traditiones quas didicistis*[6]. Et: *Laudo autem vos, fratres, quod... sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis*[7]. Praeterea dicit Nat. Alex. probare doctrinas librorum non unicuique commissum est, sed tantum episcopis, quos Spiritus Sanctus ecclesiae Dei praefecit, et maxime summo pontifici Christi vicario, ac totius gregis Christi supremo pasto-

(1) Ep. ad Miner. et Alex. (2) Hist. l. 7. c. 7.

(3) Ep. 70. ad Poss. (4) Deut. 13. 3. (5) 1. Cor. 14. 16. (6) 2. Thess. 2. 14. (7) 1. Cor. 11. 2.

ri. Pravi autem libri non damnantur ab ecclesia nisi post diligens examen; nullum igitur iudicium aliud de illis operibus expectandum, quae iam ecclesia improbanda iudicavi'

VI. Quod vero ad s. Hieronymum attinet, certum est, quod ipsemet s. doctor lectionem pravorum librorum constanter reprobavit; in quadam enim epistola scripsit: *Doctorum hominum tractatus lege, eorum dumtaxat quorum fides nota est; non necesse habes aurum in luto quaerere* [1]. Hancque epistolam animadvertens Marianus Victor, sic adnotavit: *Ubique sanctissimus vir inculcat, ut ab haereticorum, apocryphisque voluminibus abstineamus; et improbat rationem, qua praetenditur aurum ex luto quaeri* [2]. Praeterea, s Hieronymus summis celebravit laudibus decreta Eusebii et Dionysii Alexandrini, quibus a lectione librorum Origenis fideles arcebantur. Praeterea ipse Hieronymus auctor fuit, ut iidem Origenis libri proscriberentur a Venerio episcopo mediolanensi et a pontifice Anastasio, cuius deinde decretum undique ipsemet propagavit [3]. Ipsemet praeterea laudat Pammachium, quod cum legisset Origenis principia, *Exhorruit, et reclusit scrinio, ne prolati in vulgus multorum animos vulnerarent* [4]. Tandem testatur exemplar Origenis olim a se translatum nulli unquam praebuisse, ex quo adnotat commentator: *Audiant haec qui haereticorum libros passim sibi legendos fore contendunt, et salubrem parentis ecclesiae prohibitionem despiciunt; venenum enim aureo etiam haustum poculo semper nocet.* Marian. Vict. [5]. Scribit alibi idem Hieronymus haec magni ponderis verba: *Melius est aliquid nescire, quam cum periculo discere* [6]. Et demum, ut alia praetereamus, sic gravissime monet apud Sixtum Senens. [7]: *Nemo ad lupanar mittit virgines suas, quamvis quaedam ibi reperiri possent de turpi corruptione lugentes: nemo haeredem suum latronum turbae committit, ut discat audaciam: nemo in perforatam intrat cymbam, ut discat vitare naufragium; et ad haeresibus plenum volumen animam diriges immunem doli, ut ibi discas catholicam veritatem?*

VII. Quod si uno illo in loco ab adversariis obiecto diversimode s. doctor sentire videtur, hoc nimio eius ardori parcendum, quo a Rufino et aliis impetebatur. Hinc non desunt, qui de huiusmodi lectione Hieronymum reprehendunt. Vid. Christian. Lupum. Et ipsemet adhuc fatetur de tali re a Domino fuisse correctus, ac etiam flagellis coercitus [8]. Scribunt alii, Hieronymum libros quoscumque legisse propter ecclesiae necessitatem, et de licentia saltem tacita Damasi, aliorumque pontificum. Caeterum sciendum est, quod tunc temporis magna vertebat controversia inter episcopos, an permittenda aut vetanda foret operum Origenis lectio. Negabat Theophilus episcopus Alexandriae, et Epiphanius Salaminae in Cypro, quorum tamen decreta erant tantum particularia pro suis ecclesiis. Affirmabant autem Eusebius (qui tunc apologiam de libris Origenis tradiderat), item Chrysostomus, Theotimus, Cassiodorus, et alii, ac ipse Hieronymus, dummodo caute atque a paucis peritis praefati libri legerentur. Adde quod lectio ipsorum non erat usque tunc damnata; quis dubitat, quin si ipsa ab ecclesia fuisset vetita, Hieronymus ecclesiae non paruisset?

VIII. Quod autem ad Theophilum Alexandriae patriarcham pertinet, respondetur quod licet ipse immunem se diceret ab omni reprehensione, quia in lectione librorum Origenis caute se gerebat, omnino reprobando quae prava videbantur; attamen refert Socrates [9], Theophilum nihilominus damnatum fuisse a concilio, nec excusationes ab eo allatas fuisse admissas. Si igitur hic patriarcha damnatus fuit, eo quod libros nondum vetitos legerit, quisque videre potest, qualis fuerit orientalium

(1) Ep. 10. ad Furiam. (2) In op. s. Hier. t. 1. pag. 10. in Schol. (3) Ep. 78. ad Pammach. (4) Ep. 59. ad Avitum. (5) In praef. ep. (6) Reg. mon. t. 9. ed. col. pag. 198. (7) L. 2. t. 1. (8) In reg. monach. (9) Hist. l. 6. c. 17.

sensus circa lectionem librorum iam proscriptorum. Quod vero adducunt adversarii de Dionysio, id valde longius eorum causam infirmat, quam adiuvat. Relege, benigne lector, quae de hoc diximus *cap.* 2. *n.* 5. ubi retulimus quod Dionysius non ausus est legere haereticorum libros, nisi divina visione et voce confirmatus; et nihilominus adhuc a suis apud pontificem accusatus fuit, qui non omisit eum de hoc reprehendere, prohibuitque ne deinde huiusmodi lectionem prosequeretur. Mira res! primis illis ecclesiae saeculis, quando paucissimi habebantur sacrae scripturae explanatores, si vel patriarcha opera legisset alicuius magni nominis interpretis qui in aliquem errorem incidisset, scandalo erat fidelibus, et reprehendebatur et deferebatur et damnabatur; et hodie, cum ss. patribus et multis affluamus explanatoribus, in quorum operibus doctius quam in libris haereticorum veritates elucidantur, inveniuntur homines ecclesiam criminantes quod librorum erroribus infectorum ovibus suis lectionem prohibeat!

IX. Scripta demum ab Hormisda nobis opposita minime obsunt: non enim pontifex ignorare potuit traditionem ecclesiae, conciliorum canones, decessorumque decreta, nempe Leonis, aliorumque pontificum, et multo minus decretum Gelasii, quod ipsemet Hormisda in eadem sua commendat epistola. Ipse insuper ibidem adnotat Gennadii libros ab ecclesia non recipi. Insuper ipsemet fideles a lectione librorum manichaeorum, aliorumque haereticorum compescuit. V. Platinam in Hormisdam apud Beierling[1]. Quod autem Hormisda scripsit Possessori, nempe, *Non legentes incongrua in culpam veniunt*, *sed sequentes*, illud quidem scribit sine praeiudicio prohibitionis damnatorum librorum. Fervente Constantinopoli magna controversia circa Gennadii librum, bene poterat Possessor episcopus eum legere, etsi novisset damnatum, quandoquidem concilium carthaginense (ut supra diximus) non diu ante celebratum, decreverat posse episcopos legere damnatos libros haereticorum *pro necessitate, et tempore:* quanto magis igitur legere poterat Possessor, tempore quo liber Gennadii nondum fuerat damnatus? Nolebat autem ipse illum legere, nimis in ea re scrupulis indulgens; at de hoc ab Hormisda fuit exprobratus, propter illud apostoli monitum, *Omnia probate;* opus est enim ut pastores aliqua probent, ac deinde oves instruant de iis quae tenere et quae abiicere debeant. Dicere autem cum adversariis quod stricta librorum prohibitio non potest esse nisi perniciosa, eo quod libertinos magis ad legendum impellit: hoc argumentum infringit omnia ecclesiae, imo ipsius Dei mandata. Haec quidem est misera hominum conditio, ut vetita avidius patrare cupiant, iuxta vulgare illud proverbium; *Prohibitio generat appetitum.* Sed hoc non evenit, ut ait Chrysostomus[2], ob legis naturam, sed propter eorum, qui legi tenentur parere, defectum. Augustinus dixit: *Auxit prohibitio desiderium*[3]. Et: *Hoc ipsum quod concupiscitur, fit iucundius cum vetatur*[4]. Sed quid inde? Numquid iusta praecepta ex hoc erunt perniciosa, ac proinde permittendum erit ut homines agant quicquid velint?

X. Praefatum hoc ridiculum argumentum primus proposuit petulans Petrus Soave; sed illud egregie diluit card. Pallavicinus, dicens, quod licet lectio noxia librorum per se a natura sit vetita, tamen valde prodest ad vitandos lapsus iniuncta ecclesiae prohibitio: *Imperciocchè* (sunt verba Pallavicini) *maggiori peccati si schifano*, *mentre innumerabili persone per ubbidienza rattenendosi da sì fatti libri*, *rimangon liberi dal male*, *in cui le trarrebbe improvedutamente una tal lezione. Nè si scorge bastante in pratica il rimetter ciò alla coscienza di ciascuno*, *il quale consideri*, *se un tal libro il ponga in lubrico di caduta*, *onde sia in obbligazione di non usarlo. Questo pericolo mal si*

(1) Verb. Dedecus. (2) Hom. 10. in ep. ad Rom. (3) Serm. 4. de verb. apostol. (4) Ibid. c. 10.

conosce, se non tardi ed a rea prova. Di molte opere a molti non è nota la contenenza prima della lezione. Oltre a ciò troppa è la fidanza che ha l'uomo sì del suo sapere, che del suo potere: ciascheduno si persuade che da niun seduttore sarà ingannato, da niun vischio sarà impaniato. Le istorie che raccontano ciò che una volta fu, e le favole che rappresentano ciò che molte volte suol essere, son piene di esempii i quali insegnano quanta in ciò sia la presunzione degli uomini avanti al fatto, quanta la debolezza nel fatto; senza che la proibizione de' libri cattivi porta insieme due altri salutevoli e considerabili effetti: l' uno è che il timore di questa autentica nota ritiene molti dallo scriverli o dal divulgarli: l' altro, che ella col difficoltarne lo spaccio, ritrae gli stampatori dall'impressione ed i librai dalla compera; onde la trista erba per difetto di coltivatori a poco a poco si dirada e muore; e le penne, i torchi e le botteghe son invitate dall'esca dell' utilità ad impiegarsi solo in opere profittevoli. Quamvis igitur aliquando alicui viro pio prodesse poterit legere pravum librum erroribus notatum, nihilominus (generaliter loquendo) magis expedit ab huiusmodi lectione homines removere, ut illusionum periculum vitetur, aut saltem ne ipsorum exemplo libertini ad legenda inducantur ea quae facile subversionis causa eis esse poterunt.

XI. Obiiciunt 2. per librorum prohibitionem, ac multo magis per eorum concremationem ipsam rempublicam laedi, et ideo plures maximam subire bonorum ac famae iacturam; hinc illas nonnisi a saeculari principe posse imperari, ad quem unice spectat super bona temporalia iurisdictionem exercere. Addunt quod ecclesia nonnisi posterioribus hisce saeculis huiusmodi negotiis se immiscuit; quamvis enim, ait Petrus Soave, apud Pallavic. [1] ecclesia semper libros malos damnaverit, eorumdem tamen prohibitio et concrematio nonnisi per principes legitur imperata, ut apparet ex prohibitione librorum Arii vetitorum a Constantino, Nestorii a Theodosio, Porphyrii a Iustiniano, Eutychetis a Valentiniano et Marciano, Pelagii ab Honorio, ac tandem lutheranorum a Carolo v. Nec nisi saeculo XIII. ecclesiam hanc iurisdictionem usurpasse asserunt; tempore quo in concilio tolosano prima vice ipsa fidelibus interdixit sacrae scripturae lectionem.

XII. Respondetur. Iam supra *cap.* 2. *et* 3. satis evidenter ostensum est ad ecclesiam praecipue pertinere libros, qui fidem vel mores offendunt, prohibere, cum ipsi ecclesiae praecipue incumbat oves suas a venenatis pascuis removere, et hanc iurisdictionem iam a primis saeculis innumeris exemplis demonstravimus semper exercuisse interdicendi et concremandi libros nocuae lectionis, ipsis videntibus et comprobantibus piis principibus. Quod si aliquando principes libros fidei aut moribus adversos proscripserunt, aut concremarunt, hoc fecerunt ad petitionem ecclesiae, ut sua potestate coercerent renuentes ecclesiae canonibus se subiicere, prout Constantinus ex praecepto concilii nicaeni scripta Arii aboleri mandavit. Raynaud. [2] Barbosa [3]. Honorius libros pelagianorum, instantibus Zosimo et Bonifacio episcopis. Vid. *cap.* 3. Theodosius et Valentinianus libros Nestorii et Porphyrii, postulante concilio ephesino. *Ibid.* Iustinianus libros Severi, petentibus patribus concilii constantinopolitani. *Ibid.* Basilius scripta Photii ad instantiam Adriani papae, qui illa prius damnaverat, et ex oriente transmissa Romae ignibus tradidit. *Ibid.* Ludovicus Pius librum Claudii a Sorino ex episcoporum iudicio commisit igni. Idemque fecit s. Ludovicus rex de libris thalmudicis iudicio Innocentii IV.

XIII. Saltem omnes libri qui a principibus damnati fuerunt, prius ab ecclesia fuerunt interdicti. Sic libri eutychianorum proscripti a Marciano, antea iam a concilio chalcedonensi (cui

(1) Hist. Trid. p. 2. l. 13. c. 18.

(2) De bon. et mal. lib. p. 3. erot. 2. n. 466.
(3) De off. ep. 3. all. 50.

imperator interfuit) fuerunt vetiti. Libri Wicleffi damnati a Riccardo II. Angliae rege, iam prius a Gregorio XI. fuerunt damnati. Et idem accidit de libris novatorum a Carolo V. proscriptis. Porro ipsimet principes fatentur se gladium habere ad canones ecclesiae custodiendos; sic enim declaravit Chidelbertus rex: *Quia necesse est, ut plebs quae sacerdotis praecepta non ita ut oportet custodit, nostro etiam corrigatur imperio* [1]. Et Ludovicus VII. Galliarum rex: *Quare digna vox est maiestate regnantis, Dei servum et ecclesiae defensorem se principem profiteri* [2]. Concedimus, alii opponunt, posse ecclesiam prohibere libros religionem impugnantes, sed quo iure ecclesia poterit sibi potestatem arrogare proscribendi libros de philosophia vel de aliis materiebus tractantes? At istis sapienter respondit card. de Luca inquiens: *Quamvis impium vulgus hanc prohibitionem ad solos libros qui fidei dogmata continent restringere satagat, quasi quod ea quae mores vel pietatem, sive ecclesiasticam potestatem seu libertatem concernunt, ad fidem non pertineant; prorsus tamen erronea est haec opinio, quae ignorantiae et malitiae filia est, quoniam ista sunt semina haeresum, vel schismatum, vel radices vel praeparationes* [3]. Confirmatur quod dicimus, ex decretali die 4. mart. anni 1755. emanata a Bened. XIV. et directa ad episcopos regni Poloniae [4]: ibi loquens pontifex de quodam libro edito a p. de Borde congregationis oratorii in Gallia, in quo auctor *labefactat* (verba sunt decretalis) *potestatem ecclesiae a Christo domino collatam, non solum dirigendi, sed etiam iubendi per leges, et contumaces exteriori iudicio et poenis coercendi, ecclesiasticum ministerium ita saeculari dominationi subiiciens ut ad hanc spectare pronunciet de externa omni ac sensibili gubernatione cognoscere, ac iudicare. Hoc pravum ac perniciosum systema iam pridem a Ioanne* XXII. *in constitutione*, Licet iuxta doctrinam, *reprobatum, ac pro haeretico expresse damnatum*, ut testatur, Benedictus iterum damnat, praefatique auctoris propositiones impias et haereticas declarat.

XIV. Obiiciunt 3. non raro censuras librorum committi viris imperitis, aut maledicis et invidis, qui de rebus scriptis vel nesciunt iudicare, vel quibus auctores sunt exosi, et ideo ipsi, salebras in plano quaerentes, sive bene sive male auctor scripserit, damnandum esse volunt, ut loquuntur Raynaudus [5] et Ludovicus Muratorius [6]. Et sic opera ven. Bellarmini fuerunt vetita. Fuligat. [7]. Sic etiam scripta s. Thomae fuerunt sub anathematis fulmine interdicta a quodam episcopo parisiensi. Raynaud [8]. Quapropter referunt Pium II. Francorum regem sic monuisse Carolum VII. filium, ut refert Launoius: *Obsecro, carissime fili, ut doctoribus sedis apostolicae semper non credas; multa illorum passionibus tribuas.* Hinc dicunt, quod ad errores fraudesque vitandas omnino opus est, ut in prohibitione librorum auctores, vel alii pro ipsis audiantur, qui operum tueantur partes; agitur enim de re gravi, nimirum de fama scriptoris, et de eius non levi damno propter editionem libri iam perfectam: ideo pertinet ad substantiam iudicii, ut reus citetur et audiatur, iuxta ipsorum canonum praescriptum, nam in Clementina *Pastoralis* sic dicitur: *Dici ne ergo sententia meruit, quae a iudice .... in absentem: nec citatum legitime, ac inauditum per consequens et indefensum, non maturo fuit iudicio, sed praecipitio promulgata?* Idem pluries et fortius per leges civiles praescribitur. Non potuit igitur ecclesia romana retractare, quod lex gentium, et imperatorum, canones, item natura, et ipse Deus praeceperunt. Nec aliter, dicunt, se gessisse ecclesiam; in concilio enim lateranensi IV. ubi de libro Ioakim agebatur, qui e vivis discesserat, eius monachi pro ipso auditi

(1) Const. in Capitul. in Labbè t. 6. conc. col. 487
(2) Ep. ap. Baluz. in add. ad l. 2. de conc. Pet. de Marca.
(3) Theatr. verit. et iust. t. 15. p. 2. d. 19. a n. 10.
(4) V. in bullar. eiusd. Bened. t. 4.
(5) De bonis et mal. lib. p. 3. erot. 3. n. 512.
(6) Buon gusto, p. 2. c. 1.
(7) In vita Bellarm. c. 11.
(8) Loc. c. n. 579.

fuerunt. In concilio basileensi, cum damnandus esset cuiusdam Augustini liber, auctor citatus fuit, quamvis ille postea non accesserit. Pariter in concilio tridentino, quoniam singulos auctores citare impossibile erat, facta est generalis citatio per edictum eorum, de quorum libris agebatur: et sic in similibus casibus pariter actum est.

XV. Respondemus. Fatemur quidem in damnatione librorum errores et fraudes intervenire posse, sicut in aliis omnibus humanis iudiciis: sed quid inde? Numquid ideo legitimae auctoritati minime parendum? Hoc unum inde deduci potest, scilicet probos et peritos seligendos esse censores; et hoc iam ab ecclesia praestatur. Ad id firmandum oportet hic rectum exponere ordinem, quo ecclesia in prohibitione librorum cautissime se gerit. Primis ecclesiae saeculis tantum a pontificibus vel conciliis vel episcopis scripta perniciosa proscribendi mos erat; sed ubi haeretici excreverunt, eorumque libri latius diffunderentur; necesse iudicatum fuit novis malis novis remediis occurrere. Ideo ecclesia congregationes prius inquisitorum, et deinde indicis statuit, quibus librorum examen, et facultatem eos prohibendi commisit. Primus omnium Innoc. III. anno 1204. contra albigenses haereticos, tolosanam provinciam infestantes, misit inquisitores, cum potestate in eos procedendi, eorumque libros prohibendi ac concremandi. Idem confirmarunt postea alii pontifices pro aliis provinciis. Et idem obtinuit ab Alexandro IV. s. Ludovicus pro Gallia, et a Pio IV. Carolus V. pro Hispania aliisque suis ditionibus. Philippus II. idem tribunal inquisitionis voluit et in regno neapolitano constitui; sed neapolitani, qui semper erga romanam ecclesiam summa fuerunt fidelitate affecti et in fide catholica stabiles, ab eo tamquam non necessario ac fidelitati suae quodammodo iniurioso, instantibus precibus, magnoque conatu exemptionem impetrarunt.

XVI. Paulus autem III. [1] statuit Romae congregationem generalis inquisitionis, cui pravos libros prohibendi curam imposuit; licet enim damnatio librorum nunc sit congregationis indicis, quae postea erecta fuit, attamen etiam nunc praevalet illi congregatio inquisitionis adeo ut plures libri, quorum lectio a congregatione indicis permittebatur vel damnabatur, postmodum a congregatione inquisitionis damnati sunt vel permissi. Bened. autem XIV. [2] statuit canones, vel potius antiquos (iam olim statutos, saltem aequivalenter) renovavit, circa optimum regimen in libris examinandis, et prohibendis. Primum enim in congregatione (iuxta praescripta) liber tradendus est uni ex consultoribus, sive qualificatoribus, qui illum expendere debet, censuramque signare errores adnotando. Deinde idem liber alteri traditur revisori, suppresso primi censoris nomine, ut alter liberius iudicium suum exponat. Si censor secundus primo assentitur, tunc liber ad singulos consultores mittitur, ut suum quisque suffragium praebeat: sin autem, adhibetur tertius revisor. Postea liber cum censura et consultorum suffragiis ad cardinales transmittitur, ut hi in congregatione de re definitive pronuntient. Demum acta omnia ad pontificem referuntur, cuius iudicio res absolvitur. Quandoque etiam pontifex ob rei gravitatem iudicium coram seipso habendum mandat.

XVII. Quod autem ad congregationem indicis pertinet, sciendum quod cum novatores transacto saeculo XVI. Occidentem impiis libris repleverint, et eorum damnationes ad fidelium notitiam, maxime propter bella, difficile possent pervenire, opus fuit ut vetitorum librorum index efformaretur. Hinc Paulus IV. ann. 1557. inquisitoribus mandavit, ut hunc indicem conficerent, qui iam perfectus fuit, et anno 1559. iussu eiusdem Pauli evulgatus. At quia in indice illo melior methodus, aliaeque declarationes, ac plurium alio-

(1) An. 1542. in bulla 34. Licet ab initio.

(2) Bulla, Sollicita ac provida, an. 1753. die 9. iulii (vide in Bullar. t. 4. n. 19.).

rum librorum et auctorum nomina desiderabantur: hinc Pius IV. patribus synodi tridentinae, quae tunc celebrabatur, commisit novum indicem efformandum. Concilium 18. patres ad hoc selegit, qui opus perfecerunt detuleruntque: at quia patres nimium fatigati de reditu erant solliciti, et iam aliqui discesserant, rem ad iudicium pontificis una cum regulis iam elaboratis absolvendam remiserunt.

XVIII. Proinde Pius IV. adhibitis pluribus doctissimis praelatis, indicem perfecit, ac mandavit ut ab omnibus fidelibus cum suis regulis ubique observaretur; decrevitque, ut si quis deinde librum aliquem propter falsi dogmatis suspicionem damnatum legeret vel haberet, ipso iure in excommunicationem incideret, et in eum tanquam de haeresi suspectum procedendum esset; qui autem libros alia de causa vetitos legeret, praeter peccati mortalis reatum, episcoporum arbitrio severe se nosceret puniendum [1]. Deinde Philippus II. rex Hispaniarum, Neapolis etc. die 15. febr. 1569. edictum emanavit [2], quo praecepit indicem romanum praefatum, prout a pontifice fuerat publicatus, ab omnibus suis regnis recipi et observari, ipsumque ad omnia concilia regia transmitti, ut per provincias more solito publicaretur: quod in regno neapolitano sine contradictione factum est.

XIX. Postmodum, cum libri perniciosae lectionis magno in numero undique ederentur, nec congregatio generalis inquisitionis sufficeret ad eos examinandos, s. Pius V. (ut asserit Bened. XIV.[3]) operae pretium duxit novam Romae congregationem instituere, appellans *indicis*, quae in id unice incumberet, ut ecclesiam a pravis libris expurgaret; eamque confirmarunt Gregor. XIII., Sixtus V. et Clemens VIII.; qui Clemens insuper anno 1594. praefatum indicem, multis libris, aliquibusque declarationibus adauctum, iterum per totum orbem publicari mandavit; addens aliam excommunicationem contra legentes libros haereticorum, licet ipsi errorem non continerent, nisi prius approbati fuerint, et contra legentes libros catholicorum de haeresi suspectos.

XX. Refert hic breviter adnotare regulas indicis, ut noscantur quam rectae sint et necessariae ad commune bonum. 1. Libri omnes ante annum 1515. damnati, etiamsi in indice descripti non reperiantur, declarantur vetiti. 2. Libri omnes eorum, qui capita vel duces fuerunt haereticorum, omnino vetantur; et etiam omnes alii haereticorum libri de religione tractantes; caeteri autem haereticorum permitti possunt, modo fuerint examinati et probati. 3. Scripturae et libri controversiarum in lingua vernacula non permittuntur, sine autem permissione legi non possunt. 4. *Lexica*, *Concordantiae*, *Indices*, et alia huiusmodi, in quibus pene nihil auctoris haeretici habetur, probata permitti possunt. 5. Libri obscoena tractantes absolute prohibentur, quamvis non inveniantur in indice descripti. 6. Pariter vetantur omnes libri et scripta necromantiae, geomantiae, hydromantiae, pyromantiae, honomantiae, chiromantiae, astrologiae iudiciariae, et omnia alia in quibus continentur sortilegia, veneficia, ac auspicia: et contra haec legentes vel habentes procedi potest tanquam suspectos de haeresi. 7. In impressione scripturarum et aliorum librorum servandum est statutum in concilio lateranensi [4] nempe ut non imprimantur, nisi ex superiorum permissione. Tum regulae traduntur pro visitatione bibliothecarum et typographiarum: item instructiones pro episcopis, bibliopolis, etc. Demum declaratur quod legentes vel habentes librum propter falsi dogmatis suspicionem damnatum, ipso facto incurrunt excommunicationem: qui autem alia de causa damnatum legerit vel habuerit, praeter peccati mortalis reatum, erit severe ab episcopo puniendus.

(1) Bulla Dominici gregis, 24. martii 1564.

(2) Ap. Van-Espen p. 1. tit. 22. de congr. card. c. 4. n. 34. et ap. Haraeum in ann. Belg. ad an. 1560.

(3) Cit. bulla, Sollicita.

(4) Sess. 10.

XXI. Congregationis igitur indicis est, ut fuse declarat Bened. XIV. [1] in examen vocare libros, quorum prohibitio vel permissio deliberari debet. In hac congregatione plures adsunt consultores, et relatores selecti ex utroque clero saeculari et regulari, atque plures cardinales a pontifice congregationi adscripti. Antequam censura ad congregationem cardinalium feratur, alia congregatio privata sive praeparatoria habenda est, cui sex assistunt consultores, cum magistro sacri palatii et secretario, cui incumbit vota consultorum in scriptis adnotare, ut deinde in congregatione cardinalium una cum relatorum censura omnia referat. Praeter id novissime praef. Bened. XIV. [2] statuit, ut cum de libro agitur auctoris catholici, qui sit integrae famae et clari nominis, vel ob alios editos libros, vel forte ob ipsum qui in examen adducitur, et hunc quidem proscribi oporteat, prae oculis habeatur iamdiu recepta consuetudo prohibendi librum, adiecta clausula, *Donec corrigatur*, si locum habere possit; ac suspensa decreti publicatione, res antea cum auctore, vel altero pro eo communicetur. Si noluerit emendari, vel nullus compareat, decretum edatur; si vero emendetur, priora tantum exemplaria vetentur. De caetero [3] declarat non esse opus auctores in iudicium vocare, ac ideo minime improbandas librorum prohibitiones inauditis auctoribus indictas: optans nihilominus illud in posterum servari, nempe quod saepe alias eadem congregatio facere consuevit, ut quando res sit de auctore catholico aliqua fama illustri, eiusque opus (demptis demendis) prodesse possit, vel auctor audiatur, vel unus ex consultoribus designetur, qui ex officio opus patrocinetur. Subdit tamen [4] hanc regulam non esse adhibendam, cum agitur de haeretico libro, in quo errores auctor consulto tradit, vel de aliquo alio opere, in quo rectae morum regulae labefactantur, ac vitiis fomenta praebentur. Deinde dicit ut ambigua dicta catholici probatique auctoris in aequam partem accipiantur. Loquendo autem de libris in quibus dogmata religioni vel moribus exitiosa referuntur, absque eo quod auctor ea refutandi curam in se recipiat (quod novum vocat seducendi genus), mandat ut revisores in id diligenter intendant, ut vel huiusmodi libri emendentur, vel in indicem referantur.

XXII. Tandem [5] valde exprobrat libros, in quibus *auctores alios sibi diffidentes* (verba sunt pontificis) *conviciis proscindunt*, *aliorum opiniones nondum ab ecclesia damnatas censura perstringunt*, *adversarios*, *eorumque coetus suggillant*, *et pro ridiculis ducunt: magno equidem bonorum scandalo*, *haereticorum vero contemptu; qui catholicis se mutuo lacerantibus*, *plane triumphant. Et si vero fieri non posse intelligamus*, *ut disputationes omnes e mundo tollantur . . . compertum praeterea nobis sit magnam aliquando utilitatem ex iis capi posse; modum tamen in defendendis opinionibus servari merito voluimus.* Subditque [6] id iam praescriptum fuisse ab Innocentio XI. in decreto, ubi dictum fuit; *In virtute sanctae obedientiae praecipit*, *ut tam in libris*, *quam in thesibus etc. caveant ab omni censura et nota*, *necnon a quibuscumque conviciis contra eas propositiones quae adhuc inter catholicos controvertuntur*, *donec a s. sede recognitae sint*, *et super eis iudicium proferatur*. Deinde prosequitur: *Cohibeatur itaque ea scriptorum licentia*, *qui* (*ut dixit s. Augustinus* [7], Sententiam suam amantes, non quia vera est, sed quia sua est) *aliorum opiniones non modo improbant*, *sed etiam notant atque traducunt. Non feratur itaque omnino privatas sententias*, *veluti certa ecclesiae dogmata*, *a quopiam in libris obtrudi*, *oppositas vero erroris insimulari*. In quam scriptorum licentiam, praecipit pontifex, ut revisores librorum *pro munere suo censuram intendant*, *eamque congregationis cardinalibus cognoscendam subiiciant*, *ut*

(1) Cit. bulla Sollicita, §. 1. (2) §. 9.

(3) §. 10. (4) §. 11. (5) §. 22. (6) §. 25.
(7) L. 12. conf. c. 25. n. 34.

eam pro zelo suo et potestate coerceant.

XXIII. Inspice igitur, benevole lector, quam caute ac mature in huiusmodi examine et prohibitione librorum mater ecclesia procedat. Ad ea vero quae scripserunt Raynaudus et Muratorius respondetur hos auctores non de legitima prohibitione locutos, sed tantum de aliqua prohibitione facta a quodam maledico inquisitore sive censore. Caeterum ipsi Raynaudus [1] et Muratorius, iurisdictionem ecclesiae ad obligationem proscribendi libros infectos multis confirmant: *Exploratum est* (inquit Muratorius) *nihil magis futurum esse cordi pascentibus gregem Christi, quam avertere ab ovili suo quaecumque venena, quoscumque lupos. Quei ergo ferant perniciosos libros grassari passim? Perniciosi autem, minimeque ferendi sunt ii omnes libri, in quibus aut corrumpitur doctrina, aut iustitia desideratur, aut caritas, aut prudentia. In his autem omnibus locum habere debet ecclesiasticorum iudicium, et apostolicae praesertim sedis, atque conciliorum auctoritas. Audiendi porro non sunt haeretici qui ecclesiasticis pastoribus irascuntur, et male quotidie dicunt propter usus istiusmodi iuris: parum sane aequi, dum ecclesiae ac Deo negant, quod ipsi in suis urbibus propter temporaria commoda faciendum putant.* Contra vero moerens de aliquibus censoribus, qui obiurgandi aliorum scripta desiderio abrepti facile et saepe iniuste libros erroribus notant, eos valde exprobrat. Protestatur tamen non loqui de librorum prohibitionibus quae Romae per sacras congregationes emanant; de his namque sic ait: *Nobis enim iam constat, neque pontificibus maximis, neque supremis aliis ecclesiae magistratibus isthaec esse tribuenda. Nonnisi sanctissime instituta sunt tribunalia ad quae deferantur pravi libri, eorumque auctores. Optimis item legibus armata fuere.*

XXIV. Respondetur autem ad alia supra obiecta, quod iure merito opusculum quoddam Bellarmini traditur fuisse vetitum. Opera autem s. Thomae, si iniuste ab uno episcopo gallicano damnata fuerunt, iam ab ecclesia romana undique commendantur. Quod si quandoque aliquis liber inconsiderate proscriptus fuerit, id ecclesiae auctoritati non officit, nec fideles ab onere obediendi excusat; hoc enim raro accidit, et valde magis expedit quidem ad commune bonum, alicuius libri lectionem aliquando non damnandam damnari, quam perniciosi libri damnandam lectionem permitti. Quod autem Pius II. rescripsisset, non semper doctoribus sedis apostolicae esse credendum, id inique asseritur; ipse enim Launoyus (qui fuit multum romanae ecclesiae infestus) confitetur [2], verba illa legi in una sola editione basileensi anno 1571. per haereticos elaborata; sed in aliis omnibus tam vetustioribus, quam recentioribus editionibus sic legi: *Unum a te petimus, ut detractoribus sedis apostolicae semper non credas; multa illorum passionibus tribuas.* Valde quidem differunt verba haec ab aliis supra relatis. Eiusmodi vero *detractores* sunt Van-Espen Fleury Dupinus praefatus Launoyus et alii similis furfuris auctores.

XXV. Quod autem subdunt adversarii, nempe opus esse ad iustum patrandum iudicium, auctores audire, priusquam ipsorum opera damnentur; dicimus id nec oportere nec expedire, ut iam olim iudicarunt patres synodi tridentinae contra quosdam paucos episcopos, qui omnino requirebant, ut auctores audirentur; in huiusmodi enim iudicio non de personis scriptorum damnandis tractatur, sed de removendo damno sive damni periculo, cui fideles propter librorum illorum lectionem subesse possunt. Ad quid autem requiritur citatio auctoris, ubi ipsa sua scripta eius confessionem exhibent? *Cum vitium*, ait Lud. Muratorius [3], *satis apertum se dissimulari non patitur, et excusationi locum aufert, intrepide sententia feratur, et inauditis*

(1) De mal. ac bon. libr. etc. erotem. 2.

(2) Ep. 14. p. 8. animadv. 18. n. 537. et 538.

(3) De ingen. mod. l. 2. c. 5.

quoque auctoribus, proscribantur libri. Reipublicae debetur isthaec medicina. Minime igitur opus, nec expediens est, ut audiantur auctores, ubi ex iisdem libris potest iudicium efformari, quod eorum lectio noxia vel saltem periculosa aliis esse possit. Quamvis enim auctor innoxie scripserit, et deinde in bono sensu valeat scripta sua explicare, nihilominus bene potest et debet ecclesia librum proscribere, si iudicat lectionem illius perniciem populis allaturam.

XXVI. Quaero, quid tunc ageret auctor, si coram audiretur. Vel diceret se catholico sensu fuisse locutum, vel opus non esse suum? Si primum, nihil id ei proderit ad damnationem operis vitandam, ubi aliqua propositio censetur posse aliis offendiculo esse, quamvis ipse innocens iudicetur. Si secundum, neque id prohibitionem impedire valebit, cum non auctor damnationi subiiciendus sit, sed tantum fideles ab operis lectione removeri debeant; prohibitio enim non tam libros respicit, quam fideles quos interest ab eorum lectione avertere. *Nihil opus esse*, inquit Bened. XIV. [1] *auctores in iudicium vocare, ubi non quidem de eorum personis agitur, sed de consulendo fidelium indemnitati atque avertendo ab ipsis periculo, quod nocua librorum lectione facile incurritur. Si qua vero ignominiae labe auctoris nomen ex eo aspergi contingat, non id directe, sed oblique ex libri damnati damnatione consequi. Qua ratione minime improbandas censemus librorum prohibitiones inauditis auctoribus factas, cum praesertim credendum sit, quidquid pro se potuisset auctor afferre id minime a iudicibus ignoratum fuisse.*

XXVII. Sed quid amplius de hoc dubitandum, cum id semper ita fieri in ecclesia consuevit? Ubi iudicium (regula est) de persona faciendum, oportet personas audire: ubi autem de libro agitur, liber audiatur. Imo quid obest, quin ipse auctor ex suis scriptis, quando manifeste sunt impia, damnetur? Berengarius calumniabatur s. Bernardum, et synodum senonensem, quod Petrum Abailardum inauditum damnassent: sed adversus Berengarium sapienter scripsit Natal. Alex. [2]: *Anne ideo inconvictus, cuius errores in libris ab ipso editis ita erant manifesti? Ex scriptis itaque iudicium de personis ferri posse, et sic institutum ecclesiae iudicium indeficiens esse, Martinus* I. *et* 105. *lateranensis concilii patres sic statuerunt: Si causae cognitio instruatur ex hominum testimoniis, et instrumentis, criminis vel innocentiae probationem continentibus, potest ecclesia errare. Si de facto doctrinali quaestio sit, et cognitio causae instruatur ex libris auctoris, qui erroris accusatur, non potest errare.* Praeterea, saeculo septimo Maximus Aquileiensis in eodem lateranensi concilio sic Martinum alloquutus fuit: *Si placet vestrae beatitudini, convenienter de his quae proponuntur cognoscere per proscripta eorum adversus fidem exposita, et quae sine accusantis persona redarguere apertissime demonstrantur, propterea enim accusatio extranea superflua esse dignoscitur, quando a suis temerariis conscriptis apertius accusantur.* Ita namque Dominus ait: *Ex verbis enim tuis iustificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis* [3]. Item contra Theodorum et Origenem in synodo v. accusator quippe nullus adfuit, sed tamen sola ipsorum scripta ad eos damnandos suffecerunt. Caeterum, ubi scripta sunt ambigua, iustum est auctores audire, priusquam ipsi auctores damnentur.

XXVIII. Testibus autem allatis respondetur, nempe quod ibi non de libris, sed de personis agebatur. Sic pariter abbatis Ioakimi et Augustini non sola opera, sed etiam personae accusabantur. Et sic alii qui adducuntur, ipsi citati fuerunt, quoniam non in scripta inquirebatur, sed in personas quae de haeresi arguebantur. Citatio autem illa per edictum a Tridentino data est, non quidem ad legitimam reddendam haereticorum librorum proscriptionem,

(1) Cit. bulla Sollicita, §. 10.

(2) Hist. t. 11. ad sec. 6. disc. 5. (3) Matth. 12. 37.

sed tantum ad ipsos haereticos et auctores reducendos. Quod aliqui tandem fuerint quandoque vocati, priusquam ipsorum libri damnarentur, hoc non necessitatem inducit, sed tantum aequitatem ostendit in quibusdam casibus adhibendam, prout sapienter insinuat Bened. XIV. [1] dicens : *Nihilo tamen minus, quod saepe alias ab eadem congregatione factum fuisse constat, hoc etiam in posterum servari optamus, ut quando res sit de auctore catholico aliqua fama illustri, eiusque opus (demptis demendis) prodesse posse dignoscatur, vel auctorem ipsum suam causam tueri volentem* (congregatio) *audiat, vel unum ex consultoribus designet, qui ex officio operis patrocinium suscipiat.*

XXIX. Obiiciunt 4. Ad valorem legis ecclesiasticae non sufficere, ut illa Romae tantum promulgetur, eam affigendo ad *valvas* basilicae s. Petri, vel in Campo Floris ; sed requiri ut per singulas provincias publicetur. Hinc adstruunt aliqui nostrates nebulones, quod index romanus in hoc regno neapolitano non obliget, utpote non publicatus nec acceptatus. Et idem asserunt de bulla *Coenae,* ubi excommunicantur sub anathemate papae reservato omnes legentes, vendentes aut retinentes libros haereticorum, haeresim continentes, vel de religione tractantes.

XXX. Respondetur hanc obiectionem in nostro casu prorsus inanem esse ; nam primo habemus, ut diximus supra *n.* 18. tam Pium IV. quam Clementem VIII. mandasse et curasse ut index per totum orbem publicaretur. Deinde habemus, quod Philippus II. [2] praecepit indicem romanum, sicut per Pium IV. publicatus fuerat, recipi et observari in omnibus regnis suae ditionis, et ideo ipsum ad omnia consilia regia transmitti mandavit, ut eorum auctoritate per provincias more solito promulgaretur. Quod proinde praesertim in nostro regno neapolitano sine ulla contradictione executioni demandatum fuit. Et cum Innoc. XII. conquereretur apud Carolum II. quod in Flandriis quidam libri ab ecclesia proscripti impune legerentur, Carolus de hac re scripsit gubernatori (tunc Bavariae electori), et hic regis epistolam Bruxellarum senatui transmisit, qui die 13. april. 1696. sic electori respondit: *In hoc usque tempus non audivimus quemquam tueri scripta voluisse, et libros legitime prohibitos. Praeterquamquod et cum gaudio auxilium daturi sumus ecclesiasticis, quibus ad hoc eo opus fuerit.* Adde quod in pragmatica *de impressione librorum* (vid. apud Rovitum[3]) praeceptum fuit, nullo modo posse vendi et retineri libros prohibitos. Quod vero pertinet ad bullam *Coenae*, constat ex pluribus scriptoribus (vid Barth. Chioccarell.[4] et Troyla[5]) oppositiones a regiis ministris propositas adversus laudatam bullam restrictas fuisse tantum respectu ad aliqua peculiaria capita quae regalem iurisdictionem laedere censebantur: sed non se extendisse ad alias res quae iuribus regiis nullum afferebant gravamen. Caeterum, quamvis legentes libros ob haeresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnatos excommunicationem bullae *Coenae* non incurrerent, saltem effugere non possunt excommunicationem inflictam in indice.

XXXI. Adde quod lectio librorum erroribus infectorum ipso iure naturali vetita est illis quibus offendiculo esse potest, ut recte inquit p. Petrus Collet continuator Tournely[6]: *Lectio librorum haereticorum multis prohibita est iure naturali, iis scilicet quibus est periculosa; atqui periculosa est multis; cum pauci vafritiem haereticorum detegere valeant, pauciores ab eorum laqueis se expedire. Ergo merito dixit Sylvius, rudes, et in theologia leviter instructos, quales sunt ii fere omnes qui duobus aut tribus tantum annis theologiae studuerunt, non sine gravi peccato legere posse istiusmodi libros, etsi nulla esset lex*

(1) Cit. bulla Sollicita, §. 10. (2) Per edict. dat. die 15. febr. an. 1569. qui extat ap. Van-Espen p. 1. tit. 22. de congr. card. c. 4. n. 34.

(3) Pag. 276. (4) Archiv. ad t. 4. tit. 2.
(5) Hist. Neap. t. 4. p. 2. c. 4. §. 2. n. 17. et 18
(6) T. 3. de decal. c. 1. a. 1.

ecclesiae. Idem scripsit Natalis Alex.[1]: *Qui libros legunt absque licentia, auctoritate sedis apostolicae concessa, in lethale peccatum, et excommunicationem incurrunt. Haec enim lectio pontificiis constitutionibus plerisque sub excommunicatione latae sententiae vetita est. Merito quidem, ne ab imperitis, vel semidoctis, aut etiam eruditis viris absque necessitate, et cum subversionis periculo legantur: quod doctis etiam, sed nimium curiosis, et quorum fides interdum infirmior est, quam simplicium et ineruditorum, ex huiusmodi lectione plerumque imminere, infelix experientia comprobavit.* Additque: *Et nec cum licentia posse legi, si vel periculum subsit, vel nulla adsit causa gravis legendi. Tandem quicquid alii audacter autument, prioribus fidelibus cordi semper fuit satagere ut ecclesiae in omnibus humilem et devotam obedientiam servarent.* Carolus Magnus solitus erat dicere: *In memoriam b. Petri honoremus romanam et apostolicam sedem, ut quae nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra ecclesiasticae rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa s. sede imponatur iugum, tamen feramus, et pia devotione toleremus* [2].

Cap. V. *Resolvuntur quaedam dubia ad praxim spectantia.*

I. Quaeritur 1. an qui moraliter certi sint nullum perversionis periculum incurrendi, possint absque licentia prohibitos libros legere. Probabile esse eo casu quod possint, putarunt aliqui cum Caramuele (laxorum facile principe): dicentes quod, cessante fine legis adaequato, cessat lex prohibitionis. Sed cum sententia communissima quam tenent Castrop. [3] cum Suar. Tolet. Sanch. et Tambur. [4], omnino negandum; primo, quia licet probabilis esset opinio quod cesset lex, cessante ipsius fine adaequato, etiam in casu particulari: cui opinioni alia opponitur communior et probabilior sententia, et quod cessante fine damni in particulari, non cessat nihilominus finis legis in communi, qui est ut vitetur periculum hallucinationis: licet (inquam) opinio illa a pluribus habeatur ut probabilis, nempe Soto Caiet. Sylv. Valent. Carden. etc.; attamen quoad lectionem librorum damnatorum minime potest esse probabilis, quia in hac re nunquam periculum omnino cessare potest, vel saltem nunquam finis prohibitionis cessat adaequate, neque in communi, neque in particulari; prohibitionis enim finis non solum est ut damnum vitetur conscientiarum ex lectione pravorum librorum, sed etiam ut servetur obedientia ecclesiae debita, maxime in re tam periculosa; et insuper finis est, ne detur ansa haereticis, aut aliis improbis scriptoribus perniciosa typis demandandi.

II. Hinc nullo modo permittendum alicui legere damnatos libros, etiamsi ipse putet respectu eius omne abesse periculum. Tantummodo, ut supra notavimus, concilium carthag. IV. permisit episcopis legere libros haereticorum *pro necessitate et tempore.* Caeterum non videtur improbabile id quod plures dd. docent, Holzman [5] Elbel [6] cum Mayr.: item Laym. et Dicast. apud La-Croix [7] nempe ex iusta epikeia excusari virum pium et doctum legentem librum haereticum, si necessario tali indigeat lectione ad convincendum aliquem haereticum ex suo proprio, puta inveniendo contradictiones, concessiones, fallacias, et similia; dummodo (dixi) urgeat necessitas, et insuper non pateat recursus ad Romam, vel ad proprium episcopum; licet enim ordinarie a pontifice vel a congregationibus romanis sacrae inquisitionis vel indicis, licentia legendi libros prohibitos impetranda sit, tamen in casu magnae necessitatis poterit episcopus illam impertire. Viva [8].

III. Quaeritur 2. quaenam requiran-

(1) L. 4. de dec. a. 8. reg. 25. (2) V. in conc. Tribur. can. 30. (3) Tr. 4. d. 2. p. 10. §. 2. n. 9. (4) In dec. l. 2. c. 1. §. 7. n. 41.

(5) Theol. mor. p. 177. n. 77. vers. Sed numquid. (6) T. 2. pag. 43. n. 99. (7) L. 7. n. 545. (8) Mor. theol. de cens. q. 5. a. 1. n. 10.

tur, ut incurrant excommunicationem qui scienter retinent, legunt, imprimunt, vel defendunt libros haereticorum. Requiritur 1. ut auctor sit haereticus, vel saltem, prout dicit Holzm.[1] ut liber, quamvis lateat auctor, ex professo tractet de haeresi. Non autem incurrunt legentes libros infidelium, licet haeresim contineant. Ita Suar. [2] et Salm. [3] cum Sanch. Pal. etc. Libri vero Thalmud, et similes hebraeorum prohibentur per bullas Pii IV. et Clementis VIII. Vid. apud La-Croix [4].

IV. Requiritur 2. ut huiusmodi libri haereticorum *scienter* legantur aut retineantur ut dicitur in bulla. Unde excusat legentes a censura, non solum ignorantia invincibilis, sed etiam crassa; imo iuxta plures, Sanch. Sylvest. Bonac. Ronc. Salm. etc. (vid. *lib.* 7. *n.* 47. 48.) etiam affectata quia (ut dicunt) in ea, rigorose loquendo, deest dolus formalis, qui verum censurae contemptum inducit.

V. Requiritur 3. ut liber vel de religione tractet, vel haeresim contineat. Sufficit autem ut liber tractet de religione, tametsi errorem non contineat, nempe de sacra scriptura, aut de theologia, aut canonibus, ritibus ecclesiae, aut aliis rebus spiritualibus. Ita Sanchez [5] Laym. [6] Suar. [7] Salm. [8] et alii. Sufficit etiam, ut liber unum solum errorem contineat contra fidem, etiamsi de alia re agat. Sanch. Bonac. Castr. et Salm. [9]. Vid. *lib.* 7. *n.* 287. Quid si error sit abrasus a libro? Adhuc remanere prohibitum tenent multi dd. Suar. Sanch.[10] Bon. et alii, quia particularis illa expunctio non aufert communem libri proscriptionem. Sed alii, ut Pignatel. et La-Croix [11] dicunt excusari a censura illum qui reliqua libri legit, quia tunc liber non amplius continet haeresim, nec offendiculo esse potest. Idque probabile videtur cum Sporer.[12] semper ac liber non de religione tractet, sed de alia materia, v. g. de philosophia aut de historia: exceptis tamen libris centuriatorum magdeburgensium, et similibus, in quibus revera de religione agitur.

VI. Requiritur 4. ut lectio sit in materia notabili; nam communiter dd. in hac re bene admittunt dari parvitatem materiae; discrepant vero in assignando quaenam sit materia parva. Alii, idest Sanch.[13] cum Sa Manuel. et Vivald. dicunt esse paginam, et quid amplius, si volumen sit ex grandioribus: sed hoc merito (sic saltem generaliter dictum) ab aliis reiicitur. Alii contra, nempe Graffius et Reginald. apud Bonac. [14] dicunt esse tantum tres vel quatuor versus. Alii (Suar. [15] Palaus [16] cum Azor. Con. et Sanch.) dicunt esse decem lineas. Alii tandem (Holzm. [17] Sporer. [18] Elbel [19] et Croix [20] cum March.) melius distinguunt, et dicunt in hoc attendendum finem prohibitionis; si enim aperiendo librum offendis in doctrinam quae directe fidei adversatur, et legis, etiam si paucas lineas legas, excommunicationem non effugies, quia tunc periculo perversionis iam te exponis; secus si liber haeretici ageret de re indifferenti; tunc enim legendo forte usque ad paginam, poteris a mortali excusari, si nullam ibi advertas propositionem erroris suspectam. Caeterum bene incurri potest censura, legendo solum prooemium aut indicem libri, si in notabili quantitate percurratur. Laym. [21] Bon. [22] etc.

VII. Dubitatur 1. an incurrat excommunicationem qui legit haeretici concionem aut epistolam seorsim editam. Affirmant alii; Suar. Farinac. apud Salmantic. [23], sed negant alii, Sanch. [24] Holz.[25] cum Laym. March. etc. Salm.[26] ac Bon. Castrop. et Lugo apud Croix [27]. Ratio, quia revera huiusmodi concio vel epistola non potest dici liber; et in

(1) T. 1. pag. 198. n. 78. v. Qui legunt. (2) D. 20. sect. 2. n. 12. et 13. (3) De cens. c. 4. n. 71. (4) L. 7. n. 333. (5) Dec. l. 2. c. 10. n. 21 (6) L. 2. tr. 1. c. 15. n. 3. (7) Ut supra n. 16 (8) C. 4. n. 72. (9) Nost. mor. (10) N. 3. (11) L. 7. n. 330. (12) Tr. 2. dec. c. 3. n. 41.

(13) C. 10. n. 31. (14) D. 1. q. 2. punct. 4. n. 14. (15) N. 20. (16) Tr. 4. d. 2. punct. 10. §. 2. n. 6. (17) Pag. 176. n. 77. v. Dixi quarto. (18) Ib. n. 44. (19) T. 1. pag. 297. n. 113. (20) L. 7. n. 340. (21) Ibid. n. 5. (22) Loc. c. (23) C. 4. n. 72. (24) Dec. l. 3. c. 10. n. 30. (25) Pag. 77. n. 77. v. dic. 6. (26) Loc. c. (27) L. 7. n. 337.

hac re dicunt stricte faciendam esse interpretationem, cum agatur de re odiosa, utpote de poena incurrenda.

VIII. Dubitatur 2. an incurrant censuram legentes manuscripta haereticorum. Negant Azor. Viva et alii cum Sylvio; qui Sylvius insuper pro hac opinione quamdam declarationem S. C. profert. Azor. Barb. etc. ap. Croix [1] Viva[2]. Affirmant tamen constanter Holzm. [3] Sporer [4] Croix [5] cum Suar. Sanch. etc. dicens manuscripta adhuc venire sub nomine librorum, sicut olim ipsa, antequam typus inventus esset, pariter libri appellabantur: utque etiam nunc manuscripta, ubi adnotantur baptismata et matrimonia, a rituali et ab omnibus adhuc libri vocantur; de praefata autem declaratione S. C. respondent satis non constare. Censeo quidem hanc sententiam omnino esse consulendam, quia in hac re expedit ordinarie rigidiores opiniones sequi; caeterum rationes supra allatae non videntur satis convincere; nam hodie nomine librorum proprie libri intelliguntur, non manuscripta. Maxime tamen advertendum, quod ex praescriptis in indice romano[6] incurrit excommunicationem ipso facto, qui *libros haereticorum, vel cuiusvis auctoris scripta, ob haeresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legerit, sive habuerit.*

IX. Dubitatur 3. an excommunicatione irretiatur qui audit alterum librum haereticum legentem. Alii affirmant, Laym. [7] Azor. etc. sed communius et probabilius negant alii, modo non induxerit alterum ad legendum. Spor. [8] et Croix [9] cum Sylvest. Pignatel. Sayr. etc. Imo alii, Sanch.[10] Castr.[11] cum Coninch. et Bonacin.[12] cum Nav. Reg. etc. adhuc probabiliter excusant, etiam si induxerit: et alii, Spor. Susa et Steph. ap. La-Croix[13] excusant adhuc a peccato, si audiens nullum ex auditione timeat morale periculum perversionis.

X. Notandum insuper, quod non sunt prohibiti libri catholicorum qui verba haereticorum referunt ad eos confutandos, ut omnes communiter docent. Laym. [14] cum Nav. et Sanch. ac Azor. Pignatel. et Bonac. apud Croix [15]. Neque libri catholicorum, ubi adsunt alicuius haeretici notamenta sive scholia: dummodo (sapienter limitant Suarez Pignatellus etc.) huiusmodi notamenta non sint tam copiosa, ut potius liber illis, quam scriptis auctoris, constet. Suar. Pignat. etc. apud Croix[16]. Neque libri haereticorum qui de alia materia tractant, quam spirituali, ut diximus, sed absque ullo errore; nam (ut diximus supra *num.* 5.) quamvis vel solus error adhuc incidenter inesset in libro, quicquid aliqui dicant, liber revera damnatus existit.

XI. Incurrunt autem excommunicationem non solum legentes libros haereticorum prohibitos ut supra, sed etiam qui illos retinent. Quapropter qui eos habet tenetur quamprimum iuxta praeceptum Pii IV. tradere vel inquisitoribus vel episcopis. Et loquendo pro regnis ubi viget inquisitio, dicit p. Suarez cum aliis (Barbosa Dicast. apud Croix[17]) incurrere censuram etiam qui librum non tradit, quamvis comburat, Sed communiter excusant alii (Salm.[18] et Croix [19] cum Sanchez Pignatell. et Filliuc.) quia (ut aiunt) qui librum destruit, nequit amplius dici quod retineat. De caetero non excusatur qui librum retinet etiam nomine alterius, v. gr. in deposito mutuo, aut pignore: nec qui librum suum tradit alteri ad tenendum, quia retento sibi dominio, ipse etiam dicitur retinere, cum possit illum suo arbitrio repetere; ita dd. communiter. Suar.[20] Sanch.[21] Castr.[22] Roncaglia[23] Salm.[24] Croix[25] Bonac.[26]. Praeterea hic advertenda est propositio 45. proscripta ab Alexand. VII. quae dicebat: *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri etc.* Dicit tamen

(1) L. 7. n. 339. (2) Ad prop. 46. Al. VII. n. 10. (3) T. 1. p. 77. (4) T. 1. tr. 2. n. 39. (5) Loc. c. (6) Regula 10. circa fin. (7) Ib. n. 6. (8) Ib. n. 43. (9) L. 7. n. 342. (10) Dec. l. 2. c. 10. n. 48. (11) Tr. 4. disp. 2. p. 10. §. 2. n. 4. (12) Disp. 1. q. 2. p. 4. n. 11.

(13) Loc. c. (14) Ib. n. 2. (15) L. 7. n. 335. (16) Ibid. n. 334. (17) Ibid. n. 355. (18) C. 1. n. 74. (19) Ibid. (20) D. 20. sect. 2. n. 21. (21) N. 52. (22) Ibid. n. 7. (23) Pag. 90. q. 2. resp. 4. (24) N. 74. (25) N. 347. (26) P. 4. n. 15.

La-Croix [1] cum Veriuys excusari qui tradit librum, ut retineatur in locis sequestratis, qui solent assignari in singulis monasteriis. Caeterum, si quis deponeret librum apud habentem licentiam, cum expresso pacto non repetendi (ita ut alter non teneatur reddere), nisi post expurgationem, vel post licentiam impetratam, hunc non auderem damnare, quia in hoc videtur omnino cessare periculum legendi absque dispensatione; et tanto minus damnarem, si donaret absolute librum habenti licentiam, sub conditione ut reddat ipsi donanti, si deinde licentiam obtinebit. Excusatur etiam a censura qui librum retinet per breve tempus, v. g. uno vel altero die, ut docent communiter dd., Laym. [2] Bon. [3] Castrop. [4] Holzm. [5] cum Sanch. Sayr. etc. Idque admittunt alii, Castr. [6] et Viva [7] (quoad eximendum retinentem a censura), etiamsi ipse in illo brevi tempore intenderet perpetuo librum retinere; quia (ut aiunt) deficit tunc materia gravis circa actionem externam. Praeterea, alii plures, Sanchez [8] Laym. [9] cum Sayr. ac Graff. et Pignat. ac Sylv. apud Croix [10] eum excusant, etiamsi diu retineret, expectans tamen tempus opportunum, ut librum superiori vel habenti licentiam tradat.

LIBER SECUNDUS

DE PRAECEPTIS VIRTUTUM THEOLOGICARUM

TRACTATUS PRIMUS

DE PRAECEPTO FIDEI

Cap. I. Quae mysteria fidei necessario credenda sint.

1. *Quae mysteria credenda necessitate medii.*
2. *An mysteria ss. Trinitatis et Incarnationis sint credenda explicite.*
3. *Quae ex praecepto scienda, et an memoriter.*
4. *Quale sit obiectum fidei materiale, et quale formale.*

1. « Ex iis quae fideles explicite credere tenentur, quaedam necessario credenda sunt necessitate medii, seu finis; sine quibus, etiam inculpabiliter ignoratis, finis ultimus obtineri nequit: alia necessitate praecepti, sine quibus, inculpabiliter omissis, finis potest obtineri. Sanch. [11] Azor. Val.

» Resp. 1. necessitate medii necessaria sunt haec duo: 1. explicite credere Deum esse, et remuneratorem bonorum esse, iuxta illud apostoli [12]: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Trid. [13]. 2. Post sufficientem evangelii promulgationem credere explicite, ut vult Mol., aut saltem implicite, ut probabiliter quidam docent cum Conc. et Laym., Christum et ss. Trinitatem. Vid. Escob. [14] qui ex Vasq. [15] docet culpabilem ignorantiam horum mysteriorum, sive negligentiam ea discendi esse grave peccatum distinctum ab eo cuius est causa. Vid. Dian. [16]. »

2. Fides definitur: *Est virtus theologica, a Deo infusa, inclinans nos ad firmiter assentiendum, ob divinam veracitatem, omnibus quae Deus revelavit, et per ecclesiam nobis credenda proposuit.* Dicitur 1. *Virtus theologica*, idest quae Deum respicit; fides enim, prout etiam spes et charitas, Deum directe spectat, ad differentiam virtutum moralium quae indirecte eum respiciunt. 2. *A Deo infusa*, quia fides est donum supernaturale divinum. 3. *Inclinans nos ad firmiter credendum;* nam assensus fidei nequit cum formidine consistere, prout perperam dicebatur prop. 4. ab Innoc. XI. proscripta, sed omnino firmus esse debet. 4. *Ob divi*-

(1) L. 7. n. 352. (2) Ibid. n. 7. (3) N. 15. (4) Ibid. n. 10. (5) N. 77. (6) Loc. cit. (7) Q. 5. a. 1. n. 9. (8) Dec. l. 2. c. 10. n. 55. (9) Ibid. n. 7. (10) Lib. 7. n. 351.

(11) 2. mor. c. 2. (12) Hebr. 11. 6. (13) Sess. 6. c. 8. (14) Ex 2. c. 9. n. 20. (15) L. 2. d. 116. c. 3. (16) P. 3. t. 5. r. 47. et 48.

nam veracitatem. Veritas enim infallibilis (quae est ipse Deus) est formale obiectum fidei. 5. *Omnibus quae Deus revelavit:* omnia enim a Deo revelata sunt obiectum fidei materiale. 6. *Et per ecclesiam nobis credenda proposuit;* nam divina revelatio nobis non patefit, nisi per ecclesiam quae revelationes proponit; cum sit aliunde evidens propter signa credibilitatis (qualia sunt prophetiae, miracula, constantia martyrum, et similia) quod ecclesia nec falli nec fallere potest. Praeterquamquod s. Augustinus illud celebre dictum protulit: *Evangelio non crederem, nisi me ecclesiae catholicae commoveret auctoritas.*

Quaeritur an mysteria ss. Trinitatis et Incarnationis post promulgationem evangelii credenda sint fide explicita de necessitate medii vel praecepti. *Prima* sententia, quae est communior et videtur probabilior, docet credenda esse de necessitate medii; ita tenent Sanchez [1] Valent. [2] Molina [3] Continuat. Tournely [4] Iuven. [5] Antoine [6] Wigandt [7] Concina [8] cum Ledesma Serra Prado etc.: item Salm. [9] Cuniliat. [10] et Roncaglia [11]. Sed postremi hi tres dicunt, quod per accidens et casu raro posset quis iustificari fide tantum implicita. Id probant ex scripturis, quibus aiunt clare probari necessitatem medii. Probant etiam ratione, quia licet ante promulgationem evangelii sufficiebat fides implicita Christi, post tamen promulgationem, eo quod status gratiae est perfectior, perfectior requiritur notitia, nempe explicita fides Christi et Trinitatis. *Secunda* vero sententia satis etiam probabilis dicit necessitate praecepti omnes teneri haec mysteria explicite credere, necessitate autem medii sufficere, si credantur implicite. Ita Dominicus Soto [12] qui ait: *Quamvis praeceptum fidei explicitae* (sc. Trinitatis et Incarnationis) *absolute obliget universum mundum, nihilominus possunt multi ignorantia invincibili ab eadem obligatione excusari.* Sylvius [13] scribit: *Post promulgatum sufficienter evangelium fides Incarnationis explicita est omnibus ad salutem necessaria necessitate praecepti, ac etiam (ut probabile est) necessitate medii.* Et paulo post idem profert de mysterio Trinitatis. Card. Gotti [14] ait: *Dico 1. sententia negans fidem explicitam Christi et Trinitatis esse ita necessariam, ut sine ea nemo iustificari aut salvari queat, valde probabilis est.* Et asserit [15] Scotum hanc tenere sententiam. Euseb. Amort recens scriptor et valde doctus [16] absolute eamdem sententiam tuetur. Elbel [17] scribit hodie hanc sententiam teneri ab insignibus dd. Castrop. [18] Viva [19] Laym. [20] qui dicit hanc non esse minus probabilem, quam primam cum Richard. Medin. Vega Sa et Turriano. Card. de Lugo [21] vocat primam speculative probabilem, sed hanc secundam absolute et fuse ut probabiliorem tuetur cum Iavell. Zumel. et Suar. [22], scribitque de Lugo eamdem sententiam videri esse s. Thomae [23] qui ait: *Ante baptismum Cornelius et alii similes consequuntur gratiam et virtutes per fidem Christi et desiderium baptismi implicite vel explicite.* Unde arguit Lugo, sicut Cornelius gratiam est consequutus per fidem implicitam, quia nondum in illa regione evangelium perfecte promulgatum fuerat, ita pariter consequi poterit ille qui mysteria haec invincibiliter ignorat; ipsi enim pariter non satis evangelium est promulgatum. Dicunt autem repugnare bonitati et providentiae divinae ut damnet adultos invincibiliter ignorantes, qui iuxta lumen naturae honeste vivunt, dum contra [24] habetur: *In omni gente qui timet eum et operatur iustitiam, acceptus est illi.*

(1) Dec. l. 2. c. 2. n. 8. (2) 2. 2. d. 1. q. 2. p. 4. (3) Comment. 1. p. q. 1, a. 1. d. 2. (4) T. 3. tr. de dec. c. 1. a. 1. §. 2. concl. 2. (5) T. 6. diss. 4. a. 3. (6) De virt. theol. c. 1. q. 2. (7) Tr. 7. ex. 2. de fide n. 22. (8) T. 1. diss. 1. de fide c. 8. n. 7. (9) Tr. 20. c. 2. p. 2. n. 15. (10) Tr. 4. de 1. dec. praec. c. 1. §. 2. (11) Tr. 6. c. 2. q. 2. (12) In 4. sent. t. 1. dist. 5. q. un. a. 2. concl. 2.
(13) T. 3. in 2. 2. q. 2. a. 7. et 8. concl. 6. (14) Theol. t. 2. tr. 9. q. 2. d. 4. §. 1. n. 2. (15) N. 1. (16) T. 1. d. 3. de fide, q. 17. (17) T. 1. conferent. 1. n. 17. (18) P. 1. tr. 4. d. 1. p. 9. (19) In prop. 64. damn. ab Innocent. XI. n. 10. (20) L. 2. tr. 1. c. 8. n. 5. (21) De fid. d. 12. n. 91. (22) D. 12. sect. 4. n. 10. (23) 3. p. q. 69. a. 4. ad 2. (24) Actor. 10. 35.

Respondent vero quod omnes scripturae et ss. patrum testimonia quae opponuntur de facili explicari possunt de necessitate praecepti, vel quia ordinarie nullus fere salvatur sine fide explicita horum mysteriorum, quia post evangelii promulgationem fere nullus de his laborat invincibili ignorantia; vel quia, ait Lugo, explicari possunt de fide implicita, sive explicita in voto. Praeterea, ait Laym. [1], vir adultus si esset mutus et surdus a nativitate, quamvis baptizatus, non posset alia sacramenta accipere, si optaret; imo nec salvari, quia huiusmodi homo incredibile est quod vero conceptu apprehendat et explicite credat mysteria Incarnationis, et praesertim Trinitatis.

Notant autem Tannerus [2] Sylvius [3] Azor. [4] et Valent. cum Guillelmo Paris. apud Sanch. [5] quod si quis adeo sit rudis, ut ea mysteria percipere nequeat, tunc excusatur ratione impotentiae, et comparatur infantibus ac fatuis. Attamen Sanch. [6] dicit quod aliud est credere, aliud scire mysteria, nempe rationem de eis reddere; unde censet omnes adultos teneri necessitate medii, aliquando huiusmodi mysteria credere, necessitate vero praecepti ea scire; a quo praecepto scientiae excusari mente obtusos; et sic intelligendos ait aa. citatos. Concluditque cum Gabriele, qui dicit: *Sufficere eis* (scilicet rudibus) *quod singulos articulos explicite credant dum eis proponantur.* Quamvis autem sint damnatae propos. 64. et 65. ab Innoc. XI. quae dicebant: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam culpabilem nesciat mysterium ss. Trinitatis, et Incarnationis D. N. Iesu Christi ... Sufficit illa semel credidisse.* Dicit tamen Viva cum March. probabiliter non esse necessario repetendas confessiones factas cum ignorantia praedictorum mysteriorum; cum ex praefata opinione iam probabile sit fuisse validas, si ignorantia fuerit inculpabilis. Certum enim est talem ignorantiam, si sit vincibilis, peccatum esse lethale. Praedicta autem propositio merito damnata est, quia dicebat capacem esse absolutionis etiam illum qui tempore confessionis laborat ignorantia praedictorum mysteriorum. Caeterum opinio p. Viva mihi non est satis probabilis, quamvis enim poenitens probabiliter validam confessionem expleverit, ita ut videatur deinde possidere exemptionem ab iteranda confessione, cum prius bona fide confessus fuerit; attamen respectu ad eum qui certo graviter peccavit, semper urget, ac possidet antecedenter obligatio explendi confessionem, non tantum probabiliter, sed certo validam. Quapropter, cum ipse adverterit confessionem suam ob ignorantiam mysteriorum ss. Trinitatis, aut Incarnationis Iesu-Christi fuisse probabiliter validam, sed etiam probabiliter nullam, tenetur, postquam de illis mysteriis instructus fuerit, confessionem iterare.

« Porro implicite credere dicitur, qui credit aliquid explicite, in quo alterum implicite est; v. gr. si credas quod credit ecclesia. Vid. Schol. et Laym. [7].

3. » Resp. 2. Necessitate praecepti quivis fidelis sub mortali explicite credere et scire, crasso saltem modo et quoad substantiam, tenetur haec:

» 1. Symbolum 2. Orationem dominicam. 3. Praecepta decalogi, et ecclesiae. 4. Sacramenta maxime necessaria; ut baptismum, eucharistiam, et poenitentiam, reliqua autem tunc quando vult suscipere. Suar. Sanch. Fil. [8]. Quae omnia intellige, nisi impotentia, aut invincibilis ignorantia excuset [9]. »

Unde resolvitur:

« 1. Non omnes tenentur sub mortali haec praedicta scire memoriter, aut eo ordine aut iis verbis quibus proponuntur; sed quoad orationem domi-

(1) Ibid. v. Confirmatur. (2) In 2. 2. d. Th. d. 1. q. 7. dub. 2. n. 49. (3) Ibid. q. 2. a. 8. concl. 8. (4) T. 1. l. 8. c. 2 q. 6. (5) Dec. l. 2. c. 3. n. 18.

(6) Loc. c. (7) L. 2. tr. 1. c. 8. (8) N. 39. (9) In Hom. Ap. tr. 4. n. 3. additur Salutatio angelica saltem in substantia.

nicam, scire omnia bona petenda esse a Deo, quae est eius summa: quoad symbolum vero, praecepta et sacramenta, sufficit, si quis rogatus de singulis recte respondeat. Bonac. Laym.[1] Sanch.[2]. (Hoc est conforme ad id quod tradidit s. Carolus Borromaeus in sua instruct. ad confessarios, ubi docuit satis esse, quod fideles rudes sciant *Credo* saltem in substantia).

» 2. Quamvis sit praeceptum ecclesiae discendi memoriter symbolum, orationem dominicam, et salutationem angelicam, velitque Barb.[3] non esse absolvendum qui ob negligentiam, vel verecundiam ea addiscere non curat; consuetudo tamen, ut notat Navarr. et Lopez, exposuit obligationem non esse ultra veniale: (Ita tenet etiam Viva[4] cum Azor. Trull. et Villal. apud Salm.[5] Vide *Prax. confess. n.* 22.). Uti nec est ultra veniale, nescire facere crucem, ut docet Sanch. contra Sylv. qui docet esse mortale.

» 3. Moraliter nihilominus necessarium est, ut rudiores memoria teneant symbolum sua lingua: quia alioquin non possunt habere sufficientem cognitionem articulorum.

» 4. Falsa est opinio quorumdam canonistarum, rusticis esse satis articulos fidei, aliaque dicta credere implicite, credendo quicquid credit ecclesia.

» 5. Excusantur ii, quibus aut defuit doctor, aut nunquam venit in mentem obligatio similia discendi, aut qui nimis sint rudes, ita ut non possint ea comprehendere aut retinere; quod saepe contingere docent Azor. et Bec. contra alios.

» 6. Si confessarius probabiliter iudicet poenitentem ignorare ex doctrina christiana ea quae scire tenetur (quod de litteratis, vel frequenter confitentibus praesumendum non esse, monet Sanch.[6], debet eum interrogare de negligentia in iis addiscendis: cum per eam plurimi graviter peccent. Led. Azor.[7]. Trull.[8].

» 7. Possunt absolvi (contra quosdam) qui ignorant ea quae sub mortali scienda esse dixi. Ratio est, quia licet peccarint omittendo discere, possunt tamen de hoc dolere cum proposito discendi. Sanch. (cum Salm.[9]. Nisi prius hi admoniti neglexerint addiscere). Quod si tamen ignorent ea quae necessitate medii scienda sunt, deberent instrui ante absolutionem. Bon.[10] Sanchez[11].

» 8. Parochus suas oves (sicut parens liberos) tenetur sub mortali per se vel alium docere ea saltem quae sub mortali scire tenentur. Sanchez[12] Filliuc. Palaus Trull.[13] Con. etc. »

4. Notandum quod obiectum *materiale* fidei (nimirum id quod credere tenemur) principaliter est ipse Deus, et deinde omnia a Deo revelata: ita s. Thomas[14] dicens: *Fides quae hominem divinae cognitioni coniungit per assensum, ipsum Deum habet sicut principale obiectum, alia vero sicut consequenter adiuncta.* Obiectum autem *formale* (idest motivum propter quod revelata credere tenemur) est Dei veracitas. Disceptatur autem inter scholasticos, an revelatio divina sit etiam obiectum *formale* fidei. Pro sententia affirmativa sunt Iueninus et alii, qui dicunt veracitatem Dei esse obiectum formale *quod*, nempe rationem praecipuam ob quam credimus: revelationem vero esse obiectum formale *quo*, hoc est medium quo credimus. Sed communior sententia Haberti card. Gotti et Holzmanni cum Scoto etc. docet totale obiectum formale fidei esse veracitatem Dei, et revelationem esse tantum conditionem, sine qua non crederemus, sive medium per quod nobis applicatur notitia eorum quae credimus.

Cap. II. Quomodo obliget praeceptum fidei

5. *Quos et quando obliget praeceptum fidei.*
6. *Notandae proposit. damnatae in hac materia.*
7. *Quoties teneamur in vita elicere actus fidei et spei.*

(1) Ibid. c. 9. (2) L. 2. c. 3. (3) P. 3. c. 27. (4) Sup. prop. 1. Alex. VII. (5) De praec. fidei, t. 2. n. 47. ex conc. rhem. et tolet. (6) 2. mor. c. 3. (7) T. 1. l. 8. c. 8. (8) L. 1. c. 1. d. 4. (9) De praec. fid. c. 2. n. 58. (10) D. 3. q. 2. p. 2. (11) Loc. c. c. 3. n. 21. (12) 2. mor. c. 5. (13) L. 2. c. 1. (14) Q. 14. de verit. a. 8.

8. *Quoties circa charitatem.*
9. *Quando haereticus teneatur suam sectam eiicere.*
10. *An circa fidem liceat sequi opinionem minus probabilem.*
11. *Quando teneamur fidem exterius confiteri. Et qui teneantur iure ecclesiastico ad externam professionem fidei.*

5. « Resp. 1. Praeceptum fidei internum obligat 1. pueros inter fideles educatos, quando rationis usum perfecte consecuti mysteria fidei audiunt apprehenduntque, quod illa credere sit res necessaria ad salutem; peccantque mortaliter omittendo. Sanch. Bonac. [1] addens plurimos eorum excusari inadvertentia aut invincibili ignorantia. 2. Adultos infideles, quando ratio incipit dictare, res fidei sufficienter propositas esse et contrariam sectam esse falsam. Sanch.[2]. Et in his duobus casibus praeceptum obligat per se, in sequentibus per accidens. 3. Quando urget tentatio contra fidem quae aliter vinci nequit. Quod tamen non convenire scrupulosis, recte monet Sanch.; quia hi, avertendo mentem ad alia obiecta, facilius superant. 4. Quando tentatio urgens contra alias virtutes aliter superari nequit. 5. Quando facienda est professio fidei exterior, vel ex praecepto eliciendus est actus alterius virtutis, v. gr. spei, charitatis, poenitentiae, quae fidem supponat; Bonac.[3]. His addit Hurt. contra Sanch. 6. In hora mortis, et 7. semel quotannis. Vide Dian. [4]. »

6. Certum est hominem teneri ex lege naturali ad Deum per fidem, spem et charitatem se convertere; et ideo elicere earum virtutum actus, cum quaeque virtus suis actibus vivat. Hinc ante omnia notandae sunt omnes proposit. proscriptae super hac materia; videl.

Prop. 1. ab Alex. VII. *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei, et charitatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Prop. 16. ab Innoc. XI. *Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale et secundum se.*

Prop. 17. ab eod. *Satis est actum fidei semel in vita elicere.*

Prop. 6. ab eod. *Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum.*

7. Quaeritur autem, quoties in vita teneamur elicere actus theologales.

Quoad praeceptum fidei spectat, plures sunt opiniones. Scotus censet teneri nos ad eliciendos actus fidei omnibus diebus festis. Nider, quoties mysteria in ecclesia celebrantur. Sed Salm. [5] et Croix [6] horum opiniones minime approbant; imo Oviedo apud Croix [7] asserit illas passim reiici ab aliis. Lugo apud Croix [8] recte dicit, toties fideles teneri ad repetendos actus fidei, quoties sufficiat ad profitenda mysteria nostrae religionis. At quia haec regula est obscura, sat probabiliter putant Salm.[9] cum Sanch. Trull. Bann. Led. et aliis teneri saltem semel in anno fideles ad exercendum actum fidei; et idem sentiunt Concina et Franzoia cum communi. Advertunt tamen cum Suar. Prado, et idem dicit Croix[10], quod huic praecepto fit satis etiam per exercitium aliarum virtutum, sive per susceptionem sacramentorum, sive ex quacumque alia occasione actus fidei ponantur.

Num autem teneamur ad eliciendos hos actus fidei formaliter, scilicet ex motivo Dei revelantis. Affirmat Viva [11]. *Quicquid sit*, ut addit, *an semper fides sit supernaturalis, si nitatur huic motivo saltem languide attacto.* Notat vero[12] quod viri timorati nullo modo circa hoc anxii sint, cum vix accidat, eos abunde huic praecepto non satisfacere. Croix [13] dicit non esse rationem, cur quis ob id scrupulose se divexet, cum huic praecepto fiat satis (ut asserit [14]) audiendo missam, adorando crucifixum, formando crucem, orando, etc. quamvis haec non fiant reflexe ex motivo fidei. Qui enim, ait, saepius posuit fidem tanquam regulam suarum

(1) T. 2. d. 3. p. 3. (2) L. 2. mor. c. 1. con. d. 14. de fide fil. n. 25. (3) Q. 2. p. 2. (4) P. 5. t. 13. r. 19. (5) De praec. fid. c. 2. n. 31.

(6) L. 2. n. 51. (7) Ibid. (8) Ibid. (9) D. c. 2. (10) Loc. c. (11) D. prop. 1. Alex. VII. n. 6. (12) N. 7. in fin (13) Ibid. (14) N. 27.

actionum, quibus ad Deum vult tendere, quicquid postea boni agit, ex eadem regula iam ad Deum dirigit exercite, licet non advertat. Aitque Hurtad. apud Carden. [1] hos actus esse vere actus fidei, quia radicaliter ex motivo fidei oriuntur. Insuper de Lugo [2] sic docet: *Cum materia honeste et inhoneste operandi frequenter occurrat, non esse dubitandum quin homo, qui fidem christianam semel amplexus est, plusquam sufficienter satisfaciat praecepto fidei.*

8. Quod autem pertinet ad actus erga praeceptum charitatis, iam adnotavimus supra damnatam fuisse propos. *Ne singulis quidem rigorose quinquenniis* hoc praeceptum obligare per se. Palaus apud Croix [3] dicit esse peccatum grave differre actum charitatis per triennium. Alii, ut Hurtad. Ills. Mendo etc. apud Croix[4] dicunt requiri elici actum charitatis erga Deum saltem semel in anno: et hanc sequuntur Salm. [5] cum Trull. Tapia Lastra. Alii vero, ut Gabr. Almain. Tab. ap. Croix[6] aiunt hoc praeceptum obligare quolibet die festivo. Cardenas tandem[7] (cui adhaeret Croix [8]) censet non excusari a mortali qui per mensem actum charitatis differt; hancque sententiam omnino ego suadendam puto, cum difficulter possit homo diu mandata divina servare, nisi dilectionem erga Deum frequenter foveat, quae nonnisi per actus charitatis fovetur et nutritur. Notat autem idem Cardenas [9] quod sufficit elicere actus amoris, etiamsi eliciantur in ordine ad implenda alia praecepta, vel ad aliam virtutem exercendam, puta ad se confitendum, ad vincendam tentationem. Insuper dicit Croix [10] esse veros actus amoris quibus bene satisfit huic praecepto, omnia opera meritoria exercitata ad finem placendi Deo, ut eleemosynam, ieiunium, et similia: talis autem rectus finis dicit quod praesumitur in eis qui iam sciunt sic placere Deo, modo non operentur ex fine pravo. Addit etiam Croix satisfieri adhuc orando, signanter cum oratione dominicali, ubi dicitur: *Sanctificetur etc. Adveniat etc. Fiat voluntas tua, etc.* Advertatur hic prop. 10. damnata ab Innoc. XI. quae dicebat: *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.* Recte igitur dicit p. Viva [11] quod sicut tenemur elicere actus formales charitatis erga Deum, sic etiam tenemur erga proximum ex motivo supernaturali, nimirum propter amorem Dei, vel ut praecepto Christi pareamus, qui dixit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem* [12]. Unde s. Thomas docet: *In dilectione proximi includitur dilectio Dei, sicut causa in effectu* [13]. Sicut ergo tenemur saltem semel in mense elicere actum amoris erga Deum, sic etiam saltem in mense exercere actus charitatis erga proximum. Caeterum sapienter scribit p. Suarez [14] cum aliis ex s. Thoma [15] quod aliquando hi actus charitatis bene exercentur occasione vitandi odium, aut largiendi eleemosynam. Et cum huiusmodi occasiones frequenter occurrant, hinc ait p. Viva esse moraliter impossibile, quod fideles christiane viventes huic praecepto abunde non satisfaciant [16].

Ex iis resolvuntur hi casus:

9. « 1. Haereticus, quamdiu suam sectam iudicat esse credibiliorem, vel aeque credibilem, non tenetur credere, quia fides nondum est sufficienter proposita, ageretque imprudenter. Sanchez [17] Laym. [18].

« 2. Quando iis qui in haeresi nutriti

(1) In prop. 17. Innoc. XI. n. 78. (2) De fid. dis. 13. n. 45. (3) L. 2. n. 141. (4) Loc. c. (5) Tr. 21. c. 6. n. 12. (6) Ibid. n. 133. (7) In prop. 5. Innoc. XI. n. 18. (8) N. 141. (9) Ibid. n. 14. (10) N. 143. (11) Cit. prop. 10. n. 8. et 9. (12) Io. 13. 34. (13) In ep. ad Rom. 13. sect. 2. (14) Disp. 5. de charit. sect. 4. (15) 2. 2. q. 25. a. 8. (16) De actibus trium virtutum theologalium sic in Hom. Ap. tr. 4. n. 13.: « Obligant per se (uti docent doctores) in pluribus vitae temporibus: nimirum quum pervenitur ad rationis usum; in exitu vitae; et pluries in vita, saltem semel quolibet anno, ut dicunt auctores; sed circa actum charitatis magis mihi arridet sententia eorum, qui eum requirunt semel in mense; dum difficiliter observare poterit legem divinam, qui frequenter suum erga Deum amorem actibus positivis non exercet. Attamen opus non est ut hi actus expresse et explicite fiant cum intentione praecepto satisfaciendi.» (17) 2. mor. c. 1. (18) L. 2. t. 1. c. 10.

sunt persuasum est a pueritia, nos abiicere, et persequi verbum Dei, esse idololatras, pestilentes, deceptores, ideoque tanquam pestem fugiendos; non possunt, stante hac persuasione, salva conscientia, nos audire, et laborant ignorantia invincibili, cum non dubitent esse in bona via. Laym.[1] Sanch.[2].

» 3. Si talibus oriatur dubium de sua secta, tenentur ulterius inquirere, et a Deo petere lumen: quod si negligant, peccant contra fidem, cum non adhibeant media ad implendum praeceptum fidei. Quod si deinde nostra fides eis sufficienter proponatur, tenentur amplecti[3]. V. Ferdin. de Castr. Pal.[4].»

10. Notanda est hic *propos.* 4. damnata ab Innoc. XI.: *Ab infidelitate excusabitur non credens ductus opinione minus probabili.* Ex hac aliqui non recte inferunt prohiberi in omni materia sequi probabilem, relicta probabiliori: nam respondet Viva[5] et alii communiter, quod etsi liceat sequi opinionem minus probabilem, nunquam tamen liceat cum periculo gravis damni, quando illud vitare non pendeat ab opinionis probabilitate; ut est in collatione sacramentorum, in medendo etc. et hoc esset pariter in sequendo sectam minus probabiliter veram. A probabilitate enim opinionis fit quidem, ut peccatum formale vitetur in aliis humanis actionibus, sed non potest fieri, ut sit vera secta non vera. Et semper ac secta sit falsa, nunquam cum quacumque probabilitate vitatur periculum damnationis, cum non vitetur periculum carendi fide necessaria ad salutem, gratia sacramentorum, etc. Adde quod infidelis nunquam habere potest veram probabilitatem suae sectae sine culpa. Si enim oraret, Deus absque dubio infunderet lumen suum in illum de vera religione. Ita Viva.

« Resp. 2. Praeceptum exterius fidem confitendi iure naturali obligat duplici casu, scilicet, cum vel honor Deo debitus, vel utilitas proximo impendenda, privative, vel contrarie subtraheretur. Dixi 1. *privative*, ut si ideo cessaret magnus honor in Deum, vel utilitas in proximum redundans. Dixi 2. *contrarie*, ut si alioqui Deus afficeretur iniuria, vel proximus gravi malo; v. gr. si inde penderet aliorum conversio aut perversio, contemptus religionis, scandalum, etc. Ratio responsionis est, quia actus virtutis tunc videtur praeceptus, quando est necessarius ad finem praecepti, quod hic contingit; quia finis praecepti est caritas. S. Th.[6] Suar. Reg. Fill. [7].

Unde resolvitur hic casus:

11. » Si haeretici conculcent imagines, aliisque iniuriis fidem afficiant, tenetur eam sua confessione tueri catholicus, si quidem inde prudenter speret profectum.

» Resp. 3. Ad professionem fidei externam iure ecclesiastico tenentur sub mortali, secundum Tridentinum, cum iuramento obediendi ecclesiae romanae, ut docet Fill. [8] sequentes personae.

» 1. Provisi de beneficio curato, idque intra duos menses a die possessionis coram episcopo, aut eius vicario generali, vel officiali [9].

» 2. Provisi de canonicatu vel dignitate in cathedrali ecclesia: idque non tantum coram episcopo vel eius vicario, sed etiam in capitulo [10], addita poena (ad quam non videntur teneri ante sententiam), ut alioqui fructus non faciant suos. V. Sanch. [11] Barb. [12].

» 3. Primates, archiepiscopi, episcopi, idque in prima synodo provinciali cui intererunt [13].

» 4. Extendit Pius IV. hanc legem ad omnes praelatos religionum, etiam militarium; idemque in motu proprio *In sacrosancta* [14], ad omnes promovendos in doctores, magistros, regentes, professores, addita excommunicatione latae sententiae, et privatione omnium beneficiorum in eos qui alios promovent ad talem gradum, sine praevia

(1) Ibid. c. 12. n. 3. (2) L. 2. c. 1. (3) Ibid. (4) P. 1. t. 4. d. 1. p. 12. (5) In dict. prop. n. 5. (6) 2. 2. q. 3. a. 2. (7) Tr. 22. c. 2. q. 1. (8) T. 2. tr. 22. c. 3. (9) Sess. 24. c. 12. de ref.

(10) Ibid. (11) L. 2. c. 5. (12) De pot. episc. 3. p. a. 61. n. 29. (13) Sess. 25. c. 2. de reform. (14) T. 2. Bullar. Roman. constit. 88. (Quamquam alii erronee attribuant Pio V.).

professione. Vid. Fill. [1] Barb.[2]. Verum ubi hoc decretum non est receptum usu, non obligare monet Sanch. [3].

Unde resolvitur:

» 1. Non tenentur ad dictam professionem provisi de canonicatibus in ecclesiis tantum collegiatis, vel de beneficiis tantum simplicibus.

» 2. Etsi probabile sit hanc professionem posse fieri per procuratorem, ut docet Azor. Navarr. et Sanch. probabilius tamen est teneri personaliter, ut docet Fill. Ratio est, tum quia alias non videtur fieri satis iuramento, quod personaliter faciendum esse docet Glossa apud Fill., tum quia ita decidit Rota apud Garc. [4]. »

Cap. III. An aliquando liceat exterius fidem veram negare aut falsam profiteri

12. *An liceat umquam positive fidem negare.*
13. *An uti verbis ambiguis. An tacere.*
14. *An fugere.* Vide alia *ibid.*
15. *An uti vestibus, vel signis infidelium.*
16. *An audire conciones haereticorum.* Vide alia *ibidem.*

12.« Resp. Nullo casu licet, sive voce, sive alio signo fiat, dicente Christo [5]: *Qui negaverit me coram hominibus, etc.* Interim vero, etsi licitum non est mentiri seu simulare quod non est, licet tamen dissimulare quod est, sive tegere veritatem verbis, aliisve signis ambiguis, et indifferentibus, ob iustam causam, et cum non est necessitas fatendi. Est commun. s. Thom. Con. [6] Laym. [7].

Unde resolvitur:

13. » 1. Rogatus de fide in odium religionis, sive publica auctoritate sive privata, nullo modo potest utendo restrictione mentali, aut verbis ambiguis ita respondere, ut praesentibus videatur fidem negasse; multo minus dicere se esse haereticum vel calvinistam vel non catholicum. Azor. Fill. [8].

» 2. Qui rogatus seu privata seu publica auctoritate, vel tacet vel respondet obscure vel ait se nolle respondere, se iure non rogari, non teneri se nec velle aliis dicere quid ipse credat, ac simili modo tergiversatur non videtur negare fidem, sed nolle prodere. Unde, si sic potest molesta inquisitione liberari, licet; ut habet Coninch. [9]. Generatim enim verum non est, quod interrogatus auctoritate publica teneatur positive fidem profiteri, nisi quando id necessarium est, ne praesentibus videatur fidem negasse. Con. [10] Navarr. Azor. Sanchez Bec. [11]. (Hac de re vide *propos.* 18. inter damnatas ab Innoc. xi.).

14. » 3. Non negat fidem, sed prodit, qui fugit: quod etsi liceat, non tamen pastori tunc cum eius opera oves indigent; uti contra, si eis consultius est, ut ad tempus se subducat, et in bonum earum reservet, tenetur fugere. Reginato [12] Bec. [13] Fill. [14].

» 4. Si quo casu tacere esset negare, tunc id non liceret; v. gr. si, aliis rogatis, an fidem negare vellent, iisque respondentibus quod non tu taceres [15]. Vide Bonac. [16] Laym. [17] Tol. [18].

» 5. Si princeps generali lege iubeat, ut fideles se prodant, gestato signo, vel sistendo se, vel aliter, non tenentur, cum nemo teneatur verum dicere, nisi specialiter rogatus. Excipe, nisi eae sint circumstantiae, ut hoc ipso, quod se non prodant, videantur fidem negasse, ut v. gr. si quidam antea noti essent, et tunc ex hoc putarentur defecisse. Sanch. [19] Bec. Reg. Fill. [20] etc.

» 6. Cum non rogaris de fide, non solum licet, sed saepe melius est ad Dei honorem et utilitatem proximi tegere fidem, quam fateri : ut si latens inter haereticos plus boni facis; vel si ex confessione plus mali sequeretur, v. gr. turbatio, neces, exacerbatio tyranni, periculum defectionis, si torquereris. Unde temerarium plerumque est offerre se ultro. S. Th. Sanch. Laym. [21].

» 7. Redimere pecunia, ne de tua fide fiat inquisitio, licitum est, et saepe magna virtus discretionis est vitam ad Dei gloriam servare, ac fidem tegere modis licitis.

(1) T. 22. c. 3. q. 11. (2) Remiss. f. 24. n. 12. (3) Cap. 3. n. 4. (4) L. 3. de benef. c. 3. (5) Matth. 10. 33. (6) Dis. 15. dub. 2. n. 9. (7) L. 2. t. 1. c. 11. (8) C. 3. n. 97. (9) Loc. c. (10) D. 15. dub. 2. (11) C. 9. q. 4. (12) L. 17. n. 26. (13) C. 9. (14) N. 75. (15) Ibid. (16) Loc. cit. (17) Ibid. (18) L. 4. c. 2. v. Prior (19) N. 19. (20) N. 88. (21) Ibid. c. 11. n. 2.

15. » 8. Talis modus non est uti vestibus aut signis infidelium, quae alium usum non haberent, quam quod essent signa professiva falsae religionis, seu cultus: uti essent vestes, quarum usus est in sacrificiis; item incensio thuris, aut genuflexio coram idolo; item sumptio coenae haereticae, etc. Sanch. [1] Fill. [2] etc. comm.

» 9. Licitus autem modus est, quando subest causa (ut v. gr. ad evitandum grave periculum, ad obtinendam victoriam, eludendos hostes) uti vestibus et signis infidelium, quae aliquem alium usum habent, quam profitendae religionis, quales sunt vestes talis nationis (non religionis) quibus uterentur, etsi converterentur, ut sunt vestes et signa nationis turcicae, quod verum est, etsi sint vestes ipsorum religiosorum, dummodo non habeant peculiare signum profitendi erroris, sed sint tantum indicium nitidioris cultus, ut saga praedicantium in Germania, vel eminentioris vitae inter suos, ut togae bonziorum in Iaponia. Idem dicendum est de signis quibus iudaei utuntur, verb. gr. flavo annulo in pallio Francofurti etc.; quia haec sunt signa mere politica et distinctiva unius generis hominum ab alio, et non proprie professiva fidei. Quae sententia probabilis est. Vid. Sanch. [3] Bec. [4] Laym. [5] Covarr. contra Cai. Nav. Tol.

» 10. Licitus item modus est cum catholicus transit per loca haeretica, et periculum grave ei imminet vitae v. gr. vel bonorum (non tamen, si derisio tantum vel vexatio, ut habet Bec. [6] ad dissimulandam fidem vesci carnibus die prohibito, quia praeceptum ecclesiae non obligat sub tali periculo. Nec hoc est fidem negare, cum esus carnium non sit institutus ad professionem religionis et catholici mali et gulosi id faciant. Si tamen ex circumstantiis fieret signum professivum, ut si v. gr. in odium fidei convivae statuerent, ut qui est hostis fidei pontificiae comedat carnes, peccaret contra fidem qui ederet sine protestatione; secus, si protestaretur. Sanch. Azor. Bec. etc. comm. [7].

16. » 11. In Germania audire conciones haereticorum, deducere funus, assistere baptismo pro patrino, non habentur signa professiva fidei, vel communionis cum haereticorum sacris. Fill. Azor. Sanch. [8]. Unde, seclusis aliis, v. gr. scandalo, periculo, prohibitione, et si ex iusta causa fiant, licent. (At in synodo neapolitana expresse prohibetur assistere concionibus, catechismis et quibuscumque litibus haereticorum, ex quocumque praetextu. Estque casus reservatus cum excommunicatione ipso facto. Caeterum Salm. [9] tenent licere, modo absit scandalum, periculum perversionis et communicatio impietatis). Imo patrinum fieri talis infantis, videtur potius optandum, seclusis aliis, quia non est aliud, quam obligare se ad eum olim erudiendum in fide catholica.

» 12. Infidelium et haereticorum sacris non licet ita interesse, ut eis communicare censearis, alioquin licet, v. gr. ut quis spectet tanquam comoediam, aut famulatum praestet politicum domino suo, exemplo Naaman Syri, de quo vide Bec. Fill. Sanch. [10] Laym. [11].

» 13. Si princeps haereticus mandet sub gravissima poena omnibus subditis adire conciones haereticorum, etiamsi verbis dicat se hac re aliud nihil exigere, quam obedientiam civilem, nec velle cogere ut a fide discedant, cum tamen reipsa contrarium velle videatur (nam obedientiam suorum aliter exercere potest, et haec res ex se apta est catholicos paulatim pervertere, et insuper conciliare auctoritatem haeresi, ac vilipensionem verae fidei), non licet obedire. Atque ita bis rescripsit anglis Pius v. apud Sanch. [12] Fill. et Azor. [13].

» 14. Catholici viventes inter haereticos, si ex praecepto magistratus contrahant matrimonium coram ministro haeretico, peccant contra fidem, etiamsi

(1) L. 2. c. 4. (2) N. 9. (3) 2. mor. c. 4. (4) 2. 2. c. 9. q. 5. d. 6. (5) L. 2. tr. 1. c. 11.

(6) C. 9. (7) Loc. c. (8) Loc. c. (9) Tr. 21. c. 2. n. 522. (10) Loc. c. (11) L. 2. t. 1. c. 11. (12) L. 2. c. 4. n. 27. (13) Loc. c.

contraxerint ante, vel contracturi sint postea coram sacerdote catholico. Con.[1] Pal.[2] testaturque contrahens caeremonia illa se illum agnoscere verae fidei ministrum: quae sunt intrinsece mala: Mald.[3] quia auctoritas ministri, et consequenter doctrina eius augetur, concurriturque ad ritus haereticos, quos minister isto actu exercet. Licite tamen contrahunt coram magistratu civili, vel potius testantur se contraxisse; modo prius vel posterius ritu catholico contrahant: quia haec actio est instituta ad finem politicum, ut coniuges habeantur, et proles non censeantur illegitimae. »

CAP. IV. DE INFIDELITATE ET VITIIS FIDEI OPPOSITIS

DUBIUM I. Quid et quotuplex sit infidelitas.

17. « Resp. 1. Infidelitas generatim est triplex; *prima* dicitur negativa, eorum scilicet qui nihil unquam de fide audiverunt. Quae non tam est peccatum, quam poena peccati: quia, si fecissent quod in ipsis erat, Deus fidem eis non abscondisset. *Secunda* dicitur contraria, eorum scilicet qui fidem sibi sufficienter propositam vel contemnunt vel ei contradicunt pertinaciter, ut haeretici. *Tertia* dicitur privativa, quod privative opponatur fidei, et est culpabilis ignorantia, vel error circa res fidei. Thom. Sanch. Vasquez Laym.[4].

» Resp. 2. Infidelitas contraria ex triplici modo repugnandi fidei est triplex, scilicet paganismus, qui fidei nondum susceptae, iudaismus, qui fidei susceptae in typo, et haeresis, quae fidei susceptae veritati repugnat. Apostasia a fide revocatur ad haeresim, a qua tantum differt, quod haeresis sit error fidei ex parte tantum contrarius, apostasia vero ex toto. S. Th. Laym.[5].»

DUBIUM II. De iudaismo.

Quaeritur hic tantum quae communicatio cum iudaeis sit interdicta christianis.

18. « Resp. 1. His casibus, qui colliguntur ex iure canonico[6]. 1. Non licet cohabitare: 2. nec conviviis interesse: 3. nec uti communi balneo: 4. nec medicos adhibere: 5. nec medicinas ab iis datas recipere, emere tamen licebit praescriptas: 6. nec iudaeorum filios enutrire in ipsorum domibus: 7. iis nec famulari: 8. nec servitute subiici: 9. prohibentur publicis officiis inter christianos fungi: 10. vetitum est eorum azimis vesci. Quibus addit Azor. prohibitum esse, accedere ad eorum nuptias, festa, synagogas (Adire synagogas curiositatis causa, non esse peccatum grave dicunt Salmantic.[7] cum Bon. Con. Pal. etc.); cum eis ludere, saltare: etc. Ratio horum est, tum ut conservetur dignitas christianae religionis: tum ut caveatur familiaritas cum iudaeis et periculum perversionis; vid. Laym.[8] Sanch.[9] Fill.[10].

» Resp. 2. in decem dictis casibus communicare cum iudaeis ex genere suo videtur esse mortale. Ratio, quia, si clericus id faciat, incurrit periculum depositionis: laicus vero excommunicationis[11] quae nonnisi ob peccatum mortale imponi solet. Dixi *ex genere* suo: quia probabile est, vel ob materiae parvitatem, vel ob necessitatem, aliamve causam rationabilem (si tamen non sit periculum perfidiae nec familiaritatis cum iudaeis) saepe excusari a mortali: aliquando etiam ab omni peccato. Ita communiter. Vid. auct. supra cit. et Bon.[12] item Laym.[13]. (Principes christiani possunt permittere iudaeis et paganis, aut haereticis libertatem conscientiae tantum ob bonum religionis, et ob spem conversionis; non autem ob temporale emolumentum. Salm.[14]. Bene autem potest ecclesia et quicumque princeps supremus compellere iudaeos et paganos subditos ad audiendam fidem nostram. Salm.[15] cum Suar. Az. Bec. Bon. etc. (contra Con. et Val.) et constat ex praxi quae viget Romae). »

DUBIUM III. Quid sit haeresis.

19. » Resp. haeresis est error intellectus, et pertinax contra fidem, in eo

(1) D. 15. a. 3. (2) P. 1. tr. 4. d. 1. p. 17. (3) 2. 2. q. 2. a. 3. (4) Ibid. c. 12. (5) Loc. c. (6) C. Nullus. C. Omnes. C. Iudaei. (7) Tr. 21. c. 2. n. 123. (8) L. 2. t. 1. c. 17. n. 1. (9) L. 2. c. 3. (10) Tr. 22. c. 5. n. 128. (11) C. Constitutis 17. q. 2. (12) Loc. c. (13) L. 2. t. 1. c. 17. (14) Tr. 21. c. 3. n. 5. (15) Ibid. n. 8.

qui fidem suscepit. Ita commun. Suar. Becan.[1]. Unde patet ad haeresim, ut et apostasiam duo requiri. 1. Iudicium erroneum, quod est eius quasi materiale. 2. Pertinaciam quae est quasi formale. Porro pertinaciter errare non est hic acriter et mordicus suum errorem tueri; sed est eum retinere, postquam contrarium est sufficienter propositum: sive quando scit contrarium teneri ab universali Christi in terris ecclesia, cui suum iudicium praeferat: sive id fiat ex vana gloria, sive libidine contradicendi, aliave causa. Sanchez Vasqez Laym.[2] et alii commun. Ratio est, quia tunc putat iudicium ecclesiae non esse sufficiens fundamentum credendi, quae est vera pertinacia; quam cum Coninch facilius sic explicant alii, eam tunc esse, cum etsi obiectum fidei credibiliter proponatur, ita ut prudenter de eo non possit dubitare, contrarium tamen iudicet a quo nolit avelli ullo casu, vel saltem nisi evidenter convictus. V. Con.[3].

Unde resolves:

» 1. Non est haereticus qui exterius tantum fidem negat aut adorat idolum. Ratio est, quia non errat. Neque talis incurrit in foro conscientiae censuras latas contra haereticos, etsi in foro externo secundum externa procedatur. Fill.[4].

» 2. Est haereticus qui affirmative de aliquo articulo fidei dubitat, hoc est, iudicat esse dubium. Dixi *affirmative:* quia negative tantum dubius, hoc est suspendens iudicium, per se et simpliciter non est haereticus, quia non habet iudicium; ergo nec erroneum: modo tamen non ideo suspendat, quod virtualiter iudicet, non liquere de certitudine obiecti. Sa Azor.[5] Tol. contra Sanch. et Mald. (V. *dicenda l.*7.*n.*302.)

» 3. Nemo est haereticus, quamdiu paratus est iudicium suum ecclesiae submittere, aut nescit contrarium tenere veram Christi ecclesiam, esto ex ignorantia etiam culpabili et crassa sententiam suam mordicus tueatur, Lay.[6].

» 4. Nec est haereticus, qui ita dispositus est, saltem habitualiter, ut a suo errore esset discessurus, si sciret esse contrarium fidei, dummodo pertinaciam actualem nunquam habuerit[7]. Con.[8].

» 5. Rustici, aliique homines simpliciores in Germania, qui haeretici habentur, et tamen pertinaces non sunt, possunt absolvi a suis parochis. Ratio est, quia non sunt haeretici formales: habent fidem catholicam in baptismo acceptam, quae non perditur, nisi errando pertinaciter. Laym.[9].

» 6. Cum haeresis et quaevis infidelitas mortalis sit, peccant quoque mortaliter qui eius periculo se exponunt, sive conversando, sive conciones audiendo, sive libros legendo, quae proinde, si cui periculosa sint, illicita sunt iure naturae: si vero periculum absit, lectio librorum haereticorum nihilominus illicita est iure positivo ecclesiae, uti etiam formalis disputatio laici de fide. Quod posterius tamen in Germania, locisque similibus, ubi catholici haereticis sunt permixti, abrogavit consuetudo, Azor. Fill. Bec. Sanch. Bonac.[10].

» 7. Matrimonium contrahere cum haeretica, etsi per se sit illicitum, habeaturque in Hispania et Italia mortale, probabile tamen est ob gravium doctorum auctoritatem (Sanch.[11] Azor.[12] Reg.[13] Basilii Pontii[14]. V. card. de Lugo[15]), in Germania licere ex gravi causa, salvo tamen iure naturali, et semoto periculo tum contrahentis, tum prolis: unde de iis initio constitui debet, ut catholice educentur. Vide Bec.[16] Dian.[17].

» 8. Eum qui lapsus est in haeresim, non teneri in confessione explicare, qualis illa sit, eo quod omnes eiusdem speciei sint, docent Reg. Dian.[18] citans alios, et Escob.[19]. Alii tamen contrarium tenent, quos sequitur card. de Lugo[20].» (V. *dicenda l.* 5. *n.* 50.).

(1) C. 14. q. 2. (2) L. 2. t. 1. c. 13. (3) D. 18. (4) T. 22. c. 6. q. 4. (5) L. 8. c. 9. q. 5. (6) Loc. c. n. 2. (7) Ibid. (8) Loc. c. (9) Loc. c. n. 4. (10) Disp. 3. q. 2. p. 5. (11) De matr. 1. l. 7. d. 72. n. 5. (12) T. 1. l. 8. d. 3. c. 3. (13) L. 31. n. 169. (14) De matr. c. 6. (15) De sacram. in gen. disp. 8. sect. 14. n. 120. (16) L. 5. c. 19. (17) P. 3. t. 4. r. 269. (18) T. 1. tr. de circumst. r. 46. (19) Ex 2. c. 9. (20) De poenit. d. 16. n. 288. et n. 291.

TRACTATUS SECUNDUS

DE PRAECEPTO SPEI

Cap. Unicum

20. « Per spem, quae est secunda virtus theologica, intelligitur amor concupiscentiae erga Deum, quo Deum et divina, prae omnibus aliis concupiscibilibus, nobis concupiscimus, ita ut omnia potius parati simus perdere, quam Deum et divina. De hac quaeritur, quando eius praeceptum obliget.

» Resp. 1. Probabile est praeceptum spei obligare per se, cum primum homini usum rationis assecuto Deus, et beatitudo tanquam finis ad quem tendere debet, sufficienter est propositus; ita ut notabili tempore non differat. Ita Becan. [1] Turr. et caeteri commun. Et est ratio, quia sine actu spei nec iustificari, nec iustitia divina persistere, nec meritorie operari possumus. Schol.

» Resp. 2. Praeceptum spei per accidens obligat. 1. Quando actus orationis, poenitentiae, charitatis, etc. in praecepto sunt, qui sine praevio actu spei exerceri non possunt. Ita auct. cit. et Fill. [2]. 2. Quando quis ita tentatur, ut periculum sit consensus, nisi animum spe erigat. Vide Fill. [3] Laym. [4] Bonac. [5].

Unde sequentes casus resolvuntur:

» 1. Mortale peccatum est sperare, sive amare magis (amore concupiscentiae) terrena haec, quam coelestia: v. gr. si quis ita comparatus sit, ut desideret perpetuo degere in hac vita, et Deo relinquere coelum, si sibi relinquat terram.

» 2. Mortale item est desperare de consequendo Deo aut salute et venia peccatorum, aut mediis ad illam consequendam necessariis, v. gr. auxiliis gratiae et emendatione vitae. Quod peccatum ratione parvitatis materiae non potest esse veniale, cum sit iniuriosum misericordiae Dei: s. Thom. [6] Laym. [7].

» 3. Mortale etiam est praesumere de misericordia Dei, v. gr. dum quis sperat id quod est impossibile secundum legem Dei ordinariam; ut si speres remissionem peccatorum et salutem sine poenitentia, vel per propria merita et vires naturae: vel etiam si quis statuat perseverare in peccatis, quandiu bene valet, et tamen speret se acturum poenitentiam ante mortem: s. Th. [8] Laym. [9].

» 4. Denique mortale est odisse Deum (odio scilicet abominationis seu aversionis), v. gr. si Deus displiceat tanquam nobis infestus propter vindictam peccatorum. Vid. Laym. [10] Bon. [11]. »

21. Spes brevius et congruentius sic definitur: *Est virtus per quam cum certa fiducia futuram beatitudinem et eius media assequenda expectamus per Dei auxilium.* Obiectum *materiale primarium* spei (nempe id quod sperare debemus) est aeterna beatitudo, quae est ipse Deus fruendus: *secundarium* autem sunt divinae gratiae, atque nostra bona opera divino auxilio exsequenda. Obiectum vero *formale* (sive motivum propter quod sperare tenemur) alii dicunt esse Dei misericordiam, alii divinam omnipotentiam, prout communiter tenent thomistae: alii divinam promissionem, sicut sentit Iueninus: alii tandem dicunt esse divinam bonitatem, in quantum ipsa nobis communicat auxilia ad salutem assequendam, et iuxta hanc intelligentiam bonitas idem est ac divina misericordia; si quis enim vellet obiectum formale spei esse Dei bonitatem, in quantum ipse est res sperata, sapienter ait Contin. Tourn. [12] quod non bene loqueretur.

His autem positis, concludendum puto quod tria praefata motiva constituunt obiectum *formale* spei, nempe misericordia et omnipotentia divina, qua Deus nobis auxilia impertitur ad salutis hostes superandos, et haec duo motiva expresse docet s.Th. [13] dicens: *Ita obiectum formale spei est auxilium*

(1) C. 17. q. 7. n. 2. (2) Tr. 22. c. 8. n. 255. (3) Loc. c. (4) L. 2. t. 2. c. 2. (5) D. 5. q. 3. (6) Q 20. a. 3. (7) L. 2. t. 2. c. 2. n. 3.

(8) Q. 21. a. 1. (9) Loc. c. (10) Loc. c. (11) Disp. 8. q. 3. (12) De praec. dec. c. 1. a. 2. sect. 2. concl. 2. (13) In quaest. disp. q. un. de spe.

divinae pietatis et potestatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quae sunt materiale obiectum spei. Censeo insuper his duobus omnino tertium addendum motivum, nempe divinam promissionem, prout recte sentit Iueninus, sive divinam fidelitatem circa promissionem quam exhibuit salvandi nos propter merita Christi; alias sine hac promissione non valeremus salutem cum certa fiducia sperare.

Vitia autem opposita spei, ut supra dictum est, sunt desperatio et praesumptio. Circa praesumptionem notandum, quod ille de presumptione peccat, qui salutem sperat vel tantum propter merita propria, vel tantum propter merita Christi absque ulla cooperatione suorum bonorum operum.

Dicit Bus. *hic n.* 3. peccare graviter eum qui vult in peccato perseverare usque ad mortem, sperans quod eum poenitebit ante mortem; et citat s. Th. et Laym., sed hoc non dicunt neque s. Th. neque Laym.: s. Th. enim [1] docet tantum, quod praesumptio sit (sunt eius verba) *sperare veniam sine poenitentia, vel gloriam sine meritis.* Addit autem[2] quod *peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniae, sit praesumptio, et auget peccatum. Peccare autem sub spe veniae quandoque percipiendae, cum proposito abstinendi a peccato, et poenitendi de peccato, non sit praesumptio, et minuit peccatum; quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum.* Quare secundum s. Th. non est peccatum contra spem velle perseverare in peccato sub spe aliquando poenitendi. Verum est tamen, quod difficulter hic posset excusari a peccato gravi contra charitatem erga seipsum; cum ex communi consensu dd., qui sic proponeret, magno periculo suae damnationis se exponeret.

Hinc recte aiunt Bonacin. Spor. [3] et Croix [4] qui differt poenitentiam sub spe veniae non peccat contra spem, dum spes illa remissionis tantum concomitanter se habet ad peccatum, sed non efficitur illi motivum sive ratio peccandi. Idem dicendum de eo qui peccat sub spe veniae. Tunc autem iudicandus est aliquis contra spem peccare, quando spei facilitas de venia obtinenda fieret illi ratio, seu motivum ad peccandum influens. Secus vero dicendum, si ille peccaret ex passione, sperando concomitanter peccatum illud postea simul sibi remitti. Qui autem augeret peccata, praetextu quia Deus tam facile ignoscit decem quam quinque peccatis, peccat ex praesumptione, ut Tourn. [5].

TRACTATUS TERTIUS

DE PRAECEPTO CHARITATIS

CAP. I. AN QUANDO ET QUOMODO OBLIGET PRAECEPTUM CHARITATIS DEI

22. *Quando Deus amandus.*
23. *Quando obligat praeceptum charitatis.*
24. *Resolvuntur casus.*

22. « Charitas Dei est amor amicitiae, quo Deo bene volumus: et omnia bona ipsi cupimus, ob summam et infinitam eius divinae naturae perfectionem.

» Resp. 1. Praeceptum charitatis Dei praecipit Deum super omnia amandum. Patet ex scriptura. Ratio est, quia finis ultimus plus est diligendus, quam omnia media quae ad eum referuntur: non quidem intensive (etsi enim hoc etiam deceat, non tamen est in praecepto), sed appretiative, ita ut nullam creaturam pluris facias, quam Deum, velisque potius omnia perdere, quam Deum offendere, et sic illi male velle: s. Th. [6] Azor. Sanch. Bec. [7] (Vide *dicenda l.* 6. *n.* 442. *v. Id clare*).

23. » Resp. 2. Probabile est praeceptum charitatis Dei obligare 1. quando homo adeptus est sufficientem cognitionem Dei infinite boni, a quo omnia sua bona habet, et cui omnia debet. Ratio est, quia cum teneatur Deo ex filiali amore tota vita servire, id non videtur posse fieri, nisi eliciat actum a-

(1) 2. 2, q. 21. a. 1. in corp. circa fin.
(2) D. l. a. 2. ad 3.
(3) De praec. spei c. 4. n. 17
(4) L. 2. n. 126.
(5) L. c. sect. 6. concl. 2
(6) 2. 2. q. 27. a. 3.
(7) 2. 2. c. 19.

moris. (Hac de re vide propos. oppositam damnatam ab Alexand. VII.[1]). Ita s. Th.[2] Navarr. Valent. etc. communiter (notat autem Con.[3] non statim post talem notitiam peccare mortaliter, sed tantum, si differat notabiliter, v. g. ultra annum) contra Palaum, qui dicit probabile esse quod non obliget. Si scrupulus te angat, an praecepto huic satisfeceris, docet Escob. ex Petro Hurt.[4] quod, si positive non meministi te omisisse, tenere possis te satisfecisse. Trull. tamen[5] monet expedire, ut quis se in confessione aliquando accuset sub dubio, si forte praeceptum istud violarit, vel alia praecepta affirmativa, de quibus non certo constet quando obligent vel violentur. 2. Quando est periculum labendi in odium Dei, nisi actum charitatis elicias. 3. Quando quis tenetur confiteri, v. gr. moriturus, aut celebraturus, cui confessarius deest. Ratio est, quia contritio includit actum charitatis. 4. Si quis gravem tentationem, praesertim in articulo mortis, putet se aliter vincere non posse. Quibus aliqui addunt articulum mortis absolute, eo quod tunc securissima via eligenda sit. V. Laym.[6] Bonac.[7]. Hurt.[8]. (Et probabilissimum est, ut Sporer.[9] et March. et Tourn.[10] cum Antoine et communi).

24. » 1. Mortale est, si quis omittat dilectionem Dei tunc quando praeceptum obligat.

» 2. Mortaliter peccat etiam, si quis amet Deum amore appretiative seu aestimative minore, quam creaturas.

» 3. Peccat item contra charitatem Dei si quis Deum non diligat principaliter propter se, tanquam finem ultimum omnium rerum; sed tantum propter aliud, v. gr. vitam aeternam: vel ad evitandum infernum: quod esse mortale docet Sylvest. et Navarr. quia scilicet Deus non diligeretur appretiative super omnia, si aliud ab illo amaretur ut finis principalis. Addo *principalis*, quia (ut bene ait Tolet.[11]) Deus propter retributionem vitae aeternae amari potest, sed minus principaliter, ut scilicet vita aeterna, vel alia Dei bona sint tantum causa movens, ut facilius, expeditius, et ferventius diligatur.

» 4. Mortale et gravissimum omnium est, si quis Deum formaliter oderit odio inimicitiae, seu malevolentiae (amori amicitiae opposito), verb. gr. si optes Deum non esse, non habere scientiam, potentiam, etc. De his vid. Laym. Bonac.[12] Sanch.[13] Reg.[14]. »

Obiectum materiale charitatis erga Deum primarium est Deus, secundarium nos et proximus; indirecte autem sunt omnia quae augent divinam gloriam. Obiectum vero formale est Deus, quatenus est infinita bonitas, prout est aggregatio omnium perfectionum, sive infinita perfectio, ut ait Tournely. Sed Gonet censet obiectum formale charitatis esse divinae naturae bonitatem, prout est radix cunctarum perfectionum, sed virtualiter distincta a perfectionibus. Boyvin autem dicit esse quamlibet perfectionem divinam, propter quam Deus diligitur. Caeterum ex communi sensu sapientum verus actus amoris est dicere: *Deus meus, quia es bonitas infinita, quia es infinite bonus, amo te super omnia.*

Hic dubitatur 1. an desiderium possidendi Deum sit obiectum charitatis. Et dicimus affirmandum, quia charitas (ut supra dictum est) tendit in Deum tanquam ultimum finem, et ideo desiderium possidendi Dei qui est ultimus quidem noster finis, est proprius actus charitatis, imo perfectior aliis; nam possessio Dei est charitas consummata. Hinc perfectum charitatis actum apostolus emisit, cum dixit: *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo*[15]. Idque expresse docet s. August. scribens: *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum.* Nec obstat dicere quod hoc modo obiectum charitatis idem evaderet ac obiectum

(1) Propos. 1. (2) Q. 89. a. 6. (3) Disp. 24. d. 3. n. 50. (4) 2. 2. d. 172. s. 1. §. 24. (5) L. 1. c. 5. dist. 13. n. 9. (6). (7) L. 3. q. 4 p. 2. (8) 2. 2. dist. 174. sect. 6. §. 17. (9) N. 45. (10) T. 5. p. 261. n. 2. (11) L. 4. c. 9. (12) Loc. c. (13) L. 2. c. 5. (14) L. 17. n. 101. (15) Philip. 1. 23.

spei, quod pariter est possessio Dei sperati. Recte enim respondet Habert[1] dicens, quod spes tendit in possessionem Dei uti bonum nostrum, sed charitas Deum possidere cupit propter ipsius Dei gloriam; dum (ut ait s. Bernardus) *cum homo Deum possidet, sui obliviscitur, et eum totis viribus diligit.*

Dubitatur 2. an sit charitatis actus, divinam diligere bonitatem, tanquam nobis convenientem, cum hic actus videatur potius esse amoris concupiscentiae, quam amicitiae. Bene respondent Iueninus, Habert et Gotti, quod si in huiusmodi actu respicimus nostrum proprium bonum tanquam terminum, talis actus revera est amoris concupiscentiae, qui ad spem tantum pertinet. Si vero respicimus bonum nostrum ut terminum gloriae Dei, diligendo divinam bonitatem, tanquam nobis convenientem, eo quod ipsa nos adiuvat ad Dei voluntatem adimplendam, et consequendum ultimum nostrum finem, qui est diligendi Deum, et propter quem Deus nos creavit, hic est verus actus charitatis: unde s. Aug aiebat: *Sic amare debes, ut ipsum* (Deum) *pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet*[2].

Diligere autem Deum propter beneficia, non est verus actus charitatis, sed gratitudinis, ut dicunt Habert et Croix[3]. Nisi, ait Habert, spectentur beneficia uti communicationes bonitatis divinae; tunc enim in iis amamus non utilitatem nostram, qui accipimus, sed bonitatem Dei qui communicat.

Nota hic propos. 10. damn. ab Alex. VIII.: *Intentio, qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut obtineat coelestem gloriam, non est recta, nec Deo placens.* Tunc tamen (dicit Laym. [4]) quis in hoc peccaret, quando actuali intentione nollet amare Deum, nisi propter spem, aut timorem.

CAP. II. DE PRAECEPTIS CHARITATIS ERGA PROXIMUM

« Charitas proximi praecipit 1. ordinem in eo diligendo: 2. dilectionem inimicorum: 3. eleemosynam: 4. correptionem fraternam. Deinde prohibet: 1. odium proximi: 2. scandalum: 3. ne iniuria, bellum, aliudve grave damnum vel malum inferatur. De quo postremo agetur in decalogo: de reliquis hic. »

DUBIUM I. Quis ordo servandus inter personas quae diliguntur.

25. *Qualis est ordo charitatis erga seipsum et proximum.*
26. *An liceat aliquando se privare bonis spiritualibus, vel se exponere periculo peccandi ob charitatem.*
27. *Quando teneamur succurrere proximo.*

25. « Resp. 1. Ordine caritatis quisque tenetur post Deum diligere 1. seipsum, secundum bona spiritualia: 2. proximum, quoad eadem bona: 3. seipsum, quoad bona corporalia: 4. proximum, quoad eadem: 5. denique seipsum, et deinde proximum quoad bona externa. Ita Laym. [5] ex s. Th. communiter.

Unde resolvuntur hi casus:

» 1. Peccat contra charitatem sui, qui salutem suam spiritualem vel corporalem negligit: quod grave est, si fiat sine causa, et cum gravi damno, v. gr. mortis vel gravis morbi: Trull. [6].»

26. Nota, quod per se loquendo potest quis privare seipsum bonis spiritualibus non necessariis ad salutem, ob bonum proximi spirituale vel corporale, ut esset omittere ingredi in religionem, ad alendos parentes suos, vel filios. Salm. [7]. Sed vide dicenda *lib.* 4. *n.* 78.

Pariter licitum est ob salutem spiritualem proximi se exponere probabiliter periculo peccandi; quia periculum illud quando adest gravis causa illud subeundi, non iudicatur voluntarie suscipi. Ita Salm. [8] cum Sanch. ex s. Basilio. Imo [9] cum Val. Azor. et communi dicunt ad hoc teneri qui dubitat de suo periculo, dum periculum proximi e contrario est certum; nempe si infans certo sit moriturus sine baptismo, si tu non accedas, licet accedere non possis sine subversionis periculo. Vide *l.* 5. *n.* 63. *et l.* 6. *n.* 453.

« 2. Nullius boni consequendi causa licet peccare, etiam venialiter: quia talis vellet sibi malum spirituale. Laym [10].

(1) T. 3. de spe, c. 2. q. 2. (2) In ps. 134. (3) L. 2. n. 147. (4) De char. c. 2. (5) L. 2 t. 3. c. 3.

(6) L. 2. c. 6. d. 1. (7) De praec. char. c. 6. n. 26. (8) D. 1. n. 27 (9) N. 18. (10) Ibid.

27. » 3. Tenetur quisque proximo in extrema necessitate spirituali constituto succurrere, etiam cum certo vitae periculo: dummodo sit aeque certa spes illum iuvandi, neque gravius inde malum immineat; v. gr. teneris cum vitae periculo baptizare vel absolvere moriturum, si alius non adsit qui faciat. S. Augustinus [1] s. Thom. [2] Regin. [3]

» Dixi, *in extrema;* v. gr. qua certo putetur moriturus in mortali, quia in gravi tantum obligatur is qui ex officio alienam salutem curat, ut parochus; cui ideo non licet fugere tempore pestis, nisi substituto aeque idoneo. Valent. et Laym [4]. »

Tenetur quidem quisque succurrere proximo in extrema necessitate spirituali, adhuc cum iactura suae vitae. Dummodo tria constent: 1. ut sit aeque spes iuvandi, ut ait Bus. cum Laym.: 2. ut proximus nullum alium habeat, a quo sublevetur: 3. ut proximus certo damnandus sit, nisi a te adiuvetur; ita ut (addit Malder.) tibi constet proximum aliter non esse convertendum contritione, vel alia operatione divinae gratiae.

Hinc si proximus sit in necessitate tantum gravi, non teneris ei succurrere cum periculo vitae, famae, vel bonorum, nisi sis pastor, ut ait cum Bus. Tourn. [5], vel nisi tuum damnum temporale esset leve, ut Salm. [6]. Hinc dicunt Salm. [7] cum Suar. Pal. Con. ex s. Thom. [8] quod non teneris retrahere peccatores cum tali periculo: nec ad indos convertendos navigare; cum sint alii qui hoc facere possunt, et alias fructus sit incertus; ut etiam notat Tamb. Bonac. [9] Pal. [10] et Tourn. [11].

Secus vero te teneri dicunt 1. Salm. [12] si communitas aliqua esset in gravi necessitate spirituali; quia tunc grave damnum commune praecavendum est magis, quam tuum particulare. Hinc inferunt teneri cum periculo vitae ministrare sacramenta populo, qui alias esset in periculo amittendi fidem; vel si tempore pestis populus sit omni sacerdote destitutus, ut Laym. [13].

Dicunt 2. teneri in gravi necessitate, qui ex officio debet subvenire, modo speret fructum. Hinc tenentur ex iustitia pastores, scilicet episcopi et parochi cum periculo vitae, ministrare ovibus sacramenta necessaria: ut baptismum et poenitentiam, non vero alia. Nec pastor potest tunc officium renunciare (licet possit alios substituere cum iusta licentia ordinarii, ut Laym. ex comm. cum Val. [14] Pal. [15]). Ita cum Bus. Salm. [16] cum s. Thoma Pal. etc. Et hoc certum esse dicit Croix [17]; ubi addit Suar. quod pastor tenetur etiam cum magno suo damno temporali procurare magnam utilitatem spiritualem subditi.

Quaenam autem sit necessitas spiritualis extrema, et quaenam gravis. Croix [18] cum Carden. Valent. etc. dicit extremam esse, quando proximus est in proximo periculo damnationis, vel peccandi ex vehementia passionis (sed melius dicunt Salm. [19] et Pal. [20] cum Bonac. neminem teneri cum periculo vitae aut bonorum extrahere alios a peccatis, a quibus possunt ipsi se liberare per seipsos aut per poenitentiam). Grave autem esse, quando ex circumstantiis salus aeterna ei difficilis redderetur.

An autem sit obligatio absolvendi moribundum cum periculo vitae. Affirmandum, si is habituatus sit in peccatis, et sit adeo rudis, ut nesciat actum contritionis elicere. Ita Pal. [21] Con. [22] Salm. [23] Mazz. [24] etc. Tempore autem pestis censeo cum Laym. ut supra, contra Pal. [25] teneri sacerdotes, deficientibus aliis, absolvere moribundos cum periculo vitae, quia in tanta multitudine morientium nunquam deficient huiusmodi ignorantes.

Quaeritur, an quis teneatur occidere nocentem pro tuenda vita innocentis. Affirmat Laym. [26] ut probabilius cum Nav Mol. etc.; nisi non possit occidere

(1) L. de mend. (2) Q. 20. a. 5. (3) L. 21. n. 41. et l. 4. n. 359. (4) Loc. c. (5) T. 3. pag. 283. (6) Tr. 21. c. 6. n. 34. (7) Ibid. n. 32. (8) 2. 2. q. 26. a. 5. ad 3. (9) De char. p. 4. n. 2. (10) Tr. 6. disp. 1. p. 9. (11) L. c. v. Dico 2. (12) D. n. 32.

(13) De char. c. 3. n. 3. (14) De char. c. 3. n. 3. (15) P. 9. n. 13. (16) D. c. 6. n. 33. 34. (17) L. 2. n. 174. (18) Ib. n. 175. (19) N. 52. (20) D. n. 9. (21) Ibid. (22) D. 13. dub. 7. n. 90. (23) N. 31. (24) C. 2. §. 3. (25) Ibid. n. 6. in fin. (26) De char. c. 3. n. 5.

sine gravi incommodo. Sed verius negatur, ut infra *de* 5. *praec. l.* 3. *n.* 390.

« 4. Ordinarie non licet vitam suam postponere alienae. Addo *ordinarie*: quia licet, si sit persona publica, a qua multum pendet; uti etiam pro republica, pro fide et religione defendenda, imo etiam pro amico propter Deum dilecto. Less. [1] Laym. [2].

» Resp. 2. Quoad proximos inter se servandus est hic ordo. 1. Qui melior est, magis diligendus est ea dilectione, quam comitatur gaudium circa bona possessa, item honor, cultus et reverentia. Sic v. gr. plus diligendus est vir sanctus, quam parens improbus. Ratio, quia est magis coniunctus cum praecipuo obiecto charitatis, quod est Deus. Item parentes magis quam filii vel uxor, magisque benefactores, quam ii quibus benefacimus. Laym. [3] et commun. 2. Appretiative, et dilectione ea, qua alteri optamus bonum nondum possessum cum beneficentia, magis diligendi sunt, qui nobis sunt coniunctiores quoad ea bona quae sunt debita tali coniunctioni, et in quibus haec fundatur.

Unde resolves:

» 1. In bonis pertinentibus ad naturam, et vitam corporalem conservandam, succurrendum est (extra necessitatem extremam) primo omnium uxori, quia est una caro cum viro: 2. filiis (In aequali necessitate primo est succurrendum filiis, quam parentibus. Salm. [4] cum s. Th. et communi): 3. parentibus, et quidem patri prae matre: 4. fratribus, sororibus, deinde propinquis, domesticis, et familiaribus. Dixi *extra extremam necessitatem;* quia in hac parentes, eo quod vitam dederint, praeferendi sunt etiam uxori et liberis. Laym. [5]. (Ita etiam Cont. Tourn. [6] et probabilius, contra Salm. [7]. Nota hic, quod in extrema necessitate praeferendi sunt parentes creditoribus. Salm. [8] cum Cai. Soto contra Nav. etc.).

» 2. In rebus pertinentibus ad civilem communicationem praeferendi sunt concives, in bellicis commilitones, in spiritualibus spirituales filii, patres, fratres. Bannez tamen probabiliter docet, parentes carnales, etiam spiritualibus, aliis omnibus praeferendos: quia coniunctio carnalis est fundamentum aliarum coniunctionum. Vid. Laym. [9]. »

(1) L. 2. c. 9. d. 6. (2) Loc. c. (3) Loc. c.
(4) De 4. praecept. c. un. p. 1. §. 1. n. 21.
(5) Ibid. n. 5. et 6. (6) De praecept. decal. c. 1. a. 3. sect. 4. punct. 2. conclus. 4. n. 2.
(7) D. n. 21. (8) N. 25. (9) Loc. c.

DUBIUM II. De odio et dilectione inimicorum.

28. *An quisque teneatur inimico exhibere communia signa dilectionis.*
29. *An iniuriam remittere.*
30. *An abominatio sit licita. An in confessione explicanda sit species mali proximo voliti. Et an aliquando liceat proximo velle malum.*

28. « Certum est, inimicos aliquo modo diligendos cum sint proximi, cum s. Th. [10], communiter omnes. Sed quaeritur de modo, et an possint odio haberi.

» Resp. 1. Quilibet homo, saltem privatus, tenetur proximo, etiam inimico, communia dilectionis signa et beneficia exhibere ex praecepto; specialia vero ex consilio tantum, nisi aliunde ratio obligationis accedat. Ita comm. cum Laym. [11] ex s. Th. [12]. Dixi 1. *communia*, qualia secundum Cai. [13]. sunt quae christiano debentur a quovis christiano in communi, concivi a concive, cognato a cognato. Ratio autem est, quia ista negare est vindicare iniuriam, quod non licet privato. Dixi 2. *nisi aliunde accedat ratio obligationis*, qualis esset v. gr. 1. timor scandali ex omissione: 2. spes salutis inimici, vid. Azor. [14]: 3. necessitas temporalis, vel spiritualis: 4. culpae deprecatio, et exhibitio specialium signorum amoris. Ratio est, quia his casibus neglectus specialium signorum esset exterior odii declaratio. Laym. [15].

Unde resolves casus sequentes:

» 1. Per se loquendo, nemo tenetur ad inimicum diligendum positivo et peculiari actu, neque ad eum salutandum, alloquendum, aegrotum invisendum, moestum consolandum, hospitio excipiendum, vel familiariter cum eo agendum, etc. quia haec sunt signa specia-

(10) 2. 2. q. 25. a. 1. (11) L. 2. tr. 3. c. 4.
(12) L. c. q. 25. a. 8. et 9. (13) V. Odium. 3. (15) Loc. c.

lia amoris. Fil. [1]. Dico, *per se*, quia, si omissio scandalosa esset, aut per aliquid horum posses sine tuo incommodo inimicum tibi et Deo reconciliare, id omittere esset grave: uti etiam, si inaequalis persona soleret aliam salutando praevenire; v. gr. subditus praelatum. Laym.[2] (Sic etiam, si prius consueveras inimico peculiaria signa exhibere, Cont. Tourn.[3] Suar. Bon. etc., ad hoc tamen non teneris cum gravi tuo incommodo, modo scandalum amoveas.).

» 2. Non licet inimicum excludere a communibus orationibus, v. g. oranione dominica, quae pro communitate instituitur, nec a communibus eleemosynis, resalutatione, responsione, expositarum mercium venditione; quia haec sunt communia dilectionis signa, ideoque contra haec facere, v. gr. cognatos omnes invitare, obvios omnes ex vicinia, vel collegio ex consuetudine salutare, solo inimico excluso, est ex genere suo et regulariter mortale. S. Th. Nav. Lay. [4]. Addo 1. *ex genere suo*, quia si levitas materiae, aut causa rationabilis excuset, v. gr. si pater, vel superior filio, vel subdito ob correctionem ea subtrahat ad tempus, leve, vel nullum erit: quia habet ius puniendi. Addo 2. *regulariter:* quia, si persona multo maior inferiorem non resalutet, v. gr. nobilis rusticum, pater filium, non videtur mortale, ut notat Sa [5] Bonac. [6]. V. Azor. [7] (Notat autem Cont. Tourn.[8] quod si nolis cum inimico conversari, quia non aliud quam malum ab eo expectare possis; vel quia (ut ait s. Bern. Sen.) probabiliter times ex hoc peius evenire, tunc abstinendum ab illis amicitiae signis, modo interius diligas, et apud alios scandalum repares).»

Quaeritur, an tenearis salutare inimicum. Resp. negative, regulariter loquendo, quia per se omissio salutationis non est signum odii, nisi antea solebas eum salutare: vel nisi ex circumstantiis colligatur ex odio non salutare: vel ille sit tuus superior: vel nisi occurrentibus pluribus, inter quos est ille, reliquos, eo excepto, salutes. Ita Pal. [9] cum Val. et Con., Sal. [10] Mazz.[11] Bon.[12] Tamb.[13] Spor.[14]. Vel etiam (addendum) si sine magno incommodo salutando inimicum posses eum ab odio et culpa gravi liberare: ad hoc enim bene videtur charitas te obstringere, ut recte ait Cont. Tourn. [15]. Omnino autem teneris eum resalutare, quia alias censeris inimicum contemnere, et in hostilitate velle perseverare, ut communiter cum aa. cit. docetur. Excipe, nisi esses praelatus, parens, vel iudex; vel nisi hoc facias non ex odio, sed iusto dolore acceptae iniuriae, ut Spor. Mazz. et Hurt. ap. Tamb. [16]. Modo (ut bene advertunt Ronc. et Mazzot. cum Tamb.) ex brevi tempore iniuriam acceperis. Religiosum autem qui renueret per notabile tempus, puta post hebdomadam, colloqui cum inimico, merito dicit Spor.[17] non esse absolvendum.

29. « 3. Etsi quivis teneatur inimico veniam legitime petenti non tantum interius remittere, sed etiam externa remissionis signa ostendere: negat tamen Trull. [18] ex Azor. et Fill. teneri statim postquam offensio est illata, eo quod sit res violenta, et supra fragilitatem humanam (Ita etiam probabiliter Spor. [19] cum Tamb. ex commun., quia videtur supra humanam fragilitatem laesum cogere statim ad reconciliationem faciendam, nondum sedata perturbatione. Unde expectandum tempus opportunum, et interea sufficiet, quod offensus deponat odium). Non tenetur autem remittere satisfactionem pro damno, si ab eo sit laesus: imo nec eam acceptare, si offerat; sed etiam iuridice potest compensationem petere, dummodo in utroque casu ponatur odium, ut docent Valent. Nav. Laym.[20]. Quod si tamen poena sit valde gravis, v. gr. capitis, mutilationis, neque laeso ex ea commodum proveniat, non vi-

(1) Tr. 28. c. 1. (2) Loc. c. (3) Loc. c. sect. 3. concl. 3. (4) Loc. c. (5) V. Charitas. (6) D. 3. q. 4. p. 3. (7) 3. p. l. 11. c. 2. 13. (8) Loc. c. (9) De char. tr. 6 d. 1. p. 6. (10) Tr. 21. c. 6. n. 21. (11) De char. c. 21. §, 2. q. 3. (12) De char. d. 2. q. 2. (13) Dec. l. 5. c. 1. §. 3. n. 11. (14) De 1. praec. n. 29. (15) T. 3. p. 267. l. c. n. 4. (16) Loc. c. (17) N. 34. (18) L. 15. c. 5. d. 5. (19) De 1. praec. c. 6. n. 44. (20) L. 2. t. 3. c. 4.

detur ea, deprecante altero, sine peccato vindictae posse expeti. Similiter si satisfaciat quantum potest, ad id quod non potest, eum urgere videtur contra charitatem, ut docet Syl. et Fill.[1]. »

Licet quivis teneatur inimico iniuriam remittere, dicunt tamen Salm.[2] quod nemo tenetur vindictam publicam condonare, cum poena cedat in bonum reipublicae. Sed [3] fatetur Bannez cum Busemb. *ut supra*, difficile esse tunc non uti livore vindictae, si poena sit capitis vel mutilationis : et hoc dicendum est de quacumque poena gravi, quia difficile est ut offensus diligat vindictam publicam propter amorem communis boni disiuncte ab amore propriae vindictae, ut bene advertunt Laym.[4] Spor.[5] Viva [6] et Roncagl.[7]. Hinc adhaereo Antoine [8] quod practice loquendo nunquam liceat expetere *punitionem inimici etsi iustam, et legitima auctoritate faciendam*. Caeterum ait Cont. Tourn.[9] cum Habert, bene posse aliquem prosequi coram iudice satisfactionem iniuriarum, si alias tota sua familia infamiam sit passura. Item d. Th.[10] dicit vindicationem posse aliquando esse licitam, nempe si sumatur *ad emendationem peccantis, vel ad cohibitionem eius, et quietem aliorum*. Addit : *Et ad iustitiae conservationem ;* sed hoc ultimum (ut dictum est) magis speculative, quam practice verum est, vel saltem rarissime [11].

30. « Resp. 2. Etsi odium inimicitiae, sive personae secundum se, et bonorum quae in se habet, volendo scil. illi malum ut sic, sive quatenus illi malum est, ex genere suo sit mortale; odium tamen abominationis, sive qualitatis, quo non hominem, sed eius malitiam, vel saltem personam tantum quatenus malam, vel nobis noxiam aversamur, saepe licitum est, ut docet Con.[12] et com.

Unde resolves sequentes casus:

» 1. In confessione satis esse, si dicas te grave malum voluisse proximo: neque opus esse explicare speciem mali, v. gr. mortem, infamiam, etc. quod omnia comprehenduntur sub una ratione mali. Cai. Bon. Turr. Trull.[13] docent probabiliter: sed contrarium probabilius docent Suar. et Palaus [14] (Prima autem sententia neque probabilis est, si quis efficaciter proponat aliquod speciale malum alicui inferre; tunc enim omnino explicanda est species mali, quia tunc illud pravum propositum sumit speciem ab opere externo, sive damno intento. Vide *dicenda l.* 5. *n.* 50. *quaest.* 5.).

» 2. Licet proxime velle malum aliquod, v. gr. temporale (dummodo non sit iusto gravius), quatenus id illi bonum est, v. gr. morbum, vel adversitatem, ut a peccatis emendetur. Bon.[15]. Cavendum tamen est, ne fiat ex vindicta, ex qua si psalmum 108. super inimicum tuum legas, peccas mortaliter. Generatim vero, ob bonum spirituale proprium, vel alienum, licet mala poenae inefficaci affectu aliis velle : quia, cum in hoc affectu bonum spirituale praeferatur temporali, non est inordinatus. V. Less.[16]. (Vide *dicenda l.* 5. *n.* 21.).

» Sic licet v. gr. mortem optare haeresiarchae, vel publicae pacis turbatori, ob bonum commune, et multorum, iuxta illud Galat. 5.: *Utinam abscindantur*. Item tristari de eo quod dignitates conferantur indignis, vel de sanitate eius qui ex illa sumit occasionem peccandi. Item mortem, egestatem, aut morbum alicuius desiderare, ut cesset a peccatis, et vitam in melius mutet. Eadem ex causa Bonac. Azor. et Pal.[17] excusant a peccato matrem quae mortem filiarum exoptat, eo quod ob deformitatem vel inopiam commode et honeste nuptui tradere non possit. (Sed hoc minime admittendum, ut recte dicunt Salm.[18] Roncag.[19]). Etsi vero sibi ipsi optare mortem Nav. et caeteri dicant esse mortale, ad evitanda tamen

(1) T. 28. c. 11. q. 9. (2) Tr. 21. c. 6. n. 18. (3) Ibi. (4) De char. c. 4. ass. 3. (5) De 1. praec. c. 6. n. 20. (6) De char. a. 5. n. 3. (7) Tr. 6. c. 2. q. 2. (8) De virt. theol. c. 2. q. 3. (9) De praec. char. dist. 3. concl. 3. q. 4. (10) 2. 2. q. 108. a. 1.

(11) De hac re eadem habet, sed multo clarius, in Hom. Apost. tr. 4. n. 17. (12) Art. 29. dist. 3. (13) L. 1. c. 5. (14) Tr. 6. disp. 4. p. 1. n. 7. (15) D. 3. q. 4. p. ult. §. 1. (16) L. 2. c. 47. (17) Ib. n. 11. (18) De pecc. tr. 20. c. 13. n. 46. (19) Tr. 2. c. 3.

gravia mala, v. gr. afflictionem internam, id licere volunt Sanch. Sot. Gran. Dian.[1]. (Ita etiam recte admittit Viva[2] si quis vitam experiatur morte amariorem, ex Eccl.[3] ubi: *Melior est mors, quam vita amara.* Sic enim Elias [4] *petivit animae suae, ut moreretur*, ad evitandas Iezabelis insidias). Ita et Trull.[5] excusat foeminam, quae sibi vel alteri mortem optat ad vitandam gravem infirmitatem, mendicitatem, vitam acerbam, etc. vel alia similia mala a marito, v. gr. infligenda. Mulierculae tamen ob minimas molestias mortem optantes Dian.[6] mortalis damnat, nisi (ut plerumque fit) excuset defectus advertentiae et deliberationis. (Et non est improbabile cum Potestate [7]).

» 3. Privatus, qui aversus ab alio fugit illum, si id faciat ut eum suo colloquio et solatio privet, atque ita contristet, et male illi sit, est odium inimicitiae, et peccatum; si vero nihil mali optando tantum fugias, quia tuae naturae est difformis, vel tibi solet esse molestus, est odium aversionis, et peccatum, si sit sine ratione: quale non erit, si sit persona valde aspera, modo absit contemptus, scandalum, et vindictae cupiditas. Vid. Bon.[8]. »

Nota hic tres propos. damnat. *ab Innocentio* XI.

Propos. 13. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu appetere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

Propos. 14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas.*

Propos. 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.*

(1) P. 5. t. 14. r. 92.
(2) Sup. prop. 14. Innoc. XI. n. 3.
(3) 30. 17.
(4) 3. Reg. 19. 4.
(5) L. 1. dist. 2. n. 11.

DUBIUM III. De praecepto eleemosynae seu misericordiae corporalis.

31. « Suppono 1. huius praecepti obligationem nasci ex duplici capite. 1. Ex necessitate proximi egentis. 2. Ex persona possidentis bona vel necessaria vel superflua.

» Suppono 2. duplicem dari necessitatem proximi. 1. Dicitur *extrema*, ex qua egenti imminet periculum vitae, vel etiam gravis et diuturni morbi; secundum Dian.[9]. 2. *Gravis*, ex qua imminet periculum gravis mali, ut captivitatis, infamiae, gravis iacturae bonorum, vel status, unde fiat, ut difficulter se possit sustentare; v. gr. si non possit vivere secundum suum statum, vel si nobilis cogitur alteri famulari, vel artifex, aut vir honestus mendicare. 3. Dicitur communis, qua laborant mendici triviales. Laym. [10].

» Suppono 3. Bona necessaria et superflua dici, vel respectu vitae sive naturae, vel respectu status seu decentis conditionis personae; quo modo saeculares raro putant se habere superflua, ut docent Laym. et Nav. [11]. Nam quae sunt necessaria ad alendos liberos, famulos, honestas donationes, convivia, hospitum tractationem (qualia tamen non sunt quae ad quemcumque fastum et pompam quisque sibi requirit), spectatis etiam communibus eventibus, haeredibus, necessitate futura etc. non sunt superflua. (Nota hic propos. 12. damn. ab Innoc. XI. quae dicebat: *Vix in saecularibus invenias etiam in regibus, superfluum statui. Et ita, vix aliquis tenetur ad eleemosynam quando tenetur tantum ex superfluo statui*).

» Resp. 1. Nemo tenetur dare eleemosynam ex bonis sibi ad vitam necessariis, nisi pauper esset persona talis, ex qua penderet salus reipub. Est

(6) Loc. c.
(7) De 1. praec. n. 298.
(8) Loc. c.
(9) P. 6. t. 8. r. 1.
(10) L. 2. tr. 3. c. 6.
(11) C. 4.

communis. Et ratio patet ex ordine charitatis.

» Resp. 2. Probabile est, ex superfluis naturae et statui teneri aliquem, etiam in gravi necessitate, succurrere proximo, si probabiliter putet alium non subventurum; idque, ut Azor. [1] Sylv. et Fumus volunt, sub mortali, contra Medin. qui vult esse tantum consilii. Ratio est, quia cum in scriptura frequenter damnentur homines ob neglecta opera misericordiae, haec non sunt restringenda ad extremam et raram necessitatem. Vid. Laym. [2]. (Et hoc tenendum cum Viva [3] et Bon.[4] cum Suar. Pal. ac Az. et Salm.[5] cum comm. ex d. Th. [6]. Et videtur clare inferri ex praefata prop. 12. Notat tamen Viva et idem dicit Cont. Tourn. [7] cum Sylvio quod neque in gravi, neque in extrema necessitate pauperis teneatur dives magnam pecuniam erogare, cum haec sint media valde difficilia, et fere moraliter impossibilia. Tenetur vero beneficiarius, nisi reliquum velit aliis operibus applicare).

» Resp. 3. Proximo in extrema necessitate teneris succurrere ordinarie ex bonis etiam aliquo modo ad statum necessariis. Suar. Laym. ex communi. Satisfacis tamen probabiliter, si des cum onere restituendi, quando erit ditior. Vasq. etc. contra Suar. Con. etc. Vide Dian. [8].

» Addo *ordinarie:* quia, si maius damnum aestimaretur, te excidere tuo statu, quam mors pauperis, non teneberis Azor. [9].

» Resp. 4. Probabile est, quod proximo in gravi necessitate constituto quisque teneatur subvenire cum modico detrimento proprii status: quia parvo suo incommodo tenetur magnum incommodum proximi impedire. Layman [10] s. Thom. Bonac. [11].

Ex dictis collige:

» 1. Homines privati non tenentur inquirere pauperes. Vasq. etc.: si tamen dubitent de extrema alicuius indigentia, tenentur inquirere veritatem. Sanch. Dian. [12].

» 2. Nemo tenetur magnam vim pecuniae dare pauperi ad pretiosissimam medicinam emendam vitae servandae necessariam, vel ad redimendum a periculo mortis, Sa et Con.[13]. Et ratio patet ex dictis.

» 3. Si proximus tantum egeat usu rei, satis est illam commodare: v. gr. si ab hostibus spoliato vestem commodes, vel vulnerato equum, donec domum revertatur. Laym. Bon. [14] (Cum Cont. Tourn. [15]).

32. » Resp. 5. In communibus pauperum necessitatibus tenetur aliquando dare eleemosynam, qui habet bona naturae et statui superflua. Ita communiter s. Thom. Suar. Bellar. contra Nav. et Vasq. qui negant teneri. Ratio est, tum quia quisque tenetur diligere proximum, sicut seipsum; tum quia alioquin pauperes isti inciderent in necessitatem gravem. Videtur tamen haec obligatio tantum esse sub veniali, ut recte Medina: idque, si nulla sit iusta causa negandi: alias sub nullo. Vide Laym. Bonac. [16]. »

Quaeritur an in communibus pauperum necessitatibus sit obligatio gravis dandi eleemosynam ex superfluis statui. *Prima* sententia negat, et hanc tenet s. Antonin. [17] ubi loquendo de divite obstricto ad eleemosynam, de eo tantum loquitur qui *de superfluo utriusque necessitatis*, *naturae scil. et personae non subvenit magnas necessitates patientibus*, *etsi non extremas;* item Lay. [18] cum Alensi Maior. et Gabr. Dian. [19] cum Turrian. Abb. Fernand. Victorell. Vasq. et Medina, item Sotus et Sylva apud Croix [20] item Covarr. p. Nav. et Malder. apud Bonac. [21] qui [22] probabilem putat cum Cardenas apud Croix[23]. Ratio quia communiter obligatio eleemosynae non oritur ex superfluitate bonorum, sed ex urgenti pro-

(1) T. 2. l. 12. c.7. (2) Loc. c. (3) In d. prop 12. n.8. (4) Tr. 6. c. 3. q. 2. (5) Tr. 21. c. 7. n. 12. (6) 2. 2. q. 32. a. 5. ad 3. (7) Sect. 5. p. 2. r. ad 1. (8) P. 5. t. 8. r. 5. (9) Loc. c. (10) Loc. c. (11) Dist. 3. q. 4. p. 6. (12) Pag. 5. t. 6. r. 39.

(13) Disp. 27. dub. 8. n. 135. (14) Loc. c. (15) Loc. c. (16) Loc. c. (17) P. 2 tit. 1. c. 24. §. ult. (18) L. 2. tr. 3. c. 6. n. 5. (19) P. 2. tr. 15. r. 32. (20) L. 2. n. 202. (21) T. 2. d. 3. q. 4. p. 6. n. 7 (22) N. 8. (23) N. 203.

ximi necessitate; alias non liceret divitibus de superfluis donationes aliis elargiri; saltem (ut ait Laym.) cum pauperum communis miseria soleat esse levis et tolerabilis, non videtur culpa gravis auxilium eis denegare. *Secunda* vero sententia communior, cui adhaereo, affirmat; et hanc tenent Palaus [1] Holzm. [2] Viva [3] Cont. Tour. [4] Sanch. [5] cum Aragon. Led. Bann. Abul. etc. Salm. [6] cum Caiet. Tap. et Prado ex d. Th. [7] qui ait: *Sic ergo dare eleemosynam de superfluo est in praecepto, et dare eleemosynam ei qui est in extrema necessitate.* Prob. 1. ex Luca [8] *Quod superest date in eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Prob. 2. ratione, tum quia divisio rerum, communi gentium consensu facta, nequit esse in praeiudicium pauperum; tum quia si divites absolutam non haberent obligationem subveniendi communiter mendicis, possent isti ab omnibus in sua necessitate derelinqui. Et hic notandum id quod dicit Navar. [9] cum Caiet. scilicet pertinere ad decentem statum conservandum omnia quae requiruntur, non solum ad filios et famulos et hospites sustentandos, sed etiam ad honestas donationes, convivia, et moderatas magnificentias exhibendas; et sic respondetur rationi primae sententiae: additque Nav. [10] cum eod. Caiet. et Sylvest. ex d. Th., quod necessarium ad decentiam status non consistit in individuo, sed habet latitudinem, et eo maiorem quo status est maior.

Dicunt autem probabiliter Viva [11] Mazzot. [12] Ronc. [13] Salm. [14] cum Lorca et Tambur. [15] cum aliis, non esse obligationem omne superfluum huiusmodi pauperibus elargiri; hoc enim praeceptum non obligat singulos in solidum, sed communiter omnes divites, ex quibus, si singuli aliquid largiantur, satis subvenitur his communibus necessitatibus. Unde sic scribit Sylvius: *Tenetur dives dare nec omnibus pauperibus occurrentibus, nec totum superfluum, sed non ita modicum pro quantitate suae substantiae, ut si alii divites sic facerent, pauperibus deesset subsidium.* Huic consentit Sanch. [16] cum Ledesma dicens, quod habens superflua statui non tenetur omnia pauperibus erogare, sed aliquando et modo morali, ita ut satisfaciat suae obligationi dives qui habet curam pauperum, aliquando illis subveniendo; unde concludit, illum peccare mortaliter qui statuit nullam dare eleemosynam in communibus necessitatibus, vel qui in hoc est notabiliter negligens. Idem etiam sentit Layman [17] ubi licet hanc obligationem dicat non esse sub gravi, addit tamen in malo statu versari divitem qui omnes mendicos a se inhumaniter repelleret. Verum subdit quod confessarius non facile tali diviti absolutionem negare debet, cum de hac obligatione, qualis sit, doctores non consentiant. Caeterum Viva Tambur. Mazzot. et Roncag. cum communiori [18] censent satisfacere probabiliter divites, erogando in pauperes communes quinquagesimam partem suorum redituum, sive duos aureos ex centum, sed non in eadem proportione, si divitiae multum excedant. Ecclesiastici vero tenentur erogare de reditibus beneficiorum quidquid superest eorum sustentationi; sufficit tamen episcopis dare pauperibus quartam partem, aliis vero beneficiatis simplicibus quintam vel sextam, ut dicunt Viva [19] et Ronc. [20]. Modo alia applicent in alios pios usus. Sed melius, vide *dicenda l. 3. n. 491. Qu. 1.*

Unde resolvuntur casus sequentes:

» 1. Pauperibus trivialibus, etsi ex nuditate, morbo, etc. videantur ostendere signa extremae necessitatis, raro quis tenetur ex praecepto subvenire, etiam de superfluis: tum quia fere ad movendos spectatores ista necessitas exaggeratur, tum quia ab aliis iuvandi praesumuntur. Mald. Wigers Dian. [21].

(1) Tr. 6. d. 2. p. 2. (2) Tr. 1. §. 4. n. 177. (3) In prop. 12. Innoc. XI. n. 3. (4) De char. sect. 5. punct. 2. ℣. Prob. 3. p. (5) Cons. l. 1. c. 5. dub. 5. n. 57. (6) Tr. 21. c. 7. n. 17. (7) 2. 2. q. 32. a. 5. (8) 11. 41. (9) C. 24. n. 6. (10) Ibid.

(11) Loc. c. n. 11. (12) T. 1. pag. 441. q. 1. (13) De char. c. 3. reg. in prax. n. 2. (14) Ib. n. 18 (15) Dec. l. 5 c. 1. §. 1. n. 17. (16) Loc. c. n. 38 (17) Loc. c. (18) Loc. c. (19) Num. 11. (20) Loc. c. (21) P. 5. t. 8. · 17

» 2. Si quis dives et abundans diu neget omnes eleemosynas, cum proposito dandi meliore et commodiore loco ac tempore, vel egentioribus, vel in alium pium usum convertendi, is non peccat, cum habeat iustam causam negandi; si vero talis sine rationabili causa, omnes a se pauperes inhumaniter repellat, eum dicit Laym. [1] versari in malo statu.

» 3. Nulli omnino, quantumvis diviti, omnes pauperes sine eleemosyna repellenti, facile neganda est absolutio, tum ob dubium et dissensum dd. de hac obligatione: tum quia vix reperitur qui causam saltem apparentem non praetendat, si superflua se habere fateatur, Laym.[2].

» 4. Etsi dicta de eleemosyna danda intelligantur respectu omnium egentium, etiam peccatorum, infidelium et inimicorum; damnandi tamen non sunt magistratus excludentes a suis civitatibus, iusta de causa, pauperes peregrinos. Laym. [3] Trullench. [4].

» 5. Religiosis aeque ac aliis pauperibus debentur eleemosynae, quia eorum paupertas et necessitas est vera et iusta, tametsi voluntarie contracta. cum voluntas, et causa fuerit rationabilis et grata Deo. Lorc. Dian. [5]. Aliud est de iis qui sponte sua culpabiliter sunt pauperes, ut vagabundi [6].

33. » Resp. 6. Eleemosyna tantum facienda est ex bonis propriis et quorum quis liberam habet administrationem. Potest tamen fieri ex alienis, quando proximus est in extrema vel quasi extrema necessitate, et aliunde succurri non potest: tunc enim omnia sunt communia. (Si vero potuisses rem largiri tuam, et dedisti alienam, videtur quod tenearis ad restitutionem; quia non poteras determinare alienam, cum tibi propria suppetebat. Ita Croix [7] cum Sporer, quia eo casu praeceptum eleemosynae te obstringebat ad subveniendum de tuis). In communi vero necessitate, licet tantum cum consensu domini tacito vel expresso. Vid. s. Th. [8] Regin. [9] Fill. Laym. Bon. [10] Less. [11].

Unde resolves:

» 1. Non licet dare eleemosynam ex bonis obnoxiis restitutioni, v. gr. furto ablatis: licet tamen ex acquisitis per opus illicitum (sed non cum iniustitia), v. gr. ex lucro meretricum. Ratio est, quia haec sunt propria; priora non: Bon. [12].

» 2. Pueris, filiis familias, servis, ancillis, uxoribus non licet dare eleemosynam, nisi tenuem, in qua parentum, dominorum, et maritorum voluntas praesumitur. (Particulares vero casus, in quibus uxor dare potest, vid. suo loco *lib.* 3. *n.* 351. *et* 540.) v. Bon. [13] Dian. [14] ubi ex Hurt. notat, si pater nullas det eleemosynas, posse pro eo dare filium. (Circa uxores vide *lib.* 3. *num.* 540.)

» 3. Tutores et curatores qui habent curam bonorum alienorum, possunt facere modicas eleemosynas ex bonis quae administrant, quales nimirum ipsi facere deberent, quorum sunt. Vasq. Azor. Con. Dian. [15]. »

Dubium IV. De misericordia spirituali seu praecepto correptionis fraternae.

34. « Correptio fraterna est admonitio, qua quis proximum conatur revocare a peccato. De qua certum est, praeceptam esse iure tum naturali, quo membra unius corporis se mutuo iuvare tenentur, tum divino positivo: *Si peccaverit in te frater tuus... corripe eum* [16]. Bec. [17] Laym. [18] Fill. Bon. [19]. Quaeritur autem, quae sit eius materia et quos, et quomodo obliget.

(1) Loc. c. (2) Ibid. (3) Ibid.
(4) L. 1. c. 5. d. 10. (5) P. 5. t. 8. r. 18.
(6) Ibid. r. 19. (7) L. 3. p. 2. n. 434.
(8) 2. 2. q. 32. a. 7. (9) L. 4. n. 286.
(10) Loc. c. n. 11. (11) L. 2. c. 12. (12) Ibid.
(13) Disp. 4. q. 4. p. 6. (14) P. 5. t. 8. r. 25.
(15) P. 5. t. 8. r. 35. (16) Matth. 18.
(17) 2. 2. c. 21 (18) Cap. 7. (19) Pag. 7

» Resp. 1. Omne mortale peccatum proximi per se est sufficiens materia, ut hoc praeceptum obliget sub mortali[1]. Ita communiter. Et ratio est, quia cum vitam spiritualem tollat, sufficientem necessitatem correptionis inducit. Dixi 1. *omne mortale;* quia, etsi etiam veniale sit materia correptionis, non tamen graviter obligans, nec nisi facillime possis. »

35. Hinc dicit Laym. peccati venialis correptionem rarius esse praeceptam; excipitur nisi esset praelatus religionis, qui aliquando tenetur sub gravi corrigere leves subditorum culpas, ex quibus incipiat minui vigor disciplinae cum magno religionis detrimento. Ita Cont. Tourn.[2] Laym.[3] cum Bus.[4] Et vide *lib. 4. num.* 13.

36. Quaeritur hic an sit obligatio corrigendi peccata facta ex ignorantia invincibili. Respondetur distinguendo, si peccata sint contra ius naturae, correptio fieri debet: quia tunc illa sunt intrinsece mala, ut commune est apud Croix[5]. Et idem dicit Oviedo cum communi de ignorantia iuris divini. Nisi tamen desperetur fructus, aut timeatur quod mala ex materialibus fiant formalia, ut communiter dicunt Salm.[6] et Roncag.[7] cum aliis. Si vero sint contra ius positivum tantum, probabile est privatis non esse obligationem, saltem non sub gravi, corrigendi; secus autem praelatis, parentibus, confessariis, magistris, quia ipsis specialiter incumbit docere subditos. Ita Salm.[8] cum Bann. Ledesm. Item Bon.[9] Nav.[10] Viva[11] Pal.[12]. Ratio, tum quia proximus non est in peccato, quo deficiente, non urget praeceptum correptionis; tum quia ille nil agit intrinsece malum. Sed probabilius et communius Pal.[13] Con.[14] Sanch.[15] Mazz.[16] Cont. Tourn.[17] et Croix[18] cum Burgh. et aliis docent omnes teneri ad correptionem, quia illa transgressio, licet materialis et non intrinsece mala, attamen posita lege, adhuc est mala, et ideo per correptionem tenemur eam impedire.

37. « Dixi 2. *per se*, quia si quis ob timorem, verecundiam, pusillanimitatem putet se non ita stricte obligatum, vel minus esse idoneum ad corripiendum, videtur tantum peccare venialiter. Vide s. Th.[19] et caeteros sup. cit. »

Nota hic doctrinam s. Thom.[20] qui ita docet· *Huiusmodi omissio est peccatum veniale, quando timor vel cupiditas tardiorem facit hominem ad corrigendum: non tamen ita, quod si ei constaret, quod fratrem posset a peccato retrahere, propter timorem vel cupiditatem omitteret, quibus in animo suo praeponit caritatem fraternam. Et hoc modo quandoque viri sancti negligunt corrigere delinquentes.*

38. « Resp. 2. Praeceptum hoc obligat occurrentibus his circumstantiis. 1. Si certo tibi constet de peccato proximi (Vel de proximo periculo peccandi, ut Cont. Tourn.[21]) indagare enim tenetur solus superior. (Ut etiam Cont. Tourn.[22]). »

Ita ut, si non constaret de peccato proximi, nempe si notitia de peccato illius nobis perveniret tantum per auditum aut per alia signa dubia, non teneamur corripere. Salmant.[23] cum Sanch. Dian. etc. Nisi suspicio sit de homicidio vel de damno communi, vel nisi quis esset praelatus, qui in dubio debet corripere, cum is ex officio teneatur peccata subditorum inquirere: licet potius tunc expediat, ut correptionem faciat in communi; ut Salmanticenses cum aliis[24] cum Busemb.

39. « 2. Si probabile sit non emendasse, nec emendaturum, vel relapsurum: quia eleemosyna egenti tantum danda est. »

Quaeritur, utrum, quando abest pe-

(1) Materia correctionis est quodlibet peccatum mortale, in quod proximus aut lapsurus est aut iam incidit et non adhuc emendatus est. Hom. Ap tr. 2. c. 2. n. 3. (2) De char. sect. 6. p. 2. v. Haec. (3) De char. c. 7. n. 3. (4) Infr. n. 40. (5) L. 2. n. 214. (6) Tr. 21. c. 7. n. 53. (7) De char. c. 3. q. 4. (8) Dict. n. 53. (9) De charit. q. 4. p. 7 n. 11. (10) C. 24. n. 12. (11) De 4. praec. q. 11. a. 6. n. 11. (12) Tr. 6. d. 3. p. 4. n. 2. (13) Ibid. n. 3. (14) D. 28. q. 4. n. 38. (15) De matr. l. 2. d. 38. n. 5. (16) De char. c. 2. §. 6. (17) Loc. c. concl. 3. (18) L. 2. n. 214. (19) 2. 2. q. 32. a. 2. (20) 2. 2. q. 33. a. 2. ad 3. (21) Loc. c. concl. 2. (22) L. c. p. 1. concl. 2. seq. 3. (23) Tr. 21. c. 7. n. 52. (24) D. n. 52.

riculum relapsus, sit obligatio corripiendi fratrem non emendatum. *Prima* sententia negat, eamque tenent apud Salm.[1] Sa Abul. Pal. Regin. Con. Dian. Villal. etc. et valde probabilem vocant Laym.[2] cum Sylvest. Turrian. et Glossa [3]. Ratio istorum, quia neque ipse quidem peccator tenetur statim peccatum delere per poenitentiam; tanto minus igitur illum a peccato sublevare tenetur alter, cui incertus est emendationis fructus. Ideo ait Laym. [4] praecipi in Ecclesiast. [5]: *Corripe proximum... ne forte iteret.*

Secundam tamen sententiam contrariam merito probabiliorem putant Tournel. [6] et Salm. [7] cum Suar. Bon. Less. etc. Ratio, quia frater in peccato constitutus iam gravem patitur necessitatem, a qua teneris illum, si potes, eripere; ideoque Christus Dominus praecepit [8]: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum.* Nec officit opposita ratio; nam bene per accidens aliquando potest esse obligatio maior aliena, quam propria: v. gr. potest quis ob amorem paupertatis non se eripere a gravi egestate, sed alter dives tenetur ei subvenire si potest.

« 3. Si alius aeque idoneus non adsit, qui correpturus putetur. 4. Si sit spes fructus; quia desperato fine, cessant media. (In aequali dubio, an correctio sit profutura vel obfutura, omittendam esse dicunt Concina [9] et Cont. Tourn. [10] cum Habert et Antoine. Recte autem limitat Cont. Tournely 1. Si corrigendus sit in periculo mortis. 2. Si timeatur ex omissione inficiatio aliorum in fide aut moribus. Et sic etiam, si correctio certius sit profutura. Dicit autem idem Cont. Tournely, non esse obligationem corrigendi, si probabile sit quod reus per se resipiscat: ex d. Th. [11] qui ait: *Cadit sub praecepto* (*correctio*) *secundum est necessaria ad istum finem.* Item notat Cont. Tour. [12] cum Soto Baun. et Malder. neminem teneri ad corrigendum in necessitate gravi spirituali cum periculo notabilis damni honoris vel bonorum: nisi sit pastor aut alius cui ex officio incumbat alterius cura). 5. Si sit bona occasio, locus et tempus opportunum, possisque sine tuo gravi damno facere. Quod si horum aliquid desit, praeceptum non obligat. Unde patet eius omissionem in privatis vel nullam esse, vel levem culpam. V. Bon. [13] (Sed ita generice dictum, non placet).

40. » Resp. 3. Etsi hoc praeceptum obliget omnes etiam subditos, magis tamen praelatos. Ratio prioris est, quia omnes sunt commembra, tenenturque sibi extrema officia charitatis praestare. Ratio posterioris est, quia subditi ex charitate, praelati vero etiam ex officio et iustitia tenentur. Unde peccare possunt etiam graviter veniales culpas non impediendo, si vigor disciplinae per hoc minuatur. (Vide *lib.* 4. *num.* 13.). Eademque fere est ratio de patrefamilias, praesertim erga liberos. Laym.[14] Pal. Trull.[15] et caeteri. »

Strictius ergo tenentur ad correptionem episcopi, parochi, praelati, parentes, confessarii, domini, mariti, magistri, tutores et curatores. Sed dubitatur, an hi teneantur ad corripiendum etiam cum gravi damno proprio.

Quod ad episcopos et parochos pertinet, non est dubitandum, quin ipsi tum ex officio, tum ex stipendio quod exigunt, teneantur ad subveniendum subditis, ac propterea ad eos corrigendos, adhuc cum periculo vitae, in eorum necessitate, non solum extrema, sed etiam gravi, ut communiter docent d. Th.[16]: *Et ideo ubi subditorum salus exigit pastoris praesentiam, non debet pastor personaliter gregem deserere, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, ex illo* Io. 10.: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Suar.[17] Pal. [18] Bonac. [19] Viva[20] Mazzotta[21] et Salm.[22] cum Conc. Trull. Tap.

(1) Tr. 21. c. 7. n. 40. (2) De char. c. 7. n. 2. vers. Corripe. (3) In c. Si quis, 24. q. 1. (4) Ibid. (5) 29. 14. (6) T. 3. p. 315. concl. 2. (7) Ib. n. 50. (8) Matth. 18. 15. (9) De eleem. c. 3. n. 9. (10) [illegible] (11) [illegible]

(12) P. 321. n. 2. et 4. (13) Loc. c. (14) Loc. c. n. 3. (15) L. 1. c. 5. d. 13. et 15. (16) 2. 2. q. 185. a. 5. (17) D. 9. sect. 2. n. 4. (18) Tr. 6. d. 1. p. 9. n. 12. (19) D. 3. q. 4. p. 4. n. 5. (20) De 4. praec. q. 11 [illegible] (21) T. 4 n. 458. (22) Tr. 21 c. 6 n. 55.

et VIII. Utrum autem cum periculo damni proprii teneantur ad correptionem parentes, mariti et alii ut supra, qui nullum ad hoc stipendium recipiunt. Videntur affirmare Salm. [1] dum dicunt quod ipsi tenentur ad correptionem ex officio, ac proinde (addunt) ex iustitia. Sed huic additioni seu doctrinae minime acquiesco; nam licet verius teneantur superiores ex officio magis quam ex mera charitate, ut docent Sanchez Pal. Caiet. Val. et Dian. contra Suar. Tap. et Lorca apud ipsos Salm. [2]; attamen tale officium, cum ortum habeat ex obligatione sola pietatis aut charitatis, non videtur obligare ex iustitia ad tantum onus: aliud enim est teneri ex iustitia ratione stipendii, ut tenentur pastores, aliud ratione officii. Addunt Salm. [3] concionatores teneri peccata publica reprehendere, etiamsi ideo damna privata timeantur. Hoc tamen intelligendum, si ex reprehensione aliquis fructus speretur, et maius damnum commune non timeatur.

41. « Resp. 4. Ordo in correptione servandus est, quem Christus praescripsit [4]; scilicet primo, ut corripias privatim: deinde coram testibus: tum ad praelatum ecclesiae, sive superiorem deferas. Excipe tamen 1. Nisi praestet superiori viro probo et prudenti, quam aliis testibus innotescere; prout cautum est *in regula* s. Aug. (Vide *lib.* 4 *n.* 243. et seq.). 2. Nisi peccatum sit publicum, tunc enim potest publice corripi. 3. Nisi vergat in grave damnum tertii, aut communitatis, si superiori non statim innotescat: v. gr. si quis proditionem moliatur, haeresim occulte spargat; tunc enim immediate superiori indicandum, quia commune bonum praeferendum est privato; Fill. [5]. 4. Quando corripiendus est contentus ut superiori statim significetur, ut est apud quosdam religiosos, qui quoad hoc iuri suo renunciaverunt. Vid. Suar. Becan. Laym. Sanch. Fill. [6].

(1) Tr. 21. c. 7. n. 58. (2) Ibid. (3) Ibid. n. 67. in fin. (4) Matth. 18. (5) T. 28. c. 7. n. 149. et 155. (6) Loc. c. (7) Lib. 6. mor. c. 18. (8) 2. mor. lib. 6 c. 18. n. 40. et 69.

Ex dictis resolvetur:

42. » Qui facile potest impedire peccatum mortale proximi, et ob mali temporalis timorem neglexit, peccat mortaliter. Ita Laym. Suar. Sanch. [7]. Vid. Pal.

» 2. Si certo constet, fratrem perfecte emendasse peccatum occultum, nec ex eo esse ullum periculum relapsus, vel damni ipsi aut alteri, non licet (etiam in soc. Iesu) denuntiare patri vel praelato, nisi frater expresse in istam denunciationem consentiat. Sanch. [8] Pal. [9] Fill. Trull. [10] Suar. Hurt. [11] et denique card. de Lugo [12], qui tamen notat, in soc. Iesu casum esse rarissimum (Vide *l.* 4. *n.* 245. *q.* 4.) Ratio autem est, quia cessat motivum charitatis, atque adeo ratio denunciandi; ideoque est peccatum, et quidem (ut card. Lugo [13] notat ex Suar.) mortale ex genere suo. Vid. Dian. [14].

» 3. Si superior immediatus se solo possit delinquentem emendare, ita ut nullum periculum damni vel relapsus ipsi vel alteri vel communitati immineat, videtur peccare manifestando superiori mediato delictum. Pal. [15] Trull. [16].

» 4. Praelati et magistratus tenentur aliquando inquirere subditorum peccata, ut corripiantur; non tamen multum et curiose de aliquo in particulari rogare debent, nisi is speciale eius signum dederit: neque facile admittere accusatores spontaneos; quia illi specie boni communis saepe se quaerunt. Hurt. etc. Dian. [17].

» 5. Episcopi, praelati religiosorum, pastores animarum tenentur etiam cum suo incommodo, imo aliquando cum vitae periculo, adhibere diligentiam quam possunt, ut peccata publica et occulta impediant: quia cum Christo pacti sunt curam et sollicitudinem gregis, pro qua multa ab eo bona accipiunt. Hurt. [18] apud Dian. [19] aitque hanc esse omnium patrum et theologorum doctrinam, quam Christus verbo et

(9) De char. t. 6. disp. 3. p. 12. (10) L. 1. c. 5. d. 14. (11) Disp. 163. (12) Resp. mor. l. 4. d. 46. (13) L. c. (14) P. 4. t. 4. r. 71. (15) Loc. c. (16) D. 16. n. 1 (17) P. 7. tr. 15. r. 10. et 12. (18) T. 2. d. 162 sec. 7. §. 6. (19) P. 7. t. 3. r. 23.

exemplo docuerat: additque idem esse de magistratibus et concionatoribus. Licet vero hi non teneantur ad id ex iustitia (sicut praelati et magistratus) tenentur tamen peccata publica corripere, (sed non facile praelatorum et religiosorum, quorum auctoritas ad bonum commune est necessaria), etiamsi non sit spes emendationis. Con. Hurt. Dian. [1].

» 6. Correptio adhibenda est non semper statim, sed cum maior fructus speratur. Hinc interdum permitti potest reiteratio peccati, ut ferventius resipiscat. Dian. [2] ex Reg. Fill. Trull. Neque sufficit semel esse factam correptionem, sed debet iterum iterumque fieri, quamdiu speratur fructus [3]. »

Dubium V. De scandalo.

Art. I. Quid, quotuplex sit et quale peccatum.

43. « Resp. 1. Scandalum dicitur peccatum occasionatum, et est duplex, activum et passivum. *Activum* est dictum, vel factum (quo nomine etiam omissio intelligitur) minus rectum, praebens alteri occasionem ruinae spiritualis. Ex s. Thom. [4] Sanchez Azor. Laym. [5] Bonac. [6]. Dixi *minus rectum*, hoc est, quod vel in se malum sit, ut si loquaris turpia coram adolescente; vel mali speciem habeat, ut si iusta de causa, coram aliis eam ignorantibus, comedas carnes die vetito. Scandalum activum aliud est per se tale, aliud per accidens. *Per se* dicitur, quando directe intenditur alterius ruina; id est, si ideo aliquid fiat ut aliquis ad peccatum inducatur; v. g. si adulter alienam sollicitet ad adulterium. *Per accidens* dicitur, quando indirecte et interpretative tantum causatur alterius peccatum; ut si quid facias, quod tibi in mentem venit aptum natum esse ad inducendum alterum hic et nunc ad peccatum, et nihilominus facis: ut si coram pusillis pecces, vel die vetito carnes comedas, non dicendo, quod habeas veniam: item, si clericus domi suae alat mulierem populo suspectam, esto absit omne peccatum, et peccandi periculum. Vid. Sa [7] Laym. Bonac. [8]. Scandalum *passivum* est ipsa ruina, sive peccatum, in quod labitur proximus ex occasione alterius dicti vel facti. Quod dividitur in *datum* seu *pusillorum*, quod oritur ex activo: et in *acceptum*, quod non oritur ex activo, sed ex ipsius sumentis malitia, quale erat odium et invidia pharisaeorum in Christum, occasione eius dictorum vel factorum: unde hoc dicitur *pharisaicum*. Ex his patet:

» 1. Ad scandalum activum non requiri ut de facto passivum consequatur; sed satis esse, quod data sit occasio, ex qua natura sua sequi possit: ut si quem inducere velis ad peccatum, qui tamen non consentiat; sicut etiam contra, passivum potest dari sine activo. Laym. [9].

» 2. Scandalum passivum non esse speciale peccatum neque addere circumstantiam aggravantem; v. gr. qui viso alterius furto, etiam furatur, non ideo peccat gravius. Laym. [10].

» 3. Non semper esse scandalum, si peccas coram aliis, sed tantum quando, attentis circumstantiis tam personae agentis, quam coram quibus fit actus, potest probabiliter timeri ne per hunc actum trahantur ad peccatum, qui alias peccaturi non essent. Sanch. Laym. [11].

» 4. Omne scandalum activum directe intendens ruinam proximi esse speciale peccatum contra charitatem, ut habet communis sententia. An vero idem sit, quando intenditur indirecte, controvertunt scholastici, et parum refert ad praxim. Sanch. [12] Azor. [13] Bon. [14].

(1) Loc. c. r. 13. (2) P. 7. t. 3. r. 29. et 30. (3) Ibid. r. 32. (4) 2. 2. q. 43. a. 1. (5) L. 2. tr. 3. c. 13 (6) D. 2. q. 4. p. 2.

(7) V. Clericus. (8) Loc. c. (9) Ibid. (10) Ibid. (11) L. 2. tr. 3. c. 13. (12) L. 7. c. 6. et 9. (13) 1. p. l. 4. c. 7 (14) Loc. c.

Unde resolves hos casus:

44. » 1. Mortaliter peccat qui alteri dat occasionem ruinae mortalis, nisi indeliberatio excuset: et sic opus indifferens vel veniale saepe transit in mortale, ratione scandali; v. gr. si iocosum verbum proferat religiosus coram foeminis vel iis qui inde occasionem peccati mortalis sumere possunt. Laym. [1].

» 2. Venialiter peccat ratione scandali, qui alteri dat occasionem ruinae venialis tantum. Quod verum est, etsi directe illam intendat, et quidem per actum mortalem. Sanch. [2] ex communi contra Suar. Ratio autem est, quia ruina est parva. Et patet a simili, ut si quis per fornicationem intendat furari rem minimam, furtum tantum erit veniale.

» 3. Scandalizans committit, praeter peccatum scandali, etiam peccatum eius speciei ad quod alterum inducit: ideoque confiteri debet speciem peccati mortalis, per quod et ad quod induxit, cum numero inductorum, vel qui probabiliter induci potuerunt. Sanch. Azor. Laym. Bonac. [3]. Card. de Lugo. [4] Dian. [5]. Excipit tamen card. de Lugo [6] si praeter intentionem scandalum dederit. Tamb. [7] cum Lugo ait, quoad inductos, sufficere, si dicas: *Fui semel multis occasio peccandi meo malo exemplo*. (Vid. *l.* 5. *n.* 46.).

» 4. Etsi is qui scandalizavit alios teneatur illis rursus dare bonum exemplum, ut inquit Sa, si quis tamen nudo exemplo suo alios ad furtum induxit, neque alio peculiari modo, v. gr. exhortatione, consilio, mandato est cooperatus, non tenetur ad restitutionem, quia talis inductio est tantum contra caritatem, non contra iustitiam. (Ita etiam Sanch. [8] et Salm. [9] cum Mol. Bon. Dic. et aliis communiter cum Roncaglia [10] qui recte ait, quod licet is peccet etiam contra iustitiam, iuxta probabiliorem sententiam, quam sequemur *num. seq.* 45. non tenetur tamen ad restitutionem, quia non est causa, sed tantum occasio damni (Vide *num. seq. in fine*). Idem docet Less., si cum Caio v. gr. potares ea intentione, ut ipse, consumptis pecuniis, furetur. Vid. Less. [11].

» 5. Non censetur dare scandalum, qui licet publice peccet, facit id tamen coram iis qui vel sunt ita viles vel infames aut improbi, vel qui sunt ita probi, ut nemo moveatur ad peccatum: v. gr. si quis fornicetur coram aliis, qui sunt parati idem facere, nec eius exemplo moventur: vel si coram mansuetis quis contendat, rixetur, vel alium caedat. Sanch. [12].

» 6. Non ideo factum aliquod est scandalum, quia alius incipit de tali homine male suspicari aut sentire, quia hic non peccat, si ob sufficientia indicia suspicetur. Secus tamen est, si incipiat male sentire de fide catholica, clero, ordine religioso, vel minus ad pietatem affici. Unde patet facilius dari scandalum ab iis qui sunt magna auctoritate, vel pietatis existimatione, quam ab aliis. Con. [13]. »

45. Hic operae pretium est ad trutinam revocare tres quaestiones valde scitu et ad praxim necessarias. Quaestio 1. Quandonam scandalum sit speciale peccatum. Adsunt tres sententiae. *Prima* asserit tunc tantum scandalum esse speciale peccatum contra caritatem, quando directe intenditur spiritualis ruina proximi. Ita Sanch. [14] Bonac. [15] cum Pal. Azor. Bann. Trull. etc. apud Salm. [16]. Ratio horum dd. quia, ut peccatum aliquod sit specialiter distinctum, requiritur ut habeat specialem finem contra virtutem oppositam. At cum proximi ruina non intenditur, non specialiter laeditur charitas, sed potius illa virtus, ad quam laedendam proximus inducitur: ideo tale scandalum ad illam speciem reducitur peccati ad quod proximus inducitur, sive directe, iussu, consilio; sive indirecte, verbis aut exemplo.

(1) Loc. c. (2) L. 1. c. 6. n. 11. (3) Loc. c. (4) De poenit. d. 16. s. 4. (5) De sacr. t. 2. tr. 4. r. 114. (6) Loc. c. (7) Meth. conf. l. 2. c. 1. n. 64. (8) Dec. l. 1. c. 6. n. 5. (9) De rest. c. 1. n. 114.

(10) De char. c. 6. q. 2. (11) C. 9. d. 16. n. 110. (12) 1. mor. c. 6. n. 6. (13) D. 32. n. 33. (14) Dec. l. 1. c. 6. n. 3. (15) T. 2. d. 2. de pecc. q. 3. p. 2. §. un. n. 15. (16) Tr. 21. c. 7. n. 51.

Secunda sententia, quam tenent Lugo [1] cum Navarr. et Tamb. [2] cum aliis recentioribus, distinguit, et dicit posse aliquem tripliciter inducere alterum ad peccatum: 1. directe et formaliter, intendendo illius spiritualem ruinam. 2. directe, sed non formaliter, quando scilicet vult, ut alter castitatem violet; non iam ut animam perdat, sed ut ipsi inducenti satisfaciat: 3. indirecte, nempe quando ex suo exemplo alter accipiet occasionem peccandi. Hinc aiunt, quod si scandalum accidat primo et secundo modo, peccat scandalizans, non solum contra caritatem, sed etiam contra virtutem, ad quam laedendam proximum inducit. Quando vero tertio modo peccat, scilicet praevidendo, sed non intendendo peccatum proximi, tunc peccat tantum contra charitatem, non autem contra virtutem quae laeditur, unde non tenetur illius speciem explicare. Ratio, quia reliquae virtutes non obligant, saltem graviter (prout ait Lugo), ut impediamus in aliis vitia opposita, sed tantum ne positive intendamus proximum inducere ad eas offendendas.

Tertia sententia, cui subscribo, tenet quod qui directe vel indirecte inducit proximum ad peccatum, dupliciter peccat, scilicet tam contra caritatem, quam contra virtutem, ad quam laedendam proximum inducit. Quod peccet contra charitatem, mihi videtur non posse negari, et nescio acquiescere primae sententiae expositae; si enim charitas obligat ad proximum corrigendum, et impediendum, cum possimus, ne ruat in peccatum; quanto magis obligat ad eum non impellendum ad peccatum consilio vel exemplo? Nec obstat ratio allata, quod ad charitatem laedendam requiratur finis eam laedendi specialis; nam generaliter sufficit ponere destructivum cuiusvis virtutis, ut illa offendatur, etsi hoc non intendatur; prout si quis occidit inimicum in ecclesia, etiamsi non intendat religionem offendere, tamen non solum peccat contra iustitiam, sed etiam contra religionem, cum ipso facto illam laedat. Et sic tenent Lugo [3] Cont. Tourn. [4] Ronc. [5] Tamb. [6] Salm. [7] cum Soto Val. Suar. Tap. Prad. Et hanc expresse docet s. Th.; quamvis enim Sanch. citet ipsum pro sua sententia [8], verumtamen alibi [9] s. doctor ita loquitur: *Quando aliquis suo malo facto vel verbo intendit alium ad peccatum inducere; vel etiamsi ipse non intendat, ipsum factum est inductivum ad peccatum; tunc ille dat occasionem ruinae, unde vocatur scandalum activum.* Quod autem is peccet etiam contra virtutem, ad quam laedendam proximum (etsi indirecte) inducit; ratio est, quia quaelibet virtus non solum contrarios prohibet actus, sed etiam prohibet ne detur occasio aliis inductiva ad peccandum; tunc enim occasio illa, esto non sit causa de se influxiva, est tamen causa moralis, ut proximus peccet; dicitur *causa moralis*, quae in substantia aequivalet causae directe inductivae ad peccatum, cum sine ea proximus non peccaret. Ita Caiet. [10] Sanch. [11] Ronc. [12] Cont. Tourn. [13] et Sal. [14] cum Lay. Vide dicenda in *quaest.* 3. *n.* 47. *circa fin.* Qui tamen suo exemplo induceret alium ad furandum, licet peccet contra iustitiam duplici peccato, non tenetur tamen ad restitutionem, ut comm. docent dd. Mol. [15] Bon. [16] Sanch. [17] Roncaglia [18] et Salm. [19] contra Cont. Tournely [20] cum Antoine. Ratio, quia exemplum illud non est causa directe influxiva, sed tantum occasio, quae non praestat ad furandum positivum influxum, qui requiritur ad obligationem restitutionis.

46. Quaestio 2. An circumstantia inductionis ad fornicationem sit in confessione explicanda. Negant Lugo [21] et Tamb. [22] cum Sanch. et Vasq. Leandr. cum aliis ap. Salm. [23] qui dicunt suffice-

(1) D. 16. sect. 4. ex n. 157. (2) Meth. exped. conf. l. 2. c. 1. n. 105. (3) Loc. c. n. 159. (4) De char. sect. 7. p. 1. §. 2. (5) De scand. c. 6. q. 2. (6) Ib. n. 102. (7) Loc. c. n. 53. (8) In 2. 2. q. 43. a. 3. (9) A. 1. ad 4. (10) 2. 2. q. 43. a. 1.

(11) Loc. c. (12) Loc. ut supr. (13) Loc. c. (14) N. 55. (15) Tr. 2. disp. 734. n. 2. (16) D. 1. q. 2. p. 11. n. 14. (17) Dec. l. 1. c. 7. n. 15. (18) Loc. c. (19) De rest. tr. 13. c. 1. n. 114. (20) Ibid. in fin. (21) De poen. d. 16. (22) Meth. conf. c. 7. p. 24. (23) De poen. c. 8. n. 107.

re fateri fornicationem, quia malitia inductionis. sive scandali (ut aiunt) iam habetur, licet non gravis, quando aliquis non sollicitat, sed consentit; adhuc enim participat cum altero in suo peccato, et est causa cooperans ad eius ruinam, quare solum videtur aggravari magis haec malitia intra eamdem speciem, quando quis positive sollicitat. Et idem ait Lugo dicendum de collocutione turpi et simili. Contradicunt tamen Sanchez [1] Palaus [2] et Sal. cum Diana Coninch. Filliuc. etc. dicentes omnino explicandam esse circumstantiam sollicitationis, cum haec sit peccatum distinctum a peccato, ad quod proximus inducitur. Hac tamen ratione non obstante, videtur satis probabilis prima sententia Lug. cum etiam in cooperatione ad fornicationem adsit peccatum contra charitatem, bene distinctum a peccato cooperationis ad fornicationem, cooperando ad ruinam alterius partis iuxta mox dicta in quaestione antecedenti, et dicenda in quaest. sequenti; unde infert Lugo, inductionem non esse nisi circumstantiam aggravantem intra eamdem speciem, non necessario explicandam, iuxta sententiam quam referemus *l.* 6. *ex n.* 467.

Ex hac autem sententia Lugonis et aliorum ut supra, scil. quod circumstantia sollicitationis sit eiusdem speciei, quam cooperatio ad fornicationem, infertur quod cooperatio ad fornicationem (licet in ipsa fornicatione necessario contenta) sit peccatum distinctum tam contra castitatem, quam contra charitatem; unde qui fornicatur, secundum hanc sententiam, non unum peccatum committit, sed plura contra castitatem; et tot (ut arguo,) quot peccata tu committeres, si ad invicem cum altero pollutionem faceres; tunc enim unum peccatum ageres, quia te polluis; secundum, quia polluis alterum (idque iam tenet Cont. Tourn. [3] qui ait quod fornicans dupliciter peccat, propter fornicationem propriam et propter alienam); tertium, quia cooperaris, ut alter te polluat, praeter duo alia peccata, quae committis contra charitatem, cooperando ad pollutionem illius, et ad actionem ipsius, ut tu polluaris. Omnia haec peccata enumerantur etiam in fornicatione; et pariter in sodomia, adulterio et incestu. Haec autem diversa peccata non certe sunt explicanda in confessione ab eo qui fornicatur; nam sufficienter illa exprimit fatendo fornicationem; et ut ipse fornicando iam confuse illa apprehendit, ita etiam in confuso confessarius ipsa intelliget.

Dici posset cum Suar. apud Salm. [4] quod cum plura obiecta mala respiciunt unum actum, tunc unum peccatum constituunt, etiamsi per se seorsim divisum unumquodque obiectum eorum suam propriam malitiam complete haberet, prout dicit Spor. [5] de sacerdote celebrante in mortali, qui licet plures actiones per se malas perpetret, nempe indigne consecrando, sumendo etc. tamen ut tenet Spor., quia omnes illae actiones unum ministerium sacrificii respiciunt, unum sacrilegium ipse committit. Et sic pariter dici posset in fornicatione, ubi, quamvis plures actiones pravae concurrant, omnes per se singularem malitiam habentes, quia tamen unum peccatum fornicationis respiciunt, ideo (praeciso peccato inductionis) unum peccatum constituunt. sed regulam, quam ponit Suar. ut supra, negant Sal. [6] et dicunt, quod sicut plura obiecta prava, specifice distincta in uno actu (puta in occisione sacerdotis) plura peccata efformant specie diversa; ita plura obiecta ex se propriam malitiam completam habentia, etiam in uno actu plura peccata numero diversa constituunt. Quod autem missa celebrata in mortali sit unum sacrilegium, hoc negamus cum Croix. Vide dicenda *lib.* 5. *n.* 44. His tamen non obstantibus, non improbo opinionem eorum, qui dicunt fornicationem esse unum peccatum; sed magis mihi arridet sententia Lugonis, ut supra, qui in quacumque fornicatione plura peccata

(1) Dec. l. 1. c. 6. n. 14. (2) Tr. 6. d. 6. p. 3. n. 4. (3) Sect. 7. n. 1. §. 2. Ex his.

(4) Tr. 21. c. 12. de princ. mor. p. 6. n. 60. (5) De peccat. c. 3. n. 455. (6) N. 69. l. c.

agnoscit. Unusquisque abundet in sensu suo.

47. Quaestio 3. An sit peccatum scandali petere ab alio aliquid, quod ipse non praestabit sine peccato, si iam paratus sit ad peccandum. Hic distinguendum: si res quae petitur sit de se intrinsece mala, ita ut nullo modo praestari possit sine peccato, prout est petere fornicationem a meretrice parata, non desunt plures dd. qui dicunt non esse peccatum scandali; quia cum talis mulier sit semper in actuali aut virtuali voluntate peccandi, non censetur graviter, sed leviter cooperari, qui occasionem ei praebet peccatum illud exequendi. Ita Sotus [1]; item Henriq. Azor. Valent. Medin. Salon. Manuel. Lop. etc. apud Sanch. [2] cum Coninc. et Salas ap. Bon. [3]. Veneror tantorum dd. auctoritatem, sed non auderem recedere a sententia contraria, quam sequendam censeo et tenent Sanch. [4] cum Caiet. Nav. et Fill.: item Bonac. [5] Ronc. [6] Tamb. [7] et Spor. [8] qui vocat communem et certam. Ratio mihi valde potens, quia licet meretrix sit in actuali voluntate peccandi, certe tamen sibi infert ruinam graviter maiorem, opere complendo illud particulare fornicationis peccatum. Is igitur qui illi cooperatur ad peccatum consummandum, dupliciter graviter peccat, tum contra charitatem, tum contra castitatem, ut mox melius patebit ex infra dicendis.

Si autem res quae petitur sit indifferens et bene possit praestari sine peccato alterius, ut esset petere mutuum ab usurario, iuramentum a falsum iuraturo, sacramentum a sacerdote peccatore, et similia; *prima* sententia tenet non esse peccatum grave, petere praedicta sine iusta causa. Ratio, quia (ut aiunt), cum usurarius ille aut sacerdos etc. iam habeat voluntatem deliberatam peccandi, non inferes ipsi grave damnum, si proponas illi occasionem qua exequatur peccatum praeter tuam intentionem; ea enim anticipatio operis externi peccatum illius tantum accidentaliter variat. Ita Lugo [9] Caiet. [10] Sot. [11] Nav. [12] Sa [13]: item Arag. Led. et alii ap. Sanch. [14]: et probabilem putant ipsi Sanch. Pal. et Tamb.

Secunda vero sententia quam amplectimur, tenet id esse peccatum mortale tam contra charitatem, quam contra virtutem, ad quam laedendam occasio proximo praebetur petendo ab illo mutuum, sacramentum, aut iuramentum sine gravi causa; nam, cum adsit gravis causa, petens omnino excusatur, ut docet d. Th. [15] cum s. Aug. Elbel. [16] et aliis comm. ap. Salm. [17], quia licite potest homo, causa alicuius sui notabilis boni, permittere peccatum alterius, quod provenit tantum ex illius malitia. Petens autem sine iusta causa peccat primo contra charitatem, quia est causa moralis, ut proximus patiatur grave damnum spirituale; nam praescindendo a quaestione an actus externus augeat malitiam actus interni, ut tenent Scotus et sui discipuli cum Dupasquier [18] quia (ut dicunt) integritas seu difformitas actus externi diversa est ab integritate actus interni, cum actus externi et interni sint diversae rationis: vel an, manente voluntate plena erga peccatum, actus externus nihil addat malitiae actui interno, ut tenent probabilius d. Th. Gonet. [19] Estius [20] et alii, quia tota malitia actus externi consistit in voluntate. Sed quicquid sit de hoc, etiam thomistae, prout declarat Estius, dicunt, quod, cum contingit perpetratione operis mali voluntatem magis affici ad rem concupitam, tunc sine dubio per opus externum additur aliquid malitiae, quia tunc ipsius voluntatis malitia augetur. Quapropter quamvis, speculative loquendo, sit probabilior thomistarum sententia, practice tamen di-

(1) L. 6. de iust. q. 1. a. 5. (2) Dec. l. 1. c. 6. n. 13. (3) De poenit. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 3. diff. 3. n. 19. et 20. (4) Loc. c. n. 14. (5) De pecc. d. 2. q. 4. p. 2. §. un. n. 21. (6) Tr. 6. de char. c. 6. q. 6. (7) Dec. l. 5. c. 1. §. 4. n. 68. (8) In 3. praec. c. 1. ex n. 45. (9) De iust. d. 25. ex n. 234.

(10) 2. 2. q. 78. a. 4. et in Summa v. Usura. (11) Loc. c. dub. 1. (12) Summa c. 17. n. 262. (13) V. Usura, n. 5. (14) Dec. l. 3. c. 8. n. 25. (15) 2. 2. q. 78. a. 4. (16) De scand. n. 365 (17) De contr. c. 3. n. 120. (18) Theol. t. 4. disp. 2. q. 5. (19) In clyp. t. 3. d. 7. a. un. (20) L. 2. dist. 42. §. 2

cimus, quod ex communiter contingentibus per actum externum semper augetur malitia voluntatis ob eius maiorem complacentiam, conatum, diuturnitatem, etc: ut advertit bene Habert[1]. Hinc Estius [2] sic concludit: *Caeterum, quoniam externum opus revera peccatum est, hinc fit ut semper dicendum sit plus mali eum fecisse qui peccatum opere perpetravit, quam qui in sola voluntate continuit.* Cum igitur peccator actu externo notabilem maiorem ruinam sibi infert, non potest excusari a peccato gravi contra charitatem, qui sine gravi causa cooperatur illi ad opus exequendum, ut ait etiam Contin. Tourn. [3]. Charitas enim nos obligat ad vitandum damnum grave proximi, quotiescumque sine notabili incommodo id possumus. Cum autem habemus gravem causam petendi, non possumus sine gravi incommodo a petendo abstinere; et ideo tunc equidem excusamur; secus vero, si causa sit levis, et tanto magis si sit illicita, aut vana. Ita Bus.[4] Sanch.[5] cum Valent. Arag. et Conrad. Sylvest. [6] Molin. [7] Roncag. [8] Tamb. [9]. Salm.[10] cum Pal. Bann. et Trull. Bon.[11] cum Suar. et Fill.; et censet Bon. rationem primae sententiae non videri satis firmam. Item Spor. [12] cum s. Antonin. Vasq. Pont. Palud. Aug. et aliis ap. aa. cit. Et eamdem nostram sententiam sequitur etiam p. Elbel [13] asserens hanc esse communem.

Probabiliter tamen Sporer [14] cum Less. Hurt. et aliis excusat ab hoc peccato contra charitatem petentem sine iusta causa mutuum ab usurario parato, si usurarius ob multitudinem petentium aeque certe ac facile praestabit alteri pecuniam illam ad usuras; quia tunc non adest obligatio impediendi peccatum, quod ille aeque certe alias patraret. Verum dicimus quod petens sine gravi causa, etiam in casu mox posito, non excusatur ab alio peccato gravi contra virtutem, ad quam laedendam moraliter inducit proximum. Et hoc, etiamsi daretur casus quem practice iam diximus moraliter impossibile esse evenire, quod opere externo non augeretur malitia proximi parati ad peccandum. Ratio, quia sine iusta causa nunquam licet cooperari ad actionem obiective malam; concurrere enim moraliter, etsi permissive, ad actum obiective malum sine iusta causa per se semper est malum; prout certum est, quod inducere amentem ad peierandum, fornicandum, etc. etiamsi ille non peccet, est grave peccatum contra virtutes oppositas, ut communiter dicunt Salm. [15] et Bus.[16] cum Laym. Bonac. Pal. Sanch. Gran. etc. Hinc eodem modo petens sine gravi causa mutuum ab usurario, sacramentum a sacerdote peccatore, quamvis parato, peccat non solum contra caritatem, sed etiam contra iustitiam, aut religionem, ut dicunt Salm. [17] Sanch. Bec. [18] cum Sylvest. Mol. Valent. Pal. Trull. Villal. Ban. Tap. apud Salm. [19].

Notant autem Spor.[20] et Pont.[21] cum Soto et Cai. quod ad mutuum licite petendum ab usurario non requiritur praecisa necessitas, sed sufficit quaevis notabilis utilitas sive ad conservationem, sive ad decentiam status, aut familiae: puta (ut ait Pon. cum iisdem dd. cit.) si vir nobilis petat mutuum ad exercenda torneamenta cum suis amicis, et alias abstinendo aliquam notam incurreret.

Art. II. An et quando scandalum passivum permitti possit. An ob illud vitandum aliquid omitti debeat.

48. *Quando scandalum passivum permitti possit.*
49. *An sufficiat sola utilitas ad petendum mutuum ab usurario, et sacramenta a ministro excommunicato, vel peccatore.*
50. *An aliquando teneamur omittere vel differre bona spiritualia ad vitandum scandalum alterius.*
51. *An aliquando teneamur omittere quaedam praecepta.*
52. *An dimittere bona temporalia. An peccet graviter mulier utens veste virili.* Vide *ibid.* alios casus.

(1) De act. hum. c. 8. q. 2. (2) Loc. c. in fin. (3) De char. sect. 7. p. 1. §. 2. v. Ex his. (4) N. 49. (5) Dec. l. 3. c. 8. n. 22. et 23. (6) V. Usura, 7. q. 1. (7) De iust. disp. 335. concl. 4. (8) Tr. 6. q. 6. de char. c. 6. q. 6. (9) Dec. l. 5. c. 1. §. 4. n. 66. (10) De contract. c. 3. n. 123. et tr. 21. c. 8. n. 123.

(11) De pecc. d. 2. q. 4. p. 2. n. 21. (12) In 5. praec. c. 1. n. 46. (13) De scand. n. 365. (14) N. 47. (15) De leg. c. 3. n. 49. (16) L. 1. n. 155. cas. 4. (17) Loc. c. de contract. c. 3. n. 123. et de sacr. c. 8. n. 36. (18) Loc. c. (19) In fine. (20) Loc. c. n. 73. (21) De matr. l. 5. c. 18. n. 51.

53. *An puella decenter ornata teneatur se avertere a conspectu alicuius particularis eam concupituri.*
54. *Quid si se ornet ornatu superfluo.*
55. *Quid si putet in genere aliquos scandalizandos. Et an peccent graviter mulieres pectus ostendentes.*
56. *Quomodo peccent obscoena componentes, aut repraesentantes, aut pingentes.*
57. *An liceat suadere minus malum, ad maius evitandum.*
58. *An aliquando liceat permittere ruinam proximi.*

48. « Resp. 1. Permitti non potest absque necessitate, vel utilitate propria vel aliena. Ratio est, quia tenemur ex caritate impedire peccata proximi, si facile possimus, Laym. [1] ex comm.

Unde resolvuntur hi casus:

» Absque causa non licet petere mutuum ab usurario, vel ab infideli iuramentum per falsos deos, a concubinario administrationem sacramenti, vel ut celebret: cum enim absque peccato id non sit facturus, cooperareris eius peccato. Suar. Sanch. Trull. [2].

49. » Resp. 2. Ex causa necessitatis vel utilitatis potest permitti. Patet in dicto casu, qui simpliciter sine peccato fieri potest: ideoque licet talia petere ex rationabili causa, etsi alter ex malitia sit peccaturus. Requiritur autem maior necessitas, ut permittatur scandalum pusillorum, quam pharisaicum. Item maior, si plures sint scandalizandi, si timeatur peccatum grave, et denique, si certo praevideatur, quam alias. Laym. [3] Bonac. [4] (Sufficit inde ab usurario, ut Viva ex communi, et Salmant. [5] cum Cai. Nav. Con. etc. Et ad petenda sacramenta a ministro peccatore, aut excommunicato tolerato, ut Laym. [6] cum Sanch. et Nav. ex s. Th. *Vide dicta n. 47. Et vide etiam infra n. 77. v. 4. Licitum*).

50. » Resp. 3. Debet permitti, si alioqui propria salus periclitaretur, vel aliis, praesertim communitati grave damnum immineret. Unde bona spiritualia necessaria ad salutem nec debet nec potest quisquam dimittere ob cuiusquam scandalum. Fill. [7].

» Resp. 4. Bona spiritualia (et secundum Lorcam ap. Dian. [8] etiam temporalia) non necessaria ad salutem non tenetur quis omittere, vel differre, ob scandalum pharisaicum, iuxta illud Matth. [9] *Sinite illos etc.* nisi tamen ex dilatione fructus speraretur: facilius vero, ac saepius talia bona differenda vel etiam omittenda sunt, ob scandalum pusillorum: v. gr. ingressus religionis debet differri ob scandalum parentis, si consensus illius brevi speretur. Laym. [10]. »

Docet s. Th. [11] quod aliquando tenemur differre bona spiritualia non necessaria ad salutem, ob scandalum pusillorum, non vero ob pharisaicum. Attamen notandum hic est ex Laym. [12] cum s. Th. quod scandalum pusillorum post monitionem fit pharisaicum. Hinc, quamvis quis debeat differre ingredi religionem ob scandalum propinquorum, si illorum consensus brevi speretur, ut ait Bus., potest tamen recte ingredi, si ipsi pergant resistere, ut Laym. cum s. Antonin. Palud. etc. [13]. Sed quoad hoc punctum vide omnino dicenda *l. 4. n.* 68.

Et hic praeterea notandum, certum esse, ut dicunt Salm. [14] posse filios inscio patre religionem ingredi, aut clericatum sumere: maxime si sciant patrem ex affectu carnali impediturum; quod regulariter accidit, ut bene advertit Pinamon. [15]. Hinc docet s. Th. [16] quod *recte possunt filii, praetermisso parentum obsequio, religionem intrare etiam contra praeceptum parentum.* Et [17]: *Filii non debent consilium sumere nisi ab his de quibus speratur, quod prosint et non impediant, ex Eccl.* 37.: *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, et cum iniusto de iustitia;* quasi dicat, non: unde sequitur: *non attendas his in omni consilio, sed cum viro sancto assiduus esto.* Atque [18] affert s. Cyrillum, qui super illa evangelii verba: *Permitte me renunciare his, qui domi sunt, etc.* sic loquitur: *Communicare proximis, indicat*

(1) L. 2. tr. 3. c. 13. n. 8. (2) L. 1. c. 6. dist. 5. n. 15. (3) Loc. c. (4) D. 2. q. 4. p. 2. (5) Tr. 21. c. 8. n. 76. (6) Ibid. (7) 28. c. 8. (8) P. 5. t. 7. r. 24. (9) 15. 14. (10) Loc. c.

(11) 2. 2. q. 43. a. 7. (12) Ibid. (13) Loc. c. n. 8. in fine. (14) De 4. praec. c. un. n. 7. (15) De vocat. c. 3. circa init. (16) 2. 2. q. 189. a. 6. in corp. (17) A. 10. in corp. (18) Dict. a. 10. ad 2.

adhuc languentem et retrocedentem: propter quod audit a Domino: Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei. Respicit retro qui dilationem quaerit cum propinquis conferendi. Vide alia valde utilia, quae dicentur super hoc puncto *l. 4. n.* 78. Tunc tantum filiis non liceret ingredi religionem, quando relinquerent parentes in necessitate gravi, vel fratres in extrema, ut Salm. [1] etc. cum s. Thom. et communi. In dubio tamen an necessitas sit talis, permittitur ingressus; cum in dubio possideat libertas, ut docet Sanch. [2]. Vide *dicenda l. 4. n.* 66.

51. « Resp. 5. Ad vitandum grave scandalum pusillorum quaedam praecepta impleri non debent, nisi tamen omissio esset magis damnosa omittenti. Vid. Laym. [3]. Ratio huius est, quia tunc, concurrente duplici praecepto, scilicet naturali de cavendo scandalo, et positivo, maius et fortius est naturale. »

Quaestio est, an ad vitandum scandalum proximi sint omittenda praecepta. Certum est 1. quod praecepta quae omitti non possunt sine peccato, haec nunquam praetermittenda sunt ob alterius scandalum, sive sit pharisaicum ex illius malitia, sive pusillorum ex eius infirmitate, aut ignorantia. Huiusmodi sunt praecepta fidei et sacramentorum, quae sunt necessaria ad salutem, ut docet s. Thom. [4]. Item omnia praecepta naturalia; et quamvis dd. aliqui dicant aliquando posse omitti praecepta naturalia affirmativa, nempe corrigendi peccatores vel puniendi delinquentes, quando magis timetur damnum, quam speratur fructus; tamen melius dicit Palaus [5] tunc verius in iis casibus ipsa praecepta cessare et non obligare. Certum est 2. quod alia praecepta positiva nec etiam omitti possunt, si scandalum proximi esset pharisaicum, quia tunc potius daretur illi occasio bona aliorum malitiose impediendi, ut ait Sporer [6] ex d. Th. [7].

Dubium autem est an sint omittenda praecepta positiva ad scandalum pusillorum vitandum. *Prima sententia* probabilis, quam tenent Nav.[8] Vasq.[9] Palaus [10] cum Basil. de Leon., et probabilem putat Croix [11] ac Tamb.[12] negat, quia praecepta etiam positiva et humana non cessant obligare, quando scandalum non est datum, sed acceptum; magis enim tunc obstringit obligatio implendi praecepta tibi iniuncta, quam vitandi omissionem praecepti alteri impositi. Affirmat vero *secunda sententia* probabilior, quam tenent cum Busemb. Laym.[13], qui vocat communem, Canus [14] Suarez [15] Contin. Tourn.[16] Roncaglia [17] Sporer [18] et Salmant.[19] cum Valent. Sylv. Bann. Led. Hurt. Med. Cord. et Lorca. Citant etiam Salm. s. Thom. [20]; sed revera s. doctor non loquitur de praeceptis, sed de bonis spiritualibus, pro quibus verius intelligenda sunt consilia. Ratio huius sententiae est, quia praeceptum generale de vitando scandalo proximi, cum sit naturale, praeferendum est praeceptis positivis. At quia magnum esset incommodum mulieris, si ipsa ob scandalum alterius ad longum tempus abstinere a missa teneretur, ideo valde probabiliter dicunt Lay.[21] Cont. Tournely [22] et Spor.[23] quod illa ad hoc non tenetur, nisi pro una vel altera vice. Imo tenent Elbel [24] cum Ills. aliisque pluribus, bene posse illam semel vel iterum omittere sacrum, sed ad hoc non teneri, cum accidat scandalum omnino ex alterius malitia.

Ex dictis resolvuntur hi casus:

« 1. Praelati ecclesiastici non tenentur (imo nec possunt) ea quae ad bona ecclesiae conservanda sunt necessaria, v. gr. lites, etc. omittere ad vitanda scandala pharisaica, imo etiam

(1) De statu rel. c. 3. n. 53. (2) Dec. l. 4. c. 20. n. 6. (3) L. 2. t. 3. c. 13. (4) 2. 2. q. 43. a. 7. (5) De charit. t. 6. d. 6. p. 16. n. 2. in fin. (6) De 5. praec. c. 1. n. 29. (7) D. q. 43. a. 8. (8) Summ. c. 24. n. 44. (9) Q. 43. a. 7. d. 1. (10) Ibid. p. 16. n. 3. (11) L. 2. n. 244. (12) Dec. l. 4. c. 2. §. 2. n. 8. (13) L. 5. tr. 3. c. 13. n. 10. (14) In rel. de poen. p. 5. (15) D. 10. de scand. sect. 4. n. 9. (16) De charit. sect. 7. p. 1. §. 3. concl. 1. Dixi. (17) De char. c. 6. q. 7. (18) De 5. praec. c. 1. n. 29. (19) Tr. 21. c. 8. n. 87. (20) In dict. a. 7. (21) Ibid. (22) Loc. c. (23) D. c. 1. n. 29. et 37. (24) De scand

pusillorum: etsi his prius reddi debeat ratio rectitudinis. Dian. [1] ex s. Th. »

52. Quaeritur an ad vitandum scandalum sint dimittenda bona temporalia. Distinguit d. Th. et docet [2] quod si bona sint propria, *tunc vel totaliter dimittenda, vel aliter scandalum est sedandum, scilicet per aliquam monitionem;* nam, facta monitione de veritate iustitiae, scandalum evadit pharisaicum, de quo nihil amplius curandum, ut docet idem d. Th. [3]. Imo dicunt Palaus [4] Sanchez. [5] et Sporer [6] cum Suarez Dian. etc. nunquam esse obligationem gravem, pati magnam iacturam in bonis propriis, ne proximus patiatur scandalum, etiam ex infirmitate. Ratio, quia charitas erga proximum non obligat cum tanto incommodo. Hoc tanto magis procedit, si bona sint commissa ad conservandum, ut bona ecclesiae committuntur praelatis, et similia: ipsa enim nec etiam possunt dimitti propter scandalum alterius, uti possunt dimitti bona privata. Quamvis, ut monent recte Laym. [7] cum s. Antonin. et Palud. ac Spor. [8] etiam pro iis differri debet exactio, donec instruantur debitores de sua obligatione. Imo dicunt s. Antonin. Caietan. et Val. apud Laym. [9] quod si adhuc post monitionem populi scandalum nec etiam cesset, et magna immineat fructus spiritualis iactura, tunc melius se geret praelatus, si procuret ecclesiae assensum, ut debitum remittatur. Attamen bene ait Lay. in hoc pensandas esse circumstantias tam bonorum dimittendorum, quam scandali eventuri, et ne forte ex remissione malitia debitorum magis augeatur; nam s. Th. de eo casu [10] sic loquitur: *Propter scandalum pharisaicum non sunt bona temporalia dimittenda, quia hoc et noceret bono communi; daretur enim malis occasio rapiendi; et noceret rapientibus, quia retinendo non sua in peccato remanerent.*

« 2. Si foemina utatur veste virili, vel contra, tantum ex levitate, sine prava intentione, aut periculo scandali et libidinis, veniale tantum erit; alias mortale; nullum vero, si ex necessitate. Dian. [11] ex s. Th. Sylv. etc. »

Si mulier utatur veste virili, ex se non est peccatum grave; sed posset grave esse ex circumstantiis periculi libidinis vel scandali, ut Laym. [12] Sylvius ap. Cont. Tourn. [13] et Salm. [14]. Et hoc indicat s. Th. [15] dicens: *De se vitiosum est, quod mulier utatur veste virili, aut e converso: et praecipue, quia hoc potest esse causa lasciviae: et specialiter prohibetur in lege* (Deut. 22.), *quia gentiles tali mutatione habitus utebantur ad idololatriae superstitionem. Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum vestimenti, vel propter aliud huiusmodi.* Secus autem est tantum veniale; et aliquando nullum, si adsit iusta causa, v. gr. ad se occultandum, ut docet d. Th. [16] et Laym. [17] cum Navarr. et Cai. qui dicit praeceptum *Deut. cap.* 22. prout coeremoniale iam cessasse.

« 3. Peccatum, ex quo confessarium in confessione (ex infirmitate tamen) graviter scandalizandum nosti, debes reticere. Laym. [18] ex Nav. etc.

» 4. Uxor semel, vel iterum debet omittere ieiunium, ex quo maritus graviter offenderetur, et oriretur discordia [19].

» 5. Si, ituro te ad sacrum die festo, excitanda sit gravis rixa vel caedes, non teneris ire [20].

» 6. Superior peccata subditi saepe potest dissimulare ad vitandas turbas, et maiora mala quae alioqui teneretur punire.

53. » 7. Mulier quae scit in se vel in sui aspectu aliquem in particulari scandalizandum, mortaliter peccat, si data opera ei se conspiciendam offerat: adeoque potest et debet non tantum publico, sed etiam sacro abstinere die festo semel, aut iterum, ad peccatum illud

(1) P. 5. t. 7. r. 24. (2) 2. 2. q. 43. a. 8. (3) Ib. (4) Tr. 6. d. 6. p. 17. (5) Dec. l. 1. c. 7. n. 11. (6) De 5. praecept. c. 1. n. 32. (7) Ibid. n. 9. (8) Loc. c. d. n. 32. (9) Ibid. (10) D[illegible] a. 8.

(11) P. 5. tr. 7. r. 32. (12) Ibid. n. 11. (13) De 6. dec. praec. a. 7. sect. 3. (14) Tr. 21. d. c. 8. n. 62. (15) 2. 2. q. 169. a. 2. ad 3. (16) Loc. c. (17) Ibid. (18) Ibid. n. 10. (19) Ibid. (20) Ibid.

evitandum. Dixi 1. *aliquem in particulari;* quia ob timorem scandali alicuius ex communitate in genere vel etiam plurium, abstinere nimis esset difficile, et plenum scrupulis. Dixi 2. *semel aut iterum:* quia saepe nimis esset grave et durum. Bon. Sanch. Lay.[1] et alii. Vid. Dian. [2] qui in contrarium citat aliquos auctores negantes obligationem praetermittendi rem praeceptam ad evitandum aliorum scandalum. »

Si ergo agitur de omittendis rebus praeceptis, nempe missa a puella, ne se offerat conspectui iuvenis, a quo scit turpiter concupisci, iuxta secundam sententiam relatam *n.* 51. debet ipsa semel et iterum omittere sacrum; sed probabiliter etiam iuxta aliam primam sententiam *ibid.* allatam, ut ait Tamb.[3] bene posset, imo teneretur, non obstante scandalo illius, ecclesiam adire ad sacrum audiendum.

Si vero agatur de re non praecepta, quaeritur an peccet mortaliter puella ad conspiciendum se praebens conspectui viri scandalum passuri. Affirmant cum Busemb. s. Antonin. Sylvest. Navar. Azor. etc. apud Sanch.[4] qui asserit hoc esse commune, quando illa se offert, nullam aliam causam habens rationabilem, puta invisendi amicas, eundi ad ecclesiam, etc. Sed valde probabiliter negant peccare graviter Cai.[5] Sanchez [6] cum Navar. Med. et Azor.; item Spor. [7] cum Armill. et Pal. Less. [8] Salm.[9] et probabile putat Croix [10] cum Bonac. et Diana. Sufficit enim, ut dicunt, ad eam excusandam saltem a mortali causa, ne ipsa sua libertate privetur, cum ex una parte hoc scandalum non est datum, sed acceptum ex malitia viri; et ex alia vice esset res valde incommoda mulieri, et scrupulis obnoxia, si expendere deberet semper, an habeat iustam causam egrediendi, vel non. Nequirem autem (ut bene aiunt Palaus [11] Sanchez [12] et Sporer [13]) illam excusare a mortali, si ipsa ex vanitate ducta, etsi scandalum illius viri non intendat, data opera eius aspectui se offerret. Hinc recte dicunt Sporer [14] et Dian.[15] cum Hurt. teneri mulierem sub gravi scandalum viri determinati vitare, si posset commode aliam ecclesiam adire, per aliam viam progredi, a fenestra abstinere, et similia, hoc tamen non intelligendum ad longum tempus, sed tantum pro una vel altera vice, donec alter advertere possit se fugi ab illa, ut diximus *dict. num.* 51. *in fin.* et asserit Sporer [16] dicens in hoc omnes consentire. Nequirem etiam mulierem a mortali excusare, si illa peteret aliquem locum, quem non adiret, nisi sciret ibi amasium adesse, ut recte advertit Spor. [17].

54. « 8. Mulier, quae ex ornatu etiam conveniente suo statui probabiliter praevidet aliquem in particulari lapsurum mortaliter, tenetur ad breve tempus eum dimittere, aut talis conspectum fugere. Dixi *ad breve tempus:* quia ad longum nimis illi grave foret. V. Dian.[18].»

Salm. [19] cum Caiet. Trull. Palao Navar. etc. asserunt nullo modo peccare mulierem se ornantem iuxta suam conditionem; si hoc faciat ad placendum viro suo, vel ut sponsum inveniat, ut docet etiam s. Thom.[20], vel tantum ne sua libertate privetur, Salm.[21]. Sed hoc semper intelligendum ad diuturnum tempus; alias tenetur saltem bis vel semel abstinere a conspectu iuvenis concupituri, iuxta dicta mox *n.* 53.

« 9. Si vero idem timeretur in particulari ex ornatu superfluo, vano, et inconvenienti (quem assumere vanitatis et placendi causa, ut videantur pulchrae, et procum facilius inveniant, seclusis aliis, non nisi veniale est), teneretur eum omnino dimittere, etiam sub mortali; quia nullum habet ius ad illum ornatum, et ex altera parte tenetur vitare peccatum alterius, quando commode potest. Vid. Sylv. [22]. (Idem

(1) Loc. c. n. 10. (2) P. 5. tr. 7. r. 21. et 22. (3) Dec. l. 4. c. 2. §. 2. n. 8. (4) Dec. l. 1. c. 6. n. 16. (5) 2. 2. q. 154. a. 4. in fin. et q. 169. a. 2. ad 5. (6) Loc. c. n. 17. (7) De 5. praec. c. 1. n. 34. et 35. (8) L. 4. n. 115. (9) Tr. 21. c. 8. n. 59.

(10) L. 2. n. 247. (11) Tr. 6. d. 6. punct. 7. n. 4. (12) D. n. 17. (13) N. 35. (14) N. 36. (15) P. 3. tr 7. r. 3. (16) N. 37. (17) N. 35. (18) Loc. c. (19) Tr. 21. c. 8. n. 59. (20) 2. 2. q. 169. a. 2. (21) D. 1. n. 60. (22) V. Ornatus.

recte sentiunt Salm.[1] ac Laym.[2]. Lessius autem [3] censet tantum per breve tempus foeminam teneri abstinere ab illo superfluo ornatu. Nota autem hic quod docet s. Thom.[4] qui dicit mulieres appetentes placere viris ex vanitate, quandoque peccare tantum venialiter. Alibi vero s. doctor [5] sic ait: *Ornatus simplex, servata recta intentione, consuetudine, et conditione status non est peccatum. De fucato autem semper est peccatum; mulieribus enim non permittitur ornari, nisi propter viros, et viri nolunt decipi, ut fucatae eis appareant*). Alii tamen, ut Cai. Nav. [6] videntur docere, eam tantum teneri sub veniali (sed minus probabiliter), quando in particulari lapsus praevidetur, et brevi tempore abstinendum est; qui etiam cum Azor. Less. et Bonac. excusant a mortali eas quae ex consuetudine loci media ubera detegunt, fuco, pigmentis, alienis crinibus utuntur; dummodo non aliorum lasciviam, sed tantum maiorem pulchritudinis ornatum intendant, absque alio fine mortali, aut lege particulari id sub mortali prohibente. Addunt tamen fore grave, et mortale peccatum huiuscemodi morem detegendi pectus, vel tenuiter tantum tegendi, ubi non est introductus. Nav. [7] Less. [8] Laym.[9] etc. Vide Bonac.[10].

55. » 10. Si mulier non in particulari, sed in genere tantum aliquos in se scandalizandos putet, modo eorum lasciviam non intendat, nec ei placeat (licet ei placeat, quod laudetur ut formosa), non videtur teneri abstinere ab illo ornatu, etiam superfluo, sub mortali, v. gr. fucando faciem, imo etiam denudando ex communi consuetudine pectus: nisi tamen denudatio vel ornatus esset valde turpis per se, ac directe ad libidinem provocans. Ratio est, tum quia est scandalum potius acceptum, quam datum, et ornatus ille ac pulchritudo remote tantum ad peccatum provocat, ut docent Laym. et Bonac.; tum quia nimis grave esset isti sexui, praesertim si maritum quaerant, perpetuo sic abstinere, cum illa occasio sit universalis et perpetua; nec formosiores unquam licite irent foras, cum pulchritudo naturalis plus noceat, quam artificialis. Plura de hac re vide apud Dian.[11] Bardel.[12]. Interim foeminam nudum pectus gerentem non mala intentione, etsi quidam excusent a mortali, ego tamen, inquit Sa, difficile absolverem. Et certum est, quod confessario incumbat huiusmodi ornatum dissuadere et deterrere ab eo. V. Sa[13].»

Quaeritur, an peccent graviter mulieres ad sui ornatum ubera ostendentes. Acriter invehunt contra hunc morem Natalis Alex.[14] et Ronc.[15] dicentes hoc per se esse peccatum mortale, quia per se aliis grave scandalum affert et hoc probari inquiunt ex ss. patribus, qui huiusmodi consuetudinem magnopere increpant. Cum ego munus concionatoris gessi, pluries etiam hunc perniciosum usum fortiter conatus sum exprobrare; sed cum hic officium agam scriptoris de scientia morali, oportet, ut dicam quod iuxta veritatem sentio, et quod a dd. didici. Non nego 1. quod illae foeminae quae hunc morem alicubi introducerent, sane graviter peccarent. Non nego 2. quod denudatio pectoris posset esse ita immoderata, ut per se non posset excusari a scandalo gravi, tanquam valde ad lasciviam provocans, uti bene ait Spor.[16]. Dico vero 3. quod si denudatio non esset taliter immoderata, et alicubi adesset consuetudo, ut mulieres sic incederent, esset quidem exprobranda, sed non omnino damnanda de peccato mortali. Id tenent communissime Nav. Caiet. Less. Lay. Bon. Salm. et alii plurimi. Navar.[17] sic ait: *Neque etiam foeminae mortaliter peccant ostentantes pectora nuda, quo pulchriores videantur, absque alia mala intentione mortali; quia nullo iure naturali divino aut humano, saltem ad mortale obligante, vetatur.* Idem dicit

(1) Tr. 21. c. 8. n. 60. (2) L. 2. tr. 3. c. 13. n. 11. (3) L. 4. c. 4. n. 112. (4) 2. 2. q. 269. a. 2. (5) In ep. 1. ad Tim. c. 2. in fin. (6) C. 23. (7) N. 18. (8) 112. (9) Loc. c. (10) De matr. q. 4. p. 9. n. 17. (11) T. 1. r. 37. (12) L. 3. d. 5. n. 15 (13) V. Ornatus. (14) Dec. l. 4. a. 5. reg. 8. de scand. (15) De char. c. 6. q. 5. resp. 3. (16) De 5. praec. c. 1. n. 39 (17) Summ. c. 23. n. 19

Cai.[1]: *Pectus a mulieribus nudum alicubi defertur, quod iuxta morem patriae non est de se mortale.* Idem docet Lessius [2] dicens: *Potest esse peccatum mortiferum, si pudenda non satis tegerentur; secus in nudando pectore, ut* Caiet. Fum. Nav.; *nam partem illam nec natura, aut pudor postulat absolute tegi. Grave tamen esset huiusmodi morem introducere.* Sententiam hanc dicit esse communem Laym. [3]. Idem censent Azor. [4] Sanch. [5] Bonac. [6] et Salm. [7] cum Sylv. Fill. etc. (contra s. Antonin. Ros. et Eliz.): quia (dicunt) pectus non est pars vehementer provocans ad lasciviam. Videtur etiam huic adhaerere s. Thom. [8] qui loquens de ornatu superfluo mulierum [9] sic ait: *Et si quidem hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant. Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter iactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale.* Deinde addit: *In quo tamen casu possent aliquae excusari, quando non fieret ex aliqua vanitate, sed propter contrariam consuetudinem: quamvis talis consuetudo non sit laudabilis.* Deridet autem Ronc. hanc rationem consuetudinis excusantis, dicens: *Potestne quaecumque consuetudo dare ius ad id quod aliis de sua natura praebet gravem occasionem peccandi?* Sed immerito deridet, nam patet, quod consuetudo sic incedendi, non quidem dat ius ad id quod est contra ius naturale, sed bene diminuit vim concupiscentiae; ubi enim non est mos, maius scandalum dabunt illae mulieres quae brachia aut crura ostendent, quam eae quae pectus (modo denudatio sit moderata), ubi talis viget consuetudo, quia assuefactio efficit, ut viri ex tali visu minus moveantur ad concupiscentiam, prout experientia constat. Ss. autem patres aut modo concionatorio sunt locuti, vel de usu immoderato, ut diximus. Tandem idem Ronc.[10] concedit modicam discooperitionem pectoris excusare a peccato gravi. Et idem docet doctissimus Sylvius[11]. Caeterum non dubito, quod sententia, ut supra relata, cum magna discretione oportet ut prudens confessarius utatur, ne indulgeat nimiae mulierum licentiae, quae libidinem involvet, cum pie viventes non sic incedant. Bene enim Croix [12] cum Eliz. advertit, quod eiusmodi foeminae denudatione pectoris non raro quaerunt inhoneste appeti a viris, ut illos sibi irretiant et captivent; et hanc ob causam recte putat Eliz. plures foeminas damnationem pati. Hinc non dubito, quod huiusmodi indecens mos enixe a praedicatoribus et confessariis, quantum fieri potest, coercendus est et extirpandus. Audiatur id quod docet d. Antonin.[13] qui, quamvis detestetur enixe usum mulierum ostendendi ubera, quando talis usus esset valde immoderatus, prout refert adesse in partibus Rheni, his verbis: *Si enim de usu patriae est, ut mulieres deferant vestes versus collum scissas usque ad ostentationem mammillarum, ut in partibus Rheni, valde turpis et impudicus est talis usus, et ideo non servandus.* Attamen [14] addit: *Si enim mulier ornet se secundum decentiam sui status, et morem patriae, et non sit ibi multus excessus, et ex hoc aspicientes rapiantur ad concupiscentiam eius erit ibi occasio potius accepta quam data; unde non mulieri, sed ei soli qui ruit, imputabitur ad mortale. Poterit autem esse tantus excessus, quod erit occasio etiam data.* Sic denique concludit: *Ex praedictis igitur videtur dicendum, quod ubi in huiusmodi ornatibus confessor invenit clare, et indubitanter mortale, talem non absolvat, nisi proponat abstinere a tali crimine. Si vero non potest clare percipere, utrum sit mortale, non videtur tunc praecipitanda sententia (ut dicit Guillelm. specie in quadam simili) scilicet, ut deneget propter hoc absolutionem, vel illi faciat conscientiam de mortali, quia, faciendo postea contra il-*

(1) In 2. 2. q. 169. a. 2. vers. Secundo.
(2) L. 4. c. 4. ex n. 112. (3) L. 3. tr. 3. c. 13. in fin.
(4) De 4. praec. c. 18. (5) Dec. l. 1. c. 6. n. 7.
(6) De matr. q. 8. p. 9. n. 17. (7) De 6. praec. c. 3. n. 46.
(8) 2. 2. q. 169. a. 2. (9) Ut patet ex 3. obiect.
(10) Loc. c. in fine. (11) 2. 2. q. 169. a. 2.
(12) L. 2. n. 248. (13) P. 2. tit. 4. c. 5.
(14) Seq. §. In quantum

lud, etiamsi illud non esset mortale, ei erit mortale, quia omne quod est contra conscientiam, aedificat ad gehennam[1]. *Et cum promptiora sint iura ad solvendum quam ligandum*[2], *et melius sit Domino reddere rationem de nimia misericordia, quam de nimia severitate, ut dicit Chrysost.*[3] *potius videtur absolvendum, et divino examini dimittendum. Fateor tamen, quod et praedicatores in praedicando, et confessores in audientia confessionum debent talia detestari, et persuadere ad dimittendum, cum sint nimia et excessiva; non tamen ita indistincte asserere esse mortalia.*

56. « 11. Peccant etiam graviter, qui componunt, describunt, repraesentant vel pingunt turpia, et ad libidinem provocantia. Bonac. Sanch. Fill. »

Procul dubio componentes, sive repraesentantes comoedias valde turpes excusari non possunt a peccato gravi. Sanch.[4] cum s. Antonin. Ang. Sylv. etc. Et ob quodcumque lucrum, ut Tambur.[5].

Pariter graviter peccant pingentes, sive exponentes publice imagines obscoenas, scilicet detectis pudendis, sive tenui velo coopertis, ut Salm.[6] cum Sanchez et Trull. Secus, si detectis aliis partibus, pudenda tegantur. Salm.[7] cum Turr. Dian. et pluribus aliis.

57. Utrum liceat suadere aut permittere minus malum ad maius evitandum. *Prima sententia* negat, prout tenet Laym.[8] cum Azor. et aliis. Ratio, quia comparativum non tollit positivum; unde qui suadet minus malum vere malum suadet. Limitat vero Laym. cum Azor. nisi malum illud sit virtualiter inclusum in illo alio maiori. Sic parato aliquem occidere potes suadere ut manum tantum amputet, eidem tamen, non alteri designato; sic etiam volenti adulterari potes suadere fornicationem cum soluta in generali, non autem in particulari. Admittunt hoc Salm.[9], dummodo ille decreverit utrumque malum patrare, cum Nav. etc. At Laym. indistincte loquitur, et Sanch. cum secunda sententia, ut mox dicetur, hanc limitationem expresse reiicit: quia (dicit) tunc minus malum proponitur, non ut alter illud perpetret, sed ut a maiori retrahatur.

Secunda igitur sententia probabilior tenet, licitum esse minus malum suadere, si alter iam determinatus fuerit ad maius exequendum. Ratio, quia tunc suadens non quaerit malum, sed bonum, scilicet electionem minoris mali. Ita Sanch.[10] cum Sot. Mol. Nav. Medin. Sylvest. et aliis pluribus, ac Salm.[11] cum Caiet. Sot. Pal. Bon. etc. probabilem putat Croix[12]. Hinc docet idem Sanch.[13] cum Cai. Sot. Covarr. Valent. parato aliquem occidere licite posse suaderi, ut ab eo furetur vel ut fornicetur. Et probat ex s. Aug.[14] qui ait: *Si enim facturus est, quod non licet, iam faciat adulterium, et non faciat homicidium: et vivente uxore sua, alteram ducat, et non humanum sanguinem fundat.* Ex quibus verbis, *iam faciat adulterium*, probat Sanch.[15] cum Soto Mol. Nav. Abb. etc. s. doctorem, non tantum permittendo, sed etiam suadendo locutum fuisse. Et hoc addit Sanch.[16] cum Salon. licere non solum privatis, sed etiam confessariis, parentibus et aliis, quibus ex officio incumbit impedire peccata subditorum.

58. « Resp. 6. Potest aliquando permitti proximi ruina, quando is paratus est ad malum, et alter non intendit, ut peccet, sed tantum, non auferendo occasionem, permittit unum peccatum, ne fiant plura, ita ut permissio sit impeditiva maioris mali.

Unde resolves:

» 1. Hero licet non auferre occasionem furandi filiis aut famulis, cum eos nihilominus ad furandum propensos et paratos novit, ut sic deprehensi puniantur et resipiscant: tunc enim rationabiliter permittit furtum unum, ut evitentur plura, Sanch. Laym. Bonac. (Et haec sententia videtur satis com-

(1) 23. q. 1. §. Et his. (2) C. Ponderet, dist. 1. (3) C. Alligant 19. q. 7. (4) De matr. l. 9. d. 46. n. 42. (5) Dec. l. 7. c. 8. §. 5. n. 1. (6) Tr. 21. c. 8. n. 64. (7) Ibid. (8) De char. c. 13. n. 7. (9) Loc. c.

(10) De matr. l. 7. d. 11. n. 15. (11) Tr. 21. c. 8. n. 58. (12) L. 2. n. 223. (13) N. 19. (14) In c. Si quod verius, 33. q. 5. (15) Dict. n. 15. (16) N. 23.

munis cum Sanch.[1] qui citat pro ea Sot. Led. Nav. Sa etc. et consentit d. Th.[2] qui ait: *Quandoque vir uxorem suspectam habens ei insidiatur, et deprehendere eam potest cum testibus in crimine fornicationis, et sic potest ad accusationem procedere.* Idem admittit Cont. Tourn.[3] cum Antoine).

»2. Probabile est non licere talia ultro ponere aut iis obiicere, quia positive concurreret ad peccatum; et non tam auferret occasionem quam poneret: Sa[4] et Sanch. qui ex eadem causa docet non licere marito dare uxori ansam adulterandi, vel adultero ut tentet uxorem. Interim probabiliter contrarium docet Laym.[5]. Quod confirmari potest exemplo Iudith, quae vix aliter videtur fecisse[6]. Cum enim sciret permissionem libidinis in Holoferne fore impeditivam malorum, posuit ei occasionem, nempe ornatum suum, alioqui licitum; et tamen communiter censetur in hoc non peccasse. Vid. Bon.[7] Palaum[8]. »

Et hoc probabile putant etiam Viva[9] Laym.[10] cum p. Nav. Item Elbel.[11] et Spor.[12] cum Dian. et Tamb. et probat ex iure civ.[13] ubi permittitur domino tradere servo saepe sollicitato a fure res, *ut ad furem deferat, ut sic fur deprehensus cum re furtiva, et punitus, non amplius sollicitet.* Quem textum dicit Spor. cum p. Nav. Pal. apud Tamb. locum habere etiam in foro conscientiae. Contradicunt tamen Sanch.[14] cum Sa: item Bon.[15] et Spor.[16] vocans hanc probabiliorem, quia (ut dicunt) haec videtur positiva inductio, sive ad peccatum cooperatio, quae est intrinsece mala. Sed hoc non obstante, satis probabilis videtur prima sententia, quia cum maritus, vel dominus praebet ansam moechandi, vel furandi, non vere inducit ad peccandum, sed praebet occasionem et permittit peccatum alterius, ex iusta causa, scil. ut se indemnem servet a periculo damni obventuri. Aliud enim est inducere, aliud praebere occasionem. Illud est intrinsece malum; non autem hoc; alioquin nunquam liceret, etiam ex causa iusta, petere mutuum ab usurario, iuramentum ab infideli, etc. quod est contra communem dd. sententiam (quicquid aliquis dicat), et contra d. Th.[17] cum s. August. Unde s. Th. hanc regulam dat: *Inducere hominem ad peccandum nullo modo licet: uti tamen peccato alterius ad bonum, licitum est.* Imo s. doctor videtur[18] etiam opinioni mox allatae expresse adhaerere, exemplo decem virorum qui dixerunt Ismael[19]: *Noli occidere nos, quia thesauros habemus in agro.* Et hos s. doctor asserit minime peccasse.

Art. III. An liceat alterius peccato materialiter cooperari.

59. *Quando liceat materialiter cooperari peccato proximi.*
60. *An liceat nubere cum sponso existente in mortali, vel obstricto voto castitatis.*
61. *An reddere debitum eidem.*
62. *An dare communionem peccatori occulto.*
63. *Quid liceat famulis. Et quae sit cooperatio* materialis, *et quae* formalis.
64. *An comitari herum ad lupanar, etc. Et an comitari concubinam ad herum.*
65. *An deferre munera meretrici.*
66. *An aperire ostium meretrici. An deferre scalam, ut dominus ascendat ad mulierem.*
67. *An scribere litteras amatorias.*
68. *An ministrare carnes in die vetito.*
69. *An liceat cauponibus dare vinum ebriosis, vel carnes in die vetito.* Vide alia apud *Busem.*
70. *An locare domum meretrici et usurariis.*
71. *An vendere aleas, gladios, venena, etc.*
72. *An agnum Iudaeo.*
73. *An liceat christianis captivis remigare etc.*
74. *An adiuvare tyrannum.*
75. *An vehere annonam ad haereticos. An aurigis vehere meretricem.*
76. *An accipere munera ab amasio. An reddere gladium occisuro.*
77. *An liceat petere iuramentum a peieraturo. Et mutuum ab usurario sine gravi causa.*
78. *An adiuvare usurarium. An dare mutuum abusuro.*
79. *An petere sacramenta ab excommunicato vel a peccatore; et an a parato.*
80. *An dare cibos vetitos.*

59. « Resp. Cooperari tantum materialiter, subministrando tantum materiam et facultatem peccandi, vel exhi-

(1) De matr. l. 10. d. 12. n. 52. (2) Suppl. 3. p. q. 62. a. 3. ad 4. (3) De char. sect. 7. p. 1. §. 3. (4) V. Peccatum. (5) L. 2. t. 3. c. 13. n. 5. v. Tertio. (6) C. 9. (7) D. 2. q. 4. p. 2. (8) Hic. (9) De 4. praec. q. 11. a 5 n. 12. v. Infertur 4. (10) Ibid. (11) De scand. n. 377. (12) De 5. praec. c. 1. n. 65. (13) L. Si quis servus et de furtis. (14) De matr. l. 10. d. 12. n. 53. (15) De scand. d. 2. q. 4. p. 2. n. 34. (16) Loc. c. n. 65. (17) 2. 2. q. 78. a. 4. (18) Ibid. (19) Ier. 41. 8.

bendo obiectum, licet, si sequentes conditiones adsint. 1. Si tuum opus vel cooperatio sit secundum se bona vel saltem indifferens. 2. Si bona intentione et rationabili ex causa fiat, et non uti iuves alterum peccare. 3. Si alterius peccatum impedire nequeas, aut saltem non tenearis propter causam rationabilem. Circa quam notant Sanch. et Laym., etsi eius gravitas certa regula definiri nequeat, sed prudentis iudicio metienda sit; tanto tamen graviorem requiri: 1. quanto gravius est peccatum cuius occasio datur: 2. quanto probabilius est, te non cooperante, alterum non peccaturum: aut quanto certior est effectus peccati: 3. quanto propinquius tua cooperatio peccatum attingit: 4. quanto minus iuris habeas ad tale opus: 5. denique quanto magis peccatum cum iustitia pugnat, idque propter damnum tertii: Laym. [1]. »

S. Antonin. Gabr. Sylvest. etc. apud Sanch. [2] videntur sentire, nullo casu licitum esse cooperari ad peccatum alterius: at hoc communiter dd. permittunt, si debitae conditiones adsint. Vide Tamb. [3]. Et Sanch. [4] censet auctores citatos locutos fuisse casu quo absit iusta causa excusans; vel quando cooperatio sit intrinsece mala. Semper autem est intrinsece mala illa actio quae ex se determinata est ad peccatum: uti esset, quaerere domino concubinam, idola fabricare, et quid simile. Secus si actio potest fieri sine peccato, puta ministrare mensae, aperire ianuam, etc. Hinc ad licite cooperandum peccato alterius, vide conditiones requisitas apud Bus. ut mox supra.

Unde resolves hos casus:

60. « 1. Hoc modo licite materialiter cooperatur sponsa contrahens cum sponso quem scit sacramentum accipere in peccato mortali. Sciens vero eum habere votum castitatis, peccat contrahendo cum ipso, quia ad contractum illicitum concurrit. Laym. [5] ex Sanch. [6].

61. » 2. Licite quoque post matrimonium contractum materialiter cooperatur coniux, si coniugi obstricto voto castitatis reddat debitum: imo ad id tenetur ex iustitia, si eum exigentem non possit a proposito avocare [7] (Et haec est communissima et probabilior sententia cum Suarez Lugo Laym. Bonac. Pal. Sanch. Concina Holzmann Boss. etc. Licet opposita cum Pontio Croix Comit. Sylv. etc. etiam sit probabilis; vide dicenda *l.* 6. *n.* 944.)

62. » 3. Similiter parochus eucharistiam licite potest et debet ministrare peccatori et excommunicato et haeretico occulto, si petat publice; imo confessarius praebere debet petenti etiam privatim, si ex sola confessione eius peccatum norit [8] (Et ita tenendum ex communissima sententia cum Spor. [9] etc. contra Petrocor. *Vide dicenda l.* 6. *n.* 658.).

63. » 4. Excusantur a peccato famuli, si ratione sui famulatus praestent quaedam obsequia quae sine gravi suo incommodo negare non possint; ut v. gr. vestiant dominum, sternant equum, comitentur ad lupanar, meretrici deferant munera: eidem venienti aperiant ostium: quia haec tantum remote se ad peccatum habent, et sine iis peccatum fieret. Unde tamen non sequitur, alteri cuivis licere ea praestare. Bon. [10] Azor. [11] Laym. [12] Sanch. [13] (*Sed vide n. seq.* 64.). »

Ad distinguendum autem, quando cooperatio sit materialis et quando formalis, alii dicunt, ut Card. et M. Milante [14] quod cooperatio tunc est materialis quando ipsa per accidens et remote conducit ad peccatum alterius; tunc autem formalis quando per se, vel ob aliquam circumstantiam adiunctam, proxime conducit ad executionem peccati, licet per se esset indifferens. Sed melius cum aliis dicendum illam esse formalem quae concurrit ad malam voluntatem alterius et nequit esse sine peccato: materialem vero illam quae

(1) L. 2. tr. 3. c. 13. n. 4. (2) In decal. l. 1. c. 7. n. 4. (3) Decal. l. 5. c. 1. §. 4. n. 15. et seq. (4) Loc. c. (5) Loc. c. (6) L. 7. de ma[illegible] 11. n. 11

(7) Ibid. (8) Ibid. (9) De sacr. poen. n. 869. (10) P. 11. c. 26. (11) T. 2. l. 12. c. ult. q. 8. (12) L. 2. t. 3. c. 13. (13) L. 1. mor. 7. n. 21. (14) In prop. 51. Innoc. XI.

concurrit tantum ad malam actionem alterius, praeter intentionem cooperantis. Haec autem est licita, quando per se actio est bona vel indifferens, et quando adest iusta causa et proportionata ad gravitatem peccati alterius; et ad proximitatem concursus qui praestatur ad peccati executionem. Ratio, quia cum tu praestas actionem indifferentem sine prava intentione, si alter illa abuti voluerit ad suum peccatum exequendum, non teneris nisi ex charitate illud impedire; et quia charitas non obligat cum gravi incommodo, ideo ponens tuam cooperationem cum iusta causa, non peccas: tunc enim peccatum illius non provenit ex cooperatione tua, sed ex malitia ipsius qui tua actione abutitur. Nec valet dicere quod tua actio, etsi indifferens, coniuncta tamen cum circumstantia pravae intentionis alterius evadit mala; nam revera actio tua non est per se coniuncta cum mala voluntate illius, sed ille coniungit suam malam voluntatem cum actione tua; unde tua actio non erit tunc causa per se influens in peccatum, sed tantum occasio qua ille abutitur ad peccandum. Vide dicenda *l.* 3. *n.* 571.

64. Quaer. 1. an famulus ratione famulatus possit comitari herum ad lupanar, vel sternere equum. Affirmat Busemb. *hic* cum Nav. Man. etc. ap. Sanchez [1]. At probabilius non sufficit ad id sola ratio famulatus, etiam si sine famuli ope herus adiret: saltem requiritur metus gravis damni. Ita Sanch. [2] Viva [3] Salm. [4]; qui recte advertunt id nunquam licere, si herus ex comitatu animosior reddatur. An autem liceat famulo deducere concubinam in domum heri. Dicit Sanch. [5] cum Nav. et Man. quod si inter dominum et concubinam iam conventum erat, tunc famulus sola ratione famulatus excusatur, quando dominus etiam sine famulo aeque peccatum committeret (alias non excusatur nisi ex metu gravis damni, ut Sanchez [6]). Et idem ait [7] de famulo deferente concubinam curru vel sella. Sed merito id non admittunt Carden. et Milant. [8] et p. Concina. [9]. Idque tanto magis non admittendum de famulo vocante concubinam ad domum heri contra Azor. Et idem dico de aurigis et nautis vehentibus meretricem ad amasium, qui tantum excusari possunt ob metum gravis damni; vide *num* 75.

65. Quaer. 2. an liceat famulo deferre munera meretrici ratione famulatus. Affirmant, loquendo tantum de esculentis et aliis munusculis, Bus. et Sanch. [10] Spor. [11] et Pal. [12] cum Nav. et Azor. Sed verius p. Conc. [13] putat hoc esse intrinsece malum, quia revera munera per se turpem amorem fovent.

66. Quaer. 3. utrum liceat famulo ostium meretrici aperire. Negat Croix [14]. At communius affirmant, cum Busemb. Salm. [15] Laym. [16] Tamb. cum Sanch. Dian. Azor. Sa Rodr. etc. Nec officit propos. 51. Innocent XI. dicens: *Famulus, qui submissis humeris scienter adiuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Nam ly *aperiendo ianuam* ex ipsomet contextu intelligitur de aperitione per vim confecta, ut recte dicunt Roncag. [17] Salm. [18]. Modo (aiunt) ipso non aperiente, adsit alius qui aperiat.

Quaer. 4. an ex metu mortis vel magni damni liceat famulo subiicere humeros, vel deferre scalam domino ascendenti ad fornicandum, vi aperire ianuam, et similia. Negant Viva et Milante [19] p. Conc. [20] Salm. [21] Croix [22] et alii. Quia, ut dicunt, tales actiones nunquam licent, utpote intrinsece malae. Sed contradicunt Busemb. *infra n.*

(1) Dec. l. 1. c. 7. n. 22. (2) Loc. c. (3) In prop. 51. Inn. XI. n. 5. (4) Tr. 21. c. 8. n. 72. (5) Loc. c. n. 25. (6) N. 22. (7) N. 25. (8) In dict. prop. 51. (9) T. 2. p. 284. et 285. (10) L. 1. c. 7. n. 20. (11) De 5. praec. c. 1 n. 99. (12) Tr. 6. d. 6. p. 11. n. 4. (13) T. 2. p. 284. (14) L. 2. n. 253. (15) D. c. 8. n. 74. (16) De char. c. 13. n. 5. (17) De char. tr. 6. in Reg. pro praxi n. 4. post c. 6. (18) Ib. n. 74. (19) In d. prop. 51. (20) T. 2. p. 280. (21) N. 75. (22) L. 2. n. 244.

68. Sanch. [1] et Less. [2] quorum sententia spectata ratione mihi probabilior videtur. Ratio, quia, ut mox supra diximus, cum tu praestas actionem per se indifferentem, scil. quae potest esse bona et mala, non teneris nisi ex charitate ab illa abstinere, ne alter ea abutatur ad peccandum; quando autem alias grave damnum metuis, licite permittere potes peccatum alterius; nam ex una parte charitas te non obligat cum gravi damno peccatum eius avertere; et ex altera malitia alterius nequit mutare naturam tuae actionis, ita ut de indifferenti evadat intrinsece mala. Et idem mecum sentit doctus auctor Continuat. Tournely [3] dicens: *Non teneor grave subire detrimentum, ut alterius peccatum avertam; ipse sane malitiam suam sibi imputet.* Nec valet dicere quod praefatae actiones sunt per se malae, quia cooperantur ad peccatum stupri; idque probari ex ipsa prop. damn. ubi dicitur, *aut quid simile cooperando.* Nam respondetur, quod Tò *cooperando* non intelligitur de cooperatione formali, sed de materiali, cum de ea solum locuti sint aa. propositionis; et in tali sensu certe fuit propositio proscripta. Non autem verbis, *si id faciat metu notabilis detrimenti*, comprehenditur metus mortis: ibi enim declaratur qualis metus non excuset, *puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur:* quae mala certe non comprehendunt damnum mortis. Quia tamen praedictae cooperationes vere concurrunt ad damnum stupri, quamvis solum materialiter concurrant ad peccatum stupratoris, puto nullum alium timorem excusare cooperantem nisi mortis; nam alias ob solum metum iacturae facultatum, vel infamiae, non licet concurrere ad dehonorationem puellae deflorandae. Vide dicenda *l.* 3. *n.* 571. ubi dicemus non licere pariter tibi scalam vel claves tradere furi, nisi ob timorem mortis vel infamiae; cum Tour. [4]. Tradere autem gladium occisuro nunquam licet, quia non licet occidi innocentem, ut tu mortem vites, ut bene docent Conc. [5] et Tourn. [6]. V. *l.* 3. *n.* 571.

67. Quaer. 5. an liceat famulo ob metum gravem scribere vel deferre litteras amatorias concubinae domini. Quicquid alii dicant, puto cum Salm. [7] Sanch. [8] Viva [9] Laym. Bonac. Tambur. etc. cum Croix [10] haec nunquam licere, quia formaliter concurrunt ad peccatum heri, fovendo turpem eius amorem. Et hoc censeo dicendum cum Sanchez et Salm. [11] (contra Pal. et Reb. ap. Tamb. [12]) etiam in dubio, an litterae contineant amatoria; quia, cum constet de turpi amore, moraliter creditur turpia continere. Si vero contineant sola signa urbanitatis, etiam requiritur ad excusandum famulum causa iusta, ultra obsequium famulatus, ut dicunt Salm. Sanch. et Tamb. [13].

68. Quaer. 6. an liceat famulo ministrare carnes in die vetito. Negant Salm. [14] cum Pal. Vasq. Dian. etc. Advertunt tamen in dudio praesumendum herum iusta causa excusari. Sed v. *seq. n.* 69. *q.* 7.

« 5. Ad ea opera quae propinquius se ad peccatum habent aut iuvant, v. gr. subiicere humeros, admovere scalas hero per fenestram ascendenti ad concubinam, deferre litteras amatorias ad meretricem, comitari ad duellum, etc. communis ratio famulatus non sufficit, sed exigunt maiorem necessitatem et causam ut licite fiant; v. g. periculum gravis aut saltem notabilis damni, si detrectent [15] (*Sed vide supra n.* 66.).

69. » 6. Sic enim excusantur caupones vendentes carnes in die ieiunii comesturis, et vinum ebriosis, si alii aeque venderent. Sanch. Bonac. etc. »

Quaer. 7. an liceat cauponibus vendere vinum iis quos ebriandos praevident. Excusat eos p. Conc. [16] ex metu mortis aut mutilationis, quia (ut ait) *tam venditio quam potus sunt actiones indifferentes, et sola malitia bibentis intemperanter ebrietas accidit;* unde infert

(1) Dict. c. 7. n. 22. (2) L. 2. c. 16. n. 59. (3) De furt. et rest. et de char. s. 7. p. 1. §. 3. (4) Loc. c. (5) T. 7. p. 168. (6) Ibid. (7) N. 63. (8) N. 29. (9) N. 5. (10) L. 2. n. 273. (11) N. 67. (12) Dec. l. 5. c. 1. §. 4. n. 18. (13) Loc. c. (14) C. 8. n. 81. (15) Ibid. (16) N. 29.

cauponem nonnisi ex charitate teneri impedire ebrietatem illorum. Probabilius tamen mihi videtur dicendum cum Bus. *hic n.* 6. Bon. et Sanch. Elb.[1] Spor.[2] Contin. Tournely[3] Tamb.[4] et aliis satis communiter apud Croix[5] quod caupones satis excusantur ob metum cuiuscumque gravis damni, puta si alias notabiliter laederentur ex diminutione emptorum. Ratio, quia, cum nullum eo casu grave damnum temporale obveniat ebriaturo, charitas non obligat cum gravi incommodo peccatum illius vitare. Et idem dico cum Bus. *ut supra* et Sanch.[6] ac Mazzott.[7] de praebente carnes comesturis in die vetito. Illud autem quod dicit Tamb[8] cum Sanch. et Pal. scil. licitum esse vendere vinum eis qui revendent mixtum aqua, si aeque commode nequeant aliis vendere, id non admittimus nisi ob metum mortis vel infamiae.

« 7. Ea quae ad peccatum proxime concurrunt vel inducunt, vel cum iustitia pugnant, etsi ex genere suo sint indifferentia; v. gr. hero alterum occisuro gladium dare, ostendere illum qui ad necem quaeritur, compulsare campanam (sine scandalo tamen) ad concionem haereticam, meretricem, etsi conductam ac paratam e domo evocacare, et ad herum deducere, furi scalam applicare, gerenti iniustum bellum dare mutuas pecunias, pagum haeretico domino vendere, gravissimam causam requirunt, hoc est, metum tanti mali, quod secundum leges charitatis nemo teneatur subire ad evitandum malum alterius, v. gr. si alias occidendus esset. Laym.[9].

70. » 8. In civitatibus, in quibus vitandi maioris mali causa permissum est, licet domum locare usurario (excipit tamen ius alienigenam), et meretricibus; maxime si alii conductores desint, nisi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis, vel ob situm ansam maiorem darent peccatis. Sanchez[10] Bon.[11] (Ita etiam Salm.[12] cum Trull. Vasq. Prado Led. et Viva cum Suar. Less. Azor. et aliis communiter).

71. » 9. Excusantur a mortali, imo etiam veniali, si causa adsit, artifices, qui faciunt aut vendunt res indifferentes, quibus quis bene potest uti, licet plurimi abutantur, v. gr. aleas, fucos, gladios. Ratio est, quia remote tantum ordinantur ad peccatum, et simpliciter impediri non possunt. Quod si tamen abusus esset contra iustitiam, non liceret; v. gr. si occisuro dares gladium ob magnum pretium quod offert. Item, si quis sciat hunc innocentem non pervertendum, nisi per has suas merces: quia modicum lucrum certae saluti alterius est postponendum. Sanchez[13]. Malum non est praesumendum: unde licite possunt vendi aleae, fuci, gladii, venena (scil. ea tantum, quae possunt deservire etiam ad medicinam) cuicumque, quem abusurum fore non constet (Ita Salm.[14] cum s. Th. et com.). »

Dubium autem versatur, quando verosimiliter creditur emptor abusurus. Busemb. *hic* cum Sanch. dicit non licere illa vendere ob lucrum. At Tamb.[15] et Salm.[16] cum Bon. Rebell. Tap. Sylvest. dicunt licere, si venditor non posset sine damno a venditione recedere: sive, ut loquitur Tamb., si iacturam pateretur res suas non vendendo.

Eodem modo licitum esset vendere ornatus puellae abusurae, si illa ab aliis aeque emeret, ait Croix[17] cum Navar. Azor. Sanch. Bon. Dian., cum negando tunc venditionem neque impediretur peccatum. Sed hoc non admittendum, iuxta dicta *n.* 47. *vers. Secunda,* nisi venditor alioquin notabile patiatur incommodum.

72. « 10. Excusantur etiam qui ob iustam causam vendunt agnum iudaeo vel infideli usuro ad sacrificium. Item qui iudaeorum synagogas, haereticorum templa, legitimo magistratu permittente, aedificant vel restaurant: praesertim si fieret aeque sine ipsis. Navar.[18] Laym.[19]. Venena autem ven-

(1) N. 383. (2) De 5. praecept. c. 1. n. 82. (3) Ib. (4) Ibid. n. 36. (5) N. 261. (6) Ibid. (7) T. 1. pag. 480. (8) Ib. n. 37. (9) C. 13. n. 4. (10) L. 1. mor. c. 7. (11) L. c. (12) Tr. 21. c. 8. n. 65.

(13) Loc. c. (14) De contract. c. 2. n. 32. (15) L. 8. c. 1. §. 4. n. 33. (16) Ibid. n. 33. (17) L. 2. n. 263. (18) L. 5. cons. 1. de iudaeis. (19) L. 2. t. 3. c. 13. n. 4.

dere, nisi iis qui bene usuri putantur, v. g. ad confectionem colorum vel medicinam, non licet. V. Sanch.[1]. Unde venditio veneni, quod non servit nisi ad hominis occisionem, simpliciter est mala.

73. » 11. Christiani captivi, ex gravi metu, in triremibus turcarum vel haereticorum, licite remigant contra catholicos, sarcinas, machinas, arma ad bellum necessaria convehunt, propugnacula aedificant, etc. Ita probabiliter Less. Sanch. Suar. Laym.[2] contra Tol. et alios, qui docent peccare mortaliter. Quod si tamen eo loco res esset, ut haec negantes a magno periculo classem christianam eriperent, vel victoriam conferrent, tenerentur tantum bonum vitae suae anteferre. Suar. Lessius Sanch. [3].

74. » 12. Incolae urbis vel provinciae quam tyrannus occupavit, licite manent inter iniquos possessores, eosque cogente imperio iuvant excubiis, fossione, contributione: idque ex legitimi principis praesumpto consensu: ex quo etiam talia obsequia licite promittunt cum iuramento, ad maiora mala sua, et legitimi principis declinanda. Laym. [4].

75. » 13. Nautae et aurigae catholici in Hollandia, etiam sine gravi metu, si absit prava intentio, licite vehunt annonam ad castra haereticorum, si adsint alii, qui illis cessantibus, facerent: quia, nisi id faciant, excludentur omni lucro tanquam osores boni publici. V. Less. [5] Sanch. [6] Fill. [7]. »

An autem liceat aurigis aut nautis vehere meretricem ad amasium pro sola mercede lucranda. Affirmant Sporer [8] Salm. [9] cum Merolla et Diana apud Tambur.[10] Croix [11] cum Nav. Quia (ut aiunt) hi sunt causa tantum remote cooperans. Sed recte negant Sanch.[12] Bon.[13] Ronc.[14] Reg.[15] et Viva [16] qui contrariam opinionem ait non esse solide probabilem; hi omnes dicunt eos tantum excusari ob grave damnum vitandum. Imo Angl. apud Sanch. putat nunquam licere, utpote intrinsece malum.

76. Adduntur alii casus: 1. Peccat puella acceptans munera ab amasio qui turpiter eam concupiscit, quia fovet amorem. Croix [17] cum Spor.

2. Peccat reddens gladium occisuro, nisi metus gravis incommodi excuset. Croix [18] cum Sanch. Bon. etc. Sed vide *lib.* 3. *n.* 571. *v. Secus circa fin.*

77. 3. An liceat petere iuramentum a peieraturo. Negant Vasq. et Sotus ap. Croix [19], item Pont. [20] ex d. Aug. et d. Th. [21]. Ratio, quia (ut ait s. Th.) *in iuramento eius qui falsum iurat, non videtur esse aliud bonum, quo uti liceat.* Sed probabilius affirmant Salm.[22] Cont. Tournely [23] et Bonacina [24] cum Caiet. Salon. Suarez Regin. Fill. et Tambur. et Dian. ap. Croix [25] modo adsit iusta causa, nempe si iudex petat iuramentum ratione officii (quod idem s. Thom. [26] etiam admittit); vel si magni tua interest uti periurio ad fraudes alterius manifestandas, ut ius tuum consequaris: et sic non deest bonum utile petentis, quod sufficit pro iusta causa. Et ita intelligendus d. Th. ex contextu verborum. Commune autem est licere petere ob aliquod bonum iuramentum a iuraturo per falsos deos. Ita s. Th. [27] et Sanch.[28] cum Gabr. Suar. Sayr. etc. contra Abulens. Si vero res sit vera, et alter ignoret, vel sit falsa, et alter credat veram, non licet eum inducere ad iuramentum, ut recte dicunt Salm.[29].

4. Licitum est petere mutuum ab usurario propter aliquod bonum: est communis sententia cum s. Th. qui [30] sic docet: *Licet ab eo qui usuras exercet mutuum accipere sub usuris, propter aliquod bonum, quod est subventio suae necessitatis vel alterius.* Et alibi [31] inquit: *Si aliquis propter aliquod bonum utatur malitia usurarii, accipiens*

(1) 1. mor. c. 7. (2) L. 2. t. 3. c. 13. (3) Loc. c. (4) Loc. c. n. 5. (5) L. 2. c. 19. (6) L. 1. c. 7. (7) T. 22. c. 5. (8) De 5. praecept. c. 1. n. 94. (9) Dict. c. 8. n. 72. (10) Ib. n. 30. (11) L. 2. n. 274. (12) Dec. l. 1. c. 7. n. 25. (13) De matr. p. 14. n. 6. (14) De char. c. 6. (15) In prax. n. 2. (16) In prop. 51. Inn. XI. n. 5. (17) L. 2. n. 264.

(18) N. 265. (19) L. 2. n. 266. (20) De matr. l. 3. c. 18. n. 62. (21) 2. 2. q. 98. a. 4. ad 4. (22) Tr. 21. c. 8. n. 78. (23) Ibid. (24) De 2. praec. d. 4. p. 11. n. 1. (25) Loc. c. (26) Loc. c. in corp. (27) Ibid. (28) Dec. l. 3. c. 8. n. 21 (29) C. 8 n. 79. et 80. (30) 2. 2. q. 78. a. 4. (31) De mal. q. 13. a. 4. ad 17.

ab eo mutuum ad usuram, non peccat. Si vero persuaderet, quod mutuaret ad usuram ei qui mutuare ad usuram paratus non esset, absque dubio in omni casu peccaret. Idque licet, si adsit causa vel necessitatis, vel notabilis utilitatis; ut dictum est *n.* 49. et ut dicunt Salm. [1] cum Cai. Nav. Sanch. Bon. Pal. Asserit autem Lugo [2] commune esse inter dd. sufficere ad excusandum petentem mutuum ab usurario a peccato gravi quamcumque utilitatem etiam modicam. Sed huic non acquiesco iuxta dicta *num.* 47. *v. Secunda.* Ratio, quia ad excusandum grave peccatum gravis requiritur causa. Secus igitur dicendum, si adsit notabilis utilitas (ut aiunt) Croix [3] et Sporer [4]. Et tunc licet etiam offerre ei usuras, conditionate dicendo: *Si vis usuras, dabo*, ut Mol. Sanch. Hurt. Tamb. ap. Croix [5]. Immo licitum est etiam absolute eas offerre, dicendo: *Da mihi mutuum, et ego tibi solvam usuras*, ut dicunt Lugo [6] Sanch. [7] cum Trull. Bann. Dian. Spor. [8] et alii ap. Salm. [9]. Et licet Salm. [10] cum s. Th. Bon. etc. oppositum verius censeant, recte tamen probabilem vocant primam sententiam; quia illa oblatio revera semper est conditionata, scilicet si nolis dare gratis, offero usuras. Sed hoc nequaquam admitterem, si alter non esset paratus ad mutuum dandum sub usuris; quia aliter, qui sic eum alliceret ad mutuandum, directe induceret ad peccandum. Notant autem Salmant. [11] quod requiritur maior causa ad petendum mutuum ab eo qui scitur non daturus, nisi sub usuris: requiritur saltem magna utilitas ut supra.

78. 5. Qui adiuvat usurarium tantum in numerandis pecuniis, scribendis rationibus, aut in deferendo pignore, potest excusari a peccato sola ratione famulatus; secus vero si exigat usuras, quia exactio est cooperatio proximior ad peccatum usurarii, etiamsi amicabiliter exigat. Quod si exigeret per vim aut minas, non solum peccaret, sed insuper teneretur ad restitutionem; vide dicenda *l.* 3. *n.* 789.

6. Licet dare mutuum abusuro, si adsit causa, scilicet si aliter ille multum possit nocere. Ita apud Croix [12] Azor. et Less. qui tamen dicit non excusare causam lucri etiam iusti.

79. 7. Probabilius licet petere sacramenta a sacerdote excommunicato tolerato; quia ipse tunc minime peccat ea ministrando. Tamb. [13] cum Sanch. et Hurt. contra Suar. Vide dicenda *l.* 7. *n.* 138. *et* 139. *et* 165.

Conveniunt etiam dd. licitum esse petere sacramenta a sacerdote qui est in mortali, si adsit necessitas aut notabilis utilitas. Sed dubium est, si utilitas non sit magna, an tunc liceat. Affirmant Az. Hurt. et Dian. ap. Croix [14]. Sed negandum cum Croix, iuxta dicta *n.* 47. etiamsi sacerdos sit paratus ad sacrilege ministrandum.

80. Volenti autem frangere ieiunium, ubicumque inveniet cibos, licet eos praebere, dicendo conditionate: *Si vis iam comedere, coena apud me*, ut dicunt Spor. [15] et Less. [16] cum Navarr. Caiet. ap. Viva [17]. Ratio, quia peccatum tunc iam est interne patratum, nec impediri potest, ut supponitur. Sed huic opinioni nec acquiesco, et sequor Salm. [18] et Roncag. [19] qui cum Palao Vasquez Dian. etc. oppositum sentiunt, quia id in iis circumstantiis est obiective malum, ad quod non licet cooperari nisi tantum permissive, modo adsit causa gravis, iuxta nostrum principium positum *n.* 47. *v. Secunda*, et toties repetitum, nempe quod ad permittendum grave peccatum proximi, quod ille committet ex occasione a nobis praestita, non sufficit quod alter sit paratus ad peccandum, sed insuper requiritur gravis causa necessitatis, vel saltem utilitatis, quae nos deobliget a praecepto charitatis: alioquin graviter peccamus tam contra charitatem, quam contra virtutem, quae a proximo laeditur

(1) D. c. 8. n. 76. et 77. (2) D. 25. n. 235. (3) L. 2. n. 267. (4) De 5. praec. c. 1. n. 75. (5) L. 2. n. 267. (6) Disp. 25. n. 227. (7) Dec. c. 8. n. 26. (8) N. 77. (9) De contr. c. 3. n. 111. (10) Ibid. (11) D. c. 3. de contr. n. 122. (12) Ibid. n. 269. (13) Dec. l. 5. c. 1. §. 4. n. 40 (14) L. 2. n. 272. (15) De 5. praec. n. 48. (16) L. 4. c. 2. n. 24. (17) De praec. d. q. 10. a. 4. n. 6. (18) Tr. 21 c. 8. n. 81. (19) De char. c. 6.

LIBER TERTIUS

DE PRAECEPTIS DECALOGI ET ECCLESIAE

TRACTATUS PRIMUS

DE PRIMO PRAECEPTO DECALOGI

« Huius praecepti, prout est affirmativum, materia propria sunt actus virtutis religionis. Est autem haec virtus moralis, qua interior et exterior cultus Deo debitus exhibetur. Actus eius internus est animi submissio, qua infinitam Dei excellentiam veneramur. Externus est, quo internum testamur, ut oratio, sacrificium, etc. de quibus vid. Schol. [1]. Prout vero est negativum, prohibet vitia religioni opposita: quae quia opponuntur virtuti inter morales praecipuae, sunt peccata, post ea quae contra virtutes theologicas committuntur, gravissima et ex genere suo mortalia. Sunt autem duplicia: alia quae opponuntur per excessum, ut superstitio cum suis speciebus: alia per defectum, ut irreligiositas cum suis. »

Ex hac igitur religionis virtute tenemur ad orationem, quae ex s. Th. [2] definitur, *Petitio decentium a Deo*. Et probabilius est, orationem nobis esse necessariam necessitate medii cum Suar. Less. Laym. Bonacin. Azor. etc. apud Salmantic. [3] S. Thom. [4] contra Sylv. Led. Villal. etc. qui putant necessitate praecepti. Quando autem obliget praeceptum orationis, Salmant. [5] cum Trull. et Villal. contra alios censent obligare per se triplici tempore, scilicet in instanti usu rationis, in articulo mortis, et semel saltem in anno. Dicitur *per se*: nam per accidens, certum est obligare quando urget magna tentatio quae alias vinci nequeat vel quando urget magna calamitas populi aut proximi. Salm. [6].

(1) 1. 2. et 3. p.
(2) 2. 2. q. 83. a. 1.
(3) Tr. 21. c. 9. n. 11.
(4) Ibid.
(5) Ibid. n. 17.
(6) Loc. c. n. 15

Cap. I. De superstitione et speciebus eius

Dubium I. Quid sit et quotuplex.

1. *Quid sit superstitio.*
2. *Quotuplex sit superstitio.*
3. *Quis committat superstitionem falsi cultus.*
4. *Quid superstitio cultus superflui.*

1. « Resp. 1. Superstitio est falsa religio, seu cultus vitiosus veri vel falsi numinis, Less. Et convenit cum definitione communi ex s. Thom. qua dicit esse vitium quod religioni opponitur secundum excessum. Dicit *per excessum;* non quod Deus nimium coli possit, aut maiore honore, quam dignus sit: sed id intelligitur secundum circumstantias, eo quod exhibeas cultum, vel quem non debes, vel eo modo quo non debes, vel illi cui non debes.

2. » Resp. 2. Superstitio est duplex; alia *cultus indebiti*, sive incongrui, quo verus Deus, sed modo indebito, colitur, tribuendo ei cultum *falsum* et perniciosum, vel *superfluum*, qui nimirum sit contra vel praeter ecclesiae consuetudinem ac praescriptum. Alia est ratione *rei cultae*, cum scilicet cultus Deo debitus, falso Deo vel creaturae defertur. Et haec subdividitur in idololatriam, divinationem et vanam observantiam: ad quam magia vel revocatur, vel potius quartam speciem constituit, Laym. [7] ex s. Th. [8].

Ex quibus resolves:

3. » 1. Superstitionem *cultus falsi* committit: 1. qui Deo nunc offert cultum per caeremonias veteris legis, verbi gratia circumcisionem, immolationem agni, etc. quia haec significant Christum adhuc venturum, et nondum venisse. 2. Laicus, qui Deum colit tanquam publicus minister ecclesiae, v. gr. sacrificando, absolvendo. Quod semper esse mortale, docet Suar. [9]

(7) Lib. 4. t. 10. cap. 1.
(8) Quaest. 92. art. 2.
(9) De rel. l. 2. de superstit. c. 2.

3. Is qui sua auctoritate proponit aliqua facienda, tanquam ordinata ab ecclesia ad Dei cultum. 4. Qui falsas reliquias proponit; vel miraculum factum esse per aliquam imaginem; vel se habuisse has vel illas revelationes fingit, sive ad faciendum lucrum, sive ad devotionem augendam. 5. Qui, ut populum moveat, fingit miraculum aliquod, vel historiam reperiri in scriptura sacra, etc. Et haec superstitio, etsi sit de genere suo mortalis, Laym. [1] quia primae veritati iniuriam irrogat, et religionem fundat in mendaciis: saepe tamen excusatur ab ignorantia vel simplicitate. Less. [2] Sanch. [3] Nav. [4] Bon. [5].

4. » 2. Superstitio *cultus superflui* est v. gr. 1. Caeremonia audiendi missam ante ortum solis cum certo numero, situ, ordine cereorum, vel sacerdotis qui dicatur Ioannes, vel qui habeat staturam Christi, etc. quia hic cultus est ex se ipso inanis, et ad spiritum excitandum inutilis. 2. Ieiunare die dominico, cum non ieiunas aliis diebus. (Quamvis [6] vetetur ieiunare in die dominico, ad extirpandam haeresim manichaeorum negantium resurrectionem Christi Domini; qui tamen mortificationis causa ieiunaret, non peccaret, ne leviter quidem, ut ait Viva [7]. Imo mereretur, cum talem haeresim iam ecclesia aboleverit. Etsi Salmant. [8] dicant melius esse abstinere a tali ieiunio; et ideo communiter docere dd. quod ieiunium promissum in die dominico possit in sabbato adimpleri: et si quis voverit ieiunare per mensem non teneri in die dominico, nisi expresse intenderit). Item in missa contra rubricam plures formare cruces, pluries dicere *alleluia*, dicere *Gloria* vel *Credo* contra rubricas, aliasque caeremonias demere vel addere (etsi fiant ex devotione; haec enim corrigenda est), quia sunt praeter ecclesiae consuetudinem. Haec tamen et similia, bona intentione facta, venialia tantum sunt ordinarie, ut docet Tol. Less. [9] Nav. et Laym. quia est materia levis, et actio ex se non mala, et multa excusat simplicitas. Quod si tamen ex se mala esset, ut si rem furtivam offeras, turpia in templo canas, ore vel organo notabiliter lascivam vel ad impuritatem provocantem vocem edas, est superstitio fere mortalis, ut Laym. [10] ex comm. »

DUBIUM II. De divinatione. Quid et quotuplex fit.

5. *Quid est divinatio.*
6. *Alia est cum expressa invocatione daemonis alia cum tacita.*
7. *An divinare sit semper peccatum mortale.*
8. *Resolutio casuum. Quid sentiendum de* virga divinatoria.
9. *An liceat divinare per somnia.*
10. *An sit licita astrologia et qualis.*
11. *An liceat adhibere sortem divinatoriam.*

5. « Resp. 1. Divinatio est, cum quis opem daemonis tacite vel expresse invocat, ut noscat res contingentes et libere futuras, aliterve occultas et naturaliter incognoscibiles. Quae si sint tales quas solus Deus scire potest involvitur tacita idololatria, quod daemoni tribuatur cultus divinus; si vero sint tales quas daemon naturaliter scire potest (nam ex signis aliisque modis occultissima quaeque cognoscere potest, etiam plurimas hominum cogitationes et res futuras: v. Del. [11] Sanch. [12]) nihilominus illicita est, eo quod commercium habeatur cum Dei iurato hoste, quod importat quamdam proditionem et apostasiam a Deo, ac forte etiam (ut vult Suar. contra Valent.) superstitionem. Vid. Laym. [13] Bon. [14] s. Th. [15].

6. » Resp. 2. Divinatio est duplex: una, in qua est invocatio, vel pactum expressum cum daemone, et generali nomine dicitur necromantia: ut, cum daemon occulta docet per pythones, arreptitios, praestigias, per personas mortuorum, vel virorum apparentium, aliave signa in aere, aqua, igne, speculis. Alia est, in qua tantum est invocatio, vel pactum tacitum, seu interpretativum, ut cum ex lineamentis corporis, vocibus, garritu a-

(1) Ibid. (2) L. 1. c. 43. (3) 2. mor. c. 37. (4) C. 12. (5) D. 3. q. 5. p. 1. (6) Ex c. Sacerdos, 26. q. 7. (7) L. 2 q. 2. a 1 n. 3. (8) Tr. 21. c. 11. n. 8. (9) Loc. c. d. 1. (10) Loc. c. (11) L. 4. c. 2. q. 2. (12) 2. mor. c. 28. (13) Ib. C. 3. (14) P. 7. (15) 2. 2. q. 5. a. 2.

vium et similibus, quibus se daemon immiscere solet, quaeritur cognitio, ad quam ea sunt improportionata, s. Th. [1]. Cum vero utriusque speciei variae rursus sint species, eas hic omitto, quod secundum sententiam communiorem, in genere moris non differant, nec specialem habeant malitiam; ideoque in confessione non sit opus explicare, an v. gr. facta sit divinatio ex speculis, aere, mortuo, etc.; exprimendum tamen necessario est, utrum invocatio, sive pactio expresse an tacite intervenerit; quia, sive haec moraliter inter se specie differant, sive non, notabiliter tamen mutant iudicium confessarii. » (Melius, quia invocatio expressa saepe adiuncta habet alia peccata, scilicet haeresim, adorationem daemonis, etc. Caeterum probabile est de se non esse obligationem explicandi, ut Salm.[2] cum Victor.). V. Laym.[3] Sanch.[4] Less.[5] Del. [6] Bonac. [7].

Divinatio per expressam daemonis invocationem dicitur *Oraculum*, si fiat per idola. *Necromantia* specialiter, si per apparentem mortuorum resuscitationem; nam generaliter necromantia comprehendit alias etiam species divinationis. *Oniromantia*, si per somnia. *Praestigium*, si per fictas figuras. *Aruspicina*, si per signa in extis animalium. *Geomantia* si per figuram in terra. *Hydromantia* si per figuram in aqua. *Aeromantia*, in aere. *Pyromantia*, in igne.

Per tacitam vero invocationem dicitur *Astrologia*, si fit per situs et motus astrorum. *Auspicium*, per signa volucrum. *Augurium*, per signa animalium. *Omen*, si fiat per casum, v. gr. per occursum funeris etc. *Sortilegium*, si fiat ex sorte, v. gr. ex aperitione libri, iactu taxillorum.

7. « Resp. 3. Divinatio quae fit per actum expressum et qua daemon expresse invocatur, excusari non potest a mortali; eam vero quae fit per actum tantum implicitum, aliquando excusari a mortali quidam asserunt; videlicet tunc, cum vel intercedit simplicitas et ignorantia non crassa, neque affectata, vel fides certa non adhibetur, sed tantum timor quidam, aut suspicio concipitur eventus futuri. Laym. [8] Sanch. Less. Suar. Cai. Bald. [9] etc. eo quod tunc superstitiosa vere non sit, cum intentio non sit talis. Vid. Suar. Less. Sanch. Laym. Caiet. Navarr. Sayr. Valent. et Tanner. [10].

Ex dictis resolvuntur sequentes casus:

8. » 1. Expresse censetur invocare, seu convenire et pactum facere cum daemone, qui vel verbis daemonem invocat; vel saltem facto aliquid usurpat, per quod scit aut putat daemonem cooperari.

» 2. Is vero tacite paciscitur, qui vanis et naturaliter improportionatis utitur ad aliquid cognoscendum vel efficiendum. Neque requiritur ut daemon aliquando pactus sit, se ad talis vani medii adhibitionem concursurum; eo enim ipso, quod quis vanitatibus iis utitur, daemon se immiscet, licet praeter intentionem utentis sit eum invocare, ut docent Suar. Less. et Sanch.[11].

» 3. Non excusatur a peccato, qui utendo talibus rebus quas constat esse naturaliter improportionatas, protestatur se nullum cum daemone commercium intendere, quia reipsa facit contra suam protestationem. Cum enim nec Deus nec angeli boni talibus se misceant, daemon implicite iis invocatur, ut praeter citatos docent Lay. et Bon.[12].

» 4. Neque is excusatur qui talia media utilia credit propter experientias, quia has daemon procurat, ut homines paulatim illaqueet et ad similia usurpanda inducat. Vid. Sanch.[13] (Cum Viva [14]). »

Quaeres, quid sentiendum de *virga bifurcata* vocata *divinatoria*, cuius conversione aliqui utuntur ad inveniendos thesauros in terra abditos, aquarum, aut metallorum venas, transpositos agrorum limites, et praesertim fures

(1) Quaest. 95. (2) Tr. 21. c. 11. n. 29. et 30. (3) Loc. c. (4) Loc. c. (5) Loc. c. disp. 5. (6) L. 4. c. 2. (7) Q 5. p. 4. (8) L. 4. tr. 10. c. 3.

(9) Tr. 3. l. 4. d. 3. n. 2. (10) D. 5. de rel. q. 7. disp. 1. n. 21. et dub. 2. n. 25. (11) Loc. c. (12) Loc. c. (13) 2. mor. c. 38. (14) Loc. c. n. 3.

ac homicidas. Usum huius virgae aliqui doctores medici, et etiam theologi conati sunt naturalem probare et innocentem; sed merito eum reprobat Contin. Tourn. [1] cum p. Malebr. p. Lebrun et aliis. Ratio 1. quia si talis virga naturaliter in manu hominis movetur ac volvitur, intentio nihil conferre potest ad motum; virga tamen remansit immota in manibus eorum qui protestati sunt nolle aliquid superstitiosum, de quo p. Lebrun plura exempla refert: moveri contra coepit in manibus aliorum, qui nullam praemiserunt protestationem. Ratio 2. lapis constitutus pro limite agri nihil differt in materia ab alio lapide; ergo impossibile est, ut naturaliter virga moveatur erga primum lapidem, et non erga secundum. Ratio 3. quod agit physice, nequit dirigi ab intentione hominis ad agendum vel non, sed positum in iisdem circumstantiis, eodem modo agit; at virga divinatoria movetur iuxta mentem ferentis, ita ut si ille quaerit metalla, non aquam, virga non movetur cum invenit aquam, sed tantum si invenit metalla, et sic contra: patet igitur talem motum non posse esse naturalem.

« 5. Si quis ab astris, somniis, similibusve ita dependeat, ut omnes pene actiones suas et vitam iuxta ea regulare velit, eum mortaliter peccare docent Less. Suar. Sanch. [2] (Idem Salm. [3] cum Nav. Trull. et Pal.).

» 6. Ex talium observatione semel atque iterum aliquid omittere, ad quod alioqui sub mortali non teneris, veniale tantum esse censent Caiet. et Arm. [4], uti et subinde timere leviter, ne ita sit, aut eveniat quod portendunt, ut notat Suar. [5] (Idem dicunt Salmant. [6]). »

9. Quaeritur, an divinare futura per somnia semper sit illicitum. Respondetur, si somnia sint certo, vel probabilius a Deo, possumus, imo tenemur eis credere, cum Deus promiserit aliquando per somnia loqui [7]: *Per somnia loquar ad illum*. Ita Salm. [8] cum s. Th. s. Greg. Niss. Suar. Less. etc. E converso grave peccatum esset credere somniis diabolicis [9], Salmant. [10] cum Laym. Less. etc. Quandoque tamen potest homo rudis excusari a mortali ratione simplicitatis, vel quia solum tenuiter credit eisdem, ut bene advertunt Anacl. [11] et Busemb. *mox infra*. Quid in dubio an somnia sint a Deo, vel daemone. Resp. si non constet certo vel probabiliter somnia esse a Deo, non licet eis credere; ita Salm. [12] cum Suar. Less. Sanch. Pal. etc. ac Spor. [13]. Ratio quia Deus, cum immittit somnia, simul etiam reddit hominem certum, vel fere certum, quod ab ipso immittantur. Pro regula autem discernendi an somnia sint a Deo vel a daemone, observandum, an somnium impellat ad opus bonum vel malum, aut praesumptuosum. Item an post somnium homo se sentiat perturbatum, et minus promptum ad opera pietatis; vel alacrem et promptum; tunc enim potest prudenter censere somnium esse a Deo. Ita Elbel [14] et Anacl. [15] ex commun. dd.

« 7. Communiter, et ut plurimum in similibus, in quibus tacitum tantum est pactum, venialiter tantum peccari, docent consequenter doctores supra citati, et mox citandi: quia communiter fere aliquid istorum intervenit, quae a mortali excusari dicunt, ut v. gr. quod fides integra non adhibeatur. Sanch. [16] Cai. [17]. Recte tamen notat Delrio, esse semper rem valde periculosam, iuxta illa suas actiones dirigere, etiam non credendo. Vid. Sanch. [18].

» 8. Licita est 1. *Physiognomia*, quae fit ex vultu, dispositione et habitudine corporis et membrorum. 2. *Chyromantia*, quae ex lineis et partibus manuum considerat temperiem corporis, imo etiam animi propensiones, et affectus probabiliter coniectat (Idem Salmant. [19] cum Azor. Bonac. Sanch.). 3.

(1) De virt. relig. p. 3. c. 2. (2) Loc. c. (3) Tr. 21. c. 11. n. 64. (4) V. Somnium. (5) Sup. loc. c. (6) D. c. 11. n. 64. (7) Num. 12. 6. (8) C. 11. n. 60. (9) C. Episcopo 26. q. 5. (10) N. 66.

(11) Tr. 5. d. 2. n. 22. (12) N. 61. (13) De 1. praec. n. 19. ex comm. (14) De 1. praec. n. 491. (15) Loc. c, n. 23. (16) L. c n. 13. (17) In summ. Armill. etc. (18) Loc. c. (19) N. 73 et 74.

Item divinatio quae ex somniis coniectat hominis complexionem, et hinc affectiones animi diurnas. 4. Item illa qua ex avium, piscium, aliorumve animalium voce, motu, aliisve actionibus naturales aliqui effectus praenuntiantur futuri ut plurimum, v. gr. serenitas, pluvia, etc. 5. Astrologia naturalis, quae effectus corporeos et naturales, ut ventos, eclipsim, fertilitatem, salubritatem, morbos, et similia praedicit, quae ad medicinam vel agriculturam conducunt; imo etiam, cum ex puncto nativitatis, sive horoscopo probabiliter praedicit complexionem corporis et affectiones animi. Quia hae divinationes omnes naturales sunt, et mediis proportionatis utuntur. Less. [1].

10. Alia est *Astrologia naturalis* quae coniicit pluvias, tempestates, sterilitates terrae, et similia, et haec non est illicita, ut ait hic Busemb. cum Salm. [2] quamvis ut plurimum sit inutilis et incerta. Alia est *iudiciaria* quae ex signis in astris praedicit futura contingentia quae pendent ex hominum voluntate, et haec, si fiat de persona particulari, illicita est, ut dicunt Salm. [3] cum Trull. Sanch. Sal. etc. contra Pal. et alios apud ipsum; etiamsi, non ut certo, sed ut coniecturaliter seu probabiliter fiat, ex *constit. Sixti V. Moderator coeli, anni* 1586. ubi damnantur etiam illi qui id non certo affirmare audent aut protestantur. Licitam autem esse censent, si fiat in generali, puta si praenuncientur bella, seditiones etc. Ita Salm. [4] ex s. Th. qui [5] sic loquitur: *Plures homines sequuntur passiones, ad quas cooperari possunt corpora coelestia. Pauci autem sunt, qui passionibus resistant. Et ita astrologi, ut in pluribus, vera possunt praedicere, et maxime in communi, non autem in speciali.*

Quaeritur inde, an liceat astrologia quae praedicit ex horoscopo et puncto nativitatis inclinationes, temperamenta alicuius. Distingue, si praedicit ut certa, certo illicita est, cum omnia sint incerta. Ita Salm. [6] cum Sanchez Trull. Suarez et alii communiter; putant tamen esse tantum peccatum leve [7] cum Laym. Suarez Sanchez etc. contra Fill. et Trull. Si vero praedicit, ut tantum probabiliter seu coniecturaliter, licita est. Salm. [8] cum s. Th. Suar. Pal. Bon.

« 9. Illicitae vero sunt omnes praedictae divinationes, si ex iis aliquid nosci aut praenuntiari intendatur circa ea ad quae proportionata non sunt: ut circa effectus contingentes et liberos, aut quae a Deo pendent; ut circa statum animae, dona gratiae, divitias, honores, fortunam, nuptias, statum vitae, et similia, quorum electio voluntaria est, et a libera hominum voluntate pendet, itemque de rebus occultis, ut furto, thesauro abscondito. Vide Less. [9] et Bonacin. [10] Suar. Sanch. [11] Bon. [12] ».

Praedicere futura contingentia libera coniecturaliter tantum ex signis avium etc. dicunt Salm. [13] cum Less. Pal. Sanchez Fill. etc. non esse illicitum: quia constellatio quae potest homines commovere ad bellum, potest etiam illa signa causare in avibus.

« 10. Peccant, qui aegyptios de fortuna consulunt, et quidem, si fiat cum firma fide, vel scandalo, etc. mortaliter: si vero causa curiositatis vel risus, ut fit communiter, venialiter tantum. Fill. et Sanch.

» 11. Superstitiosa est divinatio quae fit per sortes divinatorias, ad futurum vel occultum aliquid cognoscendum, quasi sortibus vis aliqua divina insit: ut si quis v. gr. ex taxillorum proiectione et dispositione divinet quis sit obtenturus victoriam, beneficium, etc. Idem fere est de sortibus consultoriis, quibus inquiritur, quid in hac vel illa re sit agendum. Dixi *fere*, quia aliquando hae licitae sunt, quando causae necessitas et honestas exigit, aptiorque modus dubium vincendi non apparet: dummodo fiant praemissa oratione cum debita reverentia; et indicium non expectetur, nisi a solo Deo: v. g. si quis haerens in bivio aliter quoad viam se

(1) L. 2. c. 43. d. 7. (2) Tr. 21. c. 11. n. 35. (3) D. 1. n. 46. (4) Ibid. n. 48. (5) P. 1. q. 115. a. 4. ad 3. (6) D. c. 11. n. 10. (7) N. 52. (8) N. 53. (9) Loc. c. (10) D. 3. q. 5. n. 11. (11) Loc. c. (12) N. 11. (13) N. 63. in fin.

determinare non possit; vel si divino instinctu aut iussu fiant, ut in electione Saulis contigit [1]. Fill. Sanch. Bon. [2].

» 12. Sortes divisoriae sine superstitione, et plerumque licite fieri possunt, sive ad honestum ludum, sive ad haereditatis divisionem, sive ad litis compositionem, dummodo litigantes qui aequale ius habent, consentiant, quia nihil aliud continent, quam contractum inter eos qui ad aliquam rem ius habent, ut illius sit cui sors obtigerit. Sic etiam si plures mortem meriti sint, nec expediat omnes puniri, sorte definiri potest, quis ex iis sit occidendus. Dixi, *plerumque:* tum quia in electionibus ecclesiasticis sunt illicitae, ut Laym. [3] et Bon., tum quia officia secularia non sorte, sed secundum personarum aptitudinem sunt dividenda, etsi inter plures aeque aptos, et dignos sorte agi possit. V. Less. [4]. »

Sortes in electionibus ad officia secularia licitae sunt, modo sint inter dignos. Spor. [5] cum. s. Th. [6] Sanch. et comm. Quoad vero officia, vel beneficia ecclesiastica vetantur [7]. An autem talis electio sit nulla. Affirmant Panorm. et Villal. ap. Salm. [8] Negant tamen Salm. [9] cum Suar. Sanch. Laym. etc. Et quidem probabilius, quia nullibi talis electio sancitur invalida. Excipitur tamen sola electio praelati habentis iurisdictionem [10].

An liceat usus sortium in decidendis litibus circa officia aut beneficia ecclesiastica. Affirmant Laym. Less. Host. Abb. etc. ap. Salm. [11]. Negant vero Felin. Farin. et Salm. [12] cum Suar. Sanch. etc. Et quidem verius, nam ex iure canon. [13] universe prohibetur electio ecclesiastica per sortes. In casu nostro talis electio alterutrius ex litigantibus iam fieret per sortem saltem completive. Hoc tamen licere dicunt Salm. [14] si haec electio fieret auctoritate iudicis, quia tum vitatur periculum vitiosi ingressus, cum iudex habendo iurisdictionem ad collationem legitimum titulum conferat.

11. Ultimo notandum est ex Salm. [15] cum s. Thom. Suar. Pal. etc. quod sors divinatoria, etiamsi a Deo expectetur, tunc tantum licita est, quando 1. Adsit urgens necessitas salutis. 2. Divina non convertantur ad terrena negotia. 3. Non mittatur sors in quibuscumque electionibus ecclesiasticis quae fieri debent instinctu Spiritus sancti; hinc raro licitam esse dicunt Salm. [16].

« 13. Potest excusari a superstitione, qui modo illicito futura se velle divinare ostendit ioci causa. Ratio est quia non est actus superstitiosus, nec affectatio cognitionis Dei propriae, sed tantum vanitas aliqua. Suar. et Sanchez, Reg. [17] » (Cum Salm. [18]. Modo credat illa esse falsa).

DUBIUM III. Quid et quotuplex sit idololatria.

12. « Resp. 1. Ea est, quando tribuitur honor creaturae, sicut Deo. S. Thom. [19]. Id vero fit, ut docet Less. [20] non tantum sacrificio, sed etiam quovis signo honoris, quo quis creaturae, tanquam Deo se submittere intendit, v. gr. genuflexione, suffitu, detectione capitis ad statuam Iovis.

13. » Resp. 2. Idololatria est duplex: alia *materialis* sive simulata, ut cum quis sine interno affectu, ex metu mortis, cultum idolo exhibet. Alia *formalis* ac propria vel perfecta, ut cum quis adorat idolum quod ex infidelitate putat esse Deum; vel imperfecta, cum quis vel ex odio Dei vel ex affectu aliquid a daemone, aliave creatura obtinendi, ipsi quasi Deo cultum defert. Laym. ex s. Aug. et s. Th. [21].

Unde resolves:

» 1. Idololatria aliquando coniungitur cum infidelitate vel haeresi, cum scilicet creatura adorata in intellectu habetur pro Deo, aliquando non.

» 2. Idololatria etiam materialis et ficta est grave et mortale peccatum: quia est saltem mendacium pernicio-

(1) 1. Reg. 10. (2) Loc. c. (3) L. 4. tr. 10. c. 3. n. 8. et 9. (4) C. 43. (5) De 1. praec. c. 9. n. 21. (6) Q. 97. a. 8. (7) C. Ecclesia de sortilegiis. (8) C. 11. n. 91. (9) N. 92. (10) C. Quia propter de elect. (11) N. 85. (12) N. 86.

(13) C. Ecclesia extra de sortil. (14) Ibid. (15) Ibid. n. 95. (16) Dict. n. 95. (17) L. 17. n. 170. (18) Dict. c. 11. n. 53. (19) 2. 2. q. 94. a. 1. (20) L. 2. c. 45. (21) L. 4. tr. 10. c. 2. n. 5.

sum et contra religionem; saepe etiam contra confessionem fidei externam. Sanch. [1] Azor. [2].

» 3. Idololatria imperfecta ob malitiam voluntatis est peccatum gravius, quam perfecta. Vid. Laym. [3] Sanch.[4].»

Dubium IV. Quid et quotuplex sit vana observantia et unde colligatur.

14. *Quae est vana observantia, et quotuplex.*
15. *An sit culpa gravis.*
16. *Quomodo cognosci possit.*
17. *Resolutio casuum.*
18. *An detur et licita sit virtus in iis qui vocantur* salvatores.
19. *An arcendi qui faciunt mira supernaturalia.*
20. *Quid in dubio praesumendum.*
21. *An liceant ensalmi.*
22. *An detur fascinatio naturalis.*

14. « Resp. 1. Ea est superstitio, qua medio aliquo improportionato, et a Deo non instituto procuratur aliquis effectus, ver. gr. sanitas, scientia, etc. S. Thom. [5] Bon. et alii. Differt autem a divinatione, quod haec tantum ordinetur ad occultorum cognitionem; illa vero ad effectum externum. Convenit cum eadem, quod utraque nitatur pacto daemonis, eique tribuat perfectionem propriam Dei. Unde quae de divinatione dicta sunt, proportionaliter huic accommodari debent.

» Resp. 2. dividitur 1. sicut divinatio in eam quae ex pacto expresse cum daemone, et in eam quae ex implicito pacto procedit. 2. Dividitur communiter in quatuor species. *Prima* dicitur *ars notoria*, quae inspectione certarum figurarum, vel certo aliquo ieiunio, oratione etc. utitur ad scientiam repente ac sine labore acquirendam, ut faciunt anabaptistae. *Secunda* dicitur *magia* (quod nomen alioqui generale est), quae versatur circa corpora varie immutanda, aliosque effectus miros. *Tertia* est *observatio eventuum*, qua ex consideratione alicuius eventus coniicitur quid sit futurum: ut ver. gr. si ex eo quod casu occurrat vulpes, canis, aut cadaver, certa imminere credat, et inde actiones suas moderetur. *Quarta* dicitur *observatio sanitatum*, cum adhibentur quaedam signa, orationes, certus numerus crucium, sacra verba, etc. velut necessaria et efficacia ad pellendos morbos. Idem est de gestatione reliquiarum cum vana circumstantia, v. gr. in tali causa, tot diebus, cum tali herba, etc. Sanch. [6] Fill. [7].

15. » Resp. 3. Vana observantia, sicut divinatio, est peccatum mortale ex genere suo. Ratio est, tum quia tribuit honorem divinum creaturae, expectando ab ea quod a solo Deo expectari debet; tum quia nititur pacto cum daemone. Less. Bon. [8] et alii. Nec potest excusari a mortali ex parvitate materiae, quia simpliciter et in omni materia usurpatur cognitio aut virtus Dei propria. Aliunde tamen fieri posse, ut non sit mortale, docent auct. supra cit.[9] 1. ratione ignorantiae; si pactum sit implicitum tantum: 2. si non adhibeatur fides, licet timeatur ita esse, vel futurum. Vide dicta de divinatione *num.* 9. *cas.* 7. et Less. [10].

16. » Resp. 4. Vana observantia cognosci potest: 1. ex insufficientia causae adhibitae ad effectum; si nimirum nec habeat naturalem virtutem, nec de supernaturali legitime constet. 2. Ex adiunctione falsae vel vanae circumstantiae, ut ver. gr., si flagellatio fieri debeat certa hora, numero, manu, flagro serico; si nomina adhibeantur ignota, vel characteres peregrini, verba falsa, vel apocrypha, v. gr. Christum habuisse febres vel spasmum, etc. Item, si ponatur vis in modo scribendi, v. gr. evangelii s. Ioan. a Virgine, oriente sole, etc. 3. Si effectus statim evanescat, etc. Delr. [11] Sanch. [12].

Ex dictis resolves:

17. » 1. Superstitiosum est: 1. sumere aliquam potionem, vel bolum, vel quidvis aliud usurpare ad scientiam aliquam subito acquirendam. 2. Gestare amuleta, ligaturas, involucra falsis characteribus consignata contra vulnera, vel subitam mortem, ne possint laedi, vel ne sanguis effluat, vel ad conciliandam invisibilitatem, impenetrabilita-

(1) L. 1. c. 37. n. 21. (2) 1. p. l. 8. c. 11. (3) L. 4. t. 10. c. 2. (4) L. 1. (5) 2. 2. q. 69. a. 1.
(6) C. 40. n. 11. (7) T. 14. c. 6. n. 137. (8) Q. 5. p. 4. (9) Dub. 2. resp. 3. n. 7. (10) Dub. 8. n. 53. et 66. (11) L. 2. q. 5. (12) C. 40. n. 45.

tem, amorem, fortunam, nocumenta et maleficia. 3. Ex casu fortuito coniicere de eventu, v. gr. sibi aliquid boni vel mali eventurum, ut si mane egrediens pedem offendat, ideoque domum regrediatur, timens aliquid infausti. 4. Dies aliquos habere, tanquam faustos, aliquos vero infaustos, ideoque negotium omittere, v. g. die Veneris nolle ungues praescindere. 5. Foeminarum carminatricum benedictiones et preces ad morbum depellendum adhibere. 6. Proiicere statuam alicuius sancti in flumen, ut pluat. 7. Si putentur missae non prodesse defunctis, nisi legantur septies, cum septem certi coloris candelis et septem eleemosynis. 8. Si unguento armario, quo gladius inungitur, absens curetur. 9. Si certo festo, v. gr. s. Ioannis, certae adhibeantur orationes, vel festo s. Mathiae hederae folia aquis imponantur, ut cognoscatur cui debeant nubere. 10. Si quibusdam precibus, imaginibus, aut characteribus, aut crucibus tribuatur certa et infallibilis vis, v. gr. evadendi ab hoste, expellendi morbos, non moriendi sine praevia confessione, non incidendi in infortunium, etc. Aliud tamen est ea per orationes petere ac sperare. Delr.[1] Suar.[2] Less.[3] Sanch.[4] Fill.[5].

» 2. Superstitiosum non est: 1. observare lunam aut tempora aptiora colligendis herbis, v. gr. die s. Ioannis Baptistae, purgandis corporibus, caedendis arboribus, etc. 2. Verba sacrae scripturae, vel reliquias gestare ad Dei tantum honorem, et sine dictis vanitatibus. 3. Circa templum alicuius certi sancti ter iumentum circumducere; die alicuius certi sancti equis venam secare, etc. si scilicet haec fiant, ut maior devotio excitetur, et effectus sanctorum meritis adscribatur. Aliud tamen esset, si putarentur tales circumstantiae infallibiles aut plane necessariae, aut per se efficaces. Vid. Nav.[6]. Addit Laym. ex Caiet. si homines rudes bona fide, et ex devotione aliquem ritum ab ecclesia non receptum observent, aliquando in sua simplicitate relinquendos, cum difficulter abducantur ab eo, quod bona fide a suis maioribus acceperunt. 4. Nec damnandae quaedam devotiones, quas vocant novendiales, v. gr. novem vel ad exemplum s. Gregorii triginta, vel alium certum numerum sacrorum celebrare, cum certo numero et magnitudine candelarum, et similia, si fiant in memoriam alicuius mysterii, v. gr. novem mensium, quibus Christus fuit in utero, vel quinque vulnerum, etc. Esset tamen superstitiosum credere eas preces non prodesse in maiore vel minore numero. 5. Multi excusant etiam eos qui sanant morsos a rabido cane, quod putent illos ad hoc habere gratiam gratis datam: et sic tenet Nav.[7]. Vid. Sanch. Laym. Bon.[8].»

18. Quaestio est, an detur, et sit licita virtus (vocata magia naturalis) in aliquibus vocatis *Salvatores*, qui medentur quibusdam morbis signo crucis, aut verbis sacris, aut inhiationibus. Affirmant Azor. et alii ap. Salm.[9] et dicunt dari tunc virtutem naturalem. Alii[10] dicunt non dari talem virtutem neque naturalem, neque gratis datam. Salm. tamen[11] cum Delrio Nav. Vill. Trull. Pal. Hurt. et aliis: item Sanch.[12] Suar.[13] et Less.[14] probabiliter dicunt dari in aliquibus hanc virtutem, sicuti notum est reges gallos sanare strumas (ut agnoscit s. Thom. cum Bonif. VIII.[15]) et reges hispanos sanare scrophias. Hanc virtutem tamen aiunt non esse naturalem (etsi hoc aliquibus gravibus dd. satis probabile videtur): nam alias omnes homines eiusdem temperamenti eamdem virtutem haberent; sed esse gratis datam a Deo ad bonum publicum, iuxta Apost.[16]: *Alii gratia sanitatum etc.*

Hic autem notandum illud quod invenitur in *Martyrologio Romano* adnotatum sub die 5. *martii* de miraculosa sanatione a morsibus serpentium eorum, qui credentes, ianuam templi s. Phocae martyris, invocata ipsius

(1) L. 3. p. 2. resol. 4. sect. 7. (2) C. 15. (3) C. 4. d. 3. (4) N. 34. et 37. (5) N. 150. (6) Man. c. 11. (7) Ibid. (8) Loc. c. (9) Tr. 21. c. 11. n. 113. (10) N. 114.

(11) Ex n. 116. (12) Dec. l. 2. c. 40. a n. 47. (13) De relig. tr. 3. l. 2. c. 15. n. 25. (14) L. 2. c. 43. n. 63. (15) In canon. s. Lud. (16) 1. Cor. 12. 9.

intercessione, attigerint. *Antiochiae* (verba Martyrologii) *natalis s. Phocae martyris, qui post multas quas pro nomine Redemptoris passus est iniurias, qualiter de antiquo illo serpente triumphaverit, hodie quoque populis eo miraculo declaratur, quod si quispiam a serpente morsus fuerit, ut ianuam basilicae martyris credens attigerit, confestim evacuata virtute veneni sanatur.*

19. Bene vero advertunt iidem Salmant. arcendos esse, qui carbones contrectant, qui halitu fornacem tepefaciunt, vel hominem occidunt: qui madidi vino sanant: qui adstante alio salvatore, virtutem amittunt: qui talem virtutem ab alio discunt: qui dicit talem habere virtutem, quia natus est die festa parasceves, vel quia est septimus filius (sed in isto Viva dicit posse dari aliquam virtutem naturalem): qui certis verbis utitur, quibus credit inesse virtutem, cum gratia confertur personae, non autem verbis et signis. Ita Salm. [1] cum Suar. Sanch. Delrio Pal. Hurt. etc.

20. Advertunt etiam, quod in dubio praesumendus est aliquis effectus potius provenire a causa naturali, quam a superstitione. Ita Spor. [2] cum s. Aug. Sanch. Laym. Elbel [3] Croix [4] et Salm. [5] cum s. Th. qui docet [6]: *Ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicuius, debemus id ut bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est.* Recte tamen consulunt aa. cc. tunc praemitti protestationem, nolendi effectum, si aliqua superstitio subsit. Si vero certo probabiliter constet rem nullam habere vim naturalem ad aliquem effectum, in dubio censetur potius provenire a daemone, quam a Deo, cum divina promissio de illo non habeatur, ut docet Sanch. [7] cum Gersone et Spor. [8] cum s. Thom. [9]. An autem liceat usus pulveris *sympathici*. Respondet Elb. [10] doctores satis communiter negare, quia incredibile videtur qualitates huius pulveris in distans habere vim operandi; unde Elbel censet huiusmodi usum non facile approbandum. Attamen in casu urgenti permitti posse, modo vulneratus non nimium distet v. gr. ultra 300. passus; et modo protestatio praemittatur. Ratio, quia probabile est dari *actionem in distans*. Certum valde probabiliter mihi videtur hoc esse licitum, si talis pulvis non in magna distantia applicetur; ducor ex iis quae dicit celeber philosophus Purchotius [11] qui sic ait: *Pulvis vitrioli calcinati, qui sympathicus appellatur, in sanguinem e vulnere recens emissum iniectus, ipsi vulneri aliquot passibus remoto mederi, ac sanguinem sistere observatur. Id vero aliter fieri non concipitur, quam per profluvium substantiale, sive per spiritus vitrioli, qui calentibus adhuc sanguinis particulis admixti, ad vulnus, unde expressus est sanguis, feruntur, et tanquam cunei quidam apertos meatus, quibus effluit sanguis, penitus obstruunt.* Ungere autem in distans gladium adhuc calentem sanguine vulnerati, superstitiosum esse ait Croix [12] cum Burg. et asserit commune. Sed ex eadem ratione, ut supra, probabiliter id etiam permittit Spor. [13]. Adhuc enim in dubio, an effectus proveniat a causa naturali, iam diximus ex communissima dd. superstitiosum non esse illum procurare, saltem protestatione praemissa.

Quando autem adhibentur aliqua signa crucis, vel tot pater etc. in dubio, an adsit ibi aliqua superstitio. Less. [14] ea permittit, praemissa expressa protestatione. Consentiunt Spor. [15] et Tambur. [16] si urgeat notabilis necessitas. Damnat vero Sporer [17] cum communi; tanquam superstitiosum regulariter, certis festis, horis etc. herbas aut fructus colligere, nisi circumstantia temporis conferat ad herbarum virtutem, ut in vere, aequinoctio etc. Damnat etiam Sporer [18] circumducere equos per templa sanctorum, nisi expectetur effectus per merita illorum, unde ait

(1) N. 118. (2) De 1. praec. c. 9. n. 31. (3) N. 591. (4) L. 3. p. 1. n. 28. (5) Tr. 21. c. 11. n. 112. (6) 2. 2. q. 60. a. 4. in corp. (7) Dec. l. 2. c. 40. n. 2. (8) N. 33. (9) 2. 2. q. 96. a. 2. (10) N. 516.

(11) Instit. phil. t. 2. p. 1. physic. sect. 5. c. 11. (12) Ibid. n. 29. cas. 21. (13) Loc. c. (14) L. 2. c. 43. n. 26. (15) N. 54. (16) L. 2. c. 6. §. 1. n. 72. (17) C. 9. n. 52. (18) N. 28.

quod ubi adsit huiusmodi consuetudo, ipsa est abroganda: at si non possit sine offensa populi auferri, saltem ipse docendus est, quo animo id faciendum.

« 3. Non est illicitum uti virtute rei naturalis, quae per superstitionem cognita est, modo eius observatio, aut operatio non pendeat ab ope daemonis. Ratio est, quia licet illa cognitio male parta sit, peccatum tamen transiit, neque virtus naturalis ex eo quicquam mali contraxit. Vid. Sanch. [1] Bonac. [2] Laym. [3] Tamb. [4]. »

21. Quid de ensalmis? Ensalmus dicitur, quia communiter ex verbis psalmorum componitur et ordinatur ad morbos sanandos. Si ensalmus est *invocativus*, scilicet petens salutem a Deo, quin credatur infallibiliter effectus, licitus est. Secus si sit *constitutivus*, scilicet si ei tribuatur virtus infallibilis. Ita Salm. [5] cum Navar. Azor. Bon. s. Anton. Suar. Sane autem illicitus est ensalmus (docet s. Thom. [6]), si in eo invocetur indirecte daemon, aut nomen inusitatum angelorum, vel si ei falsa aut vana misceantur, vel adhibeatur certus modus scribendi, proferendi, etc.

22. An detur naturalis fascinatio. Affirmant Salm. [7] cum s. Th. [8] qui dicit: *Oculi autem inficiunt aerem continuum usque ad determinatum spatium.* Hinc dicunt Salm. [9] quod talis qui in se experitur hanc pestiferam qualitatem, tenetur abstinere a nimio consortio hominum non necessario, vel oculos declinare. Dicunt vero [10] contra Azor. [11] superstitiosam esse fascinationem vulgarem quae a vulgo creditur, scilicet quod aspicientes invido animo noceant; et ideo tanquam superstitiosa vetanda esse oscilla, seu turpicula, quae contra fascinationes imponuntur. Sed si adhibeantur adversus fascinationem naturalem, ut supra, nescio cur illa sint tam rigorose damnanda; unde enim certo apparet quod dicta oscilla nullam naturaliter virtutem habeant ad illud malignum effluvium medendum. Consentit mihi Spor. [12] qui, ut supra retulimus, ait in dubio prudenti, an res applicanda habeat vim naturalem, quod licite potest adhiberi, cum communissima dd. ex s. August. Tanto magis, quia communiter eis certa fides non praestatur.

(1) 2. mor. c. 38. (2) Q. 5. p. 4. (3) Loc. c. tr. 10. c. 4. (4) Dec. l. 2. c. 6. §. 2. n. 11. (5) Tr. 21. c. 11. n. 124. et 125. (6) 2. 2. q. 96. a. 4. (7) N. 104. (8) 1. p. q. 117. a. 3. ad 2. (9) N. 138.

DUBIUM V. Quid sit maleficium et quomodo possit tolli.

23. *Quid et quotuplex maleficium.*
24. *Quae remedia liceat adhibere contra maleficium.*
25. *An liceat petere a malefico parato, ut tollat maleficium cum alio. Et an in dubio, num sciat modum licitum solvendi.*
26. *Quid de strigibus.*
27. *Quam excommunicationem incurrant malefici.*
28. *Quomodo confessarius se gerere debeat cum magis et maleficis.*

23. « Resp. 1. Maleficium est vis nocendi aliis ex pacto et cooperatione daemonis. Differt a magia, quod haec intendat facere mira; illud autem dirigatur ad nocendum. Tol. [13] Fill. [14].

» Resp. 2. Maleficium aliud dicitur *amatorium*, seu *philtrum*, cuius usus est ad carnalem amorem, vel odium excitandum, daemone hominis phantasiam commovente, nihil tamen agente in voluntatem. Unde patet, si maleficio sic infecti labantur, eos vere peccare; quia libertas non aufertur. Aliud dicitur *veneficium*, quo alicui personae vel eius bonis damnum infertur. Fill. [15] Azor. [16].

24. » Resp. 3. Contra maleficia uti licet, 1. remediis petitis ex medicina (Plures enim herbae, ut ruta, salvia etc. contra maleficia naturaliter prosunt, quia virtute naturali corrigunt pravos humores, ope daemonis commotos, non vero licet uti virga lupi, pulvere asperso corpori etc. et similibus, quae naturaliter conferre nequeant ad sedandos humores. Vid. Salm. [17]). 2. Exorcismis et sacramentis ecclesiae, peregrinationibus, invocationibus sanctorum, etc. 3. Destructione signorum, per quae daemon nocet, absque tamen alio maleficio: Navarr. et communiter

(10) N. 155. (11) L. 9. c. 25. (12) De 1. praec. c. 9. n. 31. (13) L. 4. c. 16. v. Ultima. (14) T. 24. c. 8. q. 1. (15) Loc. c. n. 183. (16) T. 1. l. 9. c. 26. (17) C. 11. n. 143. et 145

alii. (Est commune etiam apud Salm.[1]).

» 4. Si maleficus licito modo potest maleficium tollere, licet eum ad id accersere, rogare, imo etiam pecunia inducere, vel verberibus aut tormentis cogere (non tamen interficere), si nolit. Lugo Diana [2]. Idque, etiamsi constet eum id facturum per novum maleficium, sicuti ex causa licet ab usurario petere mutuum ad usuram. Ratio est, quia cum habeam ius petendi, quod ab illo recte praestari potest, et est indifferens, imputabitur illius malitiae si id male faciat (Ita Salmant. [3] cum Pal. Suar. etc. contra Caiet.). V. Sanch. [4] Fill. [5] Less. [6] contra Delrium. 5. Licet etiam contrarium signum positivum apponere, ex se tamen honestum: v. gr. si daemon esset pactus cum malefico, se tamdiu nociturum, quamdiu maleficiatus se cruce non signaret, aut lavaret corpus (nam plerumque fit cum tali aliqua conditione, v. gr. ut tamdiu duret, quamdiu manet aliqua ligatura, aut res aliqua certo loco defossa), licebit illi se signare, lavare, etc. Suar. Less. [7] (Ita etiam Elbel [8] Salm. [9] Sanch. Palaus Trullench. etc.). Ratio est, quia non est intentio positiva recuperandi sanitatem eo medio, sed tantum tollendi signum, et dissolvendi pactum cum daemone. Unde ulterius patet, licere repercutere sagam quae te tetigit, ea enim repercussa solet noxa cessare: ut habet Less.[10] et Sanch.[11]. 6. Si maleficus non potest tollere maleficium, nisi per novum, non licet eum ad id inducere, quia id esset inducere ad peccatum, et actui intrinsece malo cooperari, Suar. Sanch. Less. etc. [12]. 7. Si dubitetur an possit sine maleficio novo tollere, non licet ab eo petere, ut habet Laym.[13] Sanchez et Suar., quia est periculum peccandi. Facilius autem praesumi potest, eum qui signa posuit, posse ea sine novo maleficio destruere, quam eum qui non posuit. Unde, si hic suam operam offerat, prius erit examinandus de modo solvendi. Vide Laym. hic Bonac. [14]. »

- 25. Quaer. 1. an liceat petere a malefico parato, ut maleficium cum alio maleficio tollat. Affirmant Angel. et Aureol. apud Salm. [15] sicut dicunt etiam licere ad propriam utilitatem petere sacramenta a sacerdote sacrilego. Sed tenenda est negativa sententia cum Less. [16] et Salm. [17] cum s. Th. et pluribus. Ratio, quia sacerdos sacrilegus potest ministrare sacramenta non sacrilege. Sed maleficus nequit conficere maleficium sine daemonis cooperatione, quod est intrinsece malum. Nec officit illum esse ad id paratum, iuxta dicta *l. 2. n.* 47.

Quaer. 2. utrum liceat petere a mago solutionem maleficii in dubio, an sciat vel ne modum licitum solvendi. Certum est licere, si constet quod magus modum licitum non ignorat, etiamsi ille modo illicito sit usurus, quia id suae malitiae imputatur. Ita communiter cum Busemb. *ut supra n.* 4. Salm.[18] et Sporer[19] cum Laym. Sanch. et Less. Idem dicunt Tamb. [20] Spor. [21] Viva [22] cum Sanch. Trull. Fill. et Elbel [23] cum Suar. et Sayr. licere si sit certo probabile, quod maleficus sciat modum licitum. Sed quid in dubio negativo? Censet Tamb. [24] et non reprobat Viva [25] quod aliquando etiam liceat petere, quia non raro praesumitur ex communiter contingentibus maleficos modum licitum non ignorare. Sed contradicit sententia communis quam tenent Sanch. [26] Less. [27] Viva [28] Salm.[29] cum Pal. Laym. etc. Ratio, quia praesumendum quod magi non sciant nisi modos illicitos. Caeterum, si in aliquo casu habeatur iusta praesumptio quod maleficus sciat modum licitum solvendi maleficium, puta per ablationem signi, satis probabilis videtur o-

(1) C. 11. n. 158. (2) P. 8. t. 7. r. 53. (3) Ib. n. 154. (4) L. 7. de matr. disp. 94. n. 11. (5) N. 192. (6) L. 2. c. 44. d. 6. (7) L. 2. c. 44. n. 45. (8) N. 534. (9) N. 161. (10) Loc. c. (11) L. 7. de matr. disp. 95. et 96. (12) Loc. c. (13) L. 4. tr. 10. c. 4. n. 9. (14) Dist. 3. q. 5. pag. 5.

(15) C. 11. n. 146. (16) L. 2. c. 44. n. 33. (17) N. 134. (18) Dict. c. 11. n. 151. (19) De 1. praec. c. 9. n. 43. (20) L. 2. c. 6. §. 2. n. 9. (21) N. 42. (22) Q. 5. a. 5. n. 4. (23) N. 532. (24) Ibid. n. 10. (25) N. 3. (26) De matr. l. 7. d. 93. n. 13. (27) L. 2. c. 44. n. 46. (28) L. c. n. 3. (29) Num. 152.

pinio Tamburini; cui tunc non obstaret sententia communis opposita; nam (ut ait Tambur.) dd. contrarii loquuntur, quando dubium aliter non possit deponi. Advertunt autem cum Bus. Spor. [1] Viva [2] et Elbel [3] cum Laym. Less. et Delrio, facilius praesumendum, quod sciat solvere maleficium modo licito is qui signa posuit, illa auferendo, quam alius qui non posuit.

26. Hinc notandum est communem esse sententiam cum Salmant. [4] Suar. Less. Delrio Pal. Sanchez etc. adesse striges quae ope daemonis asportantur de loco in locum corporaliter. Nec obstat *cap. Episcopi*, 26. *quaest.* 5. ubi prohibetur sub poena excommunicationis fidem praebere talibus aniculorum neniis; nam ibi prohibetur asserere simul, quod ambulent cum Herodiade, vel dea Diana. Vide Elbel [5] qui asserit cum Delrio et aliis, contrariam opinionem quam tenuerunt Lutherus Melancthon et quidam catholici, nempe hoc evenire per meram illusionem et vim phantasiae, esse valde perniciosam ecclesiae, quia conducit ad eximendas huiusmodi lamias a poenis ipsis indictis; quod gravis damni est christianae reipublicae.

27. Malefici autem incurrunt excommunicationem ex iure canon. [6]. Hanc autem Salm. [7] cum Tabien. et Delrio tenent esse latae sententiae, cum ibi dicatur: *Anathema sit*. At Suar. Sanch. Azor. Less. etc. ap. Salm. [8] tenent esse ferendae sententiae; et dicunt, quod verba *anathema sit* in materia fidei significant haereticum iam ab ecclesia praecisum: sed in aliis materiis significant separationem tantum faciendam.

Incurrunt etiam excommunicationem bullae *Coenae* si in iis coniungatur haeresis; vel (ut dicunt Salm.) vehemens suspicio illius, nempe quando ineunt pactum expressum cum daemone, vel quando miscent res sacras, vel diabolum adorant, vel consulunt de iis quae ipse cognoscere nequit. Ita Salmant. [9] cum Suar. Azor. etc. Sed haec intelligenda, quando adsit error fidei in intellectu, ut ait Spor. [10]. Nam alias non datur haeresis formalis, etiamsi quis expresse exterius fidem neget, ut certum est cum Busemb. *ut supra de pr. fid. lib.* 2. *num.* 19. Et sine haeresi formali excommunicatio bullae minime incurritur, ut certum est apud Laym.

« Quaeres: quomodo confessario agendum cum divinatoribus, magis, etc.

28. » Resp. 1. Examinandi sunt, praeterquam de variis superstitionibus, 1. quo fine tali superstitioni se addixerint, v. gr. an ratione vehementis passionis, tristitiae, vindictae, avaritiae, aut sanctitatis nomen conciliandi, quae esset sacrilega hypocrisis. 2. De apostasia, idololatria, et haeresi: abnegant enim Christum et Deum; renunciant sacramentis: habent daemonem pro Deo vel sancto: nec damnatum putant aut miserum, et consequenter illius asseclas non esse damnandos. 3. De blasphemiis in Deum et sanctos, et de sacrilegiis, abutuntur enim rebus sacris, ut aqua benedicta, eucharistia, etc. 4. De luxuria, et commixtione cum daemone. 5. De damnis proximo illatis. Suar. Sanch. Fill. Bon. [11].

» Resp. 2. Monendi sunt, eos teneri 1. pactum expressum, si quod habent cum daemone, aut commercium abiurare et dissolvere. 2. Libros suos, schedàs, ligaturas, aliaque instrumenta artis comburere. 3. Comburere chirographum, si habent: si vero solus daemon id habeat, non necessario cogendus est, ut reddat: quia pactum sufficienter dissolvitur per poenitentiam. 4. Damna illata resarcire, ad quod proinde etiam tenetur fiscus (ubi veneficorum bona confiscantur); uti et haeredes, si ad eos bona deveniant. Laym. [12] Suar. [13] Sanch. [14] Fill. etc.

» Resp. 3. A parochis moneri, et a confessariis examinari circa hoc praeceptum potissimum debent 1. opiliones, qui variis dediti esse solent ob-

(1) N. 42. (2) Loc. c. (3) N. 533. (4) C. 11. r. 172. (5) N. 527. (6) C. Si quis ariolos. (7) C 11 n. 201. (8) N. 200. (9) N. 203.

(10) De 1. praec. c. 9. n. 45. (11) Loc. c. (12) L. 4. tr. 10. c. 4. n. 7. (13) T. 1. de rel. l. 2. c. 17 (14) Loc. cit. c. 49.

servationibus, ut gregem suum a lupis vel aliis incommodis tueantur. 2. Fabri ferrarii, qui circa equos sanandos utuntur verbis vel ex psalmis, vel ex oratione dominica desumptis. 3. Rustici, qui ad sananda pecora inanibus et superstitiosis observationibus utuntur, vel recurrunt ad peritos talium artium. 4. Vetulae, quae circa mulieres laborantes in partu vel ex matrice vanas, et superstitiosas adhibent orationes. 5. Milites qui deferunt secum sacra nomina, vel orationes ad certitudinem, quod in bello vel duello non sint vulnerandi, nunquam aqua, igne, vel subita morte perituri. »

Cap. II. De irreligiositate eiusque speciebus

« Irreligio quae religioni opponitur per defectum, vel tendit directe ad irreverentiam Dei, et est tentatio Dei aut periurium: vel tantum tendit ad irreverentiam rerum sacrarum, et est sacrilegium, aut simonia. De periurio in secundo praecepto, de reliquis hic. »

Dubium I. Quid sit tentatio Dei.

29. *Quid est tentatio Dei?*
30. *An in tentatione Dei detur parvitas materiae. Et quae sit tentatio interpretativa.*
31. *An peccet qui petit a Deo miraculum.*
32. *An qui offert se ad martyrium. Et an qui respuit medicinas.*

29. « Resp. Tentatio Dei est dictum vel factum quo quis explorat, num Deus sit potens, sapiens, misericors, aut aliquam perfectionem habeat. S. Th. [1] Sanch. etc. Ea est duplex, scilicet vel *formalis*, quando quis expresse dubitans de aliqua Dei perfectione, eam experiri cupit; ut si quis petat miraculum quo patefiat fidem catholicam esse veram: vel det se praecipitem ex turri, ut experiatur an Deus sit misericors, eum eripiendo a laesione: vel est *implicita* et *interpretativa*, quando quis, etsi expresse non intendat Deum tentare, id tamen petit vel agit quod suapte natura eo referri videtur; ut si quis se committat periculo, a quo vel nullo modo, vel vix possit eripi, nisi miraculose; vel si media naturalia omittat, sperans a solo Deo effectum, v. gr. in morbo periculoso respuens medicinam, petensque ac sperans a Deo temere sanitatem. Nav. [2] Less. [3]. Item si sine necessitate et causa, rudis absque praeparatione velit concionari, sperans a Deo sibi suggerendos conceptus. Suar. Sanch. Less. Laym. [4].

Unde resolves:

« 1. Tentatio Dei formalis, est peccatum ex genere suo mortale, in quacumque etiam materia. Ratio est quia includit dubitationem de perfectionibus Dei, quae in gravem Dei contemptum redundat, vel magnam irreverentiam, curiosius agendo cum Deo, quasi cum ludione. Less. [5] Sanch. [6] Suar. et caeter. comm.

» 2. *Interpretativa* tentatio, cui dubitatio illa deest, plerumque est tantum peccatum veniale ob imperfectionem actus, ignorantiam, inconsiderationem, vel parvitatem periculi. Imo saepe nullum est peccatum, quando scilicet iusta causa subest, v. gr. Dei instinctus, necessitas, vel pia utilitas. Sayr. Tolet. Caiet. s. Th. [7]. »

30. Sed quaestio haec est, an in tentatione Dei *interpretativa*, ut supra, detur parvitas materiae. Affirmant Busemb. cum Caiet. et Valent. [8] Less. [9] Sayr. Clav. [10] et Tol. [11]. Hi dicunt quod si quis in re levi et sine gravis damni periculo tentaret Deum, ex sola curiositate spectandi aliquod opus supernaturale, hic tantum venialiter peccaret. Sed probabilius Sanch. [12] Suar. [13] Salm. [14] eum damnant de mortali, nisi excusaretur ratione ignorantiae vel indeliberationis. Ratio, quia gravis est irreverentia velle ut Deus ostendat omnipotentiam suam ad satisfaciendum curiositati ipsius. Hinc Salm. [15] dicunt quod probabilius peccaret graviter qui in levi morbo, reiectis medicinis, speraret a Deo sanitatem, quamvis non peteret miraculum: quia (ut aiunt) videtur hic, respuendo remedia, reipsa miraculum exoptare, cum velit mu-

(1) 2. 2. q. 92. a. 1. (2) C. 11. (3) N. 4.
(4) L. 4. t. 10. c. 5. (5) L. 2. c. 45. d. 1.
(6) L. 2. c. 3. (7) 2. 2. q. 92. (8) In 2. 2. d. 6. q. 14. n. 2 (9) L. 2 c. 45. n. 4.

(10) Reg. l. 6. c. 7. n. 14. (11) L. 4. c. 19. in fin. (12) Decal. l. 2. c. 34. n. 5.
(13) T. 1. de rel. tr. 3. l. 1. c. 3. n. 16.
(14) Tr. 21. c. 12. n. 2. (15) Loc. c.

tari causas naturales. Sed merito huic doctrinae contradicunt Sanch. [1] cum Leonardo Bonac. [2] cum Suar. Anacl. [3] Elbel [4] et Sporer [5] cum Laym. qui in hoc non recognoscunt plusquam venialem culpam. Ratio, quia in hoc non adest gravis deordinatio: cum enim quis nequaquam miraculum petat curiositatis causa, iuste excusatur a gravi et aliquando ego puto etiam ab omni culpa, si speret sine remediis naturaliter, Deo adiuvante, a tali levi morbo liberari, dum saepe in huiusmodi morbis natura ipsa salutem operatur.

« 3. Si quis in puteum se coniiciat ad declarandam Dei erga se providentiam, aut supra prunas ambulet ad innocentiam ostendendam, est interpretativa tentatio Dei: uti etiam sunt eae probationes quae fiunt per ferrum candens, aquam ferventem, vel frigidam (Tales probationes sunt vetitae [6] ut communiter Salm. [7]) etc. de quibus vide Binsfeld et Delrium [8]. Licet enim Deus aliquando tales purgationes miraculose probarit, id contigit, vel quia Deo inspirante factae sunt, vel quia innocentes ad eas compulsi sunt liberati. Bon. [9]. »

31. Peccat qui absolute petit a Deo vel offert miraculum ad conversionem haereticorum, cum sufficiant nostrae fidei testimonia, Salm. [10] cum Suar. Pal. Sanch. Si vero aliquando sit firmissima spes conversionis, tunc poterit peti a Deo miraculum sub conditione, si ei placuerit, Salm. [11]. Caeterum Sporer [12] cum communi ait satis esse licitum petere a Deo miraculum, quoties adsit utilitas gravis ad nostram aut aliorum salutem vel divinam voluntatem implendam. Et idem clare docet d. Th. [13] ubi ait non tentare Deum qui signum ab eo petit, *ut aliis demonstret;* vel *ad hoc quod instruatur*, *quod circa aliquod factum sit placitum Deo* [14].

32. Item peccat qui periculo mortis vel mutilationis se obiicit ad perferendum martyrium sine iusta causa; nam in casu necessitatis, si alias fides aut salus multorum periclitetur; vel ad vitandas blasphemias, in quibus casibus martyrium est in praecepto; vel in casu utilitatis, ad exaltandam fidem aut Dei gloriam; tunc licet martyrio se offerre, ut docet s. Thom. [15]. Vide Salm. [16].

Item peccat qui respuit medicinas; nisi faciat ad se mortificandum, modo absit periculum mortis, ut Viva [17] et Salm. [18] cum Caiet. Nav. et Sanch.

Quaeritur, an tentatio Dei expressa differat specie ab interpretativa. Affirmant Suar. et Bon. At probabilius negant Salm. [19].

Dubium II. Quid et quotuplex sit sacrilegium.

33. « Resp. Sacrilegium est violatio rei sacrae, hoc est dicatae cultui divino. 1. Est peccatum mortale ex genere suo, si opus specialiter repugnet cum rei sanctitate, non vero si generaliter tantum repugnet, quomodo omnia peccata mortalia generaliter repugnant sanctitati, v. gr. templi, ita ut ibi cum veniali peccato committantur. Est autem sacrilegium triplex: *personale*, quo persona; *locale*, quo locus; *reale*, quo res aliae violantur; s. Th. [20] et caeteri theologi. »

(1) Loc. c. (2) De 1. praec. d. 3. q. 9. p. un. n. 3. (3) Ib. q. 1. n. 8. (4) D. n. 560. (5) Eod. tit. c. 10. (6) C. 1. et 2. de purg. vulg. (7) C. 12. n. 3. et 6. (8) L. 4. disp. (9) D. 9. p. 1. (10) C. 12. n. 7.

(11) Ibid. (12) Loc. c. (13) 2. 2. q. 97. a. 2. (14) Ibid. ad 3. (15) 2. 2. q. 144. a. 3. ad 1. (16) N. 9. (17) Q. 6. a. 3. c. 6. (18) N. 9. (19) N. 11. (20) 2. 2. q. 99. a. 3.

34. Explicanda est in confessione species sacrilegii, an fuerit personale, locale, aut reale. Viva [1] et Salm. [2] cum s. Thom. et communi. Quaestio est, an praedictae species sint subalternae, vel sint infimae. *Prima sententia* tenet esse subalternas continentes sub se alias species infimas. Ita Suar. Pal. Less. etc. apud Salm. [3] cum Bus. (vid. *num.* 48.) et Elbel [4] cum Fill. Et ideo dicunt percussionem clerici specie differre a concubitu cum eo. *Secunda* tamen *sententia* tenet esse infimas, ut Viva [5] et Salm. cum Caiet. Trull.; ita ut, si quis violat sanctimonialem verberando, aut cum ea concubendo, unum sacrilegium formaliter committit. Et sic sentit d. Thom. [6] qui ait: *Possibile est aliqua duo peccata differre specie secundum materiales actus, convenire autem in specie secundum unam rationem formalem sacrilegii; puta si quis sanctimonialem violaverit verberando vel concubendo.* Et haec est probabilior. Docet vero idem s. doctor praefatas species habere diversos gradus, significans eos constituere quidem circumstantias aggravantes, non autem speciem mutantes.

Unde resolves:

35. « 1. *Personale* sacrilegium est percussio clerici, pertractio eiusdem ad iudicium saeculare, item luxuriosa violatio personae Deo per votum castitatis sacratae, de qua v. infra [7].

36. » 2. *Locale* sacrilegium est omnis actus, quo ecclesia polluitur, ut est v. gr. occisio hominis, effusio humani sanguinis vel seminis illicita et notoria. (Ut probabiliter tenent etiam Viva [8] et Tamb. cum Vasq. Pont. Dian. Con. Tol. apud Salm. [9] contra Salm. [10] cum Suar. Bon. Lug. Pal. etc. et Elbel [11] *qui probabilius dicunt etiam occultam effusionem esse sacrilegium.* Vide *dicenda de* 6. *praec. n.* 458.). Item sepultura excommunicati, vel non baptizati; item si actus quidam profani fiant in ecclesia, et repugnantes eius immunitati, ut negotiationes, illiciti concubitus et spurcities, seditiones, concilia saecularia, stabulationes equorum, incendia, effractiones, spoliationes. Item si materia rei sacrae, vel ecclesiae directe ad profanos usus convertatur, si reus ex ecclesia, velut asylo, extrahatur; nisi tamen sit latro publicus, vel nocturnus populator agrorum, vel enorme maleficium fiducia asyli istic commiserit. Denique si furto auferantur res ecclesiae, aut ibi depositae. Laym. [12] Bon. [13]. Si vero res ablata fuerit per accidens tantum in ecclesia, v. gr. crumena viri divitis, probabiliter non committi sacrilegium docet Dian. [14] ex Fagn. et sex aliis, contra Suarez Laym. etc. »

37. Similiter violatur locus sacer, si in eo fiant conclamationes, deambulationes, mercatus, strepitus iudiciorum saecularium, non vere ecclesiasticorum pietatem spectantium. Aliquando tamen iudicia saecularia, aut parlamenta licita sunt in necessitate, v. gr. ob pluviam, solis aestum: modo fiant sine strepitu, et desit alius locus opportunus. Pariter non videtur culpa gravis aliqua moderata deambulatio in ecclesia, aut privata comestio, etiam sine necessitate, si absit scandalum et clamor. Ita Viva [15] ex s.Th. cum Salm. [16]. Hic obiter advertatur nemini quacumque praedito dignitate, modo non regali, licere indicere, ut sibi ad ecclesiam deferatur stratum; secus statim cessandum a divinis, et ministri ecclesiae ipso facto excommunicationem incurrunt, et ecclesia tanquam interdicta habenda est. Hoc decretum fuit a S. C. caerem. quae ait: « Proposito in » S. C. caerem. quodam abusu inter » alios qui de recenti in urbe irre- » pserunt, eadem S. C. ad eum omnino » tollendum die 30. aug. 1701. decre- » vit: *Non licere cuicumque etc. (personis regalibus tantum exceptis) ad ecclesias strata sibi deferri facere; secus cessandum immediate a divinis: quod nisi servetur, rectores caeterosque ministros*

(1) De 1. praec. dec. q. 6. d. 1. n. 1. (2) Tr. 21. n. 17. c. 12. (3) C. 12. n. 17. (4) De sacr. n. 565. (5) Q. 6. a. 1. n. 2. (6) 2. 2. q. 99. a. 3. ad 2. (7) Tr. 4. c. 2. dub. 2. n. 454. (8) Q. 6. a. 1. n. 11.

(9) Tr. 6. c. 8. n. 101. (10) Ibid. (11) N. 556. (12) L. 4. tr. 10. c. 7. (13) Quaest. 6. (14) P. 1. t. 3. r. 27. (15) Ibid. n. 11. (16) Dict. c. 12. n. 25.

ipso facto *excommunicationem incurrere*, *eamque ecclesiam esse habendam pro interdicta* (Ita adnotatum reperitur in bull. Clementis XI. [1]). Deinde subiungitur: *Et facta relatione Sanctitas sua* (i. e. praefatus Clemens) *decretum approbavit*, *nec non promulgari*, *atque executioni tradi*, *et in omnibus urbis sacrariis affigi mandavit die* 3. *oct*. 1701. Hoc omne refertur a Ferraris [2] qui etiam refert vetari pluribus ex decretis S. R. C. dare intra missam laicis (etsi praesidibus) evangelium osculandum, uti etiam dare illis usum baldachini, et illos admittere ut assistant in praesbyterio. Ad nostra autem redeuntes dicimus.

38. Sacrilegium est extrahere violenter hominem ab ecclesia, etiam interdicta vel polluta, et ab eius coemeterio, atrio, claustro, dormitorio, ambitu contiguo cum ecclesia: item a domibus religiosorum clausura septis. Vide Salm. [3]. Caeterum praeter hunc usum violatae immunitatis, ad incurrendam speciem sacrilegii nomine loci sacri intelligitur tantum ecclesia, non alia loca, cum in odiosis stricte facienda est interpretatio, ut notat Elbel [4] cum Laym. Bon. etc.

39. Quaeritur, an omne furtum in ecclesia sit sacrilegium. *Prima sententia* cum Lugo [5] Tambur. [6] Pal. Azor. Dian. Less. Con. Henriq. etc. apud Salm. [7] tenet non esse sacrilegium, nisi furtum sit de re ecclesiae commodata vel commissa ibi custodiae causa: nam aliae res profanae accipiuntur quidem materialiter *in loco sacro*, sed non *de loco sacro*, dum ad locum sacrum nullo modo pertinent. Excipit tamen merito Lugo [8] furtum de rebus quae sacrista fecisset sibi commodari pro ecclesiae ornatu. *Secunda* tamen *sententia* probabilior affirmat ex iure canonico [9] ubi absolute damnatur ut sacrilegus, qui *non sacrum de sacro* furatur; nec id limitatur ad depositum tantum. Ita Elbel [10] cum Fill. Val. et Salm. [11] cum Pal. Dic. Vasq. Bon. Laym. etc. Recte tamen Salm. probabilem vocant primam sententiam. An autem sit sacrilegium locale furari e sacristia. Negat Sanch. [12] contra aliquos. Certum autem est non esse sacrilegium furtum in claustris, nec in oratorio domus privatae. In oratoriis vero xenodochiorum vel eremitoriorum, licet non benedictis ab episcopo, iuste putat Sanch. furta esse sacrilegia. Vid. Vivam [13].

40. « 3. *Reale* sacrilegium est indigna tractatio et administratio sacramentorum, ut si ministrentur vel suscipiantur cum peccato mortali. Item profanatio vasorum et instrumentorum sacrorum: v. gr. si quis calice utatur in convivio, ornamenta altarium vel sacerdotum ad usus profanos applicet, intellige de iis quae consecrari vel saltem benedici solent: nam ad nuptias, vel communem usum adhibere tapetes, candelabra, pelvim, imo et manutergium, et caetera, quae mediate serviunt ministerio sacro, non esse peccatum docet Tamb. [14] nisi fiat ex aliquo contemptu saltem implicito, ut si semper et indifferenter sic utaris supradictis. Atque idem affirmat de candelis, ramis, aqua, incenso, et similibus benedictis, quod in modicis istis benedictionibus non agatur cum tanto rigore ab ecclesia, ut patet in pane, ligno, carbonibus, etc. benedictis [15]. Item violatio vel indigna tractatio sacrarum imaginum et reliquiarum. Item abusus scripturae sacrae, v. gr. ad stabiliendas haereses vel res turpes. Item raptura bonorum ecclesiae, suppressio piorum legatorum, vel iurium ecclesiae defraudatio, etc. Vid. Fill. [16] Regin. [17] Suar. »

Concilium Tridentinum [18] vocat temeritatem, torquere verba s. scripturae ad scurrilia, fabulosa, vana, adulatoria, detractoria etc. Vid. Salm. [19].

41. Quaeritur 1. an vasa et vestes sacrae possint converti in usum profa-

(1) P. 3. dec. 1. Caer. (2) Bibl. t. 3. v. Ecclesia, a. 3. n. 28. et 29. (3) Tr. 13. c. 3. a n. 81. (4) De sacril. n. 560. (5) D. 16. n. 470. (6) In meth. conf. l. 2. c. 8. n. 5. (7) Tr. 6. c. 8. n. 103. (8) L. c. (9) C. Quisquis, caus. 17. q. 4. (10) N. 587.

(11) Tr. 6. c. 8. n. 103. (12) De matr. d. 15. n. 13. (13) D. loc. n. 15. (14) Meth. celebr. miss. l. 1. c. 2. §. 3. n. 1. (15) Ibid. n. 3. (16) Tr. 24. c. 9. (17) L. 19. n. 57. (18) Sess. 4. in fine. (19) Cap. 12. n. 22.

num. Affirmant Salm. [1] si illae iam amiserint formam et benedictionem. Sed alibi [2] omnino negant cum s. Th., qui [3] dicit: *Altaris pallae, velum, candelabrum, cathedra, et alia quae in sacrario fuerint, non debent admitti in usum laicorum, sed esse comburenda.* Melius autem Suarez [4] Bon. [5] et Ronc. [6] cum Barbosa distinguunt, et dicunt quod si res ita totaliter immutetur, ut ad communem materiam redeat, sicut si calix igne vel ferro ad communem massam argenti reducatur, tunc licet in usum profanum convertere. Ita ipse cum Bon. Pal. Suar. et Baur.; secus si totaliter non difformetur. Hinc non licet ex veteri casula vestes profanas resarcire: et hoc adhaeret ei quod dicit s. Thom. supra. Ideo alii dicunt non licere huiusmodi vestes ad usus profanos vendere aut oppignorare. V. Salm. [7].

42. Quaer. 2. an laesio quorumcumque bonorum ecclesiasticorum sit sacrilegium. Resp. negative, sed tantum bonorum, quae *pertinent ad ornamentum ecclesiae, aut sunt deputata ad sustentationem ministrorum*, ut loquitur s. Thom. [8]. Ly *ad sustentationem ministrorum*, intellige, qua tales sunt, ut recte dicit Tamb. [9].

Quaeritur 3. an sit sacrilegium iniuste detinere legata relicta ecclesiae pro eius servitio. Affirmat Less. [10]. Sed negant Tamb. [11] cum Pal. et Salm. [12] etc. Quia, donec dicta bona ab ecclesia non possideantur, non sunt sacra.

Quaeritur 4. an sit sacrilegium non solvere decimas. Affirmant Less. [13] Elbel [14] cum Val. Sporer, etc. Sed negat Croix [15] et Tamb. [16] cum Pal.: dicunt tamen esse peccatum gravius irreligiositatis, quia solutio decimarum est ordinata in recognitionem divini dominii.

43. Notandum quod per meros actus internos non violatur sanctitas loci; ideoque non committit sacrilegium, qui in ecclesia habet voluntatem occidendi hominem extra illam. Secus si quis extra ecclesiam proponit occidere in ecclesia. Ita Salm. [17] cum aliis commun.

Palaus [18] tenet omittere sacramenta tempore debito esse sacrilegium. Probabilius vero negatur, sed esse dicitur peccatum contra obedientiam ecclesiae debitam. Salm. [19].

44. Item notandum est quod censurae contra sacrilegos latae non incurruntur ipso facto, nisi a percutientibus clericum: itemque a violantibus immunitatem ecclesiasticam, imponendo tributa, usurpando bona: et ab effringentibus ecclesias, et simul expoliantibus rebus sacris. [20]. V. Salm. [21]. Incendiarios autem ecclesiarum probabilius non est esse excommunicatos ipso facto, ut Salm. [22] cum Caiet. Sylv. Nav.

45. Grave sacrilegium committit, qui furatur reliquiam, etiam in parva quantitate, si scit dominum ob hoc esse valde contristandum. Ita Leand. Prad. Nav. Mol. apud Salm. [23].

46. Quaeritur 5. an tempus sit obiectum sacrilegii, scilicet si quis peccet die festo etc. Negant Lugo [24] et Salm. [25] cum Less. et Pal. et Tamb. [26] nisi notabilis irreverentia irrogetur cultui divino, ut si quis in die Veneris sancti exhiberet comoedias, ludos publicos, etc.

47. Quaeritur 6. an violatio voti sit sacrilegium. Negant Suar. Tamb. [27] et Pal. [28]. Dicunt enim esse peccatum perfidiae, seu contra fidelitatem Deo debitam, ut Croix [29] cum Tamb. [30]. Affirmat vero s. Th. [31] et sequuntur Salm. [32]. Qui autem violat votum castitatis probabilius committit sacrilegium. V. Elb. [33].

48. « 4. Peccatur etiam sacrilegio peccato omissionis, v. g. si quae ad sacrificium spectant, ut corporalia et similia, sint valde immunda. Bon. [34] (Qui [35] cum Fill. Suar. Reg. etc. dicit esse mortale. Vide *l.* 6. *n.* 376. et 386.).

(1) Tr. 21. c. 12. n. 22. (2) C. 10. n. 145. (3) P. 3. q. 83. a. 3. ad 3. et c. 39. de consecr. dist. 1. (4) P. 3. d. 81. sect. 8. (5) De 1. praec. d. 3. q. 1. p. 4. (6) De 1. praec. c. 1. q. 7. (7) Dict. c. 10. n. 147. (8) 2. 2. q. 99. a. 3. (9) Dec. l. 2. c. 6. §. 3. n. 9. (10) L. 1. c. 16. n. 30. (11) Ib. n. 10. (12) C. 12. n. 35. (13) L. 2. c. 16. n. 18. (14) N 569. (15) L. 3. p. 1. n. 52. (16) Ibid. n. 11. (17) C. 12. n. 28.

(18) Tr. 17. d. 2. p. 3. §. 3. n. 2. (19) C. 12. n. 38. (20) C. conquest. 22. de sent. excomm. (21) N. 24. (22) N. 40. (23) Tr. 21. c. 10. n. 108. (24) De ben. d. 16. n. 523. (25) C. 12. n. 36. (26) Meth. conf. l. 2. c. 7. §. 5. n. 40. (27) Dec. l. 2. §. 3. n. 13. (28) Tr. 17. d. 2. p. 3. §. 2. n. 2. (29) L. 3. p. 1. n. 55. (30) Ibid. (31) 2. 2. q. 99. a. 3. ad 3. (32) C. 12. n. 22. (33) N. 534. (34) De euch. (35) P. 9. n. 23.

» 5. In confessione exprimenda est species et materia sacrilegii. Ratio prioris est, quia saepe diversam malitiam habet, v. gr. percussio sacerdotis, et fornicatio cum eodem. Ratio posterioris est, quia etiam materia aliquando auget et addit malitiam, ver. gr. si sit contra eucharistiam, addit, secundum Gordonum, communi violationi rei sacrae aliud peccatum contra latriam. Attingere autem nuda manu calices, patenas, aras, agnos cereos, etc. chrismate delibuta non licet foeminis et laicis (Licet vero clericis etiam primae tonsurae, ut Tamb. [1] cum Suarez). Citra contemptum tamen non mortale, si vacua sint; et si causa subsit, nec veniale, Suar. Tamb.[2]; sine causa autem veniale esse docet Suar. Coninch. et alii communiter; licet Tamb. [3] ex Sa etc. contrarium censeat probabile (Cum Scoto et Bartol. ab Ang.; sed Sa ap. Tamb. et Sot. Henr. Sanchez Fag. et Tamb. apud Pasq. ut refert Croix[4] censet nullum esse peccatum. Pro monialibus vero adest privilegium, ut Salm.[5]) ut et si corporalia vel purificatoria laventur ab iisdem. Vide *lib.* 6. *n.* 387. Caetera autem quae eucharistiam immediate non contingunt, nec chrismate unguntur, ut mappae, vestes sacerdotales, immediate contingere omnibus licet. Suar. Lay. Tamb. [6] qui ex Pal. etc. idem concedit de reliquiis: sicut etiam, ut easdem thecis inclusas penes se habeant; vel laici in publicis processionibus gestent. Idem docet cum Laym. de pyxide, sive ciborio, et lunula benedictis, quando sacram eucharistiam nondum continuerunt. Idem de corporalibus, pallis, et purificatoriis, quando post sacrum usum lota sunt: ex Laym. et Bon., imo etiam ante lotionem. Laym. Tamb.[7]. »

Dubium III. De simonia.

Art. I. Quid sit et quotuplex.

(1) Meth. celebr. miss. l. 1. c. 2. §. 1. n. 11. (2) Ibid. n. 12. (3) Loc. c. (4) L. 6. p. 2. n. 385. (5) C. 10. n. 132. (6) Ibid. n. 4. (7) Loc. c.

104. *An, ut non concurrat ad beneficium, quod tu cupis.* Vide alia apud *Busemb.*

49. « Resp. Simonia est studiosa voluntas emendi aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali annexum. S. Th.[1] Laym.[2] etc. Dicitur 1. *voluntas emendi etc.* quibus verbis intelligitur quivis contractus onerosus, sive venditionis sive locationis sive permutationis aut renunciationis; quia simonia non consistit sine pactione aliqua tacita vel expressa, et obligatione ex pacto. Quod addo, quia obligatio naturalis quaecumque, ut gratitudinis, sive antidoralis, non sufficit, v. g. quando quis sperat vel intendit tantum, non tamen obligat. Sa[3]. Ratio est, quia non facit contractum. Vid. Bonac.[4] Less.[5] (Sed vide *dicenda num.* 54). Dicitur 2. *pretio temporali:* sive illud sit *muneris*, sive *linguae*, ut est laus, vituperium, patrocinium; sive *obsequii* et *famulatus*. Dicitur 3. *spirituale;* quo nomine intelligitur res supernaturalis ad salutem ordinata, sive sit formaliter talis ut gratia et dona Spiritus sancti, sive causaliter, ut sunt sacramenta, concio, preces et sacramentalia: sive sit effectus et usus potestatis supernaturalis, ut consecratio, absolutio, dispensatio, benedictio, excommunicatio, electio, praesentatio, confirmatio, collatio beneficii, aliique actus iurisdictionis ecclesiasticae. Dicitur 4. *spirituali annexum*, ad comprehendendum ea quae non sunt per se spiritualia, sed ad ea ordinantur, iisque sunt annexa, sive antecedenter, ut ius patronatus respectu beneficii; vasa et vestes sacrae respectu sacramentorum; sive concomitanter, ut labor in administratione sacramentorum, iuxta sensum infra dicendum: sive consequenter, ut reditus beneficiorum qui dantur propter officium spirituale. Unde patet malitiam simoniae consistere in irreverentia quae committitur, dum res spirituales instar temporalium pretio aestimantur, et contractibus subiiciuntur; atque esse peccatum mortale ex genere suo, nec veniale fieri posse ex materiae levitate: quia nullum donum gratiae, licet parvum, potest vendi sine gravi irreverentia tum ipsiusmet doni, tum etiam Dei. Potest tamen esse veniale, ob actus imperfectionem et ignorantiam: Suar.[6] Azor. Fill. Laym.[7] Less.[8]. »

Simonia autem quadruplex est, mentalis, conventionalis, realis, et confidentialis. *Mentalis* est, cum quis dat temporale cum animo obligandi ad reddendum spirituale (aut e converso), sed absque alio pacto. *Conventionalis* est, cum adest pactum, sed a neutra parte executum est. *Realis* autem est, cum pactum iam est impletum. *Confidentialis* tandem tripliciter potest fieri, nempe per accessum, per regressum, et per ingressum. Dicitur *per accessum*, cum renuntias beneficium alteri cum pacto ut ille deinde illud resignet, et alteri conferatur: *per regressum*, cum reservas tibi ius reassumendi iterum beneficium in aliquo casu. *Per ingressum*, si resignes beneficium tibi collatum, sed nondum possessum, cum pacto capiendi possessionem illius in aliquo casu aut tempore; vide *infra num.* 85. *et* 86. ubi fusius sermo de hac confidentiali simonia redibit et de eius poenis.

50. Quaer. 1. an possit dari parvitas materiae in simonia. In simonia de iure naturali est communis sententia negativa ap. Salm.[9] et Croix[10] cum Suar. Sanch. etc. contra Mol. Reg. etc.[11]. Sed in simonia tantum de iure ecclesiastico Nav. Zeroll. (quibus videtur adhaerere Croix[12]) probabiliter docent posse dari parvitatem materiae: et disparitatem assignat Croix, quia, quando non accipitur temporale pro pretio rei spiritualis, sed acceptio prohibetur ad cavendum tantum speciem simoniae, re ipsa non fit iniuria rei spirituali, sed peccatur tantum contra praeceptum ecclesiae in quo potest utique dari parvitas materiae.

51. Quaestio 2. est, an semper ac datur

(1) 2. 2. q. 100. a. 2. (2) L. 4. tr. 10. c. 8.
(3) V. Simonia. (4) De simon. d. 1. q. 6. p. 1.
(5) L. 2. c. 35. d. 20. (6) T. 3. de rel. l. 4. c. 56.
(7) Loc. c. n. 4. (8) L. 2. c. 35. d. 1.
(9) Tr. 19. de simon. c. 1. n. 8. (10) L. 3. p. 1. n. 198. (11) Ibid. (12) L. 4. n. 670.

temporale pro spirituali, vel contra, sit simonia. *Prima sententia* affirmat cum Azor. Durand. Adrian. etc. ap. Salm.[1]. *Secunda sententia*, quam tenent Salm.[2] et vocant communem cum Cai. Sanch. Suarez Lessio Laym. Tol. etc. negat, quando datur gratis, quamvis cum animo alliciendi, seu obligandi (non rigorose ex iustitia, sed tantum ex gratitudine sive ex benevolentia) alterum ad retribuendam rem spiritualem pro temporali, vel contra; ita ut obligatio alterius antidoralis, seu gratitudinis principaliter intendatur; et probant ex iure canonico [3]. Et hoc, etiamsi in eodem actu retributio offeratur [4]. Hinc licere dicunt tibi dare aliquid episcopo, vel ei inservire (cui alias non esses serviturus), ut tibi ex gratitudine conferat beneficium; dummodo absit aliquod pactum, ut dicunt Salm. [5] cum Sot. Suar. Valent. et communi. Et dummodo non inservias, ut episcopus conferat tibi beneficium, quasi pretium tui obsequii, ut bene notat doctus p. Elbel [6]. E converso si inservis primario ad captivandam episcopi benevolentiam, et secundario ad obtinendum beneficium, non committis simoniam, etiamsi, amota spe beneficii, non inservires, ut dicunt Salm. [7] cum aliis. Et etiamsi talem spem exprimas superiori, ut addunt Val. Pal. Sot. Rodr. etc. ap. Salm.[8], quia licitum est, ut aiunt, petere ab alio, quod ille ex naturali obligatione praestare tenetur: sed sapienter monet Mazzot.[9] et Croix cum Suar.[10] id cavendum ob periculum pactionis, aut saltem scandali, maxime si detur aliquid tempore quo agitur de conferendo beneficio.

Caeterum, recte advertunt Roncag.[11] et ipsi Salm.[12] cum Sanch. Bonac. etc. quod ubi alius deest titulus, nempe stipendii, tollendae iniustae vexationis, etc. quando datur aliquid solo intuitu obtinendae rei spiritualis vel contra, praesumenda tunc sit intentio saltem virtualiter simoniaca, scilicet commutandi temporale cum spirituali; nisi constet de opposito, vel aliter colligatur ex circumstantiis, nempe ex parvitate muneris, ex pietate, vel nobilitate dantis etc. Et hoc constat ex *c. Tua nos, de sim.* ubi pontifex loquens de illo, qui bona suae ecclesiae donabat, rogans ut ad canonicatum admitteretur, et de canonicis eum admittentibus, ait: *Si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona spiritualia valeat adipisci; et clerici qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri; sine dubio tam isti, quam ille apud districtum iudicem culpabiles iudicantur.* Vide quae dicentur *n.* 54. Et maxime nequit excusari a simonia mentali (ut bene sentiunt Ronc.[13] et Elbel[14]) is qui episcopo gratis inserviret animo eum obligandi ex gratitudine, etsi non ex iustitia, ad retribuendum beneficium, iuxta dicenda *n.* 53.

52. Non autem damnandus de simonia episcopus qui beneficium confert clerico in recognitionem gratitudinis ob obsequium praestitum, ut dicunt Elbel [15] et Croix [16] cum Suar. Item si episcopus conferat beneficium gratis alicui, ut se honeste sustentet, non est simonia; Croix[17] cum Less. Laym. etc. Immo collatio facta indigno, sola ratione consanguinitatis, amicitiae, sed gratis, est quidem illicita, sed non simoniaca. Ita Salm. [18] cum Caiet. Suar. Pal. etc. Idque docet d. Th. [19] dicens: *Dare aliquid spirituale propter quamcumque carnalem affectionem, est quidem illicita, non tamen simoniaca. Unde hoc non pertinet ad contractum venditionis, in quo fundatur simonia.*

Utrum autem committat simoniam episcopus qui dat beneficium indigno propter preces alterius. Videtur universe affirmare d. Th. [20] quia videtur episcopus hoc facere ad favorem humanum acquirendum, sic enim s. doctor ait: *Videtur ad hoc* (scilicet ad fa-

(1) Tr. 19. de simon. c. 1. n. 26. (2) Ib. n. 32. (3) C. Quam pio 2. q. 2. (4) Ex c. Placuit 1. etc. Dilectus 2. q. 1. (5) Dict. c. 1. n. 55. et 56. (6) De simon. n. 617. (7) Loc. c. (8) N. 56. in fin.

(9) De simon. t. 2. §. 2. p. 219. (10) L. 3. p. 1. n. 74. (11) De sim. c. 1. q. 5. (12) N. 57. (13) Loc. c. reg. 6. in praxi. (14) De sim. n. 617. (15) N. 619. (16) L. 3. p. 1. n. 75. (17) Ib. n. 85. (18) C. 1. n. 56. (19) 2. 2. q. 100. a. 5. ad 2. (20) Loc. c. ad 5.

vorem humanum) *principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit.* Et sic quidem dicendum, si revera det beneficium ad talem favorem adipiscendum: imo, ut bene addit Angelicus, hoc erit simonia, etiamsi clericus sit dignus beneficio. Caeterum absolute loquendo, probabiliter dicunt Elbel[1] La Croix[2] et Laym.[3] cum Less. Suar. Nav. Caiet. etc. non esse simonia cum episcopum qui ad preces alterius etiam indigno beneficium confert, sed nullo habito respectu ad favorem humanum acquirendum, quia revera tunc nulla intervenit venditio spiritualis cum temporali. Illud autem quod dicit La Croix [4] nempe nec esse simoniam, si conferat ad se liberandum ab aliquo iniusto damno, minime admittendum puto, nam licet damnum sit iniustum, semper tamen videtur intercedere aliqua commutatio rei spiritualis cum utilitate temporali.

53. Quaer. autem hic 3. an sit simonia, deducere in pactum obligationem antidoralem. Negant Hurt. Coelest. Ronc. etc. ap. Dian.[5]: item ipse Diana cum Vidal. et Io. de Soria, quamvis [6] in praxi hoc non approbet. Ratio istorum, quia non censetur simonia committi quando pactum fit de obligatione gratitudinis quae iam inest. Quapropter, dicunt, si licet aliquid spirituale intendere ex gratitudine obtinere, cum quis praestat aliquid temporale; licebit etiam id in pactum deducere. Sed omnino affirmandum cum sententia communi, quam tenent Laym.[7] Viva[8] Elbel [9] et Suar. Bon. Fill. Cov. ac alii ap. Salm. [10]. Ratio, quia ex pacto illo novum inducitur onus. Distinguunt autem Salm. [11] cum Val. Cai. Pal. Less. etc. et dicunt quod si pactum novam obligationem non addat praeter antidoralem, puta, si des aut promittas alteri pecuniam, ut ipse sit obligatus ad tibi in genere remunerandum, non est simonia, quia nullum novum onus imponitur. Sic etiam, si petas aliquid spirituale gratis sine obligatione rigorosa: quemadmodum frequenter dantes eleemosynam solent a paupere preces petere; et in hoc revera consentiunt omnes, etiam auctores secundae sententiae. Secus autem censent, si pactum novam obligationem adderet; et hoc esset, quando peteretur in specie quid spirituale pro re temporali tradita; nisi ibi alius titulus interveniret, nempe stipendii, damni emergentis etc. ut infra. Sed neque distinctio haec mihi ullo modo arridet, nam (ut bene arguunt Viva[12] et Ronc.[13]) pactum semper aliquam novam invehit saltem fidelitatis obligationem, quae, cum sit aliquo pretio aestimabilis, certe pactum simoniacum reddit. Ideo enim in iure can. [14] dicitur: *Omnis absit pactio, omnis conventio cesset.* Quoniam in hac materia quodcumque pactum, quomodocumque onerosum, est simoniacum, etiamsi non obliget rigorose ex iustitia. Et idem dicendum de huiusmodi pacto in contractu mutui, ut probat Viva [15]. Praeterea hic advertendum cum Viva[16] et s.Th.[17] quod licet possit mutuator exposcere a mutuatario, ut satisfaciat suae obligationi antidorali (intellige semper sine pacto, itemque si exposcatur satisfactio illa, non vero promissio, quia petita promissione, etiam peteretur nova obligatio fidelitatis, ut mox diximus, quod adhuc in mutuo illicitum est): ratio, quia mutuator dat quod suum est; hoc tamen nequit exposcere dans aliquid spirituale, praecise ob eius collationem, quia suum non praestat, sed quod Christi est: unde, licet possit aliqua gratitudo exerceri erga collatorem rei spiritualis ob eius benevolum animum, non potest tamen exerceri in gratuitam compensationem ipsius rei spiritualis.

54. Quaeritur 4. an sit simonia mentalis, dare spirituale principaliter ob temporale, vel contra. Negant Sotus Val. Cai. Sanch. Less. Laym. etc. ap.

(1) De simon. n. 612. (2) L. 5. p. 1. n. 84. (3) L. 4. tr. 10. c. 8. n. 26. (4) Ibid. (5) P. 6. tr. 7. r. 42. (6) P. 3. tr. 2. r. 64. (7) Tr. 10 c. 8. n. 9. (8) In prop. 45. Inn. XI. n. 2. (9) De simon. n. 596. (10) Tr. 19. c. 1. n. 64. (11) C. 1. n. 66. 67. et 68. (12) Loc. c. (13) De sim. c. 1. q. 5. in fin. (14) C. Quam pio, c. 1. q. 2. (15) In prop. 42. Innoc. XI. (16) In praedict. prop. 45. (17) Q. 13 de malo, a. 4.

Salm. [1]. Sed omnino est affirmandum, et contrariam opinionem recte asserunt Salm. [2] fuisse damnatam ab Innoc. XI. in propos. 45. quae dicebat: *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut contra.* Et propos. 46. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo, etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis.*

Merito hoc damnatum est; nam, quamvis ibi dicatur ob motivum, non pretium, et certum sit, simoniam non committi, nisi interveniat venditio rei spiritualis; attamen ibi revera motivum idem est quam pretium. Quando enim, ut recte notant Viva[3] et Salm.[4], datur res mere spiritualis, uti sunt sacramenta, beneficia, etc. principaliter propter temporalem rem alicuius magni momenti (secus si parvi), quae apta sit moraliter pervertere voluntatem alterius; tunc spirituale difficile datur omnino gratis, sed practice datur cum aliquo pacto implicito imponendi alteri novam obligationem: et sic motivum virtualiter convertitur in pretium. Et hoc patet ex ipsa *dict. propos.* 46. ubi additur in fine: *Imo etiamsi temporale sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis.*

55. Quaer. 5. an liceat accipere aliquid pro administratione sacramentorum. Resp. 1. quod in administratione sacramentorum aliarumque functionum spiritualium est simonia accipere pecuniam, tamquam pretium rei sacrae, vel laboris intrinseci in iis actionibus requisiti. Secus, si labor sit extrinsecus, puta si sacerdos deberet celebrare cum cantu, vel tali hora, aut loco, et simili. Ita Ronc. [5] et Salm. [6] cum Cai. Sot. Less. Sanch. Pal. Tol. et aliis comm. Resp. 2. e converso non est simonia accipere pecuniam, non ut pretium, sed ut stipendium sustentationis, etiam pro labore intrinseco in talibus ministeriis impendendo: unusquisque enim qui in commodum alterius se occupat debet ex iustitia ab eo sustentari ex illo Lucae[7]: *Dignus est operarius mercede sua.* Ita comm. etiam dd. ut Anacl.[8] Cabass.[9] et Suar. Less. Tol. Sanch. et alii ap. Salm. [10] cum s. Th. [11] qui sic docet: *Vendere quod spirituale est in huiusmodi actibus, aut emere, simoniacum est. At accipere aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium, secundum ordinem ecclesiae, et consuetudinem approbatam, licitum est.* Haec autem consuetudo invenitur approbata ex iure can.[12]. Idque currit, etiamsi minister aliunde sit locuples ex bonis propriis, vel ecclesiasticis, ut adhuc comm. dicunt Roncag. et Salm.[13] cum Suar. Less. Sanch. etc., ac s. Th. praecipue [14]: quia, ut ait Apost.[15]: *Quis militat suis stipendiis unquam?* Hinc licitum est etiam de tali stipendio pacisci, dummodo non excedatur taxa vel consuetudo, prout dicunt Ronc. [16] cum Laym. Pal. Gutt. et Salm. [17] cum Suar. Tol. Sanch. ac aliis passim. Nec obstat *c. fin. de pactis*, et *c. Si nos, de sim.* ubi prohibetur quodvis pactum in spiritualibus; nam praefati textus vel explicandi sunt de pactis inhonestis, ut sentit Ronc. cum Gloss.[18]; vel, ut asserit Less.[19] cum Sot. illis per contrariam consuetudinem derogatum est, prout probat ex *c. ult. de pactis.*

Quaer. 6. an pariter sit simonia celebrare missas, administrare sacramenta, assistere in choro, concionari, et similia principaliter ob temporale emolumentum: *Prima sententia* pariter affirmat cum Viva[20] et Carden. cum aliis ap. La-Croix [21] ex s. Th. qui [22] dicit, quod qui ad ecclesiam vadit principa-

(1) Tr. 19. c. 2. de sim. n. 59. (2) Ibid. n. 60. (3) In dict. propos. n. 6. (4) C. 2. n. 58. (5) De sim. c. 2. q. 2. (6) C. 2. n. 19. (7) 10. 7. (8) De sim. q. 3. n. 28. (9) Th. I. l. 5. c. 5. n. 14. (10) N. 21. (11) 2. 2. q. 100. a. 3. (12) C. 12. de praebend. et c. Ex his 22. caus. 12. q. 1. (13) Loc. cit. (14) Quodl. 7. a. 10. (15) 1. Cor. 9. 7. (16) Ibid. (17) N. 22. (18) In c. ult. de pactis. (19) L. 2. c. 35. n. 99. (20) In dict. prop. 45. n. 7. (21) L. 3. p. 1. n. 60. (22) Quodl. 8. a. 11.

liter ob distributiones, peccat mortaliter ob simoniam; nisi principaliter intendat Deum, et secundario distributiones. Hinc inferunt, ordinarie committere simoniam celebrantes in mortali.

Secunda tamen probabilior quidem sententia, quam tenent Salm.[1] Suar.[2] Pal.[3] Coreglia[4] cum Sot. Dian. etc. item Sanch. Sylv. Con. Mald. et alii apud Croix[5] dicit simoniam tunc tantum intervenire, quando temporale accipitur pro pretio spirituali, unum cum alio aequiparando; non vero quando accipitur tanquam stipendium ad sustentationem ministri, qui praedicta munera exercet: quod stipendium debetur ex iustitia, ut Elbel[6] cum Laym. et Pal. Confirmat Croix[7] recte sic arguens: qui dat stipendium principaliter propter missam, quae certe res spiritualis est, nunquid dicitur simoniacus? Sic vice versa neque simoniam committit, qui dicit missam principaliter ob stipendium. Illicitum enim non est, ut notat cum Nav. et Suar. ordinare rem spiritualem; etiam principaliter, ad finem temporalem honestum.

Nec obstat *prop.* 46. dicens: *Etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale.* Ibi enim, ut diximus in *qu. praeced.* motivum accipitur per idem ac pretium rei spiritualis. At in casu nostro temporale accipitur ut stipendium non rei, sed personae occupatae in gratiam alterius, cui debita est sustentatio, ut supra declaratum est. Nec etiam obstat quod ait s. Th.[8]. Nam animadvertere oportet, quod in nostro casu dupliciter potest lucrum intendi, vel ut finis operis, vel ut finis operantis. Cum lucrum intenditur ut finis operis, ita ut ipsum opus spirituale intendatur vendi, tunc certe committitur simonia; et sic intelligendus s. doctor (ut dicunt Salmant.[9]) dum[10] dicit: *Et ideo simoniam committit, qui huiusmodi actum vendere intendit... Si distributiones recepit quasi finem sui operis principaliter intentum.* Secus vero dicendum, quando lucrum intenditur ut finis operantis, scilicet ratione operationis personae occupatae in gratiam alterius, quia tunc lucrum accipitur pro stipendio sustentationis, et non est simonia. Hinc dicunt Salm.[11] cum Sanch. licite oeconomum accipere stipendium a parocho ad vices suas praestandas. Dicunt etiam[12] cum Suar. et Laym. quod, tametsi sit simonia dare pecuniam pauperi, ut pro te applicet orationis suae impetrationem, aut satisfactionem, licitum tamen est dare, ut pro te oret, ad modum stipendii. Hoc vero alia ratione admittit d. Th.[13] dicens: *Qui dat pecuniam pauperibus ut pro eo orent, non emit orationem, sed dat ad alliciendum.* Caeterum qui sacra ministeria peragunt principaliter ob emolumentum temporale, non facile excusari possunt culpa veniali, cum sit quaedam inordinatio dirigere spiritualia ad temporalia, ut aiunt Salm.[14].

Communiter autem a dd. cum s. Th. ea quae habent rationem pretii in simonia, tripliciter denominantur, nimirum *Munus a manu*, *Munus ab obsequio*, *Munus a lingua*[15]. De singulis hic videndum.

56. 1. Per *munus a manu* intelligitur pecunia et quodcumque temporale quod pretio aestimabile est. Hinc simonia est dare rem spiritualem cum pacto ut alter remittat debitum, et etiam ut solvat pecuniam alias debitam, quia spiritualia omnino gratis et sine respectu ad temporalia danda sunt. Salm.[16] cum s. Th. Suarez etc. Simoniacum etiam esse pactum de praestando mutuo in futurum, ut certum est. Vide Salm.[17].

57. Sed quaeritur 1. an sit simonia dare mutuum, ut eodem tempore beneficium, aut alia res spiritualis retribuatur, vel contra. Videtur, quod non, pariter ac si mutues cum pacto ut alter se obliget ad remutuandum in futurum, esset quidem usura: non vero si cum pacto, ut eodem tempore alter

(1) De sim. c. 1. n. 60. (2) De relig. tr. 3. l. 4. c. 44. n. 11. (3) Tr. 17. d. 3. p. 1. n. 2. (4) In d. prop. 45. (5) L. c. n. 62. (6) N. 621. (7) Ibid. n. 62. (8) In cit. Quodlib. 8. (9) N. 61.

(10) Ibid. (11) C. 2. n. 32. (12) N. 15. (13) In 4. d. 25. q. 3. a. 2. q. 2. (14) N. 60. (15) Ex c. Sunt nonnulli 114. 1. q. 1. (16) C. 1. n. 24. (17) Tr. 19. c. 2. n. 54.

aliud tibi remutuet; sicuti quoad mutuum approbant Salmant. [1] cum Less. Vill. Dian. etc. docet s. Th. [2]. Ratio, quia nihil tunc pretio aestimabile percipitur ultra sortem. Sed in casu nostro omnino tale pactum tenendum est ut simoniacum: quia hic simonia est tradere quicquid temporale pro spirituali. Ita Viva [3] et Salm.[4] communiter cum Laym. Less. Bon. Pal. Nav. Fill. etc.

58. Quaer. 2. an inter munera a manu computetur pensio, nempe si episcopus dans alicui beneficium, peccet cum eo conveniendo, ut pensionem alteri solvat. Respondetur affirmative, cum tale onus sit pretio aestimabile. Salm.[5] cum Suar. Val. Tol. et communi. Hinc certe simonia est pacisci cum aliquo, ut, si te adiuvet ad obtinendum beneficium, illi pensionem solvas. V. Salm. [6].

59. Quaer. 3. an sit simonia dare aliquid temporale sub conditione ut alter praestet rem spiritualem in commodum tamen suipsius, nempe, si promittas dotem puellae, si ingrediatur in monasterium: munera adolescenti, si frequentet sacramenta. Respondetur negative, quia haec est simplex donatio, licet sub conditione, quae tamen non addit onus. Salm. [7] cum Suarez Less. Pal. etc. Secus si imponeretur obligatio simpliciter, v. gr. ingrediendi religionem etc. ut docet s. Thom. [8] vel si conditio esset de praestando aliquid in utilitatem dantis, puta, si ingressus illius in religionem cederet in dantis commodum; tunc enim esset quaedam commutatio temporalis cum spirituali. Ita Salm. [9] cum Laym. Pal. et Suarez. Vide dicenda *n.* 91.

60. Quaer. 4. an sit simonia dare beneficium cum pacto ut alter subeat aliquod onus etiam spirituale. Respondetur, quod si beneficio de iure, vel ex illius institutione inest onus, v. gr. docendi, canendi, etc.; vel si ab episcopo cum capitulo imponatur beneficio vacanti onus aliquod honestum v. gr. infirmis assistendi etc. certe non est simonia, ut Salm. [10] ex communi cum s. Thom. [11]. Dubium est, an a resignante, vel praesentante ad beneficium possit beneficiario imponi aliquod onus spirituale. Affirmant aliqui ap. Sanch.[12]. Sed dicendum est, quod licet in aliis rebus spiritualibus possit dari commutatio, v. gr. applico pro te missam, ut mane applices pro me: in beneficiis tamen quodcumque pactum est simoniacum[13]. Ita Sanch. [14] et Salmant. [15] cum Suar. Bon. etc.

61. II. Sequitur *munus ab obsequio*, per quod intelligitur omne quod ad servitutem pertinet, ut est famulari, docere, etc. ad finem obtinendi aliquid spirituale. Hinc certe est simonia conferre beneficium famulo, ut gratis inserviat, vel ut compensetur ei famulatus praestitus. Et sic contra, si famulus inserviat, ut loco salarii beneficium consequatur. Salm.[16] cum Laym. Less. Suar. et communi. Hinc recte inferunt Salm. [17] cum Torre, sine dubio simoniacos esse episcopos qui volunt famulos sibi inservire sola vel fere sola spe beneficii. Advertunt tamen, in omnibus praedictis casibus non incurri poenas, nec obligationem restitutionis, nisi pactum expressum intercedat, [18] uti infra *de poenis n.* 106.

62. Utrum autem sit simoniacus famulus qui gratis inservit episcopo, cum spe tamen beneficii, sed sine ullo ne tacito quidem pacto. Negant Laym. Suar. Less. Sanch. etc. ap. Croix [19]. Imo Sanch. [20] contra Carden. et Pirh. dicit non esse simoniam, licet principaliter ob beneficium famuletur, sed hoc nullo modo admittendum iuxta dicta *n.* 51. *et seq*.

63. III. Sequitur *munus a lingua*, per quod intelliguntur laudes, favores, intercessiones, preces et similia, quae pretio sunt aestimabilia. Vide Salm. [21]. Hinc est simonia, si episcopus det ali-

(1) De contr. c. 3. n. 62. (2) 2. 2. q. 78. a. 2. ad 4. (3) In d. pr. 45. n. 3. (4) De simon. c. 1. n. 36. (5) Ibid. c. 1. n. 39. (6) Ibid. (7) Ibid. c. 1. n. 49. (8) 2. 2. q. 10. a. 2. ad 4. (9) Ibid. n. 41. (10) D. c. 1. n. 42. et 47 (11) Ex c. Significatum, de praeb. (12) Cons. t. 1. c. 3. dub. 25. n. 6. (13) Ex c. Quam pio. 1. q. 2. (14) Loc. c. (15) Ibid. n. 44. (16) C. 1. n. 25. et 30. (17) In d. n. 25. (18) Ex c. Mandatum, de simon. (19) L. 3. p. 1. n. 37. (20) Ibid. (21) C. 1. n. 25.

cui beneficium ut illum laudet, faveat etc. Vel si dicas: *Non conferam tibi beneficium, nisi talis persona me roget*, Salm. [1] cum Less. Laym. Bon. Suar. et communi.

64. Quaeritur hic 1. an sit simonia si des pecuniam mediatori, ut tibi obtineat beneficium, vel ordinationem. Dicendum est, quod si des non pro mediatione, sed pro labore suscipiendo, vel pro damno subeundo, aut lucro amittendo ab eo, et pecunia sit utique cum illis proportionata, non est simonia. Ita Less. [2] Croix [3] Salm. [4] cum Sanch. Suar. Pal. etc. Idem ibi dicunt Sanch. Pal. cum Suar. Mendo etc. apud Croix [5] si des pecuniam famulo episcopi, ut facilem tribuat aditum; vel si des ei gratis, ut factus benevolus obstacula removeat: sed hoc ultimum est valde periculosum. Pariter probabiliter dicit Croix [6] contra Pal. non esse simoniam dare pecuniam alicui, ut tibi notitiam tribuat de beneficiis vacantibus: quia haec valde remote se habent ad consecutionem rei spiritualis.

Nec etiam esse simoniam (licet sit periculosum) dicunt Salm. [7] cum Bon. Pal. Azor. Sanch. Fill. etc. si des alicui pecuniam, ut tua merita simpliciter episcopo proponat, quia ad simoniam requiritur, ut obtentio rei spiritualis sit immediatus finis praestationis pecuniae: non autem sufficit quod sit quid consequens ex alio immediato, nullam habens connexionem cum illo, ut dicunt Salm. [8] cum Suar. Nav. Garcia. Sed valde timendum est, ne alter relinquat officium informantis, et officium sumat intercedentis.

E contrario dicendum est veram esse simoniam (etiam de iure divino, ut tenent Salm. [9] cum Suar. Bon. Fill. Sot. contra Sanch. et Nav.), si des pecuniam mediatori, non gratis ad conciliandam illius amicitiam, ex qua motus te adiuvet; sed cum pacto ut intercedat ad rem spiritualem obtinendam, ex iure can. [10] ubi: *Simoniam committi, cum pecunia datur pro collatione..... favore, seu mediatione.* Vide Salm. [11]. Et oppositum puto improbabile, quicquid dicat Elbel [12] cum aliis. Nam, licet detur temporale immediate pro alia re mere temporali, prout est illa intercessio; verumtamen *sic per pecuniam parares tibi viam ad rem spiritualem obtinendam*, ut in simili casu ait s. Thom. [13] et in nostro particulari Croix [14] ac Fill. Anacl. etc. ap. Elbel [15].

65. Quaeritur 2. an sit simonia dare pecuniam intercessori mediato, scilicet ut ipse intercedat apud alterum, qui tibi obtineat beneficium a collatore. Sanch. [16] Vasq. et alii putant probabile, non esse simoniam (licet oppositum censeant probabilius). Ratio, quia datur tunc pecunia pro re temporali, qua non proxime, seu immediate, sed remote paratur via ad beneficium: Diana tamen [17] et Croix [18] melius dicunt contrariam esse sequendam; et an prima sit probabilis, Diana dubitat, cum se remittat iudicio sapientum. Et merito dubitat, secundum mox supra dicta.

66. Quaeritur 3. an sit simonia, si promittas pecuniam alteri, ad erogandam illam in eleemosynam alicui monasterio, vel pauperibus, si ille obtinebit tibi beneficium. Negant Salm. [19] cum Diana Soria et Rocaf. Intellige si pecunia datur omnino gratis, et in eleemosynam, quae iam constituit titulum honestum excusantem a simonia, sicut excusat titulus sustentationis etc. ut supra.

67.« Resp. 2. Simonia est triplex. *Prima* dicitur *mentalis*, cum exterius vel nihil datur temporale (et dicitur *pure mentalis*), vel cum aliquid datur (et dicitur *mixte mentalis*) cum intentione obligandi ad reddendum spirituale, sine ullo pacto externo. *Secunda* dicitur *conventionalis*, quae ad ipsum pactum exterius procedit sine reali executione; diciturque *pura*, si sistat in mutua conventione; *mixta* autem, si de reali et conventionali aliquid par-

(1) C. 1. n. 51. (2) L. 2. c. 35. n. 40. (3) Ib. n. 91. (4) C. 1. n. 50. (5) Ibid. n. 93. (6) Ibid. n. 94. (7) Num. 51. (8) Ibid. (9) Dict. c. 1. n. 53. (10) Extrav. 2. de sim. (11) D. c. 1. n. 52. et 53.

(12) Num. 607. (13) 2. 2. q. 100. a. 2. ad 5. (14) L. 3. p. 1. n. 90. (15) N. 608. (16) Cons. t. 1. l. 2. c. 3. d. 26. n. 7. (17) P. 10. tr. 4. r. 151. (18) L. 3. p. 1. n. 90. (19) D. c. 1. n. 54.

ticipet, ut v. gr. si ex altera tantum parte realiter compleatur, atque huc reducitur simonia *confidentiae*, cum quis alteri dat beneficium, ut illud sibi vel alteri resignet, vel cum onere dandi certam partem fructuum. *Tertia* dicitur *realis*, quae scilicet utrinque realiter completur. Vide Less. [1].

68. » 2. Simonia dividitur in eam quae est *iuris divini*, estque prohibita propter malitiam suam; v. gr. hostiam consecratam vendere: et eam quae est *iuris humani*, estque mala tantum propter prohibitionem, et sic ab ecclesia prohibetur: 1. venditio beneficiorum secundum id quod in ipsis temporale est, scilicet quoad ius praecisum percipiendi fructus. 2. Venditio officiorum extrinsece tantum ordinatorum ad res sacras, v. gr. sacristae, oeconomi, advocati ecclesiae, (Scilicet qui specialiter constituitur advocatus ab ecclesia: adde *vicedomini et castaldi*, seu *maiordomi*, ex iure canon. [2]), vide Salm. [3]) thesaurarii. 3. Obligatio pecuniae alicui facta, ut suadeat alteri ut det beneficium. 4. Pactio de resignando beneficio, vel solvenda pensione, si alter beneficium tibi impetret. 5. Permutatio et resignatio beneficiorum; item reservatio pensionis ex beneficio resignato, et in casu permutationis beneficiorum aequatio fructuum, etc. si absque superioris auctoritate fiant, quae si accedat, licita erunt. 6. Acceptio muneris, etiam sponte oblati, pro examine ad parochiam, ex Trid. [4] pro collatione ordinum, pro tonsura, literis dimissoriis, ex Trid. [5]. Excipitur tamen decima pars aurei pro notario, si salarium non habeat, et consuetudo permittat. 7. Exactio pecuniae pro admissione ad religionem, non pro statu tantum (is enim spiritualis est, ideoque iure divino invendibilis), sed etiam pro onere sustentationis: nisi monasterii tenuitas, vel consuetudo contraria excusent. Vide Laym. [6] Bonac. [7] Less. Azor. [8]. »

69. Quaeritur an possit dari simonia de iure humano, quin sit simonia de iure divino. Negat Gonet [9] quia homines, ait, minime possunt rerum naturam immutare, ut sit simonia, quod simonia non est. Communis tamen est sententia opposita ap. Salm. et Croix [10] cum Suar. et Card. qui probant recte posse ecclesiam efficere ut materia alicuius sui praecepti sit materia alicuius virtutis, sicut hic religionis. Vide Croix [11].

Sed pro maiori intelligentia singula discutere satagimus in sequentibus quaestionibus.

Quaestio 1. quonam iure simonia sit vendere beneficia. Esse simoniam tantum de iure eccles. tenent Nav. Man. [12] Less. [13] cum Adrian. item Garc. Less. Panorm. etc. cum Decio, qui dicit esse communem sententiam canonistarum ap. Salm. [14] et Bon. putat probabilem. Ratio, quia in beneficiis duo dicunt esse iura, unum ad exercendas spirituales functiones ordinis vel iurisdictionis; et hoc est certe invendibile iure divino. Alterum ad reditus temporales, quod mentaliter separari potest, sicut in calice separatur valor argenti et consecrationis; et ideo tale ius est invendibile tantum iure positivo.

70. Probabilius tamen Cai. [15] Sotus [16] Sanch. [17] Palaus [18] Azor. [19] Laym. [20] et Salm. [21] cum Val. Vict. Led. Bon. Cov. etc. dicunt esse simoniam de iure divino ex d. Thom. [22] qui docet, aliud esse temporale in calice, quod est antecedenter annexum ad spirituale: aliud quod subsequenter, ut in beneficiis, in quibus ius ad reditus subsequenter, et ita annexum est cum iure ad officia ecclesiastica, ut nullo modo separari possit, cum ius temporale essentialiter detur propter officium spirituale: ita ut si consideretur ius ad reditus se-

(1) L. c. d. 6. (2) C. Si quis 1. q. 1. et c. Salvator 1. q. 3. (3) C. 1. n. 13. (4) Sess. 24. c. 18. (5) Sess. 21. c. 1. (6) L. 4. tr. 10. c. ult. (7) D. 1. q. 1. et 2. (8) 3. p. l. 12. c. 14. (9) In diss. de prob. n. 14. (10) L. 3. p. 1. n. 57. (11) Ibid. (12) C 25. n. 108. (13) C. 55. n. 19. (14) Tr. 19. de simon. c. 2. n. 57. (15) T. 2. opusc. 3. tr. 9. q. 1. (16) De iust. l. 9. q. 7. a. 1. (17) Consil. 2. c. 3. dub. 24. n. 1. (18) Tr. 17. d. 3. p. 13. n. 3. (19) P. 3. l. 12. c. 11. q. 3. (20) L. 4. tr. 10. c. 8. n. 44. (21) Loc. c. (22) 2. 2. q. 100. a. 5.

paratum a iure ad officia sacra, iam amplius dici non posset ius beneficiale, nec beneficium, ut colligitur ex iure canonico [1]. Hinc inferunt Salm. [2] nullam esse dispensationem in venditione beneficii, licet a pontifice obtineatur. Notant tamen [3] quod papa bene separare potest ius reditus a iure ad sacra, et ita concedere potest, ut vendantur reditus tanquam mere temporales, vel ut aliqua super beneficium pensio imponatur separando tunc partem fructuum illius, et alicui tradendo: et alibi confirmant [4]. Et idem docent Less. [5] et Croix [6].

Nota hic obiter, beneficiariis concessum esse locare fructus beneficii usque ad triennium, sed non ultra. Locare autem decimas esset simonia. Vide Croix [7]. Sicut etiam esset simonia elocare rem spiritualem, puta calicem; licet compensandum sit detrimentum temporale, Croix [8].

71. Quaestio 2. an sit simonia vendere iuspatronatus. Loquimur non de iurepatronatus civili, sed ecclesiastico, quod ab ecclesia conceditur iis qui ad templa construenda vel dotanda concurrunt. Hoc ius quoad honores et subventiones quae patronis debentur, bene vendi potest: quia quoad illa non dicitur spirituale, ut Salm. [9].

Dubium est, an vendi possit ius praesentandi ad beneficium. Respondetur, quod, si tale ius est affixum rei, vendita re ius transfertur simul cum re in emptorem, ut s. Th. [10]. Sicut etiam transferri potest donatione aut titulo haereditario. Vid. Salm. [11]. Extra hos casus vendi nequit tale ius sine simonia de iure positivo [12]. Hinc est simonia, si patronus vendat pluris rem ratione talis iuris, vel imponat praesentato, v. gr. ut suis expensis litiget et probet ius ad illum patronum spectare. Secus vero dicunt Salmant. [13] quando, vertente litigio circa iuspatronatus, apponitur conditio, ut, si intra tot menses praesentatus praesentationem suam non fuerit prosecutus, patronus possit alium praesentare, quia tunc ille remanet in sua libertate, nec obligatur ad probandum ius patroni pro illo, sed pro se si voluerit consequi beneficium. Ita Salm. [14]. At in hoc magnum censeo esse periculum, quod virtualiter vendatur talis praesentatio pro expensis, quae de iure a patrono fieri debebant.

An autem venditio talis iurispatronatus sit vetita etiam iure divino. Affirmant Less. Pal. Laym. etc. apud Salm. [15] quia ius tale est quid spirituale, cum procedat a potestate iurisdictionis ecclesiasticae. Negant vero Sanch. Sot. Sil. Nav. Torre Dec. et alii quorum sententiam dicunt Salm. [16] non esse minus probabilem. Ratio, quia potius tale ius est quid temporale, cum sit temporalis favor concessus ab ecclesia, quatenus ipsa exercet potestatem non iam iurisdictionis, sed politicam, eminenter in illa contentam, ad quam spectat favores temporales distribuere.

Notandum hic, quod vendere ius sepulturae in loco sacro ob digniorem locum, probabiliter non est simonia, ut ait Croix [17] cum Barb. Burg. et Caram. contra Suar. etc.

72. Quaestio 3. an possint permutari beneficia. Certum est quod in aliis rebus spiritualibus praeter beneficia, licita est permutatio, quando res sunt mere spirituales, v. gr. *Ego dico missam pro te, ut pro me dicas tot rosaria etc.* Quando vero coalescunt ex spirituali et temporali, tunc distinguendum; nam si res temporales sint antecedenter annexae rebus spiritualibus: ut argentum calicibus, arculae reliquiis, ipsae bene permutari aut vendi possunt; modo ratio habeatur solius valoris rei temporalis. Ita s. Thom. [18] Salm. [19] Elbel [20] cum Suar. et comm. Secus vero dicendum, si res temporales consequenter annectantur, ut fructus beneficiis, in quibus quaecumque

(1) C. Si quis 1. q. 3. et c. Et diligenti, de simon.
(2) D. n. 59.
(3) N. 63.
(4) C. 5 n. 30.
(5) L. 2. c. 35. n. 19.
(6) L. 3. p. 1. n. 123.
(7) Ib. n. 124. et 125.
(8) Ib. n. 156.
(9) C. 2. n. 75.
(10) 2. 2. q. 100. a. 4. ad 3.
(11) Ibid. n. 76.
(12) Ex c. De iure, et c. Praeterea extra. De iurepatr.
(13) Ibid. n. 77. in fine.
(14) Ibid. n. 77.
(15) D. c. 3. n. 78.
(16) Ibid. n. 78. 79. 80.
(17) L. 3. p. 1. n. 185
(18) 2. 2. q. 100. a. 4.
(19) C. 3. n. 18.
(20) De sim. n. 600.

permutatio est simoniaca sine auctoritate superioris, non iam ex iure divino, sed ex iure positivo [1]. Hinc episcopi possunt concedere permutationes beneficiorum existentium in dioecesibus, ut s. Thom. [2]. Modo beneficia non pertineant ad pontificem [3]. Et idem possunt abbates facultatem episcoporum habentes. Salm. [4] cum Suar. Bon. etc. Hoc tamen non currit, si quis ad beneficium sit tantum electus; vel si lis vertat super beneficio. V. Salm. [5].

Licitum est autem volentibus permutare beneficia antecedenter pacta convenire, et etiam se obligare ad poenam solvendam a retrocedente, ut Less. [6]. Dependenter tamen a consensu praelati, quia tunc obligatio non est nisi conditionata. Salm. [7] cum Sanch. Pal. Val. Suar. Less. Laym. etc. [8].

Sed quaeritur an permutatione postea effectum non habente, possint propria auctoritate redire ad sua beneficia. Negant Salm. [9] cum Panormit. et Gomez, qui pro hac sententia affert plures decisiones rotae, quia renuncians amittit titulum ac possessionem beneficii, unde ad redeundum eget nova collatione; merito dicunt tamen contrariam etiam esse probabilem, quam tenent s. Anton. et Silv. Ratio, quia renunciatio illa est conditionata, si praelatus consentiet: unde non accedente postea praelati consensu, omnino invalida est.

73. Quaestio 4. an possit beneficium cum pensione permutari.

Praenotandum, quod eo casu ad acquirendam pensionem quatuor requiruntur ex Less. [10] nempe 1. ut obtinens sit capax, scilicet legitimus, non excommunicatus et saltem tonsuratus. 2. Ut adsit iusta causa, v. gr. ad alendum pauperem, ob bonum ecclesiae, ad aequalitatem compensandam, alias obtinens non erit tutus in conscientia, etiamsi papa dispensaverit, ut Less. [11] cum Tolet. et comm. Utrum autem requiratur etiam consensus patroni. Negat Less. cum aliis, nisi beneficium resignetur, quo casu debet fieri mentio patronatus. 3. Requiritur ut pensio sit moderata, ita ut iuxta usum non excedat tertiam partem redituum beneficii. 4. Ut interveniat legitima auctoritas quae certo est in pontifice.

74. His positis, dubitatur 1. utrum episcopi possint constituere pensiones in beneficiis. Affirmant ap. Less. [12] Gigas cum Felin. Imola Decio etc. si adsit iusta causa, nempe ad alendum parochum senem et ineptum; ad finiendam litem super beneficio, etc. [13]. Item ad compensandam aequalitatem in permutatione beneficiorum [14]. Alii tamen cum Less. [15] et Salm. [16] dicunt solum pontificem posse constituere pensiones, quia talis est curiae stylus, qui facit ius. Vid. *n.* 81. *vers.* 2. *Absolute.*

Sed notandum hic 1. quod pensionarii ex bulla Pii v. tenentur recitare officium beatae M. V., alias non faciunt fructus suos. Vide Lessium [17]. Hoc tamen intelligitur, si pensio sit clericalis, ita ut requirat primam tonsuram, non vero si sit mere laicalis, ita ut eius fructus pensionarius non exigat ut clericus, sed ut laicus, prout tenent Salmant. [18] cum Azor. Navar. et Pal. Item intelligitur, si pensionarius non sit clericus in maioribus vel religiosus; nam si recitet officium maius, vel alias preces a sua religione praeceptas, ad parvum non tenetur. Ita communiter Salmant. [19] cum Azor. Led. Pal. Bon. etc.

Notandum 2. quod, cum quis resignat beneficium cum pensione in favorem tertii, non potest exigere hypothecam, vel fideiussionem, aut anticipatam solutionem a pensionario, nisi haec simul a papa admittantur; quia iura prohibent circa beneficia omnia pacta quae de iure in eis non insunt. Unde censet Less. [20] in tali casu non esse ob-

(1) C. Quaesitum de rer. permut. (2) 2. 2. q. 100. a. 1. ad 1. ex c. Universorum, de rer. permut. (3) Ut in extrav. Dudum Bened. xi. (4) Ex n. 21. (5) Ibid. n. 26. (6) L. 2. c. 35. n. 104. in fine. (7) D. c. 3. n. 27. (8) Ex c. Inter caet. de praeb. (9) C. 3. n. 28. (10) L. 2. c. 34. dub. 30

(11) Ibid. n. 204. (12) D. c. 34. n. 205. (13) Ex c. Nisi essei 21. de praeb. et c. Audivimus 3. de collus. (14) Ex c. Ad quaestiones, de rer. perm. (15) Ibid. (16) C. 3. n. 51. (17) D. c. 34. n. 208 (18) De benef. tr. 24. n. 64. (19) Ibid (20) Ibid. n. 9

ligationem solvendi pensionem, et beneficium vacare.

75. Dubitatur 2. quomodo possit beneficium permutari cum pensione, et cuiusnam auctoritate. Distinguendum, si pensio est spiritualis, potest fieri permutatio, sed auctoritate pontificis, non episcopi: nisi pensio illa spiritualis sit insuper erecta in titulum beneficii, uti sunt praestimonia, quia tunc sunt vera beneficia, et episcopus recte potest concedere permutationes beneficiorum, ut Salm. [1] et uti diximus supra *quaest. praeced.* Si autem pensio est mere temporalis, neque auctoritate pontificia potest fieri talis permutatio, cum sit simonia contra ius divinum, ut Salm. [2] cum Suar. Bon. Tor. Vill. etc. Pontifex tamen, ut supremus dispensator, praescindendo a permutatione, sicut potest beneficio plures fructus addere, sic potest ab illo partem fructuum detrahere et alteri dare, ut docet Less. [3] qui hoc dicit esse certum, cum communi dd. Et consentiunt Salm. cum cit. aa. [4] ut dictum est *in quaest.* 1. *n.* 70.

76. Sed magna quaestio est, quando beneficia permutanda inaequalia sunt, an liceat inaequalitatem compensare per aliquam pensionem, seu pecuniam auctoritate pontificis. Affirmat probabiliter *prima sententia*, quam tenet Lessius [5] cum Caiet. Sot. Sylv. Angel. etc. Ratio, quia tunc nudi tituli beneficiorum simpliciter commutantur, et separantur a proventuum iuribus, quae temporalia sunt, et per alium contractum compensatur excessus, ut loquitur Less. [6] et probat *ex cap. ad quaest.* 6. *de rer. permut.* ubi Clemens III. approbat permutationem duarum ecclesiarum parochialium, compensato per pecuniam excessu ditioris. Negat vero *secunda sententia* probabilius, quam tenet Anacl. [7] cum Laym. Covarr. Vasq. et Salm. [8] cum Nav. Sanch. Fill. Suar. Bon. quia esset simonia contra ius divinum, dum emeretur spirituale pro temporali; ille enim excessus consequenter est annexus titulo spirituali beneficii. Caeterum dicunt Salmantic. [9] posse pontificem approbare contractum non per modum permutationis, sed separando a beneficio pinguiori partem fructuum, et alteri dando, ut mox supra diximus.

Certum est autem esse simoniam compensare pecunia excessum qui sit in re spirituali, puta ob maiorem dignitatem, iurisdictionem. Contra vero non est simonia commutare beneficium pinguius cum alio digniore: modo nullus habeatur respectus ad compensandum excessum redituum cum excessu dignitatis. Vide Salm. [10].

77. Quaest. 5. est, quomodo in beneficiis liceat fieri transactio.

In aliis materiis spiritualibus certum est quod licet transactionem facere etiam auctoritate propria; Salm. [11]. Sicuti licet rem spiritualem cum alia permutare, uti diximus supra *quaest.* 3. Sed in beneficiis requiritur saltem auctoritas episcopi, etsi transigatur spirituale pro mere alio spirituali [12] ut Salm. [13] cum Suar. Pal. etc. Advertendum tamen, hoc non tollere, quod partes possint acquirere sua iura cedendo, vel se remittendo arbitris, qui saltem sint clerici; modo nulla fiat divisio iurium aut redituum, et nullum cedenti onus imponatur [14], Salm. [15] cum Laym. Bon. Fill. Pal. Suar. Simonia autem est, litem componere interventu sortium sine consensu superioris, cum omnis pactio sit illicita in beneficiis, Croix [16] cum Suar. etc.

78. Sed dubitatur 1. an licite episcopus possit litem componere cum aliquo onere, ita ut obtinens beneficium solvat aliquid cedenti. De se non videtur licere, cum commutetur spirituale pro temporali; sed ob aliquas causas cohonestari potest: 1. ob bonum pacis, quae conducit etiam ad bonum spirituale [17]: 2. ob aequitatem, ne cedens remaneat sine alimentis quibus eget: 3. ob laborem et expensas, quas cedens

(1) C. 3. n. 29. (2) Ibid. (3) D. c. 35. n. 89. et 91. (4) N. 36. (5) D. c. 35. a. 101. (6) C. 35. n. 102. v. 3. (7) De benef. tr. 11. d. 2. q. 3. n. 50. (8) C. 3. n. 34. (9) N. 35 (10) Ibid. n. 32. (11) C. 3. n. 42.

(12) Ex c. Super eo et c. Statuimus de trans. (13) D. n. 43. (14) Ex d. c. Super eo. (15) Ibid. n. 40. et 48. (16) L. 4. n. 538. (17) Ex c. Nisi de praeb.

sit passus, et alter passurus foret, si ille non cederet. Salm.[1] Pal. Bon. etc. Quinimmo Laym.[2] cum Suar. et Abb. et Salm.[3] cum Pal. Fill. Bonac. docent datum esse etiam arbitris (qui tamen sint clerici) componere lites cum tali onere, modo non sit annua pensio, et modo non removeatur beneficium a possessore; et constat posse fieri ex iure canonico[4].

79. Dubitatur 2. an episcopus ob bonum pacis in tali commutatione possit imponere super beneficio pensionem solvendam cedenti, eius vita durante. Negant Salm.[5] cum Az. Bon. etc. Et sic pluries decisum in rota testatur Bon.; quia de curiae stylo dicunt huiusmodi transactiones non admitti. Contrarium tamen tenent Laym.[6] cum Ab. et Pal. Suar. Torr. Prad. Menno apud Salm.[7] quam ipsi satis probabilem vocant. Ratio, quia etsi (ut aiunt Salm.[8]) solus papa possit imponere perpetuas pensiones beneficiariis, ut supra diximus; in transactionibus tamen ex communi dd. dicunt, iura et usum iam introduxisse, quod episcopi ob bonum pacis possint pensiones imponere, non utique beneficiariis, sed super eisdem beneficiis pro vita pensionariorum. Et hoc constare ait Laym.[9]. Et idem posse ait Laym.[10] iudices ecclesiasticos.

80. Dubitatur 3. an possit admitti ab episcopo talis transactio cum pensione super beneficio, si partes prius de illa convenerint, sed dependenter ab episcopi consensu. Negant Laym. et Reg. Sed probabilius affirmant Salm.[11] cum Bon. et Torre.

81. Quaestio 6. quomodo renuntiationes beneficiorum fieri possint.

Renuntiatio beneficii facienda est in manu praelati illius qui illud conferre potest; itemque debet ab eo acceptari[12]. Alias nulla est, et beneficium non vacat, ut Salm.[13] cum Garcia et Covarr. Hoc tamen non currit in beneficiis litigiosis, vel in electionibus ad ea quae valide renuntiantur propria auctoritate[14].

Pluribus autem modis renuntiatio beneficii fieri potest: 1. *Pure et absolute*, et in illa nulla intervenit suspicio simoniae.

2. *Absolute* sed non *pure*, si fiat sine designatione personae, sed cum onere pensionis: circa quam, si pensio est temporalis, diximus supra *num.* 75. esse iam nullam renunciationem huiusmodi factam in manu episcopi. Sed dubium est, an valeat renunciatio cum onere pensionis spiritualis. Est duplex sententia, utraque probabilis, ut ait Palaus[15]. *Prima* affirmat cum Malder. Gigas Felin. Imola Nav. Rebuff. etc. ap. Salm.[16] quia valde probabile est, posse ex iusta causa imponi talem pensionem ab episcopis in beneficiis. Negant tamen Salm.[17] cum Azor. Bon. etc. excepto casu gravissimae necessitatis, quia dicunt, quod ex *constit.* 4. *Pii V. Intolerabilis*, fuit adempta talis facultas episcopis. Idem tenent Less. V. *n.* 74.

3. Renunciatio fieri potest *pure*, sed non *absolute*, nempe si sit in favorem certae personae sine onere; et haec non iam prohibetur iure divino, si finis adsit honestus, sed iure ecclesiastico, nisi fiat in manu pontificis. Est commune. Vid. Sanch.[18].

82. Sed quaeritur, an sit simoniaca talis renunciatio in favorem tertii facta in manu episcopi. Bene distinguunt Salm.[19] cum Sanch. Bon. Sot. Tor. etc. si pactum praecedat cum episcopo ut, facta resignatione, beneficium tertio conferatur, certe esset simonia; secus vero, si non adsit pactum, quia tunc remanens episcopus in sua libertate, si postea illi conferret, libere ageret. Peccaret tamen renuncians tali modo contra religionem, et ob id posset ab episcopo privari beneficio, ut dicunt Salmant.[20] cum Less. Suar. etc.

83. Notandum autem, quod valde probabile est non esse illicitum, si resignans etiam in eadem renunciatione declaret episcopo suum desiderium, quod

(1) C. 3. n. 44. (2) L. 4. t. 10. c. 8. n. 58. (3) C. 3. n. 48. (4) C. De caetero, de transact. (5) C. 3. n. 46. (6) Ibid. (7) D. n. 46. (8) N. 45. (9) Ibid. ex c. Nisi essent, de praeb. (10) Ibid.

(11) N. 47. (12) Ex c. Admonet, de renuntiat. (13) C. 3. n. 49. (14) Ex c. 2. De in integrum rest. et c. Sane de renunt. (15) Tr. 17. d. 3. p. 17. n. 15 (16) C. 3. n. 59. (17) Ibid. (18) C. 3. n. 52. (19) N. 53. (20) D. c. 3. n. 54.

beneficium conferatur certae personae: modo absit pactum, ut conditio rigorosa suspendens (sicut intelligendus est *Motus proprius* s. Pii v. ann. 1568. ut dicunt Salmant. [1]). Ratio, quia revera tunc renunciatio fit simpliciter, et episcopus liber est ad conferendum beneficium cui vult. Ita Salm. [2] cum Nav. Azor. Pal. Sanch. Torre et Garcia.

84. Sed dubium est, an facta resignatione cum conditione in favorem tertii in manu episcopi, possit hic admittere resignationem, conditione reiecta. Affirmant Sanch. cum Soto s. Anton. et Sylv. apud Less. [3] et Covarr. Arag. et Vill. apud Salm.[4]. Quia talis conditio, tanquam turpis, habetur ut non adiecta. Negant vero Less. [5] et Salm. [6] cum Suar. Pal. etc. quia dicunt non posse resignationem pro una parte admitti, et pro alia reiici. Utraque est satis probabilis, ut dicit Torre apud Salm. [7].

85. Quaestio 7. quandonam resignatio beneficiorum *confidentialis* sit simoniaca.

Sciendum, quod ex constitutionibus Pii IV. et s. Pii V. [8] iuxta Trid.[9] prohibentur omnes resignationes confidentiales factae cum *accessu*, *regressu*, vel *ingressu* ad beneficium, vel cum confidentia recipiendi fructus ex beneficio resignato; nam si confidentia esset de alia re temporali, praeter fructus beneficii, esset quidem simonia, sed non confidentialis, ut bene notat Croix [10] cum Suar. Laym. etc. Per *accessum* dicitur, si resignes beneficium alicui cum confidentia, ut ipse postea renunciet et illud alteri conferatur. Per *regressum*, si resignes beneficium, servato iure regrediendi ad illud in aliquo casu. Per *ingressum*, si resignes beneficium tibi collatum, antequam illud possideas, servato iure possessionem ingrediendi, v. gr. *si aliquis moriatur etc.*

Si quis autem resignat beneficium alteri sine pacto, sed cum spe, ut ille ex sola gratitudine iterum resignet in tui favorem, vel solvat aliquid ex beneficii fructibus, certum est non esse simoniam de iure divino, nec canonico antiquo; licet sit valde periculosum, et ut plurimum simonia, ut Salm. [11].

86. Sed quaeritur hic 1. an ex iure novo ex dd. constitut. Pii IV et s. Pii V. reprobetur talis resignatio cum spe sine pacto. Duplex est sententia satis probabilis, ut dicunt Salm. [12]. *Prima* affirmat cum Palao Suarez Bonacina etc. et probant ex verbis bullae s. Pii v., ubi dicitur: *Si quid . . . . . etiam simplicis donationis titulo perceperit*. *Secunda* tamen sententia probabilius negat. Ratio, quia in iis constit. renovatur tantum decretum Tridentini solum damnans confidentias, quibus inducitur nova obligatio (cum pacto expresso, vel tacito, ut explicant Navarr. et Rod. ap. Salm. [13]). Per verba autem allata pontifex nil aliud praecipit, quam quod confidentia simoniaca praesumatur, si probetur donatio postea facta. Ita tenent, et fusius probant Salm. [14] cum Suar. Sa Vill. Less. Sanch. Az. etc.

87. Quaer. 2. si resignans declaret suam intentionem esse, ut alter remaneat obligatus ad resignandum in futuro, sed sine alterius promissione, utrum sit vera simonia confidentialis. Affirmant Pal. et Diana ap. Croix [15]. Sed probabilius negant Nav. Az. Less. Suar. et alii [16], quia deest tunc pactum ex utraque parte obligatorium. Secus tamen dicendum, advertit Croix [17] cum comm., si ille resignet, declarans velle ut solvatur alicui pensio ex fructibus, quia hoc est signanter expressum in bulla.

88. Quaer. 3. an dictis constitutionibus comprehendatur confidentia, etiam in permutationibus beneficiorum. Negant Suar. et Pal. cum Nav. apud Salm.[18] cum de permutationibus in iis non fiat mentio. Sed oppositum dicendum esse dicunt Salm.[19] cum Arav. et Torre. Et probant ex bulla s. Pii v. ubi, ut referunt, expresse dicitur: *At etiam omnes permutationes, praesentationes,*

(1) C. 3. n. 56. (2) Ib. n. 55. (3) L. 2. c. 35. n. 95. (4) C. 3. n. 57. (5) Dict. lib. (6) Dict. n. 57. (7) Ibid. (8) In 7. decr. c. 9. et c. 10. de ben. coll. (9) Sess. 24. c. 19. et sess. 25. c. 7 de reform.

(10) L. 3. p. 1. n. 63. (11) C. 3. n. 65. (12) Ibid. n. 66. (13) N. 69. in fin. (14) D. c. 3. n. 67. et 68. (15) L. 3. p. 1. n. 65. (16) Ibid. (17) [illegible] (18) D. c. 3. n. 7. (19) Ibid.

collationes... et alias dispositiones nullius momenti fore. Sed videndum diligentius esset, quomodo praefati auctores praedicta verba explicent.

89. Ultimo, duo sunt notanda: 1. quod per hanc simoniam, etiamsi fuerit tantum conventionalis, incurruntur poenae videl. 1. Interdictum ab ingressu ecclesiae. 2. Excommunicatio papalis ipso facto. 3. Nullitas collationis, et obligationis solvendi fructus. 4. Privatio aliorum beneficiorum antea obtentorum. Vide Salm. [1]. Haec tamen ultima non incurritur, nisi post sententiam iudicis, saltem declaratoriam, ut Salm. [2] cum Suar. Laym. Sanch. Henr. Torre. Vide *n.* 112.

90. Notandum 2. quod si quis resignet beneficium cum confidentia, adhuc cum expresso pacto, sed auctoritate propria, minime impetrando assensum superioris, peccaret utique, sed non incurreret praedictas poenas: quia talis resignatio de se est nulla, etiam quando illa simoniaca pactio non intervenisset. Salm. [3] cum Navar. Secus vero dicendum, si pactum valeret, nisi obstaret simonia, quia tunc poenae incurruntur, etsi resignatio sit nulla. Salm. [4] cum Nav. Hinc bene inferunt Elbel [5] et Croix [6] cum Fill. etc. quod si quis resignet beneficium in manu superioris, postquam convenit occulte, ut resignatarius retribuat sibi aliquid, non solum resignatio est nulla, sed resignans amittit titulum, cum inter alias poenas simoniae sit inhabilitas ad idem beneficium.

91. Quaestio 8. qualiter committatur simonia pro ingressu ad religionem.

Certum est, ut docet s. Thom. [7] esse simoniam aliquid dare et accipere pro ingressu monasterii [8]. Hinc 1. non licet admittere aliquem in monasterium propter bona, quae offert; esset enim vendere statum religiosum, nisi ille simpliciter exprimat sine pacto velle ingredi cum bonis suis. Pariter non licet praestare servitutem monasterio tanquam pretium admissionis: nisi quis inserviat ad sibi conciliandam benevolentiam religiosorum, ut in illud admittant, ita Salm. [9] cum s. Anton. Sylv. et Sanch.

2. E converso dicit s. Thom. [10] non esse simoniam, si quis eleemosynas monasterio eroget, ut facilius ex gratitudine admittatur: uti nec etiam, si religiosi donis inflectant aliquem ad ingressum in monasterium. Imo, ut dicit Bon. nec si monasterium solvat illius debita, ad removenda impedimenta ingressus, relicta tamen ingrediendi libertate. Vel si monasterium promittat eum admittere, postquam artem didicerit; quia tunc non imponitur onus, sed conditio declaratur requisita, si cupit admitti. Salm. [11] cum Regin. Az. Sylv.

3. Licitum est etiam prout communiter docent s. Th.[12] et Cabass. [13] cum Bon. Cai. Nav. Tol. Suar. etc. si monasterium est egens, pro sustentatione ingressuri accipere aliquid, uti dotes monialium et distributiones, quae solent aliis monialibus distribui. Notat tamen Sanch. apud Salm. vix excusari posse monasteria, quae petunt uberiorem dotem propter ignobilitatem personae vel alium defectum; nisi ex hoc eveniret monasterio detrimentum in honore, in bonis et simili; quia hoc iam esset temporale damnum. Et sic permittitur recipere plus pro admittenda tertia sorore, aut vidua, sene, infirma, etc. Vide Salm. [14].

92. Sed quaestio magna est, an liceat aliquid accipere pro sustentatione ingressuri, si monasterium sit opulentum. *Prima* sententia, quam tenent Sot.[15] Pal.[16] Bon.[17] Sanch.[18] Elbel [19] et Salm.[20] cum Lezan. Sylvest. Arag. etc. affirmat. Ratio, quia ut dicunt, haec non est simonia neque de iure naturali, neque positivo. Non de iure naturali, quia ex una parte non recipitur temporale, nisi pro temporali sustentatione praestanda; ex alia parte nequit di-

(1) D. c. 3. n. 72. (2) Ibid. n. 73. (3) Ibid. (4) Ibid. (5) N. 649. (6) L. 4. n. 958. et 1063. (7) 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4. (8) Ex c. Quam pio 1. q. 2. (9) C. 2. n. 47. (10) Loc. c. (11) N. 48.

(12) 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4. (13) Theor. iur. l. 5. c. 5. n. 12. (14) D. c. 2. n. 50. (15) L. 9. q. 6. a. 2. (16) D. 3. p. 9. n. 4. (17) D. 1. q. 4. §. 8. n. 2. (18) Cons. c. 3. d. 23. n. 1. (19) De sim. n. 604. (20) Dict. c. 2. n. 53.

ci quod ii, qui ingredi postulant, aliquod ius habeant ad bona monasterii, cum ipsa vel propria industria a monasterio sint adepta, vel ei ab aliis libere sint donata. Neque de iure positivo; nam si aliqua iura videantur id prohibere, nullus vero textus prohibet expresse aliquid recipi sustentationis titulo. Quod si aiunt, unquam talis extitit prohibitio, ipsa per contrariam consuetudinem ablata est. Non negant tamen Elbel et Salm. [1] cum Sylv. Torre Vill. etc. quod hoc saltem excusare non poterit ab avaritiae labe.

Secunda vero sententia negat, quam sequuntur et tenent Cabas. [2] cum Bon. Suar. [3] Laym. [4] Cai. [5] Ronc. [6] et alii, quibus clare consentit d. Thom. [7] qui docet tunc tantum licere aliquid exigere, *si monasterium sit tenue; et si ad hoc non sufficiant monasterii opes*. Ratio potissima et mihi valde urgens est, quia postulans, etsi ante receptionem nullum ius habeat ad bona monasterii, postquam tamen receptus est, habet quidem ius ad illa pro sua sustentatione. Quapropter, si monasterium est opulentum, et aliquid pro sustentatione illius temporis exigit, vendit ei ius, quod ille post receptionem iam est adepturus; et quamvis illa sustentatio sit aliquid temporale, est vero quid consequenter annexum ad spirituale, unde, sicut non potest vendi ius ad reditus beneficii, vel ad decimas percipiendas, quia hi sunt proventus rei spirituali consequenter annexi; ita nec ius ad alimenta in monasteriis. Hinc [8] vetitum fuit aliquibus monialibus recipere temporalia praetextu paupertatis ab ingressuris ad ipsarum sustentationem. Et [9] prohibetur sub excommunicatione aliquid accipi ad quemcumque finem pro ingressu ad religionem, nisi quis liberaliter dare voluerit. Et cum haec sit simonia de iure divino, ut probavimus, frustra affertur ab adversariis in contrarium consuetudo, de qua tamen valde dubito; exceptis monasteriis monialium, ut infra videbimus. Secus autem dicimus, cum monasterium est inops: quando enim ipsum non habet bona sufficientia ad aliorum sustentationem, tunc nihil vendit, cum recipiendus nullum habiturus sit ius ad bona quae monasterium non habet. Et in hoc communiter dd. conveniunt. Atque Cabass. [10] advertit, ad exigendum aliquid a recipiendis non requiri arctam necessitatem, sed sufficere illam, qua monasterium non posset alias commode eis alimenta subministrare: Tridentinum enim [11] dicit, in temporalibus monasteriorum facultatibus eam ineundam esse rationem, ut monialium numerus *commode* sustentari possit.

Contra nostram autem sententiam non valet dicere cum Salm. quod, sicut sacerdos, etsi opulentus, potest licite recipere pecuniam ab altero ad celebrandum pro stipendio suae sustentationis, sic monasterium a postulante pro eodem sustentationis titulo. Nam respondetur, quod sacerdos recipiendo eleemosynam pro missa, licite eam recipit tanquam stipendium suae sustentationis, quae ex iustitia illi debetur, ut statuimus supra *n.* 55. Monasterium vero nihil potest exigere pro onere quod assumit sustentandi ingressurum, quia (ut diximus) ingressurus post receptionem habet ius ad sustentationem ex bonis monasterii, utpote receptioni annexam.

Excipitur tamen 1. si aliquid recipiatur a postulantibus pro alimentis tempore novitiatus; id enim expresse permittitur a Trident. [12]. Excipitur 2. si recipiendus sit infirmus, senex, hebes ingenio, vel similis, quia tunc monasterium licite accipit aliquid temporale ab illo, tum pro carentia servitutis, quam alius sanus vel iuvenis praestaret; tum pro incommodo temporali extraordinario, quod pro ipso monasterium est subiturum: ita d. Thom. [13] Croix [14] cum aliis; et hoc est certum apud omnes, ut asserunt Salm. [15]. Exci-

(1) N. 54. (2) Loc. c. n. 3. (3) L. 4. de sim. (4) Tr. 10. c. ult. §. 4. n. 39. (5) 2. 2. q. 100. a. 3. (6) De sim. c. 2. q. 6. (7) D. q. 100. a. 3. ad 4. (8) Ex c. Quoniam, de sim. (9) In Extrav. 1. de sim.

(10) Loc. c. n. 13. (11) Sess. 25. c. 3. de ref. (12) Sess. 25. c. 16. de reform. (13) 2. 2. quaest. 100. ad 4. (14) L. 3. p. 1. n. 137. (15) N. 51.

piuntur 3. monasteria monialium, quibus Clemens VIII. (ut referunt Navar. Bassaeus Less. et Bon. apud Cabas. [1]) indulsit posse pacisci de dote recipiendarum pro earum sustentatione. Ratio huius indulgentiae videtur, quia monasteria monialium facilius sunt obnoxia diversis infortuniis, ut experientia patet, quam monasteria virorum. An autem excommunicatio inflicta[2] omnibus exigentibus pro ingressu monasteriorum, hodie sit usu abolita. Videntur affirmare Nav. et Less.; sed Cabass.[3] ait illam adhuc posse vigere pro monasteriis virorum.

Ex dictis resolves:

93. « Simonia est concionari, catechizare, missas facere pro pretio, nisi excusetur ratione laboris, non intrinseci (is enim sacer est et inaestimabilis; scilicet vel ipsa actio sacra, vel in ea intrinsece inclusus), sed extrinseci, non annexi rei spirituali, ut pro labore itineris, vel cantus in missa, vel ratione alterius incommodi pretio aestimabilis. Ratio est, quia illae actiones ex natura sua ordinantur ad aliquid supernaturale, et ad salutem, non autem ad aliquid temporale, sicut doctio quaecumque etiam theologiae, quae pretio aestimabilis est. Bon. [4] Suarez Fill. etc. *v. infra, lib.* 6. *t.* 3. *cap.* 4. *d.* 1. Laym. [5]. (Vide *dicta n.* 55.). »

94. Quaer. an sit simonia accipere aliquid ad instruendum alios in sacra doctrina. Distinguitur, si instructio tendit ad bonum tantum spirituale aliorum, est simonia; quia tunc est res mere spiritualis, pro qua nullum potest accipi pretium. Hinc est simonia accipere aliquid pro concione, ut pretium pro labore illius intrinseco, uti pro studio, defatigatione, prout docent Less. [6] et Salm. [7] cum s. Th. et communi; nisi accipiatur ut stipendium sustentationis, uti dicunt Less.[8] et Salmant. [9] cum s. Th. Torre Sanch. Vill. etc. Vide dicta *num.* 55. Secus vero, si instructio tendat etiam ad aliquod bonum temporale alterius, ad utilitatem, honorem, oblectationem, prout est instructio ad interpretandas sacras scripturas, ad edocendas theologicas conclusiones, ad expugnandas haereses. Croix [10] Less. [11] cum Sot. Caiet. Vict. Salm. [12] Elbel [13] ex d. Thom. [14] dicens: *Qui docet scientiam, potest stipendium accipere, quasi operas suas locans.* Hinc licitum est etiam accipere aliquid pro docenda theologia morali, ut est probabilius apud Croix [15]. Item pro impertienda licentia docendi theologiam cum titulo magisterii, ut patet ex usu universitatum; sive pro dando consilio morali, quia est instructio temporalis, quamvis conducat ad pacem conscientiae. Secus autem, si consilium tenderet ad bonum tantum spirituale alterius: puta, ut moveatur ad poenitentiam, etc. Salm. [16].

95. « 2. Item simonia est dare, vel accipere pretium pro absolutione a peccatis, et censuris, pro dispensatione in voto, iuramento, impedimento matrimonii, irregularitate, etc. Potest tamen in his aliquid exigi per modum mulctae ad causam piam applicandae. Laym. [17]. »

96. Accipiuntur solutiones in dispensationibus in matrimoniis, etc. etiam per modum sustentationis onerum pontificatus; item per modum commutationis, sicut vota commutantur in eleemosynas. Et conceditur etiam episcopis in talibus dispensationibus accipere aliquid in eleemosynas distribuendum (modo ipsis, vel suis nihil perveniat) per modum poenae, vel commutationis, non autem per modum sustentationis; hoc enim vetitum est illis ex iure can. [18] et a Trid. [19]. Salm. cum s. Thom. [20].

97. Quaer. hic, an sit simonia dare aliquid, ut alter omittat rem spiritualem. Distingue, et affirma, si omissio dirigatur a potestate spirituali, ut esset omissio absolvendi, dispensandi, eligendi etc. ex iure can. [21] ubi prohibetur, ne

(1) N. 17. (2) In extrav. 1. de sim. (3) N. 17. (4) Loc. c. (5) L. 4. tr. 10. c. 8. n. 30. et seq. (6) L. 2. c. 34. n. 76. (7) C. 2. n. 42. (8) C. 35. n. 7. (9) Dict. cap. n. 20. (10) Ib. n. 179. (11) Ib. n. 80.

(12) Ib. n. 43. (13) N. 620. (14) 2. 2. q. 100. a. 3. ad 3. (15) L. 3. p. 1. n. 183. (16) Ibid. n. 45. (17) Loc. c. n. 24. (18) C. Iacobus, de simon. (19) Sess. 24. c. 6. et sess. 25. c. 18. (20) D. c. 2. n. 36. et 37. (21) Ex c. Nemo presbyterorum, de sim.

ob pretium negetur poenitentia, nisi talis absolutio esset sacrilega aut iniusta. Vide Croix [1]. Secus autem non est simonia, si actus spiritualis dependeat a libertate, ut esset omissio orandi, dandi eleemosynam, celebrandi, nisi alter ad ea teneatur ex iustitia. Salm.[2] cum Led. Vill. etc.

98. « 3. Non est simonia dare aliquid ad redimendam vexationem a negante sacramenta in necessitate. Suar. Less. Laym.[3]. Vel ab inique impediente electionem, vel possessionem beneficii, ad quod ius in re habes. Quod addo, quia si nondum habes ius in re, etsi possis redimere vexationem ab eo, qui tantum potest obesse, non tamen ab eo qui et prodesse et obesse potest. Ratio est, quia non datur tanquam pretium aequivalens rei spirituali, sed ut alter ad officium rite praestandum inducatur. »

In hoc sedulo attende duas regulas traditas a s. Thom. [4]. Prima est, quod quando ius est certum, et in re iam quaesitum, licet tollere iniustam vexationem dando aliquid temporale, ex comm. cum Nav. Man.[5] Salm.[6] Elbel[7] et aliis. Dicitur *ius certum*, nam si dubium sit, non licet; quia tunc per temporale acquireretur ut certum ius spirituale quod erat dubium. Dicitur per *iniustam vexationem;* nam si sit iusta neque licet. Dicitur item *dando aliquid temporale;* non enim posset dari spirituale pro redimenda vexatione, quia daretur spirituale pro re temporali, qualis est vexatio, Salm.[8] cum comm.

99. Quaestio tamen est, an possit redimi pecunia vexatio circa possessionem beneficii. *Prima sententia* negat, quia talis possessio est res spiritualis, vel spirituali annexa, cum per possessionem acquiratur ius ad exercenda spiritualia. Ita Viva [9] Bonacin. Garcia Abb. etc. apud Salmanticens.[10]. *Secunda* tamen *sententia* probabilior, quam tenent Busemb. *hic*, et Suar.[11] Sanch.[12] Pal.[13] Croix[14] Bonac.[15] Less.[16] qui vocat communem, et alii plures ap. Salmant.[17] affirmant licere, quia ius quidem ad beneficium spirituale est, non autem possessio. Hanc recte sequuntur Salm.[18] et Croix [19] semper ac sit certe acquisitum ius ad possessionem; tunc enim vexatio non esset circa ius spirituale, sed circa factum possessionis, quod est temporale, et sic videtur sentire d. Th.[20] docens: *Sed postquam ius alicui iam acquisitum est, licet per pecuniam iniusta impedimenta removere.* Secus tamen dicendum cum Salm.[21] si ius revocetur in dubium probabile, ut mox supra diximus. Notandum autem hic in Trid. [22] praecipi episcopis, ne permittant pro admissione ad possessionem beneficii solutionem ullam, aut promissionem, utpote *simoniacae labis, aut sordidae avaritiae suspicionem* habentes reprobata quacumque consuetudine in contrarium: tantum permittit concilium, si sit consuetudo, dare aliquid in usus pios convertendum. Sed haec intelliguntur 1. non de omnibus beneficiis, sed tantum de canonicatibus, et praebendis in ecclesiis cathedralibus, aut collegiatis, ut probabiliter ait Bon.[23] et Barb.[24]. Intelliguntur 2. de recipientibus aliquid pro admissione ad possessionem, non vero de dantibus ad tollendam iniustam vexationem ut supra; nam bulla s. Pii v. *Durum nimis*, ed. ann. 1570. pro observantia praefatae sanctionis concilii id explicat, et confirmat tantum pro recipientibus, his verbis: *Praecipimus episcopis, capitulis, etc. ne retineant fructus, neque alia petant, vel exigant, etc.*

100. Secunda regula est, quod si ius non sit in re iam acquisitum, sed ad rem, non licet pecunia vexationem tollere[25] et damnatur qui, obtenta electione, pecuniam obtulit, ne alii electores impedirent confirmationem; cum ad confirmationem nondum haberet ius acquisitum. Hinc simonia est offerre pe-

(1) N. 175. (2) C. 2. ex n. 27. (3) Ib. n. 21. (4) 2. 2. q. 100. a. 2. ad 5. (5) C. 23. n. 102. (6) C. 3. n. 3. (7) De sim. n. 616. (8) Ibid. n. 4. et 6. (9) De benef. q. 9. a. 6. (10) C. 3. n. 7. (11) L. 4. c. 50. n. 51 (12) Cons. l. 2. c. 3. dub. 30. n. 11. (13) Tr. 17. d. 3. p. 20. n. 3. (14) L. 3. p. 1. n. 140. (15) C. 3. q. 4. (16) L. 2. c. 35. n. 109. (17) N. 8. (18) N. 9. (19) Ibid. (20) L. c. a. 2. ad 5. (21) N. 8. in fin. (22) Sess. 24. c. 14. (23) De sim. q. 7. §. 3. n. 4. dict. l. cons. (25) Ex c. Matthaeus, de sim.

cuniam episcopo, qui iniuste nollet me praesentatum instituere, vel me dignum eligere; quia tunc per pecuniam non solum amoverem impedimentum, sed etiam rem spiritualem adipiscerer. Ita Busemb. *hic* et Sanch.[1] Salm.[2] cum Laym. Cai. Sylv. etc. Et dicunt, quod haec esset simonia de iure divino cum Soto Suar. etc. contra tamen Pal. Lay. Bonac. etc.[3]. Notant tamen Bus. *hic*, Croix[4] et Salm.[5] cum Less. Soto Fill. Suar. etc. quod haec regula non currit, si aliquis electorum vi vel fraude alios electores corrumperet, ne me eligant, quia tunc non agit tanquam elector. Immo non currit, si vexatio esset ab his, qui tantum obesse possunt; Suar.[6] Pal.[7] Anacl.[8] Elbel[9]. Secus vero si possint obesse, et simul prodesse instituendo, praesentando, vel confirmando, quia tunc, quod datur eis ne obsint, necessario datur etiam, ut prosint, consensum non negando; et sic pecunia tunc directe sternetur via ad beneficium obtinendum. Ita tenendum omnino censeo cum Anacl.[10] Suar.[11] Elbel[12] et Salm.[13] cum aliis cit. quando datur pecunia, ut elector suum votum non neget, etiamsi iniuste negaret: quicquid dicat Pal.[14] asserens ut probabile non esse simoniam, si detur pecunia tantum ad removendum pravum illius affectum. Dicunt autem Sanch.[15] et Less.[16] simoniam non committi quando datur pecunia electori, non iam ut prosit praestando votum, sed tantum ad redimendam iniquam vexationem, qua ille obesset per vim, aut fraudem, vel subornationem aliorum, ut supra. Et satis probabile hoc videtur saltem casu, quo dans pecuniam manifestaret non aliud velle, quam quod alter non obsit iniuste, ut Mazzott.[17].

101. Sed hic quaer. 1. si aliquis non vi vel fraude, sed precibus aut muneribus electores, mihi propensos impediret, ne conferant mihi digno beneficium, propter odium quo in me teneretur, an possim pecuniam illi dare ut cesset. Negat Sot. ap. Less.[18] Sed Lessius[19] Croix[20] cum Suar. Laym.; item Salm.[21] cum Sanch. Val. et Bon. recte affirmant licere; quia, ut ait Less. si licitum est dare pecuniam, ut alter cesset a me vexando contra iustitiam, licet etiam dare, ut cesset a vexatione contra charitatem; cum revera talis vexatio sit res temporalis, quam alia re temporali redimo, et ex alia parte pecunia mea nonnisi valde remote sternit viam ad beneficium.

102. Quaer. 2. an possim dare pecuniam, ut alter se non opponat ad meam electionem, quamvis nesciam electores esse mihi propensos. Negant Salm.[22] et citant Sanch. et Less. At notandum est, quod Lessius[23] loquitur ibi tantum de praestatione facta illi qui possit prodesse et obesse, sed quoad alium, qui posset solum obesse, et iste vellet inique se opponere, peccando saltem contra charitatem, probabile videtur, iuxta eamdem doctrinam Lessii ut supra, quod liceret dare pecuniam, ut cesset ab illa illicita impeditione. Et tenet Croix[24] qui cum aliis dd. cit. asserit, quod semper ac alter sine rationabili causa moveat electores precibus vel muneribus, ut mihi non faveant sed alteri, non est simonia, si dem ei pecuniam, ut cesset ab illa vexatione iniqua contra charitatem.

103. Quaer. 3. an liceat dare pecuniam electoribus, ne eligant indignum, vel ut eligant dignum. Respondetur licitum esse dare, ne eligatur indignus, si constet electores paratos, aut saltem inclinatos esse ad indignum eligendum; quia ecclesia habet ius acquisitum, ne detur ei minister ineptus, ut Less.[25] cum communiori, Croix[26]. Pariter Salm.[27] cum Cai. Laym. Sot. Suar. etc. dicunt hoc licere, ne eligatur minus dignus, et etiam, ut eligatur dignus

(1) Cons. l. 2. c. 3. d. 30. n. 3. (2) D. c. 5. n. 9. (3) Ibid. n. 12. (4) Ibid. n. 144. (5) N. 11. et 13. (6) De sim. c. 30. n. 23. (7) Ibid. n. 4. (8) Eod. tit. §. 13. n. 310. (9) De sim. n. 614. (10) N. 314. (11) N. 18. (12) Loc. c. (13) Ibid. (14) Ibid.

(15) Cons. l. 2. c. 3. d. 30. n. 5. (16) L. 2. c. 35. n. 17. (17) C. 3. q. 1. p. 236. (18) Dict. c. 35. n. 109. (19) L. c. (20) L. 3. p. 1. n. 147. (21) D. c. n. 13. (22) Ibid. n. 14. (23) D. c. 35. n. 126. (24) Ibid. n. 147. (25) D. c. 35. n. 112. (26) Ibid. n. 146. (27) D. c. 5. n. 15.

vel dignior in communi, ut [1] cum Cai. et Laym. etc., ac Croix [2] cum Suar. Less. Barb. etc. communiter. Non licet vero dare pecuniam, ut eligatur aliquis dignus in particulari, etiam dignissimus in particulari, nisi in casu necessitatis, nempe si inter omnes unus tantum dignus inveniatur, quem illi nollent eligere. Et quamvis talis electio secundum iura esset nulla, posset tamen peti confirmatio illius a pontifice. Ita Less. [3].

104. Quaer. 4. an sit simonia dare pecuniam competitori, ut desistat concurrere ad beneficium quod tu praetendis. Negant Elbel [4] et Pasq. apud Croix [5]; quia, ut aiunt, haec abstinentia a concursu ex una parte nequit dici aliquid spirituale, quod ematur; et ex alia parte competitor nihil positive confert ad beneficii collationem, sed tantum negative se gerit. Verum huic opinioni non assentior, et recte Croix [6] cum Diana et aliis dicit, eam veluti contra communem non esse admittendam. Ratio, quia ut docent communiter Less. Suar. Pal. Barb. etc. ap. Croix [7] cum s. Th. [8] tum dumtaxat licet per pecuniam vexationem removere, cum vexatio est iniusta; non vero cum est iusta, alias per pecuniam directe pararetur via ad beneficium, quod omnino est illicitum.

Quaer. 5. An liceat, urgente necessitate, dare pecuniam sacerdoti nolenti sine illa administrare sacramenta. Negant d. Thom. Alensis etc. ap. Less. [9] quia, ut dicunt, emere sacramenta nunquam est licitum, utpote intrinsece malum. Sed recte affirmat ipse Less. [10] cum Adrian.: item Suar. [11] Gerson. [12] Cai. [13] Dian. [14] et Sporer [15] cum s. Bonav. Vasq. Pont. et aliis communiter: ratio, quia hoc non est emere sacramentum, sed vexationem redimere; vel potius (ut ait Less. [16]) permittere cum iusta causa peccatum alterius. Hinc Diana et Hurt. dicunt hoc licitum esse non tantum in sacramento baptismatis et poenitentiae, ut plures ex dd. cit. volunt; sed etiam in aliis sacramentis, prout consentit etiam Less. [17]. Et non tantum in casu gravissimae necessitatis, ut aiunt Suar. et Less., sed etiam necessitatis gravis, puta si quis impleturus esset praeceptum paschale confessionis et communionis, vel peteret viaticum aut extremam unctionem, vel esset in peccato mortali vel etiam carere deberet frequenti usu sacramentorum, denique quotiescumque aliquis non posset sine gravi incommodo aliquo sacramento carere. Quod videtur sane cohaerere iis quae diximus de scandalo *num.* 47. *v. Secunda vero*, ubi vidimus cum d. Th. d. Aug. et communi, cuique esse licitum causa cuiusdam sui notabilis boni permittere alterius peccatum, quod dumtaxat ex eius malitia provenit.

« 4. Nec similiter simonia est dare stipendium ad sustentationem clerici etiam divitis pro missis, concionibus, aut de eo etiam pacisci. Ratio est, quia non datur tanquam pretium spiritualis officii, sed personae in alterius gratiam occupatae; nec pro operatione spirituali, ut spiritualis est, sed ut in alterius gratiam suscepta, proindeque non est eleemosyna, sed debitum iustitiae. Suar. Laym. [18] contra Rich. Sylv. etc. (Vid. *dict. num.* 55.).

» Non est simonia reddere, vel redimere pensionem mere temporalem: quia non fundatur in titulo spirituali, nec refertur ad functionem spiritualem. Dixi *temporalem*; quia spiritualis, quae datur v. gr. concionatori, vel coadiutori episcopi propter officium ecclesiasticum, in eoque fundatur, nec differt a beneficio, nisi quod non sit perpetua, vendi nequit: mixta vero, ut v. gr. quae datur parocho seni, vel clerico pauperi ad sustentationem, non quidem vendi potest: redimi tamen potest, modo obligatio recitandi officium B. V. imposita non extinguatur. Quod intellige, si in loco, ubi fit venditio, bulla sit re-

(1) N. 16. (2) Ibid. (3) C. 35. d. 19. (4) De simon. n. 609. (5) L. 3. p. 1. n. 142. (6) Loc. c. (7) Ibid. (8) 2. 2 q. 100. a. 2. ad 5. (9) L. 2. c. 35. n. 37. (10) N. 38. et 39.

(11) De sim. l. 4. c. 12. n. 13. (12) De sim. rat. 6. (13) Quaest. 100. a. 2. (14) P. 5. tr. 7. r. 16. (15) De 5. praec. c. 1. n. 109. (16) N. 41. (17) D. n. 38. (18) L. 4. tr. 10. c. ult. n. 32 et 42.

cepta: ratio est, quia qui pensionem redimit, non emit ius spirituale, sed extinguit onus temporale solvendi certam summam pecuniae. Less.[1] Suar.[2] Laym.[3].

» 6. Non est simonia iuris divini (etsi quandoque iuris humani esse possit) spirituale cum spirituali permutare, v. gr. beneficium pro beneficio, reliquias cum reliquiis, etc. vel dare temporale pro temporali, ut si calicem vel agnos Dei praecise ratione materiae vendas: vel dare temporale pro spirituali, per modum doni gratuiti, etiam cum spe vel intentione excitandi ad remunerationem doni spiritualis, vel contra. Ratio, quia gratitudo non respicit pretium, sed beneficium; nec solvit debitum iustitiae, sed antidorale: quo non excluditur, quin gratis detur (*sed vide num.* 51. *et* 54.). Recte tamen monet Suarez, huiuscemodi dona ob praesumptionem valde cavenda. Item donare, promittere, vel negare temporale quidpiam, sub conditione operis spiritualis praestandi, modo non fiat per modum retributionis, seu commutationis, v. gr. si parens filio promittat munus, si sacramenta frequentet: ratio est, quia hic non intervenit contractus onerosus, sed sistitur vel in liberali donatione, vel donatione sub tali conditione et modo. Suar.[4] Laym.[5]. (*Vide num.* 59.). »

Art. II. Quae sit poena simoniae.

105. *Quaenam simonia inducat poenas. An incurrantur poenae in venditione sacramentorum, aut capellaniae non collativae, etc.*
106. *An ad incurrendas poenas, simonia debeat esse completa ex utraque parte.*
107. *An incurrat poenas qui obtinet beneficium per fictam promissionem pecuniae.*
108. *An incurrantur poenae per simoniam tantum de iure ecclesiastico. An ob ingressum in religionem.*
109. *Quae sint poenae ob simoniacam ordinationem.*
110. *An etiam ob collationem primae tonsurae.*
111. *Quae sint poenae ob simoniam in beneficiis.*
112. *An incurrantur poenae in venditione vicariatus, vel alius officii amovibilis: necnon pensionis, capellaniae, aut sacramentorum et iurisdictionis.*

Deinde quatuor quaeruntur. Quaestio 1. an sint nullae electiones simoniacae ad praelaturas regularium. Qu. 2. an poenae ob beneficia simoniace accepta incurrantur ab ignorantibus. Quaest. 3. an beneficiarius simoniacus ipso facto privetur beneficiis obtentis, et fiat inhabilis ad futura obtinenda. Quaest. 4. an electio pontificis simoniaca sit nulla.

105. « Resp. 1. Sola simonia confidentiae, et realis in ordine, beneficio ecclesiastico, et religionis ingressu poenas iuris ipso facto inducit, licet ob ingressum religionis raro incurratur, ut dictum est, vel ob tenuitatem monasterii, vel contrariam consuetudinem receptam (*sed vide num.* 92.). Suar.[6] Less.[7] Laym.[8]. »

In venditione igitur aliarum rerum, nempe sacramentorum, iurisdictionis, pensionis aut capellaniae non collativae, etsi peccatur, nulla tamen incurritur poena. Less.[9] et Salm.[10] cum communi. *Vid. num.* 112.

106. Quaeritur 1. an ad incurrendas poenas requiratur, ut simonia sit ex utraque parte completa. Duae sunt sententiae ambae probabiles. *Prima sententia* negat, ut tenent ipsi Salm.[11] cum Sot. Cai. Pal. etc. Dicunt enim sufficere quod tradatur res spiritualis; nam, re tradita, venditio perficitur, etiamsi pretium non sit solutum, modo de eo fides praestetur[12]. Attamen *secunda* communior et probabilior sententia, quam tenent Less.[13] Nav. Man.[14] Suar.[15] Anacl.[16] Croix[17] Ronc.[18] Elbel[19] item Laym. Sanch. Covarr. Moya etc. apud Salm.[20] qui probabilem vocant cum Palao et aliis, dicit requiri impletionem ex utraque parte. Ratio 1. quia non omnino perficitur venditio simul et emptio, nisi tradita re et pretio. Ratio 2. quae mihi magis urget, quia in iure nullibi infliguntur poenae contra simoniam non utrinque completam; et *in poenis benignior est interpretatio facienda*[21]. Et hunc esse curiae stylum (qui pro lege habetur cum Elbel et communi) testantur Navar. et alii, nimirum non iudicandi poenas fuisse in-

(1) C. 35. dub. 21. (2) C. 26. n. 5. (3) L. c. n. 46. (4) L. 4. c. 45. (5) Ib. n. 11. (6) C. 56. et 57. (7) Decis. 32. (8) L. c. n. 70. (9) L. 2. c. 35. n. 23. (10) C. 4. n. 1. (11) C. 4. n. 9. (12) Ex l. 2. ff. de contrah. empt. (13) L. 2. c. 35. dub. 27. (14) C. 23. n. 104. (15) De sim. c. 56. n. 33. (16) N. 240. (17) L. 3. p. 1. n. 212. (18) C. 1. q. 2. (19) N. 628. (20) N. 17. (21) In c. 49. de reg. iur. in 6.

cursas, nisi simonia fuerit ex utraque parte consummata. Hinc inferunt dd. quod accipiens beneficium cum pacto praestandi pecuniam, non tenetur ante solutionem beneficium resignare, nec fructus restituere. Notandum tamen 1. cum Less. [1] et Salm. [2] quod, si pars tantum promissi solvatur, iam ex utraque parte intelligitur perfecta simonia. Notandum 2. quod ex simonia utrinque completa, quantumvis occulta, incurruntur poenae [3]. Vide Elbel [4]. Notandum 3. quod si simonia sit confidentialis, poenae incurruntur etiam per simoniam conventionalem mixtam, scil. ex una parte completam, ex bulla s. Pii v. *Intolerabilis*. V. Anacl.[5] Elb.[6] et vide infra *n.* 111. *circa fin. resp.* 4.

107. Quaeritur 2. an committat simoniam, et poenas incurrat, qui obtinet beneficium per fictam pecuniae promissionem non impletam. Dicunt Pichler [7] et Pontas [8] hunc satis simoniam committere, quia ad ipsam incurrendam non requiritur ut facto res temporalis tradatur, sed sufficit quod per motivum rei temporalis obtineatur spiritualis. Ego tamen dicendum censeo, quoad culpam hunc non posse excusari a peccato simoniae, quia saltem cooperatur ad simoniam collatoris; nam quoad seipsum puto probabilius cum Elbel [9] et aliis gravibus dd. peccare quidem graviter, quia inducit alterum ad grave peccatum, sed non peccato simoniae, cum, non interveniente voluntate se obligandi ad promissionem, non adsit vera emptio, quae ad simoniam requiritur. Quoad poenas vero simoniae puto cum Croix [10] eum illas non incurrere, cum desit simonia utrinque completa, ut mox supra dictum est in praecedenti quaestione.

108. Quaeritur 3. an incurrantur poenae per simoniam tantum de iure ecclesiastico statutam, puta si quis emat officium sacristae, etc. vel si resignet beneficium cum pensione ex propria auctoritate, ut supra notavimus. Affirmant Elbel [11] ac Nav. Sot. Vill. etc. ap. Salm. [12] qui dicunt esse valde probabile; sed non minus probabilem recte vocant negativam sententiam Salm. [13] cum Sanch. Rodr. Dian. Aragon. etc. Ronc.[14]. Ratio, quia iura quae poenas imponunt, intelligenda sunt communiter de simonia rigorosa, quae sit etiam contra ius divinum; et probatur *ex extravaganti* 2. *de simon.* quae incipit: *Cum scelus simoniacae pravitatis tam divinorum, quam sacrorum canonum auctoritas abhorreat, etc.*

Certum est autem, quod [15] dantes et accipientes quid pro ingressu in religionem, incurrunt ipso facto excommunicationem papalem. Sed notandum est 1. cum Nav. Sanch. Bon. apud Salm.[16] illam non incurrere nisi praesumentes, ut colligitur ex textu; hinc ignorantes, etiam culpabiliter, excusantur. Notandum 2. valde probabile esse, non incurri in simplici ingressu, sed in professione, ut Salm.[17] cum Bon. Pal. etc. Notandum 3. cum Less. [18] et Nav. Sylv. Pal. apud Salmant. [19] hanc *extravagantem*, ut supra, saltem quoad hanc excommunicationem, non esse usu receptam [20]. Notandum ultimo, quod professio, etiam simoniace facta, valida certo est, ut docet s. Thom. [21]. Si vero accipiens sit integra communitas aut capitulum, ultra excommunicationem (quam vero diximus non esse usu receptam) incurrit suspensionem etiam papae reservatam ab officio, executione iuris capitularis, et administratione iurisdictionis; item incurritur ex utraque parte infamia iuris, et consequenter irregularitas. Simoniace autem admissus debet transferri in arctius monasterium; sed hoc non ante sententiam, Elbel [22].

109. « Resp. 2. ob simoniacam collationem et susceptionem ordinum, etiam primae tonsurae, incurritur ex-

(1) Ibid. n. 15. (2) N. 6. (3) Extr. 2. de sim. (4) N. 620. (5) L. decr. tit. 3. n. 284. (6) N. 629. (7) L. 5. tit. 3. n. 13. (8) V. Simonia, cas. 5. (9) N. 625. (10) L. 3. p. 1. n. 201. (11) N. 627. (12) D. c. 4. n. 10. (13) Ibid. n. 11. (14) C. 4. q. 1. resp. 4. (15) Ex c. 1. extrav. de sim. (16) N. 12. (17) Ibid. (18) D. c. 5. n. 151. (19) Ibid. (20) De hac extravaganti in H. A. tr. 4. n. 50. ait: Imo multi dd. dicunt eam in desuetudinem abiisse. (21) Q. [illegible] a. 5. (22) N. 626. ex ead. extr. 2.

communicatio et suspensio papalis. Less.[1] Laym.[2]. »

Ultra excommunicationem et suspensionem papalem, episcopi simoniace ordinantes, et ad id mediatores, incurrunt ipso facto[3] etiam interdictum ab ingressu ecclesiae. Et si violaverint suspensionem aut interdictum, suspenduntur a regimine ecclesiae, et privantur perceptione fructuum[4]. Vide Salm.[5].

Ordinati autem, ultra praedictam excommunicationem et suspensionem ipso facto[6] suspenduntur ab exercitio suorum ordinum, sed illius tantum quem simoniace ordinatus suscepit, ut docet Less.[7] et probabile putant Salm.[8] contra Palaum et Rodriq.[9]. Et suspenduntur etiam a spe ascendendi ad ordines superiores. Notant vero Less.[10] cum communi et Salm.[11] cum Sot. Laym. Sanch. non incurri suspensionem hanc, si, ordinato ignorante, alius simoniam commiserit. Deinde notant Salm.[12] cum Pal. et Less.[13] quod, licet ex bulla Sixti v. huius suspensionis absolutio a pontifice ipsimet reservetur, et revocentur quoad hoc facultates concessae religiosis, et etiam episcopis in Trident.[14] in hac tamen parte dicunt praefati Less. et Pal. bullam non esse receptam; idemque confirmant Salm.[15] cum Sa et Suar.

110. Quaeritur, an incurrantur praedictae poenae in collatione simoniaca primae tonsurae. Affirmant hic Bus. et Covar. ap. Less.[16]. Quia ex Trid.[17] prohibetur accipi aliquid, etiam sponte oblatum ab episcopo et eius ministris, adhuc pro collatione primae tonsurae, vel pro litteris dimissoriis seu testimonialibus, et pro sigillo et aliis; et contra facientes declarantur incurrere poenas de iure inflictas. Negant vero probabiliter Salm.[18] cum Pal. quia tonsura non est verus ordo iuxta dicenda *lib.* 6. *num.* 734. Et idem docet Less.[19] (licet pro se citetur a Bus.) dicens in nullo iure adesse pro his excommunicationem statutam, nec concilium voluisse novas poenas iniungere. Pariter dicit durum videri incurrere episcopos, et ministros accipientes aliquid sponte oblatum, licet ipsi peccent. Imo id permittit d. Th.[20] dicens: *Si vero* (aliqua) *exigantur quasi quaedam stipendia per consuetudinem approbata, non est simonia, si desit intentio emendi vel vendendi.... et praecipue quando aliquis voluntarie solvit.* Attamen s. doctor loquutus est de simonia iuris divini; iure autem ecclesiastico hoc vetitum est in Tridentino[21] ubi reprobantur quaecumque consuetudines etiam immemorabiles, utpote quae potius abusus dici debuissent. Caeterum Croix[22] videtur non improbabiliter censere ibi reprobari consuetudines tantum, quae ante concilium fuerunt, tanquam forte immoderatas, non autem quae nunc sunt dandi aliquid moderatum, et quae praesumi possunt ex iusta causa introductae, istae enim bene valere possunt iuxta dicta *de leg. lib.* 1. *n.* 108. *v. Sed quid.* Hinc ait Mazzott.[23] cum Nav. et Lop., episcopum non committere simoniam, si recipiat aliquid sponte oblatum post (non autem ante) collatum ordinem, hoc enim expresse permittitur in iure canonico[24], modo episcopus id non petat, ubi dicitur: *Si ille autem, qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus, neque petitus, post acceptas cartas et pallium aliquid cuilibet ex clero gratiae tantummodo causa dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus, quia eius oblatio nullam culpae maculam ingerit, quia non ex ambientis petitione processit.* Ita Gregorius[25]. Sic pariter videtur permitti etiam notariis, iuxta consuetudines locorum approbatas, aliquid pro sua sustentatione exigere, si pro opera sua praestanda

(1) Disp. 24. (2) L. c. (3) Exc. Cum detestabile, extr. 4. (4) Ex motu Sixti v. (5) D. c. 4. n. 14. (6) Ex d. c. Cum detestabile, et maxime ex bulla Sixti v. (7) C. 35. n. 133. (8) C. 4. n. 15. (9) Est etiam probabile ex sententia s. Alphonsi, ut patet ex Hom. Ap. tr. 4. n. 8. (10) D. l. n. 136. (11) D. n. 15. (12) D. n. 15. in fin. (13) Ib. n. 134. (14) Sess. 24. c. 6. (15) Tr. 19. c. 4. n. 34. in fin. (16) C. 35. n. 133. (17) Sess. 21. c. 1. (18) C. 4. n. 14. (19) N. 133. (20) 2. 2. q. 100. a. 2. ad 4. (21) Loc. c. (22) L. 3. p. 1. n. 167. (23) De sacr ord. c. 1. §. 6. (24) Can. Sicut 1. q. 2. (25) Ep. 44

quoad acta ordinationum conficienda nullum salarium sit eis assignatum, ut ex eodem concilio deducitur.

111. » Resp. 3. Ob simoniam *realem* in beneficio ecclesiastico incurritur 1. excommunicatio papalis. 2. Irrita est electio, praesentatio, confirmatio et institutio. Unde talis non facit fructus suos. Idque etiam, licet a tertia persona taliter provisus id ignoraverit [1]. Nisi tamen contradixerit (Prout sancitum est in *cap.* 33. *de sim.* Hic tamen notandum cum Less. [2] et Elbel [3] quod non obstante tua contradictione, nec etiam posses beneficium acceptare, si scias pecuniam revera datam fuisse a tertio pro collatione; nam textus te excusat solo casu, quo *contra prohibitionem tuam* (verba textus) *aliquis te penitus ignorante, promisit et exsolvit.* Nota illud, *te penitus ignorante*, ergo si beneficium acceperis sciens tibi per simoniam alterius conferri, nequis illud acceptare, et si illud acceptaveris, *nequis retinere*) vel nisi a tertio data fuerit pecunia per fraudem, ut redderetur inhabilis; vel nisi bona fide possederit beneficium per triennium ut communiter docent Les. [4] Lay. [5] Bon. [6] Elbel [7] cum Suar. Pal. etc. Nec obstat regula cancellariae, ubi requiritur absolute, ut beneficium obtineatur *sine ingressu simoniaco;* nam intelligitur de eo qui culpabiliter ingreditur, Elbel [8] cum Anacl. Hinc non tenetur beneficiatus restituere (nec ante triennium) fructus bona fide consumptos, si ditior non evaserit, ut s. Thom. [9] Salmant. [10] ac Elb. [11] qui valde probabiliter addit neque esse restituendos fructus perceptos intuitu stolae, et aliarum functionum parochialium, nempe exequiarum, concionum, administrationis sacramentorum, etc. Ratio, quia fructus isti non dantur ut reditus beneficii, sed ut stipendia officii; ita ut iuxta communem sententiam dd. de illis possit parochus libere dispensare, etiam ad usus profanos, ut dicunt Lugo [12] Bon. [13] Bus. (*vide lib.* 4. *num.* 184.) et Sanchez [14] qui eam vocat longe probabiliorem cum Navarr. Panorm. Host. Soto Sylv. Covarr. et aliis pluribus, contra solum Innocent.). 3. Efficitur inhabilis ad idem beneficium, etiam per dispensationem episcopi obtinendum. Aliis tamen beneficiis iure ipso non privatur, nec ad alia obtinenda fit inhabilis ante sententiam iudicis. Suar. [15]. (Si vero quis bona fide beneficium adiit, licet obtinuerit per simoniam tertii, probabiliter potest episcopus cum eo dispensare ad idem beneficium, dummodo prius illud beneficiatus renunciet. Ita s. Thom. [16] et Elbel [17]).

» Resp. 4. Simonia confidentiae completa, dato et accepto beneficio, licet accipiens promissionem vicissim non impleverit, inducit 1. excommunicationem papalem utrique parti contrahenti. 2. Annullat resignationem et collationem beneficii, in quo est commissa; et inhabilitat ad idem postea obtinendum. 3. Privat omnibus beneficiis et pensionibus ante obtentis; non tamen ante sententiam latam. 4. Beneficia sic collata soli pontifici reservantur. Les. [18] Suar. [19] Laym. [20]. »

112. Hic ante omnia notandum, quod nomine beneficiorum et officiorum, ad quae omnis electio simoniaca est ipso iure nulla [21] non veniunt vicariae amovibiles ad nutum, nec pensiones, nec capellaniae non collativae, nec officia inquisitoris, legati aut cuiusque habentis iurisdictionem spiritualem ad tempus; quia haec non sunt proprie officia ecclesiastica: et licet illa vendere sit simonia de iure positivo, non tamen incurruntur poenae, ut communissime dicunt Salm. [22] cum Suar. Pal. Sanch. etc. item Viva [23] cum Fill. et Reg. contra Garciam. Neque incurritur ulla poena in venditione commendarum equitum, aut coadiutoriae beneficii, ut ait Croix [24]. Neque in venditione sacramentorum,

(1) Ex c. Nobis fuit, de sim. (2) C. 35. n. 145. (3) N. 632. (4) Dict. c. 35. n. 149. (5) L. 4. tr. 10. c. 8. n. 72. (6) P. 2. n. 20. (7) N. 640. (8) Ib. (9) 2. 2. q. 100. a. 6. ad 3. (10) C. 4. n. 18. (11) N. 646. (12) De iust. d. 4. n. 23. (13) D. 4. p. 2. n. 19. (14) Cons. l. 2. c. 2. d. 45. n. 4. (15) C. 54. n. 7. (16) 2. 2. q. 100. a. 6. ad 7. (17) N. 642. ex c. 59. de electionibus. (18) C. 35. n. 26. (19) C. 43. (20) Ib. n. 76. (21) Extr. 2. de sim. (22) C. 4. n. 18. (23) Op. de ben. q. ult. a. 5. n. 9 (24) L. 3. p. 1. n. 214.

aut iurisdictionis spiritualis, ut Less.[1] et Salm.[2] cum communi.

Quaeritur 1. an autem sint invalidae electiones simoniacae generalatus, abbatiae, provincialatus, prioratus, rectoratus, aliorumque officiorum spiritualium in religionibus. Negant Bonac.[3] et Viva[4]. Sed verius affirmandum, ut docent Cabass.[5] Sanchez[6] cum Sylv. Caiet. Arm. et Lop.; item Less.[7] et Elbel[8] qui recte addit[9] non videre qua conscientia excusari possint a labe simoniae electores illi qui eligunt aliquem in generalem, cum pacto, ut ipsi postea eligantur in diffinitores, guardianos etc. Ratio huius sententiae est, quia, licet praedicta officia revera beneficia non sint, expresse tamen comprehenduntur nomine officiorum in iure canonico[10], ubi sic dicitur: *Per electionem vero, provisiones etc. quas simoniaca contigerit labe fieri, et quae viribus omnino careant in ecclesiis*, monasteriis, *dignitatibus*, prioratibus, *officiis ecclesiasticis et quibusvis beneficiis, cuique ius nullatenus acquiratur.*

Quaeritur 2. an praedictae poenae ob beneficia simoniace accepta incurrantur ab ignorantibus.

Resp. Si ignorantia fuit omnino inculpabilis, certe negandum, ex iure canonico[11], ubi dicitur: *Sine culpa, nisi causa subsit, non est aliquis puniendus.* Hic tamen notandum cum Elbel[12] quod, non obstante hac inculpabili ignorantia, provisio beneficii semper erit nulla, cum inhabilitas ad idem beneficium non sit poena, sed statuatur in iure ad praecludenda mala. Poterit tamen eo casu episcopus dispensare, post tamen renunciationem beneficii, ut supra dictum est *n.* 111. Quid vero, si simoniacus sciverit committere simoniam, sed ignorarit invincibiliter poenas. Quoad censuras, certe non eas incurreret, ex sententia communi. Vide *l.* 7. *de cens. n.* 43. Quoad reliquas tamen poenas, et probabilius et communius est, eas incurrere, ut ait Elbel[13] cum Az. Laym. etc. sed postea[14] probabilem putat sententiam negativam, quam tenet Pichler; eo quod poenae a iure statutae non incurrantur ab ignorantibus, ut dicunt Sanch. Krimer etc. apud Pichler, qui ea ratione dicit excusari ab impedimento criminis mulierem ignorantem esse coniugatum virum cum quo peccat.

Quaeritur 3. an beneficiarius simoniacus incurrat ipso facto privationem beneficiorum ante obtentorum, et inhabilitatem ad alia beneficia obtinenda. Quoad poenam privationis, communissime docent dd. cum Busemb. *ut supra,* non privari beneficiarium beneficiis antea obtentis, nec fructibus eorum ante sententiam iudicis condemnatoriam, quia nulla lex habetur hanc poenam expresse ipso facto designans. Ita Sanch.[15] Laym.[16] Bonac.[17] Suar.[18] et Salm.[19] cum Fill. Pal. Rodriq. etc. Excipitur 1. simonia commissa ab examinatoribus beneficiorum parochialium in synodo electis, qui si aliquid occasione examinis recipiant, privantur ipso facto beneficiis antea rite obtentis ante omnem sententiam, ut expressum habetur in Trid.[20]. Excipitur 2. simonia confidentialis ex motu s. Pii v. *Cum primum*, edito anno 1566. ubi acceptantes beneficium in confidentiam privantur omnibus beneficiis, etiam iuste prius obtentis, et tenentur ante sententiam ea dimittere. Sed ad hanc poenam incurrendam in his casibus requiritur sententia saltem criminis declaratoria, ut tenent Suar.[21] Sanch.[22] Laym.[23] Salm.[24] cum Henr. etc. Ratio, quia omnes poenae privantes iuribus iam acquisitis non incurruntur ante sententiam saltem declaratoriam criminis, ut diximus *lib.* 1. *n.* 148. et iuxta probabilissimam sententiam, quam sequuntur Sanc.[25] Les.[26] Caiet.[27] Sot.[28] et Salm. cum Mol. Salas Palao Led. et Granad.[29] (contra Vasq.

(1) C. 35. n. 23. (2) C. 4. n. 1. (3) Q. 7. p. 2. (4) Loc. c. (5) Theor. iur. l. 5. c. 8. n. 5. (6) Cons. lib. 2. c. 3. d. 104. n. 5. et 11. (7) L. 2. c. 35. n. 137. (8) N. 622. (9) N. 638. (10) Extr. 2. (11) C. 23. de r. i. in 6. (12) N. 656. (13) N. 657. (14) N. 658. (15) L. c. d. 14. n. 16. (16) C. 8. n. 77. (17) P. 2. diss. 2. (18) C. 58. n. 6. (19) C. 4. n. 19. (20) Sess. 24. c. 18. de reform. (21) C. 44. n. 13. (22) D. 34. n. 13. (23) Ibid. (24) C. 3. n. 73. (25) De matr. l. 2. d. 43. n. 5. (26) L. 2. c. 29 d. 8. et c. 34. d. 34. (27) In sum. v. Poena. (28) L. 1 q. 6. a. 6. (29) De leg. c. 2. n. 60.

Bon. etc. qui volunt non requiri ullam sententiam, si reus potest poenam subire sine infamia). Quia nimis rigidum est, ut reus poenas ex seipso exequatur, et bonis possessis se privet. At si examinatores illi vellent absolvi a labe simoniae, nescio quomodo absolvi possent, nisi beneficia dimittant, dum dicitur a Trident.[1] *a qua* (idest a simonia) *nequeant absolvi, nisi dimissis beneficiis.*

Quoad autem inhabilitatem incurrendam ad alia beneficia obtinenda, *prima* sententia tenet incurri ante sententiam iudicis condemnatoriam. Ita Bon.[2] Laym. [3] Fill.[4]: item Ugol. Henr. Met. Lop. et Rodr. apud Salm.[5]. Ratio, quia ita expresse habetur in motu s. Pii v. *cum primum* ut supra, ubi sic sancitum fuit: *Qui beneficium aut officium ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit, perpetuo sit inhabilis ad ea, et quaecumque alia beneficia obtinenda:* ad incurrendas autem poenas inhabilitantes nulla requiritur sententia, ut dictum est *l.* 1. *de leg. n.* 149.

Secunda vero sententia communior et probabilior, quam tenent Sanch. [6] Nav.[7] Cabass. [8] Suar. [9] Viva [10] Elbel [11] cum Anacl. Pichler Salm.[12] P. Nav.[13] et probabilem vocant Less. et Pal. apud Salm. negat incurri praedictam inhabilitatem ante sententiam iudicis condemnatoriam. Ratio 1. quia bulla relata s. Pii revera intelligenda est tantum pro foro externo, cum loquatur de convictis; ibi enim sic dicitur: *Quicumque detestabile crimen simoniacae pravitatis commisisse convictus fuerit etc.* Ratio 2. quia, esto bulla intelligatur de foro interno, tamen ipsa non fuit recepta, ut asserunt Suar. p. Nav. Sanch. Salm.[14]. Saltem, ut ait Viva, bulla usu recepta est tantummodo in primo sensu fori externi. Nec huic obstat sententia quam secuti sumus *l.* 1. *n.* 97. scil. quod in dubio an lex recepta sit, lex bene obligat: nam hic non versamur in dubio, sed in opinione probabili, cum valde probabile sit ex auctoritate dd. ut supra, hanc legem non fuisse receptam. In dubio enim praesumptio stat pro lege, cum delictum, in non recipiendo legem iustam, non praesumatur. Quando autem probabile est, quod obligatio legis nunquam incoeperit (vel quod lex abolita sit), tunc cessat praesumptio pro lege, et possidet libertas, ut docent Sanch. Laym. et Pal. cum Salm.[15]. Nemo tamen dubitat, quod inhabilitas ad idem beneficium simoniace acceptum incurratur ipso facto ante omnem sententiam, cum hoc statutum sit de iure antiquo in *extrav.* 2. *de simon.* de cuius receptione non dubitatur. Notat autem Sanch. [16] cum Nav. et aliis, quod, secuta sententia iudicis condemnatoria, simoniacus erit quidem conscientia inhabilis ad quaecumque alia beneficia, cum per sententiam evadat infamis, et consequenter irregularis.

Cum autem mentionem fecerim de praefata *extravaganti* 2. hic adnotare censui id quod in fine illius sancitum inveni: ibi enim praecipitur *omnibus et singulis ecclesiasticis et saecularibus in virtute sanctae obedientiae, ut eos omnes, quos simoniam huiusmodi commisisse, vel procurasse, aut mediatores esse sciverint, pontifici per se vel per alios revelare quanto citius non omittant, etiam si complices fuerint . . . Quod si non fecerint, absolvi non valeant, donec praedicta revelent, et complices detecti arctius punientur.* Sed praedicta extravagans in hac parte non fuit usu recepta, nec ad id obligatur ullus, nisi sit curialis sedis apostolicae, ut asserunt plures aa. graves apud Cabass. [17] qui pro hoc citat Nav. Caiet. Suar. etc.

Quaeritur 4. an electio summi poncificis simoniaca sit invalida. Negant Suarez [18] ac Fill. etc. ap. Viva [19] et probant ex *cap. Licet,* 6. *de elect.* ubi Alex. III. statuit, *ut ille absque ulla exceptione ab*

(1) Loc. c. (2) D. 1. q. 7. p. 2. diss. 2. (3) L. 4. tr. 10. c. 8. n. 74. (4) Tr. 45. c. 13. q. 9. n. 26. (5) C. 4. n. 20. (6) Cons l. 2. c. 3. d. 104. n. 14. (7) De sim. cons. 92. (8) Theor. iur. l. 5. c. 8. n. 9. (9) De rel. t. 1. l. 4. c. 58. n. 11. (10) Op. de ben. q. ult. a. 3. n. 3. (11) De sim. n. 627. (12) C. 4. n. 21. (13) L. de rest. c. 2. n. 43. (14) Loc. c. (15) De leg. c. 2. n. 120. (16) L. c. n. 15. (17) Th. iur. l. 5. c. 8. n. 8. (18) De sim. c. 37. (19) Op. de benef. q. 10. a. 1. n. 8.

universali ecclesia romanus pontifex habeatur, qui a duabus partibus cardinalium concordantibus electus fuerit et receptus. Ratio, quia si talis electio esset irrita, posset facile ecclesia esse sine capite; saltem esset aliquando incerta. Affirmant tamen verius Cabass. [1] Bon. [2] et Viva [3] ex communiori sententia. Probatur clare ex *cap. Si quis, dist.* 79. ubi Nicolaus II. sic sancivit: *Si quis pecunia vel gratia humana, sine concordia et canonica electione cardinalium et sequentium religiosorum clericorum fuerit apostolicae sedi inthronizatus; non apostolicus, sed apostaticus habeatur*. Clarius confirmatur ex concil. later. IV. sub Iulio II. [4] ubi dictum fuit: *Sacro approbante concilio statuitur, ut electio romani pontificis per simoniam facta, eo ipso nulla existat; et sic electo nulla in spiritualibus vel temporalibus tribuatur facultas*. Ex quibus verbis patet nec pontificem sic simoniace electum posse suam validare electionem. Nec obstat textus in *cap. Licet* supra allatus, nec ratio adducta quod ecclesia remaneret sine capite; nam, ut recte dicunt Lessius [5] et Viva [6] cum sententia communi, ex vi *l. Barbarius*, posito communi errore cum titulo colorato, si occulta esset simonia, eo casu ecclesia suppleret iurisdictionem; unde omnes actus huiusmodi pontificis bene erunt validi, et eius definitiones adhuc infallibilem habebunt auctoritatem, ut declaratur in citato *cap. Licet*. Secus si simonia esset publica. Quod autem bulla Iulii II. ut supra non sit recepta, ut ait Suar. dicit Viva frivolum esse effugium.

Art. III. An et cui restituendum quod simoniace acceptum.

113. *Nihil spirituale simoniace acceptum restituendum, nisi beneficium, et eius fructus.*
114. *Restituendum est pretium acceptum pro beneficio, ordinatione, etc.*
115. *Cui restituendum.*
116. *Cui restituendi fructus beneficiisimoniace accepti.*
117. *Qui possint dispensare in praedictis poenis. Usque ad n.* 120.

113. » Resp. 1. Nihil spirituale simoniace acceptum, praeter beneficium (sub quo continetur pensio, secundum Bon. negante Less.) est restituendum. Ratio est, quia cetera vel restitui non possunt, ut sacramenta, vel non sunt restituenda ante sententiam: cum canones aliud non statuerint, ex Less. [7] Suarez Fill. etc. (Idem tenent Salm. [8] cum Sanch. Soto Pal.) contra Az. Laym. Bon. [9]. Dixi *praeter beneficium*; quia hoc retineri non potest, etiam ante iudicis sententiam: ut patet tum ex *c.* 1. *Si quis q.* 1. tum *ex* 4. *extrav. Cum destestabile de simonia* (Idem dicendum pro pretio accepto pro collatione ordinum, et ingressu religionis [10]. Vide Salm. [11]). Vide Bonac. [12] qui addit etiam fructus perceptos esse restituendos; tum quia nullo iusto titulo possunt retineri, cum adeptio beneficii simoniaca sit ipso facto irrita; tum quia sic expresse habetur in *extr. Cum detestabile, de simonia*. Vid. s. Th. [13] Nav. [14] Less. [15].

114. » Resp. 2. Pretium acceptum pro beneficio, collatione ordinum, sacramentorum et sacramentalium, si notabiliter excedat id quod pro sustentatione exigi poterat, item pro admissione ad religionem, iure positivo restituendum est. Hoc tamen posterius nonnisi post latam sententiam, si admissus in monasterium maneat; quia plerumque ratione alimentorum retineri potest, modo in communem usum convertatur. V. Bonac. [16] Less. [17] (Cum Pal. Laym. Sanch. apud Salm. [18] et Elbel [19] ut habetur in extr. Sanch. de sim. ubi dicitur quod *bona simoniace accepta pro ingressu ad religionem*, ad communem usum monasteriorum possint retineri et applicari).

» Resp. 3. Acceptum pro beneficio, aliave re spirituali, non secuta collatione, iure naturae restituendum est ei, a quo est acceptum: quia deest titulus retinendi, cum non praestetur id, pro quo est datum. Si vero res tradita sit, simonia utrinque completa,

(1) Th. iur. l. 5. c. 5. n. 17. (2) Q. 7. p. 2. (3) Loc. c. (4) Sess. 5. (5) L. 2. c. 35. n. 46. (6) Ibid. (7) N. 68. (8) C. 4. n. 23. 27. et 28. (9) D. 1. q. 7. p. 5. diss. 2. (10) Ex c. De hoc et c. Veniens, de sim. (11) C. 4. n. 29. (12) L. c. (13) 2. 2. q. 100. a. 6. (14) L. 5. cons. 62. (15) L 2. c. 35. dub. 31. (16) Loc. c. (17) L. 2. c. 56. d. 30. (18) Ib. n. 31. in fin. (19) N. 655

probabilius est restituendum esse ecclesiae et non danti; quia ecclesia utrumque punire intendit, ut Lessius Laym. [1]. »

115. Quaeritur hic 1. qui rem spiritualem cum simonia iam tradidit, et pretium accepit, cuinam illud restituere debeat. Tres sunt sententiae omnes probabiles. *Prima* tenet, ante sententiam pretium restituendum esse ei qui dedit; quia, cum recipiens incapax fuerit ex iure positivo illud acquirendi, dominium remansit apud dominum, qui non alia ratione intendit illud a se abdicare, nisi quatenus transferret in venditorem. Ita Sanch. [2] Lessius [3] cum Val. Sot. Bann. Arag. Rodr. etc. ap. Salm. [4].

Secunda tenet esse restituendum ecclesiae, in qua est beneficium [5]. Et hoc in poenam irreverentiae irrogatae ecclesiae in venditione rerum suarum. Ita s. Th. [6] Salm. [7] s. Antonin. Laym. Suar. Cai. etc. cum Bus. ut supra.

Tertia dicit, ex consuetudine posse restitui etiam pauperibus, ut etiam admittit s. Th.[8] cum Pal. Vict. Covar. etc. et probabilem vocat Laym. apud Salmant. [9]. Quare recipiens pretium iuxta has sententias, satis omnes probabiles (ut recte dicunt Salm.[10]) poterit, prout voluerit, illud restituere vel danti, vel ecclesiae, vel pauperibus, et etiam sibi ipsi, si egens sit, ut Salm.[11] cum Sanchez. Pretium vero pro ingressu in religionem restituendum est ipsi danti, ut afferat ad monasterium, ad quod transfertur, et quod alere eum debet[12]. Si tamen remaneat, potest monasterium datum retinere, ut Sanch. Pal. Suar. et Laym. apud Salm.[13].

116. Quaer. 2. cui autem sint restituendi fructus beneficii per simoniam acquisiti. Restituendos esse ecclesiae docet s. Th. [14] modo commodum non recipiant ex hoc qui simoniam commiserunt. Sed probabile est posse restitui etiam pauperibus, vel successori in beneficio; vel etiam se componere cum pontifice pro dictis fructibus, ut Salmant.[15] cum Nav. Sylv. et Sanch.

117. Videndum hic ultimo, quisnam possit in praedictis poenis absolvere, aut dispensare. Certum est[16] quod excommunicationem et suspensionem in ordine simoniace suscepto solus pontifex potest absolvere; nisi dictae censurae sint occultae, quas potest tunc absolvere etiam episcopus ex Trid. [17]. Et etiam confessarii mendicantes, ut ex comm. ait Elbel [18] cum Suar. Pal. Dicunt autem Less. [19] et Salm. [20] quod bulla in contrarium s. Pii v. in hoc non est recepta [21].

Quoad vero suspensionem ordinum rite susceptorum probabile est posse illam absolvere episcopum, ut Suar.[22] et Salm.[23]. Licet putent probabilius oppositum cum Pal. et Sylv. casu quo clericus scienter cum simonia ordinatus sit; et idem dicunt[24] de suspensione ordinantis.

Quoad inhabilitatem denique obtinendi alia beneficia, praeter illud simoniace obtentum, potest episcopus dispensare, ut Sanch.[25] et Sylv. Imola Felin. Excipitur si fuerit simonia confidentialis, aut si simoniacus expectet sententiam, quia tunc est irregularis ex infamia iuris. Salm.[26] et Elb.[27] cum Less. Pal. Henr. etc.

118. Dubium magnum est, an episcopus dispensare possit ad habendum ipsum beneficium simoniace acceptum. Praenotanda sunt in hoc verba pontificis[28]: *Si alicuius electionem propter si-*

(1) Ib. n. 79. (2) Cons. l. 2. c. 3. dub. 114. n. 11. (3) L. 2. c. 35. n. 171. (4) C. 4. n. 30. (5) Ex c. De hoc, etc. audivimus, de sim. (6) 2. 2. q. 100. a. 6. ad 3. et 5. (7) Dict. n. 31. (8) 2. 2. q. 32. a. 7. et q. 62. a. 5. ad 2. (9) D. n. 31. (10) Ibid. (11) Ibid. (12) Ex. c. Veniens, de simon. (13) L. c. (14) Q. 100. a. 6. ad 4. (15) Ib. n. 32. (16) Ex c. pen. de sim. (17) Sess. 24. c. 6. (18) N. 645. (19) L. 2. c. 35. n. 34. (20) C. 4. n. 34. in fin. (21) Hic nequeo intelligere, quomodo revocatio privilegiorum opus habeat acceptatione, quum in tantum regulares prius poterant (absolvere), quia pontificibus sic placuit; ergo si eis ablata fuit ab eisdem iurisdictio, qua potestate possunt sibi hanc iurisdictionem vindicare? Sed quidquid sit de hoc, certum est per Clementem viii. ablatam fuisse regularibus extra urbem et intra Italiam facultatem absolvendi saeculares a simonia reali et confidentiali. Hom. A. tr. 4. u. 53. Vide etiam tr. 20. n. 17.
(22) De sim. c. 61. n. 4. (23) N. 34. (24) Ibid. (25) L. 2. c. 3. d. 120. a. 31. (26) D. n. 38. in fin. (27) N. 645. (28) In c. pen. de elect.

moniam, eo ignorante, ac ratum non habente, commissam, contigerit reprobari; cum eo super praelatione, ad quam electus fuerat, illa vice non poterit episcopus dispensare, quamvis circa eum, qui ignoranter suscepit simplex beneficium per simoniam post liberam resignationem, episcopi dispensatione tollatur. Hinc ad dubium respondetur 1. quod, si beneficium fuerit simplex (etiam canonicatus, vel dignitatis, cui non insit cura animarum, ut Sanch. et Nav. ap. Salm. [1]) et fuerit acceptum per simoniam ignoranter (scilicet, quando simonia fuerit commissa ab alio, beneficiario ignorante, ut communiter intelligunt dd. [2], tunc potest episcopus dispensare etiam in illa vacatione, dummodo beneficiarius sponte renunciet: ita Sanch. [3] Pal. [4] et Salm. [5] cum Sylv. Nav. et Gloss. [6]. Vide dicta *n.* 111. Respondetur 2. quod si autem beneficium sit curatum, non potest episcopus dispensare in illa vice; sed potest in alia vacatione cum ignorante. Salm. [7] cum Panorm. Pal. Sanch. etc. Respondetur 3. quod si scienter simoniace quis acceperit beneficium sive simplex, sive curatum, etiamsi sponte renuntiet, nequit episcopus cum illo dispensare ad idem beneficium habendum, neque pro illa, neque pro alia vice, ut docet s. Th. [8] et Salm. [9] cum Sot. Pal. et Sanchez. Quamvis possit episcopus dispensare ad alia beneficia obtinenda, nisi fuerit simonia confidentialis, ut mox supra diximus *n.* 117. *in fin.*

119. Quaer. 3. an praedictas dispensationes possit impertiri etiam episcopus, cum quo commissa est simonia? Negant probabiliter Panorm. etc., sed probabilius affirmant Salm. [10] cum Nav. et Sanch. ex iure canon. [11] ubi facultas episcopis conceditur indistincte.

120. Quaeritur 4. an pontifex conferens beneficium alicui, quem scit inhabilem ad illud accipiendum ob simoniam, censeatur dispensare. Affirmant probabiliter Pal. [12] Suar. [13] Sot. [14] et Salm. [15] cum Torre. Et idem dicunt [16] cum Sot. et Torre, si pontifex beneficium vendat alicui. Vide Croix [17]. Notandum quod si papa confirmat electionem, nesciens vitium simoniae, etiamsi in bulla dicat se supplere omnes defectus, non valet confirmatio, quia illud intelligitur de aliis defectibus in electione, non de simonia, ut Croix [18].

TRACTATUS SECUNDUS

DE SECUNDO PRAECEPTO DECALOGI

« Prohibet hoc praeceptum omnem inordinatam usurpationem nominis Dei, qualis potissimum fit blasphemando, temere iurando, vovendo et non servando, de quibus hic agendum. »

Cap. I. Quid et quotuplex blasphemia.

121. « Resp. blasphemia directe opposita laudi Dei est verbum maledictionis vel convicii seu contumeliae in Deum, sive id fiat attribuendo ei falsa; sive negando vera; sive tribuendo creaturis quae ipsi debentur; sive etiam dicendo vera, sed quae ad eius dehonorationem seu vilipensionem tendant, ut fit per modum ei indignantis, et contemnentis, etc. ita comm. dd. s. Th. [19] Bon. [20] Sanch. [21] Laym. [22].

Unde resolves:

122. » 1. Blasphemat, qui contra Deum infrendens ei maledicit: item,

(1) C. 4. n. 55. (2) D. n. 55. in fin. (3) L. 2. c. 5. dub. 120. n. 22. (4) Tr. 17. d. 3. p. ult. n. 5. (5) D. n. 55. (6) In c. A Nobis, de sim. (7) N. 57. (8) D. q. 100. a. 6. ad 7. (9) Ibid. n. 58. (10) Ibid. n. 59. (11) Ex c. Si quis presbyterorum, de reb. eccl. non alien. et ex c. penult. de simon. (12) Ib. n. 9. (13) L. 4. c. ult. n. 14. (14) L. 9. q. 5. a. 2. (15) C. 4. n. 40. (16) Ibid. (17) L. 5. p. 1. n. 232. (18) Ibid. n. 234. (19) 2. 2. q. 13. (20) Dis. 5. q. 8. (21) 2. mor. c. 82. (22) L. 4. [illegible]

qui ait se aliquid acturum eo invito: item qui eum negat: qui iurat serio per Deos falsos: qui eum vocat tyrannum, iniustum, nolle aut non posse nos iuvare, non curare nostra: daemonem esse fideliorem, plus posse: non omnia bene esse ordinata: melius in creatione quaedam fieri potuisse aut debuisse etc. Quae quidem si quis credat ita esse, et non tantum in ira aut desperatione effutiat, tunc est blasphemia haereticalis, idest cum haeresi coniuncta; quod in confessione est addendum, quia specie differt ab imprecativa. Hurt. [1]. »

123. Qui audit aliquem proferentem blasphemiam haereticalem, tenetur eum denunciare infra sex dies, ut aiunt Viva [2] et Salm.[3] ex edicto inquisitionis, ut dicunt: sed videtur hoc spatium sex dierum esse iuxta inquisitionem Hispaniarum; nam in edicto inquisitionis generalis assignatur mensis. Vide dicenda *l. 4. n. 252. v. Rogabis*. Secus autem si blasphemia non sit haereticalis, nam licet [4] obligatio sit denunciandi (vide apud Salm. [5]); attamen Sanch. [6] cum Medina Manuel et Lopez ac Salm. [7] cum Bonac. Villal. Trull. et aliis dicunt in his blasphemiis praemittendam esse correptionem, quae si proficiat, omittendam esse denunciationem: imo Mazzotta [8] Tamb.[9] et Viva [10] dicunt, quod propter desuetudinem haec decreta non videntur hactenus obligare.

124. Insuper notandum, quod blasphemia est dicere: *Velit nolit Deus. Pereat Deus. A dispetto di Dio. Nego sacramenta*. Item dicere *daemonem sanctum, omnipotentem;* non vero, si nominetur *potens*, *sapiens*, *etc*. secundum suam naturam; modo his verbis non intendatur ei aliquis honor tribui. Nec est blasphemia, quando verbum mutatum, aut dimidiatum pronunciatur, verb. gr. *Nego Di .... Santo Di .... Santo Diana;* probabiliter cum Viva [11] Tambur. [12] et Croix [13] cum Gob. et Tann.

Neque dicere contra homines: *Sangue di Dio, Corpo di Dio*. Viva [14] ex communi cum Laym. et Tamb.[15], nisi indignatio sit directa contra Deum. Et sic tenendum cum Busemb. et aliis *infra n. 128.*, quicquid dicat Croix [16], nempe quod haec verba per se semper praeseferunt vilipensionem Dei.

Neque est blasphemia dicere: *per vitam Dei*, vel *sanctorum*. Communiter Viva [17] et Tamb. [18] cum Sanch. contra Decian.

Neque dicere: *Renego Deum, si te non percussero*. Ita Tamb. [19] cum Salas, et videtur probabile contra Sanch. et Pal., quia tunc haec verba proferens non habet animum negandi Deum, casu quo non percusserit, sed quia certe vult percutere, ideo dicit Deum non credere, si non percusserit; volens tandem sic dicere: sicut certum est quod Deum non negabo, ita certum habeo quod te percutiam.

Neque dicere: *Hoc est verum sicut Deus*. Tamb.[20] cum Azor. Bonac. Med. (contra Suar. et Sot.) Et hanc sententiam communem asserit esse Mazzot. cum Bon. et aliis, quia tunc communiter non aequiparatur veritas creata cum increata, sed solum indicatur similitudo quaedam mixta cum aliqua hyperbole.

Neque dicere: *Sic erat a fato destinatum*. Tamb.[21] cum Sanch. Neque afferre verba scripturae ad dicendam facetiam; modo quis non utatur ad turpia, et non fiat tam saepe, ut contemptum sapiat. Tamb. cum Vill.[22] et Gob. apud Croix [23]. Neque iurare per membra honesta Christi, Tamb.[24] cum Sanchez. Secus si iuretur irrisorie, vel per membra inhonesta. Ideo vera blasphemia est dicere: *Potta di Cristo; Potta di s. Paolo;* si intelligatur per ly *potta*, natura mulieris, quam tale verbum significat; sed talis significatus communiter neque intenditur, neque

(1) 2. 2. d. 91. sect. 12. §. 54. (2) De 1. praec. q. 6. a. 2. n. 11. (3) Tract. 21. c. 3. n. 129. (4) Ex decret. Iulii III., Pii I. et concil. later. (5) Tr. 21 c. 3. n. 129. (6) Dec. l. 2. c. 32. n. 47. (7) Loc. c. (8) Vide t. 1. p. 276. (9) Dec. l. 2. c. 6. §. 4. n. 6. (10) Dict. loc. (11) Loc. c. n. 8. (12) Ibid. n. 20. (13) N. 252. (14) N. 9. (15) Ib. n. 25. (16) L. 3. p. 1. n. 248. (17) Ibid. (18) Ib. n. 23. (19) Ib. n. 22. (20) Ib. n. 16. (21) Ib. (22) Ib. n. 17. (23) Ib. n. 251. (24) Ib. n. 23.

scitur; ideo communiter loquendo praedicta blasphemia a mortali excusatur: tanto magis, quia verbum *potta* est aequivocum, dum italica lingua denotat (etiam de se) non aliud, quam interiectionem furoris, ut observavi apud vocabularium etruscae linguae recenter editum, et hoc probabile recte censet Mazz. [1].

Sic quoque excusari possunt a mortali rustici qui blasphemant Deum vel sanctos, addendo: *Fuori di Dio*, aut *se l' ho fatto io*. Licet enim de se videatur esse vera blasphemia, quia talis conditio non tollit iniuriam, quae primis verbis Deo vel sanctis irrogatur (cum bene doceat Sanch. [2] Sporer [3] Pal. [4] cum Suar. et Valent.: item Elbel [5] et Croix [6] cum Tamb. et Dic. ad peccatum blasphemiae non requiri affectum inhonorandi Deum, sed sufficere solam prolationem vergentem ad divini honoris diminutionem, quidquid dicat Gob. apud Croix, putans non esse blasphemiam, si quis ex gravi causa proferat tantum ficte verba blasphema. Hinc dicunt Sanch. [7] et Spor. [8] cum Tamb. quod omnis blasphemia etiam ioco prolata est mortale, nisi iocus tolleret omnimodam rationem irreverentiae in Deum (quod dicunt raro evenire), prout ait Sanch. si quis causa ioci vel irrisionis iuraret per falsos Deos): attamen auctor neotericus libelli, cui titulus: *Istruz. per li confess. di terre, e di villaggi* [9] et p. Sarnell. auctor libri *Opera contro la bestemmia* [10] item p. Mazzott. [11] cum Dian. et aliis probabiliter inquiunt saltem ob ignorantiam facile posse excusari a mortali rusticum, qui non aliter intendit sanctum blasphemare quam addito, *se l'ho fatto io*; intendens sic non blasphemare. Praeterquamquod, etiam de se loquendo, probabile est tale dicterium non esse veram blasphemiam; verus enim sensus cuiusvis propositionis formatur ex ultimis eius verbis, et ideo recte dici potest, quod praefata propositio, *managgia santo N. se l' ho fatto io*, simul et complete sumpta, non irroget sancto veram iniuriam, cum adsit illa conditio, *se l' ho fatto io*. Aliud autem est, verba blasphema exterius proferre, et interius nolle blasphemare, ut supra dictum est; aliud praedictam propositionem proferre, in qua per illam conditionem expressam, expresse ostendit proferens nolle sancto ullam iniuriam afferre. Secus vero dicendum, si is talia verba addat non ad tollendam malitiam blasphemiae, sed poenitentia ductus, vel ad reparandam blasphemiam iam prolatam.

125. « 2. Revocantur etiam ad blasphemiam alia signa contra Deum, licet verba non adsint; ut spuere in coelum, infrendere dentibus, etc. imo etiam sola mente blasphemia interior committi potest, sicut etiam laus mentalis Dei.

» 3. Blasphemat item, qui in sanctos vel sacra contumeliosus est, intellige, ut sancti sunt, sive cum habitudine saltem virtuali ad Deum, ita ut moraliter huius etiam honor censeatur tangi: quia alioqui tantum erit contra duliam, si nimirum contra illos, ut homines quidam in terris fuerunt, dicatur. Quod veniale est, si ioco fiat, v. gr. si sanctos Crispinum et Crispinianum voces *sutores*, Ioannem et Paulum *eunuchos*: grave vero erit, si contemptim, vel ex odio aut indignatione contra sanctos haec dicas. Licet vero blasphemiae in Deum non admittant materiae parvitatem, multi tamen admittunt in iis quae fiunt contra sanctos. Esc. [12].

» 4. Blasphemat item qui iratus, etsi non contra Deum, sed contra alios aut alia, eadem tamen serio profert, quae ex sua significatione, aut modo loquendi, ac circumstantiis important imminutionem divini honoris, aut imperii: licet enim eam non intendat formaliter, intendit tamen indirecte, et virtualiter: quamvis id ex subreptione saepe sit veniale tantum, si tantum materialiter fiat.

(1) De blasph. §.2. dub.2. (2) Dec. l.2. c.25. n.3. (3) De 1. praec. c. 10. n. 22. (4) Tr. 17. disp. 2. p. 2. §. 1. n. 3. (5) N. 180. (6) L. 3. p. 1. n. 250. (7) N. 41. (8) Loc. c. (9) C. 4. pag. 141. (10) P. 2. pag. 52. (11) De blasph. l. c. (12) T. 1. extr.

126. » 5. In confessione exprimendum est, si quis (quod tamen raro contingit) directe et formaliter Deum inhonorare intenderit, aut ei formaliter iratus fuerit. Laym. [1] (Cum communi apud Salm. [2] cum Less. [3] Secus si tantum ex ira blasphemet).

» 6. Blasphemat item qui iniuriose usurpat membrum Christi: v. gr. perdat te Dei sanguis, vulnera, mors Dei, caput, passio, sacramenta, chrisma, et similia sacra: cum ea non ad perdendum, sed ad salvandos nos data sint; et communiter in his apprehendant homines magnam Dei, earumque rerum vilipensionem contineri. Laym. [4].

127. » 7. Qui talium verborum consuetudinem habet tenetur sub peccato mortali serio conari eam tollere. Quod si facit et tamen labitur, potest excusari aliquando, eo quod iuramenta ista impetu naturali effusa non sunt voluntaria nec in se nec in causa, utpote retractata proposito efficaci. Laym. [5]. Vide Escob. [6]. Si non conetur, idque confessarius notet, neget ei cum discretione absolutionem. Laym. [7]. »

Hic advertendum, quod aliqui huiusmodi blasphemantes dicunt se non animadvertisse ad malitiam blasphemiae. Aiuntque quidam dd. quod isti aliquando ob impetum irae vel habitus contracti possunt sine advertentia blasphemare. Sed puto cum auctore citato (*Istruz. etc.*) [8] semper adesse in blasphemando aliquam advertentiam saltem confusam de malitia illius prolationis; ira enim aut habitus ordinarie non ita intellectum obtenebrat, ut penitus ad malitiam blasphemiae non advertatur, licet ipsa reflexe non cognoscatur.

« 8. Interim plurimi excusantur ob inadvertentiam in subita commotione: tametsi non satis excusare videatur, quod quidam aiunt, iis verbis aliud se non intendere, quam usurpare tanquam interiectiones significativas irae suae: tum quia aeque se possunt assuefacere ad verba alia irae et seriae voluntatis significativa: tum quia, tametsi id non possent, nihilominus non videtur licere usurpare ea quae ex communi apprehensione aliorum sunt inhonorativa Dei.

128. » 9. Quod si vero quis in ira contra hominem, non indignando Deo, sed homini tantum, nude nominet mortem Dei, septem sacramenta, v. gr. o Dei mors, vulnera, etc. sine scandalo et sine iis circumstantiis, quibus contemptus importatur, non sunt blasphemiae, sed vana usurpatio nominis divini hoc praecepto prohibita, et peccatum inter venialia grave, ut Caiet. et Armilla [9] et Sanch. (Vide *d. n.* 124.). Quamquam propter periculum incidendi in blasphemias, et quia raro abest scandalum, ac nihilominus apud audientes Deus eiusque sacra censentur inhonorari, raro excusantur, et merito absterrentur homines a similibus dictis, ut notat Laym. [10]. »

129. Quaeritur hic, utrum sit blasphemia maledicere creaturis. Distinguitur, si maledicitur creaturis cum relatione ad Deum, sicut esset maledicere pluviae, ventis, ut a Deo imperatis, vel addito verbo *Dei*, v. gr. *Managgia il fuoco di Dio* (vid. Tamb. et Mazz.), certe blasphemia est. Idem dicendum, si maledicatur creaturae, quae de se specialem relationem ad Deum habet, uti est animae nostrae, fidei catholicae, coelo, et similibus; vide mox infra. Secus autem, si indignatio fertur in creaturas sine relatione ad Deum. Ita Cont. Tourn. [11] Viva [12] cum Bon. et Less. ex d. Thom. [13] qui docet: *Maledicere rebus irrationabilibus in quantum sunt creaturae Dei, est peccatum blasphemiae; maledicere autem eis secundum se consideratis, est otiosum et vanum.* Hinc ex Viva et aliis non est grave maledicere simpliciter horae, diei, anno, nisi addatur verbum *Sancto;* vel nisi de se dies praeseferat quid speciale sanctitatis, ut dies paschatis, epiphaniae, na-

(1) Ibid. n. 12. (2) Tr. 21. c. 3. n. 125. (3) L. 2. c. 45. n. 35. (4) Ibid. (5) L. 1. t. 2. c. 3 n. 6. (6) T. 1. c. 3. n. 36. (7) Loc. c.

(8) P. 145. (9) V. Blasphemae. (10) Loc. c. (11) De praec. dec. c. 2. (12) D. q. 6. a. 2. n. 7. (13) 2. 2. q. 76. a. 2.

talis, pentecostes, ut dicunt Salm.[1] Elbel[2] cum Sanch. Laym. Spor. et expressius auctor *Istruz. per li conf. di terre ecc.*[3]. Ratio, quia prolatio, ubi aliquid speciale relucet, aut explicatur sanctitatis, semper saltem indirecte ad Deum refertur, qui omnis sanctitatis est auctor.

Sed hic quaeritur an sit vera blasphemia maledicere toti mundo, vulgo: *Managgia tutto il mondo*. Hunc casum, quantumcumque morales aa. revolverim, disceptatum non inveni; tantum illum vix indicatum reperi apud duos auctores. Auctor citatus *Istruz. ecc.*[4] nimis obiter asserit hanc maledictionem non esse per se gravem blasphemiam. Sed oppositum verius omnino censeo, et ducor argumento illius communis sententiae, quam universe doctores tradunt et dicunt, quod iurare per creaturas excellentiores, in quibus specialiter relucet bonitas, sapientia, aut potentia divina, nempe per coelum, per terram, et etiam per animam (ut probabilius recte censent Salm.[5] cum Suar. Sanch. et Far.) et similia, sit verum iuramentum. Ita in tractatu de iuramento Busemb. infra *num.* 138. Laym.[6] Spor.[7] Pal.[8] Salm.[9] Bonac.[10] Fel. Potest.[11]. Et hoc clare probatur ex *Deut.*[12] ubi Moyses iuravit dicens: *Testes invoco hodie coelum et terram*. Et ex *Matth.*[13]: *Non iurare omnino, neque per coelum...neque per terram;* ubi s. August.[14] ait: *Cum iuras per coelum aut terram, non te arbitreris non debere Domino iusiurandum tuum*. Sicut igitur, dico, iurare per praedictas creaturas, est verum iuramentum, quia, cum in ipsis specialiter resplendeat Dei potentia, indirecte per eas Deus in testem invocatur, ita ob eandem rationem maledicere eisdem creaturis est vera blasphemia, quia in ipsis indirecte Deus contemnitur. Et hoc sentit quidem Felix a Panormo[15] qui dicit convicium in creaturas non esse blasphemiam, nisi specialiter in eis divina bonitas reluceat, ut in coelo, terra et anima. Bene tamen excusaretur a peccato blasphemiae, qui malediceret mundo, intelligens mundum illum qui Deo et sanctis adversatur, iuxta illud[16]: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit*. Sed ordinarie loquendo, censeo rusticos qui mundo maledicunt, ut plurimum graviter peccare, dum ipsi de tali maledictione cum magno horrore se accusant.

Maledicere autem diabolo recte putat Tamb.[17] raro esse peccatum mortale: quia semper solet ille maledici ut auctor malorum, vel ut Dei inimicus: quo pacto, abstrahendo ab impatientiae actu, ne veniale quidem esse dicit Tamb.[18] et probabiliter consentit Mazzott.[19] et Elbel[20].

Notant autem Viva[21] et Tamb.[22] cum Bon. Lazar. et Pal. quod in dubio, an aliqua sit vel ne blasphemia, minime ut blasphemia est sumenda.

130. Quaeritur etiam hic, utrum *maledictio mortuorum*, quae vulgo dicitur, *bestemmia dei morti*, sit vera blasphemia. Casus apud doctores morales non invenitur; tantum de eo fit mentio apud auctorem libelli enunciati *Istruz. per li confess. di terre ecc.* qui libellus dignus habitus est magna laude et approbatione illustrissimi et doctissimi episcopi d. Iulii Torni nimia eruditione et fama praeclari. Et insuper apud librum etiam citatum (*Opera contra l'abuso della bestemmia*) revisum ab illustrissimo et perdocto d. Castrensi Scaia Oriae episcopo, tunc temporis in academia neapolitana publico et egregio theologiae professore. In utroque libello dicitur praedictam nequaquam esse blasphemiam, sed levem dumtaxat maledictionem. Idemque postea inveni tenere Mazzott.[23].

Et ita omnino tenendum censeo, quidquid aliqui dicant, ut ostendi in quadam dissertatiuncula ad formam

(1) Tr. 21. c. 3. n. 121. (2) De 2. praecept. (3) Pag. 142. (4) De 2. praec. dec. pag. 143. (5) De iur. c. 2. n. 28. (6) L. 4. tr. 3. c. 1. n. 5. (7) C. 1. n. 7. (8) Tr. 14. d. 1. p. 1. n. 3. (9) C. n. 12. (10) Q. 1. p. 1. n. 4. (11) C. 2. n. 1334. (12) 4. 24. (13) 5. 34. (14) L. 1. de serm. Dom. c. 17. (15) De 2. praec. c. 1. n. 1340. (16) Io. 15. 18. (17) Dec. l. 2. c. 6. §. 4. n. 11. (18) Ibid. (19) De 2. praec. q. 3. c. 2. §. 1. (20) N. 21. (21) N. 10. (22) N. 18. (23) T. 1. p. 330.

epistolae, quam olim hac super re typis demandavi, hicque subiicio. Tota ratio in summa est, quia huiusmodi maledictio nequaquam continet neque in se ex obiecto, neque per relationem ad mentem proferentium, iniuriam aliquam contra animas purgatorii, ut contrarii contendunt. Non ex obiecto, quia vox haec *mortui* aliud in se non significat proprie, quam *cadavera* (praedicatum enim tò *mortui* ad corpora proprie, non ad animas pertinet); ad summum significat *homines vita functos*, qui possunt esse salvi et facilius damnati, iuxta communiorem opinionem, quae vult maiorem partem adhuc fidelium damnari, non autem animas purgantes, nisi forte in aliqua circumstantia sermonis, ubi expressa (et sic respondetur adversariis) de sacris rebus mentio fiat; puta, quando dicitur: *Missa, dies, aut congregatio mortuorum*. Caeterum in aliis locutionibus ordinarie talis vox nec in se, nec per communem acceptionem significat *animas purgatorii*, uti quando dicitur: *Ille timet a mortuis*: *mortuis minime prodest ornatum sepulchrum*, et similia. Et hoc in dubium non videtur posse revocari.

Instant, quod maledicentes mortuis saltem maledicunt reipsa eorum animabus quae separatae a corporibus reperiuntur. Sed respondeo, quod tunc maledicere animae alicuius erit mortale, quando in prolatione maledictionis exprimitur verbum *anima*, connotando excellentiam divinae potentiae, quae in anima relucet, prout dixi *n. antec.* 129. *v. Sed hic*. Non vero quando maledicitur homini, non facta mentione animae: sicut iurare per animam alicuius esset verum iuramentum, non autem iurare per aliquem hominem, nempe per Franciscum, per Petrum. Unde sicut maledicere homini vivo non iudicatur grave peccatum, ita nec defuncto. Tanto magis quod (ut mox dixi) maledictio mortuorum proprius refertur ad corpora quae sola moriuntur, quam ad animas quae sunt immortales. Et certum est, quod tales mortuis maledicentes communiter nullo modo intendunt eorum animabus maledicere; praescindunt revera a consideratione animarum et corporum. Imo, ordinarie loquendo, nequaquam intendunt maledicere mortuis, sed exprobrare vivis, ad quos maledictionem illam instar iniuriae dirigunt. Ideo recte autor citatus libelli *Istruz. per li confess.* praedictam maledictionem vocat magis proprie *imprecationem*. Et hoc ex praxi patet confessariorum, qui, si interrogent poenitentes an intenderint maledicere animabus sanctis, vel saltem animabus mortuorum, cum horrore respondent: *Absit*, *avertat Deus*.

Confirmat nostram assertionem regula generalis quam assignat Laym.[1], qui sic docet: *Si poenitens neget affectum indignationis suae erga Deum directe se extendisse, sed solum adversus hominem vel iuramentum cui iratus fuerit; tunc confessarius attendat ad verba, quibus homo usus fuit: si enim secundum se divini honoris diminutionem nullam exprimunt, non censenda est blasphemia, neque mortale peccatum.*

Ad hoc accedit alia regula generalis, quod ad certo damnandum aliquid de gravi peccato, de eius gravi malitia constare debet. Imo signanter quoad blasphemias docent Pal. Bonac. Lazar. cum Tambur.[2] et Viva[3] quod in dubio, an aliqua sit vel ne blasphemia, minime ut blasphemia sumenda est. Quomodo igitur damnari potest maledictio mortuorum ut peccatum mortale quando in se, ut diximus, nullam continet iniuriam in Deum vel sanctos; neque ad ipsos mortuos refertur a proferentibus, qui eam proferendo, nec quid dicant intelligunt?

Super hoc puncto pro mea securitate consului venerabiles et celeberrimas congregationes sacerdotum missionariorum Neapolis tum regularium, tum saecularium, et uno ore mihi responderunt, talem maledictionem nequaquam accipiendam esse ut blasphemiam nec ut peccatum grave. Et re-

(1) L. 4. tr. 10 c. 6. n. 12.

(2) L. 2. c. 6. §. 4. n. 19.

(3) Quaest. 6. a. 2. n. 10.

sponsiones illorum in praefata mea epistola extensas inserui.

Ex quibus omnibus operae pretium puto, ut confessarii et praedicatores sedulo curent instruere populos rudes super hoc puncto, putantes id esse mortale, ne tot animae ex ignorantia ob erroneam conscientiam peccati mortalis misere pereant. Nec officit dicere quod ex hac notitia frequentior erit abusus huius maledictionis: nam respondetur melius esse permitti innumera venialia, quam unum mortale. Et utinam, dico, tales ignorantes propter horrorem peccati gravis abstinuissent a dicta maledictione! Malum est, quod adhuc cum tali conscientia peccati gravis non desistunt a vitio, et e converso ob eam ignorantiam damnantur. Sed vide in fine huius capitis responsum, quod nuper edidimus circa hanc mortuorum maledictionem, adversus quamdam epistolam ab anonymo nobis oppositam.

Pariter hic adnotamus non esse in se blasphemiam, si quis maledicit fidei alicuius; modo non exprimat, nec intendat fidem sanctam, sive Christi. Ratio, quia *nomine fidei* non significatur de se fides Christi: intelligi enim potest etiam fides humana. Et revera fidei maledicentes, nunquam intelligunt blasphemare fidem sanctam. Et ita Mazz. [1].

Utrum autem sit mortale hominibus maledicere, sive malum imprecari. V. dicenda *l.* 5. *num.* 83.

131. « 10. In ira imprecari aliis daemonem, grandinem, fulgura, etc. etsi multi confundant cum blasphemiis, non tamen est blasphemia, sed dira imprecatio, quae plerumque (saltem, quando dicitur in illos qui amantur, ab irato) ob subitam commotionem et inadvertentiam, ac defectum seriae voluntatis, non est nisi venialis: quia, cum se homines reflectunt, aiunt longe aliter se sentire, ac sensisse, ita ut videantur interiectiones tantum quaedam esse ad significandam iram, tametsi christianos parum deceat tam absurdis interiectionibus uti. Bon.[2] ex Nav. Tol. Reg. etc. Bald. [3] ubi etiam censet veniale tantum esse sibimetipsi ex ira daemonem imprecari, eo quod non laedat graviter charitatem (Sic etiam veniale tantum est imprecari alicui sine animo, quod arripiatur a daemone. Ita Esc. ap. Tamb. [4]). Verum Molin. etc. non audent id excusare a mortali, propter foeditatem, horrorem et perversitatem. Grave autem est, si subditi superioribus, filii parentibus (licet materialiter tantum) sic maledicant, praesertim in faciem: quia est grave contra debitam reverentiam. Bald. [5]. Vide infra *lib.* 5. *c.* 3. *d.* 6. *n.* 80.

» 11. In ira usurpare daemonem sine imprecatione, non est per se peccatum: assidua tamen eius nominatio non decet christianum: et ratione scandali posset esse gravis. Laym. [6].

» 12. In confessione exprimenda est qualitas blasphemiae, videlicet utrum contra Deum, an sanctos fuerit: illas enim specie differre est probabile secundum Suar. Sanch. Reg. Azor. Laym. Dian. [7] Lug. [8] contrarium tamen tenet Trull. [9] cum Dian. [10]. »

132. An blasphemia contra Deum differat specie a blasphemia contra sanctos. Affirmat probabiliter Bus. cum aliis; sed etiam probabiliter negant Bonac.[11] Sanch.[12] Lay.[13] Viva [14] et Salm.[15] cum Caiet. Bann. Fill. etc. Et probabile putat Viva[16] quia communiter iniuria contra sanctos mediate ad ipsum Deum refertur. Tenent tamen Salm. [17] cum Bon. quod ob aliam rationem debet exprimi in confessione, an blasphemia fuerit contra Deum vel contra sanctos, quia dicunt praedictas blasphemias, ultra propriam malitiam continere aliam speciem distinctam contra latriam vel duliam. At Viva[18] Tamb. [19] Holzm. [20] et Elbel [21] cum Azor. etc. et-

(1) Loc. c. (2) Loc. c. (3) Dist. 25. n. 10. (4) L. 2. c. 6. §. 4. n. 12. (5) Loc. c. (6) Loc. c. (7) R. 50. (8) D. 15. n. 2. (9) L. 1. n. 11. d. 2. n. 5. (10) P. 1. de circumst. r. 30. (11) T. 2. d. 3. q. 8. p. 4. r. 1. (12) Dec. l. 2. c. 32. n. 38. (13) L. 4. tr. 10. c. 6. n. 10. (14) Dict. q. 6. a. 2. n. 6. (15) Dict. c. 5. n. 124. (16) Dict. q. 6. a. 2. n. 6. (17) N. 125. (18) Dict. n. 6. in fin. (19) In meth. conf. l. 2. c. 3. §. 1. (20) T. 1. p. 284. n. 405 (21) De 2. praecept. n. 9

iam probabiliter hoc negant, dicendo quod tantum peccatur contra duliam, quando blasphemia profertur in sanctos ob propriam eorum excellentiam, absque relatione ad Deum, ita ut in ipsos terminetur et sistat: sed, cum ii qui blasphemant sanctos verius (communiter loquendo) eos iniuria afficere intendunt, non ob praecisam propriamque ipsorum excellentiam, sed quatenus ad Deum mediate referuntur: ideo iuxta primam probabilem Salm. sententiam non contra duliam, sed tantum contra latriam peccant, et propterea non tenentur explicare an Deum vel sanctos blasphemarint.

EPISTOLA RESPONSIVA

adversus epistolam apologeticam scriptam in propugnationem dissertationis quae super abusu mortuis maledicendi prodiit.

Prae omnibus indicandum esse duxi, quod cum adversus ea, quae super hoc puncto scripseram, quaedam dissertatio, cui brevibus respondi, prius prodiisset, pollicitus fui, cum semel atque iterum iis quae mihi opponebantur satisfecerim, non amplius circa hoc verbum me fore facturum, tum ne in infinitum daretur progressus, tum ne eadem, quae iam a me scripta erant, repeterem: sed dixi quod dumtaxat respondere volebam (prout feci) ad duas s. Thom. doctrinas, quas mihi de novo obiiciebat. Et una simul significavi in animo mihi statutum esse deinceps nihil amplius super hac controversia scripturum (quia mihi satis in propatulo res collocata esse videbatur), nisi cum ab adversario meo de veritate prorsus fuissem persuasus; tunc enim nihil mihi difficultatis esset a sententia desciscere, et id omnibus per publicam scripturam significare non erubescerem, prout animus meus ab hoc faciendo non abhorruit in aliquibus aliis meis opinionibus, quas ubi eas rationi non consentaneas cognovi, libenter revocavi.

Nihilominus post responsionem a me datam vulgata est altera epistola apologetica in propugnationem praefatae dissertationis, in qua contendebat auctor probare mortuis maledicere per se esse mortale: cui epistolae, non obstante consilio, quod de non amplius respondendo ceperam, alia epistola nunc respondere sum coactus. Et hanc dumtaxat hic subiungo, in qua summatim continentur tum responsio, quam ad dissertationem dederam, tum responsio ad dissertationis propugnationem.

Reverendiss. abbati d. Bartholomaeo de Marco Basiliano

Reverendiss. pater et domine colendissime

Cum dissertatio quaedam super mortuorum maledictione, ac cum adversus eam brevis responsio mea prodiissent, novissime typis edita est altera epistola apologetica pluribus scripta in praefatae dissertationis oppugnationem. Ubi ad manus meas illa epistola pervenit, et accurate illa a me lecta, diu animi pependi, rescriberem nec ne. Ex una enim parte consilium de non amplius respondendo susceptum sartum tectum habere voluissem, ne in infinitum progrederer. Ex alia parte expediens videretur nunc denuo respondere, sicut amici mei ad id faciendum me adigunt; tum quia in priori responsione error quidam, a quo me retractare intendo, fortuito excidit, licet ille ad rem nostram nihil referat, sicut ex hac altera responsione animadvertes; tum quia in laudata epistola apologetica adversarius alias novas exponit animadversiones, quibus ut ambiguitates aliquae de medio tollantur, altera responsione satisfacere opus esse duxi. Quapropter ad te hanc alteram responsionem afferendam curavi, et abs te duo haec peto: primum, ut omni qua potes animi attentione eam perlegas, detrahendo, addendo, corrigendo quicquid tibi visum fuerit: secundum, ut mihi consilium tuum candide aperias, utrum expedire tibi videbitur, ut hanc typis excudendam curem, dum ex una parte mihi contendere displicet cum viro et aliis eius sociis ordinis, quem ego maximi facio, atque mirum in modum veneror (tametsi mihi compertum est non deesse aliquos inter illius ordinis, forte eis minime indoctiores, qui meae adhaerent sententiae). Ex altera parte a

fidelium cordibus hanc deducere opinionem, nimirum quod praefata maledictio sit mortale, cum tale non sit, ad gloriam Dei qui sibi animarum salutem gloriae habet, non parum conferre censeo.

Parcas mihi quaeso, si non pauca quae in priori responsione iam notata erant, hic repetita observas. Hoc non aliter faciendum esse censui, nisi ut lectoris ante oculos omnia simul exponantur, dum legit illas animadversiones, quas mihi adversarius de novo obiicit. In dissertatione probare aggressus est maledictionem in mortuos esse peccatum lethale, et veram blasphemiam duabus rationibus: 1. quia corpora fidelium defunctorum sunt sacra: 2. quia praefata maledictio praescindere non potest, quin ad animas referatur. In responsione ad dissertationem data, dixi, quod iam illis obiectionibus bis responderam; propterea ne eadem semper canerem, nolui ad omnia quae apponebantur respondere. Nihilominus duabus s. Thomae auctoritatibus, quae de novo afferebantur, dixi me facere non posse quin responderem. Primus textus desumptus est ex 3. *p.* *q.* 8. *art.* 2., ubi s. doctor dicit Christum in fidelium corpora influere ius resurgendi propter Spiritus sancti inhabitationem. Et hoc idem ius auctor dissertationis probare intendit aliunde, nempe ex ratione sacramentalis communionis, qua fideles, dum vivunt, reficiuntur; hincque ex hisce duabus rationibus infert mortuorum corpora inter sacra annumeranda esse, adeo ut sacro cultu ex religionis virtute emanato, veneranda sint. At si hae rationes (ego respondeo) probarent, quod corpora quorumlibet defunctorum pro sacris habenda sunt, probarent etiam, quod necessario corpora fidelium damnatorum inter sacra annumeranda essent; in iis enim etiam aliquando habitavit Spiritus sanctus, et cum Iesu Christo per eucharistiam concorporata fuerunt. Dicit, quod illae qualitates per peccatum postea amittuntur. Igitur, subsumo, quoties ecclesiae authentico testimonio mihi non constat, animam illius gloria aeterna frui; ac etiam quoties ecclesia honorem, qui ei debetur, ad cultus sacri rationem non elevat ut infra explicabimus, mihi fas non est illud corpus pro sacro habere. Praeterquamquod, si corpora defunctorum sacra sunt propter eucharistiam quam receperunt, et propter Spiritus sancti inhabitationem, necessario dicendum erit, etiam corpora viventium fidelium tamquam sacra colenda esse, ita ut quaelibet iniuria, aut maledictio in fidelis viventis corpus irrogata, peccatum grave religioni adversans dicendum sit. Sed hoc est contra expressam s. Thomae doctrinam, ut mox videbimus. Dicere autem sacra esse corpora defunctorum propter ritus, quibus erga illa utitur ecclesia; quia nempe sacrae sepulturae beneficio donat, processionibus, et benedictionibus ea decorat, thure suffit, et etiam ob antiquum ritum (ut adversarius dicit) dudum adhiberi consuetum sacram eucharistiam super defunctorum pectore collocandi: nescio cur hi ritus actus sacri cultus dici debeant; cum compertum sit, seculis superioribus, etiam tempore quo ab infidelium persecutionibus pace ecclesia fruebatur, defunctorum fidelium corpora sepeliri in campis et viis, prout testantur Thomassinus et Calmet: imo plura concilia prohibuerunt quominus in ecclesia cadavera sepulturae darentur. Quod si posterioribus temporibus usus invectus est, ut in loco sacro sepelirentur, hoc, affirmante s. Gregorio, inde processit, ut proximi ex sepulchrorum conspectu recordarentur defunctorum animas saepius suis precibus coadiuvare: *Hoc prodesse mortuis* (sunt verba sancti), *si in ecclesia sepeliantur*, *quod eorum proximi*, *ipso tumulorum conspectu admoniti*, *pro illis frequentius exorent* [1]. Et idem dicit s. August. [2]. Benedictiones autem cum aqua lustrali, dicunt Gavantus et Durandus, erga cadavera ideo adhiberi, ut a daemonum infestatione illa liberentur. Et hac eadem de causa illa thu-

(1) L. 4. dial. c. 50. 52. et 53.

(2) Lib. de cura pro mortuis.

rificantur, ut scribit Innocent. III. [1] et ob id idem ss. eucharistia in defuncti pectore apponebatur, ut idem s. Gregorius asserit[2]. Quamvis hoc deinde reprobatum fuerit a conciliis in IV. VI. et VII. seculo, ut refert p. Vestrini in suis literis theologicis[3]; sicut etiam vetitum fuit sacram eucharistiam in ecclesiarum fundamentalibus lapidibus collocare, aut ad energumenos, aut ad infirmorum vulnera admovere, sicut pariter sanguine consecrato frontem, oculos etc. linire, qui apud antiquos fideles mos receptus habebatur, referentibus s. Cyrillo et s. Ioan. Chrysostomo. Haec perspicuum dilucidumque faciunt hos pios actus (qui a simplicitate potius quam a religione derivarunt) non indicare sacra esse ea, circa quae illi adhibebantur, sed quod solum ad bonos assequendos effectus, quos ex eorum usu sperabant, fideles adhibebantur.

Sed loquendo de ritibus quibus hodie utitur ecclesia communiter in tumulandis cadaveribus, haec sunt quae scribit Spondanus[4]: *Quanta namque sit vis crucis qua signantur et ornantur, et aquae benedictae qua asperguntur, et thuris quo suffiuntur, tum ad alia plurima arcenda mala, tum maxime ad fugandos daemones, eorumdemque ac magorum praestigia dissolvenda, pronum mihi esset quamplurimis patrum testimoniis et exemplis testatissimum reddere.* Et [5]: *Fit suffitus ad corpora fidelium defunctorum, quoniam, qui pie moriuntur, sunt Christi bonus odor; et ut insuper significetur, defunctos reliquisse odorem bonorum operum etc. Per incensum, ut iudicetur eosdem credidisse se per mortem ire ad immortalitatem.* Insuper Stephanus Durandus [6]: *Porro thurificatio fit ad reverentiam loci, et divini officii etc.* Item Io. Beleto[7]: *Cadaver ponitur in sepulcrum, et aqua apponitur benedicta, ac pruna cum thure. Aqua benedicta, ne ad corpus daemones accedant. Thus propter corporis foetorem removendum. Prunae ad designandum, quod terra illa in usus communes redigi nequeat.* Praeterea Guill. Durandus [8]: *Aqua benedicta ponitur, ne daemones ad corpus accedant. Thus propter foetorem removendum seu ut defunctus creatori suo acceptabilem bonorum operum odorem indicetur obtulisse, seu ad ostendendum quod defunctis prosit auxilium orationis.* Ex quo patet omnes praefatos ritus, quos erga defunctos adhibet ecclesia, non esse cultum sacrum, quo honorare intendit cadavera, sed mysticas caeremonias. Nota praeterea quod eos denegat ecclesia iis qui excommunicationis aut interdicti vinculo ligati ex hac vita decesserunt, quamvis antequam animam efflarent certa poenitentiae ac suae salutis signa dedissent. Igitur non ideo cum defunctis eos ritus adhibet ecclesia, quia supponit eos esse templa Spiritus sancti, sed quia communionem inter viventes et defunctos cupit conservari.

Alter locus s. Thomae qui mihi obiicitur excerptus est ex eadem 3. *p. qu.* 25. *art.* 6, ubi dicit Angelicus quod sanctorum reliquiae venerandae sunt, quia fuerunt templum et organa Spiritus sancti, qui in ipsis inhabitavit et operatus est: et etiam quia aliquando illa per gloriosam resurrectionem Iesu Christi configuranda sunt corpori. Ex hoc infert adversarius maledictionem in defunctorum corpora veram esse blasphemiam, ex eo quia illa iamdudum etiam templa et organa fuerunt Spiritus sancti. Sed si haec ratio valeret pro defunctis (iterum pariter dico) tanto magis valere deberet pro vivis, imo quam longe fortius; viventes enim sunt actu, (si in caritate vivunt, prout pie praesumendum est) templa viva et organa Spiritus sancti. Sed s. Thomas [9] cum communi theologorum qui eum sequuntur, Caiet. Sot. Azor. Prad. Serra Mol. Lugo Lay. Trull. et omnes dicunt quod maledictio sive imprecatio in homines prolata veniale non excedit, quoties maledictio non est formalis, sed tantum materialis, nempe sine pravo af-

(1) L. 2. de myster. miss. c. 17. (2) L. 2. dial. 24. (3) T. 3. ep. 53. (4) L. 1. p. 2. c. 15. sect. 5. de sacr. coemet. (5) C. 2. sect. 1. (6) L. 1. c. 9. n. 9. (7) In explic. div. off. c. 161. (8) In ration. l. 7. c. 35. (9) 2. 2. q. 76. a. 3.

fectu. Referamus integrum textum Angelici, ne mihi imponatur quod truncum retulerim. *Maledictio est, per quam pronunciatur malum contra aliquem* (nota) *vel imperando vel optando. Velle autem, vel imperio movere ad malum alterius, secundum se repugnat caritati, qua diligimus proximum volentes bonum ipsius. Et ita secundum suum genus est peccatum mortale, et tanto gravius, quanto personam, cui maledicimus, magis amare et revereri tenemur. Unde dicitur* [1]: Qui maledixerit patri suo et matri, morte moriatur. *Contingit tamen verbum maledictionis prolatum esse veniale, vel propter parvitatem mali, quod quis alteri imprecatur, vel etiam propter affectum proferentis, dum levi ex motu vel ex ludo aut ex subreptione alia verba proferuntur, quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur.* Hinc in me adversarius invehendo, et verba Angelici cum emphasi mihi repetendo, *secundum genus suum est peccatum mortale;* sic me alloquens excandescit: *Intende, o non intende?* Ego tamen mihi videor hoc intellexisse, et quidem ita, ut nemo aliter quam ego intelligo textum s. Thomae intelligere debeat, nimirum quod hominibus maledicere tunc est peccatum mortale, cum maledictio est formalis, quae tunc dicitur esse talis, cum quis animo pravo optat ut illi eveniat malum quod imprecatur, aut cum alios inducit ad illis malum inferendum, sicut se explicat Angelicus in *art.* 1. exemplo iudicis, qui ministros iustitiae ad poenam iniustam exequendam in reum iniuste movet. Et hoc dicit sanctus ex se esse peccatum mortale, quia hoc *Secundum se* (ut ipse loquitur) *repugnat caritati qua diligimus proximum, volentes bonum ipsius.* Nam sicut caritas nobis imponit, ut proximi bonum velimus, ita vetat ne illi malum optemus, et ne alios ad illi malum inferendum inducamus. Loquendo vero s. Thom. de maledictione verbali (de qua dumtaxat nos in praesenti casu loquimur) dicit illam non excedere veniale, aut cum malum quod quis imprecatur est leve, aut deest pravus affectus, quae materialis maledictio nuncupatur (proferendo nempe maledictionem aut ioco, aut sine plena deliberatione). Et hoc denique hac ratione confirmat: *Quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur.* Hoc idem docet Caietan. [2] dicens: *Nota ex 1. art. quid sit proprie maledictio, scil. dicere malum, in quantum malum, alicui ex intentione. Et ex hoc oritur quod maledictio distinguitur in maledictionem formaliter, et materialiter; et quod quandoque est peccatum mortale, quandoque veniale; nam maledictio formaliter est ex suo genere mortale, ut patet; materialiter autem si fit optative, non est mortale, si vero fieret imperative posset esse mortale. Et ratio diversitatis est, quia praeter intentionem optative maledicens neminem laedit; quia nec intentione nec ex opere ministri obsequentis, quamvis non ex propria intentione. Dixi autem ex suo genere, quia propter imperfectionem actus, sive ex parte obiecti, ut si parvum malum optet vel imperet; sive ex parte operantis, ut si ex ira* (*vel ex ludo,* addit s. Thom.) *maledicat, quamvis affectus tendat in malum, quia non ex consensu rationis in malum tendit, deficit a perfecta ratione peccati, et per hoc non est mortale.* In sequela igitur doctrinae s. Thom. Caietanus ex una parte ait, quod maledictio formalis, nempe *ex intentione*, est de genere suo mortalis, et sic venialis vel propter imperfectionem actus, scilicet consensus rationis, vel propter parvitatem mali quod optatur, ex alia dicit, esse nonnisi venialem maledictionem materialem, nimirum *praeter intentionem*, pronuntiatam *optative*, idest modo optativo, sive per verba desiderium exprimentia, sumendo illud *optative* adverbialiter, ad differentiam tò *imperative*, scilicet imperativo modo. Et idem quippe, etsi diverso modo, docet d. Thom. loco citato; ibi enim distinguit maledictionem formalem a materiali; nam primo loco loquitur de formali, nempe cum intentione volendi malum, quod pronunciatur, dum ait: *Velle autem, vel impe-*

(1) Lev. 20. 9. (2) Sup. cit. q. 76. a. 1.

rio movere ad malum alterius secundum se repugnat caritati, qua diligimus proximum volentes bonum ipsius. Et ita secundum suum genus est peccatum mortale. Illud igitur quod s. doctor repugnare intelligit caritati, et esse mortale secundum suum genus, non est simpliciter pronuntiare maledictionem, sed illud *velle. vel imperio movere ad malum alterius*. Ergo s. Th. tantum in volendo malum quod pronuntiatur, vel in movendo alios ad malum inferendum, gravitatem culpae recognoscit. Deinde ad explicandam procedit maledictionem materialem dicendo illam esse venialem si ex levi motu vel ex ludo profertur, rationem tradens: *Quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur, ut supra dictum est* [1]; et [2] sic prius dixerat: *Verba in quantum sunt soni quidam, non sunt in nocumentum aliorum, sed in quantum significant aliquid; quae quidem significatio ex interiori prodiit: et ideo in peccatis verborum maxime considerandum est ex quo affectu aliquis verba proferat.* Aliud itaque est maledicere *optative*, ut loquitur Caietanus, aliud maledicere *optando*, ut loquitur s. Thom.; *optative* enim denotat maledicere per verba optativa praeter intentionem; *optando* autem intelligit s. doctor maledicere ex vera intentione, sicut perspicue deinde se explicat, dicendo: *Velle autem secundum se repugnat caritati etc.* Et haec quidem est maledictio formalis, ac ideo graviter culpabilis; et tantum evadit venialis, ut subdit Angelicus, vel ob parvitatem mali quod optatur, vel ob subreptionem, sive levi motu, quo maledictio profertur.

Caeterum quaestio haec me inter et meum contradictorem de mero nomine est; nam dato quod s. Th. generaliter diceret quamcumque maledictionem de genere suo esse mortalem, attamen s. doctor pro certo equidem habet, quod maledicere homini sine pravo affectu non est nisi veniale. Et non aliud quam hoc ipse probare quaero. Itaque tam d. Thomas, quam Caietanus, et omnes alii doctores, cum s. Augustino apud eumdem Angelicum [3] non reputant esse blasphemiam maledicere homini, ex eo quod homo sit templum Spiritus sancti; nam si hoc tenerent, nequirent dicere maledictionem sine pravo animo esse venialem; maledicere autem sanctis aut rebus sacris, licet absit malus animus, semper est mortale. Ex hoc evidenter infertur, quod iuxta Angelicum, et communem dd. sententiam recte considerari potest fidelis persona praecise ab eo quod sit templum Spiritus sancti. Et deducitur praeterea (adversus id quod etiam innuit meus adversarius) quod sicuti non est culpa gravis contra caritatem et pietatem maledicere corpori fidelis viventis, si abest pravus affectus, ita non est gravis contra caritatem et pietatem sine pravo animo corpori fidelis defuncti maledicere; quandoquidem iuxta ipsum s. Thomam, caritas, qua mortui qui in gratia decesserunt, prosequendi sunt, non est aliud quam extensio caritatis, quam vivis praestare debemus: *Caritas* (ait sanctus) *quae est vinculum ecclesiae membra uniens, non solum ad vivos se extendit, sed etiam ad mortuos qui in caritate decedunt.*

Sed adversarius meus dicit, quod maximum est discrimen inter vivorum et defunctorum maledictionem, quia in vivo regnat fomes, ac proinde ipse in peccandi periculo versatur, a quo qui decessit in gratia immunis est; unde fit (ait) quod maledictio in vivos potest esse veniale; cum enim sit peccatum contra caritatem, remoto pravo affectu, potest esse non grave; sed maledictio in defunctos, cum sit peccatum contra religionem, etiam remoto pravo affectu semper est grave peccatum ratione iniuriae quae religioni irrogatur, cum corpori sacro maledicitur. Sed, ut respondeam, iterum principium eius perquiramus, unde ille fidelium defunctorum corpora sacra esse autumat. Ipse dicit iuxta s. Thomae doctrinam mortuis maledicere esse grave, quia eorum corpora fuerunt organa

(1) Q. 72. a. 2. (2) Cit. a. 2.

(3) 2. 2. q. 76. a. 4. obiect. 1.

Spiritus sancti, et quia communionem sacramentalem receperunt. Respondeo igitur: quoad illud quod defuncti corpus propter communionem et quia templum fuit Spiritus sancti pro sacro habendum sit, iam superius dixi quod haec ratio probat tam defuncti quam vivi corpora pro sacris habenda esse, quia etiam vivus est templum Spiritus sancti. *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti* [1]. Sed in vivo replicabit quod fomes adest, qui hominem redigit sub potestatem peccandi. Respondeo. Ergo corpus Adae ante peccatum erat sacrum? Praeterea, potentia ad peccandum non efficit ut mutetur species sanctitatis corporis. Item nec fomes nec periculum peccandi efficiunt, *ut hic et nunc* vivens non sit templum Spiritus sancti. Tanto magis quod fomes iste nullum reatum aut maculam in animam inducit; nam gratia Redemptoris in baptizatis omnes peccati maculas extergit, et cumulatissime omnia eius damna reparat. *Copiosa apud eum redemptio.* [2] *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia* [3]. *Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant* [4]. Unde definivit Tridentin. [5] per baptismum animas immaculatas reddi, et fomitem nihil nocere, imo prodesse ad maiorem mercedem recipiendam non consentienti: *In renatis enim nihil odit Deus .... innocentes, immaculati, puri ac Deo dilecti effecti sunt etc. Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem haec sancta synodus fatetur et sentit: quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus ... non valet; quinimo, qui legitime certaverit coronabitur.* Ita ratio, quod sunt Spiritus sancti organa, non efficit ut corpus fidelis vivi vel defuncti sacrum habeatur, alias vivis etiam sine pravo animo maledicere, semper esset peccatum grave; et oppositum certum est, ut ipse adversarius admittit. Unde ad aliam rationem (si forte adversarius eam reperiat) confugere opus est, ut probet defunctorum corpora sacra esse. Nec valet dicere quod maledicendo vivo potest praescindi, eum non considerando ut templum Spiritus sancti, sed mentem ad alia motiva peculiaria applicando, v. gr. ad iniurias quibus ab eo affectus est. Et ego subsumo: et cur haec praecisio effici non potest etiam respectu defunctorum, iis maledicendo ratione habita alicuius molestiae qua ab eo affectus sit, sed sine pravo animo? Praeterquamquod (ut scripsimus in prima epistola) plerumque hae maledictiones potius in vivorum contumeliam, quam in defunctorum effutiuntur. Sed, dicit, hoc neutiquam effici potest, quia defunctorum corpora sunt sacra; sed hic redit quaestio, quia hoc est quod controvertitur; nos enim dicimus nullum defunctorum corpus pro sacro habendum esse, nisi cum ecclesia sanctum illud esse declarat, atque praecipit illud uti sacrum venerandum esse, elevando venerationem ab ordine humano ad supernaturalem et divinum, ut mox cum s. Thom. auctoritate videbimus.

Sed replicabit auctor, quod iuxta eumdem s. Thomam [6] reliquiae sanctorum veneratione dignae sunt, quia huiusmodi corporum animae Deo actu fruuntur; et quod propterea defunctorum corpora, ait, licet cultu duliae venerari nequeant, non possunt tamen sperni, cum sint sacra; pie enim credendum est eorum animas salvas esse. Igitur, respondeo, defunctorum corpora, cum sint sacra, eis sacer cultus exhibendus est? Sed vellem scire quinam sacrorum cultuum eis exhibendus sit? Adversarius fatetur non deberi cultum duliae; sed ego nullum alium reperio qui ab ecclesia aut a dd. assignetur, nec capere possum quod alia cultus sacri species assignari possit, praeter latriae, hyperduliae, et duliae. Sed, insurgit, ad quem cultum reducitur altarium, vestium, et vasorum veneratio? Respondeo, quod reducitur ad cultum latriae, nam hae res per se nullum

(1) 1. Cor. 6. 19. (2) Ps. 129. 7.
(3) Rom. 5. 20. (4). Io 10. 10.
(5) Sess. 5. in decr. de pecc. orig. in fine.
(6) Art. cit. ad 2.

cultum merentur; dum cum execrantur, non amplius sacro cultu venerantur, sed *relative* sive *reductive;* unde eorum cultus reducitur ad cultum latriae ratione sacrificii ad quod ordinantur. Ideoque dico quod cum defunctorum corpora cultu latriae, vel alio sacro venerari non possint, inter sacra numerari non debent. P. Suar. [1] loquendo de veneratione debita sanctorum, et caeterorum defunctorum reliquiis, dicit: *Imo insuper addo, hanc ipsam consuetudinem* (nempe venerandi uti sacras reliquias sanctorum) *ostendere longe altiori modo ecclesiam de sanctorum reliquiis sentire, quam vulgarium hominum mortua corpora soleant reputari.* Occurrit mihi quod etiam s. Gregorius Nyssenus, loquendo de corporibus sanctorum, et caeterorum fidelium vulgari morte defunctorum, dicit nullam paritatem esse inter honorem qui illis exhibendus est, et illum qui aliis; nam subiungit quod corpora aliorum defunctorum omnes horrent, et ab illis fugiunt; sed ad corpora sanctorum, quia sacra sunt, quilibet se appropinquare optat, et tactu se credit sanctificari. Afferamus eius verba, quae de corpore sancti Theodori affert [2]: *Corpus s. Theodori ad alia corpora quae communi et vulgari morte dissoluta sunt, nec comparandum quidem est . . . . nam caeterae quidem reliquiae abominabiles plerisque sunt; ac nemo lubenter sepulcrum praeterit, aut si ex inopinato opertum offendit, praetercurrit. At si venerit in aliquem locum similem huic, ubi hodie noster conventus habetur, ubi memoria iusti, sanctaeque reliquiae sunt, primum quidem earum rerum quas videt magnificentia oblectatur... cupit deinceps ipsi conditorio appropinquare, sanctificationem ac benedictionem contrectationem eius esse credens.* Hinc notandum quam alia sit veneratio quam ecclesia et fideles sanctorum corporibus exhibent, et alia qua aliorum defunctorum corpora honorantur.

Quoad venerationem autem debitam corporibus, quorum animae Deo fruuntur, respondemus, quod ratio s. Thomae non potest valere, nisi pro solis sanctis ab ecclesia declaratis, de quibus tantum Angelicus loquitur; sanctus enim Thomas ex ratione quod animae sanctorum Deo fruuntur, procedit ad demonstrandum quod eorum corpora veneranda sunt. Ad percipiendum igitur quid sanctus doctor sentiat, et quae sit rei veritas, distinguendae sunt duae species cognitionis, qua nos scimus et credimus animam alicuius Deo frui, humana una, superhumana et divina altera ex ecclesiae declaratione. Nunc certum est venerationem illam corporibus sanctorum, de quibus loquitur sanctus Thomas, debitam non posse applicari, nisi ad illa corpora, quorum animas beatas esse scimus cognitione revelata nobis per ecclesiam, quae elevat honorem qui eis debetur ex ordine humano ad superhumanum.

Hinc fit non sufficere nobis pro sacro habere aliquem defunctum, etiam morali certitudine, ut debeat aut possit eius corpus sacro cultu venerari; sed requiritur, ut ecclesia authentice nos certos faciat certitudine ipsi divino lumine communicata, animam illius defuncti iam cum Deo in coelis regnare. Audiamus verba sancti Thom.[3]. Ibi ad obiectionem quam praemittit, quod non possint venerari sancti, quia de ipsorum beatitudine moralis certitudo haberi non potest, sanctus [4] ita respondet: *Dicendum quod pontifex, cuius est sanctos canonizare, potest certificari de statu alicuius per inquisitionem vitae, et attestationem miraculorum; et praecipue* (nota) *per instinctum Spiritus sancti qui omnia scrutatur profunda Dei.* Itaque propter quamcumque moralem certitudinem, sed humanam et naturalem, nos non debemus nec possumus pro sacris habere fidelium defunctorum corpora, nec eis exhibere cultum sacrum, nisi post eorum canonizationem; tunc enim ecclesia ex illa notitia supernaturali, quam ex Spiritus sancti instinctu habet, sicut dicit

(1) Op. defens. fid. cath. adv. Ang. sect. errores lib. 2. c. 5. n. 14. circa fin. (2) In orat. s. Theod. (3) Quodlib. 9. a. 16 (4) Ad 1.

Angelicus, transfert venerationem erga illud corpus ab ordine humano ad ordinem superhumanum et divinum. Idem apparet expressum in decretis Urbani VIII. spectantibus ad cultum servorum Dei, non adhuc canonizatorum aut beatificatorum (vide apud Benedictum XIV. [1]); in quibus praecipue statutum fuit, ut in scribendis vitis aut gestis talium Dei servorum sequens protestatio auctoris praemitteretur: *Profiteor me haud alio sensu, quidquid in hoc libro refero, accipere aut accipi ab ullo velle, quam quo ea solent quae humana dumtaxat auctoritate, non autem divina catholicae romanae ecclesiae, aut sanctae sedis apostolicae nituntur;* notentur haec verba, *quae humana auctoritate, non divina ecclesiae etc.* Itaque servorum Dei gesta aliam non habent fidem et venerationem, quam humanam; sed cum eos ecclesia sanctos declarat, tunc veneratio ex humana ad divinam extollitur, propter ecclesiae divinam auctoritatem. Hinc est quod, ut alicui defuncto cultus aliquis praestetur sacer, qui superhumanus est, necesse est, ut principium aliquod, et cognitio superhumana habeatur de sanctitate obiecti, media illustratione divina nobis per ecclesiam communicata. Et propterea cum sancti iam ab ecclesia declarati sunt, sacra evadunt non tantum eorum ossa, sed etiam vestes, literae, et caetera, quibus ii usi sunt, et irreverentia gravis, et sacrilegium esset iis praecisa necessitate ad profana uti. Quod quidem contra de rebus mortuorum non adhuc canonizatorum, licet qualemcumque de eorum coelesti beatitudine haberemus notitiam, id efficere vetitum est.

Quamquam concedimus quod cum veneratione possumus reliquias alicuius defuncti cum sanctitatis opinione apud nos habere, eum invocare, effigiem depingendam curare, et alia id genus efficere, quia haec cultus sacri rationem non habent, sed sunt dumtaxat religionis actus (non autem civiles), qui ut dicit p. Ioann. a s. Thoma, cuius auctoritatem mihi adversarius obiicit, et ut etiam docet Bellarminus [2] et Benedict. XIV. [3]) adhiberi possunt aeque erga defunctos ac erga vivos. Imo ex hoc infert Bellarminus licitos esse eos actus erga defunctos adhibere, qui vivis licite praestari possunt: *Si licet* (sic ille concludit) *honorare viventes, quos credimus sanctos, cur non mortuos?* Et cum nonnulli hanc Bellarmini doctrinam carpsissent, nempe quod venerari concedebat sanctos non canonizatos, sic eam vindicavit dicendo, quod ipse alium non concedebat non canonizatis cultum, nisi illum qui vivis exhiberi solebat. Apud Benedict. [4]. Dixi *actus religionis,* quia alius est actus religionis, alius est cultus sacer: deosculari manus servo Dei, se eius precibus commendare, pedes ei lavare, et caetera, hi sunt quidem religionis actus, quia e religione manant; non sunt autem cultus sacri, cum erga res sacras non exerceantur. Et ita pariter mortuos in loco sacro sepelire, thure suffire, pedes deosculari, reliquias eorum venerari, sunt quidem caeremoniae sacrae ac religionis actus, non sunt autem cultus sacer.

Profecto caeremoniae sacrae dicuntur, et vere sunt, quia illae seipsas respiciunt, quae sacrae sunt prout ab ecclesia praeceptae; sed cultus sacer dici nequeunt, quia cultus obiectum erga quod adhibentur respicit; ideoque nunquam dici potest cultus sacer cum obiectum sacrum esse non constet. Praeterea sunt utique actus religionis: et hic fateor quod in mea prima responsione, nescio quomodo, error excidit; nam cum dicere deberem thurificationes, et benedictiones et alias caeremonias, quas erga defunctos adhibere solemus, non esse cultum sacrum, dixi non esse actus religionis. Affirmo quidem, nec dubito quin actus religionis sint; sed non proinde sunt cultus sacri, et per consequens non est quod propter praefatos actus, qui adhiben-

(1) De canonizat. ss. l. 2. c. 11.
(2) Contr. 4. l. 1. c. 10. n. 4. et 7.
(3) De canon. ss. l. 2. c. 7. et n. 4. 7.
(4) Loc. cit. c. 9. n. 1.

tur erga defunctos, corpora eorum tanquam sacra habenda sint, atque ideo possint ea cultu sacro venerari. Propterea Alexander III.[1] absolute prohibuit venerari pro sancto aliquem nisi ecclesiae auctoritas accedat: *Cum etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro sancto absque auctoritate ecclesiae romanae venerari.* Et quamvis olim pro sanctis sine ecclesiae declaratione, sed sola populorum consuetudine aliqui venerabantur; nihilominus respondet Bellarm.[2] quod hoc ex tacita papae approbatione licebat: *Sicut consuetudines aliae vim habent legis ex tacito consensu principis, ita sancti alicuius cultus, ex consuetudine introductus, vim habet ex approbatione tacita vel expressa pontificis.*

Repono igitur: ego non dubito quin ritus quos adhibet ecclesia erga defunctos sint caeremoniae sacrae, et religionis actus, non autem cultus sacer; prout revera rituale romanum, loquendo de exequiis, ritus qui adhibentur in sepelitione mortuorum, non iam vocat cultum sacrum, sed tantum *mysteria religionis, et signa christianae pietatis*, sic dicens: *Sacras caeremonias ac ritus, quibus mater ecclesia in filiorum suorum exequiis uti solet, tanquam vera religionis mysteria, christianaeque pietatis signa et fidelium mortuorum saluberrima suffragia, parochi summo studio servare debent.* Addo duas alias animadversiones ex quibus hoc fit clarius. Primo, si talis cultus esset sacer, etiam esset cultus publicus, siquidem ille a publico ministro ecclesiae exhibetur; et hoc certum est quod fieri non potest, dum ipsa ecclesia prohibet ne cultus publicus cuivis ab ea pro sancto aut beato non declarato exhibeatur. Praeterea, dicit s. Franciscus Salesius, quod cultus sacer defunctis non praestatur nisi in protestationem eorum virtutis excellentis; et cognitio huius excellentiae certa esse debet. Quomodo autem dici poterit quod ritus qui erga defunctos exercentur sint cultus sacer, cum de defunctis, communiter loquendo, non habeatur haec eorum excellentis virtutis cognitio? Imo pro comperto habetur, quod inter fideles defunctos non pauci sunt, qui aeterno igne cremantur, et interim hi ritus indifferenter erga omnes practicantur. Igitur dicendum est ecclesiam tales ritus pro sacro cultu non habere.

Argumentum quoddam praevenio, quod mihi obiici posset: si ergo conceditur quod mortuos venerari sit actus religionis, eis maledicere proculdubio erit religioni actus oppositus. Respondetur prius per instantiam: si hoc argumentum valeret pro defunctis, valeret etiam pro vivis; nam venerari servos Dei viventes actibus superius descriptis, ut ostendimus, etiam est actus religionis sive cultus religiosus; unde maledicere huic tali servo Dei, etiam praeciso animo pravo, esset pariter grave sacrilegium; sed nemo hoc dicit. Sed responsio directa affertur. Distinguendum atque videndum est ex quo motivo talis actus religionis proveniat; si provenit ex motivo ipsius obiecti, quia obiectum sacrum est, contumelia in illud tunc est peccatum religioni adversans, et est sacrilegium; sed si actus honoris procedit a pietate religiosa fidelis, tunc utique erit actus religiosus, quia a motivo religionis procedit; sed maledictio in obiectum non erit actus contra religionem, quia non est actus qui ad obiectum sacrum refertur.

Adversarius in dissertatione admiratur, et imprudentes, ne dicam temerarios, sincera fronte appellat eos qui in confessionario aut in suggestu dicunt non esse ex se grave mortuis maledicere. Sed ego, et alii mecum admiramur eos qui sibi scrupulum non faciunt absolute praedicare hanc maledictionem esse peccatum mortale atque blasphemiam. Ad hoc ut dicatur quod actio aliqua non sit peccatum grave, sufficit, ut vera probabilitas habeatur, quod tale non sit, quemadmodum omnes fatentur: intelligo illam, quae fundamento non tenui innititur, talem

(1) C. 1. de reliq. et ss. venerat.

(2) Loc. cit. c. 8. in fine.

esse, ut tuto (iuxta sententiam communem) seposita quaestione de probabiliori et minus probabili, possit teneri et doceri. Et parvi aut nihili faciunt ad nostram rem duae illae doctrinae quas mihi adversarius opponit, s. Augustini unam: *Graviter peccaret in rebus ad salutem animae pertinentibus, vel eo solo quod certis incerta praeponeret* [1]. *Si incertum est esse peccatum, quis dubitat certum esse peccatum?* Nam ibi s. doctor loquitur de eo qui operatur in dubio circa res ad salutis aeternae necessitatem spectantes, in qua re quilibet tenetur certum sequi. Praeterquamquod ibi sanctus sermonem habet de quodam donatista, qui cum certus esset in catholica ecclesia rite et recte baptismum conferri, contra dubius erat an recte in sua secta eum reciperet; integrum textum exhibebo: *Si dubium haberet non illic recte accipi quod in ecclesia catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem animae pertinentibus; vel eo solo quod certis incerta praeponeret*. Et deinde: *Accipere itaque in parte donati, si incertum est esse peccatum, quis dubitat certum esse peccatum non ibi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum?* Quis dubitat quin iste donatista certe peccaret? Sed non dicebat s. Augustinus, quod qui ex vera et solida probabilitate operatur, cum dubium non versatur circa ea quae ad salutis necessitatem pertinent, prout est baptismus cum actio est certe illicita; lex enim dubia non imponit certam obligationem, iuxta id quod docet Angelicus [2]: *Nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti*. Et idem probatur ex *cap. Cum iure* 31. *de offic. et pot. iudicis deleg: Nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur*. Idem in *can. Sicut quaedam, dist.* 14. ubi s. Leo haec scribit: *In his quae vel dubia fuerint vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis ss. patrum inveniatur adversum*. Hoc locum habet in quantum asseri potest quod aliqua actio non sit graviter illicita. Sed ut affirmetur absolute, aliquam actionem esse peccatum mortale, non sufficit opinio probabilis nec etiam probabilior: nam probabilior non excludit rationabilem timorem errandi; unde non efficit quod lex non remaneat dubia; et quod opinio opposita non possit esse vera, si vere probabilis est; quapropter cum agatur de sacramentis, non est licitum sequi probabiliorem, cum opposita est probabilis, licet minus probabilis. Ad hoc igitur ut actio aliqua sit graviter illicita, requiritur certitudo, prout docent omnes cum s. Raymundo, qui [3] scripsit: *Non sis nimis pronus iudicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam scripturam*. Itaque sanctus monet ne iudicetur aliqua actio esse peccatum mortale ubi non constat tale esse; et cum dicat sanctus *ubi non constat*, semper reprobare intelligit tanquam excessum asserere aliquod esse peccatum grave, quoties de illius gravitate non constat. S. Antoninus pariter dixit [4] quod sine periculo peccandi determinari non possit aliquam actionem esse peccatum grave, nisi aperta scriptura aut ecclesiae determinatio, aut ratio evidens habeatur: *Quaestio in qua agitur* (sunt verba sancti) *de aliquo actu, utrum sit peccatum mortale vel non, nisi ad hoc habeatur auctoritas expressa scripturae aut canonis ecclesiae, vel evidens ratio, periculosissime determinatur. Quia* (ut subiungit) *qui determinat sine aliquo ex praedictis momentis, aedificat ad gehennam*, coniicit animas in periculum damnationis. Hinc sapientissime Bened. XIV. in suo opere de *synodo*, in plerisque capitibus nihil aliud episcopos monet, quam ne unquam peccati gravis eas damnent opiniones, quae uti probabiles dd. utriusque partis defendunt.

Adversarius meus caeteroquin usque eo progressus est, ut conclusionem

(1) L. 1. de bapt. c. 3. et c. 5.
(2) Quodlib. 14. de ver. a. 3.
(3) Lib. 3. de poenit. §. 21.
(4) P. 2 tit. 1. c. 11. §. 28.

theologicam suam opinionem appellet. Ego nolo me ingerere ad decidendum, utrum eius opinio pondere, et quo pondere probabilitatis fulciatur: sed nescio an *conclusio theologica* dici possit, cum nullus scripturae textus pro illa habeatur, nec ecclesiae definitio extet, nec ratio evidens, nec dd. communis auctoritas, imo nec unius, qui iuxta eius opinionem scripserit reperiatur. Adducit ille textum s. Isidori Pelusiot. [1]: *Vivi incessunt etiam mortuos; et hostes foedus ineunt! Cur igitur, et naturae leges, et inimicitiarum superas terminos, vita functo maledicens? Videris enim in cinerem ac favillam linguam acuere; sed primo violas sanctimoniam, cui omnes mortales studeant oportet. Deinde immortalem habet animam, cuius vindex est oculus Dei pervigil.* Sed in libro qui apud me est, typis edito Romae an. 1626., reperio non ita, sed aliis verbis textum praefatum esse conceptum [2], sic enim ibi legitur: *Vivi solent calumniis incessi, cum iam defunctis etiam hostes conciliantur, et foedus ineunt. Cur igitur ipse, et naturae, et inimicitiarum terminos transgrederis, dum vita iam functum calumniaris et lacessis? num putas quidem te solum adversus cinerem et pulverem linguam stringere: sed heus primum ipsum sacrosanctum sepultura eius violas, quod tamen nemo non ambit, et habere studet: deinde habet is animam immortalem, cuius oculus ille pervigil, et semper excubans vindex est.* Iudicent nunc alii, si haec auctoritas quid momenti opinioni conferat adversarii mei, qui defunctorum fidelium corpora omnia tanquam sacra veneranda esse contendit. S. Isidorus sacrum appellat ius sepulcri, non autem corpus defuncti. Sed praeterea adversarius sibi assentatur omnia sibi favere, scripturas, ecclesiae definitiones, dd. communem auctoritatem et evidentes rationes. Scripturae sunt: *Neque maledici... regnum Dei possidebunt* [3] (*Maledici* explicat Calmet, qui convicium in faciem proferunt, vel de absente obtrectant). Ecclesiae definitionem dicit esse disciplinam, qua ipsa utitur in sepeliendis fidelibus. Pro se etiam habet communem dd. auctoritatem, dicendo quod moralistae ideo de hac sententia non disseruerunt, quia iuxta eorum regulas apud ipsos pro certa habita est. Tandem habet pro se rationes evidentes, quae illae utique sunt, quas ipse in sua dissertatione exposuit. An haec suadeant, nolo meo iudicio quaestionem decidere, sed sapientes omnem controversiam exhauriant.

Caeterum loquendo de mea sententia, ut superioribus paginis retuli, praeter tres auctores ibi citatos, qui de hac re scripserunt, curavi rem hanc a multis examinandam, et praesertim ab omnibus congregationibus missionariorum civitatis Neapolis, in quibus, quia missionariorum theologiam moralem praecipue omnes profitentur, et ibi (ut omnibus compertum est) selectiores cleri neapolitani coadunantur viri. Hic adversarius meus Socratis quemdam textum in medio afferens, innuit quod non omnes ea sunt solertia praediti, ut sint magistri idonei ad similes enucleandas quaestiones. Concedo quod non omnes sunt magistri, sed cum mihi praefatae congregationes totius corporis nomine responsum dedissent, supponendum est resolutiones non a minus sapientibus, sed a sapientioribus datas fuisse. Praefata quaestio, ut iam prius scripsi, fuit etiam Romae ex mandato Benedicti XIV. discussa; et iuxta mentem ipsius pontificis, (quam caeteroquin nunquam animo intendi hanc fuisse definitionem ex cathedra) quaestio resoluta fuit, quod peccati mortalis reatu careret. Sed ille scribit quod non tenetur fidem praestare, nec huic examini adhibito, nec resolutioni Romae datae. Nec eo unquam meus appulit animus, ut cogerem eum ad id credendum; sed id ego scripsi, quia vehementia mihi adsunt momenta, ne in dubium id revocem; dum mihi testatus est tamquam testis ex propria scientia, et de visu (ille enim propriis

(1) Lib. 5. epistolarum, ep. 401.

(2) P. 370.

(3) 1. Cor. 6. 10.

oculis aspexit pontificis schedulam) quidam sacerdos, religiosus. doctus, et in hac controversia minime affectus; proptereaque existimavi alios qui ad utramque sententiae partem indifferentes sunt, prudenter et non abs ratione id credere etiam posse. Caeteroquin quantum ad me, tanto certius hoc mihi visum est, ut non dubitaverim hoc idem in eodem opere morali a me congesto, quod eidem pontifici dedicavi, et praesentandum curavi, scribere, et rem, ut mihi ille testatus fuit exponere. Quod reliquum est, si meus adversarius bono fine ductus id scripsit, ego etiam pro certo habeo me non inductum fuisse ad id scribendum aliqua animi adhaesione, aut contendendi lubentia (esset quidem optimum, ut postquam ex saeculi laqueis me expedissem, ut in aeternae salutis tuto animam meam collocarem, id aggredi contenderem, quod ad damnationem eam conduceret, et cur? ut inanem gloriam, melius dicam, ut perpetuum dedecus in defendenda opinione falsa aucuparer!) sed fine recto et bono, ut ex tot peccatis liberarem tam multos qui habitum contraxerunt ad mortuis maledicendum, et qui non obstante quod credant (erronee, meo iudicio) esse peccatum grave prout eis assertum erat, prosequebantur nihilominus ad eas maledictiones effutiendas. Quod autem meus adversarius voluerit me appellare *obstinatum, et falso zelo impulsum*, hoc omissum facio, sciens quoniam *qui iudicat me Dominus est*[1].

Ad haec subiungo epistolam responsivam ad me rescriptam a reverendiss. abbate dom. Bartholomaeo de Marco Basiliano, (cui hanc epistolam meam perpendendam misi) *viro quidem maximi pro eius doctrina habito, tum apud ipsius religionem, quae praestantissimis muneribus eum decoravit, tum etiam quoquoversus Neapoli et Romae, etc. magistro in sacra theologia, quam ipse per plures annos cum omnium plausu docuit, et* 30. *aut* 40. *annos in excipiendis confessionibus exercitato. Ego animi pendebam, utrum huc referre deberem nec ne sequentem illius epistolam: sed mihi consilium datum est, ut duobus ex motivis id efficerem:* 1. *ut omnibus notum fiat me, ut cautius agerem, et ne proprii sensus adhaesione deciperer, prout, iam me deceptum autumat meus adversarius, semper solitum fuisse aliorum doctorum consilium exposcere:* 2. *ut patefaciam quam tum de mea, tum de opposita sententia, ceteri praestantes viri existimationem habeant. Epistola est sequens.*

Reverendiss. padre, sig. e padr. col.

Da molto tempo fa ebbi la consolazione di leggere la sua erudita dissertazione sopra l'imprecazione de' morti, sostenendo che non sia colpa grave il maledirli, siccome tal è il sentimento mio e delle persone più sagge, colle quali su di ciò ne ho tenuto spesso discorso. Ora per sua bontà mi manda la risposta fatta ad un suo contraddittore, nella quale ho ammirata la sua dottrina, e aggiungendo ragioni l'ha resa quasi dimostrativa, nè saprei con qual fondamento il suo contraddittore difenda che sia colpa grave, sembrandomi i motivi addotti da lui di niun momento, conforme li lessi in un libretto mandato dal medesimo alle stampe, e che V. S. reverendiss. gli ha sodamente confutati e presentemente li confuta. Certamente io non comprendo come possa esser peccato mortale il maledire i morti. Lodo poi la sua moderatezza in chiamar probabile questa sentenza, che dice non esser colpa grave la bestemmia de' morti: dovea più tosto chiamarla moralmente certa, e per conseguenza l'opposta, che si difende dal suo contraddittore, moralmente falsa, e di debole e tenue probabilità.

Io dunque non ho avuto nè che togliere, nè che aggiungere nè che mutare della sua dotta scrittura; e prego il Signore che illumini la mente del suo contraddittore, e di alcuni pochi compagni che fan pompa di trovar la colpa in ogni piccola azione. V. S. re-

(1) 1. Cor. 4. 4.

verendissima intanto non si arretri di mandar alla luce l'accennata apologetica risposta, che ne sarà applaudita, come ne fu in tutte le altre sue opere. Mi raccomando alle sue orazioni, e facendole riverenza con ogni rispetto le bacio le mani.

Di V. S. reverendissima

Mater Domini 14. giugno 1758.

Umiliss. servitore obbligat. e divotiss.
Bartolommeo di Marco Abate.

Subiungo haec pauca. Praefatus abbas reverendissimus, ut scribit, videtur supponere a me opinionem meam dumtaxat uti probabilem haberi. Hoc a me dictum non est; dixi tantum quod ad hoc ut affirmari possit culpa gravi actionem aliquam carere, sufficiens est quod probabile sit non esse gravem. Caeterum nolui iudicium ferre, utrum mea sententia sit nec ne moraliter certa, cum hoc sapientium iudicio committam; sed caeteroquin ego illam plusquam probabilem esse duxi et duco.

Nuper alia prodiit epistola adversarii, cui respondere opus esse minime censemus; sufficiunt quae iam respondimus. Si autem forte putat adversarius in controversiis, eos remanere victores, qui ultimo loco scribunt, huiusmodi victoriam valde libenter ei concedimus.

Cap. II. De iuramento

Dubium I. Quid sit iuramentum.

133. *Quid est iuramentum.*
134. *Quae sint vera iuramenta.*
135. *An dicere per conscientiam meam, vel animae meae.*
136. *An dicere: Iuro ita esse.*
137. *An dicere: Tam verum est, quam sol lucet, vel verum est sicut evangelium.*
138. *An iurare per creaturas.*

133. « Resp. Iuramentum est invocatio tacita vel expressa numinis divini, tanquam primae et infallibilis veritatis, in testem alicuius rei. Haec autem invocatio in eo consistit, quod iurans, quantum in se est, cupiat ac velit, Deum id, quod iurat, testari et manifestare (si et quando nimirum illi placuerit, sive in hac vita sive in altera), tanquam quod ab ipso Deo sit cognitum et verum. Ita communiter dd. s. Thom. [1] Bon. [2] Sanchez [3] Laym. [4].

Unde resolves:

134. » 1. Quoad forum internum iurat, quisquis interius intentionem habet sive formalem sive virtualem, et invocat Deum in testem, sive his sive illis verbis ac signis, sive etiam nullis usus sit: ita ut, si quis utatur verbis nullo modo importantibus iuramentum, et is tamen ea putet esse iuramenta, vere iuret; et e contra Suar. [5] Sanch. [6] Laym. [7]. Quoad forum autem externum, quaenam formulae iurandi rationem habeant, ac proinde quae verba licite usurpari in conversatione possint, patet ex sequentibus.

» 2. Quando dubium est de iurantis intentione, iudicari solet secundum communem acceptionem verborum, quibus est usus.

» 3. Veram rationem iuramenti habent hae formulae, testor Deum, vel invoco Deum testem. Item, *auffmeinem eidt: hermeinem eidt*, nisi aliud de usurpantis intentione constet, quia multi ita loquuntur, vr. gr. *ich schwer edir ein eidt*, vel *her meimen eidt*, hoc, vel illud faciam: quorum tamen mens non est serio id iurare, sed tantum iracunde et gravius affirmare [8].

» 4. Fides a sacerdotibus loco iuramenti exigi solita per eorum consecrationem, uti et formula illa principum, *her Unser Furstlichen Ehren, oder Crewen*, etsi non sint iuramentum, tamen in foro fori accipiuntur loco iuratae promissionis: uti et si a personis illustribus, vel nobilibus dicatur, *her meiner Allichen Ehren, Crewen, und Slauben*. V. Laym. [9].

» 5. Formulae hae, *Deus novit*, *Deus testabitur suo tempore*, *coram Deo loquor*, *Deus novit omnia*, *Deus videt meam conscientiam*, censentur tantum narrative proferri, non invocative (atque adeo non sunt iuramenta) nisi aliud constet, aut circumstantiis probetur. Lay. [10] Bonac. [11] ex Suar. Less. Sanch. etc. »

(1) 2. 2. q. 89. a. 1. (2) D. 1. q. 1. p. 1. (3) 3. mor. c. 1. (4) L. 4. tr. 3. c. 1. (5) L. 1. c. 1. (6) L. 3. c. 1. (7) L. 4. t. 3. c. 1. (8) Ib. c. 2. (9) Ibid. (10) Ibid. (11) Quaest. 1. pag. 2.

Pariter dicere: *Vivit Deus, Deus est veritas*, non est iuramentum, si enuntiative profertur, ut Caiet. Led. etc. ap. Salm. [1]. At Salm. cum Azor. Fagund. Sot. Trull. dicunt talia verba ex usu communi accipi ut prolata invocative, et ut vera iuramenta.

« 6. Non sunt iuramenta quae dicuntur per modum sponsionis: v. gr. expono caput meum, amputentur mihi aures, ni ita sit, etc. V. Sanch. [2] (Vid. *num.* 143.).

» 7. Non vere iurat qui, ut iuramentum coactus vitet, dicit se iurare per omne id per quod potest: quia, cum res nulla sit, per quam absque necessitate iurare licite possit, censetur per nihil iurare intendisse.

» 8. Non sunt iuramenta (quod confessarii et catechistae moneant, ne ex erronea conscientia peccetur) *vere, certe, in veritate, fide boni viri, per fidem meam, fide boni christiani, vel sacerdotis, vel regis*. (Ita Salmant. [3] cum Soto Suar. Sanch. Less. Vill.).

135. » Nec *per conscientiam meam, super conscientiam meam, etc.* ut habet Less. [4] Bonac. [5] quia tantum significant illum loqui ex dictamine conscientiae, et notitia veritatis; nec in testem adducitur Deus. Esset tamen iuramentum dicere, *per fidem catholicam, per sanctum evangelium*, quia tunc censetur in testem adduci illius fidei, et evangelii auctor; vid. Laym. [6]. »

Dicere igitur: *Per conscientiam meam, super meam conscientiam, in conscientia*, non est iuramentum, ut docent Lessius [7] Elbel [8] ac Salmant. [9] cum Led. et Vill. quia nullus in testem adducitur, et sensus est: *Quod dico, est quod mihi dictat conscientia mea.* Idem videtur tene[illegible] lum cum auctore ut sup. *Istruz. etc.* [10] si dicas *per conscientiam animae meae;* nam conscientia principaliter ibi, non anima, nominatur et intenditur. Secus, si dicas: *Per animam meam;* probabilius hoc esse verum iuramentum dicunt Salm. [11] cum Suar. Fag. et Sanch. Elb. [12] Renzi [13] et Bus. *n.* 150. Quia in anima singulariter resplendet Deus, qui in testem tunc censetur adduci. Vide dicta *n.* 129. *v. Sed hic.*

136. Item dicere: *Iuro ita esse*, non est vere iuramentum, quia tunc nec explicite, nec implicite divinum testimonium imploratur. Ita Salm. [14] cum Suarez Sanch. Bon. etc. Nisi praecesserit interrogatio de iureiurando, quia tunc per interrogationem praecedentem illud *iuro* satis determinatur ad verum iuramentum.

137. « 9. Non iurat, qui dicit, tam verum est, quam sol lucet, quam hic sedeo, ambulo, etc. Unde etsi comparatio falsa sit, tantum est mendacium, cum nullus in testem invocetur. Idem est, si dicas, quod dico est evangelium, est instar fidei, est de fide etc. (Dicere *est verum hoc sicut evangelium*, non regulariter est iuramentum, ut Salm. [15] cum Sanch. et Pal. Et idem tenet auctor libelli cit. *Istruz. etc.* [16] quia haec verba denotant potius assimilationem, quam invocationem, ut mox infra subdit Bus.).

» 10. Quamvis hae et similes comparationes: *tam verum est, quam Christus est in venerabili sacramento, quam verum est evangelium: item, tam sum innocens, quam b. Virgo, vel s. Franciscus*, etc. communiter videantur continere iuramentum cum blasphemia; id tamen non satis apparet, quia nullus in testem invocatur. Neque videtur esse blasphemia, si sit verum, et animus proferentis sit significare tantum similitudinem, ut sensus sit, hoc verum esse solummodo, sicut alterum est verum suo modo. Tunc vero esset blasphemia, si usurpans intenderet significare tantam esse (secundum aequalitatem) in suo dicto certitudinem, quanta est in ea veritate fidei, Sanch. [17].

138. » 11. Non est iuramentum, cum quis iurat per creaturas, in quibus nihil divinae bonitatis specialiter elucet: quia tunc non censentur adduci

(1) Tr. 17. c. 3. n. 25. (2) Loc. cit. n. 42. (3) Tr. 17. c. 2. n. 23. (4) C. 42. [illegible]. 1. (5) Loc. c. (6) Loc. c. (7) L. 2. c. 42. n. 5. (8) De 2. praec. n. 47. (9) D. c. n. 28. (10) P. 152. (11) Ibid. (12) D. n. 47. (13) De iur. q. 17. p. 123. (14) C. 2. n. 24. (15) Ib. n. 27. (16) P. 153. (17) 2. mor. c. 32.

cum relatione ad Deum: ut si dicas: *Iuro per hanc herbam, vestem etc.* Censetur autem iuramentum, cum fit per creaturas nobiliores: cum per eas tunc accipiatur earum creator, ut qui in iis singulariter residet ac relucet: sic v. gr. dum iuratur *per coelum*, intelligitur istius habitator: dum *per terram* is cuius haec est scabellum: dum *per templum*, is qui ibi colitur: dum per *aliquod sacramentum*, is qui instituit; dum per *crucem*, is qui in ea fixus est; dum *per evangelia*, ea tangendo, aut nominando, is cuius ea verba sunt, Bon. [1] Suar. Sanch. [2].

DUBIUM II. Quotuplex sit iuramentum.

139. *Quotupliciter dividatur iuramentum, usque ad n. 141.*
142. *An omnia iuramenta sint eiusdem speciei.*
143. *An sit iuramentum:* Puniat me Deus, si mentior.

139. « Resp. Divisiones aliquot communiter afferuntur, sed tantum accidentales; quae speciem non mutant, ut in confessione distinguere non sit opus. Suar. Less. Bon. [3]. Itaque dividitur:

» Primo in *verbale*, *reale*, et *mixtum*, cum videlicet vel verbis fit; vel actione aliqua, ut erectione digitorum, contactu crucis, sceptri, evangeliorum: vel et verbis simul, et actione corporali, unde et vocatur iuramentum corporale, vid. Bonac. [4].

140. » Secundo in *invocatorium*, seu contestatorium, et in *execratorium* seu imprecatorium. Illud est, quo Deus simpliciter ut testis invocatur; hoc autem, quo non solum vocatur ut testis, sed etiam ut vindex, cum iurans se vel alium dilectum, vel aliquid sui, aut suorum subiicit Deo puniendum, si falsum dicat: ut, *ita me Deus amet*, *adiuvet: puniat me Deus*, *faciat Deus*, *ut hinc nunquam sanus surgam: nec coniugem*, *nec liberos vivos hodie intuear: tollat me Deus subitanea morte: in aeternum damnet: super animam meam*, *etc.* in quibus, quando falso iuratur, an sit coniuncta altera species malitiae contra caritatem sui aut proximi, scholastici controvertunt. Negant Suar. Val. etc. quia non solet quis etiam amico suo tale malum ex animo imprecari: sed potius cogitat Deum non facturum esse. V. Bon. [5].

141. » Tertio in *assertorium* et *promissorium*. Illud est, quo praeterita vel praesentia affirmantur aut negantur: hoc autem est, quo aliquid futurum promittitur. Addunt aliqui *comminatorium*, ut v. gr. per Deum ego te caedam: sed hoc referri potest ad promissorium. In confessione non opus est explicare, utrum per Deum an sanctos iuraveris: quia est eiusdem speciei malitia, cum iurans semper intendat Deum adducere in testem. Suarez Lessius [6] Lugo [7]. »

142. Quaeritur an omnia ista iuramenta sint eiusdem speciei. Negat Pal. Sed melius affirmat sententia communis cum Salm. [8] Sot. Less. Sanch. etc.

143. Notandum autem, quod praedicta verba: *Occidar si hoc non est*, et similia, quamvis sint vera iuramenta, si per modum execrationis dicantur, quia significant: *Deus quem in testem invoco*, *me occidat*, *si hoc non est verum*. Ceterum communiter non continent, nisi quamdam sponsionem, seu poenae obligationem, et significant: *Si non est ita*, *spondeo meam vitam*, *vel poenae mortis me submitto*. Item Salm. [9] cum Pal. Fag. Trull. Vill. Bus. [10] Sanc. [11] Elb. [12] Secus vero, si Deus ibi expresse nominetur, dicendo: *Deus me perdat si mentior;* quia tunc iam invocatur Deus ut vindex mendacii, si forte profertur. Sanch. Salm. Elb. [13] cum Busemb. mox supra n. 140. Dicere autem: *Habear ut haereticus*, *si hoc est falsum*, non est verum iuramentum: sicut neque etiam, regulariter loquendo, dicere: *Tot angeli tollant animam meam*, *quod vicibus hoc feci*. Vel: *Ita faveat mihi Deus*, *sicut etc.* Ita Salm. [14] cum Pal. et Sanchez. Neque est iuramentum dicere: *Iuro per istam crucem*, cruce tamen non demonstrata vel signata. Salm. [15] cum Sanch. Fag. et Vill.

(1) Q. 1. p. 1 n. 4. (2) Loc. c. (3) P. 2.
(4) P. 2. (5) D. 4. [illegible] 1. p. 2. (6) Cap. 42.
(7) Dist. 16. n. 286. (8) [illegible] n. 2. n. 4[illegible] et 49.
(9) Tr. 17. c. 2. n. 26. (10) D. 1. n. 6
(11) Dec. 1. 3. c. 2. n. 236. (12) N. 52.
(13) Loc. c. (14) N. 27. (15) N. 24.

DUBIUM III. An et quando sit licitum iurare.

144. « Resp. iuramentum, si debito modo fiat, licitum esse, est de fide. Et quidem est actus religionis, ut omnes docent. Tunc autem debito modo fit, cum in eo observantur haec tria. 1. Est *iudicium*, quod exigit, ut cum discretione, prudentia, consideratione, ac reverentia, non sine necessitate aut gravi causa fiat. 2. Est *iustitia*, quae exigit, ut quod iuratur sit res iusta, licita et honesta. 3. Est *veritas*, ut nimirum sit res vera, aut saltem ex gravi ratione putetur esse vera; ita ut, prout ex defectu alicuius horum minor aut maior in Deum iniuria aut irreverentia redundare censeatur, ita quoque maius aut minus committatur peccatum.

Unde resolves:

145. » 1. Quoad *iudicium*, si hoc solum desit, ut plurimum est veniale tantum: ut si quis absque necessitate iuret, sive ex levitate quadam animi, sive ex consuetudine. V. Sanch. [1] Less.

» 2. Mortaliter tamen etiam hic, aut venialiter peccari potest, iuxta quantitatem negligentiae, quam iurans admittit in investigatione veritatis, vel tollenda consuetudine, Sanch. [2].

» 3. Et sic mortalis est status illorum qui non tollunt consuetudinem iurandi sine attentione, sitne verum hoc an falsum, quod iurare solent.

146. » 4. Quod ad *iustitiam* spectat, peccat mortaliter, qui iurat se facturum rem mortaliter malam, ut se aliquem interfecturum: quia est gravis irreverentia, divina auctoritate se ad peccatum mortale quasi obligare, ita ut hic duae malitiae concurrant: una, quod velit malum; altera, quod ad hoc abutatur auctoritate Dei odio habentis omne malum. Bon. [3] Less. [4]. »

Hoc certum est in iuramento promissorio; sed quaestio est, an sit peccatum grave defectus iustitiae in iuramento assertorio, si quis cum iuramento se iactet de aliquo peccato. *Prima sententia* affirmat Sot. etc. ap. Salm. [5]. Sed probabilius dicendum non esse nisi veniale contra religionem, ut Suar. [6] Sanchez [7] et Salmant. [8] cum Pal. Tamb. et Leand. Ratio, quia ideo in iuramento promissorio id est mortale, quia iuramentum tum assumitur ad firmandam voluntatem exequendi malum; in tali vero assertorio non assumitur ad confirmandam complacentiam, sed tantum pronuntiatur ad alios certiores reddendos de suo peccato, quod non est nisi quaedam animi levitas venialis. Secus tamen dicendum, ut bene advertunt Salm. [9] cum aa. cit., si quis iuramentum assumeret ad firmandam detractionem, quia iuramentum tunc sumitur ut medium ad infamiam alterius certiorem reddendam.

Notandum autem hic, quod ex ira proferentes verba, videlicet: *Per Deum, per Christum te occidam*, communiter non peccant graviter, quia ex ignorantia aut indeliberatione ut plurimum excusantur. Ita mecum sentit auctor *cit. lib. Istruz. etc.* [10].

« 5. Venialiter autem peccat qui iurat facere rem venialiter malam aut vanam aut inutilem aut frivolam: cum ibi levis tantum irreverentia censeatur. Bon. [11] Less. [12]. (ita etiam tenent Tann. Spor. Sanch. etc. Sed magis mihi arridet sententia opposita, quam tenet Elb. [13] cum March. Turr. etc. quia non levis, sed gravis irreverentia videtur invocare Deum in testem ac fideiussorem peccati quamvis levis).

» 6. Item peccat venialiter qui iurat aliquid contra consilia evangelica: ut se non ingressurum religionem, non daturum eleemosynam, aut mutuum. Suarez Less. Sanch. Bon. [14].

(1) L. 3. c. 6 n. 22. (2) N. 10. (3) Loc. c. p. 3. (4) L. 2. c. 42 d 5. (5) Tr. 17. c. 2. n. 46.

(6) T. 2. de rel. l. 1. c. 3. n. 6. (7) Dec. l. 3. c. 4. n. 33. (8) N. 47. (9) Ibid. (10) P. 154. (11) Ibid. (12) Loc. c. (13) N. 97. (14) Loc. c.

147. » 7. Quod ad *veritatem* spectat: cum haec deest, peccatur mortaliter, quia committitur gravis in Deum irreverentia; quippe cum adducatur in testem falsitatis, quasi vel ipse veritatem nesciat, vel velit aut possit decipere testando falsum. Nec hic excusat levitas materiae: quia, sive haec sit gravis sive levis, seria sive iocosa, aequaliter tamen repugnat Deo testificari falsum: et tale iuramentum dicitur periurium. S. Th. [1] Less. Sanch. Bonac. [2]. (Hac de re lege prop. 24. inter damnatas ab Innoc. XI.). An autem et quando periurium possit esse veniale per accidens (scilicet ob defectum deliberationis, vel advertentiae, Sal.[3]). V. Escob.[4].

» 8. Nec excusatur, vel qui iurat verum, si is putabat esse falsum, vel qui iurat pro certo, de quo ipse dubitet, etsi a parte rei verum sit, Sot. Navarr. Bonac. [5]. »

148. Ad recte tamen iurandum non requiritur certitudo absoluta et omnino infallibilis, sed sufficit aliqua certitudo moralis, sive quaedam probabilitas, quae ad quamdam certitudinem moralem pertingat. Ita Tamb.[6]. Immo Sanch.[7] cum Val. et Suar.; ac Salm. [8] cum Pal. Less. Bon. Az. etc. cum comm. qui deinde [9] expressius aiunt sufficere in iuramento sive assertorio sive promissorio probabilitatem veritatis assertae, vel impletionis exequendae rei promissae; modo non habeatur ratio probabilis in oppositum. Hinc dicunt posse quidem affirmari cum iuramento, quod auditum est a persona ita fide digna, ut moraliter certos nos faciat. Hoc tamen non currit in iudicio. Salm. [10] cum Sanch. Pal. Bon. etc. vid. Bus. *n.* 144.

149. « 9. Peccat aeque graviter qui ab altero exigit iuramentum, sciens eum esse peieraturum. Excipe, nisi iusta causa et necessitas exigat (Dicunt vero Pal.[11] et Elbel [12] sufficere causam utilem honestam. V. *dicta lib.* 2. *n.* 77.); quia tunc periurium ex sola peierantis malitia sequitur, nec alter moraliter censetur illius causa, cum utatur suo iure. Quod tamen extra iudicium raro habet locum in privatis personis. S. Thom. [13] Suar. [14] Sanch. [15].

» 10. Non peieravit qui iuravit aliquid reipsa falsum, quod ipse bona fide et cum ratione putavit esse verum.

150. » 11. Excusari subinde quidam simplices a mortali periurio videntur posse, ratione inconsiderationis, cum usurpant quasdam formulas iuratorias, ut, *per animam meam, puniat me Deus*. Etsi enim sciant id vocari iuramentum, non tamen apprehendunt, quod iurare sit aliquid grave, et invocare Deum in testem, sed tantum apprehendunt confusam aliquam rationem mali non tanti momenti. Vid. Bon. [16] Laym. [17]. »

Immo notandum quod communiter rustici non apprehendunt gravitatem periurii, dum se confitentes de iuramentis parum, vel minime distinguunt iuramenta vera a falsis; et hoc ex praxi in missionibus iamdudum intellexi. Quare pro iis qui consuetudinem taliter ad peierandum habent, confessarios potius censeo abstinendos esse ab instruendis his talibus de peccato gravi, quod revera est in periurio, ne peccata materialia in iis ob malum habitum, quem habent, formalia evadant; ex regula generali, ut docet Busemb.[18] cum Lugo Sanch. et Laym. etc. Vid. *lib.* 6. *n.* 610. Bene tamen tales consuetudinarii sunt fortiter monendi, ut deinceps desinant falsum iurare. Ceterum non semper expedit monere huiusmodi rudem poenitentem de gravitate periurii, si monitio praevideatur non de facili profutura.

DUBIUM IV. An in iuramento liceat uti aequivocatione.

(1) 2. 2. q. 89. a. 7. (2) Loc. c. (3) Tr. 17. c. 2. n. 38. et 39. (4) T. 1. c. 3. n. 6. (5) L. c. (6) Dec. l. 3. c. 2. §. 1. n. 6. (7) L. 3. c. 4. n. 10.

(8) C. 2. n. 42. (9) Eod. c. n. 49. (10) D. c. n. 44. (11) Tr. 14. d. 1. p. 10. n. 9. (12) De iur. n. 110. (13) Q. 29. (14) L. 3. c. 13. et 14. (15) L. 3. c. 8 (16) Loc. c. (17) Ib. c. 14. (18) De sacr. poen.

158. *De paupere indigente re aliena.*
159. *De debitore, qui alias non tenetur.*
160. *De rogato a iudice, an sit locutus cum reo et similibus.*
161. *De creditore asserente nihil sibi solutum.*
162. *De adultera negante crimen.*
163. *De requisito ad mutuandum.*
164. *De mercatore, etc.*
165. *De famulo asserente dominum non esse domi.*
166. *De assumendis ad doctoratum.*
167. *De asserente acceptionem pecuniae, quam non recipit.*
168. *De asserente falsum, addendo submisse aliquid verum.*
169. *An liceat alicui non rogato aequivoce iurare.*
170. *Vide alios casus apud Busemb.*
171. *An liceat iurare sine animo iurandi. Sed de hoc vide fusius n. 172. dub. 5. quaer. an simulatio sit aliquando licita.*

151. « Resp. Iurare cum aequivocatione, quando iusta causa est, et ipsa aequivocatio licet, non est malum: quia ubi est ius occultandi veritatem, et occultatur sine mendacio, nulla irreverentia fit iuramento. Quod si sine iusta causa fiat, non erit quidem periurium cum saltem secundum aliquem sensum verborum, vel restrictionem mentalem verum iuret: erit tamen ex genere suo mortale contra religionem, cum sit gravis irreverentia ad alterum in re gravi decipiendum usurpare iuramentum. Ita communiter dd. Sanch.[1] Bonac.[2] Lay.[3]. »

Ad maiorem claritatem pro hic dictis et dicendis in hac materia tam difficili plura sunt distinguenda. Primo loco distinguendum, aliam esse *amphybologiam*, sive aequivocationem; aliam *restrictionem mentalem*.

Amphybologia triplici modo esse potest, 1. quando verbum habet duplicem sensum, prout *volo* significat velle et volare. 2. quando sermo duplicem sensum principalem habet, v. gr. *hic liber est Petri*, significare potest, quod Petrus sit libri dominus, aut sit libri auctor. 3. Quando verba habent duplicem sensum, unum magis communem, alium minus; vel unum literalem, alium spiritualem, ut verba illa quae dixit Christus de Baptista: *Ipse est Elias*. Et Baptista dixit: *Ego non sum Elias*. Quo sensu viri spirituales cibos delicatos dicunt eis nocere, idest mortificationi, doloribus afflicti dicunt bene valere idest quoad robur spiritus. Card.[4]. Sic etiam quis interrogatus de aliquo, quod expedit celare, potest respondere, *dico non*, idest dico verbum *non*. Card.[5] de hoc dubitat, sed salvo meliori consilio, videtur immerito, cum verbum *dico* vere duplicem sensum habeat; significat enim proferre, et asserere, in nostro autem sensu *dico* idem est ac *profero*.

His positis, certum est et commune apud omnes, quod ex iusta causa licitum est uti aequivocatione modis expositis; et eam iuramento firmare. Ita Less.[6] Carden.[7] Salm.[8] ex s. Hieron.[9] qui dicit: *Utilem simulationem, et in tempore assumendam;* quod explicans s. Th.[10] ait: *S. Hieronymus utitur large nomine simulationis pro quacumque fictione*. Ratio, quia tunc non decipimus proximum, sed ex iusta causa permittimus ut ipse se decipiat, et ex alia parte non tenemur ad mentem aliorum loqui, si iusta causa subsit. Iusta autem causa esse potest quicumque finis honestus ad servanda bona spiritui vel corpori utilia. Salm.[11] cum Val. Sanch. Pont. et Leand.

Utrum autem iurare cum amphybologia, sive restrictione non pure mentali ut infra, sine iusta causa, sit peccatum mortale. Affirmant Viva[12]: item Tol. Ang. Arm. Nav. etc. ap. Sanch.[13]. Idemque tenet Bus. cum Laym. Sanch. et communi, ut asserit. Sed immerito citat Sanch., et vocat suam sententiam communem: dum oppositam sequitur Sanch.[14] et eamdem tenent Lugo[15] Cai.[16] Salmant.[17] cum Soto Val. Prado Hurt. Candido Leand. etc.: item Less.[18] Pal.[19] et probabilem putat Bus. *num.* 170. 3. Ratio huius probabilioris sententiae est, quia in huiusmodi iuramento iam adsunt veritas et iustitia, deficit tantum iudicium sive discretio, cuius deficientia non est nisi venialis. Nec obstat quod

(1) L. 3. c. 6. (2) P. 12. (3) Ibid. c. 14. n. 7. (4) Diss. 19. n. 47. (5) Ibid. n. 52. (6) L. 2. c. 41. n. 47. (7) Diss. 19. n. 55. (8) Tr. 17. de iur. c. 2. n. 115. (9) C. 22. q. 2. (10) 2. 2 q. 111. a. 1. ad 2.

(11) Ib. n. 109. (12) In prop. 27. damn. ab Inn. IX. (13) Dec. l. 3. c. 6. n. 2. (14) Loc. c. (15) De fide, d. 4. n. 64. (16) 2. 2. q. 89. a. 6. ad 4. dub. 2. (17) C. 2. n. 108. (18) L. 2. c. 42 n. 48. (19) Tr. 14. disp. 1. p. 7. n. 3.

ait Viva, scilicet quod taliter iurans exercite invocat Deum ad testificandum falsum; nam reipsa invocat ad testificandum verum, iuxta suum sensum, quamvis permittat ex iusta causa ut alter ex sua incuria vel inadvertentia decipiatur. Excipiendum tamen cum Salm. [1] et aliis communiter, nisi hoc fiat in iudicio, vel in contractibus. Ex praefata autem sententia infertur, quod ad sic iurandum (praeterquam in iudiciis et contractibus) non requiritur causa absolute gravis, sed sufficit quaevis rationabilis causa, puta ad se liberandum ab importuna et iniusta interrogatione alterius, ut dicunt Salm. [2] cum Val. Sanch. Bon. Pal. etc. Roncagl. [3] Elbel [4]. Hic tamen notandum 1. cum Ronc.[5] maiorem causam requiri ad aequivocandum cum iuramento, quam sine illo. Notandum 2. cum Salm. [6] quod quo verba maiorem occasionem praebent errandi, maior causa exigitur: unde dicunt, quod quando verba fere nullam causam praebent errandi, ut sunt verba per se aequivoca, duplicem sensum aeque habentia, tunc levissima causa excusat.

152. *Restrictio* autem *mentalis* alia est *pure mentalis*, quae modo nullo ab aliis percipi potest: alia est *non pure mentalis*, quae ex adiunctis circumstantiis innotescere potest. Restrictio *pure mentalis* numquam est licita, nec iuramentum super eadem, ut patet tribus propositionibus damnatis ab Innoc. XI., in quibus prima [7] dicebat: *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine iuret se non fecisse aliquid quod revera fecit; intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit; vel aliam viam ab ea in qua fuit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est periurus.*

Secunda [8]: *Causa iusta utendi his amphybologiis est quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas; vel ad quemlibet virtutis actum; ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.*

Tertia [9]: *Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare iuramentum quod de mandato regis exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis: quia non tenetur fateri crimen occultum.*

E contrario licitum est iusta causa uti restrictione *non pure mentali*, etiam cum iuramento, si illa ex circumstantiis percipi potest. Id probatur ex Io.[10], ubi Christus dixit. *Non ascendo ad diem festum istum.* Et tamen narrat scriptura, quod postea ascendit: *Non ascendo*, subintellexit, *manifeste*, ut rogabant discipuli, sed *ascendo occulte*. Pariter ex Marc.[11], ubi Dominus dixit: *De die autem illo nemo scit... neque filius*, subintelligendo, *ad manifestandum*, ut discipuli petebant, prout explicat d. Aug.[12]. Sic etiam sentit s. Thom. [13] inquiens: *Dicitur nescire diem, quia non facit scire.* Id est, ac si dixisset, nescio ad manifestandum aliis. Et idem sentiunt s. Io. Chrysost. s. Hieronym. s. Ambrosius s. Athanasius s. Basilius s. Hilarius etc. ut testatur Suar.[14]. Hanc sententiam comm. tenent Gon. [15] Laym. [16] Palud.[17] Adr.[18] Maior.[19] Soto[20] Wig.[21] Card. qui[22] cum Suar. et Lugo ait idem dicendum si respondeatur ad mentem interrogantis, La Croix[23] Holz.[24] Elb.[25] Sporer[26] Viva[27] et Salm.[28] qui dicunt, hanc sententiam esse communem fere omnium dd. Idem sentit Continuator Tournely [29] cum Vanroy et Boudart, dicens, etiam strictiores theologos has restrictiones late mentales (quod idem est ac non pure mentales) negare esse illicitas, ex d. August. qui [30] ait: *Quamvis omnis qui mentitur, velit celare quod*

(1) Loc. c. (2) N. 109. (3) De iur. c. 4. q. 2. r. 3. (4) N. 129. (5) Loc. cit. (6) Dict. n. 109. (7) N. 26. (8) N. 27. (9) N. 28. (10) 7. 8. (11) 13. 32. (12) P. 6. in prol. (13) 3. p. q. 10. a. 2. ad 2. (14) T. 3. in 3. p. q 10. a. 2. (15) Man. 1 5. tr. 8. c. 2. §. 3. (16) L. 4. tr. 3. c. 13. n. 7. Interim. (17) In 4. d. 9. q. 3. a. 3. concl. 1. (18) In 4. de sacr. confess. d. 6. §. Ad argum (19) In 4. d. 15. q. 18. q. 1. (20) De secr. memb. 3. (21) Tr. 10. exam. 4. n. 61. resp. 3. (22) In prop. Innoc. XI. diss. 19. n. 57. et ib. n. 48. (23) L. 3. p. 1. n. 287. (24) T. 1. de iur. pag. 173. n. 490. (25) Eod. tit. t. 2. pag. 52. n. 144. (26) Tr. 3. c. 1. n. 115. (27) In prop. 27. Innoc. XI. n. 4. (28) Tr. 17. c. 2. n. 117. (29) De rel. p. 2. c. 3. a. 5. (30) In lib. contra mendac. c. 10.

verum est. non tamen omnis qui vult quod verum est celare, mentitur. Consentit etiam rigidissimus Contensonius [1]; nam explicando illud Ioann. 7. de ascensu Christi ad diem festum, dicit, Christum verba subobscura adhibuisse, in quibus poterat vir prudens verborum sensum facile interpretamento aperire. Favet d. Thomas[2] (ut recte ait Wigandt.) dicens: *Aliud est veritatem tacere, aliud falsitatem proponere.* Item [3]: *Non est licitum mendacium dicere ad hoc, quod aliquis alium a quocumque periculo liberet; licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione, ut Augustinus dicit* [4]. Ratio autem huius sententiae est, quia si non liceret uti restrictione non pure mentali, non existeret modus secretum licite celandi, si quis nequiret aperire sine damno vel incommodo; quod utique esset aeque perniciosum commercio humano, quam mendacium. Damnatio autem peracta a pontifice restrictionis mentalis recte intelligenda est de restrictione pure et stricte sumpta; illa enim tantum vera mentalis restrictio dici debet, quae tantum in mente fit, et ita occulta remanet, et nullo modo ex circumstantiis externis agnosci valet.

153. Hinc infertur 1. Confessarius affirmare potest, etiam iuramento, se nescire peccatum auditum in confessione, subintelligendo *ut hominem*, non autem ut *ministrum Christi*, ut docent s. Thom. [5] Lug. [6] (qui tamen [7] explicat alio modo illud verbum *nescire per scientiam, quae utilis sit ad respondendum*); item Sporer [8] et Elbel [9] cum aliis communissime. Ratio, quia interrogans non habet ius, nisi ad sciendam notitiam communicabilem, qualis non est illa confessarii. Et hoc etiam si alter interroget, an audierit ut minister Christi. Lug. [10] Viva [11] Ronc. [12] et Elbel [13] cum aliis. Quia confessarius semper censendus est respondere ut homo, nam ut minister Christi non potest loqui. Hinc dicunt Cardenas [14] ac Fel. Pot. [15] quod quoties tenetur quis occultare infamiam alterius, licite dicit, *nescio*, scilicet *non habeo scientiam utilem ad respondendum*, sive *non scio tanquam manifestabile*, ut Card. cum Lugo [16]. Et si quis temere petat a confessario, an audierit tale peccatum in confessione, bene potest respondere *Non audivi*, scilicet, *ut homo*, *vel ad manifestandum*, Card. cum Lug. [17].

154. 2. Reus aut testis a iudice non legitime interrogatus potest iurare se nescire crimen quod revera scit; subintelligendo, nescire crimen, *de quo legitime possit inquiri*, vel nescire *ad deponendum*, Ita Cai.[18] Sporer [19] Azor. [20] Ronc.[21] Sanch.[22] cum Nav. Tolet. Val., etc. ex eodem d. Th.[23]. Idem, si testis ex alio capite non teneatur deponere, nempe si ipsi constet crimen caruisse culpa, ut Salm.[24] et Elb.[25]. Vel si sciat crimen, sed sub secreto, cum nulla praecesserit infamia, ut Card.[26]. Reus tamen vel testis qui legitime a iudice interrogatur, nequit ulla aequivocatione uti: quia tenetur iusto praecepto superioris parere. Est communis, Salmant.[27] cum Sot. Less. Sanch. etc. cum Bus. *n.* 170. 2. Et idem dicendum de iuramento in contractibus onerosis, quia alias iniuria alteri irrogaretur. Salm.[28]. Excipe in iudicio, si crimen fuerit omnino occultum; tunc enim potest, imo tenetur testis dicere, reum non commisisse. Tamb.[29] cum Card. et Pot. *ut sup.* Et idem potest reus, si non adest semiplena probatio etc. Tamb.[30] cum comm., quia tunc iudex non legitime interrogat.

155. Sed quaeritur hic 1. an si talis reus vel contrahens aequivoce iurando decepit, possit absolvi, nisi veritatem manifestet. Negant aliqui non improbabiliter, sed probabilius affirmant Sanc.[31]

(1) T. 4. diss. 2. c. 1. in resp. ad Instabis. (2) 2. 2. q. 69. a. 2. (3) Q. 110. a. 3. ad 4. (4) Lib. contr. mendac. (5) 2. 2. q. 70. a. 1. ad 1. (6) Disp 22. (7) N. 75. (8) De praec. n. 119. (9) De iur. n. 149. (10) N 66. (11) In prop. 17. Inn. n. 3. et 13. (12) De 2. paræc. c. 4. reg. prax. n. 2. (13) De iur. n. 150. (14) Diss. 19. n. 67. (15) De iur. n. 1734. (16) Ibid. n. 43 et 44.

(17) Ibid. n. 66. (18) Opusc. t. 1. tr. 31. r. 5. (19) De 2. praec. c. 1. n. 120. et 121. (20) T. 1. l. 11. c. 4. (21) De 2. praec. c. 4. q. 2. r. 3. (22) Dec. l. 3. c. 6. n. 23. et 26. (23) 2. 2. q. 69. a. 1. (24) D. c. 2. n. 139. (25) N. 145. (26) Ib. n. 51. (27) C. 2. n. 146. (28) Ibid. (29) Dec. lib. 3. c. 4. §. 2. n. 4. (30) Ibid. §. 3. n. 2. (31) Dec. l. 2. c. 7. n. 8.

et Salmanticens. [1] cum Philiarc. Quia tali iuramento (quod periurium nequit dici) non peccavit contra iustitiam commutativam, sed contra legalem, et obedientiam iudici debitam, cuius praeceptum detegendae veritatis transiens est, duratque solum dum iudex interrogat. Idemque dicit Sanch. [2] de teste mentiente. Et ideo uterque absolvi possunt, quin veritatem revelent. Tenentur vero alteri satisfacere, si possunt alia via. At si non possunt, dicunt Salm. teneri denuo in iudicio detegere veritatem. Sed etiam excusarem, si omnino essent impotentes ad satisfaciendum in praesenti et in futuro.

156. Quaeritur 2. an reus legitime interrogatus possit negare crimen, etiam cum iuramento, si grave damnum ex confessione ipsi immineat. Negant Elbel [3] cum d. Th. [4] et quidem probabilius; quia reus tenetur tunc pro communi bono damnum illud subire. Sed satis probabiliter, Lugo [5] Tamb. [6] cum Sanch. Viva [7] Spor. [8], item Elbel [9] Carden. [10] cum Nav. Less. Sa Fill. et aliis plurib., dicunt posse reum, si sibi immineat poena mortis vel carceris aut exilii perpetui, amissionis omnium bonorum , triremium , et similis, negare crimen, etiam cum iuramento (saltem sine peccato gravi) , subintelligendo *non commisisse quatenus teneatur fateri*, modo sit spes vitandi poenam. Ratio, quia lex humana non potest sub gravi obligare homines cum tanto onere. Additque Elbel hanc sententiam, licet minus probabilem , insinuandam tamen esse reis et confessariis, ut liberentur illi a culpa gravi, in quam facillime incident, si ad confessionem criminis obstringantur. Vid. dicenda *l. 4. n.* 274.

157. 3. Poenitens interrogatus a confessario de peccato confesso potest iurare non commisisse, subintelligens *illud, quod confessus non sit*. Ita Card. [11] Salm. [12] Sanch. [13] Sporer [14]. Hoc tamen intelligendum , nisi confessarius iuste interroget ad noscendum statum poenitentis [15].

158. 4. Indigens bonis absconditis ad sustentationem, potest iudici respondere se nihil habere, Salm. [16]. Pariter haeres , qui sine inventario occultavit bona, si non tenetur ex illis satisfacere creditoribus, potest iudici respondere se nihil occultasse, subintelligens *de bonis, quibus satisfacere teneatur*, Salmant. [17] et Ronc. [18].

159. 5. Qui mutuum accepit, sed postea satisfecit, potest negare accepisse mutuum, subintelligens, *ita ut debeat solvere*, Salm. [19] et Spor. [20] cum Suar. Nav. Az. Laym. Sanch. Cov. et aliis. Sic pariter, si quis fuit coactus ad matrimonium, potest iudici asserere etiam cum iuramento *non contraxisse* , scil. *libere*, ut par erat, Tol. [21] Laym. [22] Nav. [23] et Spor. [24] qui idem ait de eo qui irrita sponsalia inivit. Pariter qui matrimonium promisit, sed inde non teneatur ad illud, potest negare promissionem, scilicet *ut ex illa teneatur* , Salm. [25]. Qui non tenetur ad gabellam potest respondere nihil ferre , scilicet *ex quo gabellam debeat,* Card. [26] Salm. [27] Spor. [28] cum Led. Qui venit de loco falso putato infecto, potest negare venire ex illo, scilicet *ut pestilenti*, quia haec est mens custodum. Salm. [29] Less. [30] Sanch. [31] et Spor. [32] cum Tol. Nav. Suar. Henr. Rodr. etc. Imo hoc admittunt Tol. Less. et alii plures ap. Spor., etiamsi ille celeriter transiisset per locum infectum, modo sit certus nil luis contraxisse , quia posset intelligi non venisse, ut ab ipso periculum sit timendum: sed huic ego non omnino acquiesco. Admittunt etiam Salm. [33] cum Bus. quod si quis a fure vi obligetur ad promittendam pecuniam cum iura-

(1) C. 2. n. 147. (2) Ibid. (3) N. 44. (4) D. a. 1. ad 2. (5) De iust. d. 40. n. 15. (6) L. 3. c. 4. §. 3. n. 5. (7) Q. 7. a. 4. n. 2. (8) De 2. praec. c. 1. n. 15. (9) Dict. n. 144 (10) In prop. Innoc. XI. diss. 19 n. 81. (11) Diss. 19. n. 48. (12) N. 118. in fin. (13) L. 3. c. 6. n. 14. (14) De 2. praec. c. 1. n. 105. (15) Ex propos. 58. damn. ab Innoc. 11. (16) N. 140. (17) Loc. cit.

(18) C. 4. reg. 2. in praxi. (19) N. 140. (20) De 2. praec. c. 1. n. 122. (21) L. 4. c. 21. (22) Lib. 4. tr. 3. c. 14. n. 8. (23) In cap. Humanae aures 22. q. 5. (24) Loc. cit. (25) N. 140. (26) Ibid. n. 77. (27) N. 140. (28) Loc. c. n. 121. (29) N. 141. (30) C. 42. n. 47. (31) Dec. l. 3. c. 6. n. 53 (32) Loc. c. n. 140. (33) Dict. loc.

mento, potest subintelligere: *Dabo, si tibi debuero, secluso iuramento;* quia dicunt promissionem illam ex circumstantiis posse admittere talem amphibologiam. Pariter uxor, cui constet matrimonium esse nullum, potest iudici vel confessario, qui alias non vellet eam absolvere, promittere cum iuramento cohabitare cum viro, etsi non intendat, intelligens de cohabitatione licita. Salm. [1].

160. 6. Rogatus a iudice, an sit locutus cum reo, potest negare, intelligens, non locutum fuisse ad cooperandum crimini. Canonicus obligatus ad secretum potest iurare nihil manifestasse, si vere nihil eorum quae sub gravi tenebatur celare manifestavit. Ita Salm.[2] qui asserunt haec omnia passim obvia esse apud omnes auctores. Pariter Less. [3] cum Alex. Barth. etc., qui eligendus est in officium, interrogatus an habeat aliquod impedimentum, potest negare, si revera illud non sit tale quod impediat.

Pariter, si quis invitatus interrogetur, an sit bonus cibus, qui revera sit insipidus, potest respondere, esse bonum, scilicet, *ad mortificationem*. Cardenas [4]. Sic etiam dicunt Cardenas [5] et Croix [6] licite proferri caeremonias: *Osculor manus etc. Offero me famulum etc.* quia ex communi usu accipiuntur ut verba materialia, prolata tantum ad honorem. Licitum est etiam celare veritatem cum causa; v. gr. si quis petat a te pecuniam, potes respondere: *Utinam haberem!* Vel *gauderem habere*, *etc.* Carden. [7].

161. Sed quaeritur 1. an creditor ex instrumento possit asserere cum iuramento nihil sibi solutum, si revera sit pars soluta, sed ipse ex alio capite habeat creditum quod probare non possit. Respondetur posse, dummodo non iuret eam quantitatem sibi deberi ex illo instrumento, nec aliis creditoribus anterioribus damnum inferatur. Ita Salmant. [8] cum Sanch. Pal. Leand. etc.

162. Quaer. 2. an adultera possit negare adulterium viro, intelligens, ut illi revelet. Potest aequivoce asserere, non fregisse matrimonium quod vere persistit. Et si adulterium sacramentaliter confessa sit, potest respondere, *Innocens sum ab hoc crimine*, quia per confessionem est iam ablatum. Ita Cardenas [9]. Qui tamen hic advertit, quod nequit id affirmare cum iuramento, quia ad asserendum aliquid sufficit probabilitas facti; sed ad iurandum requiritur certitudo. Sed respondetur, quod ad iurandum sufficit certitudo moralis, ut diximus *supra dub.* 3. *n.* 148. cum Salm. [10] Less. Sanch. Suarez Pal. et communi. Quae certitudo moralis remissionis peccati potest quidem haberi quando quis bene moraliter dispositus recepit poenitentiae sacramentum.

Ad quaesitum vero dicunt Salm. [11] cum Soto non posse foeminam adulterium negare, quia esset pura restrictio mentalis. Card. tamen [12] admittit in periculo mortis licere uti metaphora, quae communis est in scriptura, ubi adulterium sumitur pro idololatria, ut ex Ezech. [13]: *Quia adulteratae sunt... et cum idolis fornicatae sunt.* Imo si crimen est vere occultum, probabiliter cum Busemb. *infra n.* 170. 4. et Less. Trull.[14] ac Sanch.[15] cum Sot. Sayr. et Arag., potest mulier negare cum iuramento, et dicere, *Non commisi*, eodem modo quo reus potest dicere iudici non legitime interroganti, *crimen non commisi*, intelligendo non commisisse, ita ut teneatur ei manifestare, ut Tambur. [16] et Viva [17].

163. Quaeritur 3. an requisitus ad mutuandum possit iurare se non habere pecuniam, quam revera habet, intelligendo non habere, *ut ad mutuum praestet*. Negant Salm.[18] cum Sot. Henr. Ratio, quia illa restrictio ex circumstantiis percipi nequit. Sed hoc intelligendum si veritas nullo modo percipi possit; nam si posset coniici ex ali-

(1) Dict. n. 141. (2) N. 142. (3) C. 42. n. 48. (4) Diss. 19. n. 74. (5) Ibid. n. 76. (6) L. 3. p. 1. n. 302. (7) Diss. 19. n. 53. (8) C. 2. n. 143. (9) Diss. 19. n. 54. (10) C. 2. n. 44. (11) N. 144.

(12) Ibid. n. 69. (13) 23. 37. (14) Ibid. (15) Lib. 3. dec. c. 2. n. 41. (16) Ex comm. l. 3. c. 4. §. 3. n. 1. et 2. (17) Q. 7. a. 4. n. 2. (18) N. 145.

qua circumstantia, nempe paupertatis, vel indigentiae mutuatarii, bene posset ipse intelligere, *non habeo superfluum, ut possim dare mutuum*. Ita Ronc. [1] Viva [2] cum Sanch. Bon. Sylv. etc. Card. [3] cum Suar. et Lug. [4] qui sic docet: *Qui habet unum panem sibi necessarium, vere respondet se nullum habere ei qui petit panem commodatum; quia nullum habet quem commodare possit, de quo solo ille interrogat*. Et idem dicit Card. [5] de pecunia petita, si domino sit necessaria.

164. Quaer. 4. an mercatores possint iurare, mercem carius ipsis constare, intelligendo *cum alia merce*. Affirmant aliqui, sed merito negant Salm. [6]. Probabiliter tamen posse ait Croix [7] cum Gob., quando tales non intelligunt de mero pretio rei, sed computant in eo expensas pro vectura, pro apotheca etc.

165. Quaer. 5. an famulus ex iussu domini possit negare, ipsum esse domi. Card. [8] admittit posse figere pedem in lapidem et respondere, *non est hic*; quia non est restrictio mentalis: sed huic non assentior, si alter nullo modo possit id advertere. Potius concederem posse dicere, *non est hic*, scilicet non in hac ianua vel fenestra, vel (ut ait Tourn. [9]) *Non est hic*, quatenus videri possit. Item ait Card. [10] posse respondere, *egressus e domo est*, intelligendo *in praeterito;* non enim tenemur, ait cum Less. *ut supra*, respondere ad mentem interrogantis, si adsit iusta causa. Secus, si ille rogetur an hac mane dominus egressus sit, ut Croix [11]. Sic etiam Card. [12] ait de viro nobili, qui est in luctu, posse respondere famulum, esse foris, scilicet esse remotum a consortio, et ex usu loquendi solet intelligi.

166. Quaer. 6. an assumendi ad gradum doctoratus possint iurare cum aequivocatione conditionem requisitam non veram, scilicet vacasse tot annis illi scientiae etc. si tales sint aeque idonei ac alii doctores. Vid. Tamb. [13] qui affirmat et iustam causam ait tunc esse sic iurandi, ne repellantur qui iam digni sunt. Sed quidquid sit de hoc, probabile magis mihi videtur non peierare doctorandos Neapoli, qui more solito scribunt manu propria in suscipiendo matriculas: *Dico con giuramento essere il primo anno istitutista, ec.* cum revera id non sit. Ratio quia verbum illud *giuro*, sive *dico con giuramento*, ut supra diximus *dub. 1. n.* 136. cum Salm. [14] Bon. Sanch. Suar. de se non est iuramentum, nisi praecedat interrogatio de iuramento, sed haec interrogatio Neapoli vel omnino non fit vel non fit de vero iuramento, sed tantum de illa scriptione materiali quae ex usu communi videtur non apprehendi ut verum iuramentum.

167. Quaer. 7. an possit quis licite coram notario asserere accipere pecuniam quam vere non recipit. Affirmat posse Tamb. [15] *sensum* impropriando, scilicet iurando pecuniam pro accepta habere, vel accipere, qui certus sit moraliter alterum brevi pecuniam sibi fore soluturum. Et videtur probabile ex communi usu loquendi.

168. Quaer. 8. an liceat iurare aliquid falsum, addendo tamen submissa voce circumstantiam veram. Affirmant Hurtad. et Prado cum aliis ap. Salm. [16] contra Torre, qui dicunt, quod ut locutio sit vera sufficit ut exterius concordet conceptui mentis, sive nutibus sive voce submissa explicetur, et per accidens est, ut alter non audiat. At melius Salm. [17] id admittunt, si tamen aliquo modo possit ab altero percipi illa submissa prolatio, licet eius sensus non percipiatur, secus si omnino alterum lateat.

169. « 1. Graviter peccat qui utitur aequivocatione, quando non rogatus, sed sponte sua iurat: quia tunc tenetur uti vocabulis secundum communem significationem, inquit Tolet. [18] eo quod non habet rationem aequivocandi. »

(1) De 2. praec. c. 4. Reg. 2. in praxi, (2) Q. 7. a. 4. n. 2. (3) Diss. 19. n. 36. (4) De poenit. disp. 23. sess. 4. n. 74. (5) Ib. n. 73. (6) D. n. 145. (7) Lib. 3. p. 1. n. 501. (8) Diss. 19. n. 71.

(9) Mor. t. 1. (10) Ibid. (11) L. 1. p. 1. n. 284. (12) Ib. n. 72. (13) Dec. l. 3. c. 2. §. 2. n. 12. (14) C. 2. n. 24. (15) Ibid. n. 19. et. seq. (16) C. 2. n. 136. (17) N. 138. (18) L. 4. c. 21.

170. Probabilius tamen Salm. [1] cum communissima contrarium dicunt, nempe quod quando adest iusta causa necessitatis vel utilitatis, potest quis uti amphibologiis in iuramento, etiamsi ad iurandum sponte se offerat.

« 2. Graviter item peccat qui utitur aequivocatione, quando iuramentum iuste exigitur, ut a iudice vel superiore in re gravi. Bonac. [2].

» 3. Si autem fiat tale iuramentum in re levi, per iocum et citra inobedientiam, ac notabile damnum alterius, erit tantum veniale, ut probabiliter docet Sanch. [3] contra alios: quia sola discretione, sive iudicio caret. Vide Bon. [4].

» 4. Licet aequivoce iurare, si iuramentum exigatur iniuste, ut, v. gr. si quis exigat iuramentum, qui ius non habet, v. gr. iudex incompetens, vel si non servet ordinem iuris. Item si exigatur per vim, iniuriam, metum, v. gr. si vir exigat iuramentum ab uxore de adulterio occulto; si latrones exigant a te lytrum cum iuramento. Sayr. [5] Less. Trull. [6].

171. » 5. Qui exterius tantum iuravit sine animo iurandi, non obligatur, nisi forte ratione scandali; cum non iuraverit, sed luserit. In foro tamen externo potest cogi, ut servet. Sanch. [7] Trull. [8] (*Sed de hoc vide mox dicenda dub. seq. n.* 172. *v. Quaeritur*). »

Quaeritur hic ultimo an simulatio sit aliquando licita. Respondetur: simulatio formalis, nempe cum quis intendit per factum externum aliud significare, quam in animo habet, haec nunquam est licita, quia est verum mendacium facti, ut docet d. Th. [9]. Simulatio vero *materialis*, scilicet cum quis aliquid agit, non intendens deceptionem alterius, sed aliquem suum finem; haec est licita cum iusta causa, semper ac ex circumstantiis alii possint coniicere ad alium finem id agi, prout dictum est de restrictione non pure mentali *num.* 152. Sic Iosue [10] licite fugit, non intendens significare metum, sed ut hostes longe abducerentur ab urbe *Hai*, et reliqui milites irruerent in urbem. Ita etiam Christus Dominus [11] apud Emmaus *finxit longius ire*, non intendens, ut discipuli hoc crederent, sed volens significare, se revera iturum fuisse longius, nisi ab eis invitaretur. Ita Croix [12].

DUBIUM V. Quae et quanta sit obligatio iuramenti promissorii.

172. *Quotuplex veritas affirmanda sit in iuramento promissorio. Quale autem peccatum sit iuramentum promissorium fictum, et quomodo obliget.*
173. *An peccet graviter non implens promissum in re parva.*
174. *An obliget iuramentum metu extortum.*
175. *Quid, si sit errore vel dolo extortum.*
176. *An obliget iuramentum de re mala, aut vana.*
177. *Quid de iuramento in favorem tertii.*
178. *An iuramentum non ludendi excludat ludum moderatum.*
179. *An obliget iuramentum factum contra primum.*
180. *An iuramentum sequi debeat conditionem promissionis.*
181. *Quomodo obliget iuramentum servandi statuta alicuius collegii.*
182. *De iuramento medicorum non visitandi etc.*
183. *De iuramento servandi secretum, dicendi veritatem, et solvendi debitum.*
184. *An obliget iuramentum factum concubinae non cognoscendi aliam.*
185. *An promissio prodiga cum iuramento obliget.*
186. *An obliget iuramentum redeundi ad carcerem. De iuramento parentum ac dominorum puniendi filios ac famulos.*

172. « Resp. 1. Iuramento promissorio duae affirmantur veritates, una de praesenti primaria, quod scilicet iurans habeat animum implendi quod promittit; altera secundaria de futuro, quod scilicet impleturus sit suo tempore quod promittit; sive promittat Deo, et est votum cum iuramento; sive homini, et est iurata promissio humana. Unde oritur obligatio implendi, si rationabiliter possit. Ita communiter dd. Laym. [13] Bon. [14].

Unde resolves:

» 1. Defectu primae veritatis iurans vere peccat mortaliter, si vel non habet animum implendi, sive materia sit

(1) C. 2. n. 142. in fin. (2) Loc. c. (3) L. 3. c. 5.
(4) Loc. c. (5) L. 4. c. 3. et l. 1. c. 17.
(6) L. 2. c. 1. d. 15. (7) 7. mor. c. 10. n. 11.
(8) Lib. 2. c. 1. d. 10. (9) 2. 2. q. 111. a. 1.
(10) C. 8. (11) Luc. 24. (12) L. 3. p. 1. n. 298
(13) L. 4. tr. 3. c. 4. (14) P. 7.

parva sive magna, licita sive illicita: vel si dubitat an facturus sit necne, quod iurat; vel si putat sibi moraliter impossibile ut impleat quod promittit: quia quoad istam veritatem praesentem, promissorium ab assertorio non differt, unde nec parvitas materiae excusat. (Peccat quidem graviter qui promittit aliquid cum iuramento, putans impossibile ut impleat. Ita *hic* Busemb. Sed addendum cum Salm. [1] Azor. Suar. Fag. Leand. etc. secus esse, si probabilem rationem haberet implendi.) »

Quaeritur quale peccatum sit iuramentum promissorium fictum, et ad quid obliget. Distinguo: tripliciter potest quis ficte promittere cum iuramento. 1. Sine animo iurandi. 2. Sine animo se obligandi. 3. Sine animo implendi. 1. Si quis iurat *sine animo iurandi*, peccat quidem, ut ex prop. 25. damn. ab Innoc. XI quae dicebat: *Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis, sive sit gravis.* Ratio, quia tunc illudit divino testimonio. An autem hic peccet graviter. Resp. affirmative, si iuret sine animo implendi promissionem; si vero cum animo implendi, peccat tantum venialiter, ut communissime dicunt Sanch. [2] Ronc. [3] Tamb. [4] Elbel [5] Mazzott. [6]. Recte vero excipiunt, si iuramentum fiat in contractibus, vel coram iudice; quia tunc, licet non sit periurium, est tamen gravis deceptio contra iustitiam.

2. Si autem iurat *sine animo se obligandi*, sed cum animo implendi, Cai. [7] Croix [8]; item s. Antonin. Nav. Scotus Tambur. et alii communius apud Sanchez [9] tenent, hunc peccare mortaliter, tum quia sic iurans, falso significat habere intentionem se obligandi, quam vere non habet, tum quia ut sentit Croix tanquam probabilius videtur gravis irreverentia adducere Deum in testem, et nolle eius testimonio obstringi. Sed valde probabiliter idem Sanc. [10] Tamb. [11] Elb. [12] Renzi [13] et Ant. a Spir. s., cui adhaeret Ronc. [14] tenent, hunc non peccare nisi venialiter. Ratio, quia taliter iurans, cum habeat animum implendi, quamvis non intendat se obligare ex una parte non iurat falsum, quia asserit verum de voluntate praesenti; ex alia parte, cum hic voluntatem non habeat se ullo modo obligandi ex vi iuramenti, de cuius intrinseca ratione est inducere obligationem religionis, revera non iurat, ut ex communi dicunt Salmant. [15] Elbel [16] Sporer [17]. Et ideo iuramentum hoc idem est ac si factum sit sine animo iurandi, quod non est nisi veniale, quando verum asseritur, ut supra dictum est.

An autem sic iurans cum animo iurandi, sed sine animo se obligandi, teneatur ad servandum iuramentum. *Prima* sententia negat, tum quia huiusmodi iuramentum fuit invalidum, ut supra; tum quia Deus iuramenta promissoria non acceptat, nisi iuxta iurantium intentionem, ex iure canonico [18] ubi dicitur: *Divina iudicia talia foris nostra verba audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* Ita Pal. [19] Salm. [20] Ronc. [21] Tamb. [22] Mazzot. [23] Elbel [24] et Sanch. [25] cum s. Bonav. s. Anton. Scoto Sylv. Nav. Arm. Gabr. Ang. et aliis cum communi, ut asserit Azor. Et clare favet d. Thom. [26] dicens: *Si autem simpliciter iuret absque dolo, tunc in foro conscientiae non obligatur, nisi secundum suam intentionem.* Et alibi confirmat [27]: *Si autem iurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem iurantis.* Is autem iurat sine dolo (ut dicit Elbel [28] cum Ills.) qui iurat alicui nullum ius habenti ex iustitia ad rem promissam. *Secunda* tamen sententia affirmat teneri ad servandum iuramentum. Hanc tenent Less. [29] (licet

(1) Tr. 17. c. 2. n. 49. (2) Dec. l. 3. c. 6. n. 10. (3) De iur. c. 4. q. 1. r. 3. (4) Dec. l. 3. c. 3. §. 2. n. 6. (5) De. iur. n. 129. (6) Eod. tit. c. 3. q. 3. (7) 2. 2. q. 89. a. 6. (8) Lib. 3. p. 1. n. 279. (9) Loc. cit. n. 5. (10) N. 7. (11) Ibid. (12) N. 21. (13) De iur. p. 125. (14) Loc. c. r. 4.

(15) Tr. 17. c. 1. n. 19. et 23. (16) Loc. c. (17) In 2. praec. c. 1. n. 134. etc. (18) C. Humanae aures, qu. 5. (19) Tr. 14. d. 1. p. 8. n. 7. (20) D. c. 1. n. 25. (21) R. 4. (22) Ibid. n. 7. (23) L. c. (24) N. 125. (25) Dec. l. 3. c. 10. n. 8. (26) In 3. d. 39. q. 1. a. 3. q. 3. (27) 2. 2. q. 89. a. 7. ad 4. (28) N. 218. (29) L. 2. c. 42. n. 37.

vocet oppositam valde probabilem), Cai.[1] Suar.[2] Sot.[3]; item Valent. Sayr. Fill. Arac. apud Bonac.[4] et Renzi[5]. Ratio, quia qui iurat cum animo iurandi, iam verum iuramentum emittit, et ideo tenetur efficere, ad servandam reverentiam divini nominis, ut verum evadat quod iurat; nec potest a iuramento separare obligationem implendi promissum, cum obligatio oriatur ex ipso iuramento, de cuius natura est, ut effectum habeat quod iuratur, ne vocetur Deus in testem falsitatis. Et in hoc apparet differentia inter votum seu contractum, et iuramentum; nam in illis obligatio pendet ab intentione voventis vel contrahentis, in iuramento autem ex vi ipsius iuramenti. Utraque sententia est probabilis, sed prima est probabilior; nam ratio huius secundae sententiae supponit ut certum tale iuramentum sine animo se obligandi emissum, esse verum iuramentum; attamen probabilius est, et commune, ut asserunt Salm.[6] cum aliis *ut supra*, et etiam Viva[7] (contra Less.[8]), quod huiusmodi iuramentum, non sit verum iuramentum, tum quia caret conditione necessaria ad naturam iuramenti promissorii, qualis est animus se obligandi; tum quia iuramentum sequitur naturam promissionis quam confirmat, ut certum est apud Bus. *inf. n.* 180. cum Less. Bon. etc. At promissio sine tali animo facta non est quidem promissio, sed simplex propositum; ergo evanescente promissione, evanescit etiam iuramentum, et habetur ut factum sine animo iurandi, quod certe, ut vidimus, nullum est. Si autem nullum existit iuramentum, nulla existit obligatio illud implendi.

3. Si demum quis iurat *sine animo implendi*, sed cum animo iurandi, et se obligandi, certe peccat mortaliter, quia tunc etiam de praesenti deficit veritas. An autem is obligetur ad implendum promissum. Respondetur affirmative, quia viget tunc essentia et obligatio iuramenti. Tamb.[9] Mazz.[10] et Sanch.[11] cum s. Bonav. Leon. et Suar. qui oppositum vocat improbabile. Et hoc dicendum, etiamsi is nullum habuerit animum se obligandi ex vi promissionis, quia obligatur aliunde ex vi iuramenti, ut Sanch.[12] Tamb.[13] et Mazz.[14]. Qui etiam recte advertit, quod is qui habet verum animum iurandi, et nihil cogitat de iuramenti obligatione, vere obligatur: quia obligatio sequitur ex ipsa iuramenti natura, et qui vult actum, vult consequenter eius proprietates. Idem ait, si ille ignoret obligationem iuramenti; sed huic probabilius contradicunt Salm.[15] loquendo de voto, ubi ex sententia communissima dicunt, quod si quis ignoret votum trahere secum obligationem et cum hoc errore emittat votum obligationem nolendo, is ad votum non obligatur, quia nemo obligationem contrahit, nisi volens sibi illam imponat; vide dicenda *de voto n.* 201. *vers. Sed quaer.* 1. Et vide mox supra dicta, ubi vidimus cum d. Th. iuramentum non obligare ultra intentionem iurantis. Si autem quis iniuste cogatur, puta a latrone, ad aliquid promittendum cum iuramento, potest licite intendere non velle implere promissum, si relaxationem iuramenti obtineret. Ita probabiliter Croix[16] cum Suar. Sanch. et Diana.

173. « 2. Defectu secundae veritatis vere peierat is qui quod promisit postea non implet, si rationabiliter implere potest. Id solum hic dubitatur; an qui promisit rem exiguam cum iuramento, v. gr. dare alteri unum pomum vel nummum pro eleemosyna, vel castigare prolem, vel inter vendendum nolle se minori pretio vendere, vel nolle primum locum occupare, aut praecedere in ingressu portae, etc.; an, inquam, sub gravi peccato teneatur haec servare. Ubi speculative quidem videtur, quod sic quia vere adductus est Deus ut testis, quod sit facturus: ergo si sine causa non facit quantum

(1) 2. 2. q. 89. a. 7. (2) C. 7. (3) L. 8. q. 1. a. 7. (4) T. 2. d. 4. q. 1. p. 7. n. 3. (5) De iur. p. 125. q. 5. (6) C. 1. n. 19. (7) In proposit. 23. Innoc. n. 13. (8) Dict. n. 37. (9) Ibid. n. 7. (10) Loc. cit. (11) L. 3. c. 10. n. 5. (12) N. 6. (13) Ib. (14) L. c. (15) Dict. c. 1. n. 23. (16) L. 1. p. 3. n. 278

in se est, facit Deum testem falsum. Cai. Val. Tol. [1]. Nihilominus probabiliter alii tenent contrarium, ut Sanch. V. Laym. [2].

Magna est quaestio, an detur parvitas materiae in transgressione iuramenti promissorii, ita ut promittens dare aliquid modicum, si verum habeat animum praestandi, dum iurat, sed postea non praestat, tantum leviter peccet. Prima sententia valde probabilis negat. Hanc tenent Caiet.[3] Tol.[4] Less.[5] Bonac. [6] item Val. Reg. Medin. Cand. etc. apud Salm. [7]. Ratio, quia tunc iam violatur iuramentum, in qua violatione minime datur parvitas materiae. Idque videtur sentire s. Th. [8] qui ait, quod si quis compellitur invitus aliquid promittere sub iuramento, licet postea in iudicio poterit repetere quod solvit, tenetur tamen interim solvere promissum: *Quia magis debet damnum temporale sustinere, quam iuramentum violare.*

Secunda vero sententia non minus probabilis, imo forte probabilior affirmat, et hanc tenent Suar.[9] Sot.[10] Az.[11] Castr.[12] s. Anton.[13] Navarr.[14] Silv. [15] Lay.[16] et Salm.[17] cum Arag. Sanch. Io. a s. Thoma Rodriq. Trull. etc. Ratio, quia in iuramento promissorio Deus non proprie ut testis adducitur (nam alioquin periurium committeretur, etiamsi deinde promissio ex iusta causa non impleretur), sed solum tanquam auctoritatem praebens obligationi, quae oritur ex promissione coram Deo facta, prout si quis aliquid promitteret coram principe, intendens ex illius auctoritate suam firmare promissionem. Hinc dicunt, quod cum postea promittens non implet quod promisit, non iam peccat peierando, quia periurium tum tantum patratur cum invocatur Deus in testem mendacii; abest vero mendacium, ubi iurans habet voluntatem implendi promissum; non implere autem promissionem, non est mendacium, sed infidelitas, et aliquantulum gravior ratione irreverentiae quae Deo irrogatur, coram quo promissio facta est; sed cum res promissa non sit gravis, huiusmodi infidelitas ad gravem culpam non pertingit. Sic etiam aiunt Salm.[18] cum s. Antonin. Nav. Castrop. et aliis supra relatis, quod si quis iurat servare secretum, et postea non servet, haud graviter peccat, nisi illud manifestet cum gravi laesione proximi vel communitatis.

« 3. Illud certum est, quod si ex eo quod iurasti, tantummodo parum aliquid non serves, non est grave: v. gr. si iurasti te non bibiturum vinum, non peccas mortaliter parum bibendo. Sanchez [19], quia tunc excusat parvitas materiae. Et sic excusantur qui iurant servare statuta alicuius capituli, collegii, universitatis, etc. si postea parvum aliquod statutum violent. Et idem dic de tabellionibus iuratis, et aliis ministris iustitiae; ut et de eo qui ex summa, quam alteri se daturum iurasset, parum tantum detraheret. Nav. Suar. Sanch. Vide Laym. Bon. [20].

174. » 4. Obligaris probabiliter iuramento promissorio, etsi extortum a te sit per iniuriam ac metum, ut si oblitus uti aequivocatione, iurasti praedonibus dare lytrum, usurario usuram. Bec.[21] etc. Negat tamen Az.[22] in materia matrimonii, quia matrimonium coactum metu cadente in constantem virum, nullum est: hinc etiam iuramentum extortum de eo contrahendo videtur relaxatum ipso iure. Cai.[23] Suar.[24] Sanch. Bon. [25]. »

Quaestio magna est, num obliget in conscientia iuramentum metu extortum. Dicitur *in conscientia*, quia in foro externo, ubi praesumitur non adfuisse animus iurandi, certe non obligat tale iuramentum [26]. Quoad forum

(1) L. 4. c. 44. (2) L. 4. tr. 3. c. 14. n. 6. (3) 2. 2. q. 89. a. 7. dub. 1. (4) L. 4. c. 22. (5) C. 42. n. 23. (6) T. 2. disp. 4. q. 1. p. 14. n. 2. (7) Tr. 17. c. 2. n. 52. (8) 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. (9) De rel. l. 3. de iuram. c. 16. n. 9. (10) De iustit. l. 8. q. 1. a. 7. dub. 1. (11) L. 5. c. 27. q. 2. (12) Tr. 14. disp. 1. p. 6. n. 8. (13) P. 2. tit. 10. c. 4. §. 1. (14) Man. c. 12. n. 10. (15) V. Iuram. 4. q. 1. (16) L. 4. tr. 3. c. 14. n. 6. (17) Loc. cit. c. 2. n. 53. (18) Cit. c. 2. n. 88. (19) T. 1. l. 4. c. 12. n. 21. (20) P. 15. (21) 2. 2. q. 82. (22) P. 1. l. 1. c. 21. q. 13. (23) V. periurium. (24) C. 9. (25) P. 9. (26) Ex c. Verum d[e] iuram.

autem internum *prima* sententia negat obligare cum Azor. s. Antonin. Sylv. Lop. Angel. Panorm. et aliis apud Sanchez [1], qui eam probabilem vocat, *ex authent. Sacramenta*, *c. Si adversus venditionem:* ubi dicitur, talia iuramenta nullius momenti esse habenda. Hinc dicunt, quod promissio sic iurata vel irrita est, vel rescindibilis a metum passo. *Secunda* tamen sententia longe probabilior, quam tenet s. Th. [2] Salmant. [3] cum Bonac. Sot. Less. Sanch. Suar.; item Elbel [4] (qui vocat communissimam) et Viva [5] (qui vocat communem) dicit tale iuramentum obligare. Ratio, quia tenemur efficere, ut verum sit quod iuramus, ne Deum testem falsi faciamus. Ideo [6] regula est, quodlibet iuramentum servandum esse, quod sine peccato impleri potest. Respondetur autem, *authenticam* citatam non receptam, vel expresse revocatam fuisse [7]. Notandum autem, quod metum passus tempore, quo ad impletionem ex vi iuramenti tenetur, potest illius relaxationem petere ab episcopo, vel a quocumque, qui possit iuramenta commutare, ut Salm. [8] cum Lug. Villal. et Ledesm. Et si iam solverit promissum, potest in iudicio repetere, vel occulte sibi compensare, ut Viva [9] vide *de contr. l.* 3. *n.* 717.

175. « 5. Obligaris item, etsi iuramentum sit errore aut dolo extortum, si dolus vel error versetur tantum circa circumstantias accidentales non magni momenti; nam si versetur circa substantiam, ut v. gr. si annulum te daturum alteri iures putans esse ferreum, cum sit aureus, vel circa circumstantias magni momenti, quibus cognitis non iurasses, non obligaris. Vid. Sanch. [10] Suar. etc. (Hanc doctrinam circa qualitates accidentales probabilem putant Salm. [11]: sed oppositam censent probabiliorem. *At v. n.* 187. *v. sed dubium, et n.* 198. *v. certum est. Et n.* 226.).

176. » 6. Non inducit ullam obligationem, si iures rem malam aut vanam aut inutilem aut (ut habet Caiet.) indifferentem, quae nec ex fine nec ex circumstantiis cohonestatur; quia iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis, aut vanarum rerum ac otiosarum, ad quas Deus non vult nos obligari. Bonac. et alii communiter. Ubi nota ex Laym. [12] iuramentum non convalescere, etsi talis res illicita, et vana, postea mutatis circumstantiis fiat honesta, cum [13] non firmetur tractu temporis, quod initio non subsistit. (Cum Salm. [14]. Hinc etiam adde cum Elbel [15] Pal. et Tamb. quod si iuramentum sit de servando aliquo a lege prohibito, non valet, etiamsi lex prohibeat tantum sub poena; secus, si sit de aliquo a lege permisso). »

177. Iuramentum in favorem tertii, semper ac impleri potest sine peccato, implendum est; etiamsi sit contra consilia evangelica, Salm. [16] cum Pal. Less. Sanch. Suar. etc. Et etiamsi promissio facta irrita sit a iure in odium iniqui creditoris, velut promissio solvendi usuras [17]. Et certum hoc esse apud omnes asserit Sanch. [18]. (Vel promissio facta meretrici, licet tale iuramentum fuerit illicitum, ut Mol. Suarez Caiet. Sanch. cum Salm. [19]. Intellige si meretrix iam opus suum praestiterit; secus, si non. Spor. [20] Laym. [21] Elbel [22].

Aliter tamen dicendum, si promissio sit irrita a iure, quia esset contra bonum commune; ratio, quia tunc ipsa impletio illicita esset. Ideo non obligat iuramentum metu extortum super professione, matrimonio, sponsalibus, renunciatione fori ecclesiastici, si sit clericus: item super donatione a clerico, vel a milite facta concubinae. Ita Salmant. [23] cum Bus. *n.* 174.

Quaeritur autem, cum contractus est irritus a iure in favorem tantum promittentium, utrum tunc iuramentum

(1) De matr. l. 4. d. 20. n. 3. (2) 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. (3) De contr. c. 1. n. 26. (4) N. 57. (5) De iuram. q. 7. a. 4. n. 7. (6) Ex c. contingit in nonnullis, de iureiur. in 6. et aliis ut infra. (7) C. 8. et 15. de iureiur. (8) Loc. c. n. 65. (9) Loc. c. (10) L. 3. c. 11. n. 11. (11) De contr. c. 1. n. 21. (12) De iur. c. 6. (13) Iuxta reg. 18. iuris in 6. (14) C. 1. ex n. 58. (15) N. 60. (16) C. 2. n. 69. (17) Ex c. debitores de iureiur. (18) L. 3. c. 11. n. 3. (19) De iuram. c. 2. n. 60. (20) C. 1. n. 55. (21) Ib. (22) N. 88. (23) De contr. c. 1. n. 67. ex c. Diligenti, de foro compet.

firmet contractum, ita ut promissarius ex eo acquirat ius iustitiae. Affirmant Azor. Sanch. et alii. Sed probabiliter negant Elbel [1] ac Sporer [2] cum Tamb. Potest. Pichler etc. Ratio, quia nullo modo iuramentum habet vim firmandi huiusmodi contractum; non ex se, quia solum obligat virtute religionis; non ex iure positivo; nam, licet [3] tales contractus debeant servari ob iuramentum, nullibi tamen habetur servandos esse ex iustitia; et ideo haec obligatio non transit ad haeredes iurantis; et ipse iurans deobligatur, relaxato iuramento. Vide Elbel [4].

« 7. Nec obligaris implere, si quid iurasti contra consilia evangelica, ut non ingredi religionem, non dare eleemosynam, etc. Mol. Sanch. Laym. [5]. Et licet peccaris talia iurando, non tamen peccas non implendo. Cai. [6] (Ita Sal. [7]. Nisi iuramentum fiat in favorem tertii, cum Less. Sanchez Suarez Pal. etc. ut mox supra, et eod. Bus. mox infra).

» 8. Teneris implere, nec potest commutari in aliquod opus melius, ut v. gr., religionem, si aliquid iurasti in utilitatem aut gratiam alicuius hominis aut aliquorum; dummodo sit honestum, et sine peccato impleri possit. Unde v. g. alumnus qui iuravit se serviturum principi, aut huic vel isti ecclesiae, etc. non potest ingredi religionem sine relaxatione. Excipe tamen, si iurasses Titiae eam ducere : nam eo casu potes, ea relicta, ingredi religionem; quia iuramentum sortitur naturam actus cui apponitur ; promissioni autem matrimonii haec tacita conditio inest, *nisi ingrediar religionem*. Vide Laym. [8] Bon. [9]. »

178. Quaer. 1. an iuramentum non ludendi obliget ad abstinendum etiam a ludo licito, et modicae quantitatis. Resp. si iuramentum sit factum non ludendi in genere, conveniunt omnes non obligare ad abstinendum a lusu honesto et moderato. V. Salm. [10]. Dubium est, si iuramentum expresse, et specialiter factum sit abstinendi etiam a ludo licito, et moderato, an obliget. Negant Dic. Nav. Rodr. et Bassaeus apud Salm. [11]. Quia talis lusus pertinet ad virtutem eutrapeliae. Sed affirmandum est cum Salm. [12] Tamb. Pal. Bon. Sanch. et communi; quia actus maioris virtutis est se abstinere etiam ab aliquo actu virtuoso ad maiorem perfectionem. Hinc si iurans maius bonum expresse intenderit in abstinendo se a ludo, puta, ut Deo vacet, se mortificet, etc. tenetur implere; secus si sine tali fine iuraverit. Salm. [13]. In hoc autem ludo bene potest dari materiae parvitas, quae metienda est iuxta finem intentum a iurante. Vide Salm. [14]. Potest etiam talis iurans dare pecuniam alteri ad ludendum, et ipsum observare, et etiam adiuvare, quia hoc proprie non est ludere. Sanch. [15] Bon. [16] Pal. [17] et Salm. [18] cum Cand. Trull. Fag. etc.

179. Quaer. 2. an obliget iuramentum factum contra prius iuramentum. Distinguendum, si iuramentum alteri opponitur in *actu iurandi*, puta si iurasti non amplius iurare, et postea iures, v. gr. ieiunare, teneris ad ieiunium; quia secundum iuramentum est tunc de materia licita, quamvis peccasti iurando. E converso iuramentum secundum est nullum, si opponatur priori in *materia iurata*, quia tunc esset de materia illicita: hinc si iurasti matrimonium Caiae (imo etiam si simpliciter promisisti, ut docet Sanch. [19]) et postea iures Titiae, hoc secundum non obligat; etiamsi postea Caia remittat promissionem, ex regula: *Non firmatur tractu temporis quod ab initio non subsistit* [20]. Ita Croix [21] cum Sanchez Pal. Tamb. et Salm. [22] cum Suar. etc. Notat tamen Croix [23] cum Sanchez Tamb. et comm. quod si contractus posterior iuratus impleatur, validus est, quamvis illicitus, quia per iuramentum non invalidatur actus qui alias valide fieri poterat.

(1) N. 61. (2) C. 1. n. 53. (3) Ex c. 28. de iureiur. etc. (4) N. 64. (5) L. 4. t. 3. c. 14. n. 10. (6) V. periurium. (7) C. 2. n. 58. (8) De iur. c. 6. (9) D. 4. q. 1. p. 3. (10) C. 2. n. 95. (11) N. 64. (12) N. 96. (13) N. 95. et 100. in fin. (14) N. 98.

(15) L. 3. dec. c. 18. n. 4. (16) T. 2. d. 4 q. 1. p. 16. n. 5. (17) Tr. 14. d. 2. p. 7. §. 1. n. 5. (18) N. 99. (19) De matrim. lib. 1. d. 50. n. 2. (20) De reg. iur. in 6. (21) L. 3. p. 1. n. 525. (22) C. 1. n. 102. et 103. (23) Ibid.

An autem valeat votum contra aliud votum. Vide *infra de voto n.* 210.

180. « Resp. 2. Iuramentum promissorium eamdem habet conditionem, eodemque modo explicandum est quo promissio, vel propositum, cui est annexum. Ratio est, quia accessorium sequitur principale; ideoque quando non obligat promissio, nec obligat iuramentum appositum. Less.[1] Bon.[2] Trull.[3].

Unde resolves:

» 1. Titius qui cum iuramento promisit nuptias Bertae diviti, sanae, virgini, bonae famae, etc. non tenetur stare iuramento, postquam Berta incidit in paupertatem, infirmitatem, fornicationem, vel infamiam, quia promissio ipsa non obligat eo casu[4].

» 2. Qui urbanitatis causa iuravit se ante alterum non sessurum, bibiturum, vel ingressurum domum, etc. non peccat contra iuramentum, si coactus ab altero prius sedeat, bibat, vel ingrediatur: tum quia promissio illa vel propositum habet tacitam conditionem adiunctam, nisi me coegeris, qua sublata, non obligat, et consequenter, nec iuramentum: tum quia relaxatur ab altero cedente iuri suo. Bonac.[5] Sanchez Less. Trull.

» 3. Qui iuravit se servaturum decreta et regulas vel statuta alicuius congregationis, universitatis, vel capituli, tantum tenetur servare ea quae sunt in vigore, et quatenus sunt in usu, vel servantur a maiore parte capituli; nisi tamen aliud constet de mente iurantis, vel hic voluerit se ad illa independenter a statutis obligare. Ratio patet, quia promissio ipsa non aliter obligat. Trull.[6] Azor. Less. Dian.[7] (Vid. *dicenda n.* 181.) »

In omni autem iuramento promissorio, fictione iuris, tacite subintelliguntur sequentes conditiones: 1. *Si potuero*, quia nemo censetur se obligasse ad rem impossibilem physice vel moraliter, scilicet cum permagna difficultate non praevisa. Ita Spor[8] Laym.[9] Elbel[10]. 2. *Salvo iure superiorum*[11]. 3. *Si is, cui fit promissio, acceptet, vel non remittat:* haec enim est promissionis natura quam sequitur iuramentum. Elbel[12]. 4. *Si res non fuerit notabiliter mutata.* Vid. *n.* 187. *v. Non tenetur.* 5. *Si et altera pars fidem servaverit:* intellige, si promissio fuit mutua[13].

181. Quaeritur, quomodo obliget iuramentum servandi statuta alicuius collegii, congregationis etc. Attende quatuor regulas communiter a dd. in hoc puncto traditas: 1. Quod tale iuramentum intelligitur de statutis editis, non edendis. Salm.[14]. 2. Quod iuramentum intelligitur obligare sub gravi aut levi, vel tantum ad poenam, vel tantum sub consilio, sicut obligat statutum. Elb.[15] Salm.[16] cum Pal. Sanch. Bon. etc. 3. Quod tale iuramentum non obligat ad statuta, quae non obligant ob impossibilitatem vel ob desuetudinem, vel quia sic sunt usu recepta, etiamsi iuramentum praestetur de aliquo statuto particulari. Salm.[17] cum Suarez Bon. Sanch. Prad. etc. 4. Quod neque etiam obligat, si aliquod statutum a maiori parte communitatis non observetur, Salm.[18] cum Sa Sanch. Azor. etc. Hinc inferunt Salm.[19] cum Sanch. Pal. Trull. etc. quod officiales qui iurant servare taxam praescriptam, non peccant aliquid aliud recipiendo, si taxa sive stipendium sit insufficiens.

182. Quaeritur ultra, qualiter obliget iuramentum quod praestant medici apud collegia ex praecepto s. Pii v.[20] non visitandi infirmos ultra tertium diem, nisi certificentur de confessione infirmi per rescriptum confessarii. Dicunt Salmantic.[21] cum Sanchez Prado Trullenc. Leand. etc. tale iuramentum non obligare, si non sit usu receptum, prout non esse receptum in Hispania testantur (sicut nec etiam receptum est Neapoli). Hinc dicunt ibi, tunc medicum tantum teneri, quando praevidet in infirmo probabile periculum

(1) L. 2. c. 42. d. 2. (2) D. 4. q. 1. p. 6. (3) L. 2. c. 1. d. 17. (4) Ex c. 25 de iureiur. (5) Loc. c. (6) Loc (7) Pag. 2. tr. tr. 5. c. 9. n. 4.

(10) N. 70. (11) Ex c. 19. de iureiur. (12) Ibid. (13) C. 75. de r. i. in 6. (14) Tr. 17. c. 2. n. 77. (15) N. 91. (16) N. 78. (17) N. 79. (18) N. 80 (19) N. 85. (20) In motu proprio anni 1566. Supra gregem. (1) C. 2. n. 91.

mortis, et simul probabiliter credit eum esse in mortali, vel necessarium esse ut disponat de rebus suis ad solvenda debita, tollendas lites etc. Ita Salm.[1] et P. Elbel[2]; in dioecesi autem neapolitana per ultimam synodum factus est casus reservatus cum excommunicatione, nam antea erat sine excommunicatione; ibi enim[3] sic dicitur: *Medici, qui visitantes in lecto infirmos post tres dies a visitatione non curaverint ut praedicti infirmi peccata sua idoneo confessario confiteantur, aut alias non deseruerunt, secundum terminos constitut. s. Pii* v. *et Innocentii* xi. Sed, ut dixi, huiusmodi constitutio non est Neapoli usu recepta, ut plures sapientes mihi asseruerunt, quando infirmitas levis est: dum vero periculosa est, viget constitutio et reservatio. Hinc Mazzot.[4] loquens de praedicto casu reservato, ait constitutionem s. Pii a consuetudine temperatam esse, ut intelligatur tantum de morbis periculosis. Excusaretur tamen medicus, si per alium moneret infirmum, vel si certe censeret monitionem non profuturam. Dicitur *certe*, nam in dubio tenetur monere. Ita Elbel[5] Sanch. Bon. Tamb. etc. Idem ait Mazzott.[6] qui addit sufficere testimonium domesticorum, vel ipsius infirmi de confessione recenter peracta, si sint fide digni. Sed in hoc regulariter dico domesticos facile ut suspectos habendos. Vide dicenda fusius de hoc puncto *lib.* 6. *n.* 664. *et in praxi confessar. n.* 57.

183. « 4. Qui iuravit se servaturum secretum, non peccat contra iuramentum illud detegendo, quando non potest illud celare absque gravi suo vel alterius damno, quia ipsa promissio secreti non videtur obligare, nisi hac conditione, *si non noceat*. Sylv. Bon. Sanchez Trull.[7] (Quoad revelandum secretum, *vide dicenda l.* 3. *n.* 971. *v. Hoc*). »

Iuramenta autem de servando secreto, quae praestantur in congregationibus circa electiones, vel alia, obligant graviter vel leviter iuxta nocumentum quod afferre possunt. Ita Elbel[8] cum Henno: quia obligatio iuramenti sequitur obligationem secreti. Idem dicunt Spor.[9] Croix[10] etc. de iuramento servandi secretum circa artem conficiendi aliquam medicinam. Imo, non obstante iuramento teneris ex charitate eam revelare, si aliter quis subiret grave periculum mortis, cum iuramentum non sit vinculum iniquitatis. Ita Croix cum s. Th. Suar. etc.

» 5. Qui iuravit iudici, se dicturum quae novit, non tenetur revelare occulta. Ratio patet. Less. Bon. Trull.[11].

» 6. Qui iuravit, se soluturum debitum intra mensem, non tenetur intra illum vi iuramenti solvere, si a creditore terminus solutionis prorogetur: quia, cum hic cedat iuri suo, cessat obligatio promissionis, et consequenter iuramenti. Az. Bon. Trull.[12]. »

184. Quaeritur 1. utrum qui promittit concubinae cum iuramento aliam non cognoscere, teneatur ad illud. Negant Dian. cum Fag. quia finis talis promissionis fuit pravus, nempe conservandi amicitiam, et quia tale iuramentum praeberet occasionem permanendi in peccato. Sed affirmant probabilius Salm.[13] cum Sanch. et Prad. quia ex regula generali impleri debet iuramentum semper ac impleri potest sine peccato: occasio autem illa venit per accidens.

185. Quaeritur 2. utrum promissio prodiga cum iuramento obliget. Affirmant alii apud Salm.[14]. Sed probabilius negant Salmant.[15] cum Sot. Suar. Trull. etc. Quia talis promissio saltem est leviter mala, et ideo iuramentum, cum non sit vinculum iniquitatis, non obligat ex textu[16]: *Non est obligatorium contra bonos mores praestitum iuramentum.* Salm.[17]. Vide dicenda *de matr. l.* 6. *n.* 851. *v. Cum autem.*

186. Quaeritur 3. utrum qui promisit redire ad carcerem cum iuramento, teneatur ad illud cum probabili timo-

(1) Ibid. n. 92. (2) De iur. n. 91. (3) N. 4.
(4) De sacram. poenit. t. 3. pag. 287. et pag. 550.
(5) Dict. n. 89. cit. (6) Dict. p. 287. (7) Loc. c.
(8) N. 90
(10) L. 3. p. 1. n. 529. (11) Loc. cit.
(12) L. c. n. 18. (13) C. 2.
(14) V. ib. n. 71. (15) D. loc.
(16) Reg. iuris in 6 (17) N. 68.

re mortis vel gravissimi damni iniusti. *Prima sententia* negat, quia esset actio mala sponte morti se offerre. Ita Navarr. [1] et Vasq. Navarr. Pon. Covarr. Tamb. Reg. apud Salm. [2]. *Secunda sententia* multo probabilior affirmat, quia, posita promissione, redire esset opus virtutis. Ita Tol. [3] Suar. [4] Less. [5] et Salmant. [6] (licet primam vocent probabilem) cum Bon. Sanch. Less. Suar. Lay. Toled. etc.

Parentes aut domini iurantes punire filios vel famulos, raro peccant, si iuramentum non impleant, vel quia delinquentes iam sint emendati, aut emendationem promiserint; vel quia iuramentum fuit de re inutili, aut potius de vindicta inordinata. Ita Laym. [7] Anacl. [8] et Elbel [9] cum Gob. aliisque satis communiter. Additque Elbel plerumque talia iuramenta fieri sine intentione iurandi, sed tantum terrendi; vide dicenda *n. seq.* 187. *ad* 4.

DUBIUM VI. Quibus casibus excusetur ab impletione qui in promissorio iuramento obligationem contraxit.

187. « Resp. Tales casus praeter ea quae ex superioribus colliguntur, a Tol. et Cai. recensentur isti: 1. Si quod bonum erat tempore iuramenti, propter circumstantias postea fiat illicitum, vel vanum, vel impeditivum maioris boni, vel melius sit omitti, quam impleri. Sanch. [10] (cum Salm. [11]). 2. Si iuramentum mutes in opus aliquod aperte melius et Deo gratius: id enim quisque per se potest, ut habet Tol. [12]. Excipe tamen semper, si quid in hominis commodum iurasses: nec enim Deus illum vult defraudari. 3. Si notabiliter mutetur status rei, ut si v. gr. iurasses aliquem punire iusta punitione, is autem supplex veniam peteret, et ageret poenitentiam, posses ei sine periurio condonare: quia iuramentum obligabat, servato eodem statu, in quo non poeniteret. Lay. [13] (*V. mox inf. v. Non tenetur*). 4. Si res iurata facta sit inutilis ad intentum, maxime si magis illius destructiva: ut si v. gr. ex correctione impoenitentis filii notaretur is magis destruendus quam emendandus, aut si turbanda familia, secuturae rixae cum uxore, et sic praestet non corrigere. Regin. [14] Bon. [15] (Hinc si poena quam minatur pater, parum conducat ad correctionem, ipse non tenetur implere; saltem non sub gravi. Salm. [16] cum Soto et Sanch. Excusatur autem ab implendo iuramento, qui iurat comminatorie ex ira, vel non serio, ut solent pueri. Salm. [17] cum Bon. et Caiet. *Vide dicta num.* 186. *in fine*). 5. Si ita ferant conditiones illae, quas in quovis promissorio iuramento tacite subintelligi natura, et dd. docent. Tales autem sunt, ut Laym. dicit [18]: 1. si potero; 2. salvo iure superioris; 3. nisi res notabiliter mutetur (Quid si superveniat circumstantia non praevisa? *Vide dicta n.* 180. *v. In omni*): 4. nisi obligatio tollatur. De quo sequens dubium. »

Non tenetur quis implere iuramentum, quando supervenit notabilis mutatio, v. gr. periculum mortis, infamiae, vel alterius gravis damni, quia non censetur in tali casu voluisse se obligare, cum per mutationem tunc res sit diversa a promissa; in dubio autem, an mutatio sit notabilis, tenetur. Pal. [19] Sanch. [20] et Salm. [21] cum Trull. Leand. etc. Vide *de voto n.* 226.

Sed dubium est, num sit de se sufficiens illa mutatio, etiam non notabilis, qua tamen praevisa, ille iuramentum non emisisset. *Prima sententia* affirmat ex s. Thom. [22] qui sic docet: *Id liberare a voti, vel iuramenti obligatione, quod si a principio notum fuisset, ea fieri impediret*. Ratio, quia intentio se obligandi tunc vel deest, vel sic interpretatur. Ita Nav. [23] Sylv. [24] Molina [25] item s. Anton. Henr. etc. ap. Salm. [26].

(1) Man. c. 12. n. 18. (2) C. 2. n. 74. (3) L. 4. c. 22. (4) L. 2. c. 10. n. 14. et 15. (5) L. 2. c. 42. n. 28. (6) N. 75. (7) L. 4. tr. 3. c. 14. n. 9. (8) D. 2. n. 22. (9) N. 87. (10) C. 14. (11) C. 2. n. 65. (12) C. 13. (13) Ibid. (14) L. 18. c. 56. (15) Loc. c. n. 4 (16) N. 63. (17) N. 62. et 63. (18) Ibid. c. 9. (19) Tr. 15. d. 1. p. 20. n. 4. (20) Dec. l. 4. c. 2. n. 34. (21) De iur. c. 3. n. 29. (22) In 4. dist. 48. q. 1. a. 3. ad 1. (23) Man. c. 18. n. 7. (24) V. votum, 2. q. 17. in fine. (25) De iust. disp. 272. n. 3. et 9. (26) D. c. 5. n. 21.

Secunda sententia tenet non sufficere, quia obligatio non est desumenda ex promissione, quae in futurum non fieret; sed ex illa quae iam facta est. Ita Suar.[1] Sanch.[2] Pal.[3] et Salm.[4] cum Sot. Caiet. Val. etc. Merito tamen dicunt non posse negari probabilitatem primae sententiae. Imo ipsimet Salm.[5] censent illam esse notabilem mutationem, quae si a principio cognita fuisset, iurans non promisisset; quod utique cum prima sententia cohaeret. V. *de voto n.* 226.

188. Adde, quod cessat obligatio iuramenti aut voti si cessat causa finalis illius, v. gr. promisisti pauperi eleemosynam, sed ille postea fiat dives: promisisti non ingredi talem domum ob periculum, sed illud cesset: promisisti peregrinationem ob salutem patris, sed ille moriatur, et similia. Ita Sanch.[6] Suar.[7] Bon.[8] Pal.[9] et Salm.[10] cum Prado Trull. Tamb. etc. Secus vero, si cessat causa tantum impulsiva[11].

Dubium VII. Quomodo obligatio iuramenti tollatur per irritationem, dispensationem, commutationem et remissionem.

189. « Resp. De hoc, ex conditionibus iam positis, et potestate superiorum in suos ac suorum vota, a Laym.[12] et aliis communiter haec traduntur.

» 1. Quod spectat ad irritationem, irritare et annullare potest iuramentum omnis superior, maritus, aut dominus, qui, et quomodo irritare potest suorum vota habet Sanch.[13] Suar. Az. Fill.[14]. V. *cap. seq. n.* 227.

» 2. Possunt et iidem irritare iuramenta promissoria facta in gratiam hominis, quotiescumque ipsam promissionem seu contractum infirmare iis concessum est.

» 3. Quoad dispensationem, quicumque habet potestatem ordinariam vel delegatam vel privilegium dispensandi in votis, potest in iisdem dispensare, etiamsi iurata sint. »

190. Quaer. hic, an qui habet facultatem delegatam dispensandi in votis, possit dispensare in iuramentis. *Prima sententia* probabilis negat, quia vinculum voti et iuramenti diversum est; et ideo ex stylo curiae facultas quoad iuramenta specialiter conceditur. Ita Less.[15] et Sanch. Bon. Az. ac Led. ap. Salm.[16]. *Secunda* vero *sententia* non minus probabilis affirmat, quia iuramenta praestita soli Deo, licet sint vincula diversa a votis, in ordine tamen ad dispensationem, ut vota reputantur, argumento *l. Tantum*, *ff. de servo corrupto*, ubi: *Dispositum in uno aequiparatorum censetur dispositum in altero.* Illa autem specialis concessio quoad iuramenta ex stylo curiae fit ad maiorem cautelam. Ita Salm.[17] cum Caiet. Pont. Suar. Pal. Trull. Dian. Prad. Arag. etc. Sed hoc non obstante, prima sententia negativa omnino est tenenda; nam obligatio iuramenti iam contracta, cum sit certa, et possideat, auferri non valet per dispensationem tantum probabiliter validam. Aliter autem dicendum videtur quoad iuramenta facta homini, quando obsint bono communi; immo huiusmodi iuramenta sunt per se nulla; vide dicta *n.* 177.

191. « 4. Quoad commutationem, eadem est ratio quae de dispensatione.

» 5. Quod attinet ad remissionem sive relaxationem, iuramentum factum in favorem hominis non potest relaxari, nisi ab eo cui factum est, aut cui is et promissa materia subiecta est.

» 6. Et is quidem potest remittere, etsi talis favor ei iuratus esset propter Deum: v. gr. si quis per Deum iurasset pauperculae eam ducere, potest ipsa iuramentum illud relaxare, ut habet Navarr. et alii, contra Sot. et Sylv. quia, licet iuramentum principaliter fa-

(1) L. 4. c. 9. n. 8. (2) Dec. l. 4. c. 2. n. 22. (3) Tr. 15. d. 1. p. 20. n. 4. (4) Ibid. n. 22. (5) C. 1. n. 52. (6) L. 4. c. 2. n. 42. (7) L. 4. de voto c. 18. n. 5. (8) D. 4. q. 2. p. 3. §. 2. n. 10. (9) Ib. n. 1. (10) C. 3. n. 16. (11) Ib. (12) Ib. c. 11. (13) C. 69. n. 7. (14) L. 25. c. 9. p. 17. dub. 6. (15) L. 2. c. 42. n. 6. (16) De iuram. c. 3. n. 3. (17) D. n. 4.

ctum sit propter Deum, quia tamen executio est in favorem hominis, ab hominis etiam voluntate dependet.

» 7. An etiam civilis potestas relaxare possit iuramenta suorum subditorum in temporalibus, quando iusta causa subest, v. gr. quia metu, vel per aliam iniuriam extorta sunt, controvertitur. Alii negant, alii aiunt apud Lay. Probabile est quod docet Sanch. [1] cum Suarez, non posse relaxare directe, sicut potestas ecclesiastica quando dispensat, sed tantum indirecte, v. g. ratione materiae, vel supplendo vicem eius cui iuratum est, et qui remittere debeat. Plura ad forum externum spectantia circa iuramentum vide ap. Lay.[2] Bon. [3].»

192. Pro maiori claritate dicendum 1. quod, si promissio in favorem hominis firmata iuramento nondum acceptata sit, non est obligatio illam implendi, et revocari potest; quia iuramentum tunc est accessorium, et sequitur naturam promissionis; secus autem, si promissio principaliter fuit facta Deo. Hoc certum est. Vid. Salm. [4] cum Suar. Less.

Dicendum 2. quod, si talis promissio sit acceptata a tertio, cui facta fuit, tunc sine eius consensu nec etiam a pontifice relaxari potest. Est adhuc commune apud Laym.[5] cum s. Thom. [6] Tamb.[7] Salm. [8] Croix [9]. Et hoc, etiamsi iuramentum principaliter sit factum in honorem Dei, ut dicit Croix [10] cum Sanchez Suarez Less. Lug. Dian. Moya etc. semper ac per acceptationem sit tertio ius acquisitum. Sed de hoc iuramento principaliter in Deum emisso magna vertitur quaestio, circa quam vide dicenda *cap.* 3. *de voto n.* 255.

Limitatur tamen dictio 2. mox lata in tribus casibus. 1. Si iurans sit subditus, et iuramentum sit circa ea, quae superiorum potestati subduntur, ut docet s. Th. [11]. Ideo pontifex irritare potest omnia iuramenta circa beneficia, officia ecclesiastica etc. Parentes etiam possunt irritare iuramenta impuberum, non vero puberum circa res proprias ipsorum; tutores pupillorum; superiores religiosorum; viri uxorum circa bona dotalia; domini servorum. Vide omnia apud Salm.[12] cum Bus. *n.* 189. 2.

Limitatur 2. si iuramentum non posset servari sine damno communi, prout esset iuramentum non denunciandi, non accusandi etc. vel super contractu a lege vetito, v. gr. solvendi poenam, si quis resiliat a sponsalibus; quod prohibetur *cap. Gemma, de Desponsat. impuberum.* (An etiam solvendi perdita ludo prohibito, ut dicunt Salm. Vid. dicenda *de ludo, tract. de cont. d.* 13. *num.* 869. *et seq.*). Talia iuramenta verius relaxatione non indigent, cum de se sint nulla, iuxta dicta *n.* 177. *v. Aliter*. Esto tamen essent valida, ab ecclesia relaxari possunt; Salm.[13] cum Sanch. Pal. et Guttier. Nomine autem ecclesiae veniunt non solum pontifex, sed etiam episcopi, capitula sedibus vacantibus, et alii iurisdictionem episcopalem habentes, ut Salm.[14], et etiam confessarii delegatam facultatem habentes dispensandi in votis, qui possunt etiam talia iuramenta relaxare, ut Bus. *n.* 189. 3. et Salm. [15] cum Rodr. et Ledesm.

Limitatur 3. si iuramentum sit dolo aut metu extortum; tunc enim etiam ab iisdem, ut supra, relaxari potest in poenam extorquentium, ut certum est ap. omnes; etiamsi iuramentum sit extortum ab alio tertio, inscio principali, Salm.[16] cum Suar. Sanch. Pal. Mol. Arag. Imo hoc currit, etsi promissio non est indebita, puta de solvendo debito vero; sed iuramentum iniuste sit extortum; et etiamsi extorqueatur iuramentum per metum levem, saltem pro foro interno, ut Salm.[17] cum Sanc. Suarez et Pal. *ex c. Scilicet, et c. Accepta, de restit. spol.*, ubi solum iuramentum omnino spontaneum relaxari nequit.

193. Certum autem est quod iuramentum in favorem tertii potest libere ab eo remitti, absque relaxatione ec-

(1) L. 3. c. 12. (2) De iur. c. 11. (3) Loc. cit. (4) De iuram. c. 2. n. 56. et fusius de contr. c. 4. n. 70. (5) Ibid. (6) 2. 2. q. 80. a. 9. ad 3. (7) Dec. l. 3. c. 7. §. 3. n. 2. (8) C. 2. n. 68. (9) L. 3. p. 1. n. 358 (10) Ib. (11) L. c. (12) C. 3. ex n. 4. (13) Ib. n. 6. (14) N. 7. et 8. (15) N. 9. (16) N 7. (17) N. 8..

clesiae, ut docent omnes cum d. Th. [1]. Sed quaestio est an iuramentum factum in favorem tertii cesset ex illius remissione, etiamsi promissio principaliter sit facta Deo. Negat s. Th. [2] nisi apposita sit conditio, scilicet, si ita videbitur ei cui promittitur; et idem tenent Salm. [3] generaliter loquendo cum Sot. Sylv. Sanch. Bon. Pal. etc. E converso Busemb. hic *num.* 6. cum Nav. et Croix [4] cum Gob. Tamb. probabiliter tenent cessare obligationem. Ratio quia licet promissio sit facta Deo, fuit tamen semper facta dependenter a voluntate hominis, cui iuratum est, scilicet si ille non remittat executionem. Et hanc quoque sequuntur Salm. [5] cum Sanch. Pal. Trull. Prad. Fag. Leand. etc. contra Scot. Sylv. etc. semper ac, licet iuramentum principaliter sit factum in honorem Dei, promissio tamen tota cedat in favorem partis; puta si quis intuitu pietatis iuret huic ecclesiae calicem dare, huic pauperi eleemosynam, hanc religionem ingredi. An autem iuramentum, vel votum *perseverantiae*, quod emitti solet in aliquibus congregationibus, possit relaxari vel dispensari ab episcopis, sine congregationis consensu. Vide dicenda *n.* 255. *infra.*

APPENDIX DE ADIURATIONE

1. Adiuratio est invocatio Dei, vel rerum sacrarum, aut sanctorum, ad inducendum aliquem ad quoddam agendum vel omittendum. Ita s. Th. [6]. Alia autem est *solemnis*, quae fit a ministris et modis ab ecclesia constitutis; alia *privata*, sine huiusmodi solemnitatibus. Item alia est *deprecativa*, prout fuit illa principis sacerdotum: *Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus etc.* [7]. Alia *imperativa*, quae competit tantum superioribus erga subditos, et exorcistis erga daemones.

2. Ut adiuratio sit licita, tria requiruntur, sicut in iuramento, scilicet 1. *Veritas*, idest, ut adiurans vere intendat assequi quod petit; et vera sit causa, ob quam petit; carentia autem huius veritatis raro erit plusquam venialis, nempe si fictus pauper per Deum petat eleemosynam, ut dicunt Sanch. [8] Sporer [9] Elbel [10]. 2. *Iustitia*, ex cuius carentia certe graviter peccaret rem petens graviter malam, ex communi dd. Quid si rem petat leviter malam? Tenent esse veniale Salm. [11] Sporer [12] cum Suar. Bonac. Sanch. et Tab. Sed melius Elb. [13] dicit esse mortale, quia satis gravis videtur irreverentia inducere alterum ad rem malam ope divinae auctoritatis. Vide dicta *num.* 146. *v.* 5. *Venialiter*. 3. *Iudicium*, idest debita discretio, cuius carentia certe non est nisi venialis.

3. Tantum creaturae intellectuales possunt directe adiurari, ut homines et daemones. Indirecte autem etiam irrationales, ut sal, nubes, locustae etc. adiurando vel Deum, ut earum usus nos adiuvet; vel daemones, ut per eas desistant nocere, prout docet s. Th. [14] cum aliis communiter.

4. Privatim omnibus quidem licitum est adiurare; solemniter autem tantum ecclesiae ministris ad id constitutis et cum episcopi expressa licentia. Ita communiter Salmantic. [15] cum aliis ex Luc. [16]: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici:* et ex Marc. [17]: *In nomine meo daemonia eiicient.*

5. Praesertim autem circa *adiurationem daemonum* duo praecipue hic sunt notanda. 1. Ut cum eis adiuratio sit imperativa, non vero deprecativa. 2. Ut fiat tantum ad amovenda damna, et vexationem obsessi, non autem ad vanitatem et curiositatem; hinc dicunt dd. communiter cum Salmanticens. [18] non posse excusari a peccato gravi, qui multos sermones inutiles haberet cum daemone obsidente.

Sed quaeritur 1. an sit mortale quaerere a daemone unam vel alteram rem

(1) 2. 2. q. 89. a. 9. ad 2. (2) Ibid. (3) C. 3. n. 10. (4) L. 3. p. 1. n. 358. (5) N. 14. (6) 2. 2. q. 90. a. 1. (7) Matth. 26. 63. (8) Dec. l. 2. c. 42. n. 3. (9) De 2. praec. c. 1. n. 163.

(10) Conf. 6. n. 153. (11) De 2. praec. c. un. n. 4. (12) N. 165. (13) N. 97. (14) 2. 2. q. 90. a. 3. (15) N. 5. (16) 10. 19. (17) 16. 17. (18) De 2. praec c. un. n. 55.

curiosam. Affirmat Palaus, quia tunc exorcista potius videtur deprecative quaerere, quam imperative. Sed probabilius est tantum veniale, si revera adiuratio fiat imprecativo modo. Ita Sanchez [1]. Item Caiet. Suar. Nav. Sot. communiter cum Salmantic. [2].

Quaeritur 2. de quibus liceat exorcistis daemonem interrogare. Licet quidem interrogare omnia quae ad eius expulsionem conducant. Salm. [3] cum s. Thom. et communi. Hinc possunt quaerere numerum et nomina eorum qui in obsesso habitant, et a quanto tempore, ut habetur in rituali romano. Item causam sui ingressus. Item signum sui egressus, ut communissime contra Sotum permittunt Sanch. [4] Salmanticens. cum Pal. Delrio Trullench. etc. An autem liceat quaerere imperative a daemone manifestationem alicuius veritatis. Negat Elbel [5] quia (ut ait) non videntur ministri aliam habere potestatem, nisi interrogandi tantum ea quae ad eum expellendum conferunt. Sed probabilius et communissime affirmatur licere, si id conducat ad divinam gloriam. Ita Sanch. [6] ac Caiet. Sot. Con. Tab. etc. cum Salmanticens. [7]. Atque expresse docet d. Th. [8] qui ait: *Aliud autem est inquirere aliquid a daemone sponte occurrente, quod quandoque licet propter utilitatem aliorum, maxime quando divina virtute potest compelli ad vera dicenda: et aliud est daemonem invocare ad cognitionem occultorum acquirendam ab ipso;* quod certe malum est.

Quid si daemon assignaret pro causa sui ingressus, obsessum invalide fuisse baptizatum, an hic rebaptizandus esset sub conditione. Ex una parte videtur negandum, quia nulla daemoni praestanda est fides. Ex alia videtur affirmandum, quia daemon ex vi exorcismi tenetur patefacere veritatem. In hac difficultate rationabiliter opinantur Salm. [9] hunc non esse rebaptizandum, nisi aliunde adsint validae coniecturae non accepti baptismi, nempe si baptizans fuerit maleficus vel haereticus, vel muliercula parum instructa, vel acer inimicus parentum baptizandi, qui dixerit velle ulcisci et similia.

Exorcista autem, ut obsessus vere liberetur, sedulo curet sequentia observare: 1. Prius bene exploret an ille revera obsideatur a daemone. 2. Muniat se fide, fiducia et charitate; insuper et oratione et ieiunio, et maxime humilitate, alias parum proficiet. Dicunt tamen Salmant. [10] exorcismum suam vim habere, etiamsi fiat ab eo qui est in peccato. 3. Inducat obsessum ad confessionem, confidentiam et orationem. 4. Utatur exorcismis in ecclesia romana, vel saltem in sua dioecesi approbatis. Utatur etiam invocatione nominum Iesu, Mariae, et item signo crucis, ac reliquiis sanctorum; aut aqua benedicta, Agnus Dei, etc. 5. Caveat ne cum daemone iocetur, sed potius pauca proferat, et non permittat ei plura loqui, sed imperet tacere. 6. Caveat etiam, ut advertit *rituale*, ne ob dictum daemonis confugiat ad magos, ut maleficium dissolvant. Iubeat tamen daemonem dicere, an ibi sit ob maleficium; et ut signa malefica reddat vel revelet. 7. Regulariter exorcismum faciat in ecclesia, ianuis apertis, nisi honesta adsit causa (ut dicitur in *rit.*), ut fiat domi. 8. Excludat mulieres, pueros et viros otiosos, quorum modica fides expulsioni obstare potest. 9. Repetat pluries comminationem et verba quibus observat daemonem magis angi, semper augendo poenam. Demum advertat nulla adesse signa infallibilia egressus; probabilia tamen signa sunt, si per longum tempus obsessus sit a molestiis immunis; item daemonum confessio, ingens vomitus rerum putridarum, vel halitus valde foetidus; item magni clamores, qui ibi audiantur; item si obsessus remaneat in terram deiectus et quasi mortuus, ac similia. Probabilius autem non licet concedere daemoni, quod invadat a-

(1) Dec. l. 2. c. 42. n. 25. (2) N. 55. et 56. (3) N. 51 (4) N. 28. (5) Conf. 6. n. 156.

(6) N. 24. (7) N. 59. (8) 2. 2. q. 95. a. 4. ad 1. (9) N. 62. (10) N. 7.

liud corpus hominis vel bestiae, ut exeat ab energumeno, sicut ille promittit, ut censet Elb.[1] cum Bon. Tamb. et aliis contra Pal. etc.

Communiter autem dicunt dd. exorcismos habere vim infallibilem expellendi daemones tanquam ex opere operato. Ita Sporer[2] Sanch.[3] Pal.[4] Elbel[5] et Salmanticenses[6] cum Caietan. Sot. Trullench. etc. Nec obstat quod plures exorcismi effectum non habeant; nam, ut dicunt Salmanticens., semper illi aliquem effectum sortiuntur, si non complete, saltem imperfecte, vires daemonum attenuando. Vide alia apud Delrio fuse de hac materia tractantem.

Cap. III. De voto

Dubium I. Quid sit votum et quotuplex.

194. *Quid est votum.*
195. *Quotuplex est votum.*

194. « Resp. 1. Est promissio facta Deo deliberate de bono possibili et meliori; s. Th.[7]. Vid. Sanch. et Laym.[8]. Unde patet, quod votum sit actus latriae soli Deo debitus. Quare, dum vovemus quaedam sanctis, sensus est voveri ea Deo in honorem simul sanctorum, (Ut ex communi acceptione ecclesiae, Salmantic.[9]) sicut templa et altaria aedificamus Deo in eorumdem honorem. Porro ex singulis particulis datae definitionis multi casus resolvuntur, quos ut vitetur confusio, et consulatur memoriae, separatis dubiis proponam.

195. » Resp. 2. Dividitur votum, 1. in *absolutum* et *conditionatum*. Illud est quod fit sine ulla conditione, ut voveo eleemosynam. Hoc autem, quod fit cum conditione, ita ut nisi hac posita, non exurgat obligatio; ut voveo eleemosynam, si sanitati restituar, vel (quod dicitur poenale) voveo facere disciplinam, si hoc fecero. 2. In *solemne* et *simplex*. Illud est quod ut tale acceptatur ab ecclesia; et sunt haec duo: votum castitatis, quod maioribus ordinibus annexum est, et votum professionis religiosae. Simplex autem votum est omne aliud quod talem solemnitatem non habet. Ubi sciendum quod votum solemne reddit personam iure inhabilem ad contractus vel actus contra votum ut ad matrimonium, vel dominium bonorum habendum. Vide infra *l. 4. c. 1. in tract. de statu relig.* Simplex autem tale votum, v. gr. castitatis (excipio quod in societate *Iesu* emittitur post novitiatum), aut ingrediendae religionis, etsi reddat contractum, v. gr. matrimonii, illicitum, non tamen invalidum. Vide infra *lib. 6. de matrimonio*. 3. In *reale* et *personale*. Illud est, cum pecunia vel alia res externa pretio aestimabilis promittitur, ut calix, eleemosyna: hoc autem, cum aliqua hominis actio, vel cessatio ab actione, ut votum ieiunii, peregrinationis, abstinentiae a lusu. His aliqui adiungunt mixtum ex utroque, ut si voveas peregrinationem cum oblatione alicuius rei. Vide Less.[10].

Dubium II. Quae requiratur voti deliberatio et intentio.

196. *Deliberatio requisita ad votum.*
197. *De voto emisso ex metu.*
198. *De voto emisso ex errore.*
199. *An obliget simplex propositum.*
200. *An ad votum sufficiat promissio implicita.*
201. *Quale propositum voluntatis requiratur ad votum. Hinc plura quaeruntur, et 1. an teneatur ad votum, qui positive noluit promittere, et se obligare. 2. Qui non habuit animum implendi. 3. Qui negative noluit se obligare sciens obligationem voti. Quaest. 1. Quid si nesciens. Quaest. 2. Quid si quis voluit promittere, et positive noluit se obligare. Quaest. 3. Quid si quis dubitat, an se voluerit obligare. Vel an noverit obligationem voti. Quid si dubitet, an fecerit propositum aut votum.*

196. « Resp. cum voti obligatio sit gravissima, requiritur intentio, deliberatio et libertas perfecta, qua quis libere et directe in se voluerit promittere, cum animo se obligandi. Ita doctores communiter, Less. Bon.[11].

Unde resolves:

» 1. Aetas et usus rationis ad vovendum is sufficit, qui satis est ad peccatum mortale perfecto actu humano, et directo in se volitum. Excipe tamen votum solemne religionis, quod invalidum est ante certam aetatem.

(1) N. 167. (2) De 2. praec. n. 167. (3) Dict. 7. 42. n. 16. (4) V tr. 14. d. 4. et p. 4. n. 19. (5) N. 160. (6) N. 17. et 22 (7) 2. 2. q. 88. (8) L. 4. t. 4. c. 1. (9) De voto, c. 1. n. 29 (10) L. 2. c [illegible] (11) D. 4. q. 2. p. 1.

». 2. Non obligat votum factum cum semiplena animadversione vel deliberatione: v. gr. ex repentino animi motu, vel consuetudine, lingua mentem praeveniente, vel ex calore iracundiae rationis usum auferente. Azor. Sanchez Trull. [1], qui notat non esse sufficiens indicium, quod defuerit praefata ratio vel deliberatio, si voventem facto voto mox poeniteat; item motum irae raro et vix unquam impedire usum rationis. (Hinc videndum an adsint aliae circumstantiae adiunctae. Vide Salm. [2]. Peccat autem saltem venialiter, qui levi consideratione emittit vota magni ponderis, Salm. [3] licet inde ad ea sit obligatus [4].).

» 3. Quod si is qui scit se vovisse, dubitat an cum sufficienti deliberatione et usu rationis, ob defectum aetatis; si quidem vovit ante septennium, votum non obligat, nisi constet de sufficienti rationis usu; quia eum ius in tali non praesumit, et possessio stat pro libertate. Si vero post septennium vovit, obligat; quia possessio est pro voto, cum praesumatur usus rationis, nisi constet oppositum. Si denique dubitet, utrum ante an post septennium voverit, teneri voto vult Sanch. et Pal., negat Diana etc. (Sed probabilius Sanchez). »

In quocumque autem dubio, an defuerit plena deliberatio, valet votum. Salm. [5] cum Suar. Sanch. Pal. etc. Item in dubio an vovens emiserit votum metu coactus, vel an metus fuerit gravis. Salm. [6] cum Bon. et Trull. Secus in dubio an materia fuerit honesta vel possibilis; quia tunc votum nondum possidet [7]; cum Pal. Sanch. et Suar.

« 4. Vota facta in ebrietate, etiam ante praevisa, et sic volita in causa, non sunt valida, cum non sint volita in sepsis et directe, bonum autem non consurgat nisi ex integra causa, quamvis ad peccatum satis sit voluntarium indirecte et in causa. Laym. [8].

197. » 5. Vota facta in metu non incusso ad hoc ipsum ut votum extorqueretur, valida sunt, quia sunt simpliciter voluntaria et deliberata. (Sicut etiam valida sunt vota facta ex metu intrinseco aut iuste incusso. Salm. [9]). Facta autem in metu iniuste incusso ad ipsum votum extorquendum invalida sunt ex communi, non quia non sint voluntaria, sed quia vel ius ea irritat, vel Deus non acceptat, ne det vim iniustae coactioni; idque, sive metus sit gravis sive levis; dummodo quis formaliter ex solo tali metu voveat. Suar. [10] Fill. [11]. »

Sed quaestio haec est an votum emissum ex metu gravi iniuste incusso sit invalidum, saltem ex iure ecclesiastico. *Prima sententia* negat cum Suar. [12] Sylv. [13] Pont. [14] Pal. [15] et probabiliter Pal. Bas. Sylv. et merito probabilem vocat Bon. et Trull. apud Salm. [16] Excepto tamen voto solemni emisso in professione religiosa, quod certe est nullum [17].

Secunda probabiliter affirmat, ut Busemb. et Sanchez [18] Lessius [19] Azor. [20] Navarr. [21] ac Salmantic. [22] cum Trull. Bon. Val. Sot. etc. *ex cap. Ad audientiam, de iis quae vi*, ubi dicitur: *Debere carere robore firmitatis, quae metu fiunt.* Ex *cap. Cum locum, de spons.* ubi: *Cum locum non habeat consensus ubi metus, vel coactio intercedit.* Excipitur tamen, si metus iuste illatus fuerit [23]. Vide Salm. [24]. Utrum autem votum ex metu levi iniusto emissum sit invalidum. Affirmat hic Busemb. cum Suar. et Fill.; item Nav. et alii plures ap. Sanch. [25]. Ratio (ut dicunt), quia ideo metus irritat votum, eo quod plenam consensus libertatem auferat: ergo metus quoque levis irritabit, quando eamdem libertatem aufert, et causa est ut votum fiat. Et hanc opinionem pro-

(1) L. 2. c. 2. d. 1. (2) C. 1. n. 11. (3) N. 13. (4) N. 14. tr. 17. (5) C. 1. n. 147. (6) Ib. (7) Ib. (8) L. 4. t. 4. c. 1. n. 4. (9) C. 1. n. 161. ex c. 1. et 2. de adult. (10) De voto, l. 1. c. 8. (11) T. 26. c. 1. (12) T. 3. de relig. l. 6. c. 14. n. 6. et t. 2. de voto, l. 8. n. 5. (13) V. Metus 8. fin. et v. Votum 2. q. 12. (14) L. 7. c. 19. (15) Tr. 15. d. 1. p. 5. n. 13. (16) C. 1. n. 63. (17) Ex c. perlatum. De iis quae vi etc. (18) L. 4. c. 3. n. 11. (19) L. 2. c. 40. n. 18. (20) P. 1. l. 11. c. 56. q. 6. (21) C. 12. n. 52. (22) Ibid. n. 164. (23) Ex c. 1. et 2. de adult. (24) N. 161. (25) Dec. l. 4. c. 3. n. 2[illegible].

babilem vocat Sanch. Sed probabilior est sententia opposita, quam tenet Sanch. [1] cum Sot. Val. Sa Azor. etc. ac Salm. [2] qui vocant communem et probant ex *c. Perlatum, de iis quae vi etc.* Ratio, quia non censetur causa rei tam gravis prout est votum, levis metus qui de facili reiici potest, ut pariter dicemus *de contract. n.* 718.

198. « 6. Quoad vota emissa ex errore, si error fuerit circa substantiam materiae promissae, vel circa conditionem substantialem, vel circa finem, sive rationem formalem, ac motivum vovendi, votum nullum est (Cum Salmant.[3]) ut v. gr. 1. Circa *substantiam*, si quis voveret certum aliquem suum calicem, quem putat argenteum, cum sit aureus: vel se ingressurum certum monasterium, putans esse ordinis s. Benedicti, cum sit cartusianorum. 2. Circa *conditionem substantialem*: si quis v. gr. voveret se ingressurum monasterium, ubi putaret religiosam disciplinam, et essentialia religionis servari accurate, et tamen non ita esset: vel si voveret peregrinationem ad limina apostolorum, putans tantum distare centum miliaribus, cum tamen distarent trecentis. Circa *causam finalem:* si quis v. gr. voverit aliquid in gratiarum actionem pro sanitate parenti reddita, et is re ipsa non fuisset aegrotus, vel esset mortuus (Cum Salm. [4]). Et ratio nullitatis talium votorum est, quia hic deficit liber consensus, qui non fertur in incognitum, et nihil tam est contrarium consensui, quam error. Fill. [5]. »

Certum est quod error circa substantiam invalidat votum; etiamsi fuerit concomitans, idest non dans causam voto, puta, si adhuc, errore cognito, tu vovisses. Ita Sanch. [6]. Et etiamsi talis error fuerit quantumcumque crassus. Sanch. [7]. Et certum est etiam, quod invalidat votum error circa circumstantias substantiales, idest quae pertinent ad substantiam rei promissae, iuxta exempla a Busemb. hic posita. Secus vero si error, licet dederit causam voto, sit circa conditiones quae substantiam rei non afficiunt, puta, si quis voveat dare eleemosynam pauperi putato probo, amico, tenetur dare, etsi postea cognoscit improbum, inimicum, quamvis, his cognitis, antea non vovisset. Ita Salm. [8]. Aliter, ut dicunt, quot contractus, quot matrimonia, quot professiones, quot ordinationes infringi oporteret, si pateret aditus ad eas annullandas propter circumstantias accidentales praeter substantiam non praevisas. Citant Salmant. pro se Sot., Less. cum Sanch. At non bene, quia Sanch. [9] adhaeret Busembao, qui *supra n.* 175. dicit probabiliter cum Suarez quod invalidat iuramentum (et idem est de voto) error etiam circa circumstantias accidentales, si hae sint magni momenti, et si, ipsis cognitis, iuramentum emissum non fuisset. Et hoc quoad contractus iam probabile putant Salm. [10]. Ideoque quoad vota etiam probabile videtur. Vide dicenda *n.* 226.

« 7. Vota quae emittuntur post novitiatum, in quocumque approbato ordine, instar matrimonii carnalis, non sunt irrita ob ullum errorem, nisi solum substantialem circa substantiam.

» 8. Si error circa conditionem substantialem sit de re parvi momenti non redditur votum irritum: ut si iter peregrinationis quam quis vovit sit paulo longius quam putabatur, quia parum reputatur pro nihilo. Item si error sit tantum circa causam impulsivam, valet votum (Salm. [11]): quia illa est tantum causa secunda, qua seposita, actus est sufficienter voluntarius secundum substantiam. Neque talis error in ceteris contractibus actum vitiat: v. gr. vovit aliquis peregrinationem Romam studio colendi Deum, et simul etiam habuit causam secundariam impulsivam, ut inviseret fratrem quem putavit esse Romae, quem etsi intelligat deinde istic non esse, non id-

(1) N. 24. (2) C. 1. n. 161. (3) C. 1. n. 155. (4) C. 1. n. 158. et c. 3. n. 15. et 16. (5) T. 25. c. 1. (6) De matr. l. 7. d. 18. n. 6. et dec. l. 3. c. 11. n. 45.

(7) Ibid. de matr. n. 7. (8) De voto c. 1. n. 156. (9) Loc. c. dec. l. 4. c. 2. n. 11. (10) De contr. c. 1. n. 21. (11) C. 1. n. 158.

eo desinit obligari voto. Et ex his patet, quomodo intelligendum sit quod dici solet, vota non obligare ultra intentionem voventis. Sanch. [1] Less. [2].

199. » 9. Ad votum non sufficit nudum propositum, licet firmissimum, quia qui tantum proposuit, non tenetur sub peccato praestare: qui autem promisit, obligatur sub peccato, et nisi praestet agit contra fidem Deo datam. Bonac. [3] Laym. [4]. »

An negligens propositum bonum peccet venialiter saltem. Affirmant Lessius Pal. etc. apud Salmanticens. [5] ob inconstantiam sine causa tunc intervenientem. Negant tamen Bus. Sanch. [6] cum Sot. Arag. Azor. et Salm. [7] cum Dic. Val. Suar. Tol. etc. quia (dicunt) defectus constantiae de se non est culpa, nisi praeceptum adsit. Utraque est probabilis.

200. « 10. Ad votum aliquando sufficit promissio implicita, ut patet in susceptione ordinum sacrorum, ubi licet non dicatur, voveo vel promitto castitatem, votum tamen hoc fit implicite, hoc ipso quod sciens ecclesiam annexuisse iis ordinibus istud votum, eos suscipis. An vero, si quis plane id ignoraret, adhuc censeretur vovere ex implicita intentione, dubium est. Aliqui aiunt, aliqui probabilius negant, dicuntque talem teneri ad castitatem; non ex voto, sed ex ecclesiae praecepto. Sanch. [8] Bon. [9] et comm. (Sed censet Laym. probabilius teneri ex praecepto ecclesiae ad votum emittendum. *Sed v. de hoc dicenda de sac. ord. l.* 6. *n.* 806.).

201. » 11. Si quis haberet intentionem promittendi quidem, sed tamen se non obligandi, nullum esset votum, secundum Nav. Sylv. Sanch. [10] Less. [11] Bon. et alios contra Caiet., quia talis non vult vovere, cum apponat conditionem contra substantiam actus. Unde Lugo [12] et alii contendunt talem non posse dici promittere. Verum videtur esse quaestio de nomine. Si vero haberet animum vovendi et se obligandi, non tamen implendi; tunc etiam graviter peccaret, et votum esset validum. Sanch. Fill. Bon. [13] Laym. etc.»

Plura hic distinguere oportet: et 1. Si quis vovet cum animo positivo non promittendi, nec se obligandi, certe votum est nullum, ut Salm. [14] cum s. Thom. et communi. 2. Si vovens habet animum promittendi et se obligandi, sed cum intentione non implendi, dicendum est teneri ad votum, ex communi sententia, quam docent Less. [15] Sanch. [16] et Salm. [17] cum Suar. Caiet. Azor. Bon. etc. contra Valent. Ratio, quia obligatio voti non pendet ab intentione implendi, sed a voluntate se obligandi, quae iam adest. 3. Si vovens habet animum promittendi et implendi, sine tamen animo positivo se obligandi; tunc, si iste satis sciat obligationem voti, sed ad eam non advertat, cum votum emittit, et negative se habeat, non volendo nec excludendo illius obligationem, tenetur quidem ad votum, quia qui vult actum antecedentem, vult (saltem implicite) eius obligationem consequentem. Ita communiter Sanch. [18] Pal. [19] Tamb. [20] Salm. [21] et alii passim.

Sed quaer. 1. An teneatur ad votum qui nescit voti obligationem, et negative se habet, non explicite neque implicite intendens illam suscipere. Affirmant Pal. [22] et Suar. [23], quia hic censendus est voluisse promittere, iuxta modum et intentionem, quam habent alii rite voventes. Sed verius negat Sanch. [24] cum Led. Arag. et Men., item Croix [25] Tamb. [26] et Salm. [27], qui asserunt hanc esse fere omnium doctrinam. Ratio, quia nemo obligationem contrahit, nisi velit illam sibi imponere; hic autem nullo modo eam vult suscipere, nec formaliter in se, nec virtualiter in promissione, cum erret in substantia,

(1) L. 4. c. 2. (2) C. 4. d. 2. (3) P. 1. (4) Loc. c. (5) De vot. c. 1. n. 17. (6) Dec. l. 3. c. 1. n. 21. (7) N. 18. (8) De matr. l. c. d. 87. n. 23. (9) C. 2. p. 1. (10) N. 27. (11) L. 2. c. 40. dub. 1. n. 6. (12) D. 24. de inst. sect. 1. (13) P. 1. n. 14 (14) Tract. 17. c. 1. n. 19

(15) L. 2. c. 40. n. 7. (16) Dec. l. 4. c. 1. n. 23. (17) N. 21. (18) De matrim. l. 1. d. 9. n. 11. (19) Tract. 15. d. 1. punct. 3. n. 2. (20) L. 3. c. 12. §. 1. n. 6. (21) Loc. c. n. 23. (22) Ibid. (23) De vot. c. 3. n. 9. (24) De matr. l. 2. d. 9. n. 2 (25) L. 3 p. 1. n. 565. (26) Ib. n. 7. et 8. (27) N. 23

iudicando talem obligationem non esse voto annexam. Secus tamen dicendum, ut bene advertunt Sanch. et Tamb. [1] si quis voluerit vovere modo ordinario quo alii vovent, quia tunc implicite voluit obligationem contrahere.

Quaer. 2. An teneatur ad votum, qui velit promittere, et sciat obligationem voti, sed nolit ad votum se obligare. *Prima* sententia, quam tenent Sot.[2] ac Prado Arag. Gutt. etc. apud Salm.[3] dicit obligari, quia, posita voluntate verum emittendi votum, nequit ab eo separari obligatio quae oritur ex voto. *Secunda* vero sententia communior et probabilior negat, et hanc tenent Sanchez [4] Less. [5] Pal. [6] et Salmant. [7] cum Suar. Azor. Bonac. Val. Trull. Ratio, tum quia qui vult apponere conditionem contrariam substantiae contractus, invalidum contractum reddit; tum quia lex (prout votum est lex particularis) non obligat, nisi iuxta legislatoris voluntatem. Hinc inferunt Salm. quod is qui promittit sponsalia, vel sacros ordines accipit, aut religiosam professionem emittit, animo non se obligandi, non tenetur ad sponsalia neque ad votum. Sed vide de hoc dicenda *de ord. l. 6. n.* 809. *dub.* 2. Quale autem peccatum sit sic vovere sine animo se obligandi. Dicunt Sanch. [8] Pal.[9] et Salm. cum Suar. Bonac. Trull. Regin. et Fill. ordinarie non esse nisi veniale, propter quamdam inordinationem. Dicitur *ordinarie*, quia in professione religiosa et susceptione sacrorum ordinum procul dubio esset mortale, quia esset deceptio in re gravissima. Vide dicta *de iuram. n.* 172. *v.* 2. *Si autem*.

Quaer. 3. An teneatur ad votum, qui dubitat an vovendo voluerit se obligare. Tamb. putat probabile non obligari; sed dicendum oppositum cum Croix [10] Gob. Dian. et aliis [11] communiter; quia donec constet de invaliditate actus, praesumptio est pro illius valore, ut Menoc. etc.[12] communiter docent. Idem dicendum, ut recte ait Croix [13] contra Gobat., si quis dubitet, an noverit vel animadverterit obligationem voti, quia ex communiter contingentibus quisque censetur scire et advertere, quod omne votum obligationem parit illud implendi. Quid si quis dubitet an fecerit votum vel propositum, sed meminit credidisse graviter peccaturum, si promissionem non implevisset? Censet Croix [14] hunc non obligari, quia saltem votum est dubium, cum plures rudes adhuc nudum propositum facientes censeant erronee ad illud sub peccato teneri. Sed huic non consentio, et puto hunc censendum vere vovisse, et voti contraxisse obligationem; cum enim iam apprehenderit peccare non implendo promissum, recte arguitur illam revera agnovisse et sibi imposuisse.

Dubium III. Quae requiratur materia voti.

202. *An teneat votum de re impossibili.*
203. *An votum vitandi omnia venialia. Quid si quis voveat vitare omnia mortalia, et venialia collective.*
204. *An valeat votum de re vana.*
205. *An sit mortale vovere veniale.*
206. *An valeat votum factum ex malo fine.*
207. *An votum impeditivum maioris boni.*
208. *An valeat votum non petendi dispensationem.*
209. *An votum nubendi.*
210. *An votum non vovendi.*

202. « Resp. Ea debet esse possibilis (cum impossibile nec efficaciter intendi possit, nec ad illud sit obligatio), et non solum bona, sed etiam melior, quam oppositum, sive eius omissio: quippe finis intrinsecus voti est honorare per hoc Deum: id autem non potest fieri, nisi offeratur illi aliquid gratum: gratum autem esse non potest, ut quis obligetur ad relinquendum id quod est melius. Sanch.[15] Laym. Nav. etc. »

Quid, si quis voveat de re possibili simul et impossibili? Respondetur teneri ad partem possibilem, si est divisibilis; puta si coniux voveat castitatem, tenetur ad non petendum. Ita etiam valet votum, si principale illius est possibile licet accessorium sit impossibile. Secus, si e converso. V. Sal-

(1) Loc. c. (2) De iust. l. 7. q. 1. a. 2. (3) C. 1. n. 24. (4) Dec. l. 4. c. 1. n. 27. (5) L. 2. c. 40. (6) Tr. 15. d. 1. p. 3. n. 2. (7) N. 28. (8) N. 58. (9) Ibid. n. 6. (10) L. 3. p. 1. n. 584. (11) Ib. (12) Ib. (13) Ib. n. 586. (14) Ib. n. 586. (15) L. 9 c. 7

mant. [1]. Quid, si votum sit disiunctivum? V. *n. seq.* (*vers. Pariter*).

Unde resolves:

203. « 1. Invalidum est votum nunquam peccandi venialiter, cum id moraliter et ordinarie sit impossibile. Aliqui tamen volunt, sic voventem teneri isto voto ad vitanda mortalia et venialia graviora: de quo scholastici, Navarr. [2] Suar. [3] Sanch. [4]. »

Salmantic. [5] cum Sanch. Pal. Trull. Prad. asserunt votum de vitandis omnibus venialibus, etiamsi esset de plene deliberatis, omnino invalidum esse, prout de re moraliter impossibili [6]. Quoad votum autem s. Theresiae, agendi quidquid perfectius intelligeret, respondent illud ex speciali instinctu Spiritus sancti emissum fuisse. Vide Salm. [7]. Sed verius dicit Croix [8] cum Suar. bene valere votum de vitandis venialibus deliberatis, cum hoc revera non sit impossibile, et personae perfectionis amantes illa satis evitant. Votum autem abstinendi a venialibus in aliqua materia determinata, communiter validum est, maxime in personis magnae virtutis; in aliis vero modicae virtutis erit materia impossibilis; imo in aliquibus materiis, puta cogitationum inhonestarum, otiosarum etc. cum sint inevitabiles quoad omnes, votum est nullum. Ita Salm. [9] cum Cai. Sanchez Suar. etc.

Pariter nullum est votum de vitandis mortalibus et venialibus collective. Et etiam votum vitandi mortalia aut venialia divisive; quia nullum est illud votum disiunctivum, cuius pars est apta, et pars inepta, et vovens de neutra voluit determinate se obligare, puta, si voveas aut orare aut ludere, votum totum est nullum. Salm. [10] cum Sanch. Trull. Vill. et Leand. Ita etiam Pal.[11] et Croix [12]. Qui tamen recte advertunt quod si ad tale votum quis se obligavit, in quantum potest, tenetur quidem ad fugam saltem mortalium. Ac teneri etiam censeo ad vitanda venialia deliberata, iuxta quod dixi mox supra.

204. « 2. Invalidum est votum de re vana vel inutili vel indifferente, nisi ex circumstantiis aut fine fiat bona (Modo circumstantia non ex sola relatione voventis, sed ex se ad bonum finem conducat. Salm. [13]): quia Deo displicet stulta promissio, et hinc eam non acceptat: ac peccat venialiter talia vovens, ut v. g. si quis decidens ex equo, voveat non amplius equum ascendere. Nav. [14] Sanch. [15] Cum Salm. [16]).

205. » 3. Invalidum est vovere mala et qui vovet mortale peccat mortaliter; qui autem veniale, eum venialiter tantum peccare dicunt Sa Sylv. etc. [17]: licet mortaliter peccare velit Cai. [18] et Less. [19] quod videtur probabilius. »

Probabilius etiam mihi est vovere malum, etiam veniale, de se esse culpam gravem; cum de se blasphemia sit velle, ut malum cedat in honorem Dei, sed communiter ob ignorantiam hoc non est nisi veniale, ut bene notant Salm. [20]. Idem diximus de iuramento *n.* 146. *v.* 5. *Venialiter.*

206. « 4. Invalidum est votum, cui adiungitur finis vel alia circumstantia mala, tenens se ex parte rei votae: ut v. g. vovet quis eleemosynam ad obtinendam vanam gloriam, aut impetrandam per eam victoriam iniustam, felicem successum furti, adulterii, etc. aut in gratiarum actionem pro successu talis peccati; quia datio eleemosynae ad talem finem est actio blasphema, quasi Deus peccata promoveat, ideoque non potest esse materia voti. Caiet. Nav. [21] Sanch. [22] Laym. [23] Fill. [24].

» 5. Validum autem est, etsi ei adiungatur finis vel alia circumstantia mala tenens se tantum ex parte voventis: ut v. gr. si quis ex vana gloria, aut ex ira erga importunum mendicum, voveat ei dare eleemosynam: quia tunc res ista bona est, quam vovet,

(1) Tr. 17. c. 1. ex n. 75. (2) C. 12. n. 65. (3) L. 2. c. 3. (4) De matrim. lib. 9. d. 35. (5) C. 1. n. 80. (6) Ex can. 25. sess. 6. Trid. (7) N. 84. (8) L. 3. p. 1. n. 401. (9) N. 81. (10) N. 83. et 141. (11) Tr. 15. d. 1 p. 8. §. 1. n. 5. (12) Loc. cit. n. 402. (13) C. 1. n. 57. (14) C. 22. (15) Mor. c. 7. (16) N. 55. (17) V. iuramentum. (18) V. votum. (19) L. 2. c. 4. d. 5. (20) C. 1. n. 71. in fine. (21) C. 12. (22) C. 6. (23) L. 4. tr. 4. c. 2. n. 7. (24) T. 26. c. 5

licet ipse voveat male et cum peccato[1].»

Nota igitur hic differentiam inter finem pravum ex parte *rei votae*, et ex parte *voventis*: nam finis ex parte *rei votae*, est quando res promissa dirigitur ad pravum finem, nempe si voveas ieiunium, ut ex illo plausum captes; et tunc votum est nullum, ut communiter docent cum Busemb. Laym.[2] Salm.[3]. Et idem tenendum dicunt Salm.[4] cum aliis, etiamsi finis pravus voti non sit primario, sed tantum secundario motivus seu sit impulsivus, sed sine quo votum non fieret. Idem dicendum, si finis sit indifferens vel mere temporalis; unde si quis voveat ieiunium, ut parcat sumptibus; eleemosynam, ne aestimetur avarus, nullum est votum. Valet autem votum emissum ad obtinenda a Deo temporalia, vel ad gratias ei agendas, quia bonum est haec a Deo sperare, aut pro ipsis gratias agere. Ita Laym.[5] et Salmant.[6] cum Sanch. Pal. Trull. Bon. etc. Notant tamen Laym.[7] et Salm.[8] cum Caiet. Sanchez Bonac. et communi, quod si opus pravum non ponitur ut finis voti, sed ut simplex conditio, nempe si quis voveat ieiunium, si inimicum occidet, si furtum faciet; tunc valet votum, quia impleta conditione posita, honestum est in se votum implere.

Ita ergo dicitur, quando finis pravus est ex parte rei votae. Aliter tamen esset, quando finis pravus est ex parte *voventis*, scilicet quando non res vota, sed ipse vovendi actus dirigitur ad pravum finem, puta, si quis externe voveat ieiunium, ut ex illa emissione voti ab aliis laudetur, tunc valet votum, ut dicit recte Busemb. *num.* 5. *seq.* cum communi apud Laym.[9] et Salm.[10]. Hinc dicit[11] Laym. quod qui ex appetitu deordinato vescendi piscibus vovet fieri cartusianum, tenet votum. Sed hoc minime mihi probari videtur, si comestio piscium, et non quidem bonum spirituale religionis sit finis illius voti; nam tunc ipsa materia voti, quae est susceptio status religiosi, dirigitur ad vanum finem, qui votum infirmat, ut supra dictum est cum communi.

« 6. Validum item est votum factum ex affectu erga rem bonam, ut bona est, etsi coniuncta cum causa mala: ut si quis voveret eleemosynam, si ex duello evaserit salvus, si non capiatur in furto, si filius sibi nascatur ex adulterio quod parat, etc.: licet enim duellum, furtum, adulterium velle malum sit; tamen his positis non laedi, non infamari, prolem gigni mala non sunt, sed Dei dona; et votum non cadit super ista mala, sed super haec bona, considerata (ut suppono) quatenus in se bona sunt. Nav. Laym.[12].

207. » 7. Invalidum est et veniale peccatum, vovere bonum quod est impeditivum boni maioris, ut praesertim sunt vota contra consilia evangelica, ut v. gr. manere in saeculo, ducere uxorem, ire ad militiam, facere mercaturam. Nav.[13] Suar. Fill.[14] cum s. Thom.[15].

» 8. Si tamen aliquod bonum per se et absolute minus, fieret per accidens maius bonum, tunc talia vovere valet: ut v. gr. si quis videret susceptionem ordinum sibi damnosam. V. Bon.[16]. »

208. Ita etiam Salm.[17]. Quaestio autem vertitur an valeat votum de non petendo voti dispensationem, commutationem, aut irritationem, etiam cum iusta causa (nam sine iusta causa, certum est quod valet). Prima sententia negat cum Sot. Trull. Tamb. Sanch. etc. Secunda vero affirmat cum s. Antonin. Bon. Suar. Fill. etc. ap. Salm.[18]. Et haec videtur probabilior; advertendo quod casu quo sit utilius ob bonum spirituale petere dispensationem, votum non obligat, quamvis fuerit validum. Hoc tamen votum semper a superiore relaxari potest, cui salva semper est sua potestas. Salm.[19] cum Sanch. Pal. Suar. Notandum autem quod vovens non petere

(1) Ibid. (2) L. 4. tr. 4. c. 2. n. 7. (3) C. 1. n. 67. (4) N. 63. (5) Ibid. n. 10. (6) N. 70. (7) Ibid. n. 7. (8) N. 64. (9) Ibid. (10) N. 67.

(11) Ibid. (12) Loc. c. (13) N. 29. (14) C. 1. q. 7. n. 58. (15) 2. 2. q. 89. a. 7. ad2. (16) P. 1. (17) N. 57. (18) C. 1. n. 49 et 50. (19) N. 5[illegible]

dispensationem, potest petere commutationem; et e converso. Vid. Salm. [1].

209. « 9. Matrimonium ordinarie invalide vovetur, quia ordinarie melior est coelibatus. Dixi *ordinarie*, quia valide vovetur. 1. Si quis ad hoc obligetur; aut quia sine iniuria aut gravi infamatione sponsae, vel liberorum ex ea conceptorum a sponsalibus non potest recedere. 2. Si id reipub. valde utile futurum existimetur, ut quia, v. gr. ex eo speratur pax inter principes, conversio haereticorum, regni tranquillitas. 3. Si quis ob fragilitatem, et inveteratam consuetudinem peccandi adeo sit pronus ad lapsum, ut prudentes iudicent consultum ei esse, ut nubat: in quo tamen ultimo Laym. et alii dissentiunt. Vide Bonac.[2] Fill.[3] Nav. Suar.[4] Laym.[5]. »

Votum nubendi, per se loquendo, nullum est, etiamsi sit de ducenda paupere, meretrice, vel ad tollenda aliena peccata, quia semper coelibatus est Deo gratior. Est commune apud Salm. [6] cum Sanch. Leand. Pal. Torre Prad. Secus, si votum sit emissum ad scandalum vel honorem puellae ex obligatione reparandum; vel ad bonum commune, ut addit Bus., vel ex supposito, quod vovens vellet nubere, tenetur ad votum, ut Salmant. [7].

Sed magna quaestio est, an qui vovet nubere ob expertam sui fragilitatem, teneatur ad votum. *Prima sententia* negat, quia tale votum esset de se impeditivum maioris boni, nempe ingrediendi religionem, aut servandi coelibatum. Deinde, quia tale votum esset inutile, cum, tali voto non obstante, vovens libere posset religionem ingredi; maxime dum matrimonium est infimum remedium concupiscentiae. Ita Less. [8] et Pal. Sot. Prado et alii apud Salm. [9].

Secunda tamen *sententia* certe et longe probabilior, quam tenent cum Bus. Sanch.[10] Viva [11] Salm.[12] cum Bell. Nav. Cai. Bonac. Trull. etc. dicit votum esse validum, supposito quod talis nolit uti aliis remediis; quia in tali casu matrimonium est maius bonum, cum ad concupiscentiam sedandam eis, qui alia remedia meliora suscipere nolunt, ideo matrimonium a Deo concessum sit; de his enim ait apostolus[13]: *Melius est nubere, quam uri*. Maxime, quia hic frequenter recidens teneretur ex iure naturae nubere: posito quod nollet aliis remediis uti. Dices: ergo subdiaconus vovens castitatem posset nubere, si non posset se continere, cum nubere sit illi melius bonum. Sed respondetur, quod hic ob bonum commune expedit magis votum in suo robore manere, quam illum sic consulere suae fragilitati. V. Salm. [14]. Dicunt autem Salm. [15] teneri ad matrimonium qui nolit, vel *non possit* alia remedia adhibere. Sed melius dicunt Laym. [16] citans ss. Hieronymum, et Ambrosium, ac Spor. [17] quod tenetur ad matrimonium, qui aliud remedium adhibere *nolit*, non autem qui *non possit;* nullus enim, qui velit opportunis remediis uti dici potest, quod non possit ea adhibere; quis ceterum prohibetur uti saltem oratione, qua proculdubio potest omnes concupiscentias superare, ex illo Luc.[18]: *Omnis qui petit accipit?*

210. Quaeritur hic, an si quis nimis pronus ad vovendum voveat non amplius vovere, nisi cum licentia confessarii; si autem postea voveat, v. gr. ieiunium, valeat votum. Respondeo cum Laym.[19] et dico 1. Quod primum votum est quidem validum, cum sit de meliori bono. 2. Quod peccavit ille emittendo secundum votum. 3. Dico quod, primo voto non obstante, tenetur ad secundum, quod cum habeat obiectum bonum, satis est validum. Excipio, nisi ille statuerit nolle futura vota valere, nisi accesserit confessarii consilium, tunc enim nullum erit secundum votum, modo non retractetur expresse vel virtualiter, scilicet si memor primi voti secundum emitteret.

(1) N. 52. (2) Loc. c. (3) N. 6. (4) Loc. c. (5) Ibid. n. 12. (6) C. 1. n. 38. et 59. (7) N. 38. in fin. (8) L. 2. c. 4. n. 44. (9) C. 1. n. 40. (10) Dec. l. 4. c. 8. n. 53. (11) De spons. q. 1 a. 5. ex n. 3. (12) De voto c. 1. n. 41. et [illegible]. (13) 1. Cor. 7. 9. (14) N. 45. (15) [illegible] 41. [illegible]. (16) L. 4. tr. 4. c. 2. n. 12. (17) De voto n. [illegible] et 62 (18) 11. 10. (19) Ibid. n. 5.

Notandum denique, quod qui plura vota incompossibilia emitteret, servare deberet illorum dignius, alioquin prius posteriori praefertur. Ita Laym. [1] cum Trull. et Bus. *n.* 225. 2. contra Sanch. qui dicit, tunc esse in arbitrio voventis servare quod malit. De iuramento autem contra aliud iuramentum, vide *dicta supra n.* 179.

DUBIUM IV. Quae et quanta obligatio voti.

211. « Resp. Tanta est, quantam tum quantitas materiae permittit, tum intentio voventis, qua se vel multum vel parum, vel absolute vel cum certa conditione, restrictione temporis, qualitatis obligare vult, designat: ita ut etsi obligatio voti sit iuris naturalis, vis tamen eius pendeat a voluntate et facto hominis tanquam praevia conditione, ut tantum, vel tantum obliget. Ita commun. Vid. Laym. [2] Bon. [3].

Unde resolves:

» 1. In materia levi nemo obligatur sub mortali, quia materia id non permittit (Neque etiamsi vellet sub gravi se obligare, Sal. [4]) Nav. [5] Sanch. [6] Laym. [7]. V. gr., vovisti recitare quotidie *Salve regina:* omittendo semel, iterumque, non peccas mortaliter, quia materia est parva. Sanch. [8] Laym. [9] Azor [10]. »

Quaeritur an transgressio voti sit mortale, quando tota eius materia parva est. Affirmant Caiet. Tolet. et Card. ap. Salm. [11] eodem modo quo in iuramento promissorio, si quid leve promittitur, peccat graviter (ut isti dicunt) qui illud non implet. Sed tenendum oppositum cum Bus. et Less. [12] Sot. Suar. Trull. Bon. Pal. etc. ap. Salm. [13]. Quia votum est lex particularis, et lex non obligat, nisi iuxta materiae gravitatem. Imo idem dicendum de iuramento promissorio, ut Salmant. [14] cum aliis, ut diximus supra *n.* 173.

Hinc infertur quod votum vitandi peccatum non obligat, nisi iuxta illius gravitatem: puta si voves vitare mendacium, mentiendo peccas tantum leviter, sed dupliciter contra veracitatem et contra votum, Salm. [15] cum Sanc. Trull. Nav. etc. Nisi tamen vitatio illius peccati ob causas sit res magni momenti, prout mendacium valde indecens esset personae in dignitate constitutae: vel nisi per illud peccatum multum quis impediatur a profecto in virtutibus. Salm.

212. « Imo, etsi toto anno omittas, esse tantum veniale, eo quod materiae istae parvae non coalescant in unam, probabiliter docet Dian. [16] ex Sot. Arag. et Tann. [17] contra Valent. etc. »

Sicut etiam dicunt Salm. [18] cum Vill. etc. Sed recte hoc intelligendum esse advertunt, quando promissio illarum levium materiarum facta est affixa diei sicut censendum est in omnibus votis personalibus, nisi constet de opposito, ut dicunt commun. Sal. [19] et Croix [20] cum Sot. Suar. Laym. Dian. Pal. etc. Nam contra, si levis rei promissio sit facta per modum unius, ita ut dies non assignetur ut terminus, sed ne ultra obligatio differatur, tunc materiae coalescunt, et possunt pervenire ad mortale. Quare si voveas dare quotidie parvam eleemosynam, peccas graviter, si quotidie omittas, voto facto per modum unius. Ita Salm. [21] cum Sanch. Suar. Trull. Leand. etc. Hinc notant,

(1) Eod. loc. (2) L. 4. tr. 4. c. 3. (3) P. 3. (4) C. 1. n. 106. (5) N. 40. (6) L. 4. c. 12. (7) L. c. (8) L. 4. c. 12. (9) Loc. c. (10) L. 21. c. 15. (11) C. 1. n. 112.

(12) L. 2. c. 40. n. 56 (13) N. 115. (14) N. 115. et c. 2. n. 53. (15) N. 115. (16) T. 5. misc. n. 24. (17) 2. 2. d. 3. dub. 3. (18) C. 1. n. 110 (19) Loc. c. (20) L. 3. p. 1. n. 459 (21) C. 1. d. n. 115.

quod circa vota realia, nisi aliud constet, regulariter dies non opponitur ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem, et ideo materiae coalescunt, ut docent communiter Salm.[1] cum Suar. Pal. Bon. Vasq. et Croix[2] cum aliis, ut supra. V. *dicenda n. 220. v. Utrum.*

213. « 2. In materia gravi etsi quis possit se obligare tantum leviter, (Ut fuse probant Salm.[3] cum Molin. Suar. Pal. Fill. etc. cum communiori et probabiliori contra Sotum Pont. Cord. etc.) communiter tamen censetur voluisse se obligare graviter, nisi aliunde constet. Unde violans tale votum peccat graviter ex genere suo. Vide *ibid.*

» 3. Qui postquam gravi voto se obstrinxit, serio deinde dolet, quod fecerit, non peccat graviter, modo retineat animum implendi. Vide Sa[4].

» 4. Qui violat votum de re iam ante praecepta, v. gr. qui post votum castitatis fornicatur, debet in confessione addere, quod votum id habeat, aut quod ordines acceperit, si confessarius nesciat, quia duplex tunc est malitia peccati. Suar.[5] Less.[6] Sanch.[7] Fill.[8] Ex communi enim bene valet votum de re alias praecepta. Salm.[9] cum s. Th. contra Gers. s. Anton. etc.[10]).

» 5. Alieno voto nemo obligatur ex vi illius voti. Unde, si qui canones videntur indicare, filium a patre religioni devotum teneri eam profiteri intelligendi sunt, si filius votum patris semel ratificaverit. Suar.[11] Sanch. Laym.[12] (Salm.[13]).

» 6. Cum haeres teneatur solvere vota realia defuncti, non tenetur vi voti, sed ex iustitia: sicuti tenetur alia illius debita, legata, etc. solvere. Laym.[14]. »

214. Certe haeres tenetur solvere vota realia defuncti, sicut alia debita[15]. Ex quo potest cogi ad solvendum per excommunicationem. Hinc talibus votis debet satisfieri ante legata, sed post debita iustitiae. Salm.[16].

215. Quaeritur hic, an pater in morte per vota possit laedere legitimam filiorum. *Prima sententia* affirmat cum Nav. Sylv. Dian. Lop. Vega etc. ap. Salm.[17]. Sicut etiam (isti dicunt) potest pater gravare legitimam donationibus remuneratoriis. Sed tenendum oppositum cum *secunda sententia.* Potest enim pater in vita sua votis moderatis minuere aliqualiter legitimam filiorum vel ascendentium: non tamen in morte, ubi iuxta legem de bonis suis disponere debet, et legitima, cum debeatur de iure, nequit gravari debito voluntario, ex Eccli.[18]: *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* Ita Salm.[19] cum Sanch. Laym. Bon. Pal. Trull. etc.

216. « 7. Eodem modo, si communitas aliquid vovit, in quod posteri non consenserunt, non tenentur id servare vi voti, sed interdum ratione pacti, statuti, vel longae consuetudinis. Vide Laym.[20].

» 8. Cum quis vovet factum alterius, sensus est se curaturum id eo modo quo licite potest, ut v. gr. rogando, persuadendo, vel etiam praecipiendo, si sit superior, vel etiam aliquando paciscendo et suppeditando sumptus. Sic parens, qui filium devovit religioni, ad nihil aliud tenetur, quam ut conetur eam filio persuadere: sic qui missas vel peregrinationem alterius curandam vovit, quando stipendium ac sumptus ei persolvit, non tenetur alium substituere novis sumptibus, si prior non praestet, ad quod se obligavit. Sanchez Laym.[21].

217. » 9. Vota personalia non implentur, nisi per voventem; unde qui vovit peregrinationem Romam, v. gr. non satisfacit, si conducat alium; neque ad id tenetur, si ipse non possit. Laym.[22].

» 10. Vota realia solvenda sunt ex proprio; unde qui nequit ex suo, non tenetur ab alio mendicare. Quod si possit ex suo, et tamen alius sive rogatus, sive sponte pro ipso velit solvere, id valet; quia tunc quod alter dat, fit ipsius: non autem actio alte-

(1) N. 151. (2) Loc. c. (3) C. 1. n. 109. (4) V. votum. (5) C. 6. (6) D. 7. (7) C. 5. (8) C. 2. q. 7. (9) C. 1. n. 32. (10) N. 50. (11) C. 9. (12) Ib. c. 3. n 7. (13) C. 1. n. 118.

(14) Ib. n. 12. (15) Ex l. Secunda, ff. de pollic. et ex c. Licet, de voto. (16) Art. 1. n. 125. (17) C. 1. n. 126. (18) 34. 21. (19) N. 127. (20) Ib. c. 3. n. 6. (21) Ib. n 7 (22) Ib. n. 8

rius personae potest fieri alterius. V. Laym. [1]. »

Immo bene satisfacit voto, aut iuramento eleemosynae, qui illam ab alio eo fine praestitam, ipso inscio, postea ratificat, cum noverit, quia tunc iam adimpletur votum cum consensu voventis. Ita Salm. [2] cum Sanc. Bonac. Trull. etc. Et satis probabile videtur; sicut enim tali modo bene satisfieret promissioni alteri homini factae, sic etiam satisfit promissioni factae Deo.

218. « 11. Vota conditionalia non obligant, cessante conditione, etiamsi ipse vovens causa fuerit ut conditio non poneretur; dummodo id non impediverit per dolum, vim aut malitiam: ut v. gr., vovisti peregrinationem, si eam Petrus approbet; deinde submittis, qui persuadeat ut non approbet: illo igitur non approbante, non teneris. Imo, etsi malitiose per fraudem, dolum etc. impediveris, adhuc probabile est, te voto non teneri, ut habet Laym. [3] ex Suar. et aliis (Et haec est probabilior ex Salm. [4] cum Pal. Fill., etc. contra Azor. Bonac. etc. Quia iam non impletur conditio, licet per culpam voventis). Interim Laym. recte hic advertendum monet ad intentionem voventis: ut v. gr. si filius vovet se ingressurum religionem, nisi pater contradixerit, videtur eius intentio fuisse nisi contradixerit ex se, sua sponte, sibi relictus, etc. »

At si dolose impedias, peccas: vovisti v. gr. religionem, si pater approbet: si tu precibus vel rationibus impedis consensum patris, non peccas; secus, si impedias vi vel fraude. Item vovisti castitatem, si Deus per annum te liberet a mortali: si tu ex fragilitate cadis, non peccas respectu voti. Secus, si studiose peccas, ut solvaris a voto. Et sic de ceteris. Salmant.[5] cum Laym. Palao Sanch. etc.

219. Quoad conditiones autem votorum notandum 1. Quod omnes conditiones turpes, aut impossibiles vota reddunt nulla. Salm. [6]. Notandum 2. quod ad obligationem voti non sufficit ut conditio impleatur aequivalenter, sed debet impleri specifice; v. gr. vovisti religionem, si soror tua nupserit; Non sufficit, si illa moriatur. Salm. [7].

« 12. Qui vovit rem certam et determinatam, v. gr. hunc calicem; si ea res pereat, non tenetur ad aliam, cum id non soleat intendi: si autem eam rem vendiderit, probabilius videtur esse teneri dare pecuniam quam accepit: quia qui vovet rem censetur promittere omnem eius utilitatem.

220.» 13. Qui vovit aliquid faciendum certo tempore, ut ieiunare hoc vel illo die, illo transacto, sive cum culpa, sive sine culpa eius, ad nihil tenetur; et neque, si praeviderit impedimentum eo tempore superventurum, tenebatur praevenire, cum haec non soleat intentio voventis esse. Suar. Navarr. [8]. Vid. Bon. [9]. »

Sed eadem regula quam diximus *supra num.* 212. currit hic, ex communi cum Salm. [10]. Ad nihil enim teneris, transacto die, si dies appositus est ad finiendam obligationem, ut censendum est in votis personalibus, nisi constet de opposito, ut communissime dicunt Croix [11] cum Sot. Pal. Laym. Dian. etc. Salm. [12] cum Trull. Suar. Sanch. etc. Secus si diem apposuisti tantum ad sollicitandam impletionem, sicut e converso iudicandum est regulariter in votis realibus, praecise, si ille dies nullam habeat magis specialem rationem, quam alii, ut Salm.[13] cum Suar. Pal. Bon. et Croix [14] cum aliis *ut sup.*

Utrum autem in dubio an dies sit appositus ad finiendam vel ad sollicitandam voti executionem, tenearis ad votum pro diebus transactis. Negant Dian.[15] quia, ut ait, vota in dubio non obligant, cum stricte sint interpretanda, ex regula communiter tradita a dd. cum Caiet. Laym. etc. Affirmant vero generaliter loquendo Spor.[16] et Salm.[17] cum s. Th. Sanch. Pal. Trull. Azor. et

(1) Ib. n. 10. (2) C. 1. n. 122. (3) L. 4. tr. 4. c. 8. (4) N. 173. (5) C. 1. n. 171. (6) Ib. n. 165. (7) Ib. n. 169. (8) L. 1. (9) P. 5. (10) C. 2. n. 150.

(11) L. 3. p. 1. n. 450. (12) C. 1. p. 4. §. 2. (13) Ibid. n. 151. (14) L. c. (15) P. 5. tr. 5. r. 26. (16) De 2. praec. n. 109. (17) C. 1. n. 132

Bon. Rationem dant Salm. quia, cum votum sit certum et dubitetur tantum de circumstantia excusante, possessio stat pro voto. Sed haec ratio non convincit; posset enim ei responderi quod hic dubitatur de circumstantia quae afficit substantiam voti, et ideo votum ipsum redderet dubium, iuxta dicta *n.* 198. Hinc mihi rectius distinguendum videtur et dicendum quod in votis personalibus in dubio non teneris satisfacere pro diebus transactis; secus autem in votis realibus. Ratio quia ex una parte regula firma est, quod pro eo stat possessio, pro quo stat praesumptio, ut docent dd. communiter cum Busemb. (vide *l.* 1. *num.* 74. *v. porro*) Croix [1] Sanch. [2] cum Sot. Mol. Arag. et Menoc. Ex altera parte communissima est sententia, quod nisi de opposito constet, ut supra praenotatum est, in votis realibus dies praesumitur appositus tantum ad sollicitandam obligationem, ut Salm. [3] cum Suar. Sanchez Vasq. Panorm. Prado et Croix [4] cum Laym. Sot. et Dian. Nisi tamen votum habuisset specialem connexionem ad diem, puta si voluisses dare eleemosynam in hebdomada iubilaei, vel in sabbatis per annum, quia v. gr. in anno illo gratiam receperis, ut Sporer [5] et Salm. [6] cum aliis. Secus, si dies nullam connexionem habuisset cum voto, nempe si vovisses dare eleemosynam in sabbatis per annum, nulla habita ratione speciali illius anni, ut recte ait Spor.[7]. In votis contra personalibus praesumitur dies appositus ad finiendam obligationem, ut dicunt Salm. [8] et Croix [9] cum aliis, ut supra allatis. Hinc in votis realibus, quia praesumptio est pro voto, pro ipso est etiam possessio et ideo implendum etiam pro diebus transactis. Secus vero dicendum in votis personalibus, in quibus praesumptio est in oppositum, et sic Salm. sunt intelligendi, dum ipsi [10] uti certum asserunt, quod in votis personalibus praesumitur dies appositus ad obligationem extinguendam.

221. « 14. Qui vovit aliquid sine certo tempore, v. gr., peregrinationem, tantum tenetur implere, cum commode primum potest: quia sic moraliter quisque censetur intelligere suam promissionem, ut habita commoditate non nimis diu differat, quamvis minor causa sufficit ad differendum, quam ad omittendum. Fill.[11] Suar. Laym.[12] Bon. etc. »

Votum indeterminatum quoad tempus, v. gr. de rosario diurno, ieiunio in sabbatis, obligat perpetuo, nisi aliud colligatur ex circumstantiis. Salmantic. [13] communiter. Si dubium tamen sit an votum fuerit pro anno vel mense, non teneris nisi ad minus. Salmant.[14] cum Sanch. Trull. Suar. etc.[15].

Quaeritur an faciens votum pro tempore indeterminato, peccet mortaliter si diu differat implere. Certum est, quod si votum est in perpetuum obsequium Dei, puta ingrediendi religionem, xenodochio inserviendi, et similis, peccat lethaliter qui diu differt; si adsit opportunitas implendi et non excuset rationabilis causa. Dicunt autem Armill. Rodriq. et Ledesm. apud Salmantic. [16] differre votum religionis per duos vel tres annos non esse mortale; sed haec opinio merito videtur laxa aliis, ut Spor. [17] Salm. [18] Sanch.[19]. Alii vero, ut Sanch.[20] et Croix cum Pal. [21] universaliter loquendo dicunt esse mortale differre per sex menses, et his adhaerent Salm.[22] cum Trull. et Garcia, putantes mortalem fore dilationem ultra sex menses. Consentit etiam Sporer si vovens excedat aetatem 40. annorum; censet tamen Tamb. excusari a mortali iuvenem 15. vel 16. annorum, qui differt per tres vel quatuor annos: quia (ut dicunt) hoc tempus videtur parva materia respectu ad servitium totius vitae: sed huic omnino non acquiesco, nisi adsit iusta cau-

(1) L. 1. n. 509. (2) Dec. l. 1. c. 10. n. 13. (3) C. 1. n. 131. (4) L. 3. p. 1. n. 450. (5) N. 106. (6) N. 129. (7) N. 106. in fin. (8) C. 1. n. 115. (9) L. c. (10) D. c. 1. n. 115. (11) C. 4. q. 10. (12) C. 3. (13) C. 1. n. 140.

(14) N. 146. (15) Ex c. 18. de censib. (16) De statu relig. tr. 15. c. 2. n. 32. (17) De 2. praec. n. 117. (18) Loc. c. (19) Dec. l. 4. c. 14. n. 22. (20) Loc. c. (21) Ibid. n. 446. (22) Dict. n. 32.

sa dilationis. Iustae autem causae differendi sunt, si vovens speret dilatione parentes emolliendos. Item si obstet gravis necessitas spiritualis, aut corporalis sororum vel fratrum. Ita Croix [1] cum Pal. et Gob. Bonac.[2] cum Arag. et Tabien. Sanch. [3] et Salm. [4] cum Suar. Mach. Pell. Trull. ac Garcia. Bene tamen advertunt Spor. et Salmant. in his casibus sedulo cavendum ne dilatio sit nimia, aut periculum adsit votum nunquam implendi; quod periculum non raro adest in votis religionis, pro quorum executione daemones innumera excitant dissidia et impedimenta.

Si autem votum sit in obsequium temporale, scilicet tot ieiuniorum, peregrinationum, etc. censet probabile Spor. [5] cum Tamb. quamcumque dilationem non pertingere ad mortale. Et favet Sanch. [6] referens s. Antonin. qui dicit illam esse moram mortalem, *quando fit dilatio per longa tempora, et ex ipsa dilatione est periculum oblivionis vel impotentiae implendi.* Sed verius dicendum peccare mortaliter qui sine iusta causa notabiliter votum differt implere, nempe ultra duos vel tres annos, ut recte sentiunt Croix[7] et Salm.[8] cum Pal. Trull. et Garcia. Putat autem Croix cum Diana, quod si vovisti singulis mensibus confiteri, posses ex causa differre per duos vel tres dies ultra mensem.

222. « 15. Qui vovit aliquid sine certo loco, v. gr. ingredi religionem s. Benedicti, satisfacit intrando quodcumque monasterium illius ordinis in quo serventur substantialia regulae. Neque tenetur pro admissione peragrare provinciam, sed satis est adire loca aliquot non nimis dissita: et satisfacit voto, si postquam ingressus est, remittatur, aut egrediatur (saltem cum iusta causa, qualis est v. gr. gravis ac diuturna tristitia et anxietas, sive ex natura ipsa, sive aliunde nata; Escob. ex Sanch. [9]) ante professionem. Vid Trull. [10] (*Et vide l. 4. n. 72.*).

» 16. Qui vovit aliquid sine certa qualitate, v. gr. religionem in genere, potest ingredi quamcumque, etiam laxiorem, modo serventur essentialia, et sit approbata. Similiter si quis vovit triticum, etc. non tenetur dare optimum quod habet sed satis est (loquendo de obligatione praecise) ut det, quod non sit plane ineptum (Idem Salmant. [11] cum Laym. Suar. Bonac. etc. Qui vovet dare calicem, aedificare ecclesiam, debet implere iuxta usum communem).

» 17. Qui vovit aliquid sine certa quantitate, v. gr. eleemosynam, pecuniam, frumentum, etc. satisfacit dando quantum voluerit (Salm. [12]); modo non det tam parum, ut videatur potius irridere suum votum, quam implere. Ratio horum omnium petitur ex intentione voventis, qua nemo censetur se obligare, nisi ad id quod commode potest, et communiter est decens. Suarez Sanchez [13].

» 18. In dubio de mente voventis, debet fieri interpretatio secundum verborum, quibus usus est, proprietatem, vel potius communem et usitatam acceptionem. Fill. [14] Laym. [15] (Salm. [16]).

223. » 19. Qui vovit, si ludat chartis, dare decem imperiales, tenetur secundum Sanch. dare toties decem, quoties ludit, quia poena est actui accessoria. Videtur tamen negare Laym. [17]. Vid. Trull. Dian. [18].»

Bene distinguunt Salm. [19] si votum fuit simplex de solvenda poena, si luserit; tunc sufficit solvere poenam pro prima vice cum Sanch. Bon. Sa Dian. Et satis probabile vocat Laym. et Pal. Secus si votum fuit duplex, scilicet de non ludendo, et de poena solvenda: tunc, quoties transgreditur votum, solvenda est poena; nisi haec sit gravissima, ut peregrinatio, elargitio magnae eleemosynae, quae non soleat commu-

(1) L. 3. p. 1. n. 446. (2) De vot. q. 2. p. 5. n. 3. (3) Dict. l. 4. c. 14. n. 5. et 6. (4) D. c. 2. n. 32. (5) De 2. praec. n. 11. (6) D. l. 4. c. 14. n. 21. (7) L. 3. p. 1. n. 446. (8) De statu rel. c. 1. n. 52. (9) T. 1. l. 4. c. 16. n. 100. (10) L. 2. c. 2. d. 20. n. 7. et 8. (11) Tr. 17. c. 1. n. 140. (12) Ib. cum cit. dd. (13) L. 4. c. 15. (14) T. 26. c 2. (15) L. 4. tr. 4. c. 3. n. 3. (16) Ex n. 154. (17) L. 4. tr. 4. c. 5. n. 4. (18) P. 5. t. 9. n. 60. (19) C. 1. n. 177.

niter repeti. Ita Salm. [1] cum Laym. Pal. Trull. Dian. etc.

Hic advertendum quod in tali voto poenali duplici, si relaxetur primum, relaxatur etiam secundum, prout primi accessorium. Salmant. [2] cum Pal. Laym. Sanch. etc. Notandum deinde, quod qui invincibiliter ignorat, sive obliviscitur votum principale, aut votum de poena, ad eam non tenetur. V. Salm. [3].

224. Plura ultimo hic pariter sunt notanda, et 1. quod vota semper sunt interpretanda iuxta benigniorem partem. Salm. [4] cum Laym. Cai. et aliis communiter. Notandum 2. quod fractiones votorum sunt eiusdem speciei: hinc, si quis habens votum castitatis fornicetur, potest seorsim fractionem voti confiteri. Salm. [5]. Sed quid, si quis voveat ieiunium ex speciali motivo temperantiae. Val. Sanch. Bon. etc. apud Salm. [6] probabiliter tenent committere duo peccata, ieiunium frangendo; ita pariter coniugem voventem castitatem, ex motivo amoris ad castitatem, si petat debitum, dicunt committere duo peccata. Sed probabilius tenendum cum Salmant. et Cai. Trull. Suar. et Prad. tales committere unum mortale contra votum; quia ex voto obligationem tantum fidelitatis erga Deum sibi imponunt, non aliam. Notandum 3. quod si quis voveat disiunctive rem bonam, vel malam, aut vanam, aut impossibilem, votum nullum est. Salm.[7]. Si vero utraque pars est materia apta, illa quae eligitur praestanda est etiamsi post electionem altera pars pereat, seu impossibilis reddatur. E converso, si pereat una pars aut impossibilis reddatur ante electionem, non teneris ad alteram, nisi tua culpa res pereat, aut fueris in mora eam tradendi aut determinandi. Ita Salm. [8] cum Sanch. Pal. Mol. etc.

Quaeritur hic an unam partem iam electam possit vovens cum altera commutare. Negant probabiliter Pal. et Sanch. cum aliis ap. Salm. [9]. Unde, si electa sit pars, cuius materia sit reservata, ut castitas, etc. requiritur dispensatio papalis. Affirmant tamen Leand. et Tamb. cum pluribus apud ipsum, et non minus probabile merito vocant Salm. [10]. Ratio, quia, non obstante electione facta, votum adhuc remanet disiunctivum, nec per determinationem peractam vovens se privavit libertate alteram eligendi partem.

Qui vovet per mensem audire sacrum, probabiliter non tenetur in festis audire duo: sicut probabile etiam est hoc, si imponatur a confessario pro poenitentia. Salm. [11] cum Pal. Tamb. Suar. Trull. etc. Spor. [12] ac Croix [13].

Qui vovet rosarium, satisfacit recitando tertiam partem, quia communiter sic intelligitur. Salm. [14] cum Pal. Tamb. Prad. etc. Et satisfacit recitando alternatim, quia tale votum obligat instar officii divini. Salm.[15] cum Trull. Tamb. Dian. Leand. etc. Et etiam satisfacit dividendo decades [16], cum Sanch. Trull. Bon. etc.

Qui vovet ieiunium potest comedere lacticinia, ut Salmant.[17] cum Sanch. et Pal. Si vovet ieiunium per mensem, non tenetur in dominica; vel si vovet in vigilia alicuius sancti quae veniat in dominica potest anticipare ieiunium in sabbato, Salm.[18] cum Bonac. Trull. Dian. etc. Si vovens ieiunium comedit carnes, non tenetur ad ieiunium: ad differentiam ieiunii praecepti ab ecclesia, quae duplici praecepto imponit et ieiunium et abstinentiam a carnibus iuxta Salm.[19] cum Sanch. Az. Sylv. etc. et prout declaravit regnans pont. Bened. XIV.: vide *infra num.* 1013. An vovens ieiunium singulis sabbatis teneatur ad votum, si in sabbato cadat natalis Domini. Probabiliter negant Molin. Azor. Fag. Dian. Rodr. Vill. apud Salm.[20] et probabilem vocant Bon. [21] et Tamb. [22]. Nisi expresse intenderit adhuc eo die

(1) Ibid. (2) C. 1. n. 176. (3) Ib. n. 175. et 177. (4) Ibid. n. 148. (5) Ibid. n. 101. (6) N. 102. (7) C. 1. n. 141. (8) Dict. n. 141. et 142. (9) De voto c. 5. n. 107. (10) Ibid. (11) C. 1. n. 136.

(12) De 2. pra . c. 2. n. 96. (13) Ibid. n. 455. et l. 6. p. 2. n. 1281. (14) C. 1. n. 136. (15) Ibid. (16) Ibid. (17) C. 1. n. 137. (18) Ibid. (19) Ibid. (20) C. 1. n. 138. (21) De voto p. 6. n. 9. (22) Dec. l. 3. c. 15. §. 6. n. 13.

se velle obligare, quia tunc proculdubio tenetur. Affirmant tamen Salm. ut probabilius [1] cum Suar. Sanch. Vasq. Vide mox dicenda *n.* 226.

Si quis immemor voti vel poenitentiae iniunctae etc. praestet opus debitum, bene satisfacit per voluntatem generalem, quam quisque censetur habere satisfaciendi prius suis obligationibus; ita Sporer [2] Sanchez [3] Less. [4] Laym. [5]. Si quis autem est certus de voto, sed habet probabilem rationem quod illi satisfecerit, dicunt plures aa. voventem ad nihil teneri: sed huic opinioni iam diximus *tract. de consc.* non esse adhaerendum, quia obligatio voti certi sola probabili satisfactione nequaquam impletur.

Dubium V. Quot modis tollatur obligatio voti.

225. *Tollitur obligatio voti. 1. Per materiae mutationem. 2. Per auctoritatem humanam. V. resolutiones.*

226. *An sit obligatio implendi votum, si superveniat circumstantia non praevisa. (Quid vero de votis simplicibus castitatis et religionis, et quid de solemnibus? V. l. 4. n. 50.).*

225. « Resp. Dupliciter tolli potest. 1. Nullius auctoritate interveniente: idque vel materiae mutatione, ut si materia ante honesta fiat turpis, indifferens, vel impeditiva maioris boni, ratione novae circumstantiae, vel prohibitionis: vel si fiat impossibilis absolute, aut moraliter, vel cessatione conditionis, a qua pendebat. 2. Interventu auctoritatis humanae; idque tripliciter, irritatione, commutatione, vel dispensatione, de quibus in sequentibus dubiis. Est comm. Sanc. [6] Les. [7] Suar. Fill. [8].

Unde resolves:

» 1. Etsi tua culpa materia facta sit impossibilis, inutilis, etc. tamen, postquam iam talis facta est, cessat obligatio, et sufficit poenitere de culpa.

» 2. Si concurrat obligatio duorum votorum incompossibilium, implendum est id quod est praestantius, et Deo gratius, et alterum cessat. Quod si vero sit aequale, aut nescias utrum sit melius, implendum est quod prius vovisti, et ruit posterius; si et hoc nescis, libera est electio. Vid. Trull. [9].

» 3. Si materia voti fiat impossibilis quoad partem tantum, tunc, si commode talis materia dividi non potest, aut non solet, ad nihilum teneris, v. g. vovisti aedificare templum: si totum non potes, non teneris ad partem.

». 4. Si vero dividi commode potest et solet, manet obligatio ad illam partem quam potes, ut v. gr. 1. Qui non potest ieiunare tota hebdomada, potest autem aliquot diebus, ad hoc tenetur. 2. Qui matrimonium contraxit, et consummavit post votum castitatis, tenetur non petere debitum: cum eatenus votum adhuc sit possibile (reddere enim debet). Vid. Bon. [10].

» 5. Quod si votum dividi quidem possit, sed unum in eo sit principale, reliqua vero accessoria tantum, non per se seorsim intenta, sed dependenter a priori, tanquam illius appendices et modi; tunc si principale fiat impossibile ruit etiam obligatio accessorii, non autem contra: ut v. gr. vovisti peregrinationem Romam in cilicio, et ibi certi aliquid offerre; si peregrinatio impossibilis fiat, non teneris cilicium ferre, et oblationem mittere. Vide Sanch. [11] Bon. [12] Trull. [13]. »

226. Hic quaeritur an sit obligatio implendi votum, si notabilis circumstantia superveniat, qua praevisa, quis votum non emisisset. Est communis sententia apud Salm. [14] cum Sanchez Pal. Trull. etc. (vide dicta *num.* 187. *v. Sed dubium*); quod in omni promissione, prout est etiam votum, mutatio materiae de se notabilis obligationem aufert. Ratio, quia per mutationem res fit diversa, quam promissa. Sed quid, si nova circumstantia accidat non praevisa, puta si quis vovisset ieiunare omnibus feriis sextis, an teneretur ad ieiunium in die nativitatis Christi Domini, quem diem exclusisset, si praevidisset. Affirmant Salm. [15] cum Nav. Vasq. Sylv. aliisque cum Sanch. [16]. (Sed notandum

(1) N. 159. (2) Tr. 1. de consc. n. 50. (3) Dec. l. 1. c. 14. n. 15. (4) L. 2. c. 37. n. 11. (5) L. 1. tr. 4. c. 4. (6) L. 4. c. 24. (7) L. 2. c. 24. (8) D. 26. c. 8. (9) L. 2. c. 2. n. 9. (10) P. 7. §. 1.

(11) L. 4. c. 10. (12) D. 4. c. 2. p. 4. §. 4. (13) L. 2. c. 1. d. 10. (14) Tr. de iuram. c. 3 n. 20. (15) De 3. praec. c. 2. n. 104. (16) Dec. l. 4. c. 11. n. 61.

quod Sanch. [1] loquitur de praeciso casu ieiunii, quia censet circumstantiam festi non efficere notabilem mutationem: verum circa nostrum quaesitum oppositam tenet sententiam, ut infra). Ratio, ut dicunt, quia ad eximendum voventem ab obligatione voti, non est attendendum ad id quod ipse promisisset, si meminisset, sed potius ad id quod actu promisit. Et probant ex *c. explicari, de obs. ieiun.* ubi Honorius III, dixit: *Qui nec voto, nec regulari observantiae sunt adstricti, in feria sexta, si festum nativitatis dominicae die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt secundum consuetudinem ecclesiae generalis.* Negant vero teneri ad votum Molin. [2] Azor. [3]. Item Fagund. Dian. et alii apud Salm. [4] loquendo de praedicto casu ieiunii (de quo vide etiam dicta *n.* 224. *circa fin.*); et loquendo generice de omni nova circumstantia notabili superveniente, tenent s. Anton. Nav. Sylv. Henr. etc. [5]. Et hanc sententiam expresse tenet d. Thom. [6] qui sic docet: *Id liberare a voti vel iuramenti obligatione, quod si a principio notum fuisset, ea fieri impediret.* Ratio, quia tunc intentio se obligandi vel deficit, vel sic interpretatur. Et huic sententiae dicunt Salmant. [7] non posse denegari probabilitatem; imo ipsimet [8] censent illam esse notabilem mutationem, quae si a principio fuisset cognita, quis non se obligasset. Haec secunda sententia mihi videtur non minus probabilis, imo forte probabilior quam prima. Ratio generalis, quia, superveniente circumstantia non praevisa, qua votum onerosius redditur, materia voti fit diversa, quam promissa. Et sic respondetur ad rationem oppositam, quia vovens teneretur ad plus quam promisit. Respondetur autem ad definitionem Honorii III. ut supra, quod ibi pontifex non explicat an circumstantia diei nativitatis Domini fuerit vel non praevisa; quare textus explicari potest (sicut intelligit Azor. [9] de iis qui expresse voverint servare ieiunium etiam in die natalis, quo casu certe tenentur ad votum, ut diximus *supra n.* 224. *circa fin.*

Dubium VI. De voti irritatione.

Art. I. An et quomodo tollatur obligatio voti per directam irritationem.

227. *Quis possit vota irritare.*
228. *An liceat irritare vota sine causa.*
229. *Quae vota filiorum possint irritare pater, avus, tutor etc.*
230. *Quae possit irritare mater.*
231. *An vota subditorum valeant donec irritentur.*
232. *Quid si quis per errorem aestimabatur pater, maritus etc.*
233. *Quis possit irritare vota religiosorum, et monialium. An abbatissa.*
234. *An vir possit irritare omnia vota uxoris.*
235. *An uxor vota viri.*
236. *Quid si mutuo consensu voveant castitatem.*
237. *An superior possit irritare vota facta ante subiectionem. Quid si dubium sit, an sint emissa ante vel post subiectionem.*
238. *An autem vota facta tempore subiectionis possint post illud irritari.*
239. *Quid si superior ea ratificaverit.*
240. *Quae vota servorum, aut famulorum possint a domino irritari.*

227. « Resp. Cum non debeat violari cuiusquam dominium, ac quilibet dominus possit uti sua libertate, hinc si potestati dominativae alterius sit subiecta alicuius voluntas, potest is subditi istius omnia vota, qualiacumque sint, ad suum libitum sine ulla causa valide irritare directe; hoc est, potest velle et pronuntiare, ut illa vota nulla sint; ita ut nullo etiam casu obligatio postea reviviscat (etsi peccent, si absque causa irritent, ut docent Less. [10] Navar. Suar. Fill.). Porro hoc ius provenit ex iure positivo, quo datur alicui legitima potestas dominativa in voluntatem alterius. Ita communiter dd. Vid. Sanch. [11] (Sed provenit etiam ex iure naturali, ut Salm. [12] cum s. Th. [13]). »

228. Quaeritur, an liceat irritare vota sine causa. Certum est pro valore irritationis nullam causam requiri: et commune est, quod non sit mortale, ut Salm. [14] et Less. [15] cui videtur id certum cum Palud. Sylv. et Ang. Dubium est, an sit veniale. *Prima sententia* affirmat cum Bus. Less. etc. quia dissonum est su-

(1) Hoc loco. (2) De iust. disp. 272. n. 5. (3) 1. p. l. 11. c. 2. q. 3. (4) L. c. de 3. praec. n. 103. (5) In tr. ut supra de iuram. c. 5. n. 21. (6) In 4. dist. 38. q. 1. a. 5. ad. 1 (7) Ib. n. 22.

(8) C. 1. n. 152. (9) L. c. (10) L. 2. c. 40. n. 75. (11) L. 4. c. 24. n. 30. et 31. (12) C. 3. n. 27. (13) 2. 2. q. 185. a. 5. (14) De vot. c. 3. n. 29 (15) L. 2. c. 40. n. 69.

periorem sine causa uti hac potestate. Sed de se loquendo verius est nullum esse peccatum, quia vota subditorum sub conditione consensus superiorum emittuntur, unde obedientia sufficit pro causa. Ita Salm. [1] cum s. Anton. Caiet. Sylv. Azor. Tamb. etc. Dixi *de se* loquendo, quia difficulter aliunde poterit excusari a veniali, vel quia facit actum otiosum, vel quia irrationabiliter profectum alterius impedit, ut recte ait Lessius [2]. Sufficit vero quaevis causa rationabilis ad excusandum a veniali, ut Elbel [3] ac alii. Et idem tenet Spor.[4] cum Sot. Val. Med. etc. commun. non peccare graviter superiorem, qui dederit permissive licentiam, et postea revocaverit; imo probabile putat ne veniale quidem esse, nisi promiserit non revocare. Valida est autem irritatio omnium votorum in genere, etiam futurorum, ac etiam renuente subdito. Salm. cum Pal. etc. [5].

Unde resolves:

229.« 1. Quivis pater, et in eius defectu avus paternus, tutor, imo etiam mater, non tantum si tutrix sit, sed etiam in priorum defectu, et secundum quosdam, reliquis deficientibus, etiam magister vel herus, ut Suar. Less. [6] contra Sanch., potest directe irritare vota liberorum impuberum[7]. Impubertas autem secundum iura finitur in masculis anno decimo quarto completo: in foeminis duodecimo completo, a die nativitatis computando, ut Sanch.[8] Laym.[9] Bonac. [10]. »

Clarius singula explicanda. Pater, sive avus paternus in eius defectu, potest irritare quaecumque impuberum vota, sive personalia sive realia; adhuc castitatis et religionis, etiamsi filius sit doli capax, et etiamsi votum sit de peculio castrensi, vel quasi, ut Salm.[11] ex s. Th.[12] cum Cai. et Sanch. Suar. Trull. Laym. Less. Pal. etc.[13]. Et ratio est, ut ait Sanch. [14], quia in tali aetate deficit perfecta deliberatio ad tantam obligationem; quare ad talem defectum natura prospexit, praebendo parentibus facultatem talia vota irritandi. In dubio autem an votum sit emissum ante vel post pubertatem, adhuc potest pater irritare, quia possidet sua potestas. Ita Sanchez Dian. Mich. cum Elbel [15]. Qui recte idem ait dicendum in dubio, an filius post pubertatem votum ratificaverit. Filiorum autem puberum non possunt parentes irritare vota personalia, puta castitatis, frequentiae sacramentorum etc., nisi praeiudicent domesticae gubernationi, prout vota longae abstinentiae, peregrinationis, ieiunii incompatibilis cum modo familiae etc. Ita Salm. [16] cum s. Thom. Less. Pal. Sylv. Tamb. etc. Bene autem possunt irritare (indirecte tamen, ut Busemb. cum Laym. *art. seq. num.* 242.) vota realia puberum in minori aetate, quia in ea carent ipsi administratione bonorum. Salm.[17] cum s. Thom. Sanch. Trull. etc. Excipe, si votum sit de peculio castrensi, vel quasi; vel si filius exierit a patria potestate. Salm.[18]. Item votum eundi Romam pro absolutione excommunicationis [19]. Facultatem autem, quam habet pater erga filios legitimos, eamdem habet erga illegitimos, ut Sanc.[20] cum Pal. et Tamb. et est commune apud Salm.[21]. Notandum hic, quod dictum est de patre, dici etiam de tutore respectu pupilli, et de curatore respectu minoris. Et, si sint plures tutores vel curatores, quilibet eamdem potestatem habet. Salm.[22] cum Suar. Sanch. Bon. Trull.

230. Quaestio est an mater possit irritare vota filiorum. Si mater sit designata tutrix aut curatrix certe potest, quod tutores et caeteri ut supra possunt. Sed quid, si non sit ut talis designata, et filius careat patre vel avo paterno? Sanch. Suar. Pal. etc. apud Salm.[23] putant tunc filium esse sui iuris: sed oppositum dicunt esse proba-

(1) N. 30. (2) Loc. c. n. 70. (3) N. 254. (4) De 2. praecept. n. 54. (5) N. 34. et 35. (6) D. 10. n. 78. (7) C. Mulier 32. q. 2. et c. 1. et 22. c. 20. q. 1. et c. Si quis de reg. (8) L. c. (9) L. 4. tr. 4. c. 7. n. 10. (10) Disp. 4. q. 2. p. 6. §. 2. (11) C. 3. n. 45. (12) 2. 2. q. 88. a. 9 (13) Ex c. 1. 20. q. 1. et 2. (14) L. 4. c. 18. n. 5 (15) N. 251. (16) N. 46. (17) Ibid. n. 47. (18) N. 48. (19) Ex c. Relatum, de sent. excom. (20) L. 4. c. 35. n. 82. (21) Dict. c. 3. n. 53. (22) C. 3. n. 49. (23) C. 4. n. 50.

bile, scilicet quod in eo casu incumbit matri esse curatricem, ut probabilius tenent Salm.[1] cum Tamb. Prad. Leand., quia rationabile est, ut mater vel avia minori provideat; et ideo bene potest eorum vota ut curatrix irritare.

Sed magis dubitatur an mater, praesente patre vel tutore, possit filiorum vota irritare. Est duplex sententia probabilis. *Prima* negat, et dicit quod, solum deficiente patre et tutore, potest mater irritare vota impuberum, et deficiente matre, idem potest avus et avia ex parte matris. Ita Suar. Sanch. Tamb. Laym. Pal. Trull. Bon. etc. ap. Salm.[2]. *Secunda* non minus probabilis, ut merito aiunt Salm.[3] (quam tenent Prad. et Philiarch. ac Ronc.[4]), asserit matrem, etiam praesente patre vel tutore, posse irritare vota omnia impuberum, etiam castitatis et religionis; et etiam vota personalia puberum, quae praeiudicant gubernationi domus; non vero realia, quorum administratio pertinet ad patrem, vel curatorem. Ratio, quia talis potestas licet non civiliter, naturaliter tamen etiam est in matre, cui filii tenentur obedire, etsi cum subordinatione ad patrem; ita ut possit pater irritare vota filiorum, contradicente matre: sed non sic mater, contradicente patre; et probatur ex s. Th.[5] qui parentibus indistincte praebet facultatem irritandi vota filiorum.

231. Quaeritur ultra, an vota filiorum et aliorum subditorum, velut religiosorum, uxorum etc. ut infra, donec irritentur, sint valida in iis quae superiorum mandatis aut iurisdictioni non praeiudicant. Negat *prima sententia*, et proinde ea non indigere dicit relaxatione, si sine consensu superiorum sint emissa; quia tales subditi carent usu voluntatis, cuius dominium est penes superiores. Ita Val. Angel. March. Ricc. Rosell. et alii; et probabilem vocant Leand. Torr. et Peyr. ap. Salm.[6]. Et sibi favere aiunt s. Thom.[7] qui sic dicit: *Nullum votum religiosi est firmum sine consensu praelati:* et idem dicit de voto uxoris etc. *Secunda* tamen *sententia* probabilior, quam omnino tenendam dicunt Salm.[8] cum Cai. Nav. Tamb. Pal. Trull. Fill. Azor. Sanch. Suar. et aliis pluribus, affirmat valida esse talia vota, sive realia, sive personalia, nisi irritentur; quia subditi revera non carent voluntate, sed eam subiicere debent voluntati superiorum, si contradicant. Et sic intelligendus est s. Th. qui[9] nihil aliud docet, quam tale votum non esse *firmum;* quia, ut dicit[10]: *In eorum voto intelligitur debita conditio, si suis superioribus placuerit, vel non renitantur.* Quare sufficit, quod illi non renitantur, ut impleatur conditio voti, et votum sit firmum.

232. Quaeritur denique hic, utrum, si per errorem communem cum titulo quis existimaretur praelatus, maritus, pater etc. sit valida votorum irritatio ab eis facta, sicut validi sunt actus iurisdictionis[11]. Negant Sanchez Bonac. Trull. Pal. et alii ap. Salm.[12] quia differt actus dominii ab actu iurisdictionis. Probabile tamen contrarium censent Salm.[13] cum Prado, quia in his eadem ratio currit.

233. « 2. Vota religiosorum (Quaecumque etiam interna, ut Salm.[14] cum Sot. Sanc. Laym. et Ronc.[15] quia religiosus transtulit in praelatum totum suum velle et nolle) non tamen novitiorum (Licet vota personalia novitiorum suspendantur, vid. Salm.[16]) etiam sub praedecessoribus emissa, irritare possunt directe praeter papam (Papa omnia quidem potest directe irritare vota religiosorum: et episcopus monialium subiectarum. Salm.[17]). Abbates, guardiani, priores et rectores (Etiam praelati secundarii, absentibus primariis. Salm.[18]); ac probabiliter etiam abbatissae (Cum Salm.[19]) ut habet Suar.[20] Regin.[21] Fill. Bonac.[22]. Excipitur tamen votum transeundi ad religionem strictiorem. Vide Binsfeld[23] Less.[24] San-

(1) C. 4. n. 50. (2) Ibid. n. 51. (3) N. 52. (4) De vot. c. 5. q. 3. r. 3. (5) Op. 17. c. 13. a. 10. (6) C. 1. n. 182. (7) 2. 2. q. 88. a. 8. ad 3. (8) Ibid. n. 183. (9) L. c. (10) In resp. ad 1. et 4.

(11) Ex l. Barbarius ff. de off. praet. (12) C. 3. n. 71. (13) Ibid. (14) N. 37. (15) Q. 2. (16) C. 42. (17) N. 33. (18) N. 40. (19) N. 41. (20) L. 3. de voto, c. 7. n. 19. (21) L. 18. n. 321. (22) L. c. n. 79. (23) 3. p. ench. c. 9. (24) N. 75.

chez[1] Bon.[2] (Hoc votum nec papa potest irritare. Sal.[3].)

234. »3. Idem potest, secundum Sanc.[4] maritus respectu votorum uxoris: licet probabilius id alii limitent ad ea vota quae mariti iuri praeiudicant. Laym.[5] Fill.[6] Less.[7]. »

Sed probabilior, saltem extrinsece, videtur contraria sententia, quod vir possit directe omnia vota uxoris irritare, licet non praeiudicent usui matrimonii, vel prolis educationi, vel gubernationi domesticae (ut tantum concedunt dd. contrariae sententiae ap. Salm.[8].) Et maxime probatur ex Num.[9] ubi dicitur: *Si maritum habuerit, et voverit aliquid ... si audiens* vir *statim contradixerit, et irritas fecerit pollicitationes eius ... propitius erit ei Dominus.* Quod non de solo voto abstinentiae, sed de omni voto interpretantur 70. interpretes, et s. Ambr. apud Salm.[10] sic dicit: *Evidentissime apparet ita virum esse caput mulieris, ut nulla vota abstinentiae, vel religiosae conversationis liceat sibi sine eius licentia Deo offerre.* Pariter s. Thom.[11] docet votum uxoris ita nullum esse sine consensu viri, sicut votum religiosi sine consensu praelati: *Nullum votum religiosi* (verba s. Thom. *est firmum, nisi de consensu praelati; sicut nec votum puellae, nisi de consensu patris; nec uxoris, nisi sit ex consensu viri.* Et ratio est, quia expedit valde ad pacem familiae, ad mutuum amorem fovendum, quod uxor voluntatem totaliter a viro dependentem habeat, et sic impetus foeminarum retundantur. Ita Sanch.[12] cum Soto Sa et Salm.[13] cum Sanch. Prado Tamb. Dian. Rodr. Fag. Villal. Ledesm. Leand. Arag. etc. contra Sporer[14] cum Nav. Sylv. Az. etc. Sed etiam isti contrariam sententiam probabilissimam vocant ap. Salm.[15]. Hinc vir potest irritare etiam vota castitatis, et religionis uxoris exequenda post mortem viri. Salmant.[16] cum Sot. Arag. Leand. Fag. etc.: item Sanch.[17] cum Pal. Led. et Vega, contra Navarr. Caiet. etc.

235. E converso notandum 1. quod uxor nequit irritare vota viri, nisi sibi praeiudicent, ut votum longae peregrinationis, magnae abstinentiae, vestiendi habitum eremitae, et similia. Salm. cum Bus. *art. seq. n.* 242. *inf.* 2. Et etiam votum non petendi debitum, ut probabilius tenent Spor.[18] cum Laym. Trull. Henr. Fag. etc. (contra Less. Sanch. Basil. etc.) apud Salm.[19] quia valde grave esset pudori uxoris cogi semper ad petendum. Talia vota docent dd. communiter esse irritanda: at potius videntur semper esse invalida, utpote de materia inepta sicut sentiunt Salm.[20].

236. Notandum 2. quod si coniuges mutuo consensu voveant castitatem, aut religionem, nequeunt vota invicem irritare; quia virtualiter uterque cedit iuri suo. Est comm. Ita Salm. cum Sanc. Suar. etc.[21] et Bus. *n.* 242. 7. qui bene addit secus esse, si uterque independenter ab altero vovisset. Sed vide dicenda *num.* 239. *v. Quid autem.* Coniuges isti, si post tale votum mutuo consensu emissum revocent pactum, et coeant, licet non peccent contra castitatem, peccant tamen contra votum, nisi a gravissima causa excusentur. Salm.[22] cum Suar. Pal. Bon. Sanch. etc.

« 4. Qui semel votum irritavit, si postea nolit, non ideo revalidatur, ut vult Sa[23] (Sic Salm.[24] cum Soto Sanch. Trull. contra aliquos).

237. »5. Nullus supradictorum potest directe irritare vota emissa ante subiectionem, v. g. ante matrimonium: facta vero intra tempus subiectionis, de re implenda post tempus subiectionis, v. gr. in pubertate, vel post obitum mariti, possunt irritare. Bonac.[25] (Cum Salm.[26] Val. Dian. Tamb. etc. ac Sanchez[27] cum Sot. etc. V. *dicta n.* 234).»

Non potest vir directe irritare vota

(1) C. 24. n. 3. (2) L. 4. (3) N. 38. (4) L. 9. de matrim. d. 39. (5) L. 4. tr. 4. c. 7. n. 12. (6) Tr. 26. c. 8. q. 8. (7) D. 19. n. 83. et d. 15. (8) C. 3. n. 57. (9) C. 30. (10) N. 58. (11) 2. 2. q. 88. a. 8. ad 3. (12) De matr. l. 9. d. 39. n. 4. (13) Loc. c. (14) De voto c. 3. n. 27. (15) Ibid. (16) N. 59. (17) Loc. c. n. 16. et disp. 40. n. 17. (18) Loc. cit. n. 28 (19) N. 36. (20) Ib. n. 53. (21) N. 56. (22) N. 59. (23) V. irritatio voti. (24) N. 70. (25) Loc. c. (26) C. 3. n. 74. (27) De matrim. lib. 9. d. 39. n. 18.

ab uxore emissa ante matrimonium, sed bene potest illorum suspendere executionem, quatenus praeiudicant suae potestati. Salm.[1] cum Sanch. Val. Pal. Suar. etc. Vota autem religiosorum certum est quod per professionem extinguuntur[2]. V. Elbel[3] et Salm.[4].

« 6. Votum de quo dubium est, utrum emiseris tempore libertatis, an subiectionis, non posse irritare superiorem, docet Salas[5] et Caram.[6]: sed contrarium tenent Suar. Sanch. Bon. etc. cum Bard.[7]. »

Quaeritur igitur, utrum vir vel praelatus possit directe irritare uxoris aut religiosi vota, de quibus dubitatur, an sint emissa ante vel post subiectionem. Affirmant Sanch.[8] ex Suar. (cum aliis ap. Busemb. *ut supra*). Ratio, quia, ut ait, possessio praesentis voluntatis subditi est certa, cum certum sit illam esse uxorem, vel illum religiosum; at exceptio quoad illa vota est dubia; quare, usquedum probetur exceptio, scil. quod vota sint emissa ante subiectionem, praevalet certa possessio superioris. Sicut a pari coniux dubitans de valore matrimonii tenetur reddere alteri petenti ob certam suam possessionem[9]. Ita Sanch.: sed pace tanti doctoris oppositum sentio. Non dubito (ut diximus *n.* 229.) quod pater possit irritare vota filii, quando dubium est, an filius pertigerit vel non ad pubertatem, quia eo casu possessio stat pro potestate patris, ut diximus *dict. num.* 229. Secus vero e converso dico tenendum hic, cum vota sint certa, et possessio viri vel praelati sit dubia, eo quod dubitatur an vota sint vel ne emissa tempore, quo iam incoeperit subiectio. Differt autem paritas coniugis petentis debitum; nam ibi ille habet certam possessionem super totum corpus coniugis dubitantis, et ex possessione ius certum habet illo utendi. Aliter tamen est in nostro casu, in quo vir vel praelatus non habet possessionem totalem super voluntatem uxoris aut religiosi. Habet quidem possessionem super voluntatem praesentem subditi, sed non habet super praeteritam. Et ideo praedicti non possunt directe irritare vota, de quibus dubitatur, an sint de materia ipsis subiecta. Possunt tamen indirecte, iuxta dicenda *art. seq. n.* 241.

238. « 7. Vota facta tempore subiectionis possunt adhuc irritari post illud, v. gr. quando filius iam est pubes. Quod verum est, etsi in pubertate ratificasset, putans ex errore esse firma: secus tamen, si infirma esse novisset, et independenter a prioribus ratificasset, ut Less.[10] (Et Elbel[11] cum Spor. Tamb. etc.). »

Et haec est probabilior, scilicet quod vota facta tempore subiectionis etiam post illud irritari possint a patre, ut tenent contra alios Salmantic.[12] cum Sanch. Suar. Trull. Caiet. Bonac. Pal. etc. Modo filius non confirmet votum in pubertate; et ut probabiliter addit Bus. cum Less. modo sciat tunc vota fuisse infirma.

Vota tamen realia puberum nequit pater irritare, postquam ipsi emancipati sunt. Salm.[13]. Nec praelatus vota religiosi, si iste non sit amplius illi subiectus; nec vir vota uxoris, facto divortio formali. V. Sal.[14].

239. « 8. Supradicti possunt revocare, ac directe irritare vota, etsi semel ea ratificaverint, quia non privarunt se dominio et potestate sua. Vid. Suar.[15]: quod si tamen id sine causa fiat, erit secundum quosdam peccatum mortale, licet probabilius id negent Suar.[16] et Layman *hic*. »

Quod valide possint superiores irritare vota subditorum, tametsi illa ratificaverint videtur certum, quia ipsi, etiamsi velint, nequeunt sibi adimere potestatem dominativam, quam in subditos habent. Ita communiter Sanch.[17] Elbel[18] et Salmant.[19] cum Caiet. Suar. Pal. Sayr. Trull. Prado etc. Et hoc va-

(1) C. 3. n. 55. (2) Ex c. Scripturas, de voto. (3) N. 253. (4) Ibid. (5) 2. 2. q. 21. (6) L. 3. c. 1. d. 1. (7) L. 6. c. 1. §. 23. (8) Dec. l. 4. c. 32. n. 7. (9) Ex c. Dom'nus, de sec. nupt. (10) L. 2. c. 40. d. 19. (11) N. 252. (12) C. 3. n. 73. (13) Dict. n. 73. (14) N. 72. (15) De voto lib. 6. c. 6. (16) Loc. c. c. 4. (17) Dec. l. 4. c. 27. n. 9. (18) De voto n. 259. (19) C. 3. n. 66.

let non tantum pro patre respectu filii, et praelato respectu religiosi; sed etiam pro viro respectu uxoris, ut valde probabiliter tenent Sanch. [1] cum Sot. Ledesm. Arag. et Vega; item Tamb. [2] et Salm. [3] cum aliis cit. (contra Elbel [4] et Sporer [5]). Ratio, quia vir habet veram potestatem directam irritandi vota uxoris, etiam castitatis, et religionis, ut dictum est *n.* 234.

Certum contra est quod omnes praefati superiores, si sine iusta causa irritant vota subditorum, postquam positive illa approbaverint, peccant tam ipsi, quam subditi relaxationem petentes. Dixi, *si positive approbaverint*; nam secus esset, si tantum permiserint subditos vovere, vel exequi rem voto promissam, ut Salm. [6] cum Sanch. et Pal. Sed dubitatur, an irritando peccarent graviter, vel leviter. Adest duplex sententia probabilis. *Prima* asserit graviter ex Num.[7]: ubi de viro consentiente ad uxoris votum, et postea irritante dicitur: *Portabit ipse iniquitatem eius*. Ratio, quia, posito suo consensu, tenetur votum non impedire. Ita Salm.[8] cum Caiet. Sanch. Laym. Ledesm. etc. *Secunda* tamen *sententia* forte probabilior asserit, peccare leviter, secluso scandalo aut contemptu, quia superior utitur iure suo, et irritando votum non est causa violationis illius, cum subditus nec ipse tunc violet votum. Ita cum Busemb. *hic* tenent Suarez [9], Bonac. [10] Sot. [11] Tamb. [12] et Trull. Pelliz. Dian. Peyr. ap. Salm.[13]. Eamdemque tenent Sporer [14] cum Val. Med. et communiori. Verumtamen idem Spor.[15] et Less.[16] ac Elb.[17] cum Laym. ab his excipiunt virum, qui suo positivo consensu votum uxoris approbasset, maxime si esset votum castitatis, quia tunc (ut dicunt) ipse iam cessit iuri suo; unde nec valide irritare potest, et si irritaret graviter peccaret. Sed hi aa. loquuntur iuxta sententiam quam ipsi tenent, scil. quod vir tantum ex potestate indirecta possit vota uxoris irritare. Aiunt enim in hoc differre praelatum respectu religiosi a marito respectu uxoris, quia praelatus, cum habeat potestatem directam irritandi, non potest iuri suo renunciare; potest tamen maritus, ad quem spectat potestas tantum indirecta. Sed nos iuxta praedictam sententiam relatam *dict. num.* 234. dicimus cum s. Thoma eamdem potestatem dominativam, quam habet praelatus in religiosum, habere virum in uxorem; unde sicut non potest praelatus illam sibi adimere, ita nec vir respectu uxoris. Hinc satis probabiliter videtur opinari secundum supra dicta Tamb.[18] quod vir sine causa irritans votum castitatis uxoris, etiam postquam positive approbaverit, non peccet plusquam venialiter.

Quid autem, si coniuges mutuo consensu voverint castitatem? Certe vir eo casu remanet obstrictus suo voto, quod ab uxore non potest quidem irritari. Sic etiam ait Sanc. [19] nec virum posse votum uxoris irritare, et eum sequuntur Salm. [20] et alii comm. At ego non invenio rationem certam qua damnare possim Palacium et alios apud Sanch.[21] qui contradicunt; nam, si vir (prout concedit ipse Sanch. ut vidimus) potest valide irritare votum uxoris, ipso approbante, emissum, cur non poterit, arguit Palacius, si mutuo consensu ipse etiam castitatem voverit? Attamen, cum haec opinio sit contra communem, et Tamburinus in hac difficultate involutus dubium indecisum reliquerit; ita et ego sapientibus decernendum remitto.

« 9. Praelatus potest irritare votum subditi a praedecessore aequali vel inferiore confirmatum, non tamen a superiore. Vide de his Bonac. [22] Laym. [23] (Et hoc valide et licite, Salmant. cum Sanch. Pal. Suar. Tamb. etc.). »

240. Si loquamur de mancipiis, dominus potest irritare quaecumque eo-

(1) De matr. l. 9. d. 40. n. 17. (2) Dec. l. 3. c. 16. §. 3. n. 48. (3) L. c. ex n. 64. (4) N. 259. (5) De 2. praec. c. 3. n. 32. etc. (6) Ibid. n. 69. (7) 30. 16. (8) N. 68. (9) L. 6. c. 4. (10) P. 7. §. 2. n. 29. (11) De iust. l. 7. q. 5. a. 1. (12) Ib. n. 14. et n. 57. (13) N. 67. (14) Loc. c. n. 34. (15) N. 32. (16) L. 2. c. 40. n. 95. (17) N. 258. (18) Loc. c. n. 53. (19) D. d. 40 n. 20. (20) N. 59. (21) Loc. c. n. 19. (22) Loc. c. §. 3. (22) L. 4 tr. 4. c. 7. n. 14.

rum vota realia, nisi illi aliquod de proprio habeant, et personalia, quae domino praeiudicant, prout religionis, longae peregrinationis, etc. non vero castitatis, vel moderatae orationis, aut ieiunii etc. Ita Salm. [1] cum aliis.

Vota autem famulorum nequeunt ab heris irritari, sed tantum suspendi possunt pro tempore famulatus, quatenus debitis obsequiis praeiudicant. Salm. [2] cum Sanch. Suar. Bonac.

ART. II. Quis vota indirecte possit irritare.

241. « Resp. Si alicui non quidem voluntas voventis, sed voti materia sit subiecta, ita ut in hanc ius habeat, is tale votum potest irritare irritatione indirecta; hoc est eius obligationem suspendere, in quantum suo iuri praeiudicatur; idque ex lege naturae docente, quod nemo possit alteri promittere aliquid in praeiudicium tertii. S. Thomas [3] Suar. Less. [4].

Unde resolves:

242. » 1. Sic irritare possunt, praeter supra nominatos, pater respectu filiorum puberum, quamdiu manent in domo paterna, nec sunt emancipati: item tutor puberis, usque ad annum vigesimum quintum, in iis quae eorum potestati officiunt. Laym. [5] (V. *art.* 1. *antec. n.* 229).

» 2. Item potest uxor respectu mariti, v. gr. si is voverit longiorem peregrinationem, habitare alibi, cubare seorsim, quae derogant vitae sociali, et usui dominii, quod habet in corpus mariti. Less.[6] Fill.[7] (V. *sup. a.* 1. *n.* 235).

» 3. Item dominus et domina respectu famulorum, ut si ii voverint ieiunium, quo fierent inepti ad obsequia domini: quale votum non est castitatis, vel brevis orationis. Less. [8].

» 4. Item non tantum pontifex respectu omnium fidelium, sed etiam episcopi et principes respectu subditorum quando materia illis praeiudicat. Denique superiores respectu novitiorum in iis quae impediunt novitiatus exercitia. Less. [9].

» 5. Non possunt irritari indirecte vota de re alias praecepta, v. gr. non furandi, quia nemini praeiudicant. Item neque vota implenda tunc, quando materia voti non erit amplius subiecta; v. gr. vota servi implenda, cum erit liber: et coniugis cum alter erit mortuus. (Sed probabilius hoc negatur de viro quoad vota uxoris, ut supra *art.* 1. *antec. n.* 234).

» 6. Potest quis etiam indirecte irritare vota longe ante facta, quam sibi materia subiiceretur; v. gr. facta a coniuge longe ante matrimonium. (Salmant. [10] *ut supra n.* 236).

» 7. Potest quis etiam vota a se vel antecessore concessa et confirmata indirecte irritare, ut patet ex artic. superiore. Excipe tamen, nisi suo iuri cessisset, et hanc concessionem subditus acceptasset, ut v. gr in voto castitatis, mutuo mariti et uxoris consensu facto. Secus tamen esset, si vel sola uxor, vel uterque independenter ab altero vovisset. (Vide *supra art.* 1. *num.* 239).

» 8. Vota indirecte tantum irritata reviviscunt, et obligant, quando alteri desinunt praeiudicare. V. de his Bon.[11] Laym.[12] (Vota autem directe semel irritata nunquam reviviscunt, ut Elbel [13] cum Sanch. Val. et Fill.). »

DUBIUM VII. Quid sit commutatio voti.

243. *Quando possint commutari vota.*
244. *An possit quis commutare sibi votum in opus aequale.*
245. *An valeat commutatio in minus sine iusta causa.*
246. *Vide alia notanda.*
247. *An habens facultatem possit commutare in aliquantulum minus.*
248. *An facta commutatione, possit vovens implere votum per primam promissionem.*
249. *An facta impossibili re commutata, teneatur vovens implere primam.*
An qui immemor voti praestat opus promissum, a voto liberetur.

243. « Resp. Commutatio est substitutio alterius operis honesti loco eius, quod voto promissum erat, sub eadem obligatione. Circa quam, ut licite fiat, traduntur hae regulae: *prima*, ad commutationem voti requiritur auctoritas ecclesiastica: 1. Quando commutatio

(1) C. 3. n. 62. et 63. (2) N. 75. (3) In 4. d. 38. (4) Loc. c. (5) Ib. c. 7. (6) N. 83. (7) N. 273. (8) N. 86. (9) D. 15. n. 8. (10) C. 3. n. 75. (11) P. 7. (12) Ib. n. 10. (13) N. 266.

fit in paulo minus bonum: quod si notabiliter minus sit, dicetur dispensatio. 2. Quando dubium est de aequalitate boni (Cum Salm. [1]). 3. Quando fit in bonum aequale: licet aliqui tunc putent sufficere auctoritatem propriam; haec tamen sufficit ad commutationem in melius, quia in meliori minus continetur. (Est commune cum Salm. [2] exceptis tamen votis reservatis). Voco autem *melius*, quod est tale in ordine ad utilitatem spiritualem voventis et Deo gratius (cum Salm. [3]. Tutior est commutatio in frequentiam sacramentorum, Sanch. Tamb. Bardi Bassius ap. Salm. [4]). »

244. Quaeritur an votum possit propria auctoritate commutari in opus evidenter aequale. Adest duplex sententia. *Prima* probabilior negat ex s. Th. [5] qui rationem profert: *Quia commutatio est quidam contractus, qui perfici nequit absque consensu eius, qui vicem Dei gerit in terris, scilicet praelati*. Deinde quia supposita promissione, magis gratum censetur esse Deo, ut vovens fidelis sit ei praestando rem promissam, quam aliam aequalem. Ita Sanchez [6] qui licet antecedenter [7] contrarium censuerit, se revocat tamen [8], cum Cai. Covarr. Sot. Azor. et Suar. Pal. Leand. Laym. Fill. Reg. etc. cum Salm. [9]. Qua posita sententia, alii dicunt talem commutationem esse tantum peccatum leve, ut Sanch. Ledesm. Dian. Mendo et alii ap. Salm. [10] quia, ut dicunt, esset infidelitas in re modica. Quare, si iam praestita sit materia commutata, sufficit, quod vovens suppleat aliquid. Et idem dicendum asserunt, si materia praestita fuerit minor promissa. Alii tamen sentiunt esse peccatum grave, ut Salm. cum Pal. Suar. Azor. Prad. etc. quia de tali commutatione, prout irrita, nulla ratio habenda est. De hoc vide *n. seq.* 245.

Secunda tamen *sententia*, quam satis probabilem vocant Salm. [11] et tenent Elbel [12] Henr. Medin. Maior. ap. Sanchez [13] item Tamb. [14] cum Sa Rodr. Bon. Fag. Dian. Villal. et probabilem vocant Suar. Arag. apud Sanch. et Trull. Less. etc. apud Salm. [15] affirmat cuique licere commutare suum votum cum opere evidenter aequali. Ratio, quia praesumitur Deus aeque acceptare opus quoad substantiam aequale, ob benignitatem divinam, saltem ut hilarius ei oblatio praestetur; qua supposita praesumptione, ratio promissionis, ut supra, cessat. Doctrina autem et ratio allata a s. Thom. intelligenda est de opere minori; nam aliter, nec etiam valeret commutatio in evidenter melius, quam valere non dubitat communis sententia, etiamsi sit materia disparata, ut Salm. [16] cum Sanch. Azor. Val. Suar. Laym. et aliis contra paucos, et probatur *ex c. Super his, de voto*. Conveniunt autem etiam primae sententiae dd. quod, si materia sit certo aequalis, et probabiliter, aut dubitanter sit melior, tunc propria auctoritate recte fit commutatio. Ita Salmant. [17] cum Sanch. Suar. Pal. etc. quia tunc materia semper est morailter melior, ut Salm. [18]. Sed his non obstantibus, puto non recedendum a prima sententia; ratio enim allata a s. Thoma valde urget: saltem ratio illa concludit pro opere aequali.

« *Secunda* regula. Ad commutationem voti in aequale requiritur causa, licet minor quam ad dispensationem, quia dispensatio plane liberat ab obligatione voti; commutatio vero aliud subrogat. Unde si fiat in melius, nulla causa requiritur; si in aequale cum auctoritate superioris, sufficit maior in illud propensio (ut Salmant. [19] cum Laym. Caiet. etc. vel minus periculum transgrediendi, ut Elbel [20] cum Sanch. Pal. et Croix). Si vero dubitetur an sit aequale, sufficit notabilis molestia in implendo. Vide Less. [21]. »

245. Quaeritur an, si commutatio fiat in minus sine iusta causa, sit non

(1) C. 3. n. 130. (2) N. 132. (3) N. 142. (4) Loc. c. (5) In 4. dist. 38. q. 1. a. 4. q. 4. (6) In dec. (7) L. 3. c. 19. n. 9. in fin. et l. 4. c. 5. n. 28. (8) L. 4. c. 49. n. 12. et 21.

(9) C. 3. n. 134. (10) N. 135. (11) Ibid. n. 135. (12) N. 304. (13) Loc. c. (14) Dec. l. 3. c. 16. §. 5. n. 14. (15) Ibid. (16) C. 3. n. 132. (17) C. 3. n. 134. in fin. (18) Ibid. n. 144. in fin. (19) N. 145. (20) N. 306. (21) L. 2. c. 40.

solum illicita, sed etiam invalida. *Prima sententia* cum Sanch. [1] et Dian. Candid. etc. ap. Salm. [2] et Tamb. [3] dicit esse validam, modo suppleatur defectus; quia, si non esset maior obligatio erga homines, quam supplendi, tanto magis erga Deum, cum quo mitius agitur. Et haec cohaeret cum secunda opinione relata supra *num.* 244. *Secunda* vero *sententia* dicit esse invalidam, sicut invalidam esse dispensationem sine iusta causa docet s. Th. [4]. Ratio, quia praelatus nequit excedere facultatem quam habet sibi a Deo delegatam, scilicet commutandi tantum cum causa iusta. Ita Salm. [5] cum Mar. Pal. Trull. etc. Utraque est probabilis. In dubio autem, an causa commutationis fuerit sufficiens, vel non; docet d. Thom. [6] posse voventem acquiescere iudicio commutantis.

Unde resolves:

246. « 1. Quamvis oratio absolute sit melior ieiunio, non licet tamen propria auctoritate hoc in illam commutare, quia hic et nunc potest ieiunium esse Deo gratius, utpote utilius ad bonum spirituale huius hominis. Less. [7] Sanch. [8] (Asserit Lohn. [9] unam confessionem, vel communionem valere pro rosario totius hebdomadae. Sed huic generaliter loquendo non acquiesco).

» 2. Omnia vota personalia propria auctoritate commutari possunt in votum religionis: imo ipso iure omnia vota realia sic mutantur in professione. (Sic s. Thom. apud Salm. [10].)

» 3. Qui habet votum religionis non potest illud propria auctoritate commutare in susceptionem episcopatus, tum quia hic non efficit hominem perfectiorem, quam religio, licet perfectiorem esse supponat: tum quia non constat, quod illud hic et nunc sit Deo gratius: tum quia sic respondit Innocentius III. [11] ap. Bonac. [12]. Idem docent Less. [13] Az. Sanch. Laym. [14] Pal. [15] Fag. Dian. [16].

» 4. Qui habet facultatem dispensandi, (etiam delegatam, ut verius Laym. Less. Pal. Suar. cum Salm. [17] contra Nav. Sanch. etc.) habet etiam commutandi; non tamen contra: quia commutatio est pars dispensationis; qui autem potest maius, etiam minus potest. Qui autem habet facultatem commutandi tantum, non potest mutare, nisi in aequale: quod moraliter et non scrupulose aestimandum est, ut monet Laym. [18], in qua aestimatione, ait Caietan., non negligenda sunt concomitantia: v. gr. in voto peregrinationis habenda ratio non tantum laboris, sed etiam expensarum quas fecisset [19]. Suar. Less. Vid. Bon. [20]. »

247. Quaeritur an habens facultatem tantum commutandi, possit commutare in opus aliquantulum minus. *Prima sententia* (quam satis probabilem recte vocant Salm. [21]) affirmat, modo excessus non sit notabilis. Ratio, quia si potestas commutandi non esset talis, esset pluribus anxietatibus obnoxia, ideo inutilis; cum difficillimum sit aequalitatem invenire in re subrogata. Deinde quia, si probabile est posse fieri commutationem auctoritate propria in aequale, probabile etiam esse debet, quod habens facultatem commutandi possit commutare in aliquid minus, aliter talis potestas nihil operaretur. Ita Sa Bonac. Trull. Dian. Leand. Medin. et probabile vocat Less. ap. Salm. [22]. *Secunda* vero *sententia* tenet faciendam esse commutationem in rem aequalem, aequalitate tamen morali, non mathematica, ita ut parva credatur esse differentia, et nullus excessus manifeste appareat. Ita Salm. [23] cum Cai. Pal. Suar. etc. cum Bus. hic et Laym. Et sic sententia haec revera cum prima conciliatur.

Notandum hic quod recte potest opus personale commutari in reale, et e converso, et perpetuum in tempo-

(1) L. 4. c. 51. n. 8. (2) C. 3. n. 147. (3) Ibid. n. 9. (4) 2. 2. q. 88. a. 12. (5) N. 148. (6) 2. 2. q. 88. a. 12. ad 2. (7) D. 16. (8) C. 46. (9) In instruct. etc. (10) C. 3. n. 159. (11) C. Per tuas, de voto et voti redempt.

(12) In 2. praec. d. 4. q. 2. p. 7. (13) L. 2. c. 4. d. 16. a. 103. (14) L. 4. t. 5. c. 6. n. 15. (15) Tr. 16. disp. 1. p. 6. n. 2. (16) P. 6. t. 6. r. 62. (17) C. 3. n. 81. (18) L. 4. tr. 4. c. 8. n. 24. (19) Ex c. Magna, de voto. (20) P. 7. §. 3. (21) C. 3. n. 158. (22) D. n. 158. (23) N. 159

raie. Salm. [1] cum Less. Suar. Laym. Pal. etc. Recte autem Elbel [2] cum Gob. et Tamb. monet confessarium, ut conetur talia opera voto substituere, quae poenitenti videantur magis utilia, et non nimis difficilia.

248. « 5. Si is, cuius votum mutatum est, malit deinde implere primum, id potest: tum quia id est melius, vel aequale, tum quia in eius favorem factum est, cum tacita conditione, si ei placuerit. Less. [3] Sanch. Fill. [4]. »

Si votum commutatum est in minus vel aequale, procul dubio potest adhuc eligi primum opus. Est commune apud Salm. [5] cum Sanch. Pal. Suar. etc. Dubium est, si commutatio facta sit in melius cognitum et acceptatum. Tunc Suar. Fill. Regin. etc. ap. Salm. [6] negant posse voventem redire ad primum. Sed probabilius id concedunt communiter Less. [7] Sanch. [8] Elbel [9] et Salmant. [10] cum Laym. Bon. Pal. Tamb. Dian. Trull. etc. Quia commutatio fit in favorem voventis. Excipit Sanch. cum Suar. [11] si talis commutatio fieret consulto, et in maiorem Dei cultum. At verius dicunt Salm. [12] cum Pal. Prad. et Villal., neque adhuc talem commutationem obligare saltem sub gravi, nisi fiat novum votum: quia quodcumque propositum non obligat, nisi interveniente promissione et animo se obligandi, ut docet s. Thom. [13]. Ex his omnibus infertur quod vovens, etsi redierit ad primum opus, potest tamen iterum redire ad secundum subrogatum. Et praeterea, si pluries facta est commutatio in diversa opera, vovens potest eligere eorum quodcumque malit. Salm. [14] cum Trull. Dian. et Villal. Si quis tamen post acceptationem rei subrogatae iterum voveat rem commutatam; tunc tenetur ad utramque praestandam, si intendat se obligare novo vinculo voti. In dubio autem praesumi, quod habuerit animum se obligandi novo voto, dicunt Trull. et Bonac. At Salmantic. [15] putant etiam probabile esse oppositum, et sic teneri tantum ad rem commutatam. Et hoc mihi est probabilius, quia votum dubium non obligat, iuxta dicta *lib.* 1. *num.* 76.

249. « 6. Si voti legitime a superiore commutati materia sive opus fiat impossibile, vel indifferens, non tenetur redire ad prius, quia obligatio extincta est. Vide Laym. Bon. [16]. »

Facta voti commutatione etiamsi res subrogata fiat impossibilis culpa voventis, vel si ipse eam non impleverit, non tenetur ad primam; v. gr. pro eleemosyna subrogatum est ieiunium tali die, si tunc ieiunare non potuisti vel noluisti, peccasti, sed non teneris ad eleemosynam, quia per commutationem prima obligatio extinguitur; ita Sanch. [17] et Salmanticens. [18] cum Layman Pal. Trull. Suarez et Elbel [19] ac Sporer [20] cum communiss. Hoc tamen non currit si commutatio fiat auctoritate propria; tunc enim, si non impletur secundum opus, implendum est primum; quia non extinguitur tunc prima obligatio, sed satisfit per impletionem superabundantem, vel saltem aequivalentem, ut supra; et hoc certum est. Salmant. [21] cum Tamb. Leand. etc.

Ultimo pro complemento huius dubii quaeritur 1. an habens facultatem commutandi vota pro aliis, habeat etiam pro se. Respond. affirmative, sicut de facultate dispensandi docent communiter Sanch. [22] Bon. [23]. Ita Salm. [24] cum Tamb. Suar. Trull. Azor. Dian. Prad. Leand. Rodr. etc. et probant ex s. Th. [25] qui docet posse praelatum sibi dispensare. Quaer. 2. an qui immemor voti praestat opus promissum, a voto in posterum liberetur. Vide dicta *num.* 224. *circa fin.* et dicenda *de rest. num.* 700. *quaest.* 2. *v. Limitant* 3.

(1) C. 3. n. 140. (2) N. 508. in fin. (3) N. 97. (4) N. 289. (5) C. 3. n. 167. (6) N. 68. (7) L. 2. c. 40. n. 111. (8) L. 4. c. 35. n. 26. (9) N. 518. (10) N. 159. (11) N. 27. (12) N. 170. (13) 2. 2. q. 88. a. 1. ad 2. (14) Ibid. n. 169. in fin. et 171. (15) N. 171.

(16) Loc. cit. (17) L. 4. c. 56. n. 15. (18) C. 3. n. 65. (19) N. 318. (20) C. 3. n. 136. (21) N. 166. (22) De matr. l. 8. d. 3. n. 8. et 9. Dec. l. 4. c. 13. n. 42. et 45. (23) P. 7. §. 4. n. 31. (24) C. 3 n. 123. (25) 2. 2. quaest. 18. a. 8.

Dubium VIII. Quid sit dispensatio et quis possit dispensare in votis.

250. Resp. 1. Dispensatio est absoluta obligationis voti condonatio, nomine Dei facta. Ad hanc, ut valeat, iusta causa requiritur : qualis v. gr. est 1. Bonum ecclesiae, vel commune reip. (Et etiam familiae: vel maior profectus voventis. Salm. [1] cum s. Thom. Suar. Sanch. Et etiam in dubio: de hoc Palaus et Suar.[2].). 2. Notabilis difficultas in observatione voti. 3. Imperfectio actus vel levitas, ac facilitas, ex qua processit votum. Suar. [3] Fill. [4] Sanch.[5]. Vide Bon. [6] Laym. [7]. (Hinc monet Innocent. III. [8] tria attendenda esse in dispensatione votorum. 1. Quid liceat secundum aequitatem: 2. quid liceat secundum honestatem: 3. quid expediat secundum utilitatem : ex quo ait Elbel [9] cum Sporer [10] tunc dispensandum in voto, quando illud vergeret in ruinam aut laqueum animae ob perplexitatem; vel quando speratur maior utilitas). »

(1) Tr. 17. c. 3. n. 125. (2) Ib. (3) L. c. c. 17. (4) N. 260. (5) L. 4. c. 25. (6) P. 7. n. 47. (7) L. 4. tr. 4. c. 8. n. 5. (8) C. Magnae, de voto. (9) N. 177. (10) C. 4. n. 43. (11) L. 1. n. 280. in fin.

251. Quaeritur hic an valeat dispensatio si bona fide credatur adesse iusta causa, quae revera non sit. *Prima* sententia, quam tenent cum Busemb. [11] Sanch.[12] Less.[13] Salm.[14] cum Tamb. et Leand. qui citant etiam Layman, sed non bene, ut infra videbimus, affirmat valere dispensationem; quia talis censenda est voluntas divina ne conscientiae anxietatibus vexentur, sed permaneant firmae determinationes pastorum, prout necesse id videtur ad rectum regimen animarum. *Secunda* sententia, quam tenet Pal. [15] cum Basilio et Sala, contradicit: et hanc sequimur, si postea certum comperiatur non adfuisse causam, vel non sufficientem; primae enim sententiae, licet a tantis aa. defensae, obstat tamen principium certum, quod in lege superioris invalide dispensat inferior sine sufficienti causa. Secus autem dicendum puto, si dubium sit an adfuerit causa, vel an sufficiens; tum quia in dubio tunc stat pro valore dispensationis; tum quia in eo casu urget ratio primae sententiae, nempe quod esset res nimis scrupulis obnoxia, si homines post obtentam dispensationem inquirere tenerentur de eius valore; et cum hoc frequenter accideret, bene tunc praesumitur Deus ratam habere dispensationem illam ad conscientias pacandas, et ad rectam gubernationem. Ubi autem certe detegitur nullitas causae, recte ait Pal., quod minime praesumitur Deus favere velle errori manifesto (quicquid dicat Diana[16]). Et sic revera loquitur Laym.[17] qui dicit posse dispensatum bene acquiescere dispensationi, *donec veritas non appareat in contrarium*, citans Sot. Nav. Suar. etc. Et consentit nobis Palaus, qui ait casu quo causa est dubia, legitima praesumitur dispensatio. V. *lib.* 1. *num.* 182. Valde autem probabile est cum Salmant. [18] validam esse dispensationem, etiamsi mala fide a di-

(12) Dec. l. 4. c. 44. n. 10. (13) L. 2. c. 40. n. 119. (14) De voto tr. 17. c. 3. n. 119. ac tr. 11. de leg. c. 5. n. 71. (15) De voto tr. 15. d. 2. p. 9. n. 4. (16) P. 1. tr. 10. r. 33. (17) L. 1. tr. 4. c. 22. n. 12 (18) De legib. c. 5. p. n. 7.

spensante ipsa fuerit impertita, si revera aderat iusta causa, ut diximus *lib. 1. de legib. n.* 181.

252. Sufficit autem pro causa ad dispensandum periculum transgressionis ob indispositionem particularem voventis, vel ob communem fragilitatem hominum. Sufficit etiam magna difficultas in executione, non solum si non fuit praevisa, ut dicunt Sanch. Pal. Suar., sed etiam, si praevisa fuerit, ut censent Salm. [1] cum Leand. et Tamb. Tum quia tunc etiam adest periculum transgressionis; tum quia res multo difficilior apprehenditur dum instat executio, quam dum deliberatur. Et etiamsi talis difficultas ortum habeat ex fragilitate voventis, ut Suar. Pal. Lay. Trull. cum Salm. [2]. Sufficit etiam, si vovens vexetur magnis scrupulis. Salm. [3] cum Sanch. Trull. Fag. et Tamb.

253. Praeterea, etiamsi absit periculum transgressionis, et magna difficultas in executione, sufficit pro causa, quod votum emissum sit immature, scilicet cum nimia facilitate, vel ex imperfecta deliberatione, vel sine perfecta libertate, Sanch. [4] et Cai. Pal. Suarez etc. cum Salm. [5]. Ob hanc rationem vota impuberum sine alia causa possunt absolute dispensari sine aliqua commutatione, ut Sanch.[6] et Tamb. Pal. Cai. Suar. etc. cum Salm. [7]. Idem dicendum est, si votum sit emissum ob metum levem incussum ab extrinseco, Sanch. [8] et Pal. cum Salm. Idem, quando imperfecta deliberatio, aut libertas in vovendo processit ex tristitia sive ira sive metu intrinseco naufragii, mortis, vel alterius mali; quia tunc immature vota fieri solent, et ideo possunt dispensari sine commutatione. Si autem constaret tunc maturam adfuisse deliberationem, tunc dispensationi admisceatur aliqua commutatio. Sicut etiam fieri debet, si cessat causa impulsiva voti. Ita Salm. [9] cum Pal. Sanch. et Tamb.

254. « 1. Cum causa non sufficit ad integram dispensationem, partim dispensari, partim commutari potest. Bonacin. [10].

» 2. Praelatus videns, ac (cum facile possit) non contradicens, videtur dispensare, ait Sa.

» 3. Potestas etiam delegata dispensandi in votis extendit se etiam ad vota iurata, et iuramenta pia soli Deo facta. Vide Suar. [11] Sanch. [12] (ut diximus supra *n.* 190. An autem iuramenta religionis, castitatis etc. sint reservata, ut vota. Utraque est probabilis, ut dicemus infra *n.* 259. *v. Quaeritur* 1.).

» 4. Ante voti acceptationem a certa persona aut ecclesia, non censetur ei ius acquisitum, ideoque sine eius iniuria potest dispensari, vel commutari.»

255. Sed hic fusius discutienda est quaestio, an votum redundans in utilitatem hominis possit dispensari, aut commutari sine eius consensu. Resp. 1. quod si votum nondum a tertio est acceptatum, communissima est sententia posse commutari, ut Elb. [13] et Sanch. [14] cum Cai. Sa Nav. Sylv. Az. Suar. etc. etiamsi promissio non in solum Deum, sed peculiariter etiam in personam directa fuerit, puta, si vovens dixerit: *Promitto cum voto dare tali pauperi etc.*, sed promissio non fuerit acceptata neque ab illo, neque ab aliis nomine illius, ut addit Sanch.[15] cum Suar. Sylv. Armill. etc. Et etiamsi promissio facta sit in honorem sancti illius ecclesiae, requiritur acceptatio ab illius rectore, ut commutatio non amplius fieri possit. Sanch. [16] cum Cai. etc. Respondetur 2. quod si promissio fiat soli Deo dandi aliquid pauperibus indeterminatis, tunc semper commutari potest, etsi promissio alicui ex pauperibus postea manifestetur, et ab illo acceptetur, ut Sanch. [17] cum Suar. Lugo [18] Tamb. [19] cum Pal. Respondetur 3. quod, si e converso promissio facta sit in utilitatem solius hominis, et sit acceptata, nullatenus sine eius consensu revocari potest, ut diximus supra *n.* 192.

(1) C. 3. n. 124. (2) Ibid. (3) Ibid.
(4) L. 4. c. 45. n. 28. (5) C. 3. n. 121.
(6) Ibid. n. 30. (7) N. 125. (8) N. 32.
(9) Eod. n. 23. (10) Loc. c. (11) L. 6. de voto.

(12) L. 8. de matrim. dub. 4. (13) N. 309
(14) Dec. l. 4. c. 41. n. 7. (15) Ibid. n. 10. et 11.
(16) N. 12. (17) Ib. n. 14. (18) De iust. d. 29. n. 93. (19) Dec. l. 3. c. 7. §. 6. n. 3.

Dubium magnum est, utrum votum principaliter emissum in honorem Dei, sed secundario seu minus principaliter etiam in favorem alicuius tertii determinati, puta talis ecclesiae vel pauperis, possit commutari, postquam ab his sit acceptatum, sine eorum consensu. Negant Elbel [1] Less. [2] Sanch. [3] Salmant.[4] cum Suar. Moya etc. Ratio quia tunc ius acquiritur ecclesiae acceptanti, aut pauperi, cuius simul in voto ratio habita est, v. gr. ob specialem affectionem, aut illius necessitatem, ut Sporer [5] cum Henr. Viva [6] et Fagund. Trull. Leand. apud Salm. [7] dicunt satis esse probabile, quod bene potest tale votum commutari auctoritate praelati vel propria etiam post acceptationem. Et huic opinioni consentit Caiet. (apud Sanch. [8] qui loquens *de cap. Licet de regular.* ubi disponitur, quod professus in religione, licet eius praelatus illum acceptaverit, potest in meliorem transire; Cai. reddit rationem, quia ille propter Deum, non propter praelatum religioni se donavit, et ideo potest suum votum propria auctoritate, etiam post acceptationem, in melius commutare. Consentit etiam Nav. apud eumdem Sanch.[9] qui haec ait: *Cum quis emisit votum dandi alicui certam quantitatem, etiam postquam acceptata est, posset pontifex commutare, quod principaliter ea promissio non sit facta in gratiam hominum, sed in Dei cultum.* Et quod Nav. dicit de pontifice, idem dicendum est, ut ait Sanchez, de aliis praelatis ob rationem allatam. Ratio igitur huius sententiae, ut loquitur Fagund. ap. Tamb.[10], est, quia haec vota principaliter diriguntur in Deum in finem *cuius*: et pauper est solum finis *cui* minus principalis sive accessorius, qui finem principalem sequi debet. Etsi enim promissio fit peculiariter ad hunc pauperem, fit tamen propter Deum; hinc Deus est tota causa promissionis, et per accidens se habet, quod acceptaverit pauper, qui si adhuc aliquod ius acquisierit, acquisivit tamen dependenter a beneplacito Dei, cui debet servari promissio.

Notandum pariter est hic 1. quod talis simplex promissio facta homini, etiam acceptata, etsi obligaret, non obligaret tamen sub gravi, iuxta valde probabilem sententiam Salm. [11] cum Cai. Bann. etc., uti fusius dicemus *de contract. n.* 720. Notandum 2. quod idem, quod dictum est de voto, dicendum est de iuramento principaliter emisso in honorem Dei, ut probabiliter censet Tamb.[12] cum Fagund., quod possit relaxari ab episcopo sine consensu partis. Sed notandum 3. quod hoc intelligitur de sola promissione gratuita; secus vero dicendum, si pars acceptans se ad aliquod onus obligaret in commodum promittentis; tunc enim, cum intercedat ibi contractus onerosus utrinque obligatorius, promissio, et consequenter iuramentum non potest remitti promittenti, nisi altera pars consenserit, iuxta legem contractuum. Et sic evenit in iuramento *perseverantiae*, quod praestatur in v. congregatione pp. missionis s. Vincentii a Paulo, necnon in nostra minima congregatione ss. Redemptoris, ubi oblati licet principaliter in obsequium Dei iuramento promittant perseverare in congregatione, attamen, quia eodem tempore congregatio eos acceptando se obligat ad ipsos sustentandos et instruendos, atque ad non dimittendos sine iusta et gravi causa (de qua autem superiores non tenentur dimissis rationem reddere), ideo cum intercedat hic contractus ultro citroque obligatorius, nequit iuramentum ab alio remitti, quam ab ipsa congregatione, vel a summo pontifice, prout súpremo bonorum ecclesiasticorum domino. Id patet ex monito ss. domini nostri Benedicti XIV. sive bulla *Convocatis* [13] ubi dicitur: *Denique quoad vota noverint* (confessarii) *sibi abstinendum ab eorum* (votorum) *commutatione, in quibus agitur de praeiudicio tertii. Quare*

(1) N. 509. (2) L. 2. c. 40 n. 90.
(3) Ibid. n. 18. (4) C. 3. n. 156.
(5) De 1. praec. c. 3. n. 115.
(6) De iubilaeo q. 12. a. 1. n. 3. (7) N. 153.
(8) Ib. n. 27. (9) Ibid. (10) Dec. l. 3. c. 17. §. 2. n. 15. (11) De contr. c. 4. n. 82.
(12) Dec. l. 3. c. 7. §. 6. n. 3. et c. 17. §. 2. n. 15
(13) Ed. 25. nov. 1749. §. 32. pro an. iubil. 1750.

in eo, quod pertinet ad vota, quantumvis simplicia, seu perseverantiae, *seu alia emitti solita in aliqua congregatione vel communitate; et in vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant.* Ita praefatus pontifex noster apud Fr. Theodorum a Spir. s.[1]. Qui [2] quaestionem proponens, an votum vel iuramentum perseverandi, emissum in congregationibus a sacerdotibus, sive mulieribus oblatis possit commutari in vim iubilaei. Respondet negative, hanc rationem adducens: *Nec quia reservatum, sed quia emissum est per modum contractus onerosi ultro citroque obligantis. Nunquam enim summus pontifex confert facultatem ad commutandum votum, ubi laeditur ius aliorum* [3]. *Nec obstat, quod votum hoc perseverandi principaliter fiat in Dei cultum, secundario in congregationis obsequium; quia hoc non adimit, quin sequatur inter voventem vel iurantem, et congregationem contractus ex utraque parte obligatorius, et proinde quin ius congregationi quaesitum laederetur, si eius irrequisito consensu votum emissum commutaretur. Ex eadem ratione sequitur commutari non posse votum ab alumnis collegiorum emissum pro missionibus ad infideles, etc. cum de tertii praeiudicio tractetur, etc.* Ita praedictus auctor. Et idem ss. pontifex Benedict. XIV. in bulla: *Inter praeteritos* [4] sic ait: *Quod vero attinet ad commutationem votorum, in quibus de tertii praeiudicio agitur, quae quidem poenitentiariis interdicitur, apposite sane scribit Suarez* [5] *circa vota perseverantiae, quae a quibusdam fiunt dum aliquam congregationem ingrediuntur, quaeque naturam assumunt contractus et reciprocae obligationis inter ipsos et congregationem, quae eosdem recipit, a quibus poenitentiarii dispensare non possunt.*

256. « Resp. 2. Potestas dispensandi convenit omnibus praelatis, qui habent iurisdictionem in foro externo, **vel privilegium**, Less. [6] Sanch. [7] **et commun.** Unde dispensare possunt **sequentes: 1.** papa respectu omnium **fidelium in omnibus** votis. 2. Episcopus **respectu suorum** subditorum; non autem **parochus,** quia tantum habet iurisdictionem fori interni. Suar.[8]. 3. Praelati regulares exempti respectu suorum religiosorum, et novitiorum: idque circa vota, quae vel in saeculo, vel etiam in novitiatu fecerunt[9]. Les.[10] Sanc.[11] non autem praelati non exempti, neque abbatissae (Neque poenitentiarii, neque vicarii episcopi, nisi facultas specialiter eis delegetur. Salm. [12]) Suar. Less. [13]. 4. Ex privilegio papae confessarii ordinum mendicantium secundum concessionem, et moderationem suorum superiorum, ut notat Less. [14]. »

Quaeritur, an papa possit dispensare in votis solemnibus. Quoad clericos in sacris bene probabiliter potest in voto castitatis, cum satis probabiliter hoc votum sit iure ecclesiastico tantum sacris ordinibus annexum (Vide *l.* 6. *n.* 807.). Ita s. Thom. [15] et Salm. [16] cum aliis contra Gon. etc. Maius dubium est, an papa possit dispensare in votis religiosorum. Negant Sotus Sylv. Arag. Turr. etc. apud Salm.[17] quia vota haec sunt essentialiter annexa statui religioso de iure divino. Sed probabilius et communius affirmant s. Thom.[18] et Salmant.[19] cum s. Anton. Pal. Suar. Less. Sanch. Pont. Cai. Lez. Pell. Et licet videatur s. Thom. se revocasse[20], verum Cai.[21] ac Salm.[22] cum Az. et Basil. Pontio non inepte s. doctorem explicant intellexisse, pontificem in eo tantum sensu non posse dispensare cum monacho, ut simul sit coniugatus, et monachus remaneat. Ceterum in primo loco citato expresse docuit bene posse pontificem dispensare, cum causa tamen urgentissima, nimirum ob bonum com-

(1) In tract. de iubilaeo ed. Romae anno 1750. (2) C. 11. §. 2. n. 10. (3) Ex c. Cum sit, de rescriptis. (4) Ed. 3. decemb. 1749. §. 5. n. 66. (5) T. 2. de rel. lib. 6. c. 5. n. 7. (6) L. 2. c. 40. n. 12. (7) C. 37. (8) Loc. c. c. 12. (9) Saltem possunt suspendere illa quatenus praeiudicant novo vitae statui. Hom. Ap. tr. 5. n. 42.

(10) N. 8. et 107. (11) L. 9. de matrim. d. 29. (12) C. 3. n. 84. (13) Loc. c. (14) D. 13. n. 108. (15) 2. 2. q. 88. a. 11. (16) De ord. tr. 8. c. 6. n. 10 (17) De statu relig. c. 1. n. 41. (18) In 4. d. 38. q. 1. a. 4 q. 1. ad 3. (19) Ibid. n. 42. (20) 2. 2. dict. q. 88. a. 11. (21) Ibid. (22) Dict. c. 1. n. 45.

mune ecclesiae, vel alicuius regni, aut provinciae. Ratio, quia recte censetur hoc pontifici concessum, cui concessit Deus totius ecclesiae regimen. Certum est autem papam posse dispensare in votis simplicibus, et episcopos in non reservatis. Qua vero ratione possint, vide dicenda *de matrim. lib.* 6. *n.* 1119. Certum etiam est, quod omnes praelati, qui iure ordinario habent facultatem dispensandi in votis, possunt eam etiam aliis delegare, ut Salm. [1]. Quamvis autem, qui dispensandi facultatem habent, sive ordinariam sive delegatam, nequeant vota propria irritare, quia nemo potest emittere votum sub conditione sui consensus, ut certum est cum Sanch. Pal. et Croix [2]; bene tamen possunt ea secum dispensare cum sit actus iurisdictionis voluntariae. Ita Lessius [3] Croix [4] cum Laym. Suar. Sanch. Bon. Fill. etc. Elbel [5] cum Ills. qui asserit esse communem sententiam contra Henno, et alios aliquos.

257. Vota autem religiosorum dispensari possunt a suis praelatis, etsi fuerint emissa cum licentia ipsorum, et etiamsi fuerit votum transeundi ad strictiorem religionem, si utilius noscatur religiosum manere in sua. Vide Salm. [6]. Sicut posset etiam episcopus cum suis subditis dispensare in voto ingrediendi in arctiorem religionem, voto religionis quoad substantiam relicto; cum nullo iure talis dispensatio inveniatur reservata; ita Less. [7] et Sot. Sanch. Arag. Led. etc. cum Salm. [8]. Facultas autem dispensandi potest a dictis praelatis delegari etiam simplici clerico tonsurato. Vide Salm. [9] Vota tamen substantialia, vel ipsis annexa, prout votum non edendi carnes renuntiandi dignitates etc. quae solent emitti in aliquibus religionibus, nequeunt dispensari, nisi a pontifice. Est commune cum Salm. [10]. Praeterea vota noviciorum, si non sunt reservata, possunt dispensari tum a praelatis religionis, tum etiam ab episcopis propriis, ut docent Sanchez Pal. Bonacin. Pelliz. cum Salmant. [11].

Imo ex communi dd. cum Less. [12] et Nav. Sanch. Pal. Tamb. et quam plurimis cum Salm. [13], omnes confessarii regulares possunt dispensare vota quorumcumque fidelium intra, et extra confessionem (nam minime requiritur, ut qui facultatem habet, dispenset in confessione): et hoc ex diversis privilegiis pontificiis, quae afferunt Salmantic. [14] Elbel [15].

Eamdem facultatem habent legati a latere, et nuntii in provincia sibi commissa: item capitulum, sede vacante, et abbates episcopalem iurisdictionem habentes. Vide Salm. [16].

« Resp. 3. Supradicti omnes papa inferiores possunt dispensare in omnibus votis, exceptis quinque soli papae reservatis, scilicet voto castitatis perpetuae, religionis approbatae, peregrinationis ad limina apostolorum, ad s. Iacobum Compostellam, et Ultramarinae, sive in terram sanctam. Vid. Bon. Less. Laym. [17]. »

258. Quoad vota reservata plura sunt notanda. Notandum 1. quod facultas dispensandi in his non intelligitur concessa a pontifice, nisi adsit concessio specialis, vel saltem generalis per clausulam, qua talis facultas expresse concedatur, *ex extrav. Et si dominici* 5. *de poenit. et remiss.* ubi pontifex praecipit non relaxari talia vota, *nisi ex speciali licentia, et certa scientia nostra.* Atque *in c. Si episcopus, eod. tit.* dicitur: *In generali concessione non veniunt ea, quae non esset quis verisimiliter concessurus.* Et est commune. Vid. Salm. [18]. Si vero concedatur facultas dispensandi reservata, ad omnia extenditur, si nullum votum excipitur, Suar. Pal. etc. cum Salm. [19].

Notandum 2. quod episcopi, et similem iurisdictionem habentes possunt recte dispensare in votis reservatis in urgenti necessitate, puta si non sit facilis accessus ad papam, et in mora sit periculum gravis damni vel spiritualis,

(1) De voto c. 3. n. 83. (2) L. 3. p. 1. n. 485. (3) L. 2. c. 40. n. 116. (4) Loc. c. et l. 1. n. 799. (5) N. 278. (6) C. 3. n. 90. et 91. (7) L. 2. c. 40. n. 107. (8) C. 3. n. 91. (9) C. 3. n. 85.

(10) N. 29. (11) C. 3. n. 89. (12) L. 2. c. 40. n. 154. (13) C. 3. n. 94. (14) D. 94. (15) N. 280. (16) N. 86. (17) Loc. c. (18) C. 3. n. 116. (19) Ibid.

prout violationis voti, scandali, rixarum, aut alius peccati; vel periculum temporalis proprii aut alieni, nimirum gravis infamiae mulieris, et similium. Ita Lessius [1] Sanch. [2] et Laym. Barb. Suar. Pal. Sylv. Tamb. et alii cum Salmant. [3]. An autem eo casu possint in his votis dispensare etiam confessarii mendicantes. Negant communius Tamb. Croix Sanch. Sporer etc.: sed Elbel [4] cum An. Henr. Bass. etc. putat probabile, quod possint; quia episcopi tunc dispensant vero iure ordinario, ut valde probabiliter docet Less. [5] cum Nav. Sylvest. et Sot. Vide dicenda *l.* 6. *de matrim. n.* 1128. *v. Quaeritur*. Adverte autem hic, quod praedicta procedunt, quando dispensatur votum reservatum, puta castitatis, ad contrahendum matrimonium; tunc enim requiritur, ut periculum sit in mora, et non pateat facilis recursus ad papam. Nam si matrimonium est iam contractum, etiam sine tali periculo possunt episcopi, sicut et confessarii mendicantes, dispensare in voto castitatis ad petendum debitum. Vide *de matr. l.* 6. *n.* 986. 987. et 1123.

Advertendum autem quod praedicta facultas, quae probabiliter conceditur episcopis, et aliis quibus ab ipsis communicata est potestas dispensandi in votis reservatis, urgente necessitate, ut supra, non conceditur confessariis in iubilaeo habentibus a papa facultatem dispensandi in votis simplicibus; nam quod conceditur episcopis propter ipsorum ordinariam potestatem, non conceditur confessariis in iubilaeo. Ita recte ait f. Theod. a Spir. s. [6]. Advertendum etiam, quod dispensatio praefata non est concedenda, nisi, quatenus necessitas obligat, unde si sufficiet suspendi votum, non potest dispensari: item, si dispensetur cum adstricto voto castitatis, ut nubat cum aliqua ad reparandum eius honorem, nequit ille cum alia nubere. Sanchez [7] et Salm. cum Laym. Suarez Pal. Tambur. etc.

Notandum 3. quod praedicta vota minime sunt reservata. 1. Si sint emissa sub obligatione levi, ut Sanch. [8] et Salm. [9] cum Pal. Trull. etc. 2. Si sint emissa ex metu, etiam levi, ab alio incusso, quia tunc non sunt facta cum plena libertate. Salm. [10] cum Tambur. Bassaeo, et Leand. etc. 3. Si votum non sit perfectum ex parte materiae, et ideo non est reservatum votum non nubendi, non fornicandi, non petendi debitum, neque servandae virginitatis, si intendatur tantum conservatio illius, secus si abstinentia ab omni actu venereo, neque votum castitatis pro aliquo tempore. Neque votum emittendi votum castitatis aut religionis, vel suscipiendi ordines sacros, quia non est votum castitatis factum, sed faciendum. Ita Laym. Suar. Pal. Prad. etc. cum Salm. [11]. Neque votum servandae castitatis coniugalis. Salm.[12] cum Sanchez Trull. etc. 4. Item nec est reservatum votum religionis non approbatae. Nec votum peregrinationis Romam etc.[13] si non sit emissum sola devotionis causa, et praecise illorum locorum; unde, si quis vovet Romam ire ad visitandam imaginem s. Mariae Maioris etc. votum non est reservatum. Sanchez [14] et Pal. Fag. etc. cum Salmantic. [15]. 5. Quamvis vota sint reservata, non sunt tamen reservatae circumstantiae ipsorum, puta peregrinandi mendicando, ingrediendi religionem arctiorem; potest enim episcopus dispensare, ut is ingrediatur laxiorem: item si votum sit ingrediendi statim, potest episcopus cum causa dispensare, ut differatur ingressus. Sanch. [16] et Pal. Tamb. Bas. etc. cum Salm.[17]. 6. Nec est reservatum votum disiunctivum, puta religionis aut ieiunii, saltem si non elegerit partem reservatam, ut Sanchez [18] Less. [19] et Pal. Laym. etc. cum Salm.[20] Dubium est, an sit reservatum, si pars reservata iam electa fuerit. Affirmant Sanch.

(1) L. 2. c. 40. n. 126. 127. (2) L. 4. c. 4. n. 44. (3) C. 3. n. 96. (4) N. 279. (5) Ibid. (6) De iub. c. 11. §. 2. n. 21. (7) N. 40. (8) Dec. l. 4. c. 40. n. 47. (9) Dict. c. 3. n. 103. (10) Ibid. (11) N. 104. (12) Ibid. (13) Ita nec votum proficiscendi Romam, nisi sit emissum causa devotionis et praecipue ad visitanda ss. apostolorum limina. Hom. Ap. tr. 5. n. 46. (14) Ibid. n. 77. (15) N. 105. (16) N. 74. (17) N. 106. (18) N. 46. (19) N. 124. (20) N. 107.

Pal. etc. Sed probabiliter etiam negant Salm. [1] cum Leand. Tamb. et aliis pluribus, iuxta dicta *n.* 224. *v. Quaeritur hic.*

An autem episcopus post matrimonium contractum dispensare possit votum castitatis emissum a coniuge. Vid. dicenda *de matrimon. lib.* 6. *n.* 986. *et* 987. ubi probabile est cum Sanch. et aliis posse, sive votum sit emissum ante, sive post matrimonium. Et idem posse confessarios mendicantes, dicitur *ibid. num.* 1123. Sed plures hic remanent quaestiones resolvendae.

259. Quaeritur 1. an iuramentum castitatis, sive religionis sit reservatum pariter ac votum. Adsunt tres sententiae. *Prima sententia* affirmat cum Less. Fill. Laym. et Azor. apud Viva [2] quia in aequiparatis dispositum de uno censetur etiam de altero [3]. Sed haec ratio non videtur satis firma, dum communiter docent dd. vinculum voti, quod obligat ex fidelitate et reverentia erga Deum, maius esse vinculo iuramenti, quod obligat tantum ex reverentia, ut docet s. Thom.[4]: et ideo talia iuramenta pontificibus non solent reservari, ut dicunt Viva [5] et Dian. [6] cum aliis. *Secunda sententia* cum Sanch. [7] Sot. Cai. Azor. Val. et Salm. [8] cum aliis distinguit: si iuramentum includat votum, seu promissionem obligatoriam erga Deum, dicit esse reservatum; secus, si non includat. Sed haec sententia nec etiam videtur congruenter loqui; nam quando supponuntur in tali iuramento adesse duo vincula, scilicet iuramenti, et voti, tunc dicendum votum esse reservatum, sed non iuramentum. *Tertia* igitur *sententia* cum Viva et Dian. [9] cum Trull. Tabien. Led. Pelliz. etc., et probabilem vocat Spor.[10] cum Tamb., congruentius loquitur, et tenet, quod minime sit reservatum tale iuramentum; et si forte in ipso sit votum inclusum, votum equidem erit reservatum, sed non iuramentum. Et hoc puto vere intellexisse Sanch. [11].

Sed dubium magnum est, quandonam iudicandum sit votum inclusum adesse, vel non in tali iuramento. Sanchez [12] Diana et Viva [13] putant, ut plurimum in tali iuramento includi etiam votum; maxime, ait Sanch., quando offertur res divinum honorem respiciens. Admittit tamen posse dari tale iuramentum sine voto, quando quis inducitur ad iurandum ab aliquo motivo humano, puta, si ob officium amissum, vel ex ira erga propinquos iuret religionem. Sed proprius loquendo dicendum esse censeo, quod talis iurans intenderit se obligare ad religionem duplici vinculo, nempe voti seu promissionis obligatoriae sub gravi, et amplius vinculo iuramenti; tunc licet dispensetur a iuramento, remanet tamen ligatus voto. Sed si intenderit se graviter obligare tantum vinculo iuramenti; ita ut emittat iuramentum religionis non ad firmandam alio vinculo suam promissionem; sed ad firmandum suum nudum propositum, seu promissionem de se non obligatoriam, tunc tenetur sub gravi tantum ex vinculo iuramenti, a qua obligatione per relaxationem iuramenti omnino liberatur; quia tunc obligavit se Deo, non ut creditori suam promissionem acceptanti, sed ut testi exigenti veritatem sui testimonii in re promissa, seu proposita; ut in hoc recte loquitur Sanchez [14] cum Lopez et Valent.

In dubio autem, an adfuerit tale votum sive promissio obligatoria, iam communis est regula, quod votum dubie emissum non obligat.

260. Quaeritur 2. utrum, commutato voto reservato, materia subrogata etiam reservata sit. Affirmant Azor. et alii apud Leand. quia tunc idem vinculum voti transfertur in illam. Sed communiter et probabilius negant Lessius [15] Sanch. [16] et Suarez Laym. Pal. Tamb. Bus. etc. cum Salm. [17]. Ratio, quia licet materia subrogata habeat idem vinculum voti, sed cum non sit

(1) Ibid. (2) De iub. q. 12. n. 12. (3) Ex c. Postquam, de elect. in 6. (4) 2. 2. q. 89. a. 8. (5) Loc. c. (6) P. 4. tr. 4. res. 69. (7) De matr. l. 8. d. 13. n. 4. (8) C. 5. n. 108. (9) Loc. cit.

(10) De 2. praec. c. 3. n. 97. (11) Loc. cit. (12) D. l. n. 4. (13) D. loc. c. (14) D. n. 4. (15) L. 1. c. 40. n. 124. (16) Dec. l. 4. c. 40. n. [illegible] (17) C. 5. n. 109.

reservata, secum minime trahit reservationem, quae primae materiae tantum addicta erat.

261. Quaeritur 3. an votum conditionale castitatis etc. sit reservatum. Praenotandum 1. quod si conditio sit de praeterito, vel praesenti, certe votum remanet reservatum, quia tunc revera non dicitur conditionale, sed absolutum; cum conditio non suspendat obligationem. Vid. Salm. [1]. Idem dicendum, si conditio sit de futuro necessario, quae habetur ut non apposita; vel etiam de futuro contingente, quod sit commune, v. gr. *Si vixero, si potero etc.* Item si conditio apponatur animo suspendendi non obligationem, sed executionem voti, v. gr. *Voveo ingredi religionem, si vigesimum annum attigero: Si cursum studiorum consummavero.* Vide Salm.[2] Praenotandum 2. ut certum, quod si conditio nondum sit impleta, potest votum dispensari a quocumque habente facultatem ordinariam, quia reservatio intelligitur de obligatione consummata. Est commune cum Salm. [3].

Magnum dubium est, an sit reservatum votum conditionale de futuro, conditione iam impleta. Adest triplex sententia probabilis. *Prima* affirmat, sive votum sit conditionale, sive poenale; quia verificata conditione, perficitur votum, et fit absolutum, ac si tunc esset emissum. Ita Sot. Azor. Covarr. et apud Salm. [4] *Secunda sententia* dicit, reservatum quidem esse votum conditionale, non autem poenale, cum poenale non fiat ex affectu ad religionem, aut castitatem; immo potius ex horrore erga illas, dum promittitur in poenam. Ita Less. [5] et Laym. Suar. Bon. etc. apud Salm. [6]. *Tertia* vero *sententia* valde probabilior, quam tenet Sanch. [7] Croix [8] Salm. [9] cum Tol. Trull. Prado Led. Dian. et pluribus aliis; et Elbel [10] vocat probabilissimam cum Pal. Fill. Spor.; et March. docet omnia vota sive conditionalia, sive poenalia non esse reservata; ratio, quia votum, ut sit reservatum (prout admittere videntur omnes, etiam auctores secundae sententiae), debet procedere ex perfecto, et solo affectu ad rem promissam: sic enim reservatio intelligenda est. Votum autem poenale tale non est, ut patet; neque votum conditionale, ubi conditio praefertur rei promissae, et ideo principalis affectus magis est ad conditionem. Quare, licet, impleta conditione, reddatur obligatio absoluta, votum tamen cum procedat ex affectu imperfecto, non est reservatum. Secus tamen dicendum: ut bene ait quidam Neotericus (p. Theodorus [11]), si quis voveret religionem cum conditione, v. gr. *si mater obierit;* quia tunc votum potius est absolutum, quamvis ad executionem, durante matris vita, non obliget: particula enim *si* non raro aequivalet particulae *quando*.

262. Utrum autem peregrini possint dispensari ab episcopo loci, ubi reperiuntur, in votis et iuramentis. Probabilius negatur cum Sanch. [12] Salm. [13] et aliis communiter contra Pontium, Pal. et Ioseph. de Ianuar. nisi animum saltem habeant manendi ibi per maiorem anni partem. Vide tamen quae fuse de hac quaestione diximus *lib. 1. de leg. num.* 158. Et vide etiam dicenda *n.* 332. *in fin. v. An autem*, ubi satis probabile est cum Suar. Pont. Sal. Pal. Sanch. Salm. etc. peregrinos fieri vere subditos superioris illius loci, ubi sunt, etiamsi per breve tempus ibi commorentur.

TRACTATUS TERTIUS

DE TERTIO ET QUARTO PRAECEPTO

(1) De matr. c. 7. n. 1. (2) De vot. c. 3. n. 110. (3) Ibid. n. 111. (4) Ibid. n. 113. (5) L. 2. c. 40. n. 132. (6) Ibid. (7) D[illegible] l. 4. c. [illegible]. n. 93. (8) L. 3. p. 1. n. 545. et 546. (9) Ibid. n. 114. et 115. (10) N. 286. (11) In tr. de iubil. c. 11. §. 2. n. 9. (12) De matr. l. 3. d. 25. n. 12. et 13 (13) De leg. c. 3. n. 55.

263. « Praeceptum hoc, quatenus vult tempus aliquod sanctificari, sive impendi cultui divino, est naturale, et adhuc obligat; quatenus vero tempus id designatur die sabbati, est caeremoniale, et in novo testamento abrogatum, ac pro eo ab ecclesia designatus dies dominicus, et festi, praescriptusque modus colendi, ut quaedam opera illis diebus fiant, quaedam non: haec prohibentur, illa praecipiuntur. Bon. Laym. ex d. Thom.[1].»

Quaeritur 1. an praeceptum de sabbato sanctificando fuerit *naturale*, aut *caeremoniale*. Respondetur una cum Bus. quod praeceptum, prout determinavit in aliquo anni tempore esse Deo vacandum, fuit naturale, et obligavit omnes, et ideo inter decalogi praecepta computatur; prout autem determinavit diem sabbati a vespera usque ad vesperam [2], fuit caeremoniale, et obligabat tantum hebraeos. Est commune cum *catech. rom.* [3] et s. Thom.[4] qui sic docet: *Praeceptum de sanctificatione sabbati est partim morale, partim caeremoniale. Morale quidem est quantum ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitae suae ad vacandum divinis .... sed in quantum in hoc praecepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi, est caeremoniale. Unde ponitur inter praecepta decalogi, in quantum est morale, non in quantum est caeremoniale.* Vide Salm. [5] de hoc puncto fuse disserentes [6].

264. Quaeritur 2. an in hoc praecepto praecipiatur cultus Dei etiam interior. Affirmant Scotus, Angel. et Tabien. apud Salm. [7] unde dicunt teneri fideles ex hoc praecepto ad eliciendos actus charitatis, et contritionis; sic enim obtinetur animae sanctificatio, quae hoc praecepto iubetur. Sed communissime negant s. Antonin.[8] Sanch.[9] et Salm. [10] cum Cov. Fill. Bon. Sayr. etc. ex d. Thom.[11] qui docet quod ad interiorem cultum non cogimur, sed movemur a Spiritu sancto: *Et ideo* (ait) *in tertio praecepto praecipitur exterior Dei cultus*. Idemque docet *catech. rom.* [12] ubi: *Hoc legis praecepto externus ille cultus, qui Deo a nobis debetur... praescribitur*. Sanctificatio autem animae est quidem finis praecepti, sed finis praecepti non cadit sub praecepto, iuxta commune axioma theologorum, utque docet idem d. Thom.[13] qui ait: *Non enim idem est finis praecepti, et id de quo praeceptum datur.*

Quaer. 3. an hoc praeceptum sit affirmativum, aut negativum. Et respondetur esse affirmativum, dum non obligat semper et ad semper. Suar. Sanch. Pal. Leand. Fag. cum Salm. [14] contra Cai. et Fill. etc. qui tuentur esse negativum, quia in eo nihil positivi iudaeis praecipiebatur; sed hoc negatur. Vide *catech. rom.* [15].

265. Quaeritur 4. an observantia diei dominici sit de iure naturali sive divino, vel tantum ecclesiastico. *Prima* sententia asserit de divino; quia dominicus dies successit loco sabbati, quod iure divino erat institutum ad Deum colendum. Ita Abb. Ang. Panorm. apud Salm., et his adhaeret Croix [16] cum March. et Spor. qui dicit excusatum in festo a missa, teneri in dominica colere Deum saltem aliquo actu interno. Sed longe probabilior, et communis est *secunda* sententia, quod sit de iure ecclesiastico *ex catech. rom.* [17] ubi: *Placuit autem ecclesiae Dei, ut diei sabbati cultus in dominicum transferretur diem.* Idem docet s. Thom.[18]: *Observantia diei dominicae succedit ob-*

(1) 2. 2. q. 122. (2) Lev. 23. (3) P. 3. in 3. praec. dec. n. 4. et 6. (4) 2. 2. q. 122. a. 4. ad 1. (5) Tr. 23. de 3. praec. (6) C. 1. a n. 1. ad 7. (7) Dict. c. 1. n. 8. (8) P. 2. tit. 9. c. 7. §. 2. q. 4. a. 4. concl. 2. dub. 1. (9) Dec. l. 2 c. 33. n. 8. (10) Ex n. 9. (11) 2. 2. q. 122. c. 4. (12) De 3. praec. n. 1. (13) 1. 2. q. 100. a. 9. in corp. et expressius ad 2. (14) Ib. n. 15. (15) Ib. n. 11. (16) L. 3. p. 1. n. 691. (17) Ibid. n. 18. (18) 2. 2. q. 122. a. 4 ad 4.

servantiae sabbati non ex vi legis, sed ex institutione ecclesiae. Et ideo observantia dominicae ab ecclesia mutari et dispensari potest: quamvis dispensari non posset, quod nullus sit dies festivus cultui divino specialiter deputatus, prout de facto Alexander III. dispensavit, ut in dominicis fiat piscatio alecum, uti habetur in *c. Licet, de feriis*, ubi sic dicit: *Licet tam veteris quam novi testamenti pagina septimum diem ad humanam quietem specialiter deputaverit, et tam eum, quam dies maiestati altissimae deputatos, necnon natalia sanctorum ecclesia decreverit observanda; indulgemus, ut liceat diebus dominicis, et aliis festis (praeterquam in solemnitatibus), si aleca terrae se inclinaverint, eorum captioni ingruente necessitate intendere.* Hanc sententiam tenent Sotus[1] d. Antoninus[2] Navarrus[3] Azorius[4] Suarez[5] Sanchez[6] Elbel[7] et Salmantic.[8] communiter cum s. Thoma[9] Fill. Cai. Bon. et cum aliis Carden.[10] ac Bellar. Sed urget magna oppositio, videlicet: praeceptum sabbati erat certe naturale et morale, nam ideo inter decalogi praecepta numeratum fuit: ergo dominica, quae sabbato substituta fuit, etiam de iure naturali sive divino est. Respondetur, quod, licet sit de iure divino et naturali, ut designetur aliquod tempus determinatum ad Deum colendum, determinatio tamen huius cultus et dierum quibus conferendus erat, fuit a Christo dispositioni ecclesiae relicta: ita ut posset tunc papa decernere, ut observantia dominicae duraret tantum per aliquas horas, et quod licerent aliqua opera servilia, ut dicunt Salm.[11]. Et ideo praeceptum hoc, quoad exhibitionem cultus, est quidem divinum; sed quoad determinationem cultus, et temporis, est ecclesiasticum. Vide Salmantic.[12].

266. Quaeritur 5. an episcopi possint pro suis dioecesibus festa indicere. Constat posse[13]. Sed dubium est ex bulla Urbani VIII., ubi in Domino monentur episcopi, ut abstineant a festis instituendis. Verum probabilius illa verba sunt potius monitiva, quam praeceptiva. Vide Salm.[14].

Dubium maius vertitur, an requiratur consensus cleri et populi. Affirmandum est cum Azor. Covarr. Bonac. Trull. etc. et Salm.[15]. Notandum tamen, quod sufficit, si clerus et populus non contradicant. Notandum deinde, quod, licet episcopus, illis contradicentibus, nequeat festa indicere perpetua, potest tamen una, vel altera vice. Imo Suar. Bonac. Trull. Pal. Barb. etc. apud Salm.[16] dicunt sufficere ex consuetudine solum cleri consensum; sed huic contradicunt Salm.[17] iuxta ius antiquum. Notant tamen, quod, attento iure novo ex bulla Urb. VIII. *Universa*, edita ann. 1642. possunt episcopi sine consensu populi et cleri instituere festa perpetua. Ita Salmant.[18] cum Bord. Sed contradicit Croix, dicens non teneri populum servare festum indictum ab episcopo sine eius, vel cleri consensu, cum Barbos. Gav. Gob. etc.[19]. Et quidem probabilius; nam ex una parte certum est[20] non posse episcopum sine consensu cleri et populi festa indicere: ex altera autem parte in praefata bulla (iuxta verba ipsius relata apud Salm.) non aliud dicitur, nisi quod episcopi abstineant de facili festa instituere: unde non bene, saltem non satis deducitur hanc facultatem absolute episcopis concedi.

Utrum autem episcopi possint festa instituere in honorem sanctorum tantum beatificatorum. Affirmant Suar. Trull. Fag. etc. apud Salm.[21]. Sed ipsi ut verius negant cum Sanch. Barb. Vill. Dian. etc.[22]. Principes seculares etiam posse indicere dies festos, saltem quoad abstinentiam a servilibus, dicunt Sa Sylv. etc. Sed negant commun. Azor. Sanch. Fill. et plures alii cum Salm.[23].

(1) De iust. l. 2. q. 4. a. 4. ad 2. (2) P. 2. tit. 9. c. 7. (3) C. 13. n. 1. (4) T. 2. l. 1. c. 2. q. 2. (5) T. 1. de relig. l 2. c. 4. n. 8. (6) Cons. l. 5. c. 2. dub. 1. ex n. 2. (7) N. 340. (8) C. 1. n. 33. (9) Loc. c mox supr. n. 263. (10) Diss. 32. n. 15

(11) Dict. n. 30. (12) Dict. n. 38. et 39. et in fin. prooem. ad 3. praec. (13) Ex c. Conquestus, de fer. (14) Tr. 23. c. 1. n. 115. et 116. (15) Ib. n. 116. ex d. c. Conquestus, de fer. (16) N. 117. (17) N. 110. (18) N. 119. 120. (19) N. 619. (20) Ex d. c. Conquestus. (21) N. 114. (22) N. 122. (23) N. 117

267. Quaeritur 6. a quonam tempore incipiat obligatio diei festi. Ang. Panorm. etc. tenent incipere a vespera ad vesperam. Probabilius vero incipit a media nocte ad aliam; talis enim est usus hodiernus ecclesiae romanae. Verum est tamen, quod possunt institui festa usque ad meridiem, aut noctem. Ita Nav. Suar. etc. cum Salm. [1] et Elbel [2]. Notandum autem, quod si festum ob diem impeditum transferatur in alium quoad officium; non transfertur obligatio audiendi sacrum, et abstinendi a servilibus. Est commune, vide Salmant. [3] quia talis est communis praxis ecclesiae.

268. Quaer. 7. an hoc praeceptum obliget sub gravi; et ad quid obliget. Ad primum respondetur affirmative, cum damnata fuerit ab Innoc. XI. propos. 51. dicens: *Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* Ad secundum respondetur, quod obligat ad audiendum sacrum [4]. Et ad abstinendum a servilibus [5]. Et hoc non solum in dominicis, sed etiam in aliis festis.

Hic opportune advertendum, quod ex brevi edito die 22. decembr. ann. 1748. a nostro pontifice Benedict. XIV. pro regnis utriusque Siciliae permittuntur opera servilia in festis, exceptis *diebus dominicis paschatis resurrectionis, pentecostes, et aliis dominicis per annum; necnon diebus circumcisionis, epiphaniae, ascensionis, corporis Christi, et nativitatis Domini; diebus purificationis, annunciationis, assumptionis, nativitatis, et conceptionis B. Mariae Virginis immaculatae; festi ss. apostolorum Petri et Pauli, omnium sanctorum, ac praecipui quorumcumque locorum, et dioecesum patroni.* Pro aliis festis praecipitur tantum auditio sacri.

269. Utrum autem sit obligatio etiam audiendi concionem. Sic videtur praecipi in *c. Sacerdotes, dist.* 1. *de consecr.* Sed respondetur negative cum Bus. *infra n.* 308. *et n.* 323. ac Salm. [6]. Explicat autem Glossa textum cit. loqui tantum de contemnentibus concionem. Et, ut notat Suar. [7] nil aliud ibi praecipitur, quam ut episcopi et parochi diebus dominicis et solemnioribus per se aut per alios idoneos concionem faciant, et in adventu et quadragesima saltem tribus diebus in hebdomada praedicent, si ita oportere duxerint. Ex quibus verbis non imponitur alia obligatio, quam episcopis et parochis praedicandi. Hic obiter advertendum, quod in Trid. [8] praecipitur tam episcopis, quam parochis obligatio concionandi suis populis in dominicis, et festis solemnibus, his verbis: *Omnes episcopos ... et praelatos teneri per seipsos, si legitime impediti non fuerint, ad praedicandum* (vel per idoneos, si impediti fuerint) ... *Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtae subiaceat ultioni. Archipresbyteri quoque, plebani, et quicumque curam animarum obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, et eorum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate, et facilitate sermonis vitia quae eos declinare et virtutes quas sectari oporteat.* Idem praeceptum renovatur episcopis in eodem concil. [9]. Hinc non dubito cum Salm. [10] et Barb. quin praedictum praeceptum obliget tam episcopos, quam parochos graviter et absolute. Nec obstat id quod sentit Suar. apud Bon. [11], nempe quod hoc praeceptum non obliget tam rigorose, ita ut graviter peccent parochi qui interdum, vel saepius omittunt concionari: id opinatur Suar. tam ex consuetudine sic legem interpretante, quam ex ipso concilio, ubi [12] cum agitur de hac obligatione episcoporum, dicitur *si ita oportere duxerint;* et huic interpretationi adhaerent Bon. [13] et Pal. [14].

(1) N. 124. (2) De 3. praec. n. 331. (3) N. 126. (4) Ex c. Vice illius, de tregua et c. Si quis de consecr. dist. 1. (5) Lev. 23. 7. et ex c. 1. Licet, de fer. (6) Tr. 23. c. 1. n. 134. (7) T. 2. de rel. l. 2. c. 16. n. 8. (8) Sess. 5. c. 2. de ref. (9) Sess. 24. c. 4. (10) De 3. praec. c. 1. n. 136. et 137. (11) D. 5. q un. pag. 2. in fin. (12) Dict. c. 4. sess. 24. (13) Loc. c. (14) Tr. 9 n. 4. n. 8

Sed bene respondent Salm.[1] quod conditio illa refertur ad tempus tantum adventus et quadragesimae, ut patet revera ex contextu concilii, sed non ad alia anni tempora. Communiter tamen dd. in tali praecepto admittunt parvam materiam; Ronc.[2] vult parvam materiam esse tantum duodecimam partem concionum infra annum: sed hoc videtur nimis rigidum. Salm. autem [3] rationabiliter asserunt non excusari a culpa gravi parochos saepius praedicationem omittentes, quo videntur Salmant. excusare parochos interdum omittentes. Hinc non improbabiliter videntur tenere Bon. et Pal.[4] non peccare graviter parochos, qui interdum concionari omittunt; secus vero, ut aiunt, si omittant per unum integrum mensem continuum, aut per tres menses discontinuos in anno. Tanto magis quia in Trid.[5] dicitur, quod si ab episcopo ipsi parochi *moniti*, *trium mensium spatio muneri suo defuerint*, *per censuras etc. cogantur*. Ex quo videtur in hac materia eius parvitatem maiorem latitudinem habere. Notant demum Salm.[6] bene posse parochos conciones omittere, ut postea opportunius suppleant. Episcopi autem rarius quidem quam parochi, tenentur conciones facere.

270. Quaer. 8. quinam teneantur observare festa. Respondetur, omnes fideles rationis compotes, idest circa finem septennii. Ita ex communi Croix[7] et Salm.[8] contra alios, quorum opiniones passim reiiciuntur. Hinc pueri, qui ante septennium certo pervenerint ad usum rationis, tenentur, ut censent probabilius Suarez [9] Nav.[10] Azor.[11] et Salm.[12] cum Fagund. ac Dian.[13] qui hanc sententiam probabiliorem vocant; contra vero non tenentur, si post septennium adhuc usu rationis carerent. Ratio, quia lex ista obligat omnes qui ad annos discretionis perveniunt. Sed non immerito sententiam oppositam probabilem putant Elb.[14] Dian.[15] cum Trull. Rocafull. et Pasqual. ac Croix [16] cum Burg. Illsung. et Io. Sanch. Zachar.[17] nempe pueros ante septennium, etiamsi usum rationis acquisierint, non teneri ad leges positivas, quia istae non obligant, nisi secundum communiter contingentia, ut habetur in *lib. Nam ad ea*, *ff. de leg.* ubi: *Nam ad ea potius debet aptari ius*, *quae frequenter et facile*, *quam quae perraro eveniunt;* hac etiam ratione d. Th.[18] excusat a ieiunio iuvenes ante 21. annum, etiamsi aliquis non indigeret frequenti cibo: *Quia* (ut ait) *legislator attendit id quod communiter et in pluribus accidit.* Idem autem dicunt Sanctius, Dian. et Burg. apud Croix[19] de praecepto annuae confessionis; sed tenendum cum Pal.[20] qui dicit esse communem sententiam cum Sylv. Suar. Con. Navarr. Laym. Vasq. Bon. etc. bene obligare ad confessionem pueros conscientiam peccati mortalis habentes, dum ex *c. Omnis utriusque sexus*, *tit.* 38. *l.* 5. *de poen. et rem.* praecipitur, quod omnis fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, teneatur ad annuam confessionem. *Ad annos discretionis*, bene explicat Glossa, *idest*, *cum est doli capax.* Post septennium vero, in dubio rationis adeptae pueri certe tenentur ad omnes leges, quia tunc sine dubio praesumptio ex communiter contingentibus stat pro obligatione, ut Elbel [21] et Sanchez Bon. Dian. etc. apud Salm.[22]. Qui autem simul esset caecus, mutus et surdus non teneretur adesse missae, quia non posset praestare moralem assistentiam; secus si tantum sit caecus vel surdus. Croix[23]. An teneantur peregrini ad observanda festa. Vide dicta supra *l.* 1. *n.* 156. et dicenda *hoc l.* 3. *n.* 332. *in fin. v. An autem.*

271. An autem liceat in festis iniungere opera servilia infidelibus. Negat Fernand. ap. Tamb.[24]. Sed affirmant [25]

(1) Loc. c. n. 143. (2) De 5. praec. c. 5. p. 6. (3) N. 145. (4) Loc. c. (5) Sess. 5. c. 2. in fin. (6) Dict. n. 145. (7) L. 3. p. 1. n. 615. (8) C. 1. n. 151. (9) 3. p. t. 3. d. 82. sect. 4. in fin. (10) C. 21. n. 7. (11) T. 1. l. 7. c. 2. q. 1.

(12) C. 1. n. 151. (13) P. 10. tr. 12. r. 5[illegible] (14) De leg. n. 369. (15) L. c. (16) L. 1. n. [illegible]6. (17) L. 3. pag. 1. n. 615. (18) 2. 2. q. 147. a. 4. ad 2. (19) L. 6. p. 2. n. 2026. (20) De sacr. poen. p. 2[illegible] §. 2. n. 2. (21) Ib. (22) D. n. 151. (23) L. [illegible] p. 1. n. 616. (24) Dec. l. 4. c. 3. §. 1. n. 17. (25) [illegible]

Dian. Merolla Laym. [1] Croix [2] cum Viva, Tamb. et Elbel n. 410. merito putant non improbabile: cum Laym. permittat iniungi perpetuo amentibus servilia, utrique enim sunt extra legem, dum apostolus nos instruit, quod ecclesia non iudicat de iis qui foris sunt [3].

Dubium I. Quae opera tum hoc praecepto, tum ab ecclesia prohibeantur.

272. « Resp. 1. Die festo prohibentur omnia opera servilia, hoc est, quae et versantur circa materiam externam, et vel mechanica et illiberalia sunt, v. gr. suere, fabricare; vel requirunt tantum laborem corporis, et ab operariis tantum et servis fieri solent. Ita dd. com. v. Lay. [4] Suar. Fill. etc. ex s. Th. [5].»

Praenotandum, triplex genus operum dari communiter ab aa. Alia sunt *corporis*, quae per corpus exercentur et ordinantur immediate ad utilitatem corporis, ut fodere, suere etc. Et haec dicuntur *servilia*, quia a servis fieri solent. Hinc definitur opus servile ab Ills. apud Croix [6]: *Actio, quae quia vel immediate in utilitatem corporis, vel corporis potius quam animi viribus efficitur, vulgaribus communiter hominibus committi solet.* Alia sunt opera *animae*, quae ab anima praecipue procedunt, et ad animum excolendum spectant, ut legere, docere, canere, organa pulsare. Et haec dicuntur *liberalia*, quia a liberis exercentur. Alia denique sunt *media* seu *communia*, quae a liberis et servis promiscue exercentur, ut iter facere, venari etc. Ita Laym. [7] Bon. [8] Anaclet. Viva etc.

273. Quaeritur hic, an peccent contra hoc praeceptum, qui peccant in die *festo*. Affirmant s. Bon. s. Ant. Med. etc. apud Salmant. [9], quia, ut dicunt, peccatum opponitur cultui divino, qui in festo praecipitur. Sed probabilior, et longe communior est contraria sententia Nav. [10] Suar. [11] Lug. [12] et Salm. [13] cum Cai. Sot. Sylv. Sanch. Bon. Pal. Med. Trull. etc. ex d. Thom. qui [14] Glossae dicenti in *cap.* 13. Lucae, quod lex prohibet in sabbato, *non hominem curare, sed servilia opera facere, idest peccatis gravari*, sic respondet: *Opera servilia mystice intelliguntur peccata, sed ad litteram dicuntur ad quorum exercitium servos deputatos habemus.* Nec obstat illud quod alibi s. doctor ait [15] ubi dicit: *Magis contra hoc praeceptum agit, qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus facit.* Nam hoc intelligit de fine praecepti, non autem de praecepti obligatione; finis vero praecepti non cadit sub praecepto, ut dictum est *n.* 264. ex eodem d. Th.

» 1. Impertinens est ad rationem operis servilis, utrum fiat ex lucro an ex recreatione: ex hac, an ista intentione, pia, vana, et turpi. Caiet. Suar. Laym. [16] etc. contra Sylv. et canonistas.

» 2. Impertinens quoque est, sive fiat cum defatigatione et labore, sive non; sive brevi, sive longo tempore etc. quia nihil horum mutat naturam operis.

274. » 3. Servile non est, ideoque nec prohibitum, festo ludere, choreas ducere, instrumenta musica pulsare, iter facere pedibus, equo, curru, vel navi, unde etiam ad haec necessaria sunt licita. Nav. [17] Tolet. et Laym. Suar. [18]. »

275. Utrum sit licitum in die festo itinerari pedibus, equo vel curru. Negant Abul. Cai. Sylv. etc. At affirmandum est ex communi cum Bus. Viva [19]

(1) L. 1. t. 4. c. 10. n. 3. (2) L. 3. p. 1. n. 579. (3) 1. Cor. 5. 12. (4) L. 4. tr. 7. c. 2. (5) L. c. (6) L. 3. p. 1. n. 574. (7) Ibid. (8) Dub. 5. q. un. p. 2. n. 6. (9) De 3. praecept. c. 1. n. 224. (10) C. 6. n. 9. (11 [illegible] 2. c. 18. n. 3.

(12) De poenit. d. 16. n. 116. (13) Ex n. 22[illegible] (14) In 3. d. 37. q. 1. a. 5. q. 2. ad 2. (15) 2. 2. q. 122. a. 4. ad 5. (16) Ib. n. 4 (17) C. 13. (18) De fest. c. 27. (19) De 3. praec. q. 9. n. 8.

Elbel[1] et Salm.[2]. Et sententia opposita nunc relinquenda est ut antiquata, bene ait Ronc.[3].

Utrum autem sit licitum uti lectica ab hominibus portata. Negat Croix[4]. Affirmat Tamb.[5] cum Pal. Sed in hoc dico attendendam esse consuetudinem locorum; quae iam viget in urbe Neapolis, et excusat a culpa, ut bene advertit Mazzotta[6].

276. « 4. Nec servile est, ducere iumenta sine onere, cum id sit iter facere, ut ait Fill. [7]. Ducere autem iumenta, currus, vel navigium onustum mercibus, est servile. Suarez [8] Fill. [9]. Quod si tamen ante festum talia itinera incoepta sint, continuatio eorum permittitur, vel ob publicam utilitatem, vel ob damnum quod alias sequeretur. »

Quaestio gravis est, an liceat ducere currus, vel iumenta onusta in die festo. Triplex est sententia. *Prima* tenet hoc esse per se opus servile, praeciso labore. Ita Bus. Bon. [10] cum Reg. et s. Ant. Nav. Cai. et Sylv. ap. Salm.[11]. *Secunda sententia* tenet non licere sub gravi, non autem per se, sed ratione laboris, si is esset gravis in imponendis aut levandis oneribus: secus si labor esset modicus. Ita Croix [12] Tamb. [13] cum Dian. Sanch. [14] Pal. apud Salmant. [15] Elb. [16]. *Tertia* probabilior, saltem hodie, quam tenent Viva [17] Ronc.[18] Salm.[19] cum aliis censet omnino licitum esse non solum iter incoeptum continuare, sed etiam inchoare. Ratio quia in tali labore muliones non insumunt tempus notabile: et, si aliquando sit notabile, excusantur vel ob evitandum grave damnum, vel ob publicam utilitatem, vel denique quia adest universalis consuetudo, quam adesse merito asserit Mazzott.[20]. Idemque ait de nautis [21].

277. An autem liceat in festis molere. Concedit Sanc.[22] si sit mola, quae agitur aqua vel vento; non autem, si agitur bestiis, et in qua requiritur magnus labor et occupatio. Ex qua doctrina satis probabiliter inferunt Tambur. [23] et Croix [24] quod quando cooperatio, et applicatio hominis est modica, non sit illicitum, saltem graviter, etiam cum bestiis molere.

An autem liceat ferrariis equos iter agentium ferrare. V. *dub. seq. n.* 300.

278. « 5. Item nec servile est, sive gratis, sive pro pretio docere, studere, scribere, transcribere, et secundum quosdam, ut Medin. Lopez et Armillam, quorum sententiam probabilem putat Laym. contra Fill. Azor. et alios multos, pingere, etiam coloribus (nam de rudibus lineamentis plerique concedunt): terere tamen colores, et non pingere, sed tingere, ut v. gr. colorare asseres, vel pannos, dealbare parietes, illiberale est. »

Hic plura sunt distinguenda.

Quaer. 1. an docere, scribere, ludere, canere etc. sint *servilia*, si fiant ob lucrum. Affirmant Abul. Azor. Tabien. etc. ap. Salm.[25] quia, licet tales actiones sint liberales, ex lucro tamen fiunt serviles. Sed tenendum est oppositum ex s. Thom. [26] cum Soto Nav. Suar. et Salm.[27]. Ratio, quia intentio operantis non potest opus mutare.

279. Quaer. 2. an transcribere sit opus servile. Affirmant Cai. Nav. Sanc. Sylv. etc. apud Salm. [28] quia transcribere, dicunt, non est opus mentis, cum multi transcribant etiam quod non intelligunt; sed negant communissime, et probabilius Elbel [29] Ronc. [30] Salm. [31] cum Suar. Sa Trull. Bon. et Viva [32] cum Pal. et communi, quia transcribere, sicut scribere, ordinatur ad mentem instruendam: et ideo Elb. [33] Viva [34] notant ex Tamb. licere etiam transcribere notas musicas, et rationes, et etiam characteres componere. ut Lay. cum Dian. Bus. *n.* 282. Mazz. et Elbel [35] cum Spor.

(1) N. 404. (2) C. 1. n. 247. (3) C. 3. q. 4. (4) L. 3. p. 1. n. 577. (5) Ib. n. 11. (6) De 3. praec. c. 1. §. 1. (7) Hic c. 9. n. 170. (8) Loc. c. (9) Loc. c. (10) Disp. 5. q. un. p. 2. n. 25. (11) C. 1. n. 246. (12) L. 3. p. 1. n. 578. (13) Dec. l. 4. c. 3. §. 1. n. 11. (14) Cons. l. 5. c. 2. d. 7. n. 10. (15) C. 1. n. 249. in fin. (16) De 3. praec. n. 404. (17) Q. 9. a. 1. n. 9.

(18) C. 3. q. 4. (19) C. 1. n. 250. (20) T. 1. p. 405. (21) P. 409. (22) Cons. l. 5. c. 2. d. 13. (23) N. 14. (24) Ib. n. 578. (25) C. 1. n. 263. (26) 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. (27) N. 264. (28) C. 1. n. 268. (29) N. 399. (30) C. 3. q. 4. resp. 1. (31) C. 1. n. 262. (32) Q. 9. a. 1. n. 5 (33) N. 440. (34) Ibid. (35) N. 401.

Tamburin. Sayr. et pluribus contra Pal.

280. Quaer. 3. an pingere sit opus servile. *Prima sententia* negat cum Lopez Med. Ang. Sylv. Sayr. Armilla Rosell. Barb. apud Salm. [1] et apud Bus. et Laym.; ratio, quia, ut dicunt, tale opus proprie servile non est, sed potius liberale, prout simillimum ac scribere. Saltem non esse servile, si fiat recreationis causa, admittunt Azor. Reg. Fill. etc. ap. Bon [2]. Hanc sententiam Spor.[3] vocat probabilissimam. *Secunda* tamen communior sententia tenet esse opus servile, quia non potest dici actio liberalis, cum non tendat ad mentem instruendam, ut tendit scriptura, sed solum ad assimilandas imagines rerum. Deinde quia pingere simillimum est ac sculpere, et acu depingere, quae ex communi sunt servilia. Ita Salm.[4] cum Cai. Suar. Pal. Sanch. et aliis.

His tamen non obstantibus Laym. [5] Viva [6] Elbel [7] Holzm.[8] Ronc.[9] Anacl.[10] Tamb.[11] cum Sa Pelliz. et Pal. admittunt primam sententiam esse probabilem, modo id fiat sine magno apparatu, scilicet colores miscendo, tabulas dolando, etc. Ratio, quia pingere, licet requirat operationem materialem, non videtur tamen proprie posse dici actio servilis, immo potius dicenda videtur liberalis: nam, sicut scriptura exprimit conceptus internos, ita pictura exprimit imagines rerum, ut dicunt Castr. Tamb. et Viva; vel, ut ait Laym., videtur pingere esse actio liberalis, quatenus tendit ad animum recreandum. Negari non potest praedictam opinionem satis esse probabilem, ut recte dicit Mazzotta. Nam, etsi non constaret, quod pingere sit opus liberale, nec etiam constat esse servile; quod utique constandum fore videtur, ut posset dici prohibitum. Probabilius enim videtur esse actio saltem *media et communis* servis et liberis, dum saepe communiter observamus nobiles viros non erubescere hanc operationem pingendi addiscere et exercere; opera enim *in quantum* (loquitur s. Th. [12]) *sunt communia servis et liberis, servilia non dicuntur*. Saltem, ut dicit Ronc. [13], non sunt dimittendi sine absolutione, qui hanc opinionem ut probabilem sequuntur.

281. Communiter autem admittunt Spor. [14] Fel. Pot. [15] Mazzotta et alii ap. Tamb. et Viva, non esse opus servile delineare, retrahere imagines vel exemplaria acu, ut solent feminae; haec enim (ait Tamb.) magis referuntur ad exercendum ingenium, quam ad operandum. Excusant etiam Az. Fill. Sylv. et Ang. ap. Bon.[16] puellas acu pingentes, ut addiscant, cum Pal. Sa March. ap. Bus. *hic n.* 283.

Ars tamen sculptoria communiter, saltem in aestimatione hominum, inter artes mechanicas numeratur. V. Tamb. cum Pal.[17].

282. « 6. Videntur etiam excusari posse in typographiis litterarum collocatores, quando post divina collocant neglectum pensum, ut habet Laym.[18]. Imprimere tamen servile habetur. Esc. [19] Suar. Laym. etc.

» 7. Excusat etiam Fill.[20] distillationem, quae sine corporis fatigatione potius ad experientiam et peritiam fit, quam ex officio et arte. (Admittit eam Croix [21] si parva sit applicatio. An autem ob eamdem rationem liceat emundare triticum manibus. Tamb.[22] in dubium revocat. Caeterum p. Michael ap. Elb. [23] permittit ad vitandum otium leves labores, ut decerpere rosas, decorticare poma, etc. Sed in his potius dicendum puto, quod requiratur maius temporis spatium ad materiam gravem).

283. » 8. Servile aliqui non putant (alii contrarium tenent, et excusant per consuetudinem, ad otium aliaque peiora vitanda) venari. Granat. [24] aucupari, militare, gladiari, piscari (saltem in fluminibus recreationis gratia) et similia: piscatio tamen moderata esse debet.

(1) C. 1. n. 257. (2) Disp. 5. q. un. p. 2. n. 25. (3) N. 45. (4) N. 258. (5) L. 4. tr. 7. c. 2. n. 5. (6) Q. 6. a. 2. n. 4. (7) N. 395. (8) N. 541. (9) Ib. q. 4. (10) Tr. 10. q. 2. (11) Dec. l. 4. c. 5. §. 1. n. 8. (12) 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3

(13) In reg. prax. (14) Tr. 3. in dec. c. 4. (15) N. 2033. (16) Ib. n. 25. in fin. (17) Ib. n. 10. (18) Ibid. (19) D. 5. c. 4. (20) Hic n. 169. (21) L. 3. p. 1. n. 578. (22) Ib. (23) N. 403. (24) 2. 2. c. 5. t. 12. a. 1. sect. 7. n. 66.

Vide Layman et Fill.[1] Bonac.[2] Escob. qui docet, laboriosam et ex officio non licere. Similiter quidam excusant puellas ad otium vitandum acu pingentes, Arm. Az. Pal. Sa Marchant. V. Dian.[3]. »

Quaeritur, an venatio, aucupatio et piscatio sint opera vetita in festis. Adest duplex sententia. *Prima* affirmat, quia dicunt esse opera servilia, maxime si fiant ob quaestum, ut Sylv. Angel. Corell. etc. apud Salm.[4]. *Secunda* tamen *sententia* probabilior, et communior negat esse prohibita, etsi fiant causa lucri; vel quia non sunt opera servilia, ut tenent Laym.[5] Elbel[6] Sanch.[7] Navar. Medin. Granad. Rod. Lop. Vel quia saltem excusantur a consuetudine, ut recte tenet Holzm.[8] Viva[9] cum Pal. Sanch. Trull. Fill. Leand. etc. modo, intellige, haec fiant sine magno labore: alias frustra videretur pontificem dispensasse in piscatione alecum[10].

284. « Resp. 2. Prohibentur praeterea quaedam opera non servilia, quae dicuntur forensia, ut sunt mercatus, placitum, iudicium ad mortem vel poenam, et strepitus omnis iudicialis, idest actiones, quae ad decisionem causarum tam civilium quam criminalium, tam secularium quam ecclesiasticarum spectant. Ita commun. dd.[11].

Unde resolves:

» 1. Festo non licet citare, adducere testes, idest exigere iuramentum iudiciale, proferre aut exequi sententiam, quae si feratur est irrita. V. Laym.[12]. »

Prohibetur in festis praestare iuramentum iudiciale pro rebus temporalibus, ut s. Th.[13]. Sed licitum est praestare iuramentum inquisitoribus, et etiam iuramenta, quibus confirmantur contractus promissi in die festo. Viva[14] Prohibentur etiam formatio processus, citatio partis, et sententiae prolatio, sive executio, nisi aliter requirat necessitas aut pietas[15].

285. « 2. Nec licet emere et vendere res non necessarias, negotiari publice vel privatim, inire contractus emptionis, locationis, permutationis, etc. (nisi ex consuetudine, vel aliis iustis causis excusentur); quia intelliguntur nomine mercatus qui prohibitus est[16], ut docent Bon. ex Suar.[17] et Fill.[18] (*Vide n. seq. v. An autem*). »

286. Nundinae universales ex consuetudine iam permittuntur, et alicubi etiam nundinae particulares in quavis hebdomada, ut Viv.[19] cum Pal. et Salmant.[20] Sanchez Caiet. Soto etc. cum Croix[21] qui cum Pal. et Tambur. dicit, quod ex consuetudine nunc videtur omnino licitus esse mercatus. Emptiones autem mercium certe sunt vetitae a iure canonico, ut ait Sanch.[22] apud Salm.[23]. At ubi est contraria consuetudo, excusantur: Sanch. et Viva[24]. Consuetudo enim (ait Mazz.[25]) in hoc magna ex parte legem abrogavit. Hinc notant Salm. permitti in festis vendere poculenta et esculenta, etsi ad gulositatem, cum Caiet. Sanchez Nav. et Bus. iuxta decr. sacr. congr. rituum ap. Salm.[26] Item vendere calceos, candelas et similia, quorum pretium iam aestimatum sit. Item vendere domum, equum, merces, etiam praesentes, et quamvis in hoc multum tempus impendatur; tum quia sic fert timoratorum usus; tum quia ecclesia tantum venditionem in publicis officinis prohibuit ratione scandali. Ita Salm.[27] cum Sanch. Nav. etc. et Croix[28] cum Pal. Tamb. et Ills.[29].

An autem nomine mercatus vetentur etiam locationes, negotiationes et similia. Affirmant Bus. cum Tab. Sylv. etc. Sed communius negant Sanchez[30] Viva[31] Salm.[32] cum Trull. Pal. Az. et Leand. Quia talis est sapientium consuetudo, qua videtur derogatum decretis s. Pii v. *Cum primum*, ann. 1566. et sacrae congregat. rituum apud Salman-

(1) T. 27. c. 9. q. 12. (2) D. 5. q. 1. p. 2. n. 23. (3) P. 5. t. 6. r. 15. et p. 4. t. 4. r. 64. (4) C. 1. n. 241. (5) Ibid. n. 4. (6) N. 402. (7) Cons. l. 5. c. 2. d. 14. et 15. (8) N. 542. (9) A. 1. n. 15. (10) In c. 3. de feriis. (11) Ex c. 2. de feriis. (12) L. 4. t. 7. c. 2. n. 7. (13) 2. 2. q. 89 a. 10. (14) A. 2. n. 15. (15) Ex c. ult. de fer. (16) C. 1. de fer. (17) C. 13. (18) T. 27 c. 10. q. 2 n. 180.

(19) Q. 3. a. 2. n. 2. (20) C. 1. n. 276. et 278. (21) Ib. n. 606. (22) D. 25. n. 3. (23) N. 279. (24) Ibid. (25) §. 2. (26) N. 280. et 286. (27) Ex n. 280. 281. (28) Ibid. n. 606. (29) Item permittunt dd. etiam mercatoribus vendere aliquid clausis ianuis, cum emptores pro tunc iis valde indigerent. Hom. Ap. tr. 6. n. 18. (30) C. 2. d. 26. n. 3. (31) A. 2. n. 4. (32) C. 9. n. 27.

tic.[1]. Hinc licitos esse omnes contractus, si fiant sine instrumentis, et iudicis auctoritate, dicunt Sanch. Ills. et alii ap. Croix [2]. Ideo venditionem magni momenti cum solemnitate Mazz. [3] damnat de mortali; sed Viva asserit ex communi cum Pal. [4] quod permittitur conficere testamenta, contractus celebrare, aliosque similes actus facere, qui non requirant strepitum iudicialem; et revera ubique inter nos in festis stipulantur instrumenta; quamvis notarii alicubi soleant ad hoc petere ab ordinario generalem licentiam, quae ceterum communiter conceditur.

287. « 3. Festo licet excommunicare, dispensare, iudicem privatim informare, advocatum consulere, consilia conficere, eligere, etc. quia non requirunt strepitum iudicialem. Vide Bon. [5] (Est communis apud Viva [6]. Licitum est etiam conferre beneficia, et etiam iurisdictionem exercere sine strepitu iudiciali; item emancipare, et etiam appellare. Viva [7]). »

Dubium II. Quae causae excusant ab observatione festorum, ob quas opera prohibita liceant.

288. *Qui possint* dispensationem *dare ad laborandum.*
289. *Quinam laborantes excusentur ex* consuetudine.
290. *An vertentes segetes etc. An barbitonsores, et sutores. Et quid sufficiat ad notitiam consuetudinis.*
291. *Quomodo excuset* pietas.
292. *An liceat in festo verrere templum, ornare altaria, erigere sepulchrum etc.*
293. *An liceat laborare ad subveniendum pauperibus, vel locis piis.*
294. *Quomodo excuset* charitas *erga proximum.*
295. *Quomodo* necessitas.
296. *An excusentur famuli a domino coacti ad laborandum.*
297. *An pauperes reficientes vestes etc.*
298. *An liceat in festo coquere cibos, occidere animalia, conficere pastillos, et colligere fructus.*
299. *An conficere panem.*
300. *An mederi, conflare ferros, coquere calcem, vitrum etc. Et an ferrare equos.*
301. *An liceat laborare pro magno lucro. Et an ob id etiam omittere sacrum.*
302. *An ad vitandum otium.*
303. *An excusentur instauratores viarum etc. et sartores perficientes vestes in festo.*
304. *Quomodo excuset* utilitas *ad publicam laetitiam.*
305. *Quomodo excuset* parvitas materiae.
306. *An peccet graviter mandans sex famulis laborare per horam.*
307. *Unde sumatur gravitas materiae in forensibus.*

« Tales praecipue sunt septem. Prima *dispensatio* episcopi, vel habentis potestatem quasi episcopalem, uti superiores religionum; imo et parochi, quando non datur facilis accessus ad episcopum, Suar. [8] Laym. [9] Bon. [10]. »

288. In praecepto abstinendi ab opere servili dispensare potest *primo* pontifex, ut supremus legislator et pastor, in omnibus festivitatibus, et pro tota ecclesia. *Secundo* episcopus in sua dioecesi, et etiam capitulum, sede vacante; necnon praelati regulares erga suos religiosos subditos, et eorum domesticos. Et notandum, quod episcopi dispensare possunt etiam in festis communibus: notandum tamen, quod, si in iis dispensent sine iusta causa, peccant graviter, et invalida est dispensatio; secus, si dispensent in festis synodalibus, sive particularibus loci. *Tertio* parochus dispensare potest, quando subditus nequit adire episcopum, sed tantum ad tempus, et pro aliquo particulari casu. Ita Sanch.[11] et Cai. Sot. Nav. Suar. Pal. Azor. Trull. cum Salm.[12] et Viva [13] qui notat, quod vicarius generalis etiam potest dispensare, sed tantum ex speciali mandato; nam ex generali ei non committuntur illa, quae gratiam sapiunt, ut ait Tamb. [14] cum Meroll. Barb. et Sanchez. Etiam vero, praesente episcopo, parochi ex consuetudine possunt dispensare in minutis et frequentibus necessitatibus, in iis tamen rebus tantum, in quibus ex consuetudine introductum est ipsos dispensare, prout in ieiunio, et in vacatione ab operibus servilibus in festis. Itá Viva [15] Tamb.[16] cum Th. et Io. Sanch. Spor.[17] cum Suar. Mazz. [18] ac Salm. [19] comm. Censet autem Elbel [20] cum Suar. Sylv. Fill. etc. quod, urgente necessitate, sufficit etiam dispensatio praesumpta, si dispensator adiri nequeat. Hic autem notandum, quod habens potestatem or-

(1) N. 286. (2) Ibid. n. 606. (3) D. §. 2. (4) Q. 9. a. 2. n. 4. (5) L. c. (6) Q. 9. a. 2. n. 4. (7) Ibid. (8) C. 33. (9) Ibid. c. 4. n. 2. (10) P. 1. n. 20. (11) Cons. l. 5. c. 2. d. 20. n. 2.

(12) C. 1. n. 359. (13) A. 2. n. 13. (14) Ibid. §. 2. n. 33. (15) L. c. (16) Ib. n. 37. etc. 5. §. 7. n. 56. (17) De leg. c. 1. n. 349. (18) De leg. tr. 1. d. 4. q. 1. c. 2. (19) De leg. c. 5. n. 40. (20) [illegible] praec. n. 414

dinariam potest eam alteri delegare; non autem si habeat delegatam. Croix [1] cum Tamb. etc.

289. « Secunda, *consuetudo;* nam sic licent nundinae illae, in festis passim haberi solitae, et praeparationes deliciarum non necessariarum, ut cupediorum, placentarum et similium ciborum artificiosorum; item emptiones, et venditiones rerum parvi momenti. Bonac. [2] Laym. [3]. »

290. Hinc ex consuetudine Salm. [4] et Sanch. apud Viva [5] excusant eos, qui in area vertunt et separant segetes, et hortulanos rigantes olera. Fernandez autem ap. Dian. cum Tambur. [6] excusant barbitonsores ex consuetudine (et idem ait Viva [7] dici posse de sutoribus calceantibus novos calceos). Notat autem Viva quod communius dd. dubitant de tali consuetudine approbata, de qua pariter dubitant Sanch. [8] et Salm. [9] cum Cai. et Tol. Admittunt tamen probabiliter Tourn.[10] Mazz.[11] Croix [12] Elbel [13] Tamb.[14] et Viva [15] eos excusari posse vel ex parvitate materiae, scilicet si unum vel alterum tondeant, vel ex necessitate rusticorum, quibus tantum in festis conceditur tonderi. Et id concedunt Salm. cum Trull. et Pasq.[16] non solum quando rustici alibi habitant, ut admittit Sanch., sed etiam in eodem loco, ubi degit barbitonsor, ex consuetudine iam introducta. Excusant eos etiam Viva, Mazz. et Tamb. cum Fern.[17] et Croix [18] cum Diana et Ills. ratione notabilis lucri cessantis, si alias a plerisque relinquerentur cum gravi iactura lucri; cum Spor. [19] qui universe permittit id cum Fern. Dian. etc. ex consuetudine fere ubique tolerata.

Notandum autem circa consuetudinem id quod dicit Viva[20] scilicet quod ad excusandum sufficit probabilis consuetudo: sufficit enim, ut dicunt Salm.[21] cum Salas Gran. etc. dictum unius doctoris eximii, etiam moderni, qui consuetudinem afferat. Bene autem advertit Mazz.[22] quod in dubio de consuetudine possidet praeceptum, unde petenda est dispensatio; secus si probabile sit adesse consuetudinem.

291. « Tertia, *pietas* in Deum, per quam licent opera, quae proxime (non quae remote) spectant ad cultum Dei: ut pulsare campanas, circumferre imagines vel cruces in supplicatione. Ornare autem, et verrere templa, ac similia, quae ad ipsum officium non spectant, si absque ratione in festum differantur, venialia habentur. Fill. [23] Bon. [24]. »

292. Quaeritur hic 1. an liceat in die festo verrere templum, coquere hostias, ornare altaria aut ecclesiam tapetis, tabulata erigere necessaria ad festivitatem, vel sepulcrum, et similia. Tres sunt sententiae. *Prima* sententia cum Conrad. et aliis ap. Dian. dicit haec esse illicita sub gravi, nisi excuset rationabilis causa, quia sunt vere servilia; sed haec est contra communem. *Secunda* sententia cum Viva [25] Suar. Tol. Croix [26] et Tamb.[27] dicit non esse servilia; sed si possent expediri in die praecedenti, esset veniale transferre illa ad diem festum. *Tertia* sententia satis probabilis tenet haec ne sub levi quidem vetari in die festo; tum quia est generalis consuetudo, tum quia haec opera per se proxime concurrunt ad cultum divinum. Ita Elb.[28] Salm.[29] cum Dian. Pasq. Leand. etc. Notant autem Viva et Tamb.[30] quod scienter praeparare tabulata in die festo ad videndam processionem, de se esset peccatum grave; sed, si non sint facta pridie, licite fiunt in die festo: et idem tenet Mazzott. [31].

293. Quaer. 2. an ob solam pietatem, sine actuali necessitate, liceat in festis laborare, scilicet conficere vestes pro pauperibus, colere agros ecclesiae, vehere lapides, et ligna ad eius aedifi-

(1) L. 3. p. 1. n. 584. (2) Loc. c. (3) Loc. c. (4) C. 1. n. 348. (5) A. 2. n. 12. (6) Dec. l. 4. c. 3. §. 2. n. 13. (7) Ibid. (8) D. 27. n. 1. (9) C. 1. n. 343. (10) T. 3. p. 348. coll. 4. (11) T L. 3. p. 1. n. 591.

(13) N. 417. (14) Ibid. (15) L. c. (16) N. 341. (17) Ibid. (18) Ibid. (19) N. 55. (20) A. 2. n. 8. (21) De leg. c. 6. n. 18. (22) De 3. praec. c. 2. (23) N. 218. (24) Loc. c. (25) A. 2. n. 10. (26) Ibid. n. 586. (27) Ibid. n. 3. (28) N. 420. (29) C. 1. n. 255. (30) Ibid. (31) Loc. c.

cium, dealbare parietes templi. Affirmant Angl. [1] Gloss. [2] Sa [3] Vill. [4] Fill. [5]: item Perez Sylvest. Pal. etc ap. Sanch. [6]. Limitat tamen Sylv. modo non sit in dominicis et festis solemnioribus, nec usque ad ultimam fatigationem. Moventur ex eo quod ex c. *Conquestus*, *de feriis*, excusantur iudicialia, *si necessitas urgeat, vel pietas suadeat:* ergo similiter dicunt excusari servilia. Et haec ratio non videtur spernenda, cum de eodem iure ecclesiastico ut supra *num.* 284. vetentur iudicialia ac servilia: in aequiparatis autem, ubi currit eadem ratio, eadem currit legis dispositio, ut ex communi diximus *de leg. lib.* 1. *n.* 200. *in fin.* Negant vero alii licere, nisi actu urgeat necessitas, vel saltem nisi interveniat licentia episcopi; quia talia opera de se sunt servilia, et non nisi remote concurrunt ad cultum divinum. Iudicialia vero, ut supra, de se non sunt servilia, et ideo permittuntur ob pietatem. Praeceptum autem colendi Deum, abstinendo a servilibus operibus, est altioris ordinis, quam opera pietatis. Haec secunda sententia mihi videtur certo probabilior cum Sanch. [7] Pal. [8] Bon. [9] et Salm. [10] cum Suar. Caiet. Nav. et comm. Hinc dicunt Viva [11] Tamb. [12] Spor. [13] Ronc. [14] et Salm. [15] tum solum licitum esse laborare, cum pauper actu graviter indiget; vel (prout addunt Ronc. et Salm. [16] cum aa. cit.) ita indiget, ut nisi in festo laboret, non posset suae necessitati subvenire, et alias ipse pauper stipendium operariis non valeret solvere. Idem tenet Esc. [17] dicens licere extruere ecclesiam, eius agros colere etc. si ipsa sit adeo paupercula, ut aliunde sibi providere non valeat. Advertit Tamb. [18] cum Fag. ad hoc non sufficere necessitatem communem, sed requiri ut noscatur huiusmodi pauper in particulari, vel gravis et certa necessitas in aliqua universitate. Loquendo autem de locis piis Salm. [19] sic aiunt: *Ceterum, quia fere omnes ecclesiae et monasteria iam his temporibus egestate laborant: idcirco pro his, sive pro hospitalibus, confraternitatibus et similibus possunt licite homines laborare templa extruendo, segetes metendo, agros colendo etc.* Ita Salm. cum Suar. Sot. Pal. Bon. Trull. Cai. Sanch. etc. Sic pariter permittit Mazzott. laborare ad conficienda ornamenta necessaria pro ecclesia indigente.

294. « Quarta, *caritas* erga proximum; per quam licent et valent actus iudiciales pauperum orphanorum, viduarum et miserabilium personarum ne expensis graventur. Sic etiam possunt rusticanorum, in parvis oppidis, si aliis diebus adesse nequeant, causae civiles agitari. Similiter licet pauperibus et infirmis pro tunc egentibus subvenire. Item emere et vendere rusticis, qui aliis diebus impediuntur. Laym. [20]. Vid. Dian. [21].

295. » Quinta, *necessitas* propria, vel aliena corporis, vel animae; si nimirum sine gravi incommodo aut detrimento aliquid omitti non possit. (D. Th. [22] generaliter excusat, qui laborant ad vitandum damnum bonorum). Quo modo excusantur, 1. iudicia, quae celeritatem requirunt: v. gr. si latro sit fugiturus nisi tunc capiatur. 2. Servi et ancillae coacti a dominis laborare, nec audentes recusare: quod si tamen frequenter contingat, eos deserere debent, Suar. Laym. [23]. »

296. Famuli coacti a dominis ad laborandum in die festo, nisi sit in festi contemptum, satis excusantur ob timorem gravis indignationis domini, aut gravis incommodi, v. gr. si timeant dimitti, quin possint statim, aut de facili alium dominum invenire. Ita Croix cum Illsung [24] Ronc. [25] Elbel [26] Viva [27] Salm. [28] cum Pal. Suar. Azor. Bon. Nav. Sanch. Quod si talis timor

(1) V. feriae, n. 9. et 28. (2) In c. Conquestus, de feriis, v. pietas. (3) V. fest. (4) C. 22. n. 80. (5) Tr. 27. n. 156. (6) Cons. l. 5. c. 2. dub. 23. (7) Loc. c. n. 3. (8) Tr. 9. d. un. p. 10. n. 2. (9) P. 3. n. 6. (10) C. 1. n. 260. (11) A. 2. n. 8. (12) Dec. l. 4. c. 3. §. 2. n. 18. (13) Tr. 3. c. 4. n. 53. (14) C. 3. q. 5. (15) N. 357. (16) Ibid. (17) De 3. praec. (18) Loc. c. (19) N. 260. (20) L. 4. tr. 7. c. 2. n. 7. (21) T. 1. r. 34. (22) 2. 2. q. 122. a. 4. (23) L. c. (24) N. 393. (25) C. 3. q. 5. (26) De 3. praec. n. 377. (27) A. 2. n. 9. (28) C. 1. n. 346.

non adsit, verius dicunt Sanch.[1] Salm.[2] Ronc.[3] contra Bus. ipsos teneri statim dominos deserere; nisi sint addiscentes, vel obligati ad famulandum usque ad certum tempus, si hi vere damnum grave paterentur. Idem quod de famulis, dicitur de filiis, aut uxoribus, quae coguntur ad laborandum a viris, si nequeunt renuere sine timore gravis damni aut gravis indignationis, ut Viva et Salm.[4] cum cit. aa. cum Mazzot.

297. « 3. Excusantur iidem, et similes reficientes suas vestes: cum id aliis diebus non possint (Cum Laym. et Spor.[5]). 4. Pauperes, qui se suosque alere non possunt, operantes privatim sine scandalo, maxime quando multi dies festi concurrunt. Bonac.[6] (Cum Sanch.[7] et Salm.[8] cum Azor. Suar. Pal. etc.).

298. » 5. Excusantur coqui, et culinarii. Certum est licere coquere cibos, ut dd. communiter cum s. Th.[9]. (Et quoad ipsos praeparandos pertinet, licitum est etiam animalia occidere et excoriare, si pridie commode non potuerit fieri, ut solet evenire in magnis civitatibus: non autem in oppidulis, nisi sit in tempore aestivo, vel nisi concurrant plura festa. Sanchez[10] cum Salmant.[11]). »

Licitum esse etiam artocopis facere pastillos, saltem ex consuetudine, aiunt Sanchez[12] Salm.[13] cum Sot. et Trull. Sed merito negat Tamb.[14] nisi sint pro cibo proprio tantum illius diei; vel opus esset ad publicam abundantiam, ut ait.

Utrum liceat conficere cibos ad delectationem, puta sacchare conditos, etc. Negat Sanchez[15] cui adhaerent Salm.[16] et Ronc. nisi sint, ut dicunt Salm., *ad modum victus diurni;* vel nisi occurrat improvisa aliqua specialis causa invitandi amicos; vel nisi, addit Roncag., tales cibi in die antecedenti non sic commode, vel sane fieri possint. Sed Pal. apud Tamb.[17] dicit hos cibos, etsi superfluos et ad delectationem conficere, excusari consuetudine, et merito probabile putat Tamb.[18] cum Fagund., et consentit Viva[19] cum Azor. et Mazzott.[20].

Permittunt etiam ex consuetudine Mazzott.[21] Viv.[22] et Fag. Pal. apud Tamb.[23] colligere fructus in die festo, etiam non necessarios ad usum diei, ut integriores serventur. Et hoc facilius permittendum, si periculum sit, ne ab aliis subripiantur, vel a pluvia contaminentur; unde usu receptum est multis in locis colligi in die festo olivas, castaneas et alios fructus sylvestres. Certum est autem licere in festis praestare opera, quae sunt necessaria ad usum quotidianum, ut sternere lectos, purgare domum, aut vestes, utensilia culinaria lavare et similia. Elbel[24] cum Sporer[25] Henno etc. commun.

« 6. Excusantur pistores et laniones et similes in oppidis populosis, et concursu festorum (Dicit Cont. Tourn.[26] cum Pontass. et Iuenin. bene excusari pistores et vendentes merces, si aliter nequeunt se suosque sustentare; vel si non laborant, sunt aliis grave incommodum parituri). »

299. Utrum liceat conficere et coquere panem. Quoad pistores seu furnarios, ait Viva, eos communius a dd. non excusari, si possint illum conficere die antecedenti; et idem dicunt Sanch.[27] et Bonac.[28]; sed excusant, si interveniat concursus festorum, aut multitudo emptorum, vel utilitas populi. Probabiliter tamen Mazzott.[29] et Salm.[30] cum Sa Az. Pasq. Leand. etc. universe tales excusant, etsi ad panem conficiendum farinam cribrent, triticum terant. Ratio, tum quia semper adest aliqua ex causis excusantibus, a Sanch. et Bon. mox assignatis; tum quia panis diurnus est aptior ad victum, et alias minima eius penuria a-

(1) N. 18. (2) N. 547. (3) Ibid. (4) Ibid. (5) N. 50. (6) N. 13. (7) L. 2. d. 18. n. 15. (8) N. 331. (9) 2. 2. q. 122. a. 4. ad 4. et 5. (10) D. d. 18. n. 6. (11) N. 333. (12) N. 3. (13) N. 334. (14) Dec. l. 4. c. 5. §. 2. n. 11.

(15) N. 15. (16) N. 337. (17) Ibid. n. 9. (18) Ibid. n. 10. (19) Art. 2. n. 6. vers. 2. (20) C. 2. p. 408. (21) Ibid. (22) Dict. n. 6. (23) Ibid. et n. 22. (24) N. 594. (25) N. 42. (26) De 3. praec. c. 1. (27) D. 18. n. 5. (28) P. 3. n. 9. (29) Loc. c. (30) N. 335.

pta esset ad populum commovendum; tum quia adest consuetudo Romae, et crederem posse dici ubique cum Spor[1].

Ita quoad pistores; sed quoad alios, an adsit consuetudo permittens conficere panem. Merito dubitat Tamb.[2] nisi concurrant plura festa; vel nisi panis coctus non sit satis aptus; vel denique nisi sit necessarius ad usum illius diei, ut dixit de pastillis, quia tunc reducitur ad praeparationem proprii victus. Ita Tamb.[3] cum Sanch. Bon. et Fag. De lanionibus autem, vendentibus carnes, vide dicta *n.* 298.

300. « 7. Chirurgi, pharmacopolae. 8. Conflatores ferri et vitri, coctores laterum, calcis etc. et quicumque, quorum opus semel coeptum non potest interrumpi sine damno. »

Licitum est coquere calcem, vitrum, saponem, quia talium coctio plures requirit dies; et haec potest aliquando etiam inchoari die festo ad vitandum grave damnum, ut Sanch.[4] et Sot. Pal. Trull. Nav. etc. cum Salm.[5].

Licitum est pariter ferrare equos itinerantium, vel eorum qui summo mane iter sunt acturi, aut in agrum egressuri ad laborandum, nam alias grave damnum paterentur. Est commune, Salm.[6] cum Sanch.[7] Sot. Trull. Nav. etc. ac Mazzott.[8]. Idcirco pariter possunt refici vomeres eorum, qui aliter die sequenti laborare non valerent. Sic etiam reficere vias, pontes, ut Mazzott.[9].

« 9. Excusantur molitores (*Vide supra dub. 1. num.* 277.), et naucleri pendentes a ventis. 10. Piscatores alecum, thynnorum, etc. qui certo tantum anni tempore id possunt. »

301. Quaeritur hic 1. an occasio quaerendi magnum lucrum excuset ab exercendis servilibus in die festo. Duplex est sententia probabilis. *Prima* affirmat, ut tenet Caiet.[10] Angel.[11] Armill.[12] Holzm.[13] Sanch.[14] cum Palac. Ros. et Alcoz. Zachar.[15] Renzi[16] Spor.[17] Mazz.[18] Elb.[19] Bon.[20] Viva[21] Tamb.[22] cum Dian. et Fill. Sayr. et aliis apud Salm.[23]. Ratio, quia amissio magni lucri (scilicet extraordinarii, non autem mercedis diurnae) idem est ac magnum pati damnum; ideo[24] Alexand. III. dispensasse fertur, ut possent capi alecia in dominicis et aliis festis, exceptis solemnioribus (sed non sub mortali, ut notat Sanch.[25]). Idque Bus. *hic* cum Gob. Cai. Nav. apud Sanch. recte extendunt ad piscationem thynnorum. *Secunda* tamen sententia, quam tenent Roncag.[26] et Salm.[27] cum Suar. Reginald. Pal. Abul. etc. negat excusare, quia, ut dicunt, non est idem amittere lucrum, quam damnum pati. Sed *prima* satis est forte magis probabilis, cum communiter illi, qui laboribus se sustentant, raras habeant occasiones talis magni lucri acquirendi, et existimant magnum damnum sustinere, quando magnum lucrum amittunt; in idem enim revera coincidunt, aliquid amittere et prohiberi acquirere quod amplius acquiri non potest; ut ait Sporer[28]; nam[29] magnum lucrum cessans gravi damno aequiparatur. Saltem in tali circumstantia dicendum videtur, praeceptum festi, prout humanum, non obligare cum tanta iactura, ut ait Tambur. necnon Ronc.[30] qui non negat saltem excusare magnum lucrum speratum, si esset tale, quod ex eo posset quis multas necessitates patiens sibi providere et suis, cum Suar. Reg. ex Fill.

Ob eamdem rationem probabiliter dicunt Tamb.[31] et Mazz.[32] contra Salmant.[33] excusare etiam ab auditione sacri notabilis lucri amissionem. Vide *seq. dub.* 5. *n* 332. Merito autem reprobant[34] Salm. illud quod adhuc probabile putat Tamb.[35] (et ei consentit Viva[36]) posse aliquem proficisci in

(1) N. 55. (2) Ibid. n. 9. (3) N. 9. et 10. (4) N. 21. (5) D. c. 1. n. 348. (6) C. 1. n. 353. (7) N. 14. (8) Dict. c. 2. (9) Ibid. (10) Summ. v. fest. violatio. (11) V. feria, n. 34. (12) V. festum, n. 20. (13) T. 1. pag. 287. n. 546. v. Quarta. (14) Cons. l. 5. c. 2. dub. 19. (15) L. 3. p. 1. n. 588. (16) De 3. praec. c. 5. q. 15. (17) De 3. praec. c. 1. n. 31. (18) C. 2. (19) N. 402. (20) P. 3. n. 15. (21) Art. 2. n. 9. in fin. (22) Dec. l. 4. c. 3. §. 2. n. 8. (23) C. 1. n. 349. (24) In c. Licet, de feriis. (25) N. 4. (26) C. 3. q. 5. r. 11. (27) Ibid. n. 350. (28) D. n. 51. (29) In c. unic. de sentent. (30) D. l. (31) Ibid. c. 2. §. 2. n. 7. (32) De 3. praec. c. 3. §. 2. (33) N. 352. (34) Ibid (35) Ib. §. 3. n. 9. (36) Q. 4. a. 5. n. 12.

sabbato ad venandum in nemore longinquo, licet in dominica ibi non possit audire missam; communiter enim (ait Tamb.) excusantur itinerantes, et vectores mercium, qui pridie festi iter aggrediuntur. Qui vero die Iovis venatum iret, communiter excusatur apud Viv.[1] cum Sanch. March. et Pal.

302. Quaeritur 2. an excuset ratio otii vitandi. Adsunt tres sententiae. *Prima* cum Suar. Comit. et aliis ap. Croix [2] omnino negat, quia pius finis otii vitandi non potest efficere, ut servile opus servile non sit: sed haec ratio non suadet, quia causa quando est iusta, licet naturam operis non mutet, tamen excusat. Hinc *secunda* sententia, quam tenent Sa Sylv. et sequitur Laym.[3] et Mazzott. cum Pelliz. et Burgh. ap. Croix, excusat eos qui nisi laborent, occasione otii versantur in probabili periculo peccandi. Si enim, dicunt, excusat periculum damni temporalis, tanto magis debet excusare periculum spiritualis. Hanc sententiam admittunt Tambur.[4] Viva [5] Sanch.[6] Croix [7] Zachar.[8] tantum in casu, quo urgeret tentatio, quae aliter vinci non posset, nisi laborando: et sic etiam vere loquitur Laym.[9] qui ideo dicit cum Viva et Spor.[10] raro talem necessitatem laborandi accidere: et haec est *tertia* sententia, cui libentius me subscribo.

303. « 11. Excusantur instauratores fontium, pontium, viarum publicarum et similium, quae moram non patiuntur. 12. Sartores in operibus necessariis, ut funeribus, nuptiis, etc. si aliter fieri non potest, ut satisfaciant. »

Sartoribus, qui in diebus profestis vestes suere non potuerint, licet eas perficere in festis, urgente necessitate, v. gr. funerum, nuptiarum et similium, puta (dicunt Salm.) si advena careat vestibus decentibus: decentia enim status istius illos excusat. Ita Salm.[11] cum Laym.[12] Trull. Dian. Pasq. Eos excusant etiam Viva [13] Mazz.[14] Spor.[15] et Croix [16] cum Laym. et Dian. si alii expectent ad usum vestes promissas: sed intelligendum (ait bene Croix) si aliter sartores passuri essent grave incommodum. Idem dicunt Salm.[17] de sutoribus cum Viva [18] et Mazzott. qui excusant calceantes novos calceos, ex consuetudine introducta.

« 13. Item agricolae ad cavendum damnum ruri laborantes, ut si ob pluviam imminentem segetes vel foenum congregent. Bon.[19] Fill.[20] (Cum Croix [21].)

» 14. Denique excusantur etiam mercatores, qui clausis tabernis quaedam vendunt; cum praesupponere possint emptoribus ea tunc esse necessaria, nec alias commode emere posse (*vide sup. n.* 286.). De supra dictis v. Suar. Fill. Laym. Bon.[22].

304. » Sexta, *utilitas*, non simpliciter necessaria, sed ad communem laetitiam, vel splendorem; sic enim licet in adventu vel ortu principis laborare, ut perficiantur theatra, ignes, vestes, etc. Quamquam monet recte Suarez, praestare in hoc casu petere veniam a pastoribus. V. Bon. »

Licitum esse constat, ob publicam causam et honestam necessitatis vel laetitiae, puta ob victoriam, adventum vel ortum principis etc. conficere vestes, theatra, et similia. Extendunt haec fieri posse etiam ob recitandam comoediam, Sanch.[23] Tol. et Trull. Pasq. ap. Sal.[24] qui a fortiori extendunt ad taurorum agitationes; dummodo talia in die profesto praeveniri non potuerint. Ratio, quia talia signa laetitiae sunt reipublicae moraliter necessaria, et ideo permittuntur ex consuetudine. Nam ad haec omnia, ut notat Viva, sufficit probabilis necessitas, aut probabilis consuetudo. Sic pariter permittit Mazzott.[25] conficere theatra, vestes famulorum, etc. causa nuptiarum, si pridie perfici nequiverint.

305. « Septima, excusat item, saltem a gravi peccato, *parvitas* operis,

(1) Ibid. (2) L. 3. p. 1. n. 586. (3) L. 4. tr. 7. c. 4. n. 2. in fin. (4) Ibid. c. 3. §. 2. n. 18. (5) Art. 2. n. 19. (6) Dist. 15. n. 13. (7) Ibid. (8) L. 3. [illegible] n. 586. (9) Ib. (10) N. 54.

(11) C. 1. n. 544. (12) Ib. n. 2. (13) A. 2. n. 7. (14) C. 2. (15) N. 50. (16) Ib. n. 592. (17) Ib. (18) N. 12. (19) N. 13. (20) N. 211. (21) Ib. n. 588. (22) Loc. c. (23) D. 18. n. 27. (24) C. 1. [illegible] 534. (25) D. c. 2.

seu temporis. Unde grave non videtur una hora laborare, ut habet Suar.[1] maxime, ut notat Laym. si labor non sit nimis servilis, et fatigans corpus. Imo durum videtur mortalis damnare si quis duas aut tres horas impendat. V. Fill.[2].

Quaeritur 1. quaenam in hoc sit gravitas materiae. Aliqui canonistae ap. Suar. ut aiunt Salm.[3] ponunt pro materia gravi tertiam partem diei: sed haec opinio communiter reiicitur. Alii contra nimis rigorose, ut Azor. Bon. et Reg. ap. Croix[4] ponunt unam horam, et hos impugnant Suar. Pal.; maxime, ut notat Bus. cum Laym. si labor non sit nimis fatigans. Alii ponunt pro materia gravi duas horas, ut Ronc.[5] cum Sanch. Trull. et Salm.[6] cum Pal. Elbel[7] Holz.[8]. Et hanc Spor. ac Mazz. cum March. vocant communem sententiam. Idem sentit Henno ap. Cont. Tourn.[9] si labor sit valde servilis, ut caedere lapides, fodere terram, etc.; in aliis autem requirit tres horas. Alii vero, generice loquendo, requirunt ad materiam gravem (et non improbabiliter) duas saltem, et aliquantulo plus quam duas horas, ut Viva cum communiori, ut asserit et Dian. Gran. Henr. Bassaeus Leand. Vall. Ills. ap. Salm.[10] et ap. Croix[11] cum Tamb.[12], qui dicit esse hanc sententiam nostra aetate iam receptam. Alii ut March. et Gob. ap. Croix[13] requirunt tres horas, quod Viva et Mazzott. etiam admittunt, si aliqualis necessitas, vel alia causa concurreret, per se sola non sufficiens ad excusandum. Busemb. pariter cum Fill. ait durum esse damnare peccati mortalis laborem duarum, vel trium horarum. Consentit Croix[14] et concludit quod communior, et probabilior nunc est sententia non esse mortale, nisi laboretur saltem multo ultra duas horas, puta duas horas cum dimidio.

306. Quaeritur 2. an peccet graviter, qui die festo mandat sex famulis, ut laborent per horam. Coninch.[15] affirmat, et pariter non negat Arsdek, cuius opinionem dicit probabiliorem Croix[16] casu quo dominus mandet, ut laborent successive; nam si eodem tempore, consentiunt omnes cum Sanch. Bon. Trull. etc.[17] non esse mortale. Ceterum probabilior et longe communior est sententia, quod in utroque casu non est mortale, ut Viva[18] cum Bon. Sanch.[19] Ronc.[20] et Salm.[21] cum Trull. Dian. Pasq. Ratio quia operae famulorum non uniuntur in unum: nequit autem dominus peccare magis, quam ipsi famuli, qui tantum leviter in hoc peccarent, cum leviter tantum unusquisque deficeret ab obligatione vacandi Deo. Secus certo esset, si dominus uni famulo mandaret pluries laborare in die festo usque ad materiam gravem.

307. « In forensibus autem et iudicialibus materiae quantitatem non ex quantitate temporis, sed qualitate operis desumendam monet Esc.[22] ex Pal.[23]. Sic grave peccatum esse asserit venditionem rei magni momenti, cum magna solemnitate, licet brevi tempore fiat. Quod intellige (secundum praedicta) nisi consuetudo vel necessitas excuset. (*Vide dicta n.* 286. *in fin.*) ».

Dubium III. Quae opera festis praecipiantur.

(1) L. 2. de fest. c. 32. (2) Tr. 29. c. 1. q. 1. n. 105. (3) C. 1. n. 319. (4) Ibid. n. 594. (5) C. 3. q. 5. r. 5. (6) C. 1. n. 320. (7) N. 595. (8) N. 545. (9) De 3. praec. a. 1. (10) N. 319. (11) Ibid. (12) Ibid. c. 5. §. 2. n. 1. (13) Ibid.

(14) L. 3. p. 1. n. 594. (15) In clyp. t. 5. a. 5. (16) Ibid. n. 581. (17) Ibid. n. 580. (18) A. 2. n. 11. (19) Dec. l. 1. c. 4. n. 12 (20) C. 3. q. 5. in fin. (21) C. 1. n. 324. (22) E. 5. c. 3. n. 14. (23) Tr. 9. p. 3. n. 5.

308. «. Resp. Praecipitur 1. auditio concionis, non tamen sub mortali, nisi quatenus quisque tenetur discere necessaria ad salutem. V. Trid.[1] Fill.[2] Bon.[3] Suar. etc. Dixi, *nisi quatenus etc.* quia homines rudiores ignorantes praecipua mysteria fidei, ea praesertim, quae sub gravi obligatione eos scire teneri dictum est supra *l. 2. tr. 1. c. 1.* tenentur lege charitatis (si alias ea commode addiscere non possint) sub gravi peccato concioni, vel potius catechesi interesse. Bon.[4] addens eo casu concionem etiam missae praeferendam esse. Trull.[5] Fag. etc. (Quando autem episcopi teneantur concionem facere: *vide dicta n.* 269.). Praecipitur 2., speciali praecepto obligante sub mortali, audire missam, hoc est morali et humana assistentia sive praesentia ei interesse. Est communis[6] contra Ang. et Rosellam, qui semel, vel iterum negligere, dicunt esse veniale. (Est praeterea damnata haec propos. ab Innoc. XI. propos. 52.). Obligat hoc praeceptum omnibus festis omnes baptizatos usum rationis habentes: non autem infantes, amentes, vel catechumenos. Ratio primae partis est, quia est universale. Ratio secundae est, quia assistentiam humanam habere non possunt. Ratio tertiae est quia non sunt ecclesiae subiecti. C. Lugo[7] ex Navar. Sanch. et Conin.

Unde resolves:

» 1. Non est obligatio audiendi concionem in parochia propria: tum quia dd. multi nullum hac de re praeceptum agnoscunt; cum Tridentin.[8] dicat, *teneri, ubi id commode fieri potest;* tum quia, si qua obligatio fuit, ei derogatum est per privilegia regularium, et generalem consuetudinem contrariam. Suar.[9] Azor. Navar. Cened. Zerol.[10] Trull.[11] V. Barb.[12]. Imo fratres praedicatores et minores, et qui cum ipsis privilegiis communicant, concionantes in suis ecclesiis quovis tempore possunt auditoribus suis concedere 18. annos et 220. dies indulgent. nomine papae. Dian.[13] ex Rodr. etc. (*Vide dicta sup. n.* 269. *et dicenda* ap. Busemb. *n.* 323.).

» 2. Non est obligatio ad audiendam missam feria quinta et sexta et sabbato maioris hebdomadae, neque diebus rogationum: Azor. Henr. Suar.[14].

» 3. In die nativitatis Christi tantum teneris audire unam missam. Nav. Suar. Fill.

309. » 4. Satisfacit, qui recitat sub missa (ex obligatione) horas canonicas, vel poenitentiam iniunctam in confessione, ut contra Cai. Sylv. Ang. Armill. docent Suar. Sa Rodrig. Fill. etc. Ratio est, quia duobus praeceptis potest simul satisfieri. (Idem sentiunt Spor.[15] Elbel[16] Salm.[17] cum Pal. Bon. Sanch. et communissima), ut supra *l. 1. n.* 266. Idem de eo, qui confitetur tempore missae, affirmat Regin.[18], dummodo intentionem habuerit audiendi missam. Negat autem Suar.[19] Az.[20] Gordonus card. Lug.[21] si quidem possit differre confessionem, nec adsit necessitas praecepti confessionis. Item dicit Bon.[22] qui contrariam praxim quorundam excusat, vel ob necessitatem communicandi, vel intentionem audiendi missam aliam, vel denique ob bonam fidem. (*Vide infra n.* 314.).

» 5. Satisfaciunt etiam inservientes missae, si recedant allaturi necessaria, v. gr. vinum, hostiam, thus, etc. quia cum haec ordinentur ad officium, non censentur abesse, dummodo non recedant ab ecclesia, vel saltem non longe. V. Con. (Ita etiam Lugo[23] et Salm.[24] cum Sa Nav. Sylv. Dic. etc. Et sic tenendum cum Elb.[25] Pal. et Bon. si sit per breve tempus, vel non exeatur ab ecclesia contra Dic. Leand. et Dian. apud Salm.[26].)

(1) Sess. 24. c. 4. de reform. (2) Hic c. 8. (3) T. 1. d. 5. q. 1. p. 27. (4) D. 2. in praec. 2. n. 28. (5) L. 1. c. 1. d. 4. n. 12. (6) Ex c. 62. Omnes fideles, et ex c. 64. Missas, de consecrat. dist. 1. (7) D. 22. sess. 1. et 2. (8) Sess. 24. c. 4. de ref. (9) De rel. t. 1. l. 2. c. 16. (10) P. 1. verb. Praed. (11) L. 2. c. 1. d. 4. (12) In Trid. sess. 24. c. 4. (13) P. 4. t. 4. r. 22. (14) D. 88. sect. 4. (15) C. 4. n. 16. (16) N. 359. (17) De sacrif. mis. c. 6. n. 20. (18) L. 19. n. 14. (19) D. 88. sect. 6. (20) C. 7. q. 6. (21) Loc. c. (22) Disp. 4. a. ult. p. 1. (23) Disp. 22. sect. 1. n. 24. (24) De sacrif. miss. 6. n. 21. (25) N. 356. (26) Dict. n. 21.

310. » 6. Peccat, qui non audit integram missam; et quidem venialiter, si omittatur parva pars: mortaliter si notabilis, v. gr. media, vel tertia pars. Laym. tamen et alii durum putant, mortalis damnare eum, qui ab offertorio usque ad finem adsit. Additque communiter excusari a mortali, qui audiunt a principio epistolae, vel secundum alios evangelii usque ad finem; vel ab initio usque ad communionem. V. Bon. [1] card. Lugo [2]. »

Quaer. 1. quaenam omissio in audiendo sacro sit peccatum grave. Diversae sunt sententiae. *Prima* dicit esse grave omittere ab initio usque ad epistolam exclusive; ita Tol. Bon. Nav. Torr. ap. Croix [3]. *Secunda* dicit esse grave, si omittatur inclusive usque ad epistolam; ita tenent Viva [4] Croix et Salm. [5] cum Soto Suarez Tab. Azor. Fag. Con. Henr. Dic. etc. cum communiori, ut asserunt Salm. *Tertia* sententia dicit non esse grave, si omittatur ab initio usque ad evangelium inclusive, modo audiatur usque ad ultimum evangelium. Ita Dicast. Pal. Lug. Tamb. Sa apud Salm. et ap. Croix. Et probabilem hanc censent Holzm. [6] Elbel [7] et apud Salm. [8] Suar. Azor. Bonac. Laym. Henr. Rodr. etc. Etiamsi omittatur *Credo*, ut Lug. Henr. Burg. apud Croix [9], quia *Credo* non est pars regularis. Hinc dicunt non peccare graviter, qui veniat ante offertorium, ex quo, teste Isidoro, olim missa incipiebat. Secunda sententia mihi est probabilior; sed hanc ultimam (recte dicunt Salm.) quis neget esse probabilem in re, quae pendet ab aestimatione hominum, cum sit fulcita tot et talibus auctoribus?

Qui autem omittit omnia post sumptionem, non peccat graviter, est commune cum Croix [10]. Neque si omittat omnia ante epistolam simul et omnia post sumptionem, ut Suar. Ills. Fag. apud Croix. Quid si omitteret etiam epistolam? Baun. et Lamas etiam excusant, sed contradicunt Pal. Suar. Con. etc. communius apud Croix. Omittere autem solum offertorium sive ante, sive post consecrationem non est grave, ait Pasq. ap. Croix [11].

Quoad canonem autem certum est minorem omissionem esse grave. Quare grave quidem est omissio consecrationis et sumptionis simul, ut communiter ap. Salm. [12] et Croix [13]. Idem si omittatur a consecratione usque ad *Pater noster* exclusive. Salm. [14] Croix [15] Leand. et alii apud Croix. Sed dubitatur, an omittere tantum communionem, vel consecrationem sit grave. Affirmant ex communiori Reg. Bon. Con. Avers. etc. cum Croix [16] Ronc. [17] Pal. [18] Holz. [19] Salm. [20]. Immo Pasq. dicit esse grave, etsi una consecratio omittatur, quia probabilius sacrificium in consecratione consistit. Alii tamen, ut Lugo [21] Tamb. [22] Diana [23] Esc. [24] a gravi excusant, etiamsi tota consecratio omittatur: cum satis non constet, utrum essentia sacrificii sit vere in sumptione, vel consecratione; et probabile putat Elb. [25] cum Suar. Hurt. Fag. Burghaber etc. valdeque adhaerent Spor. Viva Laym. et Mazz. Prima sententia videtur probabilior, quia (ut aiunt Salm. et Holzm.) licet non constet, an essentia sacrificii consistat in consecratione, vel sumptione, constat tamen utramque ad integritatem substantialem missae pertinere. At quia contra non constat, an ecclesia praecipiat sub gravi audientibus utrique parti interesse, ideo secunda sententia non videtur improbabilis. In die autem parasceve non est obligatio audiendi missam, si in eo occurrat festum annuntiationis, ut ait Mazzott. [26] cum communi, contra Vasquez.

Quaeritur 2. an qui veniret ante consecrationem, nec posset aliam missam audire, teneatur saltem illam partem

(1) L. 1. d. 4. q. ult. (2) D. 22. sect. 1. n. 5. (3) L. 3. p. 1. n. 665. (4) Q. 9. a. 3. n. 2. (5) De miss. sacrif. c. 6. n. 2. (6) De 3. praec. n. 525. (7) N. 258. (8) Ibid. (9) Loc. c. (10) Ibid. n. 666. (11) Ibid. n. 667. (12) N. 3. (13) Ib. n. 667. (14) Ibid. (15) Ibid. (16) Ibid. (17) C. 2. q. 1. (18) Tr. 22 p. 16. n. 6. (19) C. 1. n. 52. (20) Ibid. n. 4. (21) De euch. d. 22. n. 4. (22) Dec. l. 4. c. 2. §. 1. n. 5. (23) P. 5. t. 15. r. 16. (24) D. 17. n. 126. (25) N. 5[illegible] (26) De 3. praec. c. 3. §. 1.

audire. Negat Sancius; at omnino affirmandum cum Sanch.[1] Salm.[2] cum Lug. Suar. et communi, quia remanent ea, in quibus consistit sacrificium. Sed si veniret post consecrationem, tunc non teneri reliqua audire dicunt Henr. et alii ap. Salm.[3] iuxta dicenda *de sacr. miss. lib.* 6. *n.* 305. ubi dicemus valde probabiliter essentiam sacrificii in sola consecratione specierum consistere. Sed contradicit Cont. Tourn.[4] inquiens, obligationem missae se habere instar officii, quod recitari debet in parte, si nequit integre. Sed hoc non suadet, quia in officio praecipitur oratio, unde qui nequit integrae orationi satisfacere, tenetur parti cui potest; sed ubi deficit essentia missae, cessat omnino obligatio, cum praeceptum sit de audienda missa, non autem de audienda eius parte, quae non est missa. Caeterum sententia haec affirmativa est valde probabilis, et in praxi tenenda (ut ait p. Zachar.[5]) ex alia ratione, scil. quia audiri potest pars notabilis caeremoniae ab ecclesia praeceptae[6].

Quaeritur 3. an omittens levem partem missae, teneatur supplere si possit. Negat Fill., quia si omisit cum causa, tunc non peccavit; si sine causa, tunc iam veniale commisit. Sed probabilius contradicunt Salmant.[7] cum Leand., quia, cum potest, tenetur missam integram audire.

311. « 7. Non peccat, saltem mortaliter, qui a duobus sacerdotibus successive duas dimidias missas audit, ut habet Nav.[8] Sa Sot. Henr. Dian.[9] Bonac.[10] Hurt. contra Suar. Conc. Fag. quia audit integram missam. Ob quam causam est probabile (Nunc improbabile, ob damnatam ab Innoc. XI. propos. 53.) etsi simul audiat, ut habet Bon.[11] Hurt. et Dian. contra Regin. Conc. card. Lugo etc. quorum sententia videtur probabilior. »

Quaeritur igitur, an satisfaciat praecepto missae audiens duas illius dimidias partes successive a duobus sacerdotibus. Ad hoc praenotanda est propositio 53. damnata ab Innoc. XI. quae dicebat: *Satisfacit praecepto ecclesiae de audiendo sacro, qui eius duas partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.* Sed dubium est, si audiat successive. *Prima* sententia, quam tenent Nav.[12] Sa[13] Laym.[14] Cabas.[15] Zachar.[16] Marc.[17] item Sot. Bon. Pal. etc. apud Salm.[18] Card. ap. Croix[19], et probabilem putant Salm. et Croix[20] Viva[21] cum Diana Pasq. et Tambur.[22] Mazz.[23] affirmat satisfacere, etiamsi audiantur duae partes dimidiae inverso ordine, et etiam cum aliqua interpositione temporis, nimirum horae, ut sentit Mazzotta. Ratio huius sententiae tum quia auditio tunc bene terminatur ad unam missam integram, si non physice, saltem moraliter; tum quia, cum Christus sit principalis offerens missae, iam illae duae partes ab ipso integrantur; tum quia illae duae medietates, licet non sufficiant ad unitatem sacrificii, sufficiunt tamen ad unitatem obsequii ab ecclesia praecepti, cum iam praestetur assistentia partibus sacrificium componentibus. Hanc sententiam dicimus non esse satis probabilem. Si quis autem audiat missam ab uno sacerdote usque ad consecrationem exclusive, et ab altero a consecratione usque ad finem, putamus probabilem. Si vero audiat ab uno usque ad consecrationem inclusive, et ab altero usque ad finem, probabiliorem censemus *secundam sententiam*, quod non satisfaciat, ut tenent Suar.[24] Cont.

(1) Dec. l. 1. c. 19. n. 6. (2) De sacrif. miss. c. 6. n. 13. (3) Ibid. (4) De 3. pr. a. 2. sect. 1. (5) L. 3. p. 1. n. 668. (6) Ratio, quia cum sit satis etiam probabile quod essentia sacrificii in sumptione consistat, dicimus illum bene obligari ad reliquam missae partem audiendam: qui enim implere nequit praeceptum impositum certe, tenetur saltem, si potest, implere probabiliter; nam huiusmodi onus satisfaciendi praecepto probabiliter, cum non possit satisfieri certe, inclusum est in praecepto certe satisfaciendi; cum enim praeceptum stet in possessione, debet ipsum impleri ut melius impleri potest. Hom. Ap. tr. 6. n. 33. (7) N. 15. (8) C. 21. (9) T. 1. tr. 3. r. 18. (10) D. 4. q. ult. p. 2. (11) L. c. (12) C. 22 n. 2. (13) V. Missae auditio, n. 2. (14) Ibid. c. 3. n. 4. (15) T. 1. l. 2. c. 32. n. 5. (16) L. 3. p. 1. n. 611. (17) Tr. 4. tit. 2. q. 1. d. 2. (18) De sacr. miss. c. 6. n. 7. (19) L. 3. p. 1. n. 611. (20) Loc. c. (21) De 3. praec. q. 9. a. 3. n. 1 (22) Dec. l. 4. c. 2. n. 10. (23) C. 3. §. 1. (24) De festis, sect. 2.

Tour.[1] Spor.[2] Tamb.[3] Lug.[4] cum Az. et Coninch. Ratio potissima, quia ecclesia praescribit audire et assistere missae, quae sit unum integrum sacrificium; sed sicut non dicitur unum sacrificium illa missa, quae ab uno sacerdote celebratur usque ad consecrationem, et ab altero usque ad finem: ita nec dici debet assistere uni sacrificio, qui duas missae dimidias partes a diversis sacerdotibus audit.

Nec obstat dicere 1. ut ait Viva, quod si dicatur missa ab uno, et eo deficiente, ab altero perficiatur, unum dicitur sacrificium; nam respondetur tunc vere unum sacrificium perfici, sed aliter res se habet in casu nostro, ubi duae dimidiae partes minime unum sacrificium integrant. Non obstat 2. dicere cum Croix, quod cum Christus sit principalis offerens, bene ex illis duabus partibus unum conficitur sacrificium; quia respondetur, quod licet Christus in illis duabus missis sit unus offerens, tamen quia Christus tunc bis offert, ideo non iam conficitur unum sacrificium; sed vere sunt duo sacrificia diversa, quibus assistens quis per dimidias partes, non potest dici quod uni sacrificio assistat, sed duobus sacrificiis imperfectis. Ceterum omnes conveniunt et dicunt, quod qui sine iusta causa duas medias missas sic audiret, nullo modo excusaretur saltem a peccato veniali; ut aiunt Salm. Viva et alii communiter.

312. « 8. Non satisfacit, qui sub sacro dormit, (*Vide infra n.* 316.) pingit, docet; vel qui est post murum aut aliam rem tali loco, unde nihil audiri, videri, vel notari possit quid fiat, quia non censetur moraliter praesens. Satisfacit tamen surdus, caecus, et quicumque (licet sit post ostium, aut columnam, vel in fenestra, vel procul a templo) ita est praesens, ut ex signis externis colligere possit, quid a celebrante agatur, spectata loci natura (etiamsi per accidens nihil audiat, videat aut intelligat), sitque pars per moralem coniunctionem eius multitudinis, quae dicitur praesens, et est in conspectu altaris. Bon. [5]. »

Idem quod Bus. asserit, docent Lug. Reg. Dic. Leand. Bord. ap. Salm. [6]. Sufficit enim audire missam in choro post altare, vel per fenestram, quae fert in templum, etsi non cernatur sacerdos; modo per alios assistens advertere possit quid fiat. Ita Croix[7] et Mazzot. [8] qui subdit bene posse audiri missam post altare; et etiam post parietem, aut columnam, modo assistens uniatur aliis audientibus. Et adhuc e loco extra templum, si iunctus sit multitudini protensae usque ad altare; ut admittunt etiam Croix[9] et Elbel[10] cum communi. Dicit autem Mazzotta non satisfacere qui in magna basilica esset in aliqua capella, et in altera distantissima fieret sacrum, sed hoc non videtur probabile, si is bene possit respicere celebrantem, et quid agat; quisque enim qui adest in templo, quamvis procul ab altari, satis praestat missae moralem assistentiam, ut bene ait Spor. [11].

An autem possit audiri missa ab eo, qui e domo sua, interiecta via, respicit altare. Affirmant Spor.[12] ac Lug. Dic. Gob. etc. apud Croix[13]. Idque non improbabiliter admittunt Mazz. [14] et Elbel [15] cum Escobar et pluribus, si distantia sit parva; quia ille iam satis moraliter assistit. Et huic non dissentit Continuat. Tourn. [16]. Dicunt autem Lugo, et Escob. non obstare distantiam 30. passuum: sed Tamb. et Gobat. apud Croix [17] id non admittunt.

« 9. Audiens debet esse attentus, saltem virtualiter, et in confuso, ut aliquo modo advertat quid fiat. Hinc si quis nunc attendat, nunc fabuletur, at tamen semper advertere possit quid fiat, licet peccet irreverentia, non tamen damnandus est mortalis. Imo Con. [18] cum Sylv. Rosel. et Med. docet eum satisfacere, qui voluntarie toto sacro est distractus, modo sibi sit praesens, et

(1) De 3. praec. a. 2. sect. 1. (2) De 3. praec. c. 4. n. 23. (3) Ibid. (4) Disp. 22. n. 8. (5) L. c. (6) De sacr. c. 6. n. 23. (7) Ib. n. 641. (8) Loc. c. (9) Ibid. n. 642. (10) N. 334.

(11) De 3. praec. c. 4. n. 8. (12) N. 9. et 211. (13) Ibid. n. 643. (14) Loc. c. (15) N. 335. (16) De 3. praec. a. 2. sect. 1. (17) Ibid. (18) 3. p. q. 83.

cum reverentia externa assistat. Quod probabile esse docet Lay. contra Suar. Bon. et alios. Vide Con. [1] et card. Lug. [2]. Plura de tota hac materia vide supra *l.* 1. *n.* 163. *et* 165. »

313. Circa debitam attentionem ad missam quaeritur 1. an ad satisfaciendum praecepto missae requiratur etiam attentio interna. Adest duplex sententia. *Prima* negat, quia ecclesia actus internos non praecipit; itaque sufficit assistere attentione externa morali, ita ut possimus testari quae fiunt. Ita Lug. [3] et Con. Dic. Pell. Henr. Syl. Med. Hurt. et alii multi apud Salm. [4] et probabilem vocant Laym. Less. Mazzott. [5] Zachar. [6] (cum communi, ut asserit) ac Spor. [7] etc.

Secunda tamen sententia communior et probabilior, quam tenent s. Thom. [8] Elbel [9] Spor. [10] Laym. Bonac. Dian. et alii cum Salm. [11] affirmat requiri attentionem internam; quia ecclesia, licet non possit praecipere directe actus internos, potest tamen indirecte. Iuxta autem sententiam hanc, sufficit (ut dicunt Salm. [12] cum Cai. Sot. Suar. Nav. [13]) ad satisfaciendum, sicut in officio, attentio virtualis, scilicet quod quis sub initio habeat intentionem attendendi, et illam non mutet; nam si postea distrahatur, etiam advertenter, sed non advertat se distrahi a missa, vel ab officio, etiam satisfacit; quia iste, licet voluntarie se distrahat, non tamen distrahitur voluntarie a missa. Ita Salm. [14] cum Cai. Sot. Suar. Nav. et Sanc. cum pluribus. Attentio autem sufficiens ad missam duplex est, 1. ad verba et actiones celebrantis, animo colendi Deum: 2. ad mysteria, vel ad Deum, scil. ad contemplanda eius attributa, amorem etc. modo attendatur ad principaliores partes missae, et praecise ad consecrationem, et sumptionem; at post factum, bene advertit Elbel [15] cum Tambur. et Spor. [16] quod nemo anxius esse debet ob scrupulum huius attentionis non praestitae, quia sufficit habuisse intentionem generalem colendi Deum.

Ceterum primam sententiam, quam Croix [17] vocat spectata ratione probabiliorem, et alibi [18] vocat communem, negari non potest esse satis probabilem, iuxta dicenda *de hor. canon. lib. 4. n.* 177. Et a fortiori quoad missam audiendam, cui sufficit praestare assistentiam moralem, ut dicunt aa. citati cum Renzi [19] quin expresse requiratur oratio. Saltem (dico), stante auctoritate tot tantorumque dd. hanc sententiam tuentium, sat dubia videtur ecclesiae lex (ab aa. contrariis supposita), quae etiam ad attentionem internam, ac ad orationem audientes obliget, cum plures graves dd. ut Less. Suar. Med. etc. doceant ad missam audiendam non esse opus orare, sed tantum intendere Deum colere. Hinc Croix [20] ponit contrariam inter sententias rigidas periculosas in praxi, ratione scrupulorum, quibus illa semper est obnoxia. Intelligitur tamen, nisi distractio sit talis ut audiens nullo modo attendat ad missam, ut notat Trull. [21].

314. Quaeritur 2. an satisfaciat, qui tempore missae peccata sua confitetur. Resp. negative cum sententia communi, quam tenent Cont. Tour. [22] cum Tab. et Pontas. Salm. [23] Tamb. [24] Esc. [25] Con. [26] qui a contraria sententia se retractavit) Holz. [27] qui oppositam vocat improbabilem) item cum aliis Lug. [28], qui docet hanc nostram omnino tenendam. Utuntur autem diversis rationibus; Bonac. enim et Bass. negant, quia non oraret; sed huic obstat id, quod docent Suar. Less. Med. Gob. ap. Croix [29] ut mox supra diximus, scilicet quod sufficit audire missam colendo Deum, pro quo cultu oratio non est absolute necessaria. Melius Tamb. Dic. Pasq. etc. negant, quia nec externa praestaretur at-

(1) L. c. (2) N. 26. et 27. (3) De euchar. d. 12. §. 2. n. 71. (4) De sacr. miss. c. 6. n. 38. (5) C. 3. §. 1. (6) L. 3. p. 1. n. 658. (7) N. 18. (8) In 4. d. 15. q. 4. a. 2. q. 4. (9) N. 435. (10) N. 14. (11) D. c. 6. n. 59. (12) N. 41. (13) L. c. n. 40. (14) N. 42. (15) N. 337. (16) N. 16. (17) [illegible] 1. n. 1341. (18) L. 3 p. 1. n. 658. (19) De 3. praec. c. 3. q. 5. (20) L. 6. p. 2. n. 1740. (21) L. 5. p. 1. n. 659. (22) T. 3. p. 351. (23) De sacr. miss. c. 6. n. 46. (24) Dec. l. 4. c. 2. §. 1. n. 15. (25) C. 9. n. 183. (26) De euch. q. ult. p. 2. n. 26. (27) De 3. praec. c. 1. n. 527. (28) De euch. d. 22. n. 22. (29) L. 3. p. 1. n. 634

tentio, dum confitens tunc adesset ut reus, non iam ut offerens sacrificium cum sacerdote.

Secunda vero sententia affirmat satisfacere, si confitens aliquo modo attenderet simul ad missam. Hanc tenent Pal.[1] cum Reg. et Molf. Gob.[2] Less.[3] (sed Less. requirit audiri saltem bonam partem sacri extra confessionem): item Hurt.[4] et probabilem putant Croix[5] Zachar.[6] et Elbel[7] cum Pichler et Pellizzario. Ratio, quia bene assisteret moraliter, dum per piam actionem confessionis satis Deum directe coleret. Item (dicunt Gob. et Elb.) confessio facta sacerdoti est ac si fieret Christo; quis autem negabit confitentem Christo peccata sua, missae non satisfacere? Et idem dicunt Elbel[8] Zachar.[9] (cum communi, ut asserit) et Pal. ac Gob. ap. Croix[10] de sacerdote excipiente confessiones. Haec *secunda* sententia non videtur omnino probabilitate destituta, et olim probabilem ipsemet censui: sed quia postmodum observavi eam a pluribus gravibus dd. reiici, modo non audeo probabilem dicere. Absolute autem illam tenet, et consulit Croix[11] cum Less. casu, quo obligati ad missam essent famuli, qui aliter non confiterentur; tunc enim (ut ait) saltem praesumitur quod ecclesia consentiat. Vide dicenda *n.* 332. *v. Non excusatur*. Commune vero est, quod satifacit qui inter missam examinat suam conscientiam; sicut qui legit librum spiritualem[12]: nisi legeret historiam sacram animo discendi stylum, ut Suar. Croix[13] etc. Sicut etiam celebrans potest audire missam alienam, ut probabilius putant Croix[14] Zachar.[15] et Sporer[16] quia hic dum celebrat, iam orat.

315. Quaeritur 3. an satisfaciat praecepto qui, dum sacrum audit, extasim patitur. Negant Lug. Torr. Leand. apud Salmant. Lug.[17] item Torre[18], quia tunc, cum sit alienatus ab usu sensuum, non assistit praesentia humana, et morali. Sed satisfacere affirmant Salm.[19] cum Suar. Trull. Led. et aliis: quia tunc adest attentio ad Deum, quae perfectior est prae aliis, ut communiter docent dd. cum s. Thom.[20]. Utraque est probabilis. Sed probabilior est secunda cum Cont. Tour.[21], quia in extasi non amittitur liberum arbitrium, ut docet d. Thom.[22].

316. Quaeritur 4. an dormitans inter auditionem sacri, vel recitationem officii, satisfaciat. Respondetur cum Sanchez[23] Nav. et Salm.[24] quod si post debitam intentionem audiat sacrum, vel recitet horas ea attentione, qua saltem advertat non omittere, audire, vel dicere ullum verbum, licet vexatus a somno non attendat ad significationem, satisfacit, et saltem non peccat graviter.

317. Quaer. 5. an satisfaciat, qui audit sacrum confabulando. Bus. hic affirmat, si confabulatio eum non impediat advertere, saltem in confuso, quid fiat. Sed verius contradicunt Salm.[25] cum Suar. Dicast. et Fill. et eis adhaerent Laym. Bon. Trull. cum Sot. Med. et aliis ap. Croix[26] qui dicunt non satisfacere, si confabulatio esset per magnam missae partem, et de re seria; secus, si esset per parvam partem, vel discontinuatim de re levi, quae omnem attentionem non impediret: et sic sentit etiam Elbel[27]. Sed huic ultimo neque omnino acquiesco; dum confabulatio etiam de re levi potest impedire attentionem externam.

Qui autem, dum audit missam, se vestit aut calceat, probabiliter satisfacit, ut dicunt Dic. Leand. Nav. Cai. Bon. etc. cum Salm.[28]. Qui tamen deambularet audiendo missam, dubitat Bon. an peccet graviter; sed dicunt bene satisfacere Dic. Gob. cum aliis ap. Croix[29]. Qui autem magnam sacri partem insu-

(1) Tr. 22. punct. 16. n. 4. (2) Tr. 5. n. 258. (3) Cons. mor. 1. missa cas. 2. (4) De resid. p. 1. r. 8. n. 26. (5) L. 3. p. 1. n. 655. (6) L. 3. p. 1. n. 655. (7) De 3. praec. n. 345. (8) N. 342. (9) N. 656. (10) N. 656. (11) Loc. cit. (12) In Hom. Ap. tr. 6. c. 3. n. 29. ait: Satisfacit missae qui conscientiam examinat ut confiteatur; aut aliquem librum spiritualem legit (non autem historiarum licet spiritualium). (13) Ibid. n. 655. (14) N. 657. (15) N. 657. (16) N. 16. (17) De euch. d. 22. n. 19. (18) C. 1. n. 205. (19) Ex n. 206. (20) 2. 2. q. 83. n. 13. (21) De 3. praec. a. 2 sect. 1. (22) 1. 2. q. 113. a. 3. ad 2. (23) Cons. l. 7. c. 2. d. 33. (24) D. c. 6. n. 48. (25) D. c. 6. n. 50. (26) Ibid. n. 653. in fin. (27) N. 343 (28) N. 52. (29) Ibid. n. 652.

mit in colligendis eleemosynis, a pluribus excusatur, si sit in ecclesia parva, secus in magna: ita Henr. cum aliis ap. Salm.[1] Sed Lessius ap. Croix[2] indistincte eos excusat, si simul attendant ad missam; et vere talis distractio non videtur esse incompossibilis. Musici, organoedi, et alii etiam satisfaciunt, si dum canunt, vel pulsant instrumenta, simul ad missam attendunt; dum id etiam refertur ad eumdem Dei cultum, ut Croix[3] et Spor.[4].

318. «10. Praeceptum audiendae missae impletur quocumque in loco; sive in parochiali, aut cathedrali, sive in regularium ecclesia, sive in oratoriis privatis, sive extra ecclesiam audiatur. Ratio est, quia ecclesia tantum auditionem missae praecipit, non autem locum: ergo quovis loco impletur (Ita Salmantic.[5] cum Lugo Dic. etc. communiter. Sed quoad oratoria privata, vide *num. seq.* 319.) Tol.[6] Azor.[7] Rodriq. Nav. Fill. Lug. Suar. Conc. Bon.[8] et plures. Quae doctrina, licet certa satis sit, nihilominus quia post omnes supra citatos auctores a quodam moderno, viro alias docto, in dubium vocatur, peculiari dubio examinanda est, ne cui (quia liber obvius est) scrupulus, aut conscientia nascatur erronea.»

319. Hic operae pretium est plura ad trutinam revocare circa privilegium oratorii privati: et ante omnia refert adnotare verba brevis pontificii, quo solet huiusmodi indultum concedi.

Clemens XIII. *tibi N. N. dioecesis neapolitanae, qui (ut asseris) ex nobili genere procreatus existis, ut in privato domus tuae solitae habitationis oratorio existente in civitate N. et dioecesi N. ad hoc decenter muro extructo et ornato, seu extruendo et ornando, ab omnibus domesticis usibus libero per ordinarium loci prius visitando et approbando, de ipsius ordinarii licentia eius arbitrio duratura, unam missam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque sacerdotem ab eodem ordinario approbatum saecularem, seu de superiorum suorum licentia regularem, sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio, ac paschatis resurrectionis, pentecostes et nativitatis Domini nostri Iesu Christi, nec non aliis solemnioribus anni festis diebus exceptis, in tua, et natorum, ac familiae tuae, nec non hospitum tuorum nobilium praesentia celebrari facere libere et licite possis et valeas, indulgemus. Non obstantibus etc. Volumus autem quod familiares servitio tuo tempore dicto actu non necessarii ibidem missae huiusmodi interessentes, ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur.*

Oportet nunc unamquamque indulti clausulam breviter ad examen ponere, ut difficultatibus occurratur.

Clausula 1. *Tibi N. N. dioecesis neapolitanae.*

Hic quaeritur, an privilegiatus transferendo domicilium in aliam dioecesim, poterit ibi illo uti. Affirmant communissime Barbosa[9] Salas[10] Pasqual.[11] Pellizz.[12] Tambur.[13] La-Croix[14] cum Sylv. Bon. etc. et Diana[15] cum aliis pluribus. Ratio horum est, quia hoc privilegium est personale, cum non concedatur loco, sed personae ob illius nobilitatem; quapropter, sicut cessante causa privilegii, privilegium cessat, ita perseverante eius causa, nempe nobilitate personae, privilegium perseverat. Nec obstare dicebant illud, *Tibi N. N. dioecesis neapolitanae*; id enim non apponitur taxative, sed tantum demonstrative, nimirum, *tibi qui nunc es dioecesis neapolitanae*, et hoc, ne privilegium usurpari possit ab alio alterius dioecesis, qui forte sit eiusdem nominis. Advertunt tamen praefati aa. quod semper requiritur inspectio loci, ac approbatio ab ordinario illius alterius dioecesis. Sed his non obstantibus, sentio cum p. Fortunato a Brixia[16] et p.

(1) N. 52. (2) Ibid. (3) Ibid. (4) N. 16. (5) De sacrif. missae c. 6. n. 1. (6) L. 6. c. 7. (7) C. 6. (8) D. 4. q. ult. c. 32. n. 4. (9) De iure ecclesiast. l. 2. c. 8. n. 16.

(10) De leg. d. 20. sect. 15. n. 123. (11) T. 1. de sacr. miss. q. 629. (12) Man. t. 2. tr. 8. c. 2. sect 2. n. 152. (13) Meth. celebr. miss. l. 1. c. 4. §. 4. n. 2. (14) L. 6. p. 2. n. 269. (15) P. 4. tr. 4. reg. 208. (16) De orat. domest. p. 62.

Gattico [1] ac Morella ap. Dian. [2] quod translato domicilio in aliam dioecesim privilegium cessat. Ratio quia in exemplaribus hodiernis huiusmodi indulti nomen civitatis et dioecesis non solum applicatur personae, nempe *tibi dioecesis N.*, sed etiam ipsi oratorio, cum ibi dicatur: *In privato domus tuae solitae habitationis oratorio, in civitate N. existente;* et aliquando additur etiam nomen dioecesis; ergo sicut limitatur privilegium circa personam, sic etiam circa locum. Et ideo puto auctores pro prima opinione citatos olim fere communiter illam tenuisse, quia olim nomen dioecesis apponebatur tantum personae, non autem loco; sic enim habetur in exemplari relato a Tamb.[3]. *Tibi dioecesis N... ut in privato domus tuae solitae habitationis oratorio, ad hoc decenter muro extructo etc.* Sed hodie, posito quod nomen civitatis, aut etiam dioecesis apponitur adhuc loco, non dubitandum quin, non demonstrative, sed taxative apponatur. Praeterquamquod, etiamsi hoc dubium esset, huiusmodi privilegium in dubio stricte est interpretandum. Scio Tamb. [4] citando pro se Pelliz. mihi adversari dicentem, quod tale indultum oratorii late interpretari debet, cum sit privilegium principis, quo nulli praeiudicium inducitur. Sed oppositum mihi verius apparet, et p. a Brixia [5] asserit id commune esse apud omnes. Ratio, quia alias communiter docent Sanchez [6] Bon. [7] Suar. [8] Salm. [9] cum Palao Laym. Bass. Tamb. et aliis passim quod licet privilegia, prout sunt favorabilia, late, imo latissime sint interpretanda; tamen privilegia illa quae iuri communi derogant (sicut est hoc) regulariter stricte interpretari debent; quia privilegium contra ius commune continet et importat dispensationem, quae semper est odiosa. Idque confirmatur ex *r.* 15. *iuris in* 6. ubi dicitur: *Quae a iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.* Dixi *regulariter*, nam excipiuntur casus quos recensuimus in *appendice de privilegiis* posita *lib.* 1. *post tractat.* 2. *de legibus.* Vide ibi *num.* 7.

Dicunt autem Pignatellus et Pasqualigus, posse dominum, etiamsi per breve tempus maneret ruri, uti ibi privilegio oratorii, cum privilegium hoc sit personale. Sed etiam hoc negandum cum Ronc.[10] iuxta verba ut supra relata indulti, ubi dicitur: *In privato domus tuae solitae habitationis oratorio*, domus autem rusticana, ubi per breve tempus dominus degit, nequit dici *solitae habitationis*.

Clausula 2. *Qui (ut asseris) de nobili genere procreatus existis.*

Primo loco hic advertendum cum Tamb.[11], quod non verificata hac conditione nobilitatis, omnino corruit hoc privilegium; quia ex communi doctrina tradita a Sanch. [12] cum non verificatur conditio, qua non existente, privilegium non concederetur, privilegium cessat, eo quod conditio illa tunc requiritur ut causa finalis et principalis concessionis. Dicunt autem Pignatell.[13] et Pasqual. ac Clericat. apud p. a Brixia[14] sufficere ad id quamcumque nobilitatem sive ex genere, sive ex privilegio, sive ex dignitate aut gradu, vel alio modo. Sed hoc negat praefatus p. a Brixia, dicens pontificem principaliter ob nobilitatem moveri ad hoc privilegium alicui impertiendum, et ideo non praesumi, quod velit illud participari ab eo qui non sit realiter nobilis. De cetero ait Tamb. [15] illum hic censeri nobilem, qui per aliquot generationes artem mechanicam non exercuerit. Hinc censeo semper distinguenda esse loca; nam qui forte nobilis aestimabitur in aliqua civitate, non aestimabitur talis in alia.

Clausula 3. *Ut in privato domus tuae solitae habitationis oratorio, in civitate N. existente, ad hoc decenter*

(1) Eod. tit. c. 22. n. 20. (2) L. c. (3) L. c. n. 1. (4) In cit. §. 4. n. 31. (5) L. cit. c. 3. animadv. 1. p. 91. (6) De matr. l. 8. d. 1. n. 1. et 5. (7) De privil. d. 1. q. 3. p. 7. §. 1. n. 3.

(8) De leg. lib. 8. c. 27. (9) Tr. 18. c. 1. n. 79. (10) De sacrif. missae c. 5. q. 3. vers. Quarto. (11) Meth. celebr. miss. l. 1. c. 4. §. 4. n. 5. (12) De matr. l. 8. d. 21. n. 8. (13) Con. 68 n. 100. (14) In cit. op. de or. dom. (15) L. c.

muro extructo, ornato, ab omnibus domesticis usibus libero.

Nota 1. verba, *muro extructo.* Dicunt hic La-Croix [1] et Tambur. [2] non esse opus quatuor muris cum ianua, qui oratorium ab aliis dividant locis, sed posse pro quarto muro aptari tapetem, aut telam, quae reseretur, vel claudatur ad commoditatem audientium missam. Censet autem p. Fortunatus a Brixia non sufficere amplos armarios intra cavitatem parietis, qui lignea tabula post absolutum sacrificium claudantur. Nulli dubium quod huiusmodi oratoria decentius intra quatuor, vel saltem tres parietes in separato cubiculo construerentur; sed ego novi praefatos armarios in usu esse Neapoli, novique ab archiepiscopo approbari. Et revera huiusmodi oratoria sic formata non videntur iuxta tenorem indulti, ut supponit p. a Brixia, esse vetita, quia tabulae laterales satis gerunt vices parietum; modo tamen altare ligneum ita sit parieti colligatum, ut non sit amovibile, iuxta decretum s. c. rituum, emanato die 3. decemb. 1661., quo dictum fuit: *Habens indultum eligendi oratorium in propria domo, si quis voluerit ibi aedificare altare ligneum non indiget facultate apostolica, dummodo altare ligneum cum sacro lapide parieti colligatum amovibile non sit, et altaris portatilis imaginem non praeseferat.*

Nota 2. verbum, *ornato.* Omnes conveniunt, locum oratorii debere ita esse constructum, ut diversus discernatur ab aliis ad profanos usus designatis, ut ex ornatu sacer appareat; imo Pasqualigus ait [3], quod in his oratoriis splendidior requiritur ornatus, quam in ecclesiis; in quibus, cum adsit locus iam permanenter divino cultui dicatus, per se locus venerationem sibi advocat; sed cum id cesset in oratoriis privatis, ideo nitor ornatus venerationem supplere debet.

Nota 3. verba *Ab omnibus domesticis usibus libero.* Dicunt Pasqual. [4] et Tambur. [5] ex Sa [6] quod occurrente necessitate, sicut permittitur etiam in ecclesia consecrata comedere, dormire et similia agere, tanto magis ea permittenda in oratorio, quod solum ad tempus est ad sacrum usum deputatum. Addit La-Croix [7] quod huiusmodi actiones, licet absque necessitate fierent, non excedunt culpam venialem; docent enim dd. apud Bonac. et Suar. [8] quod illae etiamsi fierent in ecclesia consecrata non sunt mortalia, nisi fierent constanter et per modum habitus, utendo ecclesia vel oratorio tanquam quocumque loco profano; quo tamen casu censet Pasqual. [9] cum aliis, locum effici ineptum, et ideo cessare privilegium; saltem, ait Tamb. ex Castrop., tunc locum indigere nova approbatione episcopi.

An autem sit illicitum supra tectum oratorii vel ecclesiae ponere lectos, aut alia profana exercere. Negat Roncaglia [10] cum Pignatel. et Croix [11] cum Quarti et Tamb.[12] ex Sanch.[13] et Glossa [14] dicentes quod abstinere ab his erit quidem de congruentia, non vero de praecepto; qui enim supra tectum ecclesiae dormit, extra ecclesiam dormit. De caetero s. Carolus Borromaeus in concil. 4. Mediol. prohibuit ne supra ecclesiam, capellam, aut oratorium, ubi missa peragitur, locus sit in quo dormiatur, aut habitetur, aut quidquam profani fiat. Sed p. Gattico [15] censet quod si alicubi aliter provideri nequeat ob angustiam domus privilegiati, in hac re aliquid indulgendum sit.

Clausula 4. *Per ordinarium loci prius visitando et approbando; ac de ipsius ordinarii licentia, eius arbitrio duratura.*

Oratorium debet quidem ab ordinario visitari, et approbari, ut aptetur in loco decenti; id vero non nisi semel et gratis. Approbato autem oratorio, nequit deinde ordinarius impedire,

(1) L. 6. p. 2. n. 266. (2) Loc. c. n. 8. (3) Q. 618. n. 3. (4) De sacr. miss. q. 618. (5) Loc. c. n. 9. (6) V. Ecclesia n. 3. (7) L. 6. p. 2. n. 266. (8) Decel. l. 3. c. 5. (9) Cit. q. 618. n. 8.

(10) De sacr. miss. c. 5. q. 3. v. Primo, in fine. (11) Ib. (12) N. 9. vers. Illud. (13) L. 1. n. 26 (14) In c. unic. de consecr. eccles. in 6. (15) C. 23. n. 6.

ne in eo celebretur, prout decisum refert Barbos.[1]. Nomine *ordinarii* veniunt tam vicarius generalis episcopi, quam capituli sede vacante, ex Sanch.[2]. Potest autem episcopus etiam alteri hanc visitandi facultatem committere, cum haec facultas officio episcopali perpetuo sit adnexa. Sanchez[3] et alii passim.

Verba illa, *ac de ipsius ordinarii licentia, eius arbitrio duratura*, asserit Tambur.[4] non in omnibus indultis apponi, sed ubi apponuntur, si ordinarius revocet licentiam, non potest quidem in oratorio celebrari, tantum poterit ipse cogi ut concedat, si neget iniuste. Advertit tamen[5] ex Sanch.[6] quod verbum *arbitrio* differt a libera voluntate, unde ait non posse ordinarium huiusmodi licentiam revocare sine iusta causa. Iusta causa tamen existente, bene poterit celebrationem suspendere, et non solum vi praefatae clausulae, sed etiam vi Tridentini[7], ubi universe episcopis tanquam delegatis apostolicis, data est potestas statuendi aut prohibendi quae ipsis visa fuerint circa celebrationem missarum.

Clausula 5. *Unam missam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit.*

Nota, *unam missam, idest unicam*, ut declaravit (quicquid alii dixerint) Bened. xiv. in bulla *Magno;* vide dicenda super hoc punctum *lib.* 6 *num.* 359. *vers. notandum* 3. Per verba autem, *dummodo in eadem domo etc.* etiamsi unus ex duobus dominis haberet proprium oratorium in sua habitatione separata (vulgo *appartamento*) eiusdem domus, nulliter alter dominus privilegium impetraret.

Clausula 6. *Per quemcumque sacerdotem ab eodem ordinario approbatum secularem, seu de superiorum suorum licentia regularem.*

Quidam auctor apud Tambur.[8] putavit per hanc clausulam, sacerdotes indigere speciali approbatione ad celebrandum in oratorio privato; sed recte id negat Tambur., quia passim sacerdotes solent tantum ex universali approbatione celebrandi, in praedictis oratoriis sacra facere.

Clausula 7. *Sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio.*

Clausula haec importat, ut celebrantes nequeant in privatis oratoriis annunciare matrimonia, ieiunia et similia ad parochos spectantia. Importat etiam, ut non possint ministrare (quicquid dicat Tambur.[9]) eucharistiae sacramentum, sicut expresse prohibuit Bened. xiv. in quadam encyclica ad episcopos Poloniae; vide dicenda *lib.* 6. *n.* 359. *in fine, vers. Quaeres hic.* Sacramentum autem poenitentiae universe praescribitur in rituali romano a nemine posse ministrari domi, nisi ex rationabili causa.

Clausula 8. *Paschatis resurrectionis, pentecostes, et nativitatis Domini nostri Iesu Christi, nec non aliis solemnioribus festis diebus exceptis.*

Advertit Tamb.[10] ex Gav.[11] nomine *paschatis et pentecostes* tantum primam diem intelligi, in qua revera solemnitas est. Quinam autem dies subintelligantur pro tò *solemnioribus* vide *lib.* 6. *n.* 359. *v. Ex quo deducitur* 1. ubi affertur decretum S. C. illos explicans.

Clausula 9. *In tua et natorum ac familiae tuae, nec non hospitum tuorum nobilium praesentia celebrari facere.*

Nomine *tua* omnino requiritur praesentia domini. Olim Roncaglia[12] cum Barbosa probabilem putavit opinionem, posse celebrari missam assistente familia, quamvis dominus abesset, dicens particulam *ac* (*in tua praesentia et natorum ac familiae*) intelligi pro *vel:* alias (ait) non sufficeret praesentia domini, si abesset familia. Sed hodie sancitum habemus a Bened. xiv.

(1) In Trid. sess. 22. decr. de observ. etc. n. 19.
(2) De matr. l. 5. d. 29. v. 5. et 5. (3) Ibid. d. 31. n. 1. (4) Ibid. n. 14. et 15. (5) Ibid. n. 16.
(6) Cons. l. 7. c. 1. dub. 55. n. 7.
(7) Cit. decr. in sess. 22. de observ. etc.
(8) Ib. n. 25. (9) Ibid. n. 26. (10) Ibid. n. 27.
(11) P. 1. tit. 10. §. Sciendum.
(12) De sacr. miss. c. 5. q. 3. v. Quinto

in decreto incipiente, *Cum duo nobiles*[1] non posse celebrari in privato oratorio, nisi actu intersit aliqua persona ex iis, quibus indultum principaliter concessum et directum est.

Nomine *natorum*, dicunt Pignatell.[2] et Pasqual.[3] venire etiam filios illegitimos, modo sint nati ex certo patre, et de ipso constet. Sed p. Gattico[4] et p. Fortun. a Brixia[5] cum Barb. tenent venire tantum legitimos, non vero spurios nec naturales, donec hi legitimentur per subsequens matrimonium, vel per auctoritatem principis; atque huius sententiae ego magis adhaereo, cum huiusmodi privilegium stricte sit interpretandum prout probavimus in explicando clausulam 1.

Nomine *familiae* veniunt quidem tam consanguinei, quam affines. Utrum autem veniant omnes propinqui cuiuscumque gradus. Affirmant Pignatell.[6] et Pasqual.[7]. Verum tamen p. Gattico[8] sentit privilegium non extendi nisi ad quartum gradum; quia (ut ait) praesens disciplina, postquam impedimentum matrimonii ex carnali cognatione restrinxit ad quartum gradum, non respicit amplius ad gradus inferiores. Praeterea, dicit Tamburinus cum Pellizzario gaudere privilegio propinquos, etiamsi vivant propriis expensis, et in separatis partibus, modo habitent in eadem domo. Sed communius et verius id negant Pignat.[9] Pasqual.[10] Roncag.[11] Croix[12] et p. a Brixia[13], quia ex indulto requiritur, ut cognati non solum degant in eadem domo, sed etiam ut sint de eius familia.

Nomine tandem *hospitum*, dicit p. a Brixia[14] cum Pell. et Gattico admitti posse etiam hospitem (modo sit nobilis iuxta indultum) unius diei: et adhuc qui ad prandium invitatur a privilegiato, ut de privilegio participet. Non possunt tamen de eo gaudere hospitis famuli, cum non sint de privilegiati familia.

CLAUSULA 10. *Volumus autem quod familiares servitio tuo tempore dicto actu non necessarii ibidem missae huiusmodi interessentes, ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur.*

Ut ergo familiares privilegio oratorii gaudeant, requiritur 1. ut vivant expensis domini, et eius servitio incumbant[15]. Requiritur 2. ut actu ipsi sint necessarii servitio domini. Requiritur 3. ut actu sint necessarii, non solum aliquando intra diem, sed tempore quo missa celebratur; ita recte p. a Brixia[16] cum Gattico, idque patet ex verbis indulti. Censet autem Pignatell.[17] quod familiares utiles servitio habendi sunt pro necessariis; idque admittit p. Gattico[18] saltem casu quo famuli sint necessarii convenienti decori domini. Sed neutrum concedit p. a Brixia ex principio pluries repetito; quia privilegium hoc stricte et iuxta rigorosam proprietatem verborum est interpretandum; tantum admittit cum Gattico unicum famulum, qui reputetur moraliter necessarius ut assistat domino in iis quae tempore missae ei occurrere possunt. Familiares autem cognatorum non gaudent hoc privilegio, nisi assumantur ab ipso privilegiato ut assistant, et sint necessarii modo praedicto cognatis qui sunt sub cura privilegiati.

319. Dubitatur 1. An gaudeant famuli viventes quidem expensis domini, sed habitantes extra eius domum. Negant Bon. Barb. Lezana et Gobat. apud Croix[19]. Sed affirmant p. Mazzotta[20] Pellizz.[21] p. Gattico ap. p. a Brixia[22] et Palaus Diana Quarti et alii apud Croix[23], quorum sententia non videtur reprobanda, si familiares illi assistant continuo servitio domini, et revera (ut diximus) sint domino necessarii tempore missae.

Dubitatur 2. An omnes extranei audientes missam in oratorio privato,

(1) V. constit. Bened. XIV. in extensum relatas in diss. proleg. sub init. t. 1. p. 2. c. 3. decr. 5. (2) T. 6. cons. 58. n. 105. (3) De sacr. miss. q. 654. n. 1. (4) De or. dom. c. 25. n. 25. (5) Eod. tit. (6) Cons. 94. n. 102. (7) Q. 654. (8) L. c. n. 76. (9) L. c. n. 95. (10) Q. 649. (11) De sacr. miss. c. 5. q. 5. v. Sexto. (12) L. 3. p. 1. n. 627. (13) P. 83. (14) P. 95. (15) Ex c. Sicut nobis, de verb. sign. in 6. (16) P. 96. (17) Cons. 98. n. 107. (18) C. 25. n. 19. (19) L. 6. p. 2. n. 272. (20) T. 3. pag. 183. (21) Man. tr. 8. c. 2. sect. 2. q. 22. (22) P. 98. (23) Loc. c.

satisfaciant praecepto. Affirmant Bus. cum Azor. et aliis. Sed merito opinionem hanc reiiciunt Tamb. [1] Sporer [2] Mazz. [3] et alii, ex verbis indulti ubi dicitur: *Volumus autem ut qui non sunt de familia, non censeantur liberi ab obligatione audiendi missam in ecclesia.* Nec obstat dicere, quod extranei illi iam missam audiunt, et de loco non adest praeceptum; verba enim illa, *volumus etc.* aiunt apponi de stylo curiae, pro tempore quo olim missa audienda erat in parochia. Sed recte respondet Tamburinus quod pontifex dicendo *volumus etc.* satis clare imponit praeceptum etiam de loco, iubendo ut qui non sunt de familia teneantur audire missam, non iam in parochia, sed in ecclesia publica excluso oratorio privato.

Dubitatur 3. An aliquando teneatur dominus uti privilegio oratorii, si non possit ecclesiam adire. Videtur negandum, quia si tenetur uti suo privilegio, privilegium redderetur onerosum. At merito affirmant teneri dominum, si commode sacerdotem habere potest Pasqual. [4] Gattico [5] et p. Fortunat. a Brixia [6] non quidem ex vi privilegii, sed ex vi praecepti, quod obligat ad missam audiendam omnes qui illud sine gravi incommodo implere valent. Hinc (ut etiam recte ait p. a Brixia [7] cum Nugnez Pasqual. et Gattico) tenetur privilegiatus, si commode potest, providere de sacerdote, non solum sibi, sed etiam aliis de familia, si quis eorum nequit ad ecclesiam accedere.

Probabile autem est, quod satisfaciat quicumque audit missam in littore, aut in castris, Croix [8] cum Bon. et dd. cit. Notandum hic, quod oratoria in domibus episcoporum, religiosorum, vel missionariorum privilegiatorum, vel alibi erecta et benedicta ab episcopo, cum ianua in via (intellige hoc pro domibus laicorum) illa non sunt iam oratoria privata, sed verae ecclesiae; quare in iis audientes missam bene satisfaciunt, et in quibuscumque festis.

(1) Meth. celebr. miss. l. 1. c. 4. §. 4. n. 34.
(2) De 3. praec. c. 4. n. 14.
(3) De sacrif. miss. c. 3. p. 183.
(4) Q. 662. n. 4.
(5) C. 25. n. 33.
(6) P. 101.
(7) P. 1[illegible]
(8) L. 3. p. 1. n. 629.

Vid. Croix [9]. Et vide Tract. *de euch. l.* 6. *ex n.* 357.

DUBIUM IV. An sit obligatio audiendi missam in parochia dominicis et festis maioribus.

320. « Resp. Etsi id quidem decens sit, non tamen est obligatio. Est communis auctorum (quos vide *superiore dub. cas. ult.*), et, ut ait card. Lugo [10], certa; etsi Marchant. [11] in dubium vocet, scrupulumque movere conetur. Ratio est 1. quia nullum extat ea de re praeceptum. 2. Quia *c. Ut Dominus*, iubetur parochus ante missam eiicere eos, qui, proprio parocho contempto, istic missam audire vellent: ergo sine contemptu (formali) licet. 3. Quia *c. Si quis*, *de consecr.* iubentur ii, qui habent oratorium domi, in maioribus festivitatibus audire sacrum in parochia, vel in civitatibus. 4. Quia universalis fidelium, et ipsorummet etiam parochorum doctorum, et confessariorum (qui poenitentes de hac re non interrogant) consuetudo id non tantum, ut loquitur Marchant.[12] insinuat, sed manifeste docet. 5. Quia Trid. [13] tantum dicit, populum debere moneri (non autem teneri), ut frequenter adeat parochias, saltem dominicis, et festis maioribus. V. Fagund. Lug. Barb. Zened. Trull. [14].

321. » Neque obstant, quae March. obiicit, ut 1. Quod iura antiqua decernant contrarium, eo quod Sixtus IV.[15] praecipiat, ne mendicantes praedicent non teneri audire missam in parochia dominicis et festis. Nam imprimis ex illo Sixti decreto nihil sequitur, cum is non dicat teneri, sed tantum prohibeat, ne publice *praedicetur non teneri.* Cum enim honestissimum sit populum audire missam in parochia, idque suadere deceat, minime deceret id (publice praesertim) dissuadere: nam inde scandala et proprii parochi contemptus sequi possent; et hoc est, quod Sixtus cavere voluit. Deinde, esto antiqua forsan aliqua iura id habeant, eis poste-

(9) Ibid.
(10) Disp. 23. sect. 1. n. 2.
(11) In candelabro myst. t. 1. c. 7. et in resolut. moral. in form. manual. edit. c. 8.
(12) Loc c.
(13) Sess. 22. decr. de obs.
(14) L. 3. c. 1. dub. 6.
(15) De tregua et pace.

rioribus temporibus per varia privilegia receptamque consuetudinem universalem est derogatum, Caiet. Lugo et caeteri aa. cit.

» Nec obstat 2. Quod multos canonistas eam opinionem secutos asserit. Esto enim olim quidem sic senserint: hoc tamen tempore, post tot et tam ampla privilegia, post tam claram et diuturnam consuetudinem, post eminentiss. cardinalium declarationes, et ipsorum etiam pontificum nota decreta contraria (*ut vid. seq. resp.*), an aliqui id doceant, nescio.

322. » Nec 3. locus Trid. paulo ante in resp. citatus, quem obiicit, ut patet ex ipsis verbis, et declaratione eminentiss. cardin. auctorumque communi explicatione.

» Resp. 2. Episcopus non potest censuris, mulctis, aliisque poenis cogere ad audiendam missam in parochia. Est contra March.[1] qui ait: *Regulares ita communiter respondere, ut privilegiorum suorum fimbrias magnificent, et dilatent phylacteria:* et contra auctorem *parochiani obedientis*. Ratio autem est quia, ut ait Navarr., episcopus non potest tollere (nec restringere) ius commune et generalem totius orbis consuetudinem. Ita docent praeter auct. sup. cit. s. Antonin.[2] Sylv.[3] Tolet. Laym.[4] et commun. omnes theologi et canonistae moderni: afferuntque Az.[5] et card. Lugo[6] pro hac sententia declarationem card. in Trid. quae expresse habet: *Non posse ordinarium mulctis et poenis cogere ad audiendam missam vel concionem in propria parochia, etiam in casu negligentiae et contumaciae.* Et si quis his duobus tanquam regularibus minus fidat, legere potest eamdem declarationem apud Barb. in Trid.[7]. Item *tract. de offic. et potest. parochi*, ubi eamdem sententiam Barbos. ipse sequitur, et pro ea supra viginti auctores celebres partim theologos, partim canonistas, qua regulares, qua non regulares citat. Vid. *eiusdem remissiones* in Trident. impress. Antuerpiae anno 1644. et Zerolam *in praxi episcopali*[8]. Idem disertis verbis confirmat Clemens VIII. anno 1592. 22. decembr. decreto suo, circa hanc ipsam controversiam Duaci excitatam, quo eam dirimit, his verbis: *Praesenti nostro decreto sancimus, licere secularibus Christique fidelibus universis missas diebus dominicis et festis aliis maioribus audire in ecclesiis tam fratrum praedicatorum, quam aliorum mendicantium, nec non etiam collegii societatis Iesu, iuxta eorum privilegia et antiquas consuetudines, dummodo id in contemptum parochialium ecclesiarum non faciant: et tam dictis fratribus praedicatoribus, ac presbyteris dictae societatis, quam aliis privilegiatis, quibus id a sede apostolica indultum est, idoneis tamen et ab ordinario approbatis, peccata sua, etiam quadragesimali et paschali et quovis alio tempore confiteri licite posse, etc.* Quod si vero dicta privilegia et alia similia clarius cognoscere lubet, inspiciatur (ut alia taceam) compendium privilegiorum societatis Iesu, ubi praeter Leonis X., clara sunt verba Pauli III. in *extrav.* data anno 1549. kalend. novemb. quae incipit, *Licet debitum*; qua *omnibus Christi fidelibus cuiuscumque conditionis, qui verbi Dei praedicationibus in templis eiusdem societatis interfuerint, concedit, ut ibidem missas audire, et sacramenta recipere libere et licite valeant, neque ad id ad parochiales ecclesias accedere teneantur.* Porro, ne quis miretur tam ampla privilegia regularibus concessa a variis pontificibus, placebit inspicere eorum bullas, in quibus reperiet motiva gravissima: aut si nec inspicere lubet, recogitet saltem, Deum ipsum Innocentio III. (dum vidit ecclesiam lateranensem iam iam ruituram) ostendisse eam sustentari a s. Dominico, et s. Francisco. Consideret quod, sicut olim in varias orbis plagas et in ipsam Germaniam doctrina Christi translata est opera regularium, ita sine eorum

(1) Loc. c. (2) P. 2. tit. 9. c. 10. §. 1. d. 4. (3) V. Missa. (4) L. 4. t. 7. c. 3. n. 2.

(5) T. 1. l. 7. c. 8. q. 6. (6) Disp. 22. l. 1. (7) Sess. 22. c. 8. de sacr. m[?] et sess. 24. de ref. c. 4. n. 12. (8) P. 2. v. Parochia [?] V. v. Missa, §. 6.

subsidio conservata diu non fuisset, vel saltem minus floruisset. Et denique, ne regularibus succenseat quisquam, quod privilegia sua tueantur, sciendum est, quod sine consensu sedis apostolicae iis renunciare aut cedere non possunt [1]; imo, etsi faciant, irritum fore, et peccaturos: quia iniuriam inferrent ordini et ecclesiae toti. Nunc ad argumenta Marchantii breviter respondeo.

» 1. Affert auctoritatem cuiusdam p. Capucini, qui *parochianum obedientem* scripsit. Et huic quidem me paulo ante sat multas, gravesque auctoritates opposuisse existimo.

» 2. Ait, quorumdam episcoporum praxim esse contrariam, eamque fundari in iure antiquo et novo Trid. [2], ubi dicit teneri unumquemque parochiae suae interesse ad audiendum verbum Dei et rudimenta fidei: haec autem in plerisque locis ruralibus docentur in missa: ergo etiam ad missam possunt compelli.

323. » Resp. 1. Praxim istam (sicubi est) paucorum esse et contrariam praxi communi episcoporum in omnibus regnis et provinciis, et insuper praesulis summi.

» 2. Praxim istam nec fundari in iure antiquo, cum illi (si quod fuit) per privilegia sit derogatum, et abrogaverit consuetudo; nec in novo, tum quia Trid. [3] loquendo de concionibus et catechesi, nullam fecit mentionem missae, et in poenalibus non valet illatio; tum quia Trid. expresse addit (quod Marchantius in sua citatione omittit, cum tamen ad rem plurimum faciat), *ubi commode fieri potest;* tum quia nec illam quidem obligationem, quoad conciones esse receptam ostendit universalis ecclesiae consuetudo, eo quod forte regulariter *commode fieri non poterat*, ut notat card. Lugo [4]. Neque catechesis communiter docetur in missa, nisi forte in pagis, ubi rarius contendunt regulares cum parochis de re praesenti. Denique nescio, an non episcopi, de quibus loquitur, ex numero forte sint eorum, de quibus Pius v. in bulla *Etsi mendicantium* quaeritur, quod, etsi episcopi ordines mendicantes merito colere, et adiuvare deberent, non solum id negligant, verum etiam concilii tridentini verbis in pravum sensum detortis, eos incommodis et perturbationibus afficiant.

» 3. Citat decreta synodi leodiensis, et namurcensis, subiungitque: *Quis vero audeat haec contemnere, et patres istius synodi, inter quos multi theologi fuerunt?*

» Resp. Decreta ista (et si quae forte sunt similia) intelligenda esse, ne cum contemptu proprii parochi audiant sacrum extra parochiam: aut, si quem sensum alium habent, non esse recepta vel usu abrogata. Ita auct. cit. communit. Videri potest card. Lugo [5] Barb. et Zerol. [6] et dignissimus lectu libellus Francisci Pontani concionatoris regii, cuius titulus: *Responsa ad quaesita cuiusdam primarii praelati etc.* excusus primum gallice Nancei anno 1625., postea vero latinitate donatus, et recusus Viennae Austriae, typis Michaelis Rictii, anno 1634. Mitto rationes ceteras, quibus frequentationem parochiae (sine obligatione tamen) persuadere conatur: cum eam, utpote honestam imprimis atque decentem minime improbare, sed erroneam tantum conscientiam impedire intendam: ne videlicet cum persuasione obligationis parochialia, vel cum apprehensione peccati regularium templa frequententur. »

Bened. xiv. [7] ostendit (contra Iuenin. et Van-Esp.) nunc non esse obligationem audiendi missam in parochia.

DUBIUM V. Quae excusent ab auditione sacri.

(1) V. l. 1. decret. tit. 43. de arb. c. 5.
(2) Loc. c. sess. 22. et sess. 24. c. 4.
(3) Loc. c. (4) Loc. c. (5) Loc. c. (6) Loc. c.
(7) De syn. l. 7. c. 64. n. 7.

329. *Quae distantia ab ecclesia excuset ab audienda missa.*
330. *An excusentur foeminae ratione luctus, vel partus, vel quia non habent vestes convenientes. Et an puellae praegnantes, vel tempore quo faciendae sunt proclamationes pro ipsis.*
331. *An possit omittere sacrum puella sciens ab aliquo turpiter concupisci.*
332. *An excuset amissio magni lucri. An aliud bonum spirituale maius.*
An peregrini ad breve tempus commorantes teneantur audire missam in loco, ubi est de praecepto.

324. « Resp. Duae sunt causae, quarum altera si adsit, non teneris curare celebrari privatim in portatili cum privilegio, neque (etsi id consilii sit) preces interim ullas loco missae dicere, ut habet Nav. [1] Suar. Fill. [2].

» Prima causa est impotentia, vel simpliciter, vel moralis; aut difficultas ex notabili incommodo proprio vel proximi; corporis vel bonorum, vel etiam honoris, quia haec est mens ecclesiae praecipientis instar discretae et benevolae matris. Bon. [3] Nav. Fill. [4] Suar. [5].

» Secunda causa est quodcumque motivum rationabile, quo quis bona fide putat se excusari. Vid. Suar. [6] Laym. et Bon. [7]. »

Excusat igitur ab audienda missa quaevis causa mediocriter gravis, scilicet, quae involvit notabile aliquod incommodum, aut damnum in bonis animae, vel corporis proprii vel proximi. Ita communiter cum Bus. dd. ap. Croix [8] Salm. [9] Mazz. [10] et Zach. [11] cum Suar. Azor. Pal. Fill. Tann. etc.

Recte autem docet hic Bus. et est commune cum Dian. ap. Croix [12] et Salmant. [13] quod habens privilegium oratorii non tenetur sacerdotem conducere ut missam ipse audiat. Sed quid, si missa iam dicatur gratis, vel facile gratis haberi possit. Suarez Meroll. Escob. Pelliz. etc. ap. Croix [14] et Salm. [15] cum Fill. Pal. Trull. putant adhuc non teneri missam audire, si alias erat excusatus, quia privilegium datur ut favor, non ut onus, et ideo nemo tenetur uti privilegio suo; nam aliter privilegium redderetur gravosum. Probabilius tamen teneri dicunt Cont. Tournely [16] et Croix [17] cum Lugo Tamb. et commun., ut asserit. Ratio, quia licet non teneatur quisque uti privilegio suo, tenetur tamen satisfacere praecepto, dum potest sine notabili incommodo. Et idem dicendum puto cum Tournely, si cum modico stipendio possis conducere sacerdotem, quia quisque tenetur leve pati incommodum, ut praecepto satisfaciat.

Unde resolves:

325. « 1. Excusantur, qui sunt in navigatione, vel carcere. Item in morbo, vel convalescentia, in qua obsit prodire foras. Item qui sunt in excommunicatione vel interdicto, de quo suo loco.»

Infirmi excusantur, quando prudenter timent non leve damnum, vel moram notabilem ad convalescendum. Ita communiter dd. Caiet. Sot. Suar. Nav. et alii cum Salm. [18] et Elb. [19] ap. quem Gob. cum Sanch. excusat etiam eum qui aegra valetudine laborans timeret exeundo notabile gravamen capitis, virium lassitudinem, cruditatem etc. Sed quid, si dubium sit, an incommodum sit leve vel sufficienter grave? Standum est consilio medici, aut superioris, aut parochi, vel alius viri prudentis; et etiam suo iudicio potest acquiescere infirmus, si prudenter ita iudicet. Sed quid, si adhuc, consilio petito, maneat dubius? Suarez dicit tunc petendam esse dispensationem; sed Palaus Gob. Bon. ap. Croix [20] et Salm. [21] dicunt absolute non teneri ad missam; quia, stante periculo gravis damni, praeceptum ecclesiae tunc non possidet adversus infirmum [22]; et idem sentit Lugo; saltem (ait Gob.) tunc iudicandum est matrem ecclesiam in tali casu non obligare. Vide Croix [23]. Est valde probabile cum Mazzotta [24].

Excommunicatus vel interdictus non

(1) C. 13. (2) T. 5. c. 5. q. 11. (3) D. 4. q. ult. p. ult. (4) T. 5. c. 7. q. 11. (5) D. 85. (6) In 3. p. sect. 6. c. 5. (7) Loc. c. (8) L. 3. p. 1. n. 675. (9) De sacrif. miss. c. 6. n. 63. (10) De 3. praec. c. 3. §. 2. (11) L. 3. p. 1. n. 575. (12) Ib. n. 676. (13) D. c. 9. n. 62. (14) Ib. n. 576.

(15) Ib. n. 61. (16) De 3. praec. a. 2. sect. 1. conc'. 4 (17) Ib. n. 676. (18) De sacrif. miss. c. 6. n. 58. (19) De 3. praecept. n. 366. (20) Ibid. n. 679. (21) Ibid. n. 59. (22) In tali dubio praevalet ius naturale conservandi salutem. Hom. Ap. tr. 6. n. 59. (23) Ibid. (24) Loc. c.

peccat omittendo missam, et sic pariter carceratus, etiamsi negligant absolutionem vel libertatem, quia isti non obligantur auferre impedimenta remota. Est commune contra paucos apud Salm. [1] cum Nav. Suar. Azor. Bon. Sa Pal. etc.; modo, bene advertunt Spor.[2] et Elb. [3], ipsi non ideo ex proposito negligant liberationem ne teneantur ad missam. Imo probabilius dicunt Bon. et Trull. ac Cont. Tournely [4] ipsos non excusari, si de facili possent absolutionem aut libertatem obtinere, et negligunt; quia quisque tenetur cum levi incommodo tollere impedimenta, ut gravi praecepto satisfaciat.

326. « 2. Item qui custodiunt castra, urbem, gregem, domum, infantes vel puerum (qui in templo quietus et sine perturbatione aliorum contineri non potest), aut aegris solatio sunt aut coquere debent, et similia curare quae omitti non possunt, Bonac. Con. [5]. »

Excusantur igitur custodientes domus vel greges ex communi cum Lay. [6] Pal.[7] Cont. Tourn.[8] Bon.[9] et Salm.[10]. At si sint plures custodes, et una dicatur missa, debent alternatim eam audire. Ita Salm.[11] cum Suar. Nav. Con. Laym. Cov. etc. Et ita pariter, si a viro vel uxore manendum sit domi ad custodiam, non potest vir cogere illam ut semper domi maneat, cum sit socia, non famula, quae converso cogi posset: sed etiam posset dominus manere domi quandoque ut famula audiret missam, nam istius utilitas dominum excusaret. Ita Croix [12] cum Steph. et Gob. Pari modo excusantur ab audiendo sacro matres, quae non habent domi cui relinquere parvulos sine periculo, et contra non possent eos adducere in ecclesiam sine notabili adstantium perturbatione. Ita Bon.[13] et Salm.[14] cum Suar. Trull. et Elb.[15] cum Laym. etc. communiter. Probabiliter excusatur etiam qui timet carcerari, si ecclesiam adeat. Croix [16] cum Henr. Dic. et Gob. ac Zachar. [17].

Excusatur etiam qui nequit missam audire, quin relinquat infirmum sine assistentia ad cibum sive ad remedia praestanda; vel quin infirmus relictus ab illo gravem turbationem patiatur. Ita Palaus Dic. Fill. Suarez Soto etc. cum Salm.[18]. Et hoc, etsi adesset alius assistens, sed infirmus putaret illius assistentiam esse sibi necessariam, et alias gravem pateretur tristitiam. Ita Pasqual. ap. Croix [19] et Mazzot. [20].

327. « 3. Item, cui periculum est gravis offensionis mariti, parentum vel dominorum. Henr. Suar. Fill.[21]. Si tamen id fere semper fieret, de alio medio laborandum esset. »

Excusantur famuli, quando eorum ministerium est communiter necessarium et omittere nequeant sine gravi incommodo dominorum; debent tamen mediocrem diligentiam adhibere ut missam non omittant: ita Suar. [22] Pal. [23] Tourn.[24] et Salm. [25] cum Con. et Dic. Imo notat Croix [26] cum Pal. eos teneri ad hoc adhuc cum mediocri molestia seu vigilia, non autem cum notabili diminutione somni. At si ministerium non sit ita necessarium, domini proculdubio peccant, si famulos impediant sacrum audire. Ipsi autem famuli tenentur tunc audire, adhuc contra domini iussum, nisi gravem indignationem timeant; vel nisi statim et de facili non possent alium dominum invenire, ut bene ait Croix [27] cum Pal. [28]. Quicquid dicant Spor.[29] et Salm.[30] etc. sentientes famulos per aliquot vices semper excusari. Notat autem Mazz. [31], quod minime peccant domini, si tempore missae praecipiant famulis, quae nequeant differri iuxta communem vivendi modum (intelligendum sine notabili ipsorum dominorum incommodo). Et tunc sane excusantur etiam famuli, si tem-

(1) De sacrif. miss. c. 6. n. 53. (2) Tr. 3. c. 4. n. 26. (3) N. 265. (4) L. c. (5) N. 86. et 314. (6) L. 4. tr. 7. c. 4. n. 3. (7) Tr. 22. p. ult. n. 6. (8) De 3. praec. a. 2. concl. 4. (9) D. 4. q. ult. n. 3. (10) C. 6. n. 68. (11) D. n. 68. (12) Ib. n 686. (13) Loc. c. n. 2. (14) N. 73. (15) N. 389.

(16) Ibid. n. 689. (17) L. 3. p. 1. n. 689. (18) D. c. 6. n. 76. (19) Ib. n. 680. (20) L. c. (21) N. 226. (22) D. 88. sect. 6. n. 5. (23) L. c. n. 6. (24) De 3. praec. a. 2. concl. 4. (25) N. 74. (26) Ib. n. 685. in fin. (27) L. 3. p. 1. n. 685. (28) Tr. 22. p. ult. n. 6. (29) De 3. praec. c. 5. n. 75 (30) N. 75. (31) D. c. 2.

pore missarum sint occupati in obsequio actuali et necessario, ut ait Sporer [1] cum Salm. etc. *ut supra.*

Sic pariter excusatur uxor, si ex accessu ad ecclesiam timeat gravem indignationem viri iracundi vel zelotypi; secus, si levem. Communiter Pal. Suar. Bon. Azor. cum Salm. [2] Mazz. [3] et Elbel [4]. Sed hoc raro admittendum. Ex iusta causa, notat Croix [5] cum Tamb. et Fag. posse patrem detinere filium domi clausum in poenam, etsi missam non audiat. Idem ait Elbel [6]. Recte etiam excusatur cum Cont. Tourn. [7] qui omitteret missam ad reparandas rixas aliorum aut furta alienorum bonorum.

328. « 4. Item, si quis alioqui amissurus esset occasionem commodam itineris, v. gr. socios, cum viam ignoret vel pericula metuat. Alias vero tenetur ad missam ante iter vel in itinere. Suar. [8] Rodriq. Bon. [9]. »

Excusatur etiam viator, si alias perderet expensas itineris, quas faceret socius, ut Suar. Dic. Gob. ap. Croix [10] et Salm. [11] cum Bon. etc. ac Elb. [12]. Vel si graviores expensas subire deberet, si relinqueret occasionem illam ob sacrum audiendum, ut addit Elbel [13]. Vel si non esset securus in itinere sine comitiva. Elb. [14]. Vel si societas illius multum eum sublevaret et longae viae auferret taedium, quod certe videtur grave incommodum, vel saltem est coniunctum cum periculo gravis incommodi, ut Tamb. Suar. Dic. Gob. Henr. apud Croix [15].

329. « 5. Si sit gravis difficultas eundi ad ecclesiam ob distantiam, v. gr. unius vel alterius milliarii germanici, vel etiam minoris spatii: maxime si via sit molesta, coelum pluvium. Ubi habenda est ratio personarum, loci, temporis et consuetudinis. Bonac. Suarez Fill. [16] March. Hor. Past. [17]. »

Pro distantia excusante, alii assignant tria milliaria nostralia, alii duo, alii unum. Sed hoc iudicandum ex circumstantiis personae, temporis, etc. ut Bus. Viv. Salm. ex communi. Ordinarie tamen milliarii distantia non excusat, ut bene ait Croix [18]. Sed Dicastillus apud ipsum [19] non obligat mulieres nobiles et teneras ad 1500. passus; obligat vero alias mediae sortis et rusticas ad longius spatium. E converso Salmant. [20] cum Suar. Pal. Trull. Fill. etc. (quibus adhaerent Zach. [21] ac Croix cum Dian. Gob. et Fag.) dicunt, quod regulariter excusat distantia leucae, sive trium milliarium: idest (ut Croix) unius bonae horae seu 5. quadrantium iter pedibus agentes, et minus si esset molestia nivis, imbris vel alia causa. Et idem tenet Mazz. dicens absolute quod distantia trium milliarium omnes excusat.

330. « 6. Si ex consuetudine patriae feminae egredi non solent tempore luctus vel etiam post partum. Sylv. Cai. et Fill. [22]. »

Excusantur igitur viduae ratione luctus, ut Spor. [23] et Elb. [24], ac etiam filiae et sorores, ut addit Mazzotta cum Suar. Sed talem consuetudinem (aiunt Fill. Villal. et alii) non esse extendendam usque ad mensem a morte viri. Mensem tantum permisit s. Carolus Borromaeus in concilio 1. mediol. Quamvis, si alia esset consuetudo in aliquo loco, non esse damnandam de peccato gravi docent Pal. Dic. et Fill. cum ceteris ap. Salm. [25]. Illae tamen, quae e domo iam egrediuntur ad alia, non sunt excusandae, ut recte notant Salm. [26] cum Pal. Alicubi etiam ex consuetudine virgines excusantur a missa ne in publicum exeant, Salmant. [27] cum Fill. Pal. et Suar. qui tamen cum Azor. et ceteris merito advertit talem consuetudinem moderandam esse, quoad fieri potest [28].

« 7. Si quis non habet vestes statui suo convenientes, Nav. Henr. Sa Azor. Bonac. [29].

(1) D. 24. (2) Dict. c. 6. n. 68. (3) Loc. c. (4) N. 569. (5) Ib. n. 688. (6) N. 580. (7) Loc. c. (8) Sect. 6. (9) L. c. (10) Ib. n. 682. (11) N. 69. (12) N. 583. (13) Loc. c. (14) Ibid. (15) Ibid. (16) Loc. c. (17) T. 4. c. 6. n. 7. (18) Ib. n. 687. (19) Ib. (20) D. c. 6. n. 65. (21) L. 3. p. 1. n 687.

(22) N. 227. (23) N. 35. (24) N. 584. (25) N. 82. (26) Ibid. (27) N. 81. (28) Nulla autem ratione potest licita reputari illa consuetudo (ut melius dicam abusus) qua puellae, ne in publicum exeant, ab auditione sacri se abstinent. Ex Hom. Ap. tr. 6 n. 42. (29) Loc. c.

» 8. Si quae ex occulta fornicatione praegnans metuat, ne id advertatur, si prodeat. Laym. [1]. »

Bene excusantur cum Bus. et Elb. [2] mulieres non habentes vestes decentes iuxta suum statum, vel famulum aut sociam, sine quibus magno rubore suffunderentur, ut ait Mazz. [3]. Sed merito advertunt Salm. [4] Led. Suar. Fill. Dic. Pal. etc. non esse excusandas ab audienda missa valde mane, si possunt: aut in ecclesia remota, ubi populus non concurrit. Idem dicitur de puella inhoneste praegnante, si posset in aliquo loco occulte et sine nota missam audire. Ita communiter cum Bus. *infr.* Elb. [5] Cont. Tourn. [6] et Pal. Laym. Regin. etc. cum Salm. [7]. Sic etiam possunt aliquando excusari puellae, quae ab ecclesia exeunt, quando fiunt proclamationes pro earum matrimoniis, etsi ideo omittant sacrum, si ob id notabilem verecundiam pati debeant. Ita Elbel [8] idemque sentit Spor. [9] de mulieribus nobilibus. Hoc autem raro et difficile puto admitti posse; at si revera puella ex hoc tantum ruborem pateretur, ut magnum incommodum subiret, eo casu non improbo. Croix vero [10] absolute tales puellas excusat, ubi adest huiusmodi consuetudo. Pariter consuetudo excusat puerperas, domi se continentes post partum per aliquod tempus (v. g. per sex hebdomadas ex communi usu, ut testantur Spor. et Elb.), etiam postquam convaluerint. Spor. [11] Elb. [12] et Salm. [13] cum Pal. [14]. Non vero excusantur mulieres ob menstruum. Salm. [15].

331. « 9. Si quae sciret alteri, a quo perdite amaretur, secuturam occasionem peccati, si prodiret, Sa Fill. [16]. »

Quaestio magna est, an puella sciens ab aliquo turpiter concupisci possit omittere missam. Tres sunt sententiae. *Prima*, quam tenent Laym. [17] Sporer [18] Val. Lop. apud Salm. [19] dicit posse; et bis, vel ter etiam teneri omittere. *Secunda* cum Pal. et Henr. dicit teneri audire missam, non obstante ruina alterius quae illi voluntarie evenit. *Tertia* cum Mazz. [20] qui asserit communem cum Suar. Sa Fill. Bon. Sanch. etc. ap. Salm. docet posse quidem omittere ad evitandum proximi damnum: sed non teneri, quia utitur iure suo, et damnum ille sua culpa patitur. Hae sententiae omnes sunt probabiles, sed prima probabilior. Ratio, quia praeceptum naturale de vitando scandalo praeferendum est positivo de audienda missa. E converso, quia caritas non obligat cum gravi incommodo, non tenetur puella abstinere a missa plus quam semel vel iterum. Vide *dict. de caritate l.* 2. *n.* 51. *et* 53.

332. Quaeritur hic in fine: an amissio notabilis lucri excuset ab auditione sacri. Negant Salm. [21]. Sed satis probabiliter affirmant doctus p. Holzm. [22] Viva [23] Mazz. [24] Elb. [25] cum Anacl. Dian. etc. Tamb. [26] cum Az. Bass. ap. Croix [27] ob eandem rationem, qua diximus supra *n.* 301. excusari qui, ne amittat extraordinarium lucrum, laborat die festivo, ex ratione generali, quia praecepta ecclesiastica non obligant cum gravi incommodo. Idem tenet Gob. qui excusat pauperem etiam ob lucrum unius ducati et duorum alium tenuis fortunae. Et iniuste Salm. [28] reiiciunt praedictam secundam sententiam, cum alibi [29] cum Suar. Pal. Bon. etc. non negent excusari viatorem, qui ne amittat solas expensas quas sperat a socio, sacrum omittit. Utrum autem excusetur, qui in sabbato venatum iret, ubi missam audire nequit. Vide *num.* 301. *circa fin.* Verum Dic. et Gob. ap. Croix [30] excusant aurigas, qui non possunt audire sacrum, quin vecturam relinquant cum notabili iactura. Idem ait Mazz. [31] de tabellariis et custodibus ga-

(1) L. 4. t. 7. c. 4. n. 3. (2) N. 367. (3) L. c.
(4) De sacrif. miss. c. 5. n. 64. (5) N. 367.
(6) De 3. praec. a. 2. sect. 1. concl. 4. (7) Ibid.
(8) N. 384. (9) C. 4. n. 35. (10) Ibid. n. 690.
(11) N. 35. (12) N. 384. (13) C. 6. n. 79.
(14) Ex c. un. de purif. post part. (15) N. 80.
(16) N. 227. (17) L. 2. tr. 3. c. 13. n. 10.
(18) De 6. praec. c. 1. n. 29. et 37. (19) D. c. 6. n. 77.
(20) C. 2. §. 2. (21) De 3. praec. c. 1. n. 352.
(22) De 3. praec. c. 1. n. 258. (23) A. 3. n. 7.
(24) Loc. c. (25) N. 368. (26) Dec. l. 4. c. 2. §. 2. n. 7. (27) Ibid. n. 681. (28) Loc. c.
(29) De sacrif. miss. c. 6. n. 69.
(30) Ibid. n. 684. (31) D. §. 2.

bellarum, qui timeant notabilem iacturam: idemque dicit de nautis, vectoribus mercium, qui nequeant audire missam sine magno incommodo. Illud autem non admittimus, quod aliqui aa. addunt ap. Croix [1] scilicet quod, etsi quis possit sine tanto damno omittere vecturam, adhuc tamen is excusari posset ex consuetudine aliorum, quam habent vehendi. Pariter [2] dicunt Suar. et Gob. excusari molitores, si causa missae eis eveniret iactura mediocriter gravis. Valde autem probabiliter excusatur, qui ob missam audiendam omittere deberet negotium cum damno gravi, ut Suar. Dic. Cai. etc. cum. Salm. [3].

Non excusatur autem ex communiori cum Pasq. apud Croix [4] qui omitteret sacrum ob aliud bonum spirituale, quamvis maius. Probabiliter tamen [5] admittit Ills. excusari qui omitteret missam pro se confitendo, si alias deberet aliquandiu permanere in statu peccati mortalis; et idem tenet Croix cum Less. [6]. Item excusatur a missa, qui alias non posset impedire blasphemias, rixas, furta, etc. Elbel [7].

An autem peregrini teneantur audire missam, quae audienda est peculiari praecepto loci ubi sunt, etiamsi per unum diem ibi commorentur. Affirmant Suar. [8] Pont. [9] Ios. de Ianuar. et Salas ap. Pal. [10] qui merito probabile id vocat cum Sanch. [11] et Salm. [12]. Ratio, quia peregrini vere fiunt subditi superioris loci ubi sunt, licet per breve tempus ibi commorentur. Probabilius tamen negant Sanch. [13] cum Tol. Azor. Sayr. etc. Bon. [14] Sylv. [15] Elb. [16], item s. Antonin. Gran. Vega etc. apud Salm. . [17] Ratio, quia superior loci non habet iurisdictionem in peregrinos, nisi ibi maneant vel saltem animum permanendi habeant per maiorem anni partem iuxta dicta *de leg. l. 1. n.* 156.

Hic refert adnotare, quod Benedict. XIV. in brevi *Cum sicut etc.* dato die 22. dec. 1748. quoad regna Neapolis et Siciliarum indulsit ab absistentia operum servilium in diebus festis, exceptis dominicis paschatis et pentecostis ac omnibus aliis dominicis in anno: item die circumcisionis, epiphaniae, ascensionis, corporis Christi, nativitatis Domini: item purificationis, annunciationis, assumptionis, nativitatis et conceptionis B. M. V. immaculatae: item die ss. Petri et Pauli, omnium sanctorum et patroni principalis cuiuscumque civitatis aut pagi illius dioecesis. In aliis vero festis praescripsit fideles teneri tantum ad missam audiendam.

(1) Loc. c. (2) Ibid. (3) N. 70. (4) Ib. n. 683. (5) Ibid. (6) N. 665. (7) N. 591. (8) De rel. l. 1. c. 14. n. 9. (9) De matr. l. 8. c. 4. n. 7. (10) Tr. 3. d. 1. p. 24. §. 3. n. 12. (11) Dec. l. 1. c. 12. n. 37. (12) De leg. c. 3. n. 56. (13) Loc. cit. n. 38.

CAP. II. DE QUARTO PRAECEPTO: HONORA PATREM ETC.

DUBIUM I. Ad quid teneantur liberi erga parentes.

333. *Quae teneantur filii praestare parentibus circa amorem.*
334. *Quae circa reverentiam.*
335. *Quae circa obedientiam.* Vide alia ibid.

333. « Resp. Tenentur vi huius praecepti tum genitoribus, tum superioribus in iis rebus in quibus quisque et quamdiu subiectus iis est *amorem*, *reverentiam* et *obedientiam* praestare, ita ut, si notabilis horum defectus sit in re gravi, graviter peccetur: quod facilius fiet respectu parentum, quam aliorum. Ita commun. V. Fill. [18]. etc.

Unde resolves:

» 1. Contra *amorem* graviter peccat filius. 1. Si signa odii parentibus ostendat et aspere tractet. 2. Si torvo oculo fere semper intueatur, ac ita aspere loquatur ac si odio haberet. 3. Si non subveniat in gravi necessitate spirituali vel corporali. (Hinc etiam graviter peccant filii negligentes preces et sacrificia offerri pro parentibus. Salmant. [19].) 4. Si non impleat eorum testamenta et legata, modo haeres sit. 5. Si grave malum, v. gr. mortem illis optet. Nav. Reg. [20] Fill. [21]. »

Graviter ideo peccant filii, si non curent ut parentes in articulo mortis constituti suscipiant sacramentum poenitentiae et alia. Bon. [22] Fill. [23] Salm. [24]

(14) D. 1. q. 1. p. 6. n. 6. et 43. (15) V. ieiunium, q. 2. n. 7. (16) De 3. praec. n. 383. (17) Loc. c. (18) T. 28. p. 2. c. 1. (19) Tr. 24. c. un. n. 4. (20) L. 20. n. 8. (21) T. 28. c. 1. q. 3. et 7. (22) De 4. praec. p. 4. n. 5. (23) N. 5. (24) De 4. praec. tr. 24. c. un. n. 4.

cum Az. Nav. Trull. Item si impediant parentes, ne faciant testamentum. Bon.[1] Tamb.[2]. Quod tamen intelligitur, si malis artibus impediant; secus vero, si modis permissis id faciant, tunc ab omni culpa immunes erunt.

334. « 2. Contra *reverentiam* peccat graviter filius. 1. Si percutiat etiam leviter, secundum Reg. 2. Si manum ad percutiendum deliberate attollat. (Ita omnes communiter; et recte advertit Spor.[3] quod in his filius dupliciter peccaret, contra iustitiam et contra pietatem). 3. Si graviter parentes contristet. Reg.[4] Fill.[5]. (Etiamsi verba non sint graviter contumeliosa ut probabilius ait Busemb. *mox infra*, et Bonac.[6] contra Elbel[7] dicentem non esse mortale, si iracundia parentum non oriatur ex ipso verbo aut facto, cum hoc sit leviter iniuriosum, sed ex sinistra apprehensione, vel eorum indispositione; nam si tunc non laeditur graviter reverentia, saltem graviter violatur amor erga parentes, eos sine iusta causa graviter et deliberate contristando.) 4. Si animo deliberato ad gravem iram provocet verbis contumeliosis vel talibus, quibus sciat graviter offendendos. (Hinc bene ait Ronc.[8] non excusari a mortali, qui matrem vocet *pazza*, *ubbriaca*, *bestia*, *strega*, *ladra* et similia. Qui vero diceret tantum *vecchia*, *stordita*, *ignorante* et similia, puto non posse de se absolute damnari de mortali, nisi parens graviter de his verbis offendatur. Peccat autem graviter filius, qui parentes frequenter torvis oculis aspicit, aut verbis asperis alloquitur, ita ut videatur eos odio habere, Bus. *ut supra* et Bon.[9] cum Sylv. Graff. etc. Elb.[10] Ronc.[11]). 5. Si maledicta, aut convicia in eos coniiciat. (Cum Cont. Tourn.[12] intellige in praesentia, ut videbimus in subsequenti adnotatione. Item si parentes deliberate gestu vel risu subsannet, ut Spor.[13] et alii. Dicitur *deliberate*, nam in his et similibus ut supra, saepe excusantur filii a mortali propter indeliberationem actus, ut notant Bon. et Elb.). 6. Si parentes pauperes despiciat, vel nolit agnoscere: quod si tamen exterius tantum dissimulet se nosse et nolit apud se habere ex iusta causa, dummodo eos provideat de necessariis, Bon.[14] excusat eum a peccato gravi, eo quod rationabiliter non sunt inviti. (Hinc probabiliter apud Salm.[15] Az. Nav. Tol. et Trull. *excusant eo casu filium a mortali*, 1. *si grave damnum passurus esset:* 2. *si parentes infami crimine essent notati:* 3. *si solum exterius dissimularet*, *sine interno contemptu*, *quia tunc* (ut ait Bon.) *ipsi parentes non censentur graviter aut rationabiliter inviti*). 7. Si in foro externo filius etiam de vero crimine parentes accuset; extra crimen haeresis, proditionis vel coniurationis in principem, cum non sit alius corrigendi modus. Vid. Bon.[16]. »

Absolute dicit Sporer[17] filium maledicentem parentibus sive eos subsannantem non excusari a peccato mortali, sive faciat in eorum praesentia, sive in absentia. Nescio quomodo hic auctor, quamvis in aliis suis sententiis satis aequus, et forte aliquando plus quam par est benignus, hoc potuerit absolute asserere: nam, ut ipsemet fatetur[18] et omnes docent, reverentia sive honor non laeditur, nisi per contumeliam illatam in praesentia offensi; vel in absentia, sed eo fine, ut alter resciat. Praeterea accedit id quod dicunt plures graves dd. ut Coninch.[19] Pontius[20] (et asserit commune) Tol.[21] Nav.[22]. Item Azor. Vasq. Sa etc. apud Salm.[23]. Aiunt enim praefati aa. per copulam fornicariam occultam in ecclesia non committi sacrilegium, nec pollui ecclesiam; ratio, quam tradit Coninch. ap. Salm., quia reverentia ecclesiae

(1) Ibid. (2) Dec. lib. 8. c. 2. §. 2. n. 5. (3) De 4. praec. c. 5. n. 32. (4) L. 20. n. 24. (5) C. 17. n. 17. (6) De 4. praec. p. 3. n. 4. (7) Eod. tit. n. 557. (8) De 4. praec. c. 1. r. 1. in prax. (9) N. 3. (10) N. 550. (11) R. 2. (12) De 4. praec. c. 1. a. 1. sect. 2. (13) N. 31. (14) N. 4.

(15) De 4. praec. n. 5. (16) Loc. c. (17) D. c. 5. n. 30. et 31. (18) De 8. praec. c. 6. n. 135. (19) De ritu v. sacr. a. 3. dub. 1. n. 259. (20) De matr. l. 10. c. 10. n. 15. (21) L. 5. c. 8. v. Secunda causa. (22) C. 27. n. 256 in fin. (23) De matr. c. 15. n. 64.

debita consistit in opinione hominum, sicut fama: ergo sicut homines non fiunt infames, nisi crimina innotescant, ita reverentia loci sacri non violatur, nisi publice pateat de crimine. Quidquid sit de hac sententia, quae satis est probabilis, ut dicunt Salm. [1], licet opposita mihi sit probabilior, quia irreverentia tunc irrogatur Deo, qui in ecclesia speciali modo assistit et omnia occulta respicit (V. *infra de* 6. *praec. n.* 458.): quod mea interest hic, est ratio adducta, nempe quod reverentia non laeditur nisi per manifestationem contumeliae. Quomodo igitur peccabit graviter filius clam maledicens parenti, aut subsannans in eius absentia, cum non adsit tunc neque contumelia neque irreverentia? Et hoc puto dicendum, etiamsi hoc faciat coram aliis. Attamen non nego in hoc adesse quamdam vilipensionem exercitam, repugnantem reverentiae parentibus debitae, specialemque malitiam contra pietatem continentem, sed quae non pertingit ad peccatum mortale; nisi casu quo filius eis malediceret animo malevolo, aut cum magno contemptu, nempe si malediceret coram aliis eo fine ut illi deinde parentibus deferant, vel forte saltem praesumendo quod deferrent.

Dicunt autem Viva Elbel Tamb. Mazzott. et Bon. cum aliis, filium parentibus maledicentem graviter peccare, sive illi sint vivi sive defuncti; sed praefati aa. (aliquantulum nimis inconsiderate) non explicant, an maledictio fiat cum animo vel sine animo malevolo. Verumtamen omnino intelligendum non peccare graviter, si sine tali animo maledicat. Et revera Nav. et Fill. quos citat Bon. pro hac doctrina, sic intelligunt; Nav. enim [2] dicit peccare filium, *qui ex animo parenti maledicit, sive vivo sive defuncto; si tamen oretenus tantum maledixerit, non amplius quam venialiter offendit.* Idque quasi eisdem verbis confirmat Fill. [3].

335. « 3. Contra *obedientiam* graviter filius peccat. 1. Si in re gravi sit inobediens circa ea quae pertinent ad gubernationem domus, bonos mores vel animae salutem. Fill. [4]. 2. Si contra voluntatem parentis ducat uxorem se indignam. Indigna autem dicitur, cum qua non potest contrahere sine dedecore iuxta suae regionis usum (*Vide dicenda de matr. l.* 6. *n.* 851.): non tamen potest exhaeredari idcirco (*Vide l.* 3. *n.* 949.). 3. Si sine iusta causa nolit eam ducere, quam vult parens, maxime si inde sopirentur odia aut parentum necessitas levaretur: erit autem iusta causa, v. gr. si sit impar familia, si infirma, deformis, fatua vel immorigerata. 4. Si, inconsultis parentibus nubat (*De hoc vide de matr. lib.* 6. *n.* 849.), ut habet Sanch. Potest tamen, ubi consuluit, ipsis invitis, prudenter contrahere cum se indigna; cum circa electionem status sit sui iuris. Less. [5] Sanch. [6] Fill. [7]. An et quomodo peccent liberi furando a parentibus. Vide infra *l.* 3. *n.* 543. Item an alienare possint bona. Vide infra *l.* 3. *tr.* 5. *c.* 3. *d.* 1. *in fin. L.* 3. *tr.* 5. *c.* 4. *d.* 1.»

Tenetur igitur filius obedire parenti in iis quae mox dicta sunt, et peccat graviter peccato speciali in confessione explicando, si materia sit gravis, et parens praecepto expresso et serio id mandaverit, secus si tantum monuerit, ut Spor. [8] Ronc. [9] et Holzm. [10]. Additque Lug. [11] et Bon. [12] cum Nav. et Rodr. filium tunc specialiter hoc peccatum committere, cum parens imperat aliquid, intendens obligare ad obediendum obedientia sibi debita. Imo dicunt Sporer [13] et Elbel [14] cum March. tunc filium graviter peccare, quando ordinarie praeceptum transgreditur; secus si aliquoties ex negligentia.

Praeterea hic advertendum, filium non teneri obedire in iis quae pertinent ad statum eligendum. Hinc graviter peccant parentes qui eos cogunt, etiam indirecte, invitos ad vitae sta-

(1) N. 65. (2) Man. c. 14. n. 12. v. Sexto. (3) C. 1. n. 17. (4) N. 20. (5) L. 2. c. 40 n. 43. (6) L. 4. c. 15. (7) Q. 10. n. 20. (8) De 4. praec. c. 5. n. 14. (9) C. 1. q. 3. (10) N. 555. (11) De poenit. d. 16. n. 226. (12) Eod. tit. p. 6. n. 3. (13) N. 16. (14) De 4. praec. n. 555.

tum eligendum sive religiosum, sive clericalem, sive coniugalem; vel contra, si eos iniuste retrahunt, etiam sine vi vel fraude, a statu religioso, clericali vel coniugali sine iusta causa; quia parentibus specialiter incumbit consulere bono spirituali filiorum. Ita Mol. [1] Elb. [2] et Spor. [3] cum communi. Unde si filius se sentiat a Deo vocatum ad religiosum vel clericalem statum, et advertat parentes iniuste impedituros, consultius aget rem eos celando divinamque voluntatem exequendo. Ita Elbel [4] Bon. [5] cum Sayr. Molf. Fill. et aliis. Dictum est autem *iniuste*; nam secus dicendum, si parentes ob iustam causam contradicerent, puta si remanerent in necessitate; vel si alias extingueretur nobilissima familia, ut ait Elbel [6]. In hoc tamen secundo casu puto non teneri filium ob id suam vocationem deserere. V. alia quae de hac materia fuse dicentur *l. 4. n.* 66.

« 4. Tenetur proles alere parentes egentes, adeo ut, si in gravi necessitate aliter iuvari non possint, teneatur manere in seculo, nisi tamen in hoc illi certum, vel certe valde probabile periculum salutis immineret (*vide infra de statu relig. l. 4. n.* 66. *ubi etiam de fratribus n.* 70.), et, si religionem sit ingressus, teneatur egredi et iuvare parentes: dummodo eorum necessitas eius professionem antecesserit. Fill. [7] Bon. [8] (*vide l. 4. n. 67.*).

» 5. Si vero necessitas post professionem superveniat, si extrema sit, tenetur egredi, petita prius, licet non obtenta, venia. Si autem sit gravis tantum, in qua utcumque possint vivere, non tenetur quidem; potest tamen egredi, si praelatus permittat. Quo casu tenetur, in quantum non obstat suo intentui, deferre habitum et observare substantialia religionis; at postquam parentibus subventum est, redire tenetur. V. Less. [9]. (*Vide et infra de statu relig. l. 4. n. 67.*) »

(1) Tr. 4. disp. 51. n. 2 (2) N. 538. (3) N. 21. (4) Loc. c. (5) Loc. c. n. 2. (6) N. 539. (7) Q. 5. n. 9. (8) Q. 1. p. 6. (9) L. 2. c. 41. dub. 3. (10) Disp. 5. q. 1. (11) P. 2. l. 2. q. 17. (12) Tr. 28. c. 2. (13) T. 21. p. 2. c. 2. et infra tr. 5. c. 1. (14) De 4. praec. n. 36. in fin. de rest. n. 636. (15) N. 35. (16) D. 6. q. 1. p. 6. (17) L. 3. p. 1. n. 697. (18) De 4. praec. c. un. n. 34. (19) L. 5. t. 10. p. 3. c. 5. (20) L. 20. n. 31. (21) De matr. l. 4. d. 26. n. 21. (22) De effect. matr. p. 2. (23) In c. Admonere 33. q. 2.

DUBIUM II. Ad quid teneantur parentes erga filios.

336. « Parentes, quo nomine etiam intelliguntur ascendentes, v. gr. avus, proavus, etc. tenentur gravi obligatione iuris naturalis conservationem et educationem liberorum curare. Circa quod ex Bon. [10] Az. [11] Fill. [12].

Resolvuntur hi casus:

» 1. Graviter peccant parentes, qui sine iusta causa prolem hospitali vel locis publicis exponunt. Vid. Bon. *hic* et Fill. [13] (Iusta autem causa est, si proles sit illegitima, ut probabiliter Laym. Dian. Henriq. et Salm. [14].)

» 2. Mater tenetur (sub veniali tamen) lactare proprio lacte, nisi habeat iustam excusationem (v. gr. sit debilis aut nobilis ob consuetudinem. Salmant. [15] cum Nav. Az. Trull. etc.): tunc vero tenetur sub gravi peccato bonam nutricem quaerere: Bon. [16] Laym. Item tenetur secundum iura prolem alere ad finem anni tertii. (Si vero mater non possit lactare, tenetur pater ad expensas lactationis, Croix [17] et Salm. [18] cum communi). Postea educatio usque ad emancipationem spectat ad patrem. Excipe, nisi hic esset pauper et mater dives. Fill. Laym. [19] Regin. [20].

» 3. Pater tenetur proli, non tantum legitimae, sed etiam (in quo ius civile a canonico correctum est iuxta *c. Cum haberet*) spuriae curare alimenta, hoc est cibum, potum, vestitum et honestas artes, iuxta suum statum, nisi tamen aliunde se alere possit et non indigeat; deinde etiam dotem filiae. (Respectu autem filiorum dicunt Sanch. [21] Boss. [22] cum Glossa [23]

ac Surdo et Megala, quod pater tenetur alimenta praestare non tantum filio, sed etiam uxori illius, quamvis eam duxerit sine dote et contra ipsius patris voluntatem. Praeterea tenent Az.[1] et Merenda[2] cum Baldo et Iasone, quod pater debet filium alere, etiamsi filius consummasset vitiose portionem iam prius sibi traditam). Et quidem clerici, etiam ex fructibus ecclesiasticis possunt haec suis spuriis praestare. Fill.[3] Laym.[4]. Vide infra *tr*. 5. *c*. 4. *d*. 5. Hinc peccant 1. Si non adhibeant diligentiam saltem mediocrem, ut acquirant bona, quibus filii alantur habeantque haereditatem secundum suum statum. 2. Si bona dilapidando impotentes se reddant ad liberos honeste secundum statum suum educandos ac dotandos, Bonac.[5] ex Az. Fill. etc. 3. Si sine legitima causa filiae dotem negent (vel filium exhaeredent), v. gr. quia vult ingredi vel est ingressa religionem, vel quia ipsis invitis nupsit, licet se indigno. Bon.[6] ex Az. Reginald. etc. vel quia filius ordinem sacrum suscepit, sicut enim pater tenetur dotare suas proles pro matrimonio vel ingressu religionis: ita etiam ad suscipiendos sacros ordines. Neque haec donatio est revocabilis: imo sic donata non posse computari in legitimam, aut divisionem cum fratribus, docet Barb.[7]. Contrarium tamen tenet Mol. etc. cum Dian.[8] (Et Salm.[9]. At vide dicenda *de contr. num.* 956. Ubi etiam vide de aliis bonis a filiis in collationem adducendis.)»

337. Quaestio est, an pater teneatur dotare filiam contra eius voluntatem nuptam. Distingue: affirma, si filia sit nupta maior 25. annis, etiamsi indigno, ut Sanch.[10] Salm.[11] cum Bon. Trull. etc. Sed dubium maius est, si nupta sit minor 25. annis. Alii etiam affirmant absolute: alii tantum si nupserit digno: alii dicunt patrem ei teneri tantum ad alimenta, si tamen ipsa egeat, et hoc, etsi nupserit indigno, ut Sanch.[12] Salmant.[13] cum Mol. Trull. Cor. Et hoc probabilius. Hinc infert Sanch.[14] cum Trull. et Bann. ap. Salm.[15] quod si etiam filius nuptias ineat, patre invito, tenetur pater alere eum indigentem, et uxorem eius. Vide dicenda *n*. 949.

338. Notandum obiter hic est, nuperrima S. R. neapolitani consilii, iunctis quatuor aulis, sanctione, cui regia maiestas annuit 15. decemb. 1742., sancitum fuisse non licere parentibus sine iusta causa a iure probata vel a iudice approbanda, liberos et filios seu aliquem illorum immerito e domo sua expellere, eisque extra domum praestare alimenta. Et e converso filiis et liberis, seu alicui ipsorum facultatem non esse discedendi ab obsequio patris pro libito et alimenta habendi extra domum paternam. Sed voluntatem non morandi cum parente tunc filiis prodesse ad exigenda ab illo extra domum alimenta, cum filiorum voluntas est causa virtutis, non causa vitii, quacumque alia interpretatione et rerum forsan iudicatarum auctoritate sublata, deinceps perpetua lege inviolabiliter hoc observandum definitum est.

339. « 4. Parens tenetur proli subvenire, relicta religione, iisdem casibus, quibus proles parenti, quos vide *superiore dubio cas.* 4. *et* 5.

» 5. Parentes gravi obligatione tenentur instruere liberos per se vel alios in necessariis ad salutem. Hinc graviter peccant: 1. si quantum in ipsis est, non curent ut bonis moribus imbuantur, doctrinam christianam seu fidei rudimenta addiscant, pravorum consortia vitent, mandata Dei et ecclesiae observent, sacramenta frequentent, a peccatis abstineant, Az. Fill. Bon.[16]: 2. Si occasiones peccandi ab iis non avertant, vel in locis aut domibus suspectis habitare permittant, Trull.[17]: 3. si consilio vel exemplo malo depravent: 4. si non obiurgent puniantque dissolutos, moderate tamen; nam peccant etiam verberando immoderate, v. gr. ut

(1) P. 2. l. 2. c. 4. q. 12. (2) Controv. l. 4. c. 34. n. 6. (3) Loc. cit. t. 28. c. 2. n. 28. (4) L. 4. tr. 2. c. 3. n. 4. (5) D. 6. §. 2. (6) L. c. (7) C. 17. (8) P. 8. t. 6. r. 91. et 92. (9) De 4. praec. n. 78. (10) De matr. l. 4. d. 26. n. 11. (11) De 4. praec. n. 40. (12) N. 18. et 19. (13) N. 41. (14) N. 20. (15) N. 42. (16) L. 2. (17) T. 1. d. 5. n. 4.

notabiliter laedantur. Sot. Sylv. Bonac. [1].

» 6. Tenentur etiam proli relinquere libertatem circa electionem status. Unde peccant invitos ad matrimonium, vel religionem cogendo vel abstrahendo (*Vide d. n.* 335. *v. Praeterea, et dicenda l.* 6. *n.* 850. *in fin. v. Dicit*). Et quidem Trid. [2] excommunicat cogentes ad monasterium filias.

340 » 7. Etsi frater fratri vel sorori, saltem in extrema vel quasi extrema necessitate teneatur subvenire lege tum charitatis, tum pietatis; non tamen est ea obligatio, quae inter parentes et liberos, cum non sit ista dependentia. V. Less. [3]. Unde, si professus est in religione non tenetur egredi ut eis succurrat. Trull. [4] ex Suar. etc. (*Vide lib.* 4. *n.* 67.). »

Notandum tamen hic quemvis in utroque foro teneri, si possit, alimenta et dotes praestare fratribus vel sororibus in eorum non solum extrema, sed etiam gravi necessitate. Ita Salm. [5] cum Azor. Trull. Fag. Barbos. Menn. etc. Extendunt dd. doctrinam hanc ad fratres ex eodem patre natos, licet ex diversa matre; nam isti ut utrinque coniuncti in iure reputantur [6]. Si vero fratres, sicut si sorores, sint tantum uterini ex parte matris; tunc est obligatio eos alendi, sed non sorores dotandi.

341. « Quaeres, an filius aliquando possit a patre privari haereditate.

» Resp. Potest ex iusta causa, alias non: eaque in testamento debet exprimi [7]. Talis autem censetur 1. ingratitudo (nisi in gratiam patris redierit ipsumque poenituerit ante testamentum conditum), ut si affecit patrem gravi iniuria, vel eius vitae insidiatus est, vel manus iniecit, vel maleficiis se immiscuit. Bon. [8] ex Cov. Sanch. Az. Mol. etc. 2. Si novercam seu patris uxorem cognoverit carnaliter; si parenti furioso vel carcere detento noluerit succurrere, fideiubendo: si impedierit patrem testari: si bona parentum dilapidaverit cum gravi ipsorum dispendio. 3. Si filia minor 25 annis luxuriosam vitam elegerit etc. Circa quas nota valere has causas, quando filius aliunde habet unde vivat; nam alimentis ad vitam necessariis privari non potest, cum debeantur iure naturae, quod a iure civili tolli non potest. Bon. [9] ex Sanchez Mol. Az. Reg. Fill. Trull. [10] (Secus de necessariis ad statum. Salm. [11] cum communi. Circa autem exhaeredationem filiorum, vide *de contract. n.* 948. *et* 949). »

Dubium III. Ad quid teneantur tutores, curatores, qui parentum sunt loco.

« Tutor (idem est de curatore) tenetur curam gerere pupilli, eiusque bona rite et fideliter administrare. Ratio est: quia in hunc finem constituitur et assignatur pupillo patris loco. Quare si delinquat vel notabiliter sit negligens hac in re, peccat graviter, et ad compensationem damni, quod pupillus ex eo accepit, obligatur, saltem de dolo et culpa lata: imo etiamsi tutoris officium exercet pretio (quod tamen si ab initio non est constitutum, censetur suscepisse gratis), tenetur etiam de levi culpa. Bonac. [12].

Unde resolves:

» 1. Tutor tenetur tueri personam pupilli, dum opus est, eumque bonis moribus imbuere et bene educare per se vel per alios. Bon. [13].

» 2. Tenetur bona pupilli fideliter administrare, ideoque (officium tutoris suscipiens) inventarium conficere, alioqui damna ex eius defectu secuta resarcire; nec licet illi pupillo pecuniae nimium ad usus inutiles concedere.

» 3. Tutor (uti et curator) tenetur conservare omnia iura, bona et actiones pupilli (vel minoris), et bona alias peritura vendere, pecuniamque convertere in emptionem bonorum stabilium vel in censum etc. prout fuerit utilius [14]; ex Rebell. [15].

(1) Loc. cit. et d. 3. de contract. q. ult. p. 3.
(2) Sess. 25. de reg. c. 18.
(3) L. 2. c. 31. n. 34.
(4) L. 2. c. 2. d. 24. n. 8.
(5) De 4. praec. n. 69.
(6) Ex l. Cum plures, §. Cum tutor, ff. de administr. tutorum.
(7) Auth. Sed si post. c. de inoff. test.
(8) D. 3. q. 7. p. 4.
(9) D. 6. q. 1. p. 6. §. 3
(10) L. 4. c. 2. d. 3. et tit. 2. l. 7. et c. 17.
(11) Ib. n. 43.
(12) De contract. d. 3. q. 19. p. 4.
(13) Loc. c.
(14) Ibid.
(15) P. 2. l. 22. q. 17.

» 4. Si tutor vel curator pecuniam pupilli convertit in suos usus, tenetur ad restitutionem totius lucri cessantis vel damni emergentis, quod inde accepit pupillus vel minor [1]. Rebell. [2].

» 5. Tenetur item ad restituendos fructus (deductis expensis), quos ex bonis pupilli percipere poterat, et sua culpa non percepit. Sylv.[3] Reb.[4].

» 6. Tenetur nomina debitorum exigere et debita pupilli persolvere; ita tamen, ut, quantum fieri potest, bono pupilli consulat. Sylv. Reb.[5] Tab.[6].

» 7. Tutor vel curator non potest donationes vel remissiones gratiosas facere de bonis pupilli, quia non ad destruendum, sed ad tuendum est constitutus [7]. Excipe donationem remuneratoriam: sic enim potest, v. gr. stipendio debito pro liberali servitio aliquid addere ex liberali donatione. Mol. Lugo[8] Sanch. Trullench.[9] Vid. Dian.[10].

» 8. Denique tenentur (officio finito) reddere rationes, quia hoc onus est commune eorum qui bona aliena administrant. Vid. Bonac. [11] et infra hoc libro *n.* 917. *et seq.* »

Dubium IV. Quae obligatio dominorum et famulorum aliorumque superiorum et inferiorum erga se invicem.

542. *Quid teneantur superiores praestare subditis. An principes teneantur eligere digniores ad officia.*
543. *Quid teneantur famuli praestare dominis.*
544. *An famuli non impedientes furta rerum domini, teneantur ad restitutionem.*
545. *An famulus conductus ad annum, discedendo possit petere stipendium.*
546. *An aegrotans teneatur postea famulatum supplere.*
547. *An elapso triennio possit salarium exigere.*
548. *Quando famulus inserviens, nulla statuta mercede, possit exigere stipendium.*
549. *Quando possit mercedem sibi compensare.*
550. *An servi capti in bello possint fugere ad suos.*

542. « Resp. 1. Domini et superiores tenentur habere curam famulorum aliorumque suorum subditorum. Patet ex 1. ad Timoth.[12] *Si quis suorum, etc.* Et ratio est, quia sunt ipsorum caput et vices parentum gerunt, ideoque tenentur quodammodo ad eadem, ad quae parentes. In primis vero curare tenentur, quantum in ipsis est, ut servent praecepta Dei et ecclesiae. Bon.[13].»

Quaer. hic obiter, an principes saeculares teneantur eligere digniores ad officia secularia. Affirmant Salm. [14] cum Sot. Bann. Less. Trull. etc. Negant vero Cai. Vasq. Lugo etc. [15] modo officia non indignis distribuantur; quia, ut isti dicunt, haec officia non pertinent ad iustitiam distributivam, nec sunt bona communia, sed potius regis, qui satisfacit, si digne, non autem dignissime rempublicam regat. Utraque est probabilis, sed prima sententia probabilior, quia alias respublica grave pateretur nocumentum; ob quod motivum Lugo [16], licet oppositum sustinuerit, tandem [17] concludit regulariter teneri principes digniores eligere, excepto uno vel altero ministro. An autem reges possint officia saecularia vendere. Negant Adrian. Ang. Turr. et Med. ap. Salm. [18] ubi hoc expresse prohibetur. Affirmant vero Nav. Cai. Sot. Sanch. Azor. etc. cum d. Thoma[19] ap. Salm.[20]. Modo venditio sit omnino necessaria ad utilitatem reipub. et modo vendatur moderato pretio ac dignis, et quantum fieri potest dignioribus. Ceterum omnes cum d. Th. conveniunt hanc venditionem non expedire; intellige de officiis maioribus magistratuum, quibus datur iustitiam ministrare; non autem de minoribus, quibus competit tantum eam exequi. Vide Salm. [21].

« 1. Peccant domini graviter 1. Si sine iusta causa impediant famulos ne festis missam audiant; vel si festis opera servilia imponant: vel si iubeant ea, quae sine peccato fieri non possunt. Nav.[22]. 2. Si peccandi occasionem permittant, cum possint impedire; aut si graviter delinquentes non corrigant, vel negligentes necessaria ad salutem non moneant et corripiant. Bonac. [23] (Communiter cum Salm. [24]).

(1) Loc. c. (2) Q. 17. (3) V. Tutor. §. 4.
(4) Loc. c. (5) Loc. c. (6) Ibid. (7) Ibid.
(8) D. 25. sect. 10. (9) L. 7. c. 17. d. 8.
(10) P. 8. t. 6. r. 17. (11) De contr. d. 3. q. 19. p. 4.
(12) C. 5. v 8. (13) Dub. 16. q. 1. p. 8.

(14) De 4. praecept. n. 103. (15) Ibid.
(16) D. 34. n. 19. (17) N. 21. (18) L. c. n. 94. ex 1. Haec lex ff. ad leg. Iul. de ambit.
(19) Op. 21. (20) Ex n. 95. (21) L. c.
(22) C. 14. (23) L. c. (24) De 4. praec. n. 140.

» 2. Peccant item graviter 1. Si gravibus iniuriis afficiant, diabolos, canes etc. appellent. Bon. [1] et Trull. [2] licet Diana[3] excuset a peccato talem contumeliam, quod ex ira et indeliberatione soleat proferri. (Et revera communiter hae non habentur ut graves iniuriae). 2. Si alimenta convenientia non praebeant, mercedem iustam (dummodo fideliter servierint) non solvant vel differant sine rationabili causa [4]. 3. Si ante elapsum terminum temere domo expellant; in quo casu (nisi gravissima ex causa id fecerint) tenentur ad solutionem integrae mercedis (Ut Salm.[5] cum communi. Nec famulus iniuste expulsus tenetur redire ad complendum tempus; intellige, si tempus conventionis sit iam transactum et per ipsum non defuit ut compleret; tunc enim tenetur dominus ad salarium promissum. Sed dubium est, si famulus causa expulsionis nullum damnum passus fuisset, an totum salarium ei deberetur. In hoc probabiliter opinari possumus, iuxta dicenda n. 345. quod dominus in poenam iniustitiae teneretur in conscientia solvere ei saltem maiorem quam dimidiam partem salarii; imo ut notat Less. [6] teneretur [7] totam mercedem tribuere; sed hoc dicimus, nonnisi post sententiam, iuxta regulam omnium poenalium). Less. Azor.[8] Fill.[9] Reg. Mol. etc. Esc.[10]. 4. Si eum qui liberos aliosve domesticos verbis, exemplo vel moribus pravis corrumpit, et reprehensione non emendatur, e domo non dimittant. Nav. [11] Azor. Trull. [12].

» 3. Herus non tenetur famulo infirmo (quamdiu aegrotat) dare salarium; nisi in extrema vel gravi necessitate (tunc enim debet ex caritate); imo sumptus in eius curationem impensos potest repetere. Mol.[13] Escob.[14] (Salm.[15] cum Mol. Azor. Less. communiter [16]. Vide dicenda *hoc lib. n.* 864).

343. » Resp. 2. Famuli ceterique subditi tenentur suis dominis, et superioribus aliquo modo eadem, quae filii parentibus, nimirum amorem, reverentiam et obedientiam praestare. Ratio patet ex dictis, quia sunt illis quasi loco parentum. S. Thom. [17] Reginald. [18]. »

Unde resolves:

» 1. Peccant famuli graviter: 1. Si non laborent vel serviant fideliter: tenenturque ad compensationem damni. Mol. Less.[19]. 2. Si grave damnum inferant vel inferri permittant, cum possint impedire. Nav.[20] Fill.[21] Regin.[22] (Cum Mol. Less. Azor. et Salm. [23] ac communi). Et quidem, si damnum illud inferatur sive a confamulis sive ab extraneis in rebus, quarum cura ipsis commissa est, a restitutione non possunt excusari. Mol. Less. [24] Fill. [25]. 3. Si sine gravissima causa discedant a domino ante terminum elapsum; ultra hunc vero manere non tenentur, etiamsi morbo impediti servire aliquandiu non potuerint. Mol. [26] Reg. [27] Escob. [28]. 4. Si domino in rebus magni momenti non obediant. Bon. [29]. »

344. Quaeritur 1. an famuli non impedientes furta rerum domini, teneantur ad restitutionem. Alii universe affirmant, ut Renzi [30] cum Pont. et Dian. (contra Reb. Mol. Bon.) quia (ut dicunt) ex ipsa ratione famulatus unicuique famulorum videtur dominus in custodiam res suas committere. Alii vero, ut Less.[31] Lugo [32] Holz.[33] Salm.[34] cum Mol. Az. etc. communius et probabilius distinguunt et dicunt, quod si damnum fit a domesticis, et res non sit famulis specialiter commissa ad curam (ut tenendum omnino cum Bus. et communi) non tenentur famuli ad restitutionem; tunc enim ipsi peccant tantum contra charitatem, non autem contra iustitiam; quia non obligantur ex

(1) L. c. (2) L. 4. c. 1. d. 6. (3) P. 7. tit. 7. r. 47. (4) Ibid. (5) N. 151. (6) L. 2. c. 24. n. 8. (7) Ex l. Qui operas 38. et l. 16. ff. locati. (8) C. 14. q. 1. (9) N. 117. (10) T. 3. c. 9. q. 33. (11) C. 14. (12) D. 51. n. 2. (13) L. 1. t. 28. c. 4. n. 8. (14) T. 3. c. 9. (15) Ib. (16) N. 149. (17) 2. 2. q. 103. (18) L. 20. n. 59 (19) L. 1. c. 24.

(20) C. 14. n. 22. (21) Tr. 28. c. 3. q. 10. (22) Ib. (23) N. 138. (24) L. 2. c. 23. p. 30. n. 65. (25) Tr. 36. c. 9. q. 9. n. 114. (26) L. c. (27) L. 25. n. 517. (28) C. 7. n. 50. (29) L. c. (30) De 4. praec. c. 1. q. 21. et de 7. praec. s. 3. n. 95. (31) L. 2. c. 13. n. 75. (32) De iust. d. 19. [illegible] (33) [illegible] 437. (34) De 4. praec. n. 138.

iustitia res domini a domesticis tueri. Secus tamen, si furtum fiat ab extraneis, ut Salm.[1] cum communi et Tambur.[2]. Qui addit in eo casu unumquemque famulum teneri ad restitutionem in solidum; quisque enim ipsorum, cum posset, tenebatur totum damnum impedire; et si nequibat solus impedire, debebat saltem alios confamulos advocare ad furtum impediendum.

345. Quaer. 2. An famulus locans operas suas ad annum, si ante annum culpa sua discedat, possit stipendium petere pro tempore quo inservivit. Affirmat communior sententia, contra Mol. (nisi grave damnum inde domino evenerit); quia servitus exhibita meretur utique mercedem suam, quamvis non totam conventam; unde tenetur dominus solvere saltem parum minus dimidiae partis stipendii. Ita Az.[3] Fill.[4] Sylv.[5] et Trull. Dian. Fag. cum Salm.[6].

346. Quaeres 3. an famulus locans operas suas ad annum, si per menses aegrotet teneatur operas suas supplere. Minime ex comm. cum Salm.[7] cum Az. Bon. etc. quia promissio tempori determinato alligata est. Salarium vero pro tempore aegrotationis petere nequit, ut dictum est supra cum Bus. *n.* 342. *in fine*, *v. Herus.*

347. Quaer. 4. an famulus, elapso triennio postquam discessit a domino, salarium petere possit, et occulte sibi compensare. Affirmant Sanchez[8] et Salm.[9] cum Mol. Fag. Vill. et aliis, quia, licet in foro externo famulus post praescriptionem triennii amittat actionem petendi salarium, ut dicunt Cov. Med. et Lamas[10] (contra Mol.) iuxta legem hispanicam, sive bullam 33. s. Pii v. qua post biennium a servitio praestito adimitur famulo actio petendi salarium; sive iuxta sanctionem S. R. consilii neapolitani, iunctis quatuor aulis, relatum *inf. n.* 516. qua elapsis duobus mensibus, postquam famulus a domino discesserit, negatur ei facultas mercedem in iudicio petendi; attamen in foro conscientiae famulus ius ad salarium semper retinet; et dominus, si certus sit non solvisse, semper ad solutionem teneri videtur; tanto magis, quod in dicta decisione (pro nostro regno emanata) dicitur, actionem denegandam esse famulo non praescriptionis ope, sed vi praesumptae solutionis. Hoc vero intelligendum, si famulo moraliter constet dominum non legitime praescripsisse; nam si alias dominus praescripsisset solutionem per triennium cum titulo et bona fide, eo casu nec dominus teneretur solvere, nec famulus posset salarium sibi compensare, etiamsi certus esset de solutione non facta; quia dominus tunc ratione praescriptionis acquisivit ius non solvendi, iuxta dicenda *inf. n.* 517.

348. Quaer. 5. an famulus nulla statuta mercede inserviens possit iustum stipendium (saltem infimum) petere vel occulte surripere. Distingue; si dominus huiuscemodi famulorum operas conducere solebat, affirma. Secus, si non: quemadmodum accidit cum pueris, quos nobiles aut episcopi rogantur in suam familiam admittere; tunc enim sufficit, si domini tribuant eis victum, vestes et habitationem, cum talis sit consuetudo. Ita Salm.[11] cum Mol. Azor. Trull. Villal. Fag. etc. Famulis autem, qui inserviunt magistris ut artes ab ipsis apprehendant, certe nullum salarium debetur. Salm.[12] cum Azor. Mol. Reb. Fag. Nisi aliter sit in usu quoad aliquam artem; ex nobilitate enim artis quandoque aliquid a discipulo magister exposcit, ut est ars horologia construendi. Ex ignobilitate vero artis saepe discipulus debet aliquid a magistro recipere, ut est ars malleatoris, etc. Videndum igitur est iuxta prudentum arbitrium, quid ex usu in qualibet arte observetur.

349. « 2. Famuli non peccant, si sustentationem vel mercedem iustam domino negante, utantur compensatione occulta, Mol.[13] Fill.[14], dummodo tamen

(1) Loc. c. (2) Dec. l. 8. tr. 4. c. 2. §. 6. n. 8. (3) P. 2. l. 2. c. 3. q. 6. (4) Tr. 28. p. 2. c. 3. n. 68. (5) V. famulus, q. 6. (6) De 4. praec. n. 132.
(7) Ib. n. 133. (8) De matr. l. 7. d. 37. n. 17. (9) N. 134. (10) Ib. (11) Ib. n. 135. (12) N. 136. (13) Loc. c. (14) Tr. 38. c. 6. q. 5.

alius modus non sit impetrandi; nec plus accipiatur quam debetur: neque scandalum aut aliud incommodum grave timeatur. V. Bon. [1]. (Hac tamen in re animadverte prop. 37. inter damn. ab Innoc. XI.).

» 3. Similiter pro obsequiis, ad quae non tenebantur, praestitis (si quidem illa non gratis et liberaliter, sed animo mercedis exhibuerint) licere ex rebus domini accipere compensationem, quae aliter obtineri non possit docet Nav.[2] Less.[3]. Plura de his v. inf. *n.* 524. et Bon.[4] (Nisi sponte suas operas auxissent, Salm.[5] cum Mol. Sot. Dian. etc.).»

An autem famuli possint compensare sibi salarium pro maiori opera praestita. Vide *dicenda n.* 522.

350. Notanda est hic obiter illa quaestio ad praxim utilis, an servi iusto bello capti, licite possint ad suos fugere. Negant Mol. Sylv. Panorm. et alii ap. Salm.[6], quia tales servi censentur tanquam perpetuo ad servitutem damnati, cum dominus iuste eos possideat. Contrarium tamen communius et probabilius tenent Less.[7] Sot. Lug. Pal. Fill. Vasq. et quam plures cum Salm.[8]. Ratio, quia tale ius gentium faciendi servos homines in iusto bello captos taliter acceptatum est, ut ipsis relicta sit fugiendi libertas. Et patet ex *instit. l.* 2. *tit.* 1. *de rer. divis.* ubi *n.* 17. de istis dicitur: ***Qui tamen, si evaserint nostram potestatem et ad suos reversi fuerint, pristinum statum recipiunt.***

Dubium V. Ad quid teneantur coniuges erga se mutuo vi huius praecepti.

351. « Resp. Uxor in iis quae spectant ad domus gubernationem et bonos mores, tenetur obedire marito; hic vero uxorem, non ut servam, sed ut sociam tractare. Ratio est quia maritus est caput et uxor commembrum, Nav.[9] Trull. Filliuc.[10] et comm.»

Unde resolves:

» 1. Coniuges peccant. 1. Si debita intentione non contrahant matrimonium. 2. Si sine dispensatione praetermittant proclamationes. 3. Si sacramentum matrimonii in statu peccati mortalis recipiant. 4. Si utantur matrimonio contra naturam vel modo indebito, vel cum periculo abortus. 5. Si debitum sine iusta causa negent. 6. Si cum periculo pollutionis tactus habeant impudicos.

» 2. Peccat graviter uxor. 1. Si maritum rixis vel aliter verbis ad gravem iram vel blasphemiam provocet. Fill.[11] et Bon. 2. Si quid notabile expendat contra voluntatem viri et consuetudinem foeminarum similis status, nisi tamen ex paraphernalibus, si habet. 3. Si, spreto viro, sibi imperium vindicet. 4. Si nolit sequi virum domicilium mutantem, dummodo possit sine periculo vitae et salutis et contrarium non sint pacti; et maritus post nuptias non sit factus vagus. Navarr. Tolet. Bon.[12]. V. infra *n.* 353. 5. Si sine sufficienti indicio male iudicet de mariti continentia. 6. Si sine iusta causa debitum neget: vide infra *lib.* 6. *n.* 940. Si se ingerat administrationi domus sine iusta causa, qualis est, si v. gr. maritus prodigus bona familiae dilapidet, Sylv. Trull. [13] (Vel si sit incurius, vel minus aptus ad familiam gubernandam. Elbel [14] cum Fill. Gob. et Henno). »

352. Quaer. 1. an uxor nobilis teneatur praestare viro praecipienti officia vilia, v. gr. cibos condire, verrere domum etc. Affirmant Ang. Tiraq. etc. Sed probabilius negant Sanch. [15] Salmant. [16] cum Sylv. Garc. Fag. etc. quia uxor est socia, et ideo non tenetur praestare famulae opera, quae ipsam dedecent. Et si ipsa praestaret, posset sibi compensare, ut aiunt.

(1) De rest. d. 2. q. ult. p. 2. n. 16. (2) C. 17. n. 108. (3) Loc. c. (4) D. 5. q. 1. p. 8. (5) N. 136. (6) De 4. praec. n. 115. (7) L. 2. c. 5. n 24. (8) N. 116. (9) C. 14. n. 20.
(10) T. 28. c. 9. n. 144. (11) Loc. c. n. 145. (12) P. 7. (13) C. 1. d. 4. n. 18. (14) T. 2. conf. 21. (15) De matr. l. 6. d. 6. n. 14. (16) De 4. praec. n. 59.

353. Probabilius valet pactum non mutandi domicilium, nolente uxore, ut Sanch.[1] cum Lop. Pal. etc. contra alios. Sed hoc intelligendum, nisi nova et gravis causa superveniat. Sanch.[2] Salmant.[3] cum Nav. Sylv. Fag. etc.

Quaer. 2. an teneatur mulier sequi virum missum in exilium. Negant Henr. et Bartol. apud Salm.[4] quia non tenetur uxor innocens viri poenam subire. Sed probabilius affirmant Salm.[5] et Sanchez[6] cum aliis; quia tenetur uxor sufferre non poenam, sed infortunium viri. Et idem dicunt Salm. et Pal. si vir alicubi excommunicetur. E converso dicunt Salm. cum eisdem dd. quod si mulier necessitate coacta mutet domicilium, vir comitari eam debet.

354. Quaer. 3. an uxor, mortuo viro, teneatur ex bonis dotalibus solvere debita contracta ad alendam familiam. *Prima* sententia affirmat, si vir erat pauper, dum debita contraxit; secus si locuples: quia pauper non tenebatur alere uxorem, ergo tenetur ipsa solvere quod conversum est in sui utilitatem. Ita Fag. Bart. Lupus et alii apud Sanch.[7]. *Secunda* vero probabilior sententia negat, sive vir fuerit pauper sive locuples; ratio, quia actio creditorum repetendi mutui facti est personalis, scil. tantum contra virum; et licet in viro ratione inopiae suspensa erat obligatio uxorem alendi, non erat tamen extincta; quare si ex mutuo aluit, suum debitum praestavit. Ita Sanch.[8] Salm.[9] cum Mol. Trull. et Bon., qui tamen limitat, si vir contraxerit debita nomine uxoris vel ipsa sciente; vel si vir protestatus sit nolle, stante sua inopia, gratis eam alere. Et quod dictum est hic de alimentis uxoris, dicitur etiam de alimentis filiorum, ut Salm.[10].

355. Quaer. 4. an uxor ad secundas transiens nuptias debeat filiis primi matrimonii reservare quicquid a primo viro accepit, retento tantum usufructu. Affirma[11], si accepit titulo lucrativo, secus tamen, si oneroso, vel si accepit ab extraneo. Et idem dicitur respectu viri de rebus donatis a prima uxore. Sanch.[12] Salm.[13] cum aliis.

356. « 3. Peccat graviter maritus. 1. Si verbis contumeliosis vel infamatoriis afficiat uxorem (Et tale peccatum esset duplicis malitiae, ut Salm.[14]). 2. Si impediat illam circa praecepta Dei, vel ecclesiae sine iusta causa. Sayr.[15] Navar.[16]. Si vero impediat etiam sine causa circa ea bona, quae consilii tantum sunt, ut est confessio, communio, etc. communiter tantum peccat venialiter, nisi constet, quod illa magnam ex iis utilitatem percipiat. Sayr. Fill. Bon.[17] Trull. 3. Si caedat graviter: moderate tamen castigare verbis, vel etiam ex gravi causa moderatis verberibus, habita ratione conditionis et status, quandoque potest (Consentit huic Elbel[18] cum Gob.). 4. Si alimenta neget, nisi tamen uxor a consortio mariti propria culpa discesserit (Vel nisi adulterium commiserit, ut Sanch.[19] Pal.[20] et Croix[21]. Nequit autem vir retinere dotem uxoris adulterae, si discedat ab ea ante sententiam propria auctoritate: quamvis ipse possit uxori repetenti dotem opponere exceptionem adulterii, et petere ut sibi applicetur, prout probabilius dicit Croix[22] cum Abb. et Pal. contra Sanchez). 5. Si negligit gubernationem domus et rem familiarem. 6. Si cum uxore non cohabitet, vel sine iusta causa diu absit. 7. Si, cum possit, alimenta non procuret. V. Fill.[23] Nav.[24] Tol.[25] Sanch.[26] Bon.[27]. »

DUBIUM VI. Quae obligatio parochorum erga suos.

(1) De matrim. l. 1. d. 40. n. 2. (2) N. 25. (3) De 4. praec. n. 61. (4) Ibid. n. 62. (5) Ibid. (6) L. 1. d. 41. n. 11. (7) L. 9. d. 4. n. 5. (8) N. 29. (9) De 4. praec. n. 64. (10) Loc. c. (11) Ex auth. Ex testamento, et auth. In donat. c. de sec. nup. (12) L. 6 d. 41. (13) N. 66.

(14) N. 46. (15) L. 7. c. 7. (16) C. 14. (17) Q. 1. p. 7. (18) Conf. 21. n. 588. (19) De matr. l. 10. d. 8. n. 25. (20) Tr. 28. de spons. d. 3. p. 6. §. 5. (21) L. 3. p. 1. n. 714. (22) N. 716. (23) N. 140. et 141. (24) C. 14. n. 19. (25) L. 5. c. 2. (26) L. 10. de matr. disp. 18. n. 16. (27) P. 7.

parochi teneantur corrigere subditos. Dub. 1. An ad id teneantur ex charitate, vel ex iustitia. Dub. 2. An teneantur inquirere mores subditorum. Dub. 3. An teneantur non deserere oves etiam cum periculo mortis.

357. « Resp. Curatus sive parochus iure divino tenetur 1. residere in sua parochia, Trid. [1] Barb. [2]; alioqui in conscientia fructus non facit suos, tenetur que pro rata absentiae restituere fabricae ecclesiae vel causae piae: potest tamen ex iusta causa et licentia episcopi ad breve tempus abesse. V. Nav. [3] Az. [4] Possev. Barb. Trull. [5] (Quoad residentiam, vide dicenda de benef. *l.* 4. *n.* 121. *et* 123.).

358. » 2. Tenetur administrare sacramenta (Non solum in necessitate extrema, sed etiam gravi, Salm.[6] cum s. Th. et comm. Et ibi addit Bon. teneri parochum etiam inquirere graviter indigentes). Quoties et quanto cum periculo, v. infra et Bon.[7] Possev. Barb.[8]. (Quoad sacramentum poenitentiae, vid. *de poenit. lib.* 6. *n.* 623. *resp.* 2. *et* 3. Quoad eucharistiam autem, tenetur ministrare quoties oves rationabiliter petunt. Vide *de euch. lib.* 6. *num.* 253. *et* 254. Tempore autem pestis probabile est non teneri ministrare eucharistiam cum periculo vitae. *Vide de euchar. eod. lib.* 6. *n.* 233.).

359. » 3. Orare pro populo et celebrare, ut populus audiat missam: quam etiam teneri eum eidem applicare diebus saltem festis et aliquot aliis, docet Tol.[9]. Sed negat Suar. Con.[10] cum nullo iure id cautum sit. Vide Bon.[11] Barb.[12]. »

Nota hic, quod a ss. pontifice Benedicto XIV. in epistola encyclica edita anno 1744. statutum est, quemcumque parochum, sive habentem sive non congruos reditus, teneri omnibus dominicis et festis diebus applicare missam pro populo. Et quamvis concessum sit alicui parocho, si aliter vivere nequeat applicare missam pro eleemosynam praebente in diebus festis; sancitum est tamen ut debeant ipsi in aliis diebus ferialibus missas pro populo supplere. Et quoad vicarios seu oeconomos ecclesiarum vacantium, data est facultas episcopis assignandi eis congruam fructuum portionem, ut pariter possint diebus festis pro populo celebrare. Vid. *lib.* 6. *num.* 323.

360. « 4. Docere populum concionando, arguendo, etc. per se vel per alios. Tol. [13] Possev. Barbos. Trull. [14] (*Vide dicta de* 3. *praecept. num.* 269. Pariter superiores religionum etiam tenentur praedicatione pascere subditos, tanquam eorum pastores, Elb.[15] cum Henno).

» 5. Tenentur singulis diebus dominicis et festis solemnibus populo doctrinam christianam explicare per se vel per alium, ut constat ex Trid. [16]; idque sub gravi obligatione etiam iuris divini, ob summam necessitatem, propter quam eos ab episcopis aliisque praelatis ad id cogi posse sub poena excommunicationis (omnesque alios, ut eam audiant, discant et sciant) docent Trull.[17] Bald.[18] Sanch. Pal. Barb. etc. (Bene autem potest huic obligationi doctrinam christianam explicandi per alium satisfacere. Trull. et Led. ap. Salm. [19].)

» 6. Tenetur infirmos visitare, pauperum curam habere, peccata corrigere, etc. de quibus Poss. Reg. [20] Barb. [21] vide supra. »

Parochi et tanto magis episcopi tenentur sub gravi corrigere oves in peccato mortali vel eius proximo periculo existentes, etiam cum discrimine vitae (et non solum in extrema, sed etiam in earum gravi necessitate, semper ac adest spes emendationis. Ita communiter Bon.[22] cum Val. Mald. et Reg.: item Viva [23] Mazz. [24] Salm. [25] cum Suar. Con. et Trull. Vide etiam dicta *lib.* 2. *num.* 40. Praeterea paro-

(1) Sess. 23. c. 1. de ref. (2) De off. paroch. c. 3. n. 1. (3) C. 5. (4) T. 2. l. 2. c. 4. (5) L. 4. c. 1. d. 8. (6) Tr. 21. de char. c. 6. n 33. (7) Tr. 1. d. 2. q. 3. p. 2. (8) L. c. (9) L. 5. c. 5. (10) In 3. p. q. 83. a. 1. (11) Q. ult. (12) L. c. (13) L. 5. c. 5. (14) L. c. (15) Conf. 21. n. 581.

(16) Sess. 24. c. 4. de ref. (17) L. 1. c. 1. d. 5. n. 7. et 8. (18) T. 2. l. 1. d. 48. (19) Tr. 21. c. 2. n. 55. (20) L. 20. n. 68. (21) C. 7. (22) D. 3. q. 4. p. 4. n. 5. (23) De 4. praec. q. 21. a. 6. n. 12. (24) T. 1. p. 453. (25) Tr. 21. c. 6. n. 33.

chi tenentur cum quocumque incommodo auferre scandala; unde si aliquis subditorum sit incorrigibilis, sed suo pravo exemplo sit aliis occasio ruinae, tenetur parochus tale damnum impedire, saltem episcopum certiorando, non tantum semel, sed quousque scandalum perseverat et spes affulget, ut illi occurri possit[1].

Sed dubitatur 1. an ad id pastores teneantur ex charitate vel iustitia. Suar. et Tapia apud Salm.[2] censent teneri solum ex charitate. Sed probabilius tenentur ex iustitia, ut sentiunt Ronc.[3] Holz.[4] Pal.[5] cum Cai. et Con. Salm. cum Sanch. Val. Dian. et Trull. Ratio, quia ad hoc utique a communitate stipendium pastoribus tribuitur, ut singulorum procurent salutem et proinde vitia corrigant.

Dubitatur 2. An pastores teneantur inquirere mores subditorum. Respondetur affirmative ex communi sententia, ut docent d. Thom.[6] et Salm. cum Laym. Cai. Soto Led. Vill. etc. Ratio, quam tradit d. Thomas, est, quia illi qui specialem obligationem habent incumbendi saluti alicuius certae personae, sicut habent pastores erga singulas suas oves, tenentur non solum corrigere delinquentes, sed etiam prospicere, an obligationi suae satisfaciant. Secus vero dicendum de aliis, qui generalem obligationem habent erga proximos, istis enim sufficit corrigere eos tantum quos lapsos vel in proximo periculo labendi animadverterint.

Dubitatur 3. An episcopi et parochi teneantur non deserere oves etiam cum periculo mortis. Respondetur cum d. Thom.[7] qui sic docet: *Ubi subditorum salus exigit personae pastoris praesentiam, non debet pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale neque propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis*. Sic enim habetur in *Io. c.* 10. et haec verba non solum consilium, sed etiam praeceptum continent, ut recte probant Salm.[8] ex *c. sciscitaris* 7. *q.* 1. ubi clare hoc exprimitur. *Si vero* (subdit s. Th.) *subditorum saluti possit sufficienter per alium provideri, tunc licet vel propter aliquod commodum ecclesiae vel propter personae periculum gregem deserere*. Quaenam autem sint causae excusantes parochos a residentia, vid. *lib.* 4. *n.* 125. Insuper notandum 1. quod episcopus, cum suscipit regimen sui episcopatus, debet (ut praecipit concil. Trid.[9]) rationem exigere a vicario capitulari de omnibus ab eo gestis tempore vacationis. Notandum 2. teneri episcopum ex eodem Trid.[10] quam celeriter potest suam dioecesim visitare; et in visitatione nihil posse accipere, nisi victualia. Ibi sic dicitur: *Episcopi propriam dioecesim per seipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem vicarium, aut visitatorem, si quotannis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen ut tota biennio per se vel per visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant*. Deinde additur: *Studeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem absolvere. Interimque caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint; neve ipsi, aut quisquam suorum procurationis causa pro visitatione, etc. nec pecuniam, nec munus quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant; non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili; exceptis tamen victualibus, quae sibi ac suis frugaliter moderateque pro temporis tantum necessitate et non ultra erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum qui visitan-*

(1) In Hom. Ap. tr. 7. n. 41. inquit: Quum in regione reperiuntur notabiles morum dissolutiones, quibus nullum occurrit remedium, parochus tenetur curare ut missio eo adveniat (Ille parochus qui missionem non curat suspicionem ingerit suorum morum: boni enim parochi non praetermittunt quarto aut quinto quoque anno missionem arcessere).

Et n. 46. Tandem a bonis parochis pendent boni mores et salus populorum. Si in regione bonus parochus adest, ibi videbitur florere devotio, sacramentorum frequentia et bonum exemplum; sin autem parochus erit pravus, tota regio vitiis et scandalis redundabit.

(2) Loc. cit. c. 7. n. [illegible]8.

(3) De char. qu. 4. q. 1.

(4) Eod. tit. n. 192.

(5) Tr. 6. d. 3. p. 7. n. 8.

(6) 2. 2. q. 33. a. 2. ad 5.

(7) 2. 2. q. 185. art. 5.

(8) Tr. 21. c. 2. n. 76.

(9) Sess. 24. c. 16. de ref.

(10) Ibid. c. 3. de ref.

tur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi, certa pecunia taxata, consuetum, an vero praedicta victualia subministrare: salvo item iure conventionum antiquarum cum monasteriis, aliisve piis locis aut ecclesiis non parochialibus inito, quod illaesum permaneat.... Quod si quisquam aliquid amplius.... accipere praesumpserit, is praeter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam poenis etc.

DUBIUM VII. Quae obligatio praeceptorum et discipulorum.

361. « Resp. Inter praeceptores (idem est de paedagogis) et discipulos est quodammodo eadem obligatio quae inter parentes et liberos.

Unde resolves:

» 1. Discipuli peccant 1. Si praeceptoribus et paedagogis non exhibeant honorem et reverentiam. 2. Si non obediant in rebus pertinentibus ad studia et bonos mores. 3. Si eos conviciis vel contumeliosis verbis traducant. 4. Si negligenter studeant; scholarum, aut studiorum tempore lusui vacent vel otio. 5. Si pecunias parentum dilapident vel inutiliter expendant. 6. Si malo fine studeant. 7. Si gymnasii sui leges, vel academiae statuta (si quidem ea ad peccatum obligent) non servent. 8. Si scientias superstitiosas aut vetitas addiscant, vel libros prohibitos legant. 9. Si stipendium debitum doctori suo non solvant, cum possint. V. Nav.[1] Fill.[2].

362. » 2. Magistri et paedagogi peccant 1. Si peccata discipulorum dissimulent et non corrigant, quando possunt. 2. Si profectum eorum in literis non sedulo promoveant. 3. Si non doceant bonos mores. 4. Si ex proposito falsa doceant ut vera, vel superstitiosa et saluti noxia. 5. Si non studeant ipsi ut officio satisfaciant. 6. Si stipendium exigant maius iusto, vel quam gymnasii leges aut consuetudo permittant. 7. Si doctoratus insignia negent dignis, indignis conferant, quod Nav. dicit esse mortale; praesertim in theologia, iure canonico, civili et medicina: nam in philosophia forte veniale tantum esse censet Cai.[3]. 8. Si discipulis malo sint exemplo. 9. Si malis moribus imbutos, et qui aliis perniciosi sunt, ad scholas admittant vel ex iis non dimittant. V. Trull.[4] »

(1) C. 23. et 25. (2) Tr. 28. p. 2. c. 10. q. 1.

TRACTATUS QUARTUS

DE QUINTO ET SEXTO PRAECEPTO

CAP. I. QUID QUINTO PRAECEPTO PROHIBEATUR: NON OCCIDES.

363. *Quae sint poenae mandantium homicidia per assassinos.*
364. *An easdem incurrant ipsi assassini.*
365. *De agitationibus taurorum.*

363. « Prohibetur hominis occisio, mutilatio, verberatio aliaque similis afflictio iniusta, de qua quaeritur, quae et quando sit iniusta. »

Adnotandum hic obiter ex c. *Pro humani, de homicidio, in* 6. quod mandantes occidi christianum per assassinos, sive eos recipientes, defendentes aut occultantes ipso facto incurrunt excommunicationem ac depositionem ab omni dignitate, officio et beneficio. Insuper per *dict. c. Pro humani* tales habentur tanquam banniti, ita ut amittant omnia sua bona, et detur facultas cuilibet eos necandi. Intelligendum hoc tamen est post sententiam declaratoriam, ad quam autem emanandam sufficiunt tantum probabilia argumenta. Ita enim habetur *in fine d. c.*, ubi dicitur: *Et postquam probabilibus constiterit argumentis aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia sententia adversus eum requiratur.* Intellige non requiri aliam sententiam decisoriam; ita Molina Bann. Gom. Farin. et alii apud Salm.[5].

Advertendum vero hic est 1. quod isti post sententiam declaratoriam, ut dictum est supra, ipso facto excommunicationem incurrunt, et privantur dignitatibus et beneficiis, quae ipso iure vacant, ut Azor. et Gonzal. ap. Salmantic.[6]. Advertendum 2. quod solo mandato praedictae poenae incurrun-

(3) Verb. Doctor. (4) L. 4. c. 1. d. 11.
(5) De 5. praec. c. 1. n. 190. (6) Ibid. n. 19?

tur, cum in *d. cap.* dicatur: *Quamquam mors ex hoc forsan non sequatur.* Et ita Mol. Cov. etc. ap. Salm. [1].

364. Dubium tamen est, an etiam assassini incurrant praefatas poenas, cum textus tantum mandantibus eas imponat. *Prima* sententia affirmat, quia assassini proximius ad homicidium concurrunt, unde ex identitate motivi isti etiam comprehenduntur. Tanto magis, quia pontifex ideo expresse ipsos non comprehendit, quia ibi loquebatur de assassinis infidelibus, quibus non poterat poenas imponere. Ita Salm. [2] cum Farinac. Barbos. Gom. et aliis. Notant autem Salm. [3] cum Alciat. Gabr. Farin. etc. non censeri assassinos, nisi qui homicidium patrant cum pacto, ut mandans aliquid temporale eis persolvat. *Secunda* tamen sententia cum Cai. Nav. Suar. Az. Fag. Sylv. etc. ap. Salm. [4] probabilius negat, tum quia poenae non sunt extendendae, tum quia textus loquitur de iis, qui per assassinos infideles occidebant christianos; unde motivum legis formaliter diversum apparet.

365. Notandum hic quod s. Pius v. sub excommunicatione ipso facto prohibuit principibus, ne permitterent agitationes taurorum sive ferarum in foro; et singulis christianis, ne cum illis congrederentur; item clericis, ne talibus spectaculis assisterent. Clemens tamen VIII. postea has poenas abstulit pro regnis tantum Hispaniarum quoad omnes, exceptis religiosis. V. Salm. [5].

DUBIUM I. An aliquando liceat occidere vel mutilare semetipsum.

366. *An liceat directe occidere seipsum, et an indirecte.*
367. *An liceat se exponere periculo mortis ad vitandam mortem duriorem etc. An liceat navim incendere cum periculo mortis.*
368. *An virgo teneatur pati potius mortem, quam violari.*
369. *An liceat reo ex praecepto iudicis se occidere. An haurire venenum ad experiendum antidotum.*
370. *An liceat carthusiano abstinere a carnibus etiam in necessitate extrema.*
371. *An liceat macerationibus vitam sibi minuere.*
372. *An sit obligatio ad servandam vitam uti remediis extraordinariis, vel nimis duris.*
373. *An aliquando liceat se mutilare.*
374. *An liceat pueros castrare.*
375. *An qui occidit seipsum possit sepeliri in loco sacro.*

366. « Resp. Absque divina auctoritate non licet seipsum directe, et ex intentione occidere. Ratio est quia est contra caritatem sui, et fit iniuria reip. et Deo, qui est solus directus, et absolutus dominus humanae vitae. (An occidens seipsum peccet etiam contra iustitiam. Affirmant Salm. [6] cum Lessio Bann. Sed negant [7] Lug. Nav. Fagn. etc.).

» Dixi 1. *absque auctoritate divina*, propter Sampsonem et quosdam martyres, qui seipsos occiderunt vel ex divina inspiratione vel inculpata ignorantia. Dixi 2. *directe*, quia indirecte quandoque licet se occidere, hoc est, aliquid facere vel omittere, ex quo praeter intentionem mors certo sequatur: quia praeceptum conservandi vitam, utpote affirmativum, non semper obligat, sed potest omitti propter bonum finem, necessitatem vel magnam utilitatem. S. Thom. [8]. Vide Fill. *hic* [9] et Becc. [10].

Unde resolves:

» 1. Miles potest, imo tenetur persistere in statione, etsi moraliter certus sit se occidendum; c. Lugo [11]. (Ob magnum bonum commune, vel ob specialem obligationem ex pacto vel officio, quam habet miles, gubernator, episcopus, parochus, licite possunt et tenentur mortem perferre. Elbel [12] Salm. [13]). Item potest ad evertendam turrim hostilem aut perdendos hostes, pulverem incendere, etsi sciat se obruendum; uti et navem mergere vel incendere, ne hostis ea potiatur cum gravi reipub. damno, ut docent Less. [14] Fagund. [15] (Et Salm. [16] cum Bon. Trull. etc.). Similiter licet se obiicere telo vel ictui ad servandam vitam principis, amici ad mortem iniuste damnati vices subire: Lessius [17]; vel in naufragio tabulam cedere, ex Tol. Less. [18] Lopez [19]. (Etiamsi tabu-

(1) D. n. 191. (2) Ibid. n. 188. (3) N. 193.
(4) N. 187. (5) De 5. praec. c. 1. n. 200. et 201.
(6) De 5. praec. c. 1. n. 11. (7) Ibid. n. 110.
(8) 2. 2. q. 64. a. 5. ad 4. (9) Tr. 29. c. 4. q. 5.
(10) 2. 2. t. 3 c. 7. q. 8. (11) D. 10. q. 1.
(12) N. 10. (13) De rest. c. 2. n. 53
(14) L. 2. c. 9. n. 32. (15) T. 1. l. 5. c. 11.
(16) De 5. praec. c. 1. n. 125. (17) L. 2. c. 9. n. 30
(18) Loc. (19) P. 1. c. 95.

la iam sit capta, ut contra Sot. Rodr. etc. docent Sylv. ap. Cont. Tourn.[1] et Salm.[2] cum aliis, quos infra reperies citatos *n.* 971. *v. Hoc* ex d. Th. qui[3] dicit, quod tradere seipsum morti propter amicum, est perfectissimus actus virtutis; unde hunc actum magis appetit virtuosus quam vitam propriam corporalem. Recte autem advertit Sylvius, eum non posse, ad tabulam cedendam, se proiicere in mare, quia nemo potest positive se occidere [4]. Hinc neque ad baptizandum puerum potest quis se in flumen proiicere, ut Cont. Tourn.[5]). Item servire peste infectis, vel ad fugiendum incendium ex alto se praecipitem dare cum certo periculo mortis. Less. et Fill.[6] Lay.[7] card. Lugo[8] (Cum Salm.[9]). Ubi tamen eversionem illam turris et combustionem navis (si quidem nulla sit spes evadendi) timide et nonnisi ex gravissima, v. gr. boni publici, causa, videtur concedere. V. Malderum[10] Dian.[11] Fag.[12].

» 2. Etsi virgini non liceat ad castitatem servandam directe se occidere, licet tamen ei certo periculo mortis se exponere etiam pro sola integritate corporali, licet rationabiliter praesumeret, se non consensuram, quia integritas ista magni aestimatur. Vid. Laym.[13]. »

367. Hinc quaer. 1. an liceat se occidere ad vitandam mortem duriorem. Resp. Directe se occidere nunquam licet; et si homines venerantur aliquos qui hoc fecerunt, dicendum eos fecisse ex divino instinctu. Ita communiter dd., quicquid dixerit s. Hieronymus in *c.* 1. *Io.* relatus in *c.* 21. *caus.* 23. *q.* 5. ubi legitur: *In persecutionibus non licet propria perire manu, absque eo ubi castitas periclitatur*. Verum illud *absque eo* explicari posset, scil. neque excepto casu quo castitas periclitatur, ut explicat Laym. Licet vero se indirecte occidere, puta si quis se eiiciat per fenestram, ut effugiat incendium, praesertim si adsit aliqua spes mortem evadendi; ita cum Bus. ut supra docent Lugo[14] cum Less. Contin. Tourn.[15] et Sporer[16]. Ac Elbel[17] hoc permittit etiam reis detentis in carcere ad evadendam certam sententiam mortis, vel etiam carcerem perpetuum[18].

Quaer. 2. An autem liceat navim incendere cum evidenti periculo vitae, ne illa veniat in manus hostium. Negat Renz.[19] cum Diana ex d. Thom.[20]. Sed affirmat Lugo[21] cum Less. licere, si sit aliqua spes saltem modicissima vitandi mortem, vel etsi mors sit certa, vitari tamen expediat damnum publicum. Dicit autem Mazz.[22] cum Bus. *hic cas.* 2. posse virginem ad servandam castitatem ab invasore, se coniicere in certum periculum vitae, sed non mortem certam: quod non improbabile videtur, cum ob bonum virtutis non dubitent dd. communiter asserere, quod liceat vitam periculo exponere, v. gr. cedere tabulam in naufragio amico naufraganti, ut *n. antec.* 366. dicit Bus. cum Less. Tol. et Salm. cum aliis. Tanto magis, quia in casu praedicto stupri semper adest periculum consensus.

368. Sed hic magis urget quaest. 3. an virgo teneatur potius permittere se occidi, quam violari; puta, si invasor minetur ei mortem si copulae non acquiescat. Adest duplex sententia. *Prima*, quam tenent Nav.[23] Sot.[24] item Tol. Lop. et alii ap. Salm.[25] dicunt quod, licet possit, non tenetur tamen femina mortem pati, sed potest tunc permissive se habere, dum accidit copula; modo voluntate positive resistat et consensus pe-

(1) De 1. praec. c. 1. a. 3. sect. 3. (2) De rest. c. 2. n. 34. (3) In 3. d. 29. a. 5. ad 3.
(4) Sylvius ait 2. 2. qu. 26. a. 4. q. 3. concl. 3.: Si iam coepit tabula uti non videtur posse illam relinquere, ita ut seipsum in mare proiiciat, nisi propter periculum natandi absit periculum mortis. Talis enim sui ipsius praecipitatio videtur ad occisionem sui pertinere: etsi non desint qui aliter sentiant. Si vero necdum coepit illa uti, vel coepit quidem, sed cedere potest absque eo quod seipsum in mare praecipitet, potest permittere ut ab altero occupetur.

(5) Loc. c. (6) Loc. c. (7) L. 2. tr. 3. c. 3. n. 4. (8) Disp. 10. sect. 1. (9) N. 33. (10) Tr. 3. c. 1. d. 19. (11) P. 5. tr. 4. r. 26.
(12) P. 5. c. 11. n. 6. et seq. (13) L. 3. tr. 3. p. 3. c. 1. n. 3. (14) D. 10. n. 50. (15) De 5. praecept. a. 1. concl. 2. (16) De 5. praecept. c. 3. n. 24. (17) N. 13. (18) N. 16.
(19) De 5. praec. c. 2. q. 3. (20) 2. 2. q. 64. a. 5. (21) N. 52. (22) De rest. ob homic. c. 1.
(23) Sum. c. 16. n. 1. (24) De iust. l. 5. q. 1. a. 5. (25) De 5. praec. c. 1. n. 127.

riculum absit: quia, ut dicunt, illa permissio non est tunc cooperatio moralis, sed tantum materialis, et ideo ob periculum mortis satis excusatur. *Secunda* sententia, quam tenent Salm.[1] cum Lugo Azor. Bonac. Fill. Pal. etc. docet hoc omnino illicitum esse, quia, cum femina possit copulam impedire, si timore inducta quiescit, sua tunc cooperatio vere moralis et voluntaria fit; in femina enim illa quies in copula reputatur ut actio. Haec ratio tamen non convincit, quia illa quies feminae revera non potest dici actio, dum nullo modo est positiva; ideo prima sententia (speculative loquendo) sua probabilitate carere non videtur. Non tamen negandum secundam sententiam in praxi omnino suadendam esse, saltem ob periculum consensus, quod in illa permissione facile adesse potest.

369. « 3. Reo licet non fugere, imo etiam sponte se sistere iudici plectendum, licet positive seipsum perimere non possit, etiamsi a iudice id ei committatur. V. Less.[2] Lug.[3] contra Vasq.[4].»

Quaer. hic, an possit reus ex praecepto iudicis ipse se occidere. Affirmant Vasq. Bon. Vid. Arag. et Cord. apud Salm.[5]. Si enim, dicunt, posset reus os aperire ut venenum in eo infundatur, sic etiam potest manibus illud haurire, et sic etiam gladio se transfigere. Tunc enim iudex constituit reum carnificem suiipsius, quod probabiliter posse fieri videtur cum Elbel[6] qui citat Haunold. Ills. etc. Verum Salm.[7] cum s. Th. Bus. Suar. Soto Laym. et communius negant, quia occisio sui ipsius, ut intrinsece mala, nec a iudice potest praecipi, nec a reo patrari. Concedunt tamen communiter posse reum scalam ascendere, collum gladio adaptare etc. cum hae actiones tantum remote ad mortem tendant.

Notandum vero cum Salm.[8] Nav. Lop. Salon. etc. graviter utique peccare, qui venenum hauriunt vel a vipera morderi patiuntur ad experiendum antidotum; nisi eis constet ex experimento vel iudicio peritorum nullo probabili periculo mortis se committere; quod approbat Henno. Et idem dicendum de funambulis ludentibus per funem in locis altis cum probabili periculo vitae Salm.[9] cum eisdem et Sylv.

370. « 4. Etsi carthusianus in extrema aegritudine possit servare vitam vescendo carnibus (Etiam in probabili periculo mortis, ut Az. Med. Vict. contra Vasq. Gran. et Salm.[10], qui tamen primam sententiam sat probabilem vocant); idque probabiliter ei tum liceat, atque adeo non peccet, qui inscio praeberet cibos ex carnibus, Sanch. Dian.[11], licite tamen et laudabiliter etiam tum omittit cum certo periculo mortis (Et hoc certum esse censent Salm.[12]), ut contra Vasq. et Gran. docet Dian.[13] ex Victor. Lor. etc., quia rationabiliter negligit vitam pro bono communi ordinis. C. de Lugo[14] contra Azor. et Escob.[15] qui docet, teneri carnibus vesci, si exigit necessitas, ita ut aliter vitam conservare non possit: quod Sanch.[16] cum aliis sex ita distinguit, si necessitas vescendi sit ab intrinseco, v. gr. morbo, ex quo iudicio medicorum convalescere non possit, nisi usu carnium, ait probabilius esse eum non teneri vesci (tametsi licite possit); quia morietur naturaliter ex morbo, cuius ipse non est causa: si vero sit ab extrinseco, v. gr. si ob inopiam aliorum ciborum fame moriendum esset, teneri vesci, quia mors illa, cum sit violenta, ipsi imputaretur (Et hoc merito ut certissimum iudicant Salm.[17]).

371. » 5. Licet carnem vigiliis et inedia moderate affligere: qui autem advertens vitam iis notabiliter minui, nihilominus continuaret, peccaret graviter, ut notat Laym.[18] ex Caiet. Etsi hic multi ob bonam fidem et zelum Deo placendi excusentur. Vide Bon.[19]

(1) Loc. c. n. 128. (2) C. 9. d. 6. (3) D. 10. de iust. sect. 1. n. 38. (4) 1. 2. d. 173. c. 3. (5) De 5. praec. c. 1. n. 118. (6) De homic. n. 9. (7) N. 117. (8) N. 120. (9) Ibid. (10) De leg. c. 2. n. 137. (11) P. 8. [illegible] (12) Loc. c. n. 136. (13) P. 5. d. 4. r. 33. (14) D. 10. n. 53. (15) T. 6. c. 7. (16) P. 2. cons. l. 5. c. 1. d. 38. (17) De rest. c. 2. n. 27. et de leg. loc. c. n. 135. (18) L. 3. tr. 3. p. 3. c. 1. n. 5. (19) D. 2. q. ult. sect. 1. part. 7. n. 9.

Fill.[1] card. Lugo[2] etc. Qui recte notat, aliud esse procurare abbreviationem vitae seu mortem positive sibi afferre: aliud permittere vel periculum eius subire, vel non adhibere media ad avertendam. Prius ait esse illicitum; v. gr. poenitentiis indiscretis carnisque macerationibus vitam notabiliter abbreviare; posterius vero saepe licere. (Ita etiam Lugo[3] Cont. Tourn.[4] et Salm.[5] cum Gran. Vill. Sayr. etc. Si macerationes fiant consilio prudentis praelati vel confessarii, esto vita etiam per 12. annos esset abbrevianda, ut alii ibi dicunt. Et revera, si licebit fabris ferrariis (dicebat abbas Ransè fundator Reformationis trappensis) vitam sibi minuere, laborando quotidie pene in medio ignis, a quo nequit non notabiliter consummari humidum radicale, quo tam indiget vita humana, si licebit studiosis sanitatem labefactare ad scientias addiscendas; si licebit militibus exponere vitam tot aerumnis et periculis mortis; cur non licebit viro religioso austeritates corporales amplecti, ut rebellem carnem in servitutem redigat?) Ideoque non teneri carthusianum carnibus vesci nec aliquem alium uti pretiosa et exquisita medicina ad mortem vitandam; nec secularem, relicto domicilio, quaerere salubriorem aerem extra patriam (Ut Lugo Bonac. Trull. cum Salm.[6]. Sufficit enim uti mediis ordinariis).

372. » 6. Excusantur aegri, qui paulo ante mortem, causa humilitatis vel boni exempli, petunt humi collocari, quia non intendunt vitam abbreviare. Vide Vasquez[7]. Addit Laym.[8] non teneri quemquam mediis extraordinariis et nimis duris, v. gr. abscissione cruris etc. vitam conservare; nisi tamen ea communi bono sit necessaria. (Ita communiter Lugo Sot. Bann. Bon. cum Salm.[9]. Idem docet Tournely[10] cum Sylvio. Addit tamen quod pater, tutor aut alius superior potest iubere abscindi membrum subditi, si hic moderatos dolores tantum sit passurus, contra Henn.). Vide Less.[11] Sanch.[12]. Qui dicit infirmum in periculo mortis, si sit spes salutis, non posse medicamina respuere. Non videtur tamen virgo aegrotans (per se loquendo) teneri subire manus medici vel chirurgi, quando id ei gravissimum est, et magis quam mortem ipsam horret. Esc.[13] ex Turrian.[14]. (Ita Salm.[15] cum Less. Sanchez Dian. etc. Posset tamen virgo permittere tangi; imo teneretur sinere, ut ab alia foemina curetur, ut recte ait Diana).

373. » Resp. 2. Non licet se mutilare nisi sit necessarium ad conservationem corporis totius, quia nemo est suorum membrorum absolute dominus. Less.[16]. »

Unde resolves:

» 1. Non licet se castrare ad conservandam castitatem, vel sedandas tentationes, quia hoc ad eum finem non est necessarium. S. Th.[17] Less. Mol. Fill.[18] etc.

» Peccant parentes, qui filios etiam consentientes castrant ut sint utiles cantui. Vid. Laym.[19]. »

374. Quaeritur an liceat pueros castrare ad vocem in eis conservandam. *Prima* sententia probabilior[20] negat cum Busemb. hic, Spor.[21] et Salmantic.[22] Lugo Bonac. Dian. Villal. etc. Si enim, dicunt, pro bono animae id non licet, quanto minus pro lucro temporali? Deinde aiunt, quod conservatio vocis non est bonum tanti momenti, ut liceat agere quod natura reprobat. *Secunda* tamen sententia, quam tenent Tambur.[23] Trull. Salon. Pasqual. ap. Salm.[24] et probabilem putant Mazz.[25] Elbel[26] (qui insinuandum censet ob praxim toleratam) affirmat licere, mo-

(1) Loc. c. (2) De iust. d. 10. sect. 1. n. 32. 33. et 36. (3) De iust. d. 10. n. 32. (4) De 5. praec. a. 1. q. 3. r. 2. (5) De rest. c. 2. n. 30. (6) Ibid. n. 26. (7) Loc. c. (8) Ibid. n. 4. (9) Ibid. n. 30. (10) Loc. c. concl. 2. (11) Loc. c. (12) In op. t. 1. l. 5. c. 1. d. 34. (13) E. 7. c. 3. (14) Sum. p. 1. c. 263. d. 5. (15) De rest. c. 2. n. 28. (16) L. 2. c. 9. d. 14. (17) 2. 2. q. 65. a. 1. (18) T. 29. c. 4. q. 3. (19) Ibid. n. 2. (20) In Hom. Ap. tr. 8. n. 3. hanc sententiam negantem non dicit probabiliorem sed communiorem. (21) De 5. praec. c. 3. n. 32. (22) De rest. c. 2. n. 45. et de 5. praec. n. 121. in fine. (23) L. 6. c. 2. §. 3. n. 4. (24) De rest. dict. n. 45. (25) De rest. q. 3. c. 1. §. 1. (26) N. 29.

do absit morale periculum vitae, et non fiat pueris invitis. Ratio istorum est, tum quia eunuchi utiles sunt bono communi ad divinas laudes in ecclesiis suavius canendas; tum quia conservatio vocis non parvi quidem momenti in eis dicendum est bonum, cum per illud conditionem notabiliter in melius mutent, et per totam vitam nobilem et pinguem sustentationem sibi comparent; et ideo tantum bonum iusta esse causa videtur, ut cum illo tale corporis nocumentum resarciri licite possit; tanto magis, quod hoc in dies in usum deducitur et ab ecclesia toleratur, ut ait Elbel.

375. « Quaeres, an sepeliendus sit in loco sacro, qui seipsum occidit.

» Resp. Id vetant ecclesiae canones, qui tamen non sunt intelligendi de iis qui ex furore, amentia vel passione gravissimae tristitiae, turbata phantasia, id facerent, vel qui ante mortem vere de hoc doluerunt. Quod si constet, quempiam se ipsum occidisse et dubitetur, utrum deliberate, an ex animo turbato factum, in praxi privatur sacra sepultura, cum praesumatur secundum opus externum voluntarie esse factum: nisi tamen ex circumstantiis contrarium colligatur. Si vero dubitetur a seipso, an ab alio, v. gr. si praecipitatus in aquam; delictum tam atrox et contra naturam non praesumitur sine evidentibus indiciis. Molin.[1] Vide Laym. [2]. Vide etiam Escob. [3] qui dicit, eum, qui moritur ex vulnere in duello accepto, si vivus ex loco discessit, non esse privandum sepultura ecclesiastica. »

DUBIUM II. An et quomodo liceat occidere malefactorem.

« Resp. Extra causam necessariae defensionis, de quo infra, nulli id licet nisi auctoritate publica et iuris ordine servato, ut patet Exod. c. 22. *et* Rom. c. 13. [4].

Unde resolves:

376. « 1. Non licet marito uxorem, aut patri filiam occidere in adulterio deprehensas: quia ad id non habent auctoritatem publicam; et leges civiles id permittentes in iure canonico sunt correctae, tanquam iniquae (Hinc damnata est opinio contraria ab Alex. VII. *propos.* 19.). Secus est de proscriptis, quos occidendi cuivis auctoritas publica datur; idque non iniuste, cum ad reip. defensionem sit necessarium (Modo occisio non fiat extra territorium proscribentis: nisi praesumatur licentia alterius principis. Salm. [5]. Vide *n.* 380. *vers. Decius*). Peccant tamen qui non ex zelo iustitiae, sed odio aut privatae vindictae causa faciunt. V. Laym. [6].

377. » 2. Peccat princeps vel magistratus (regulariter loquendo) ut v. infra *l.* 4. *n.* 193. qui occidi iubet reos non citatos vel non auditos vel non damnatos, etsi privata scientia constet esse nocentes; quia ex iure naturae actus publicus fieri debet ex scientia et auctoritate publica. V. Cai. [7] Fill. [8] Bonac. [9]. Vide et infra *l.* 4. *n.* 192. (Excipe 1. si crimen sit notorium. 2. Si esset periculum seditionis aut esset dedecus regis, si iuridice procederetur. Salm. [10]). »

378. Notandum hic 1. clericis, etsi laicalem potestatem habentibus, illicitum esse reos poena mortis damnare [11]. In hoc tamen potest papa dispensare, ut Salm.[12] cum s. Th. etc. Et ipsi episcopi vel similes habentes dominium temporale loci alicuius, possunt licite committere laicis potestatem suam ad causam sanguinis. Salm. [13] cum s. Th. Bonac. Trull. etc. Vide dicenda *l.* 7. *num.* 468.

379. Notandum 2. quod iudex tene-

(1) Tr. 3. disp. 20. n. 11. (2) Ibid. n. 8. (3) E. 7. q. 8. (4) Vide Hom. Ap. tr. 8. n. 13. (5) De 5. praec. c. 1. n. 19. (6) Ibid. c. 2. n. 2. (7) V. Homicidium. (8) Tr. 29. c. 2. q. 6. n. 27.

(9) Loc. c. p. 1. n. 7. (10) Ibid. n. 18. (11) Ex c. Continentia 4. tit. 25. lib. 5. de cler. percussore. (12) De 5. praec. c. 1. n. 13. et 14. (13) Ibid. n. 16.

tur sub gravi concedere reo tempus sufficiens ad confessionem, etsi timeretur periculum direptionis. Salm.[1] cum Navarr. Sylv. Trull. etc. Tenetur etiam concedere tempus pro sumptione communionis (nisi tamen grave damnum timeatur); cum reus sit tunc in articulo mortis, in quo praeceptum communionis obligat iure divino; Salmant.[2] cum Suar. Navarr. Lug. etc.; et de hoc adducunt motum proprium s. Pii v. Et tunc etiam non ieiunus reus potest communicare, quia tunc vere est in articulo mortis, ut Salm.[3] cum Nav. Bon. Lugo Suar. etc. Et laudabiliter potest communicare eadem die mortis, modo communio praecedat per horam executionem, ut Sa et Fagund.[4].

Notandum 3. quod si reus nolit peccata confiteri, post adhortationem licite potest occidi a carnifice, quia tunc sua damnatio suae culpae tribuitur. Salm.[5] cum Trull. Bon. Salm. et aliis.

Dubium III. An et quomodo liceat occidere privata auctoritate iniquum aggressorem.

580. *An liceat tueri vitam cum morte invasoris. An autem vetetur reis, et praecise bannitis armis se defendere.*
581. *An liceat viro honorato occidere invasorem sui honoris. An autem id liceat plebeio, vel ecclesiastico, si fugere possit sine periculo vitae. Et quid si contumelia sit iam illata.*
582. Vide plures resolutiones p. *Busembai.*
583. *Quaest. 1. An liceat occidere furem rei magni valoris. Quaest. 2. Quantus debeat esse iste valor. Et quid si valor sit modicus, sed res tollatur cum violentia. Quaest. 3. Quid si fur rem iam abstulerit, et resistat domino volenti eam recuperare.*
584. *Quaest. 4. An liceat clericis et religiosis furem interficere. Et utrum tunc incurrant irregularitatem.*
585. *Quaest. 5. An liceat cuique per famulos armis sua defendere.*
586. *Quaest. 6. An liceat occidere invasorem pudicitiae.*
587. *An liceat praevenire aggressorem.*
588. *An liceat occidere falsum accusatorem.*
589. *An possis et tenearis tueri vitam innocentis.*
590. *An etiam cum morte invasoris.*
591. *An liceat occidere invasorem honoris, vel pudicitiae alterius. Et quid si foemina consentit.*
592. *An possimus, et teneamur tueri bona proximi, etiam cum occisione furis.*

380. « Resp. Ius naturae permittit, ut vim vi repellas et aggressorem, qui inique eripere tibi conatur vitam aut quae ad eam honeste agendam tibi sunt necessaria, ut bona temporalia, honores, pudicitiam, membrorum integritatem, praevenias et occidas: ita tamen, ut id fiat animo te defendendi et cum moderamine tutelae inculpatae, hoc est, non inferendo maius damnum nec utendo maiore vi, quam necessarium est ad arcendam iniuriam. Ita comm. s. Th.[6] Mol. etc. Less.[7]. (Nota hic errare nuperum auctorem libri, cui titulus *Esposizione della dottrina cristiana*, dicendo quod s. Thom. cum s. Aug. negat licitum esse occidere aggressorem ob defensionem propriae vitae; nam Angelicus expresse oppositum docet[8] inquiens: *Nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatae tutelae praetermittat ad evitandam occisionem alterius.* Addit tantum[9] et explicat doctrinam s. Augustini; et ait: *quod in occidendo non potest intendi mors alterius, sed sola propria defensio*). »

Et cum d. Th. admittit *catech. rom.*[10] ubi dicitur: *Licet etiam salutis suae tuendae causa alterum occidere;* subdens satis apparere, quod huiusmodi homicidium a lege divina non vetatur. Et ita Lugo[11] Less.[12] cum s. Anton. Az. Bon. Sot. etc. communiter, contra Gers. Rich. de s. Vict. Hugon. etc. apud Salm.[13]. Id probat s. Thom.[14] ap. Bus. ex illo Exod.[15] ubi dicitur: *Si effringens fur domum, sive suffodiens inventus fuerit et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.* Hinc subdit s. doctor: *Sed multo magis licitum est defendere propriam vitam, quam propriam domum.* Idem docet s. Bon.[16] s. Anton.[17] Cont. Tourn.[18] cum Estio Sylvio Pontas Natal. Alex. et aliis innumeris cum Salonio, qui vocat oppositam sententiam temerariam cum repugnet communi dd. et pluribus textibus et praesertim in *c.* 3. *et in c. Si-*

(1) C. un. n. 21. (2) Ibid. (3) Ibid. (4) Ibid. n. 22. (5) N. 23. (6) 2. 2. q. 74. a. 7. (7) Dub. 8. n. 44. (8) Loc. c. (9) Resp. ad 1. (10) De 5. praec. n. 8. (11) De iust. d. 10. n. 133.

(12) L. 2. c. 9. d. 8. (13) De 5. praec. c. 1. n. 51 (14) Loc. c. (15) C. 22. v. 2. (16) Serm. 6 de 10. praec. (17) P. 2. t. 7. c. 8. §. 1. (18) De 5. praec. a. 3. sect 2. p. 1.

gnificasti, 8. *de homic. et c. Si vero* 3. *de sent. excomm.* ubi dicitur: *Cum vim vi repellere omnes leges omniaque iura permittant.* Sed dices: qui iniustum invasorem occidit ad suam vitam tuendam, excedit moderamen, praeferendo vitam temporalem propriam aeternae vitae proximi sui. Respondetur cum Cont. Tourn.[1] Less.[2] Soto[3] Petrocor.[4] et aliis communiter, tum nos teneri praeferre bonum altioris ordinis proximi bono inferiori nostro, cum vita ex gr. nostra absolute necessaria est ad salutem spiritualem proximi, ut si infans alias esset decessurus sine baptismo. Secus vero, si ipse invasor ex sua malitia in periculum damnationis se coniicit; tunc enim cum quisquis ius habeat ad vitam suam tuendam, licite vim vi repellit, etiam cum damnatione invasoris. Eademque ratio valet, si timeatur ab invasore vulnus grave, aut deformitatem afferens, ut Salm.[5] et Ronc.[6]. Et eadem ratio currit pro defensione honoris et bonorum fortunae, ut infra. Hinc etiam clericus aut religiosus potest occidere invasorem suae vitae, neque tunc incurrit excommunicationem aut irregularitatem, ut Salm.[7] cum aliis[8] (Vide dicenda *de cens. l.* 7. *n.* 388.). An autem fiat vel ne irregularis clericus adulter, qui ob se defendendum a marito eum occidit: vide *infra hic num.* 398. *v. In ordine:* ubi distinguitur, si invasio praevideatur proxima vel remota. Dixi autem *potest occidere;* nemo enim tenetur aggressorem occidere, sed licite et laudabiliter potest occisionem propriam permittere, ne alter vita temporali et aeterna privetur, ut dicunt communiter Less.[9] cum s. Antonin. Sylv. et Salm.[10] cum Sot. Bann. etc. (contra Abul. et Fagund.) qui non sunt audiendi. Excipiunt 1. Salm. quando vita invasi esset valde utilis bono communi. Excipiunt 2. Less.[11] cum s. Ant. et Salm. cum aliis, quando ipse esset in peccato mortali, quia tunc omnino teneretur se defendere.

« 1. Non licet reo occidere ministros iustitiae, a quibus ad carcerem vel supplicium trahitur (*Vide l. 4. n.* 279.): uti nec licet id proscripto, ut notat ex communi Laym.[12] quia non sunt iniqui aggressores. »

Decius et Carterius apud Tamb.[13] et plures auctores ap. Clarum et Nellum, ut refert Az.[14] tenent licitum esse proscriptis se defendere, quia lex humana auferre nequit ius quod unusquisque habet ad suam vitam tuendam; et probabilem hanc opinionem putat Azor.[15] et idem videtur sentire Tamb.[16]. Sed omnino tenenda est opposita cum Ronc.[17] Croix[18] Salm.[19] Elb.[20] cum Sa et communi. Ratio, quia lex humana bene potest cuilibet tribuere ius necandi reum, et vice versa auferre ipsi ius se defendendi; alias possent rei etiam a carnifice se tueri, quod nullus admittit. Certum est autem licere unicuique proscriptos occidere; non vero alios reos, etiamsi essent publici grassatores, et etiam capite damnati, nisi ipsi vellent tibi rapere magnam quantitatem (iuxta infra dicenda *n.* 383.). Ita Croix[21] et Elb.[22]. Hinc peccant satellites aut milites, qui reum, cuius captio ipsis mandata sit, fugientem aut resistentem interimunt, nisi hoc auctoritate publica eis sit mandatum: id vero tantum fieri potest, si capiendus sit reus sufficienter diffamatus alicuius criminis capitalis, et non possit alio modo capi; et alias, eo dimisso, graviora mala ab ipso timeantur. Ita Croix[23] Elb.[24] et Dian.[25] cum Farinac. et Claro.

381. « 2. Etsi ob contumeliam aliquam, v. gr. si viro honorato dicatur *mentiris*, non liceat alterum occidere, eo quod aliter repelli possit ac soleat (Less. Azor. Hurt. etc. Dian.[26]), licere tamen, si aggressor fustem vel alapam

(1) Loc. c. (2) L. 2. c. 9. n. 51. (3) Q. 1. a. 8. (4) L. 4. c. 3. q. 3. (5) Tr. 10. c. 8. n. 7. (6) De 5. praec. c. 3. q. 1. (7) Loc. c. (8) Ex c. Significasti, et Clem. Si furiosus de hom. (9) N. 55. (10) N. 47. (11) N. 56. (12) L. 3. t. 3. p. 3. c. 2. n. 3. (13) L. 6. c. 1. §. 1. n. 8.

(14) P. 3. c. 1. q. 11. (15) L. c. (16) Ibid. (17) De 5. praec. c. 3. q. 3. (18) L. 3. p. 1. n. 816. (19) Tr. 25. c. 1. n. 19. (20) De homic. n. 35. (21) L. 3. p. 1. n. 796. (22) N. 55. et 56. (23) N. 797. (24) N. 54. (25) P. 8. tr. 7. r. 44. (26) P. 5. t. 4. r. 12. et 13.

viro valde honorato impingere conaretur, quam aliter avertere non posset, docent cum Diana [1] Less. Hurt. et alii 12. (Sed in praxi rarissime uti licet praedicta opinione, nam Sylvius[2] recte sic ait: *Etiamsi honor sit bonum praestantius, quam divitiae, aut nullum aut rarissimum arbitramur esse casum, quo pro defensione solius honoris liceat aggressorem interficere*).

» 3. Si fuste vel solo vulnere vel amputatione brachii vel aliter arcere iniustam vim potest, non licet occidere. Unde si quis sit persona talis, cui non sit dedecus fugere, debet fugere potius, si potest et salvare se (Nisi sit periculum percussionis in fugiendo; et ita tenendum cum Lugo [3] et Salm. [4] cum Tapia etc. contra aliquos [5] qui dicunt improbabiliter, etiam plebeio fugam esse ignominiosam. Unde clerici, et religiosi tenentur fugere, si possint sine periculo vitae, quia ipsis fugere non est probrosum, sed honorificum, ut Lug.[6]. Sed etiam respectu secularium et nobilium sapienter advertit Sylvius [7] dicens: *Etiamsi honor sit bonum praestantius, quam divitiae, aut nullum aut rarissimum arbitramur esse casum, quo pro defensione solius honoris liceat aggressorem interficere*). Secus tamen, si turpe sit fugere, v. gr. viro nobili vel officiali bellico; nisi rursus hic et nunc id tali turpe non esset ob praestantiam invasoris vel alias eius qualitates, v. gr. quia ebrius est vel amens; talem enim occidere non licet, quando potest fugere. Mald. Dian. [8]. Vide Laym. [9].

382. » 4. Non licet occidere furem ob res exiguas. Hinc proscripta est opinio dicens posse occidi furem pro conservatione unius aurei, ab Innocentio XI. prop. 31. Licet autem, si quis auferat honorem valde notabilem aut bona magni momenti; nisi tamen alia via, v. gr. iuris, vel aliter arceri aut recuperari possint. Quare, quando iura significant furem nocturnum occidi impune, non autem diurnum, praesupponunt, quod plerumque nocturni non possint aliter arceri, diurni autem possint. Alioqui enim, si nocturnus potest capi, non debet occidi: et si diurnus non potest capi nec repeti ab eo quod aufert, nisi occidendo, id licet: ea tamen non debent esse parvi momenti, et minimum unius aurei, secundum Molin.[10]. V. Laym.[11]. Vel potius secundum alios apud Dian.[12] duorum: quamquam et hoc Dianae [13] nimis laxum videatur: imo Bon.[14] rem non magni valoris hic censet, etsi sit trium vel quatuor aureorum. Si tamen talem rem fur v. gr. usurpet, vidente ac resistente domino aut custode, aut huic vim faciat, v. gr. repetentem incipiat ferro invadere, permittunt caedem Bon. Dian. [15] (*Sed vide infra n.* 383. *q.* 2. *in fin.*). Ut etiam si dubium sit, an res possit aliter salvari aut recuperari. Bon.[16]; quia nemo, inquit, tenetur se exponere periculo amittendi res suas. V. Laym. [17] Nav. Less. Dian.[18].

» 5. Probabilius est haec etiam licere clericis et religiosis ob bona temporalia. Iura vero in contrarium afferri solita intellige, quando non servatur moderamen inculpatae defensionis. Lay.[19] (Cum aliis infra, *vide n.* 384.) Tann.[20] Escob.[21] qui etiam docet ex Tann.[22] licere virgini occidere invasorem pudicitiae, si violantem nequeat aliter evadere (*Vid. infra n.* 386.).

» 6. Cum tamen iniquus aggressor sit in periculo salutis, potest quis ex caritate ei parcere, et iniuriam potius pati (*Vid. dicta num.* 380.); sed non tenetur eo quod alter sua malitia sit in isto periculo. Laym. [23].

» 7. Non licet occidere, si iniuria iam est contracta, vel aggressor iam fugit; quia id non esset se defendere, sed vindicare: ut docet Tol. Rodr.; sed Henr. et Nav.[24] Fern.[25] dicunt, si laesus magnam faceret iacturam honoris, nisi fugientem mox persequeretur, posse eum

(1) Loc. c. r. 4. (2) In 2. 2. q. 64. a. 7. q. 9. (3) D. 10. n. 166. (4) C. 1. (5) N. 19. (6) Loc. c. (7) In 2. 2. q. 64. a. 7. q. 9. (8) P. 5. tr. 4. r. 9 (9) Ibid. c. 3. n. 2. (11) Ibid. n. 4.

(12) P. 3. t. 4. r. 18. (13) L. c. (14) De rest. (15) Loc. c. (16) Loc. c. (17) Ibid. (18) Loc. c. (19) Ibid. (20) T. 3. d. 4. q. 8. d. 4. (21) E. 7. c. 8. (22) T. 3. d. 4. n. 68. (23) Ib. (24) C. 15. n. 5. (25) P. 1

persequi, et percutere, quantum esset satis ad defensionem honoris (Sed oppositum tenendum omnino cum Lug. [1] Viva [2] cum Sot. Mol. Vasq. et alii communiter ap. Lugo. Ratio, quia tunc non recuperatur honor per se, sed per damnum alterius apud homines improbos, quod est intrinsece malum. Et nequeo intelligere, cur sententia contraria non debeat dici proscripta ex prop. 30. damnata ab Innoc. XI. quae permittebat repercutere percutientem qui fugit, si aliter ignominia vitari nequibat). Concedit tamen c. Lugo Molin. Less. etc. cum Dian. [3] licere furem fugientem, v. gr. cum equo tuo, conficere telo vel sagitta, quia invasio adhuc durat (*V. infra q. 1. in fin.*). Etsi vero id non liceat, postquam in tutum se recepit; si tamen per iudicem non possis recuperare rem tuam, potes ingredi locum, ubi illa detinetur, eamque tibi vindicare, et si alter vi impediat, vim vi repellere. Tan. Less. Mald. Hurt. Dian. [4] (*Vide infra q. 3.*). »

383. Adverte hic quatuor proposit. damnatas: 1. propos. 31. ab Innoc. XI. quae dicebat: *Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei.* 2. prop. 32. *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam ad quae ius inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.* 3. prop. 33. *Licitum est tam haeredi, quam legatario contra iniuste impedientem, ne vel haereditas adeatur vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut et ius habenti in cathedram vel praebendam contra earum possessionem iniuste impedientem.* 4. prop. est 18. ab Alex. VII. damnata: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam iudicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.* His positis quaeritur 1. an liceat occidere furem rei magni momenti. Negat *prima* sententia, quam tenent Gers. [5] et Abul. Abb. Cov. Sylv. et Tamb. apud Salm [6]. Ratio, ut isti dicunt, quia ex praecepto charitatis debemus praeferre vitam proximi rebus temporalibus. Eamque probant ex c. *Suscepimus de homicid.* ubi Pontifex duos damnavit religiosos, quia alter ipsorum interfecit duos latrones, vestes ei eripere conantes, *quoniam* (verba textus) *expediebat potius rerum sustinere iacturam, quam pro conservandis vilibus rebus et transitoriis, tam acriter in alios exardescere. Secunda* tamen probabilissima et communis sententia affirmat; et hanc tenent s. Anton. [7] ex Iac. Aret. et Petro sic tradit: *Nam si possum occidere furem, ubi non cognosco, et non potest ei rebus furatis provideri per iudicem* [8], *multo magis licet occidere, ubi persona aliter salva esse non potest:* Idem docuit s. Antonin. [9] dicens: *Item licita est defensio cum moderamine, non solum pro persona, sed etiam pro rebus; et non solum pro suis, sed etiam pro rebus sibi depositis et commodatis, et etiam pro rebus amicorum et propinquorum suorum eos scilicet adiuvando.* Idem tenet Sylvius [10] inquiens licitum esse occidere aggressorem rerum, *si sint magni momenti, et non possint aliter aut defendi aut recuperari, quam per mortem diripientis.* Idem scribit Dominicus Soto [11]: *Dum quis quempiam aggreditur ut trucidet vel sua eripiat, potest ille vim vi repellendo eum interimere.* Idem tenent Angel. [12] Sylvest. [13] Armilla [14]. Idem docuit olim d. Raymundus [15] sic dicens: *Non possum repellere a possessione, nisi illos occidam, et sic erit licita talis defensio.* Idem docent Sot. [16] Less. [17] Lug. [18] Cai. [19] Croix [20] Elbel [21] Ronc. [22] et Salm. [23] cum Bonac. Suar. Prado etc. et clare adhaeret s. Thom. [24]. Et probatur 1. ex illo Exodi [25], prout retulimus supra *n.* 380.

(1) D. 10. ex n. 189. et seq. (2) In prop. 17. Alexandri VII. n. 9. (3) P. 8. tr. 7. misc. r. 47. (4) P. 5. t. 5. resol. 37. p. 8. t. 7. r. 47. (5) Tr. de euch. (6) De 5. praec. c. 1. n. 80. (7) P. 3. t. 4. c. 3. §. 15. et eod. c. 3. in princ. (8) L. furem, ff. ad l. Cornel. (9) Loc. c. §. 2. (10) In 2. 2. q. 64. a. 7. q. 8. (11) De iust. et iur. l. 5. q. 1. a. 3. (12) V. defensio n. 4.

(13) V. excommunicatio in 6. n. 8. (14) V. defensio. (15) L. 2. de raptu, §. 18. (16) De iust. l. 1. q. 1. a. 8. (17) L. 2. c. 9. d. 11. (18) D. 10. n. 175. (19) 2. 2. q. 64. a. 7. (20) L. 3. p. 1. n. 808. (21) De homic. ex n. 64. (22) De 5. praec. c. 3. q. 5. (23) N. 81. (24) 2. 2. q. 64. a. 7. v. Sed contra. (25) 22. 2.

Ex quo textu s. Thomas [1] infert multo magis licere vitam tueri, dicens: *Sed multo magis licitum est defendere propriam vitam, quam propriam domum:* ergo supponit pro certo textum permittere occidi invasorem bonorum. Nec obstant verba quae post allata verba leguntur in eodem Exodi textu, nimirum: *Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur.* Nam bene respondet Cornelius a Lapide [2] quod id non dicitur ibi, quia post lucem abest periculum mortis, sed quia alto iam meridie fur melius agnosci potest et sic facilius bona recuperari possunt in iudicio; insuper quia orto sole melius potest fur repelli, invocato vicinorum auxilio. Probatur 2. ex c. *Dilecto de sent. exc. in* 6. ubi dicitur: *Licuit utique ipsi decano, si praedictus Ballivus eum bonis suis mundanis iniuriose expoliare praesumpserit... se tueri.* Deinde subditur: *Et quoniam adversus eius nimiam potentiam sufficiens temporalis defensio sibi forte non aderat etc.* Ex quo supponit papa potuisse armis secularibus se defendere, si vires suppetebant. Probatur 3. ratione, quae inter alias mihi potior est eamque tradunt Lugo et Salmant. quia praeceptum caritatis non obligat praeferre bona proximi altioris ordinis, nisi quando (ut supra diximus) proximus est in extrema necessitate; non vero quando ipse sponte se exponit mortis periculo. Et sic omnino eliditur ratio adversariorum; nam alias nec etiam licitum esset occidere iniustum vitae invasorem, quod omnia iura admittunt. Ad textum autem in c. *Suscepimus*, oppositum ut supra, recte respondent Salmant. [3] ibi merito damnatos fuisse religiosos, quia res non erat tanti momenti; nec timor mortis inferendae a latronibus ibi iam vinctis, qui a vinculis se solvere nitebantur, potuit occidentem excusare, cum interim bene valebat fugere, et a periculo se liberare. Hinc dicimus cum Less. [4] Sot. [5] et Salm. [6] cum Bonac. Prado Trull. Dic. Sayr. et aliis communiter, licere furem eminus telo occidere, si ipse rem asportet, et praemonitus de suo periculo eam nolit dimittere, ut bene explicat Bon. [7].

Quaeritur 2. quantus debeat esse valor rei, ut liceat furem interficere. Certum est ad furem occidendum duo requiri: primo, quod res alia via nequeat recuperari; secundo, quod res sit magni momenti, qualis utique non est valor unius aurei, ut habetur ex ipsa propos. damn. 31. Nisi in aliquo casu raro, quo cuidam tale furtum ingens damnum afferat, puta (ut ait Viva [8]) si artifici tollatur instrumentum similis valoris, quo sublato ipse non possit suam suorumque vitam sustentare. Hinc generaliter loquendo dicunt Viva [9] et Elbel [10] illam esse magnam summam, qua ablata, deficeret alicui sustentatio pro se et suis: et idem tenet Natal. Alex. [11]; Salm. vero et Vasq. ac Mol. ap. Lug. [12] aiunt sufficere iacturam illam quae notabile damnum domino afferret, iuxta qualitatem personae; nam, ut bene ait Ronc. [13], furtum decem aureorum, quod alicui grave damnum possit esse, alteri opulento potest esse leve. Ceterum Carden. [14] censet respectu cuiuslibet summam 400. argenteorum (apud nos 40. ducatorum) esse magnam. Et regulariter recte dicunt Salm. [15] sequendam esse sententiam Soti et Arag. (quibus consentiunt Sayr. Bon. et Trull. et oppositum recte reiicit Viva) non licere occisionem pro furto quatuor vel quinque aureorum: necnon bene advertunt Lugo [16] et Salm. [17] tempore Soti quinque aureos sive ducatos pluris aestimari quam nunc decem, quia processu temporis crevit copia pecuniae et rerum pretium. An autem liceat occidere furem auferentem rem modici valoris cum resistentia domini aut custodis illius. Affirmant Molin. [18] Bonac. [19] et videntur adhaerere Lug. [20] Spor. [21] et Viva [22] ac Ronc. [23] (modo, ut isti duo aiunt, resi-

(1) Loc. c. (2) In cit. l. (3) N. 84. (4) Dict. dub. 11. (5) Loc. c. (6) N. 88. (7) P. 10. n. 2. (8) In prop. 17. Alex. VII. n. 10. (9) Loc. c. (10) De homic. n. 65. (11) Theol. de 5. praec. a. 2. prop. 6. (12) D. 10. n. 178. (13) De 5. praec. c. 3. q. 5. (14) Diss. 21. n. 88. (15) N. 87. (16) N. 178. (17) N. 86. (18) Tr. 3. disp. 16. n. 7. (19) P. 10. n. 1. (20) D. 10. n. 178. (21) Tr. 5. c. 2. n. 157. (22) L. c. n. 10. (23) L. c.

stens sit vir nobilis) quia tunc cum illa re honor etiam aufertur. Hanc sententiam Tamb. [1] non reprobat: sed multo magis mihi arridet sententia contraria, quam tenent Salm. [2] et Dian. [3] id non admittentes. Ratio, quia licet talis ablatio fiat cum speciali iniuria domini ratione violentiae; attamen cum non omnis iniuria dehonorationem afferat, hic mihi videtur per illam ablationem non proprie aut graviter honorem laedi, iuxta aestimationem hominum; quis enim graviter dehonoratus aestimabitur, quia fur violenter ab eo rem aliquam arripuerit?

Quaeritur 3. an liceat tibi interimere furem, si rem ablatam adhuc extantem ille in tuto reposuerit et tu velis eam recuperare. Negant s. Antonin. Sot. Bon. Sayr. et alii apud Salm. [4] qui hanc sententiam probabilem putant. Ratio, quia eo casu fur non est invasor, sed tantum iniustus rei detentor, et ideo non licet eum occidere, sed solum apud iudicem accusare; alias enim magna sequeretur reipublicae perturbatio. Sed probabilior mihi videtur sententia affirmans, casu quo non sit spes rem alia via recuperandi. Ratio, quia tunc latro, quamvis non sit invasor personae, adhuc tamen est invasor rei, cum tibi contendat rem tuam recipere. Ita Less. [5] Lugo [6] et Vasq. Tann. Mald. Dian. apud Salm. [7] cum Bus. ut supra *n.* 382. *v.* 7.

384. Quaer. 4. an liceat etiam clericis et religiosis occidere iniustum aggressorem suorum bonorum magni momenti. Affirmant probabilius cum Bus. Lugo [8] Elbel [9] et Salm. cum Less. Bec. et aliis communius. Ratio, quia ius defensionis est de lege naturali, et ideo unicuique competit. An autem hoc casu incurrant irregularitatem. Vide *de irreg. lib.* 7. *n.* 389. ubi probatur sententia negativa.

385. Quaer. 5. an liceat alicui sua defendere armis etiam per famulos. Probabiliter affirmant Spor. [10] et Elb. [11] cum Nav. Lugo Laym. etc. quia id quod aliquis potest facere per se, potest etiam per alium. Hinc infert Elbel [12] unicuique licere ratione caritatis vi repellere alterum iniuste accedentem ad expoliandam domum proximi sui. Et probabiliter consentiunt Salm. [13] cum aliis communiter: sicut etiam dicitur pro defensione honoris et pudicitiae. Vide dicenda *n.* 392.

386. Quaer. 6. an liceat occidere invasorem pudicitiae. Si licitum est hoc ad tuendum honorem et facultates, multo magis dicendum licere pro tuenda pudicitia: quando aliud non suppetit remedium. Ita d. Anton. [14] qui ait: *Et si licet non solum se sed et bona sua defendere, quare etiam ne pudicitiam amittat?* Et ideo dicit non peccare puellam, si vim vi repellendo aggressorem occidit. Ita enim archiepiscopus alibi [15] loquitur: *Quia mulier utitur iure suo naturali, quo licet vim vi repellere; et magis tenetur saluti suae providere, quam alienae; nam exponit se periculo consentiendi actui peccati, permittendo se opprimi, propter difficultatem voluptatis.* Idem docent p. Cunil. [16] Lug. [17] Mol. [18] Less. [19] Anacl. [20] Elb. [21] Spor. [22] Salm. [23] cum Bon. Trull. Fill. et aliis communiter. Et hic bene advertunt Lugo [24] et Ronc. [25] quod non solum licebit puellae, dum actu violenter tangitur ab altero, sed etiam immediate post, eum percutere alapis, pugnis, fuste et etiam ictibus non periculosis. Ratio quia nisi tali modo ipsa suam constantiam et displicentiam ostendat, non facile ille discedet. Hinc semper ac id non fiat ad vindictam, non tantum permittendum, sed etiam mulieri est consulendum, ut alter saltem resipiscat, et alia vice eam non sollicitet.

387. « 8. Licet quoque occidere eum, de quo certo constat, quod de facto paret

(1) Dec. l. 6. c. 1. §. 2. n. 3. (2) N. 85. (3) P. 5. tr. 4. r. 18. (4) D. c. 1. n. 92. (5) C. 9. n. 75. (6) D. 10. n. 181. (7) N. 91. (8) D. 10. n. 175. (9) N. 83. (10) N. 169. (11) N. 66. (12) Ibid. (13) Dict. c. 1. n. 104. (14) P. 2. t. 5. c. 6. in fine. (15) P. 2. t. 7. c. 8. et p. 3. t. 4. c. 3. §. 2. (16) De 5. praec. c. 2. §. 3 (17) N. 195. (18) Tr. 3. disp. 17. n. 10. et 11. (19) L. 2. c. 9. dub. 12. (20) De 5. praec. q. 2. n. 19. (21) De homic. n. 61. (22) Tr. 5. in 5. praec. c. 2. n. 265. (23) De 5. praec. c. un. n. 72. et 96. (24) N. 186. (25) De 5. praec. c. 3. reg. 5. in prax

insidias ad mortem, ut si uxor v. gr. sciat se noctu occidendam a marito, si non potest effugere, licet eum praevenire. Nav. Less. [1] Fill. [2]. »

Quaestio tamen est an liceat praevenire aggressorem. *Prima* sententia negat cum Sylvio Nav. Trull. etc. apud Salm. [3] quia praevenire inimicum, solum paratum ad aggrediendum, non esset vera defensio. *Secunda* tamen sententia affirmat cum Lugo Bann. Vasq. Mol. etc. [4] quia, isti dicunt, ad occidendum invasorem pro sua defensione non est opus ut alter iam incoeperit laedere, sed sufficit si sit paratus ad laedendum.

Attamen Tamburin. [5] et Roncaglia [6] ac Salm. [7] cum Sot. Azor. Cov. Dian. et aliis has sententias conciliant et distinguunt: si quis ex aliqua actione noverit inimicum esse determinatum ad invadendum, puta, si certo moraliter sciat illum iam ad hoc parasse arma vel mandatum dedisse servo; tunc si aliter effugere nequit, licite potest praevenire. Alias *ridiculum esset* (ait Ronc. [8]) *velle cogere eum ad expectandam aggressionem, quando iuste timeret non posse amplius eam repellere.* Secus vero dicendum, si non certo sciat, sed tantum suspicionem, seu dubium timorem habeat de invasione, impium enim est ob dubiam violentiam proximum vita privare. His tamen non obstantibus, censeo secundam sententiam, hac etiam distinctione supposita, vix in praxi posse sequi, propter hallucinationis periculum quod in huiusmodi re adesse potest.

388. « 9. Hinc etiam dicunt alii, ut Sanch. [9] et alii, licere occidere eum qui apud iudicem falsa accusatione aut testimonio etc. id agit, unde certo tibi constat, quod sis occidendus vel mutilandus, vel etiam (quod alii difficilius concedunt) amissurus bona temporalia, honorem etc. quia haec non est invasio, sed iusta defensio; posito quod de alterius iniuria constet, nec sit alius evadendi modus. Less. tamen Fill. et Laym. non audent id defendere, propter periculum magnorum abusuum. Vid. Escob. [10] Hurt. Lugo [11] Dian. [12] (Imo praefata opinio Sanchezii expresse damnata est in prop. 18. proscripta ab Alex. VII.: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam iudicem, a quo iniqua imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare*).

389. » 10. Quandocumque quis iuxta supradicta habet ius alium occidendi, id potest etiam alius pro eo praestare cum id suadeat caritas. Fill. Tann. [13] Mol. [14]. An autem et quando ad hoc teneatur, vid. Less. [15] Dian. [16]. »

390. Dicendum igitur est 1. licitum esse defendere vitam proximi cum occisione iniusti invasoris. Ita Contin. Tourn. [17] cum comm. dd. et s. Th. [18] qui ait: *Vel potest dici quod Moyses occidit aegyptium, defendendo eum qui iniuriam patiebatur, cum moderamine inculpatae tutelae.* Unde Ambros. dicit [19] quod qui non repellit iniuriam a socio cum potest, tam est in vitio, quam ille qui facit: *et inducit exemplum Moysis.* Et hoc currit etsi proximus innocens vellet pati occidi, cum ipse non sit dominus vitae suae: et ideo nequit aliis ius defensionis adimere. Less. [20] Lugo Bon. Dic. et alii communiter cum Salmant. [21]. Sed dices: si invasus cedit iuri suo, quomodo poteris tu ius eius defendere cum morte aggressoris? Respondeo: proximus ille invasus duo iura (ut sic dicam) quodammodo ad vitam suam habet, alterum ad vitam, alterum ad ipsam defendendam: iuri ad vitam non potest quidem cedere, cum non habeat illius dominium; unde non posset alterum inducere ad ipsum occidendum, et quamvis permitteret occidi, occisor semper contra iustitiam peccabit. Iuri vero tuendi suam vitam bene potest cedere, permittendo quod

(1) N. 45. (2) N. 39. (3) De homic. c. un. n. 54. (4) Ibid. n. 55. (5) Dec. l. 6. c. 1. §. 1. n. 15. (6) C. 3. q. 2. (7) N. 56. 57. et 58. (8) L. c. (9) 2. mor. c. 29. (10) Ex. 7. c. 8. (11) D. 10. sect. 7. (12) P. 8. t. 7. r. 52. (13) T. 3. d. 3. q. 4. (14) Tr. 3. disp. 18. (15) Loc. cit. c. 9. d. 13. (16) P. 5. t. 4. res. 6. 14. 20. (17) De 5. praec. a. 3. sect. 2. q. 3. (18) 2. 2. q. 60. a. 6. ad 2. (19) In l. 1. de offic. c. 36. (20) L. 2. c. 6. n. 87. (21) De homic. n 94.

alter occidat, iuxta dicta *n.* 380. Hinc, cum tu occidis aggressorem innocentis, non defendis ius quod ille habet ad se defendendum cui ipse iam cessit; sed defendis ius quod habet ad vitam, cui ille cedere non potest. Nec occidens eo casu irregularitatem incurreres, Salmantic. [1] cum Suar. et Bon. Spor. [2] cum communissima; vide *l.* 7. *n.* 388.

Sed hic quaeritur an sit obligatio defendere vitam innocentis ab invasore. Resp. quod magistratus et principes utique ex iustitia ad hoc tenentur, et quando agitur de bono reip. tenentur etiam cum periculo vitae, utpote latrones publicos de medio tollere etc. Et pariter ad hoc tenentur milites specialiter conducti ad civitatem defendendam: vitam vero privati hominis non tenentur ii cum tanto periculo tueri. Salm. [3] cum Less. Hic autem obiter adverte, quod episcopi et parochi in ordine ad spiritualia tenentur adiuvare singulas suas oves adhuc cum periculo vitae, ut Salm. [4]. Hinc parochi etiam cum periculo vitae tenentur ministrare ovibus sacramentum baptismi aut poenitentiae; non autem eucharistiae, neque tempore pestis, ut tenent Dicast. et alii ap. Salm. [5] quod ipsi probabile putant. *Vid. d. l.* 2. *n.* 27. *v. dic.* 2. et v. infra *de euch. l.* 6. *n.* 233.

Sed dubium maius est an, si innocentem positive nolentem occidi defendere non possis sine occisione invasoris, tenearis, si possis sine periculo tuae vitae, invasorem occidere. Affirmant Salm. [6] cum Nav. Bon. Sa etc. quia, dicunt, ex praecepto divino caritatis quisque tenetur defendere vitam innocentis, cum commode possit. Probabilius tamen negant Less. [7] et Lugo [8] cui adhaeret Tourn. [9] Ratio 1. quia praeceptum caritatis eo casu non obligat, cum praestet evitare tunc mortem aeternam aggressoris, quam mortem temporalem innocentis. Ratio 2. quia in occisione alterius nunquam evitari potest magnum incommodum ob timorem inimicitiarum, publicae iustitiae, etc. Saltem quis non dicet, horrorem inquinandi manus humano sanguine magnum afferre incommodum, ad quod quidem praeceptum caritatis non censetur obligare? Excipe casum quo persona invasa esset persona necessaria ad bonum publicum. Excipit etiam Spor. [10] cum communi, ut asserit, si invasus sit parens, filius, uxor aut frater, quia tunc obligat pietas ad eos tutandos. Recte etiam excipit Cont. Tourn. [11] cum Raynaudo si occidendus sit ebrius et in statu peccati mortalis, quia is est vere in extrema necessitate animae.

391. Dicendum 2. fas esse pariter occidere invasorem pudicitiae vel honoris proximi, si invasio fiat facto, scil. percussione etc. Secus, si tantum per verba (ut dictum est supra *n.* 381.) Ita Lugo [12] Less.[13] et Salm.[14] cum Bon. Fill. Dic. Trull. etc. contra Spor.[15] qui id negat (sed minus probabiliter) esse licitum, nisi persona contumeliis affecta sit coniuncta ut supra, vel princeps aut dominus.

Quando autem foemina consentit vel saltem si positive non resistit, non licet eius pudicitiae invasorem interficere, quia tunc non esset vim vi repellere. Salm. [16]. Si vero foemina sit tibi consanguinitate valde propinqua, dicunt Less. Spor.[17] et cum aliis Salm.[18] quod posses, etiam foemina ad copulam consentiente, eius invasorem occidere, si aliter tuam infamiam evitare nequeas. Haec autem intelligenda ante factum; nam in ipso facto vel post certe non licet occidere, ut patet ex prop. 19. damn. ab Alex. VII. quae dicebat: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Notant etiam Less. [19] et Salm. [20] quod non ideo licebit viro uxorem necare, si ipsa audacter velit adulterari: quia vir potest aliis mediis iniuriam reparare, eam baculo percutiendo vel a-

(1) Ibid. n. 95. (2) De 5. praec. c. 2. n. 179. (3) D. n. 98. (4) Ibid. (5) De euch. c. 9. n. 50. (6) T. 25 c. un. n. 100. (7) L. 2. c. 8. n. 92. (8) Dis. 10. n. 208. (9) L. c. (10) L. c. n. 170.

(11) De praec. char. sect. 4. (12) D. 10. n. 205. (13) C. 9. d. 13. (14) N. 96. (15) N. 169. (16) N. 97 (17) N. 175. (18) Loc. c. (19) L. 2. c. 9. n. 88 (20) Dict. c. 1. n. 97.

dulterum minis abigendo. Adverte hic autem illud quod habetur in *c. Si vero*, 3. *de sententia excommunicationis;* ubi definitur, quod percutiens clericum turpiter agentem cum matre, filia, sorore et uxore, immunis est ab excommunicatione, sed non a culpa.

392. Dicendum 3. nos teneri ex caritate defendere etiam bona proximi, quando commode possumus, aut cum levi nostra iactura, non vero cum gravi. Bon. Trull. Dic. etc. communiter apud Salm.[1]. At si aliquid expendimus pro defensione bonorum alicuius, possumus etiam occulte compensare. DD.[2].

Sed quaeritur, an quis ob tuenda bona proximi magni momenti, possit etiam occidere furem, si oporteat. DD. qui id negant ob defendenda bona propria, tanto magis negant ob defendenda aliena, ut Gers. Sylvest. etc. apud Salm.[3]. Quia, dicunt, caritas magis obligat ad tuendam vitam unius, quam bona alterius. Sed contrarium tenent s. Anton.[4] Less.[5] Lugo[6] et Nav. Mol. Bon. cum Salm.[7]. Ratio, quia vitam proximi praeferre debemus bonis alterius, quando ille est in necessitate involuntaria; non autem quando in necessitate sponte se constituit, ut pluries repetivimus in praesenti *dubio*. An autem liceat expellere foetum pro tuenda vita matris, vide dicenda *dub. seq. num.* 394. *Qu.* 1. *et* 2.

DUBIUM IV. An aliquando liceat occidere innocentem.

393. « Resp. Directa intentione et scienter nunquam licet, nisi Deus omnis vitae dominus concedat: indirecte autem et per accidens aliquando licet utendo nimirum suo iure et dando operam rei licitae et necessariae, ac tanti momenti, ut vitae aequivaleat; s. Th. et doctores communiter.

Unde resolves:

1. « Si tyrannus minetur urbi excidium, nisi innocens occidatur, id non licet directe. Neque valet, sicut membrum licet abscindere pro salute corporis, ita et civem pro republica: quia homo est tantum pars moralis reipublicae, a qua non accipit esse et vivere sicut membrum corporis a corpore, Mol.[8] Less. Fill. etc. (S. Thom.[9] Salmant.[10]).

» 2. Potest tamen respublica eo casu talem cogere ut tyrannum adeat, et si nolit, tradere; cum ex charitate et iustitia legali teneatur vitam exponere pro republica. Unde, si id renuat, fit nocens. Neque hoc erit cooperari eius morti, sed tantum permittere; cum traditio de se sit indifferens et mors tantum sequatur indirecte et praeter intentionem reipubl. Mol.[11] Less.[12] Fill.[13] Laym. etc. (Sotus Aragon. Turrian. etc. cum Salm.[14] dicunt non posse remp. tradere illum invitum, quia cooperaretur ad eius mortem, quod est intrinsece malum. Sed probabilior videtur prima sententia cum Lug.[15] et Busemb. Molin. Less. Fill. ac Laym. ut supra, quia videtur non posse negari, quod eo casu innocens teneatur se tradere, ut concedit idem Sotus; si ergo ille se tradere tenetur, bene potest resp. eum tradere, si ipse culpabiliter recuset: tunc enim non est amplius innocens, ut consentit Cont. Tourn.[16] cum Syl-

(1) De homic. c. un. n. 102. (2) Ibid. (3) N. 79. 90. 103. (4) P. 3. tit. 5. c. 3. §. 15. (5) L. 2. c. 9. n. 88. (6) D. 30. n. 202. (7) N. 104. (8) Tr. 3. disp. 10. (9) 2. 2. q. 64. a. 6.

(10) De rest. c. 2. n. 52. (11) Ibid. (12) L. 2. c. 9. d. 7. (13) T. 29. n. 11. (14) Ibid. n. 57. (15) D. 10. n. 13. (16) De 5. praec. a. 2. sect. 1.

vio Bann. et Salon.). Limitat tamen Lugo[1] si innocens sit subditus vel peregrinus teneatur mori pro republica aliena.

» 3. Si fugere non possis mortem, persequente hoste, nisi per viam angustam, qua quispiam istic sedens esset obterendus, licet nihilominus (dummodo tamen, si infans est, sit baptizatus, ut monet card. Lugo et Escob.[2]) fugere cum eius periculo et interitu, praeter tuam intentionem. Less.[3] Fill.[4] (Salm.[5] cum Prado Vill. Tapia Sanch. Dic. etc.).

» 4. Similiter ad expugnandam urbem et victoriam reportandam, si necessarium sit, licet tormenta in eum locum dirigere, ubi multi sunt innocentes: quia horum mors praeter intentionem sequitur. Less.

» 5. Non licet occidere obsides, etsi qui eos miserunt non servent fidem: quia sunt innocentes. Bonac.[6] Dian.[7] contra Az. etc.

394. » Quaeres quando liceat procurare abortum.

» Resp. Quicumque malitiose in se vel altero procurat abortum peccat graviter, sive foetus sit animatus, quia est verum homicidium, sive non, quia tendit ad occisionem hominis, et est contra naturam generationis; Less.[8]. Si tamen ad vitam matris conservandam omnino sit necessarium, sequentes regulae tenentur: 1. Si foetus mortem matri allaturus sit probabiliter, et necdum sit animatus anima rationali (animari autem communiter aiunt mares die quadragesimo, foemellas vero octogesimo quae res valde incerta est), quidam permittunt, etiam directa intentione expelli, ut Sanch.[9] Henr. etc. contra Less.[10] et alios, quorum sententia in praxi suadenda: quorsum enim directe expellas, cum indirecte liceat et sufficiat? 2. Si vero foetus sit animatus, materque iudicetur moritura cum prole, nisi medicinam sumat; licet eam sumere, et secundum quosdam tenetur, intendendo directe suam tantum sanitatem, etsi indirecte ac consequenter destruatur foetus: quia in pari necessitate mater potest magis prospicere sibi, quam proli. 3. Si vero cum morte matris spes vitae et baptismi prolis effulgeat, tenetur mater secundum plerosque sub mortali abstinere ab omni remedio destructivo prolis, quia tenetur vitam corporalem exponere pro extrema necessitate spirituali infantis. Contrarium tamen docet Lud. Lopez, quod Sa[11] dixit esse probabile. V. Less.[12] Sanchez Fill.[13] Bon.[14]. »

Quaer. igitur 1. An liceat matri in morbo extremo constitutae sumere pharmacum ad expellendum directe foetum inanimatum. Certum est quod expellere foetum, quamvis inanimatum, per se est peccatum mortale, et expellens *de homicidio* tenetur[15] quia, licet vitam homini non adimat, proxime tamen vitam hominis impedit. Contra certum est apud omnes licitum esse remedium praebere praegnanti, directe ad eam curandam, etiam cum periculo abortus, si morbus est mortalis, secus si non esset talis, ut recte advertit Cont. Tournely[16]. Dubium fit, an tunc liceat dare ei pharmacum directe ad foetum expellendum. *Prima* sententia affirmat eamque tenent gravissimi aa. Sanchez[17] Laym.[18] cum Sylv. Nav. etc. item Petroc.[19] Viva[20] Mazz.[21] Habert.[22] et alii. Ratio, tum quia, cum foetus ille sit pars viscerum, non tenetur mater eum servare cum tanto vitae suae discrimine, tum quia mater eo casu potest illum expellere tanquam suae vitae aggressorem, et licet foetus non sit aggressor voluntarius, non tenetur tamen mater negligere suam vitam praesentem ad servandam vitam futuram prolis; maxime quia, pereunte matre, foetus minime animabitur. Huic sententiae favet d. Antonin.[23] dicens: *Si autem puerpe-*

(1) D. 10. de iust. (2) E. 7. c. 8. (3) N. 58. (4) N. 36. (5) De rest. c. 2. n. 64. et 65. (6) T. 2. d. 2. q. ult. sect. 3. p. 7. (7) P. 5. l. 4. r. 25. (8) L. 10. n. 61. (9) L. 9. de matr. d. 20. n. 9. et 10. (10) L. 2. c. 9. d. 16. (11) V. Caritas. (12) L. c. (13) C. 29. q. 1. (14) Tr. 8. a. 3. (15) Ex c. Si aliquis, de homic. (16) De 5. praec. a. 3. sect. 1 (17) De matr. l. 8. d. 20. n. 9. (18) L. 3. tr. 3. p. 3. c. 4. n. 4. (19) T. 2. tr. 2. l. 4. c. 3. q. 1 (20) In prop. 34. Innoc. XI. n. 11. (21) T. 2. p. 470. (22) T. 7. p. 749. (23) P. 3. tit. 7. c. 2. §. 2.

rium nondum est animatum, posset tunc et deberet (medicus) *talem dare medicinam, quia licet impediret animationem talis foetus, non tamen esset causa mortis alicuius hominis: et hoc bonum sequitur, quia liberat matrem a morte.* Recte vero excipit Sanch. [1] (idque asserit ut commune apud omnes, contra paucos aliquos), si dubium adsit an foetus sit vel non animatus, eo quod tunc intrinsece malum est, innocentem positive periculo necis exponere.

Secunda sententia communior docet, licere quidem matri sumere medicamentum directe ad curandum morbum, etsi foetus indirecte expellatur; non vero directe ad foetum expellendum. Ita Less. [2] Lugo [3] Pont. [4] Fill. [5] Cabass. [6] Cont. Tourn. [7] Spor. [8] Carden. [9] Bon. [10] Salm. [11] Croix [12] Holzm. [13] Elb. [14] et alii plurimi. Ratio, quia, si nunquam licitum est expellere semen, etsi ex eius abundantia mors timeatur, tanto minus licebit expellere foetum qui est propinquior vitae humanae. Non valet dicere foetum inanimatum esse partem matris, nam respondetur foetum non pertinere ad integritatem corporis materni, sed esse inchoative condistinctum individuum humanum. Excipe, ut bene advertunt Spor. [15] et Holzm. [16] si foetus esset corruptus, quia tunc non est iam foetus, sed massa putrida quae amplius non est capax animationis.

Utraque sententia est probabilis, sed secundam tanquam tutiorem censeo in casu nostro omnino amplectendam, cum prima nihil ad praxim possit deservire, et frustra videntur circa eam dd. desudare; ad quid enim (bene ait noster p. Bus.) velle sumere pharmacum directe ad expellendum foetum, cum possit et sufficiat indirecte expelli? In duobus dumtaxat casibus posset prima sententia in praxim deduci; primus casus esset si mater alias parturiendo experta fuisset periculum mortis. At propter hoc non licet foetum expellere, ut cum communi docent Sanch. [17] Petrocor. [18] Az. [19] contra aliquos. Ratio quia foetus eo casu non est aggressor praesens, cum periculum multum sit distans, et poterit mater ex alia causa interim obire. Idque confirmatur ex alia doctrina communi quam tradunt s. Thom. Nav. Cai. et alii apud Sanch. [20] scil. nunquam licitum esse matri ob quodcumque periculum sumere potionem ad conceptionem impediendam. Secundus casus esse posset, quando mater, nisi foetum expelleret, periculum occisionis a coniunctis, vel suae famae subiret; sed hoc certe est illicitum ex prop. 34. Innoc. XI. quae dicebat: *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.* Ratio, quia aliud est quod foetus sit aggressor per se et ab intrinseco; aliud quod per accidens et ab extrinseco: potest enim quisque occidere aggressorem ne ab illo occidatur; nequit tamen occidere alterum ne occidatur ab hoste.

Dicunt vero Sanch. [21] et Viva [22] quod mulier vi oppressa a viro posset incontinenter semen receptum expellere, tanquam sui honoris aggressorem, ad infamiam vitandam: pariter ac licet viro nobili occidere invasorem actu volentem eum fuste percutere (ut diximus supra *n.* 381.) quamvis hoc non liceat post percussionem impactam. Sed huic opinioni acquiescere nequeo; nam si mulier posset tunc expellere semen tanquam aggressorem sui honoris, posset etiam postea; quod ipsimet aa. non concedunt. Nec valet dicere cum Sanchez licitum esse mulieri eo casu continuo semen expellere, quia tunc semen non est adhuc in pacifica possessione uteri; nam ut bene docet Pont. [23] statim ac vir semen effundit, feminae matrix illud recipit et clauditur. Et hoc negari non potest ab ipso Sanch. [24] cum Salmanti-

(1) N. 7. (2) L. 2. c. 9. n. 61. (3) De iust. d. 10. n. 131. (4) De matr. l. 10. c. 13. n. 2. (5) T. 2. tr. 29. c. 6. n. 140. (6) L. 5. c. 20. n. 8. (7) Loc. cit. (8) De matr. c. 4. n. 704. (9) Diss. 22. n. 60. (10) De rest. d. 2. p. 7, n. 3. (11) De rest. c. 2. n. 62. (12) L. 3. p. 1. n. 826. (13) De 5. praec. c. 1. n. 579. (14) De matr. n. 464. (15) N. 506. (16) Loc. c. (17) L. c. n. 10. (18) D. q. 1. (19) C. 4. q. 2. (20) N. 2. ex c. Aliquando 22. q. 2. (21) De matr. l. 2. d. 22. n. 17. (22) Dict. prop. 34. n. 17. (23) De matr. l. 10. c. 3. n. 1. (24) De matr. c. 13. n. 75

cens.[1] Sporer[2] et aliis comm. (vide *de matr. l.* 6. *n.* 917.) qui dicunt non peccare mortaliter uxorem quae reddit debitum, ipsa incuba; ideo quidem, quia (ut mox dictum est) matrix mulieris clauditur statim ac semen excipit; alias illud statim effunderetur et frustraretur, et idcirco esset procul dubio peccatum mortale; hinc recte dicunt Salmant. [3] quod non peccaret uxor, si ex aliqua iusta causa se erigeret continuo post receptum semen, nisi hoc faceret pravo animo illud disperdendi, ut dicit etiam Sanch.[4]. Bene autem admittimus id quod dicit Sanchez [5], nempe quod mulier vi oppressa licite potest se vertere et coitum interrumpere, quamvis semen viri esset effundendum; quia hoc per accidens et ob solam malitiam viri eveniret. Unde bene concludit Croix [6] cum Carden. esse quidem licitum feminae invasae repellere semen, ne immittatur; non autem eiicere, si iam sit immissum. Vide dicenda *de matr. l.* 6. *n.* 954. *v. dub.* 1.

Quaeritur 2. An liceat matri sumere pharmacum directe ad expellendum morbum, si inde timeatur indirecte abortus foetus animati. Respondetur; si remedium directe tendat ad occisionem foetus, ut esset dilaceratio uteri, percussio ventris, etc. haec quidem nunquam licent. Si autem tendat directe ad servandam vitam matris, ut esset purgatio corporis, scissio venae, balneum, etc. haec certe licita sunt, quando aliter certo moraliter iudicatur mater cum prole moritura. Ita Habert [7] et Cont. Tourn. [8] cum communi. Sed quaestio est an liceat matri sumere medicamentum, quando dubitatur, an pereunte matre, proles possit supervivere et baptizari. Affirmant Holz. [9] Salm. [10] cum Prado; quia (ut dicunt) obligatio mortem perferendi, ad procurandam vitam aeternam proximi in extrema necessitate constituti, tunc solum adest quando constat, iacturam temporalis vitae esse absolute necessariam ad vitam spiritualem alterius (ut etiam Sot. et alii apud Salm. generaliter loquendo); non autem quando salus spiritualis proximi est incerta, prout in casu nostro de ea multipliciter dubitari potest. Et huic opinioni videntur favere Sanch. [11] et Ronc. [12] dicentes tunc solum illicitum esse remedium sumere cum periculo vitae prolis, quando certum, vel saltem probabilius est prolem vivam edendam. Sed huic sententiae non valeo acquiescere: nam sicut quando certa est mors prolis si mater medicinam sumat, et alias est certa mors matris si a medicina abstineat, tenetur utique mater ex ordine caritatis abstinere a medicina, et praeferre suae vitae corporali vitam spiritualem prolis: sic etiam ex eadem caritate tenetur abstinere, quando dubitatur de salute matris et prolis, ut recte ait Tourn.[13] cum Habert. Nisi aequale sit periculum abortus, sive medicina sumatur sive non, quia tunc sine maiori foetus periculo iuste consulitur vitae matris. Et etiamsi mors matris esset moraliter certa, si non sumat remedium, nec etiam tunc auderem ei medicinam permittere, si aliqua rationabilis spes effulgeret, quod mortua matre proles superviveret et baptizari posset; quia nemini licet, ob tuendam suam vitam temporalem, positive exponere proximum in necessitate constitutum periculo mortis aeternae. Secus vero puto dicendum cum Elbel Petroc. [14] et Cont. Tourn. [15] cum Sylvio Hab. Comit. et comm., si nulla spes rationabilis esset de vita prolis post mortem matris, ita ut possit illa deduci ad baptismi gratiam; quia tunc non videtur caritas obligare matrem in extrema necessitate positam vitam suam negligere, a remediis abstinendo, ob exiguam et remotissimam spem vitae prolis. Hinc rationabiliter dicunt Salmant. [16] medicos in hoc casu quoad pharmaca praestanda matribus non esse scrupulose angendos, eo quod probabilissimum est id quod dicunt iidem

(1) De matr. c. 15. n. 75. (2) De matr. c. 2. n. 493. (3) Loc. c. n. 75. (4) L. 9. d. 20. n. 3. (5) L. 2. d. 22. n. 17. (6) L. 3. p. 1. n. 824. (7) T. 7. p. 748. (8) Loc. c. r. 4. (9) De 5. praec. c. 1. n. 79. (10) De rest. c. 2. n. 66. (11) De matr. l. 9. d. 20. n. 17. (12) De 5. praec. c. 2 q. 3. (13) Loc. c. c ncl. 2. r. 5. (14) T. 2. d. 4 tr. 2. c. 3. q. 2. (15) Loc. c. r. 3. (16) N. 65.

Salm. ac Sanch.[1] Lugo[2] Ronc.[3] rarissimum esse casum et moraliter impossibilem, ut pene miraculum sit, quod pereunte matre proles supervivat, ut baptismum recipere possit. Idque mihi confirmarunt plures artis medicae periti, quos consului; quia, matre laborante lethali morbo, humores corrumpuntur et inficiunt foetus alimentum[4]. An autem mater teneatur pati incisionem ventris, ut proles baptizetur. V. dicenda *lib.* 6. *n.* 106. *v. Omnino.*

Quaer. 3. Quandonam censeatur proles anima informata. Damnata fuit prop. 35. ab Innoc. XI. quae dicebat: *Videtur probabile omnem foetum quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.* E converso male dixerunt aliqui foetum in primo instanti quo concipitur, animari, quia foetus certe non animatur antequam sit formatus, ut colligitur ex s. script.[5] ubi iuxta versionem LXX. dicitur: *Qui percusserit mulierem praegnantem et illa abortum fecerit, si foetus erat formatus, dabit animam pro anima, si nondum erat formatus, mulctabitur pecunia.* Certum est itaque foetum non statim animari: hinc Less.[6] censet ex Hippocrate masculum ad summum animari die 30. vel 35. vel 40. vel 45.; feminam vero die 35. vel 40. vel 45. aut 50. Et idem sentiunt Lugo[7] et Bonac. ac Fill. apud Salm.[8]. Attamen Bus. ut supra *n.* 394. Elbel[9] et Salm. cum s. Th. Azor. Sylvest. et communi, ut fatetur idem p. Holzm. dicunt masculum formari et animari spatio 40. dierum, feminam autem 80. Et hanc sententiam sequi forum externum quoad poenas homicidis inferendas, testatur Anacl. etc. apud Elb.[10]. Imo s. Th.[11] sic ait: *Maris conceptio non perficitur, nisi usque ad* 40. *diem, ut philosophus in* IX. *de animalibus dicit: feminae autem usque ad* 90. *Sed in compositione corporis masculi videtur Augustinus superaddere sex dies.* Verum Cont. Tournely[12] dicit in hoc magis adhaerendum Glossae et theologis, qui fere cuncti (ut ait) censent mares die 40. animari, et die 80. foeminas: et hanc opinionem sequitur s. poenitentiaria, cum agitur de irregularitate et poenis, ut ex Nav. tradit Sylvius[13].

395. Quaer. 4. Quibus poenis subiiciantur procurantes abortum? Sixtus V. anno 1588. bullam edidit, quae incipit *Effraenatam*[14], in qua omnes *scienter* procurantes abortum foetus sive animati sive inanimati, et quocumque modo in hoc consentientes vel praebentes mulieribus venena sterilitatis, subiecit cunctis poenis, quae debentur homicidis de iure civili et canonico, ut sunt privatio omnis privilegii clericalis, dignitatis, aut beneficii ecclesiastici, necnon inhabilitas ad ea in posterum obtinenda: insuper praesertim imposuit eis irregularitatem, et excommunicationem, ipso facto (effectu secuto) incurrendas, quarum dispensationem, et absolutionem romano pontifici reservavit. Attamen Gregorius XIV. in bulla, *Sedes apostolica*, edita ann. 1591. abstulit irregularitatem et excommunicationem pro abortu foetus inanimati; reliquit vero tam irregularitatem, quam excommunicationem papae reservatas pro abortu foetus animati; sed quoad excommunicationem concessit facultatem ab ea absolvendi tam episcopis, quam aliis ab ipsis specialiter ad hos casus deputatis (Hanc facultatem absolvendi habent etiam mendicantes; vide dicenda *lib.* 7. *n.* 99.). Cum autem Sixtus excommunicationem inflixerit tantum *scienter* abortum procurantibus, excusat ab illa ignorantia etiam crassa, ut docent communiter dd. cum Sanch.[15]

(1) D. n. 17. (2) D. 20. n. 135. (3) Dict. q. 3.
(4) Nihilominus est qui mihi testatur non semel accidisse, quod ob peritiam chirurgorum, statim ac mater spiritum exhalaverit, inciso matris utero, proles viva extracta fuerit et baptizata. H. A. tr. 8. n. 26.

Editor Mechliniensis: Constat iam plurimum infantes post mortem matris sectione caesarea feliciter salvari et ad baptismum perduci. Constat pariter animationem prolis multo citius ac 40. vel 80. die fieri: sunt recentiores doctores qui dicunt, foetum prima aut primis a conceptione diebus animari.

(5) Exod. 21. (6) L. 2. c. 9. n. 65. (7) D. 10. n. 133. (8) C. 2. n. 59. (9) De matr. n. 470. (10) N. 470. (11) In 3. p. dist. 3. q. 5. a. 2. (12) Loc. c. q. 1. (13) 2. 2. q. 64. a. 7. p. 419. in fin. (14) Bullar. t. 5. pag. mihi 25. (15) De matr. l. 5. d. 32.

et aliis, ut dicetur *lib.* 7. *n.* 47. An autem excuset ignorantia affectata. Vid. *ibid. n.* 48. Et idem videtur dicendum de irregularitate ibi imposita, iuxta probabilem sententiam, quae adducetur *eod. lib.* 7. *n.* 351.

Quaer. 5. An incurrant excommunicationem mulieres praegnantes quae abortum sibi procurant. *Prima* sententia communissima affirmat cum Viva [1] Bon. [2] qui dicit hanc esse usu receptam, et Sporer [3] cum Fill. Dic. qui eam tenet ut certam. Rationes sententiae huius mox referentur in expositione secundae sententiae subsequentis.

Secunda autem sententia valde probabilis et attenta ratione intrinseca probabilior, negat cum Avila [4] Lezana [5] Salmanticens. [6] cum Naldo et Alphons. de Leone: eamdemque tenet Lugo [7] (ait tamen hic standum esse usui communi, si iste aliter bullam explicuit), et non improbabilem vocat, imo enixe tuetur Ronc. [8]. Tota huius dubii resolutio pendet ex verbis bullae *Effraenatam*, in praecedenti quaest. 4. enunciatae Sixti v. in qua praedicta excommunicatio inflicta est contra procurantes abortum. Dicunt dd. contrarii, in fulminatione excommunicationis praefatae satis expresse comprehendi etiam praegnantes, quia in §. 1. bullae dicitur: *Ac etiam praegnantes ipsas mulieres, quae scienter praemissa fecerint*. Item in §. 5. pontifex loquens de venenatis potionibus sterilitatis, inquit: *Ac mulieres ipsas, quae eadem pocula sponte ac scienter sumpserint*. Sed respondetur in utroque paragrapho pontificem patenter loqui (ut sedulo in bulla observavi) tantum de poenis temporalibus contra homicidas statutis; nam cum deinde papa gradum facere voluit ad poenas spirituales, praesertim ad praefatam excommunicationem infligendam, in §. 7. sic subdit; *Insuper, ut immanissimi huius delicti gravitati non solum temporalibus, verum etiam spiritualibus poenis prospiciamus et consulamus, omnes et singulos cuiuscumque gradus, status etc. qui vel quae uti principales vel ut sociae ad tale facinus committendum, opem, consilium, favorem, potionem vel alia medicamenta scienter dederint etc.* Loquendo hic igitur pontifex de poenis spiritualibus, non nominat mulieres praegnantes, sed tantum eos vel eas, *qui vel quae dant opem, consilium etc.* Instant adversarii et dicunt saltem in hoc §. 7. comprehendi praegnantes, cum ibi dicatur: *Qui vel quae uti principales vel ut sociae ad tale facinus committendum etc.* Sed rursus respondetur hic sub nomine *principales* non quidem intelligi ipsas praegnantes, sed principales cooperatores, qui opem vel consilium aut medicamenta praebent, ad distinctionem sociarum, quae ad abortum mediate concurrunt. Et revera nullo modo hic intelligi possunt praegnantes; nam alias pontifex non dixisset, *qui vel quae etc.* Quomodo enim masculi possunt medicamentum sumere ad procurandum abortum mulierum? Ratio autem, cur papa exemisse praesumitur praegnantes ab hac excommunicatione, verosimiliter opinantur Lugo et Salm. cum aliis *ut supra*, quia forte compassus est infirmitati foeminarum, quae dum impulsae a vehementi timore damni obventuri haec medicamenta sumunt, et dum a tanto facinore non abhorrent, facile etiam excommunicationem parvi penderent, et ideo pontifex ad vitandum novum animae laqueum et alia pericula, praesertim sacrilegarum confessionum, eas noluit comprehendere. Saltem ait Ronc. [9] cum dubium sit, an haec excommunicatio lata sit etiam contra praegnantes, valde probabiliter ipsae ab ea excusantur, iuxta ea quae dicemus *l.* 7. *de censur. n.* 67.

396. Quaer. 6. An procurantes abortum irregularitatem incurrant, in dubio an foetus sit vel ne animatus. *Prima* sententia affirmat, quam tenent Salm. [10] Viva [11] cum Sanch. Mol. etc.

(1) In prop. 34. Innoc. xi. n. 18. (2) De rest. d. 2. q. ult. sect. 1. p. 7. n. 6. (3) De matr. c. 4. n. 718. (4) De cens. p. 2. c. 5. d. 3. dub. 12. (5) T. 3. v. Abortus, n. 11. (6) De rest. c. 2. n. 70.

(7) Resp. mor. dub. 4. n. 4. (8) De 5. praec. c. 2. q. 6. (9) Loc. cit. (10) De censur. c. 7. n. 15. et de rest. c. 1. n. 59. (11) In prop. 34. damn. ab. Innoc. 11. n. 18.

apud Elbel[1]. Ratio, tum quia in omni homicidio dubio incurritur irregularitas[2], tum quia in dubio foetus praesumitur masculinus. Hinc dicunt, quod procurans abortum post 40. dies, habendus est ut irregularis; sic enim aiunt Fill. et alii apud Tamb.[3] iudicari in foro externo et sic etiam servari in s. poenitentiaria.

Secunda tamen verior sententia negat, eamque tenent Tamb.[4] cum Praepos. et Giballin.; item Moya[5] cum Pell. March. Leand. et Verde, Elbel[6] cum Spor. Diana Bardi et aliis; et idem sentit doctus auctor neotericus libelli, cui titulus *Istruz. per li novelli conf.*[7]. Ratio convincens, quia irregularitas non incurritur, nisi expressa sit in iure[8]. (Vide dicenda *lib.* 7. *num.* 345.). In hoc autem casu irregularitas nullibi habetur expressa; nam licet in citatis textibus imposita fuerit irregularitas aliquibus, de quibus dubitabatur, an ipsi fuissent vel ne causa homicidii; homicidium tamen erat certe commissum. At in nostro casu, cum dubia sit animatio foetus, dubia quoque est patratio homicidii; hicque casus nullibi quidem est expressus in iure et ideo procurans abortum non est habendus irregularis. Quid vero dicendum, si dubium esset, an aliquis suo consilio vel opera ad mortem certam foetus iam certe animati cooperatus fuerit? Vide dicenda *lib.* 7. *n.* 371. Nulla autem praesumptio esse potest (ut sine fundamento asserunt Salm.), quod foetus sit masculinus; imo potius praesumi potest foemineus, quia ex frequentiori eventu, ut audivi, amplior est numerus foeminarum, quam masculorum; saltem de hoc utrinque aeque dubium est. Addit non improbabiliter Tamb.[9] quod possessio in hoc casu stat pro priori statu, prius enim foetus est inanimatus, quam animatus; Hinc valde probabile est, ex dictis supra in quaest. 3. non censendum irregularem, saltem in foro interno, qui intra 80 dies a foetus conceptione abortum procuravit. Quod autem hic dicitur de irregularitate, dicendum etiam de excommunicatione, iuxta dicenda *l.* 7. *n.* 67. et de aliis poenis, ut bene ait Elbel[10].

397. Quaer. 7. Quisnam poenas pro abortu commemoratas valeat relaxare? Quoad excommunicationem pro abortu foetus animati, iam diximus ex bulla Gregorii XIV. solos episcopos et alios ab eis specialiter ad hos casus deputatos posse ab ea absolvere. Sed dubium fit, an possint absolvere confessarii, qui generalem facultatem ab ordinario habent absolvendi ab omnibus casibus ipsi reservatis. Negant Salm.[11] Dian.[12] Ronc.[13] et alii, dicentes requiri deputationem specificam ad hunc casum abortus. Idque arguunt ex verbis praefatae bullae Gregor. relatis a Bon.[14] ubi dicitur: *Quilibet presbyter tam secularis quam cuiusvis ordinis regularis, ad Christi fidelium confessiones audiendas, et ad hos casus specialiter per loci ordinarium deputatus, plenam et liberam in foro conscientiae tantum absolvendi habeat facultatem.* Sed valde probabiliter affirmant posse absolvere idem Bon.[15] ac Viva[16] et adhaeret Elb.[17] ac non improbabile putat Spor.[18]. Ratio, quia verba illa, *ad hos casus specialiter deputatus*, non referuntur ad casum abortus, sed ad confessarium; ita ut non potest quidem quicumque confessarius hunc casum absolvere (ut falso opinati sunt aliqui apud Dianam), sed bene potest is quem episcopus specialiter deputat ad hos casus absolvendos, vel speciatim exprimendo casum abortus vel generatim concedendo facultatem absolvendi ab omnibus casibus sibi reservatis. Et recte aiunt Bon. et Viva usum receptum sic interpretasse praefatam concessionem, cum gratiae large interpretentur, et sic ip-

(1) De matr. n. 479. (2) Ex c. Ad audientiam de homic. et c. Significasti. ac c. Petitio eod. tit. (3) L. inf. citando. (4) Dec. l. 1. c. 3. §. 7. v. Irregularitas, et de censur. l. 10. c. 5. n. 18. (5) Tr. 5. q. 6. n. 6. (6) Loc. c. (7) P. 2. c. 18. n. 464. et 465. (8) C. is qui, de sent. exc. in 6. (9) Ib. in dec. (10) L. c. (11) De rest. c. 2. n. 67. (12) P. 7. tr. 5. r. 15. et 19. (13) De 5. praec. c. 2. q. 5. r. 1. (14) T. 3. d. 2. q. 2. p. 10. n. 15. (15) L. c. n. 16. (16) Op. de cens. q. 7. a. 2. n. 7. (17) De matr. n. 471. (18) De matr. c. 4. n. 720.

semet firme testor universe practicari in missionibus, pro quibus, ad hunc casum abortus absolvendum, contenti sunt sacerdotes missionarii, quod episcopi generaliter eis facultatem impertiantur pro cunctis casibus ipsis reservatis.

Pariter praeterea dicit multum probabiliter Elb.[1] ab hac excommunicatione posse etiam absolvere omnes praelatos maiores regularium iurisdictione quasi episcopali gaudentes; sed tantum subditos suos, pro quibus possunt etiam alios deputare. Item addunt Salmant.[2] cum Peyrin. et Pell. Spor.[3] et Elbel[4] (qui asserit in hoc satis communiter dd. convenire), quod omnibus confessariis mendicantibus competit in foro interno facultas ab hac excommunicatione absolvendi, quia pontifex, etsi negavit hanc facultatem confessariis ab episcopo non specialiter deputatis, non censetur tamen eam voluisse denegare confessariis privilegiatis, quibus aliunde concessa est facultas in casus papae reservatos. Caeterum post *prop.* 12. damnatam ab Alexandro VII. certum esse debet (ut consentit idem Elbel[5] et Cabass.[6] quod si alicubi episcopus sibi reservavit casum abortus vel homicidii voluntarii, nullus regularis poterit ab eo absolvere sine episcopi licentia. *Vide dicenda l.* 7. *n.* 99. *in fin.*

Quod ad irregularitatem autem pertinet, per se loquendo, solus papa potest in ea dispensare, non vero episcopi, etiamsi abortus esset occultus; quia in facultate eis concessa a Tridentino[7] expresse est exceptum homicidium voluntarium. Verum quoad alias poenas in bulla Sixti inflictas, scil. privationis beneficiorum et inhabilitatis ad ea; ad privationem requiritur quidem sententia condemnatoria vel saltem declaratoria criminis, cum sit privatio iuris acquisiti, ut diximus *l.* 1. *num.* 148. utque dicit Elbel[8]. Quoad inhabilitatem autem dicimus, eam incurri ante omnem sententiam, iuxta *dicta n.* 148. et ut fusius dicemus *lib.* 6. *n.* 705. (quidquid dicant Sporer[9] et Elbel[10]); quia inhabilitas non privat iure acquisito, sed acquirendo. An vero episcopi possint in hac inhabilitate dispensare. Concedunt Elb.[11] ac Spor.[12] et merito censet non improbabile Roncag.[13] (contra Anacl.). Ratio, quia omnibus poenis a iure generaliter latis et non specialiter papae reservatis possunt episcopi dispensare ut generice loquendo communissime docent ap. Elb. s. Bon. Scot. et alii. Idque colligitur ex *c. Nuper*, 29. *de sent. excomm.* ubi, habito sermone de excommunicatione, dicitur: *Quia tamen conditor canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Et *ibid.* subdit Glossa: *Et hic est argumentum episcopos posse dispensare, ubi specialiter dispensatio non est inhibita, et concessum videtur quod non est prohibitum.* Vid. *dict. l.* 1. *n.* 191. et vide insuper dicenda *l.* 6. *n.* 980.

398. Ultimo oportet hic aliqua addere *de homicidio casuali,* multum scitu necessaria. Dupliciter contingere potest homicidium casuale vel dando operam rei licitae vel rei illicitae. Unde has regulas dat s. Th.[14] dicens: *Secundum iura, si aliquis det operam rei licitae debitam diligentiam adhibens, et ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum.* Et hoc etiamsi (ut ex comm. notant Salm.[15]) homicidium in causa praevisum fuerit. *Si vero* (sequitur s. doctor) *det operam rei illicitae, non evadit homicidii reatum.* Duae igitur sunt regulae quae in hac materia communiter assignantur. 1. Quando quis dat operam rei licitae, et ex ea per accidens sequitur homicidium, iste excusatur, etiamsi illud praeviderit, modo non intenderit et sufficientem diligentiam posuerit ad illud vitandum. 2. Secus vero si dat operam rei illicitae et homicidium praevideat;

(1) Dict. n. 471. (2) Tr. 6. c. 15. n. 52. (3) P. 4. c. 4. n. 721. (4) Ibid. (5) Eod. l. (6) Th. iur. l. 1. c. 11. n. 5. (7) C. 6. sess. 24. (8) Hic n. 478. (9) De matr. c. 6. n. 722.

(10) Loc. cit. (11) De leg. n. 642. et de matr. n. 474. (12) P. 4. c. 4. n. 722. (13) De 5. praec. c. 2. q. 6. (14) 2. 2. q. 64. a. 8. (15) De 5. praec. c. 1. n. 155.

quia tunc, licet illud non intendat, et diligentiam adhibeat ne sequatur, non excusatur. Sed advertendum quod ad imputandum huic homicidium, non sufficit quod opus sit per se illicitum, sed requiritur amplius, quod sit illicitum praecise respectu ad homicidium. Hinc quaeritur quodnam opus dicendum sit proprie illicitum respectu ad homicidium. Omissis diversis sententiis super hoc dubio, recte distinguendum est cum Salm. [1].

Et dicendum 1. quod si opus de se est frequenter periculosum, ita ut ex eo communiter mors accidat; tunc homicidium ei, qui illud ponit, semper imputatur, licet quamcumque diligentiam adhibeat ad damnum praecavendum. Unde rei homicidii sunt qui calce percutiunt mulierem praegnantem vel terrefaciunt, ex quo abortus evenit; parentes suffocantes infantem in lecto; hominem mactantes, iaciendo lapides funda, causa ludendi. Vide Salm. cum aliis [2]. Hinc sancitum fuit [3] irregularem effici, qui mandarit aliquem verberari, licet prohibuerit occidi, si mandatarius occidat.

Dicendum 2. Quod si opus illicitum sit quidem periculosum, sed raro, ita ut raro ex eo mors eveniat; tunc sufficit ad excusandum, si diligentia apponatur ad eam vitandam, saltem in foro conscientiae. Hinc excusatur ab homicidio clericus, qui casu necaret hominem, dans operam venationi ferarum alias ei prohibitae, si diligentiam debitam adhibuerit. Ita Ronc. [4] cum Pal. Bon. Henr. Medin. etc.

Dicendum 3. Quod si opus non sit de se periculosum, quamvis sit illicitum, numquam imputatur homicidium illud exercenti, si casu ex eo mors eveniat. Puta, si clericus tempore interdicti pulsaret campanam et casu tintinnabulum cadens viatorem oppримeret. Item, si ex fornicatione commissa moriatur foemina partu. Adde, si adulter cum discrimine inculpatae tutelae virum adulterae occidat. Ita Less. [5] Salm. [6] cum Suar. Pal. Cor. etc. Hoc tantum certum est in ordine ad restitutionem.

In ordine vero ad irregularitatem, magna est inter dd. controversia, an evadat irregularis adulter qui occidit maritum aggressorem ob inculpatam suae vitae defensionem. Communiter dd. docent, quod si adulter possit fugere et non fugiens occidit maritum, non excusatur ab irregularitate. Ita Salm. [7] et Sporer [8] qui asserit hoc certum esse apud omnes. Ratio (ut recte dicunt Salmant.), quia ipsi fugere in eo casu non est probrosum, et si forte fuga aliquam ignominiam ei irrogaret, tenetur eam pati, cum ipse in tales angustias sua culpa se immiserit. Sed quid, si non posset fugere sine periculo vitae? Adsunt tres sententiae. *Prima* sententia absolute affirmat adhuc irregularitatem incurrere. Ita Navar. [9] et s. Anton. Mol. Gutt. ap. Laym. [10] et probant ex *c. Dilectus*, *de homic.* ubi dicitur, quod dans operam rei illicitae fit irregularis, si mors inde sequatur.

Secunda sententia opposita absolute negat incurrere; et hanc tenent Sylvest. [11] Bon. [12] Less. [13] cum Ban. Med. etc. item Avila Sot. Tab. Leand. Dian. ac Henr. ap. Salm. [14]. Ratio quia homicidium non provenit tunc ex adulterio nisi per accidens; per se autem provenit tantum ex iniusta invasione mariti, cuius vim licite potest adulter vi repellere ad suam vitam tuendam. Dicunt autem praefatum textum in *c. Dilectus* intelligi, quando res illicita cui datur opera est proxime et per se periculosa homicidii, non vero quando est periculosa per accidens et remote, ut esset in hoc casu adulterium, quod esset potius occasio quam causa homicidii, cum ex illo raro homicidium eveniat.

Tertia sententia, quam tenent Suar. [15] Laym. [16] Spor. [17] cum Fill. Roncag. [18]

(1) Loc. c. (2) D. n. 136. (3) In c. fin. de homic. in 6. (4) De cens. c. 3. q. 3. n. 147. (5) L. 2. c. 9. d. 15. n. 13. (6) N. 138. (7) De cens. c. 8. n. 52. (8) De 5. praec. c. 2. n. 181. (9) Man c. 27. n. 238. (10) L. 3. tr. 3. p. 3. c. 10. n. 2. (11) V. Homicidium, 3. q. 4. (12) D. 7. q. 4. (13) L. 2. c. 9. n. 106. (14) Loc. c. n. 49. (15) D. 46. sect. 1. n. 22. (16) Ibid. (17) Ut supra n. 182. (18) De censur. c. 3. q. 4

et Salm.[1] cum Pal. Con. Vill. Corneio etc. distinguit et dicit, quod si adulter, praevidendo invasionem mariti, temere accedat et illum occidat, tunc fit irregularis; secus si accedat clam et cum debita cautela, ne a marito inveniatur. Et huic sententiae me adiicio, si periculum invasionis praevideatur proximum et facillimum, ut bene exprimit Roncaglia; quia eo casu adulterium est proxime periculo obnoxium homicidii: secus, si periculum sit remotum et adulter caute accedat, iuxta mox supra dicta. Et ita videntur omnes praedictae sententiae satis conciliari. Quid, si vir cognito adulterio occidat uxorem, erit ne adulter irregularis? Affirmant Nav. et alii, negant vero communius dd. ap. Sporer[2]. Sed ipse Sporer Laym.[3] eodem modo distinguunt, ut in praecedenti quaestione; eodemque modo ipsis consentio, si uxoris occisio proxima et facillima praevideatur; secus si remota et difficilis.

Dubium V. De duello et bello.

Art. I. Quid sit et an liceat duellum.

399. « Resp. Duellum est duorum (vel subinde plurium) certamen, quod ex condicto, uno indicente et altero acceptante suscipitur, ita ut id non sit vitam defendere, sed exponere periculo. Quod etsi communiter sit mortale peccatum, licitum tamen est ex iusta causa, quae semper est attendenda. Vide Trid.[4] Sanch.[5] Item de poena duellantium, vide infra *n.* 401.

Unde resolves:

« 1. Duellum non est licitum ad indagandam veritatem vel iustitiam vel purgationem obiecti criminis, aut litem terminandam: quia est fallax, imo superstitiosum medium ad eum finem, cum etiam innocens homicidium et facere et pati possit. Trull.[6] (Ut *cap.* 1. *et* 2. *de purg. vulgari*, cum Salmant.[7]).

» 2. Neque ob inimicitias, aut ad iniuriam vindicandam, neque ob solam ostentationem virium aut delectationem.

Hic quaeritur an liceat suscipere duellum fictum ad vitandam infamiam. Affirmant Tamb.[8] cum Escob. et Boss. Sed omnino negandum cum Bus. et Salm.[9] Elb.[10] Croix[11] Holz.[12] cum communi. Ratio, tum ob vitandum scandalum aliorum; tum quia Clemens VIII.[13] hoc prohibuit, vetando *duella etiam non fatalia*. Et ideo non licet ducibus permittere duella militibus, etiam contra hostes, ad ostensionem virium. Sanchez[14] Salm.[15] cum Nav. Bon. Pal. Cai.

« 3. Nec item ad evitandam ignominiam: quia apud bonos et prudentes honorem non perdet: imo nec apud alios, si provocanti dicat se eum non aestimare dignum cum quo congrediatur contra leges divinas et humanas. Interim iturum se in dies libere suas vias, paratumque semper fore et nunc esse contra quemvis invasorem se tueri. Trull.[16] (Ita etiam Sanch.[17] Salm.[18] cum Soto Navarr. Azor. Cai. et aliis. Damnata autem fuit propos. 2. ab Alexandro VII. quae dicebat: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*).

400. » 4. Duellum licet acceptare vel offerre ad conservandam aestimationem exercitus apud hostes, eosque debilitandos vel ad terminandum bellum cum minore damno. Vid. Sanch.[19].

» 5. Acceptare item licet, si quis alias te occisurus concedat tamen arma, ut sic fortunam experiaris: quia est tantum defensio, posito quod aliter non possis evadere (Praeterea p. Cuniliati probabiliter sentit[20] quod si vir nobilis provocatur ad duellum, licite respondere potest: *Ego ut christianus non possum acceptare duellum, tamen*

(1) Loc. c. n. 50. (2) N. 82. (3) Ibid. (4) Sess. 25. c. 19. de reform. (5) 2. mor. c. 39. (6) L. 5. c. 2. d. 13. n. 12. (7) De 5. praec. c. un. n. 181. (8) Dec. l. 6. c. 1. §. 3. n. 17. (9) De 5. praec. c. 1. n. 180. (10) N. 158.

(11) L. 3. p. 1. n. 840. (12) N. 604. (13) Constit. Illius vires, an. 1592. (14) Dec. l. 2. c. 39. n. 12. (15) Ibid. n. 180. (16) Loc. c. n. 4. (17) Loc. c. (18) N. 163. (19) Loc. cit. (20) Tr. 4. c. 9. §. 5. n. 3.

paratus sum ad me defendendum contra iniustos aggressores). Similiter si iudex duos ad mortem damnatos vellet duello congredi: quia alter alterius esset constitutus minister iustitiae. Trull. [1].

» 6. Denique, si vir nobilis in aula regia, vel militaris in castris provocatus sisteret se merae defensionis gratia cum spe praevalendi, privandus alioqui ob suspicionem ignaviae dignitate, officio vel favore principis; non audet eum damnare Laym.[2], eumdem excusant Hurt. [3] Less. [4] Fill. [5] Nav. [6]. »

Quaeritur igitur 1. an liceat viro nobili vel militari acceptare duellum et adhuc illud offerre, si alias, honore amisso, certe privandus esset officio, quo se et familiam sustentat. Affirmant Holzm. [7] cum Pichler et Anacl. item Spor. [8] ac Elbel [9] cum aliis. Ratio, ut dicunt auctores praefati, quia eo casu non solus honor defenditur, sed etiam hona ad vitam necessaria, quorum iactura certe supponitur non posse aliter reparari. Et huic sententiae adhaerent Less. [10] Sanch. [11] Pal. [12] cum Con. et Val. dum dicunt licite posse acceptari duellum ad necessariam defensionem bonorum magni momenti, hocque probabile putant Roncag.[13] et Croix [14] modo actu alter bona invadat, et actu pugnandum sit: non vero si in posterum. Sed hodie hae ambae praedictae opiniones amplius non sunt probabiles, ex prima et quarta inter quinque propositiones, quas ss. p. Benedictus XIV. nuper damnavit in constit. *Detestabilem* ed. die 10. nov. ann. 1752.: propositiones enunciatae hae sunt:

1. *Vir militaris, qui nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abiectus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret sive offerat sive acceptet duellum.*

2. *Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse sequuturam, utpote ab aliis impediendam.*

3. *Non incurrit ecclesiasticas poenas contra duellantes latas dux vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae et officii.*

4. *Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum iactura propulsari nequit.*

5. *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia vel malitia magistratus, iustitia aperte denegatur.*

Quaeritur 2. an liceat innocenti duellum indicere adversus falsum accusatorem, quando aliud remedium non suppetit ad evitandam iniustam sententiam mortis. Affirmant Lugo [15] Sanchez [16] Bann. Cai. Azor. Nav. Trull. apud Salm. [17]. Ratio istorum, quia cuilibet licet vitam defendere contra iniustum invasorem, prout existimatur hic iniquus accusator. Sed tenendum cum Salm.[18] ac Suar. Arag. Hozes etc. apud eosd. illicitum esse. Ratio, quia defensio hoc casu esset excessiva, ut probatur ex s. Th. [19] dum mors non procederet tunc directe ex omissione duelli, sed ex iniusta sententia iudicis; et contraria videtur sane fuisse reprobata ab Alex. VII. in prop. 18. quae dicebat: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam iudicem, a quo certo imminet iniqua sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.*

401. Quaer. hic 3. quaenam sint poenae duello impositae. Respond. tres esse ex Trid.[20]. 1. Excommunicatio ipso

(1) Loc. cit. (2) L. 3. t. 3. p. 3. c. 3. (3) 2. 2. d. 170. sect. 8. §. 73. (4) C. 9. d. 8. (5) C. 8. q. 6. (6) C. 13. (7) De 5. praec. c. 3. n. 608. (8) Eod. tit. c. 2. n. 204. (9) N. 118. et 128. (10) L. 2. c. 9. n. 49. (11) Dec. l. 2. c. 39. n. 7. (12) Tr. 6. d. 5. p. 7. n. 9. (13) De 5. praec. c. 4. q. 2. r. 3. (14) L. 3. p. 1. n. 836. (15) D. 10. n. 184. (16) In dec. l. 2. c. 39. n. 7. (17) De 5. praec. n. 167. (18) Ibid. n. 169. (19) 2. 2. q. 64. a. 7. (20) Sess. 25. c. 19.

facto incurrenda et pontifici reservata, quam etiam incurrunt patrini, consulentes (intellige efficaciter [1], secus si non persuaserint, ut bene ait Elbel [2]); item favorem praebentes, domini dantes locum; ac etiam spectatores, non quidem illi qui obiter transeundo ibi reperiuntur, sed qui de industria spectant, et sua praesentia quodammodo approbant et animant duellantes, prout Gregorius XIII. et Clemens VIII. explicant Tridentinum, vide Elbel [3]. 2. poena est proscriptio omnium bonorum, cum perpetua infamia; haec tamen poena non videtur recepta in nostris partibus. 3. est privatio sepulturae ecclesiasticae, si duellantes in ipso conflictu decedant. Excipiunt Elbel [4] Tamb. Dian. etc. si ipsi alibi moriantur, vel si ante mortem signum praebeant poenitentiae. Sed in praefata bulla, *Detestabilem*, etiam isti privantur sepultura ecclesiastica, quamvis (ut ibi dicitur) *Sacramentis muniti decesserint*. Istae autem poenae incurruntur tantum ob duellum stricte sumptum, scil. convento loco, tempore et armis; non vero ob conflictum improvisum, quamvis pugnantes ex eodem impetu rixae perrexerint ad aliquem locum idoneum. Ita valde probabiliter Elbel [5] cum Dian. Bonaesp. etc. communissime. Idemque probabiliter dicunt Tambur. [6] Dian. [7] ac Elbel [8] si quis alteri dicat, *tecum pugnabo prima vice qua mihi obviaveris;* nam eo casu postea, etiam habito conflictu, isti non incurrunt poenas, quia tunc deest designatio loci et temporis.

Art. II. An et quousque liceat bellum.

402. *Quando licitum sit bellum.*
403. *Quid debeat facere princeps, ut licite bellum inferat.*
404. *An possit inferri bellum cum sola opinione probabili.*
405. *Ad quid teneantur principes.*
406. *An liceat eis vocare in auxilium haereticos et gentiles.*
407. *Ad quid teneantur duces.*
408. *An milites possint bellare cum dubio de iustitia belli.*

402. « Resp. Bellum defensivum, quo scilicet vis iniusta repellitur, licet etiam privata auctoritate: offensivum vero, quo vis infertur, ut liceat, tres conditiones requirit: 1. ut geratur auctoritate principis vel magistratus nullum agnoscentis superiorem: quales sunt papa, imperator, reges et quaedam resp. v. gr. venetorum, genuensium etc.; 2. ut adsit iusta causa, eaque gravis, v. gr. necessitas boni communis et quietis conservandae, recuperatio iniuste ablatorum, coercitio rebellium, defensio innocentium, etc. Vid. Laym. [9] et Mol. [10] Dian. [11] (Iusta etiam causa est bellum indicendi, si impediatur praedicatio evangelii. Salmant. [12].) 3. Ut fiat ex recta intentione, hoc est, non ex odio, sed ex amore boni communis, quamquam, si haec ultima sola desit, non sit obligatio restitutionis. Ita commun. cum d. Th. [13] Laym. [14].

Unde resolves:

» 1. Si quis iustum bellum gerat, non potest alter licite se defendere, quia circa eamdem rem non possunt duo habere contraria iura. Fieri tamen potest, ut neutra pars peccet ob ignorantiam invincibilem. Fill. [15].

403. » 2. Tenetur rex antequam bellum incipiat, omni diligentia curare, ut certus sit de eius iustitia et gravi causa. Ad quod sequentia conducent. 1. Ut curet habere non tantum peritos, sed etiam bonos consiliarios. 2. Ut attendat, an etiam a suis impediantur vel intervertantur litterae aut instructiones ad ipsum. 3. Si non tantum a suis consiliariis, sed etiam a diversis theologis curet iustitiam belli secundum leges evangelicas examinari et libere edici. 4. Si auditis omnibus, ipse quoque coram Deo illam examinet, statuatque id quod in puncto mortis se fecisse

(1) Quamquam ex verbis concilii videatur requiri ut duellum sit secutum, tamen ex bulla Clementis VIII. *Illius vice*, etiamsi duellum non sequatur, tamen tam principales quam omnes alii cooperantes excommunicationem incurrunt. Hom. Ap. tr. 8. n. 28., et heic l. 7.

(2) De homic. n. 122. (3) D. n. 123. (4) N. 142. (5) N. 132. (6) Dec. l. 6. c. 1. §. 3. n. 11. (7) P. 5. tr. 13. r. 59. (8) N. 137. (9) L. 2. tr. 3. c. 12. n. 3. (10) Tr. 2. disp. 100. et seq. (11) P. 6. t. 4. r. 3. (12) Tr. 21. c. 3. p. 2. n. 10. (13) 2. 2. q. 40. a. 3. (14) Ibid. (15) N. 183.

vellet. Denique, licet sufficiat opinio probabilis de iustitia belli, si tamen iustitia maneat aequaliter dubia et alter sit in possessione, non licet ei bellum indicere, cum melior sit conditio possidentis. Filliuc. [1] Trull. [2] qui cum Diana [3] docet licere etiam principi concedere repressalia, servatis tamen conditionibus certis, quas v. apud Pal. [4] et hic infra *art. seq.* »

404. Quaeritur, an princeps cum sola opinione probabili pro se possit inferre bellum alteri regnum bona fide possidenti. *Prima* sententia affirmat cum Sanch. [5] et Az. Fill. Trull. Escob. etc. apud Salm. [6]. Et hanc sequitur Sporer [7]. Ratio istorum, quia princeps non debet inferioris esse conditionis personae privatae; si enim privatis conceditur facultas litem movendi super re ab alio possessa, quando habet pro se solam opinionem probabilem, quod sit sua; cur non concedenda est principi adversus alterum facultas indicendi bellum, saltem ad partem regni ab altero possessi vindicandam, cum non adsit iudex superior, qui inter ipsos valeat litem secundum ius decidere?

Secunda sententia tenet, quod ut princeps non possidens possit bellum inferre, pollere debeat opinione saltem probabiliori. Ita Suar. et Victoria; saltem ad partem regni obtinendam, ut dicunt Tournely Bann. Prado et Led. apud Salmantic. [8]. Ratio, quia in eo casu potius est ius non possidentis, et sicut ei si esset persona privata, res a iudice adiudicanda esset, iuxta sententiam de qua loquemur *l.* 4. *n.* 210. *v. quaer.* 1., ita princeps, cum non possit iudicem competentem adire, bene potest bello rem sibi vindicare. Hanc probabilem vocat Croix [9].

Sed *tertia* sententia longe mihi probabilior docet non posse principem adversus alterum bona fide possidentem bellum indicere, nisi certitudinem sui iuris habeat. Ratio potissima est, quia possidens (cum possessio certum ius ipsi tribuat rem retinendi, iuxta dicta *lib.* 1. *n.* 53. *et* 54.) nequit unquam re possessa expoliari, nisi constet, quod illam iniuste retineat. Ita Pal. [10] Elb. [11] qui nostram sententiam habet ut certam, Holz. [12] Salm. [13] cum Vasq. Montesin. Villal. et Salas. Idem tenent Laym. [14] et Tambur. [15] dicens hanc esse legem canonicam, etiam a regibus observandam, neminem posse expoliare alterum bona fide possidentem, nisi habeat certitudinem sui iuris; et putant opinionem contrariam improbabilem ex principiis intrinsecis. Mihi autem, licet secunda sententia satis probabilis, speculative loquendo, etiam intrinsece videatur; tamen multum arridet quod ait Roncaglia [16] cui adhaerent Salm. [17] nimirum quod bellum communiter talia fert secum flagitia et damna religioni, innocentibus, honori mulierum etc. ut practice vix unquam iustum videri possit, si ex solis probabilibus rationibus et non certis inferatur.

405. « 3. Perspecta iustitia belli, debet ea proponi parti adversae: quae si offerat competentem satisfactionem non debet bellum inchoari. Imo, ut probabilius est, si coeptum sit, debet si non ex rigore iustitiae, saltem plerumque ex caritate mox finiri. V. Mol. [18] Trull. [19].

» 4. Potest princeps pro satisfactione petere restitutionem ablatorum et expensarum, item aliquid in poenam illatae iniuriae. Dual. Hinc potest victos privare bonis, etiam innocentes, tributa eis imperare, extruere arces et cetera quae ad securitatem sunt necessaria. Con. Dian. [20].

» 5. Principes tenentur stipendia solvere militibus, alioqui tenentur compensare damna, tum ipsis militibus, tum aliis qui ab iis damnum acceperunt. Con. Pal. Dian. [21].

» 6. Tenentur etiam aliquando prin-

(1) Tr. 20. c. 9. q. 4. (2) L. 5. c. 2. d. 3. (3) P. 4. tr. 4. r. 72. (4) Tr. 6. d. 5. p. 4. n. 22. (5) Dec. l. 1. c. 9. n. 36. (6) Tr. 21. c. 8. n. 20. (7) De 5. praec. c. 2. n. 100. (8) Loc. c. n. 25. (9) L. 3. p. 1. n. 840. (10) Tr. 1. d. 2. punct. 7. n. 2. (11) De bell. conf. 6. n. 149. (12) De 5. praec. n. 602. (13) L. c. n. 24. et 26. (14) L. 1. tr. 1. c. 5. §. 3. n. 25. (15) Dec. l. 1. c. 3. §. 4. n. 30. (16) De car. c. 5. q. 7. (17) N. 24. (18) Ibid. disp. 105. (19) L. 5. c. 2. d. 3. (20) P. 6. d. 4. r. 22. (21) P. 6. t. 4. r. 29.

cipes catholici a bello alioqui per se iusto abstinere, si inde oriturum sit scandalum et spiritualis ruina multorum ac detrimentum ecclesiae. V. Pal. Diana [1].

406. » 7. Etsi per se loquendo, in bello iusto liceat advocare infideles in auxilium, per accidens tamen subinde, imo plerumque non licet, ratione scandali aut periculi in fide; v. gr. ne subditi pervertantur, sacra profanentur etc. Reg. [2] Fill. [3].

» 8. Similiter licet alteri principi, etiam alterius fidei, in bello iusto auxilium ferre; nisi tamen sit periculum scandali, incrementi haereseos et damni verae fidei. Vid. Con. [4]. »

Quaeritur, an liceat regibus catholicis in bello iusto contra alium catholicum principem in auxilium vocare haereticos aut gentiles. *Prima* sententia universe affirmat cum Farinac. Themudo Salcedo Aponte etc. ap. Salm. [5].

Secunda sententia tenet hoc absolute esse illicitum ex Exod. [6] ubi habetur: *Cave ne unquam cum habitatoribus terrae illius iungas amicitias*, *quae sint tibi in ruinam.* Ita Ramirex Pizarrus et alii plures, quos congerit Diana [7].

Tertia sententia vero dicit, per se licitum esse advocare haereticos aut gentiles, sed plerumque per accidens esse illicitum ob damna religioni imminentia. Ita cum Bus. tenent s. Antonin. Sylvestr. Suar. Coninch. Prado Tapia Pal. et Bon. ap. Salm. [8]. Haec tertia sententia speculative est quidem probabilis, sed secunda in praxi videtur omnino tenenda cum Spor. [9] et Salmant. [10] cum Molin. Con. Diana Prado Lorca et Vill. Ratio, quia est moraliter impossibile, quod contracta societate cum hostibus fidei, praefata damna religioni non obveniant.

407. « 9. Duces, tribuni, centuriones aliique officiales peccant tenenturque ad restitutionem: 1. Si pauciores habeant milites, quam in solutione stipendii exhibent. 2. Quando debent ex officio commeatum curare, et dant militibus cibum vel potum corruptum, ex quo morbi oriantur. 3. Si in transitu per regiones accipiant pecunias a variis pagis, ne istic pernoctent aut morentur. 4. Si uni militi dent plura synographa ad domos diversas. Molin. Bec. Dian. [11]. 5. Si stipendium militibus subtrahentes permittant extorquere ab innocentibus necessaria.

» 10. Miles, qui in bello et iusto et iniusto paratus est mereri stipendia, est in malo statu et incapax absolutionis nisi mentem corrigat; et quidem, si militet in bello iniusto, tenetur ad restitutionem damnorum, nisi inculpabilis ignorantia excuset; tunc enim sufficit restitutio eorum quae in specie habet, vel eorum in quibus factus est ditior. V. *infr*.

408. » 11. Si vocatus ad bellum sit subditus principis qui bellum gerit, aut ab eo ante conductus, non tenetur inquirere de iustitia belli, quamdiu nulla vehemens suspicio occurrit in contrarium, quae positive reddat dubium; quia potest praesumere pro suo principe, cui in dubio debet obedire, eiusque auctoritas plerumque illi sufficit ad formandum etiam positive iudicium probabile de iustitia causae, ne cum dubia fide operetur. Vide c. Lugo [12]. Si vero non sit subditus, tenetur prius inquirere et postea saltem probabile formare iudicium, bellum esse iustum. Mol. [13] Laym. [14] Az. Mald. Reg. contra quosdam apud Dian. [15] card. de Lugo [16] Escob. [17]. »

Quaeritur an milites bellare possint cum dubio de iustitia belli. Distinguendum cum Bus. si ipsi sunt subditi regis bellum inferentis, tunc nisi certi sint de belli iniustitia, possunt, imo tenentur obedire principi iubenti. Ita commun. Sanch. [18] Spor. [19] et Salm. [20] cum Suar. Mol. Pal. Bann. Salas et Villal. Et habetur expressum in iure ca-

(1) P. 6. t. 4. r. 7. (2) L. 21. n. 100. (3) N. 71. (4) Tr. de car. d. de bello. (5) De 5. praec. c. 8. n. 32. (6) 34. 12. (7) P. 10. tr. 2. addit. res. 2. (8) N. 34. (9) N. 107. (10) N. 35. (11) P. 6. t. 4. r. 97 et 26. (12) D. 18. de iust. s. 1. n. 21.

(13) Ibid. disp. 113. et 114. (14) L. 2. t. 3. c. 12. n. 8. (15) T. 2. tr. 5. misc. r. 96. et t. 3. r. 7. (16) Loc. c. (17) E. 7. c. 8. (18) Dec. l. 6. c. 3. n. 15. (19) De 5. praec. c. 2. n. 102. (20) De eod. praec. c. 8. n. 29.

nonico [1] ubi s. August. sic docet: *Vir iustus, si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, recte potest illo iubente bellare, si quod sibi iubetur vel non esse contra Dei praeceptum certum est, vel utrum sit, certum non est.* Ratio, quia subditi tenentur obedire, ubi peccatum non est certum; et insuper praesumere debent bellum esse iustum, quoties contrarium non constat. Secus vero dicendum de non subditis, qui nequeunt militare, nisi prius certi fiant de iustitia belli. Ratio, quia, cum agatur de damno tertii, nequit illud inferri, nisi constet de iniustitia possidentis. Ita comm. Caiet.[2] Sanch. Spor.[3] et Salm. [4] cum Led. Mol. et Villal. contra aliquos apud Palaum.

De militibus autem alienigenis stipendio conductis idem dicendum quod de subditis; intellige tamen, si reperiantur conducti ante bellum excitatum; nam alioquin, si post bellum indictum conducantur, etiam hi certificari debent de iustitia belli. Ita Sporer et Salm. [5] cum aa. citatis.

« 12. Miles intelligens bellum esse iniustum, in quo est, non potest absolvi, nisi velit, quam primum potest, curare dimissionem et interea abstinere ab actibus hostilitatis, v. gr. caede, praeda, etc. v. Laym. [6]. An autem talis possit occidere militem hostilem se invadentem, v. Escob. [7]. »

ART. III. Quid in bello iusto liceat.

409. « Resp. Etsi circa hostes in bello iusto liceat ea omnia facere quae ad finem belli sunt necessaria; v. gr. occidere, spoliare etc. innocentes tamen (quo nomine intelliguntur pueri qui arma gestare non possunt, mulieres, senes, religiosi, clerici, peregrini, mercatores et rustici) directe vita spoliari non possunt; bonis tamen externis possunt, si sint pars reip. hostilis aliterque finis belli obtineri non possit. Mol. Bec. [8] Laym. Fill. [9] etc. Ratio est, quia cum sint pars reip. possunt propter huius delicta puniri in iis bonis quae reipub. dominio subsunt (Dicit tamen Spor [10] quod transacto bello, restituenda sunt ecclesiasticis omnia ablata, nisi ea in usum iusti belli absumpta sint).

Unde resolves:

410. » 1. Per accidens licet aliquando comburere etiam ecclesias et hostes ex iis extrahere, in iis spoliare et occidere, si v. gr. ecclesia velut castro ad repugnandum utantur. Sylv. [11] Sa, Bon. [12].

» 2. Contra hostem licet uti insidiis et stratagematibus, dummodo absint mendacia: etsi etiam haec, v. gr. quando exploratores se fingunt amicos, non sint mortalia. Ea vero, ad quae cavenda nulla prudentia datur, v. gr., veneno inficere puteos, aquas, glandes, sunt contra iura belli nec licent. Mol.[13].

» 3. Fides hosti data servanda est, nisi vel coactus dederis vel in grave detrimentum cederet reipublicae aut religionis; aut si hostes eam non servent; aut denique conditiones ac circumstantiae plane sint mutatae. Dual. Pal. Dian.[14], vide etiam Laym.[15].

» 4. Capti in bello etiam ex parte capientium iusto, nisi obstet scandalum aut specialis promissio, possunt fugere. Capti vero in bello ex parte capientium iniusto, et fugere et bona hostium secum auferre possunt. Layman [16]. An obsides liceat occidere, vide supra *n.* 393. *cas.* 5.

» 5. Potest quidem aliquando (raro tamen et nonnisi ob causas gravissimas) dari urbs in praedam: milites tamen privata auctoritate praedas agere, aut hostibus damna inferre non possunt, quia sunt executores tantum et ministri. V. Sa [17] Laym.[18] Fill.[19] Dian.[20]. Dum autem urbs spoliatur iniuste, gregarios milites tantum teneri ad damnum quod ipsi intulerunt, probabile esse docet Dian. [21] ex Sylv. Nav. etc. Vide infra *t.* 5. *c.* 2. *d.* 3.

» 6. Milites peccant cum onere re-

(21) C. Quid culpatur, dist. 23. q. 1. (2) 2. 2. q. 169. a. 2. ad 4. (3) Loc. c. (4) N. 30. (5) Loc. c. (6) L, 2. t. 3. c. 12. (7) E. 7. c. 8. (8) P. 2. c. 10. 11. et 12. (9) N. 191. (10) De 5. praec. n. 122. (11) V. Bellum, n. 11.

(12) P. ult. §. 3. (13) Tr. 2. disp. 111. (14) Loc. c. r. 10. (15) L. 2. t. 3. c. 12. n. 15. (16) L. 2. t. 3. c. 12. n. 16. (17) V. Bellum. (18) Ibid. n. 13. (19) N. 198. (20) P. 6. t. 4. (21) Loc. c. r. 51., item P. 3. t. 3. r. 86.

stituendi, si a rusticis aliisve, apud quos hospitantur vel per quorum loca transeunt, auferant, aut invitis extorqueant vel etiam donata accipiant (nisi constet omnino libere fieri: siquidem donationes illae plerumque non spontaneae, sed coactae sunt) praeter ea quae ex constitutione principis iis debent subministrare; nisi tamen sint in extrema vel saltem gravi necessitate. Mol. Con. Pal. Lec. etc. Dian.[1]. (Milites tenentur etiam restituere omnia damna quae inferuntur ab hostibus et ipsi non impediunt. Ita Elbel [2]. Quia ipsi tenentur ex iustitia damna reip. impedire. Peccant item milites, si aufugiant, victoria adhuc non desperata, vel si discedant a castris sine iusta causa; secus si discedant ex gravi necessitate ob neglectum stipendium. Elbel.[3] cum Pal. Laym. Sporer etc.).

» 7. Repressalia licita sunt his conditionibus. 1. Ut manifeste constet cives alterius reip. fecisse iniuriam. 2. Ut superiores illorum rogati recusent administrare iustitiam. 3. Ut constet eos culpabiliter id recusare. 4. Ut princeps supremus, causa cognita, id concedat. 5. Ut non inferatur plus damni, quam iusta satisfactio requirit. 6. Ut non concedantur in personas ecclesiasticas. Mol. Dian. [4] ex 18. aliis.

411. » Quaers, ad quem pertineant bona hostibus capta.

» Resp. 1. Immobilia cedunt principi aut reipublicae mobilia fiunt capientis, nisi consuetudo habeat, ut pars cedat principi e communitati. 2. Iure caesareo, nisi consuetudo sit contraria, bona ablata iusto bello iis qui ea iniuste possidebant, fiunt capientium, postquam ea in sua praedia deportarunt. Valent.[5] Mol. et Hurt.[7] qui requirit, ut una saltem nocte possederint. Vide etiam Sylv. Bonac.[8] de peccatis in bello committi solitis. Trull.[9] Dian.[10] qui contra Durand. docet hanc sententiam esse in praxi tutam. »

(1) P. 6. t. 4. 21. (2) N. 134. (3) N. 180. (4) P. 4. t. 4. 72. (5) T. 3. d. 4. q. 3.

(6) Ibid. disp. 118. (7) T. 2. d. 169. sect. 12. §. 119. (8) Loc. c. (9) L. 2. d. 10. et seq. (10) P. 6. t. 4. r. 23.

Cap. II. De sexto praecepto et nono: Non moechaberis et non concupisces etc.

412. « Coniungo haec duo praecepta, quia utroque idem explicite vel implicite prohibetur, scilicet peccata impudicitiae et luxuriae. Est autem luxuria inordinatus appetitus vel usus delectationis seu sensus venerei, qui fit cum commotione spirituum generationi servientium circa partes corporis venereas, ita ut appetitus vel delectactiones aliae, etsi etiam sensitivae aut sensitivorum, si tamen non sint venereae aut venereorum, nec ad ea ordinentur, non spectent ad luxuriam. Porro actus seu peccata luxuriae distinguuntur in imperfectos, in quibus non intervenit ultimus terminus venereorum, quae est decisio seminis, ut sunt actus interni desideriorum et oblectationum morosarum, qui speciem sumunt ab obiectis; et perfectos ac consummatos, qui terminum iam dictum habent adiunctum. Qui rursus sunt duplices. Alii enim sunt naturales, qui naturae non repugnant, nec specie differunt in ratione luxuriae (etsi per deformitatem superadditam aliquando specie differant) v. gr. adulterium, incestus, etc. Alii innaturales sunt seu contra naturam, in quibus conditiones a natura institutae, v. gr. identitas speciei, vas debitum etc. non servantur. Et hi etiam in ratione luxuriae differunt specie, quae in illis variatur secundum modos quibus committuntur naturae repugnantes.

Dubium I. An et quando peccata sint oscula, amplexus, tactus, verba obscoena et similia extra matrimonium.

422. *An liceat aspicere partes honestas diversi sexus.*
423. *An sit mortale aspicere pectus, crura, etc. mulieris.*
424. *An sit mortale aspicere picturas turpes.*
425. *An liceat mulieri se ornare, et faciem fucare. Quid si detegat ubera, vel utatur veste virili. Remissive ad lib. 2. num. 52. et 54.*
426. *Quando peccent graviter proferentes verba turpia.*
427. *An semper graviter peccent audientes comoedias turpes. An ad eas cooperantes pecunia, vel plausu.*
428. *An illas repraesentantes et componentes.*
429. *An liceat choreas ducere.*
430. *An peccet mulier permittens se tangi. An mulier ad vitandos tactus impudicos teneatur clamare.*
431. *An liceant tactus etc. inter coniuges aut sponsos.*

413. « Resp. Ad id dignoscendum, distinguenda est in primis intentio et delectatio venerea et venereorum ab intentione et delectatione sensitiva et sensitivorum aliorum, quae consistit in quadam proportione et conformitate rei tactae cum organo tactus. Deinde sciendum, intentionem et sensum venereorum esse mortalem, et excludere a regno coelorum, secundum apostolum [1]. »

Nunc aegre materiam illam tractandam aggredimur, cuius vel solum nomen hominum mentes inficit. Det mihi veniam quaeso castus lector, si plures quaestiones ac circumstantias apud Busembaum omissas, hic discussas et declaratas inveniet: utinam brevius aut obscurius explicare me potuissem! Sed cum haec sit frequentior atque abundantior confessionum materia, et propter quam maior animarum numerus ad infernum delabitur: imo non dubito asserere, ob hoc unum impudicitiae vitium, aut saltem non sine eo, omnes damnari quicumque damnantur. Hinc opus mihi fuit ad instructionem eorum qui moralem scientiam cupiunt addiscere, ut clare (licet quo castissime fieri potuit) me explicarem, et plurima particularia discuterem. Oro tamen studiosos qui ad munus audiendarum confessionum se parant, ut hunc tractatum de sexto praecepto, quemadmodum et alium de debito coniugali non legant, nisi cum fuerint ad excipiendas confessiones iam proximi; legantque ob hunc unice finem, omnem prorsus curiositatem abiicientes; atque eo tempore saepius mentem ad Deum elevent et Virgini immaculatae se commendent, ne dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur.

414. Quamvis sub hoc praecepto *non moechaberis* tantum exprimatur adulterium, quod proprie significat vox graeca *moechia;* nihilominus omnis actus venereus extra matrimonium eodem praecepto vetatur. Vid. Salm.[2] qui fuse hoc probant cum s. Aug. et s. Ambros. Nam etsi fornicatio minus sit malum, quam adulterium, attamen, quia a lege naturae copula carnalis tantum ad matrimonium est ordinata, per quod proles non solum gigni, sed etiam bene educari possint, ideo in hoc praecepto Deus prohibuit omnem coitum extra matrimonium et simul omnem actum venereum qui ad generationem ordinatur. Praeterquamquod fornicatio iam alibi expresse vetita a Deo invenitur [3].

415. « 1. Oscula, amplexus, aspectus, tactus, et similia si extra matrimonium fiant, ex intentione actus luxuriosi vel ob delectationem veneream etiamsi non illam perfectam, quae est in seminatione, sunt tamen semper peccata mortalia: quia eo animo, extra matrimonium, sunt impudica, et natura sua talis delectatio tendit ad perfectam, Fill. [4] Less. [5] Sanch. [6]. »

Quaeres, an in genere luxuriae detur parvitas materiae. Praenotandum, quod distinguunt dd. delectationem veneream sive carnalem, scil. cum commotione spirituum genitalium, a delectatione sensitiva sive naturali. Hinc duo dubia agitantur.

Dubium 1. est, an detur parvitas materiae in re venerea. Sanch. [7] secluso periculo pollutionis vel consensus in actum carnalem, sentit dari parvitatem materiae, prout esset attrectare

(1) Galat. 5. (2) De 6. praec. c. 1. n. 5. (3) Lev. 19. 29. Deut. 23. 17. et 1. Cor. 6. 9.

(4) T. 30. c. 9. n. 294. (5) L. 4. c. 3. d. 8. (6) L. 9. d. 46. (7) De matr. l. 9. d. 46. n. 9.

manum vel pedem foeminae, brachium premere, vellicare seu intorquere digitos. Et idem tenent Nav. Sot. Salas et plures apud Salm. [1]. Idem videtur etiam tenere Tamb. [2]. Sed Tamb. alia via incedit; distinguit enim cum Palao (qui vocat hanc sententiam communissimam), et dicit non dari quidem parvitatem materiae in re venerea, in qua quaevis parva delectatio graviter est mala: sed dari tamen in materia luxuriae, quae latius patet ad sensus tactus. Hinc dicit tactum levem ex ioco vel cum delectatione non venerea, culpam venialem non excedere. His tamen non obstantibus, omnino tenendum est cum Viva [3] et Salmant. [4] ac Moya et Corella, quod omnis delectatio carnalis sive luxuriosa cum advertentia et deliberatione capta sit mortale peccatum, maxime post prop. 40. damn. ab Alex. VII. quae dicebat: *Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo ulterioris consensus et pollutionis*. Si enim in osculis non datur materia levis, nec etiam danda est in aliis tactibus cum delectatione carnali. Ratio, quia quaevis carnalis delectatio, sive commotio spirituum generationi deservientium est quaedam inchoata pollutio seu motus ad pollutionem. Merito igitur Continuat. Tourn. [5] et Salm. [6] cum Cai. Bon. Tamb. Lop. actus supra relatos, scil. vellicare manum foeminae, intorquere digitos etc. damnant peccati mortalis, ob delectationem carnalem quae tunc habetur, vel saltem ob istius proximum periculum. Et merito pariter Croix [7] reiicit opinionem Arriagae, qui dicit non graviter peccare qui sponte consentit in tales motus leves carnales sponte obvenientes.

416. Dubium 2. est, an detur parvitas materiae in delectatione sensibili sive naturali, nempe, si quis delectetur de contactu manus feminae, prout de contactu rei lenis, puta rosae, panni serici et similis. *Prima* sententia affirmat cum s. Anton. Sylvio Salas Nav. Fill. Hurt. Moya et pluribus ap. Salm. [8] et adhaeret Busemb. *infra cas.* 4. et Cont. Tour. [9] cum Comit. Baron. Sylvio et aliis.

Secunda tamen sententia negat cum Cai. Diana et aliis apud Salmantic. [10] Ratio, quia tactus, secundum quod sunt delectabiles, iuxta sensum tactus puellae vel adolescentis, per se ad pollutionem ordinantur. Et hanc puto omnino tenendam, dum merito dicunt Salm. [11] cum Fill. Trull. Diana etc. ac Ronc. [12] primam sententiam non esse practice probabilem, quia ob corruptam naturam est moraliter impossibile habere illam naturalem delectationem, quin delectatio carnalis et venerea sentiatur, maxime a personis ad copulam aptis, et maxime si actus isti habeantur cum aliquo affectu et mora, ut ait Elbel [13]. Hinc recte dicunt Spor. [14] cum Sanch. [15] et communi, ac Croix [16] regulariter primam sententiam non esse practice probabilem, quia per se est mortale se exponere periculo consentiendi in delectationem veneream. Excipit tamen Croix aliquem, a quo abesset tale proximum periculum. Id vero tantum admitterem cum p. Holzm. [17] in aliquo casu raro, quo per longam experientiam quis esset moraliter certus nullum periculum consensus ipsi imminere; sed hic casus quando erit? Notandum vero aliud esse (ut bene distinguit Cont. Tourn. [18]) agere propter delectationem capiendam, aliud cum delectatione quae consurgit ex qualitatibus corporibus annexis, in qua bene potest dari parvitas materiae, si delectatio sit mere sensibilis sive naturalis; modo (addendum) non sistas in ea, sed in tactu delectationem detesteris, alias non ageres cum delectatione, sed propter delectationem; quod non potest esse seiunctum a periculo incidendi in delectationem veneream.

(1) C. 3. n. 79. (2) Dec. l. 7. c. 8. §. 1. n. 8. et 9. (3) In trut. sup. prop. 40. damn. ab Alex. VII. (4) C. 3. n. 81. (5) De 6. praec. a. 8. concl. 2. (6) C. 3. n. 65. (7) L. 3. p. 1. n. 911. (8) C. 3. n. 36. (9) De 6. praec. a. 7. sect. 2. concl. 1.

(10) N. 40. (11) N. 48. (12) De 6. praec. c. 1. q. 2. (13) De 6. praec. n. 186. (14) De matr. c. 3. n. 687 (15) L. 9. d. 49. (16) L. 3. p. 1. n. 894. (17) De 6. praec. c. 2. n. 706. (18) De 6. praec. a. 7

« 2. Tales actus sunt eiusdem naturae cum perfectis sive consummatis; ideoque in confessione explicandum, utrum sint habiti cum simili sexu an diverso; cum libera an coniugata, cognata, persona sacra, etc. Lessius [1] Sanch. [2].

417. » 3. Oscula, amplexus, compressiones manuum et similia non obscoena, si fiant tantum officii (Ut s. Thomas [3]) aut moris patrii aut amoris honesti vel benevolentiae augendae causa, etiamsi delectatio venerea suboriatur (modo in eam non consentiatur) non sunt peccata, Less. Fill. [4] (Ita communiter s. Anton. [5] et Tourn. [6] cum Sylvio [7]). »

Recte tamen notat Croix [8] quod oscula, etiam habita ex more patriae, si habeantur cum mora vel ardore, ordinarie sunt mortalia. Idem ait cum Spor. de osculis in ore vel si quis ore excipiat linguam alterius. Advertit e converso cum Sanch. etc. [9] quod osculari pueros (intelligendum de valde pueris), etiam cum sensibili delectatione, non est ordinarie nisi veniale, quia delectatio illa ordinarie non est nisi naturalis.

418. « 4. Si vero ista fiant ex aliqua veniali vanitate, ioco, curiositate, levitate, petulantia, imo etiam sensualitate, sive affectu sensuali ac naturali (dummodo non cum delectatione venerea nec eius causa: et si praeter intentionem suboriatur, ea repulsa, ac tunc abstinendo ab illis), venialem culpam non excedunt. Vide Fill. hic Less. Sanch.[10] Dian.[11]. Contrarium tamen est tutius, v. Trull.[12] (*Sed v. dicta n.* 416.).

419. » 5. Idem dicendum de tactu et aspectu inhonestarum partium corporis proprii, aut commixtionis animalium; non cum animo venereo, sed ex curiositate tantum aut levitate, secluso scandalo et periculo consensus venerei (Tangere propria verenda ex levitate aut curiositate per se non est mortale, ut dicunt Salm.[13] cum Sanch. et Bon. ac Cont. Tourn.[14] cum Sylv. et communi: modo absit turpis delectatio aut eius periculum, et fiat obiter et non repetitis vicibus ut bene advertit Cont. Tourn., quia alias iam aderit periculum. Hinc non excusatur a mortali, qui cum commotione spirituum, et sine iusta causa propria pudenda tangeret. Hinc recte ait Cont. Tourn.[15] esse mortale aspectum propriorum genitalium, si fiat studiose et morose absque necessitate (ut intelligendum). Secus si breviter, ut Sylvius et Sanch. [16]. An autem coniux seipsum voluptuose tangens, peccet. Vide dicenda *de matrim. l.* 6. *n.* 936. Morose autem aspicere commixtionem animalium, periculosum est ut bene notant Salm.[17] et Croix [18]. Excusantur vero coniungentes equos, tauros et similes ad procreandam prolem: modo absit animus libidinosus, ut bene aiunt Cont. Tourn.[19] Tamb.[20] Elb.[21] et Holzm.[22]). Imo, si tactus talis aut aspectus proprii corporis naturali aliquo ac non malo fine fiat, ne veniale quidem erit, ut v. gr. si frictione extinguere velis pruritum non venereum: dummodo tamen absit periculum pollutionis aut consensus in eam, si improviso praeter intentionem forte obveniret. Less. [23] Fill. [24] Sanch. [25].

420. « 6. Tactus nudi et aspectus partium inhonestarum alterius corporis, maxime diversi sexus, aut concubitus humani ex curiositate (nam de necessitate aliud est), etiam secluso affectu venereo, videntur non posse excusari a mortali propter gravem indecentiam et periculum proximum actus venerei: nisi tamen aspectus fiat ex loco tam remoto, et ita obiter, ut haec absint. (Sanchez[26] Fill.[27] Laym. etc. cum Tamb. et Salm. [28]. »

Notandum 1. quoad tactus impudicos, quod eos sola necessitas excusat; hinc medici tangentes aut aspicientes

(1) D. 15. (2) L. 1. c. 2. (3) 2. 2. q. 154. a. 4. (4) Loc. c. n. 171. (5) P. 2. tit. 5. c. 1. §. 10. (6) De 6. praec. a. 7. sect. 1. concl. 1. (7) Resp. v. ad 1. (8) L. 3. p. 1. n. 900: (9) N. 902. (10) Loc. c. (11) P. 4. t. 3. r. 136. (12) L. 6. c. 1. d. 12. n. 3. (13) C. 3. n. 63. (14) Loc. c. sect. 2. concl. 1. (15) Loc. c. (16) Ibid. (17) N. 13. (18) N. 903. (19) V. Nostro. (20) L. 7. c. 8. §. 2. n. 5. (21) N. 211. (22) N. 711. (23) N. 63. (24) N. 214. (25) L. 9. d. 31. (26) N. 23. et 29. (27) N. 218. (28) D. n. 13.

ex necessitate pudenda personae, etiam diversi sexus, non peccant, esto per accidens involuntariam pollutionem patiantur; Tamb.[1] ex communi et Salm.[2] s. Thom.[3] et Spor.[4]. Vide dicenda *num.* 481. Hoc speculative verum est: utinam tamen practice medici in his iugiter non peccarent! Non excusatur autem a mortali qui sine tali necessitate tangit alterius pudenda, etiam personae eiusdem sexus, nisi forte fiat per iocum aut ex petulantia vel curiositate, ut cum Busemb. *hic cas.* 7., tenent Tamb.[5] et Croix[6]. At recte Salmant.[7] hoc neque practice dicunt admittendum, sed tantum speculative, modo tactus fiat leviter et non ex proposito, neque per aliquod notabile temporis spatium. Quid si quis tangeret alterius verenda super vestes? Croix[8] cum Sanch., nec etiam excusat a mortali, nisi faciat ex quadam petulantia vel cum levi delectatione non carnali. Et id merito Salm.[9] practice etiam damnant de mortali si ita tangantur pudenda diversi sexus, etiamsi fiat per transennam, quia valde periculosum est. Croix autem[10] probabiliter excusat a mortali ancillas tangentes pudenda puerorum, dum illos vestiunt, nisi cum mora aut carnali delectatione hoc agant.

Notandum 2. tangere genitalia brutorum non esse ordinarie nisi veniale, ut dicunt Croix[11] Sanch.[12]. Secus probabilius dicendum, si fieret talis tactus usque ad pollutionem, ut dicunt Croix[13] Holz.[14] Elbel[15] Cont. Tour.[16] et Spor.[17] cum Bon. Salas et Tamb. (contra Dian. et Sanch. putantes hoc non esse mortale). Ratio, quia licet hoc fieret tantum levitatis causa, tamen est actio per se vehementissime excitans ad venerem.

Notandum 3. cum Bus. *hic cas.* 7. et Salm.[18] quoad aspectus, non esse de se mortale, citra periculum consensus venerei, aspicere pudenda personae eiusdem sexus, nisi aspiciens esset valde propensus ad sodomiam, ut notant Salmant.[19] cum Sanchez et Fill., vel nisi, adderem, pulcher adolescens aspiceretur nudus.

421. Sed quaeritur 1. an aspicere pudenda personae diversi sexus vel concubitum humanum cum voluntaria delectatione visus, sit de se mortale. Negant Cai. et Nav. apud Sanchez[20]. Quia, dicunt, delectatio ex visu non est talis sicut ex tactu, quod ad venerea inducat; potest enim quis sistere in delectatione tantum naturali. Sed cum Sanch.[21] et s. Antonin. Gers. Less. Fill. etc. ac Salm.[22] omnino dicendum esse mortale, nisi visio fieret a loco longinquo et tempore brevissimo, ut Salm.[23] et Ronc.[24]. Ratio, quia talis turpis aspectus procul dubio valde ad luxuriam excitat. Excusant tamen a mortali Salm.[25] si absit periculum commotionis, ratione aetatis puerilis vel etiam senilis vel frigidae complexionis; at hoc nec admittendum puto, cum saltem ex visu turpi oriatur periculum concupiscendi. Dicunt item Salm.[26] virum aspicientem pudenda adolescentium non peccare mortaliter, nisi esset vehementer proclivis ad sodomiam. Sed ego difficulter excusarem a mortali quemcumque deliberate aspicientem pulchrum adolescentem nudum.

Notant autem Salmanticenses[27] cum Sanchez et Filliuc. quod aspectus peccaminosi induunt, sicut tactus, eamdem speciem obiecti; ed ideo dicunt explicandam esse in confessione qualitatem personae quae fuit turpiter aspecta. Sed huic doctrinae verius contradicit Croix[28] qui ait, quod qui sine ullo desiderio personam veneree aspicit, non tenetur dicere qualis fuerit persona. Quomodo enim foemina, aspiciendo turpiter sacerdotem nudum, committet sacrilegium, quod consistit

(1) Dec. l. 7. c. 3. §. 5. n. 49. (2) C. 3. n. 12. et 68. (3) 2. 2. q. 154. a. 4. (4) De matr. n. 674. (5) Dec. l. 7. c. 8. §. 2. n. 3. (6) L. 3. p. 1. n. 906. (7) N. 50. (8) Ibid. n. 904. (9) C. 3. n. 49. (10) Ibid. n. 902. (11) L. 3. p. 1. n. 903. (12) De matr. l. 9. d. 46. n. 15. etc. (13) Loc. c. (14) N. 711. (15) De 6. praec. n. 211. (16) Loc. c. (17) De matr. c. 3. n. 697. (18) C. 3. n. 15. (19) Cap. 3. (20) De matr. l. 9. d. 46. n. 21. (21) N. 22. (22) C. 1. n. 7. 9. et 12. (23) N. 13. (24) C. 1. q. 1. (25) N. 12. in fin. (26) C. 3. n. 13. (27) Ead. loc. in fin. (28) L. 6. p. 2. n. 1030.

in violatione personae sacrae, cum ibi nulla violatio intercedat? Et quomodo quis aspiciens turpiter consanguineam, committet incestum?

422. Quaeritur 2. an sit aliqua culpa aspicere partes honestas personae pulchrae sexus diversi. S. Antonin. Less. Tol. Cai. Fill. Dic. etc. cum Salm. [1] dicunt hoc esse per se licitum, prout licitum est aspicere quascumque res pulchras ad visum a Deo creatas; ideo tenent nullam esse culpam per se, praecisa curiositate, aspicere mulierem pulchram. Et idem sentit Cont. Tourn. [2] loquendo de homine saeculari. Sed in praxi puto hoc raro excusari a veniali, nisi fiat ex urbanitate debita, aut alia iusta causa. Secus tamen merito dicunt, si aspectûs esset diuturnus, quia tunc excusari nequit a veniali et etiam a mortali, si proximum sit periculum turpis concupiscentiae vel morosae delectationis, quae procul dubio aderit, quando in aspiciendo adest commotio spirituum. Ita Salm. [3] cum Less. Cai. s. Antonin. Fill. etc. ac Holzm. [4] et Elbel [5]. Imo valde merito ait Ronc. [6] diuturnum mulieris pulchrae aspectum, maxime si quis inordinato amore erga ipsam afficiatur, non esse sine gravi peccandi periculo. Et idem merito dicit de diuturno colloquio vano cum puella inordinate dilecta, cui valde adhaerent Salmant. [7] ex d. Th., saltem propter proximum periculum labendi.

423. Aspicere autem partes minus honestas, sed haud turpes mulieris, scilicet pectus, brachia, crura, secluso periculo lapsus, et modo aspectus non sit diuturnus ut supra, de se non est mortale. Ita Nav. [8] Sanch. [9] Cai. [10] et Salm. [11] cum Armill. et aliis. Dictum est *de se*, nam bene inquit Holzm. [12] id facile mortale esse in aspiciente valde ad venerem proclivi.

424. Aspicere picturas obscoenas tantum ex curiositate, non est mortale, ut dicit Tamb. [13] si delectatio turpis et eius periculum absit. Sed in praxi virum morose aspicientem pudenda mulieris depictae difficulter puto excusari a mortali, quia difficulter se liberare hic poterit a delectatione turpi vel ab eius probabili periculo, ut Elb. [14] nisi aspiceret per brevissimum tempus et in magna distantia, ut bene ait Ronc. [15].

425. Quaer. 3. an liceat mulieri se ornare. Respondetur affirmative, si ornat se pro decentia sui status vel iuxta morem patriae. Salm. [16]. Et idem si hoc faciat, ut viro suo placeat, vel ut sponsum reperiat, ut docet s. Th. [17]. Mulier autem, quae sine recto fine se ornaret, certe peccaret et quidem graviter, si hoc faceret ad provocandos viros, ut ipsam concupiscant; leviter vero, si faceret tantum ex levitate aut vanitate. Ita Cai. Less. Sylv. etc. cum Salm. [18] ex s. Th. [19]. Et idem dicendum de muliere se fuco pingente, ut Salm. [20] cum s. Th. [21] qui excusat pariter mulierem quae fucaret faciem, ad suam turpitudinem tegendam. Vide alia dicta de scandalo, *lib.* 2. *num.* 55. ubi diximus, quod mulier iuxta consuetudinem loci fuco se pingens, aut aliquantulum ubera detegens, non peccat graviter per se loquendo, si forte inde in generali alii scandalizentur. Dubium est, si sciat aliquem in particulari scandalum pati. Vide dicta *eod. lib.* 2. *n.* 54. Mulier autem utens veste virili ex se non peccat graviter; sed non raro erit mortale; vide *ibid. n.* 52. *v.* 2. *Si foemina.*

« 7. Aspectus vero et subinde etiam (rarius tamen propter periculum adiunctum) tactus ex petulantia vel curiositate partium inhonestarum alterius corporis, eiusdem tamen sexus, citra affectum et periculum consensus venerei, excusari posse a mortali, ut v. gr. quando simul aliqui natant vel se lavant, docet Lay. [22] ex Sanch. [23] Trull. [24]. (*Vide dicta n.* 420.).

(1) C. 1. n. 2. (2) De 6. praec. a. 7. sect. 2. in fin. (3) Ibid. n. 3. (4) N. 712. (5) N. 188. (6) De 6. praec. c. 1. reg. in praxi 1. (7) Tr. 26. c. 3. n. 22. et c. 7. n. 34. (8) Sum. c. 23. n. 19. (9) De matr. l. 9. d. 46. n. 13. (10) V. Ornatus. (11) C. 3. n. 13. (12) Dict. n. 712. (13) Dec. l. 7. c. 8. §. 5. n. 1. (14) N. 195. (15) C. 1. q. 1. (16) De 6. praec. c. 3. n. 16. (17) 2. 2. q. 169. a. 2. (18) Loc. c. n. 15. (19) Eod. loc. (20) N. 16. (21) Dict. a. 2. ad. 1. et 3. (22) L. 3. sect. 4. n. 10. (23) L. 5. mor. c. 6. n. 12. 13. et n. 27. 28. (24) D. 12. n. 15.

426. » 8. Verba turpia, lectio obscoenorum, spectatio comoediarum turpium, cantiones inhonestae, gestus, literae et dona amatoria, si tantum fiant ex curiositate vel vano solatio, non sunt mortalia: secus tamen, si fiant vel animo inhonesto sive venereo vel cum periculo ruinae spiritualis sui vel aliorum. Sanch. [1] Fill. [2]. »

Quaer. 1, an sit peccatum mortale verba turpia proferre. Quicquid in hoc puncto diverse dd. sentiant, dicendum 1. de se non esse malum verba turpia proferre aut audire (idem enim dicitur de proferente, quod de audiente); sed hoc pendet ex bono vel malo fine, quo verba proferuntur. Ita Sanch. [3]. Dicendum 2. quod loqui turpia ob vanum solatium sive iocum, de se non est mortale. Ita cum Bus. *hic* et s. Antonin. [4] ac Sanch. [5] cum s. Antonin. Nav. etc. Tamb. [6] nisi audientes sint ita debiles spiritu, ut scandalum patiantur: ut Sanch. [7] cum Nav. etc. Aut, nisi verba sint nimis lasciva, ut addunt Salm. [8]. Hinc notant [9] cum Dicast. dicteria turpia quae proferuntur a messoribus, vindemiatoribus et mulionibus, non esse mortalia, quia ludicre dicuntur et audiuntur. Ita etiam loquitur s. Antonin. [10] dicens: *Ubi talia verba turpia dicuntur ex quadam levitate ob solatium, quamvis de se non sint mortalia ..... tamen potest esse mortale ratione scandali, ut cum audientes sint debiles spiritu et verba essent multum lasciva. Idem dicendum de facientibus vel cantantibus cantilenas plenas lasciviis.* Sic etiam dicunt cum Bus. Sanch. [11] Tamb. [12] et Spor. [13] de se esse tantum veniale legere libros turpes ex curiositate, sine turpi delectatione vel eius proximo periculo (Sed id sedulo satagant confessarii prohibere, quantum valent, iuvenibus, qui ex huiusmodi lectionibus universe magnam animae ruinam hauriunt). Et idem dicendum de audiente praedicta verba ob vanum solatium, ut Sanch. [14] cum Cai. Recte autem advertit s. Antonin. [15] quod audiens turpia *cum delectatione deliberata* illius turpitudinis, *non videtur posse excusari a mortali*, sicut qui morose delectatur in turpi cogitatione, *nisi forte* haec forent inter coniuges. Dicendum 3. cum eodem Sanch. [16] esse sine dubio mortale dicere turpia ob delectationem captam ex cogitatione ipsarum rerum turpium, vel cum periculo talis delectationis, ut recte addit Tamb. [17] sive cum periculo gravis scandali, quod frequenter adest, cum talia proferuntur coram iuvenibus vel puellis, ut bene advertit Elb. [18]. Hinc tenent Salm. [19] non excusari a peccato gravi qui nominat pudenda, aut modum copulandi, maxime coram adolescentibus et mulieribus iuvenibus honestis. Nominare autem pudenda sui proprii sexus coram aliis sexus eiusdem, puto, communiter loquendo, non esse grave.

Mortaliter etiam utique peccant, qui ob iactantiam narrant sua turpia peccata; et tunc peccant non solum peccato scandali propter audientes, sed facillime etiam peccato complacentiae de ipsis peccatis, ut recte dicunt Salm. cum Dic. [20]. Et ideo in confessione explicare debent speciem peccati, de quo se iactarint. Colloqui autem honeste cum puellis extraneis de se non est nisi veniale; sed ratione periculi, maxime in conversatione diuturna, potest esse grave, ut diximus *n.* 422. *in fin.* cum Salm. [21] Ronc. [22].

427. Quaeres 2. an sit mortale audire comoedias turpes. Respondetur, quod si comoedia non sit notabiliter turpis, illam audiens non peccat mortaliter, nisi qui expertus sit suam fragilitatem. Ita Sanch. [23]. Si vero in comoedia repraesententur res notabiliter turpes vel modo turpi, mortale quidem esset illam spectare ob delectationem consurgentem ex ipsis rebus turpibus;

(1) D. 46. q. 3. (2) T. 30. c. 10. q. 3. (3) De matr. l. 9. d. 46. n. 34. (4) P. 2. tit. 5. c. 1. §. 8. (5) N. 35. (6) Ibid. §. 4. n. 1. (7) N. 36. (8) C. 3. n. 19. (9) N. 20. (10) Loc. c. (11) N. 44. (12) Ibid. §. 5. n. 1. (13) De matr. n. 695. (14) N. 38. (15) Loc. c. (16) N. 39. (17) Ibid. §. 4. n. 1. (18) N. 194. (19) C. 3. n. 19. (20) N. 21. (21) N. 22. (22) C. 1. reg. 2. in praxi. (23) De matr. l. 9. d. 46. n. 42.

veniale autem ob curiositatem tantum, aut ob vanum solatium, secluso periculo consensus in turpem delectationem. Ita Sanch. [1] et Tamb. [2] cum Diana Rodr. Lorca etc. Quidquid sit (ut ait Tamb.) de cooperatione (de qua mox agendum) quam quisque afferret sua pecunia concurrens ad talem repraesentationem.

Num autem graviter peccent omnes qui pecunia vel plausu ad huiusmodi comoedias notabiliter turpes concurrunt, etiam si sine ipsis comoedia repraesentaretur. Negant Turrian. Bald. et Baldel. ap. Croix [3]. Et huic opinioni olim adhaesi. Sed melius nunc censeo affirmandum cum eodem Croix et Holzm. [4]. Ratio, quia isti, etsi materialiter, tamen positive cooperantur ad actionem graviter peccaminosam; quae cooperatio non est licita, nisi fiat ex gravi causa necessitatis vel utilitatis. Et idem recte dicit Holzm. de iis qui ex officio impedire tenentur, vel etiam qui alias impedire commode possunt. Non damnarem vero de mortali simplices spectatores, praeciso periculo turpis delectationis, ut supra, sine quibus comoedia etiam fieret; isti enim neque essent causa illius turpis repraesentationis, quia non positive ad illam influerent; neque occasio, quia (ut supponitur) etiam sine ipsis comoedia ageretur. Excipe clericos et religiosos qui non possunt ibi interesse sine gravi laicorum scandalo. Sic enim recte docet Bened. XIV. [5]. Et excipe etiam laicos, sine quibus comoedia non fieret. Nullo autem modo a mortali excusarem adolescentem, qui absque necessitate vellet curiositatis causa huiusmodi comoediis interesse, nisi quis esset valde timoratus; et insuper pluries esset expertus illas spectando nunquam lethaliter peccasse; modo suo exemplo aliis adolescentibus occasionem non praeberet huiusmodi turpibus repraesentationibus assistendi.

428. Certum est autem repraesentantes seu componentes has comoedias notabiliter turpes nullo modo excusari posse a peccato gravi, ob scandalum aliorum, quamvis non intentum. Sanch. [6] cum s. Ant. Sylv. Ang. etc. Nec lucrum quamvis magnum eos excusare potest, ut recte notat Tamb. [7]. Nota autem hic id quod docet d. Th. [8] nempe: *Ad omnia autem quae sunt utilia conversationi humanae, deputari possunt aliqua officia licita. Et ideo etiam officium histrionum. quod ordinatur ad solatium exhibendum hominibus, non est secundum se illicitum: Nec sunt in statu peccati, dummodo moderate ludo utantur, idest non utendo illicitis verbis vel factis* (*idest turpibus vel quae vergunt in proximi nocumentum*, ut explicat in corp.) *ad ludum et non adhibendo ludum negotiis et temporibus indebitis. Unde illi qui moderate eis subveniunt non peccant; si qui autem sustentant illos histriones, qui illicitis ludis utuntur, peccant quasi eos in peccato foventes.* Idem docet d. Antonin. [9] qui explicando verba illa d. Thomae, *illicitis verbis aut factis*, dicit: *Si cum verbis turpibus vel actibus turpia repraesentantibus, tunc est illicitum et mortale.* Vide alia dicta *de scandalo lib.* 2. *n.* 56.

429. « 9. Choreae, nisi malo fine fiant aut cum periculo alios aut seipsum incitandi ad libidinem vel cum alia circumstantia mala, secundum se non sunt malae, nec actus libidinis, sed laetitiae. Quando vero sancti patres eas interdum valde reprehendunt, loquuntur de turpibus et earum abusu. Vide Cai. [10] Fill. [11]. (Choreae, ut docet s. Antonin. [12] per se licitae sunt, modo fiant a personis secularibus, cum personis honestis et honesto modo, scil. non gesticulationibus inhonestis. Idem dicunt Salm. [13] cum Azor. Caiet. Fill. Bon. etc. In choreis autem leviter apprehendere manum foeminae vel non erit culpa vel ad summum venialis, ut notat Cai. [14] et consentit probabiliter

(1) D. n. 41. (2) Ibid. §. 5. n. 1. (3) L. 2. n. 259. (4) De carit. c. 4. n. 242. (5) De synodo l. 11 c. 10. (6) Loc. c. n. 42. (7) Ibid. (8) 2. 2. q. 168. a. 3. ad 3.

(9) P. 2. tit. 23. §. 14. (10) V. Chorea. (11) N. 223. (12) P. 2. tit. 6. c. 6. (13) C. 5. n. 17. et 18 (14) Ibid. v. Chorea.

Spor.[1]. Vetitum autem fuit clericis a Trid.[2] choreis illicitis assistere, saltem illas ducere. Vid. Salm.[3]).

» 10. Exhibentes comoedias turpes, item facientes libros aut picturas incitantes ad libidinem peccant mortaliter : quia sunt ruina proximi; cum moraliter certum sit multos inde ad peccatum incitandos[4]. Fill.[5]. Similiter magistratus, qui permittunt exhiberi turpes comoedias, peccare mortaliter docet Hurt. et concedit Bald. si auctoritatem illis praestent, approbent vel foveant: addit tamen posse aliquando excusari, si ad maius malum impediendum non puniant et tantum tolerent. Vid. Diana[6].

430. » 11. Persona soluta permittens se tangi ab alia, tactu, qui vulgo censetur pudicus, ut prehensio, contrectatio manus, amplexus et oscula iuxta morem patriae, non peccat nisi ei constet fieri pravo affectu; huic enim cooperari non licet. Docet tamen Fill. etiam tunc admitti posse, ne tangens infametur. (Sive ne suspicionem infamiae ingerat; vel ne alii scandalizentur. Ita Cont. Tourn.[7] cum Sylvio el Salm.[8] cum Sa Azor. Cai. Bon. Tenetur tamen resistere, si tactus fiant clam et certum sit malitiose fieri. Salm.[9] Tamb.[10] Croix[11]). Admittens autem tactus impudicos (ut mamillarum et obscoenarum partium) vel oscula furtiva, (ut dicunt etiam Salm.[12]) et morosa vel indecentia, peccat: quia praesumitur affectus malus. Vid. Fill.[13] et infra *l.* 5. *c.* 1. *dub.* 2. »

Utrum autem mulier vi oppressa, ad vitandos impudicos tactus alterius, teneatur etiam clamare, si oporteat. Affirmant Salmantic.[14] cum Caietan. ex communi, ut asserunt[15]; et probant ex Deut.[16] ubi damnatur ad mortem puella, *quia non clamavit, cum esset in civitate.* Sed valde probabiliter dicit Nav.[17] Soto[18] et Bon.[19] cum Reg. non teneri mulierem ad clamandum cum periculo notabilis damni sive infamiae vel nimiae verecundiae; quia tunc, si aliter iam resistat quantum potest, non tenetur cum tanto suo incommodo vim repellere. Excipe, si adsit periculum proximum consentiendi. Nec obstat textus Deuteronomii supra relatus ; nam praeceptum illud erat praeceptum iudiciale pertinens quidem ad iudicium externum, in quo damnari praecipiebatur puella quae violata fuisset et non clamasset, *cum esset in civitate;* quia praesumebatur ipsa (ut commentat a Lap.) *stupro consensisse ; et ideo non clamasse.* Et idem sentiunt Menoch. et Gordon. cum Philone apud Calmet super textu citato. Praeterea nemo dubitat omnia praecepta iudicialia veteris legis iam omnino cessasse per praecepta iudicialia perfectiora legis evangelicae, ut probat doctus Frassen[20]. Non negandum tamen, quod si mulier sit in periculo proximo consentiendi in copulam, ob experientiam anteactam vel ob sui cognitam fragilitatem, teneatur utique clamare ad se liberandam ab illo congressu. An autem mulier oppressa teneatur potius pati mortem, vi repellendo invasorem suae pudicitiae, quam permittere copulam. Duplex est sententia, ut diximus *num.* 368. At negativa, quam tenent Sot. Nav. Tolet. et alii, potius speculative, quam practice est probabilis.

431. « Quaeres, an, et quatenus liceant tactus et aspectus etc. inter coniuges vel sponsos.

» Resp. 1. Coniugibus licent, si referantur ad copulam, ad hanc enim licite se excitant. Alio autem fine, v. gr. voluptatis causa si fiant, sunt peccata venialia: quia matrimonium eos cohonestat ac defectus debiti finis non est mortalis; nisi tamen habeantur cum periculo pollutionis: quae, cum iis sit illicita, eo casu erunt mortalia, regu-

(1) De matr. c. 3. n. 694. (2) Sess. 24. c. 12. (3) Ibid. (4) Et idem puto dicendum de iis, qui eas domi retinent expositas omnium aspectui. Hom. Ap. tr. 9. n. 8. (5) N. 211. (6) P. 5. t. 15. r. 82. (7) A. 7. sect. 1. (8) C. 3. n. 62. (9) Ibid. (10) Dec. l. 5. c. 1. §. 4. n. 25. (11) L. 2. n. 24.

(12) D. n. 62. (13) L. 30. n. 169. (14) Ibid. (15) Et haec quidem sententia ut tutior consulenda est. Hom. Ap. tr. 9. n. 6. (16) 22 24.. (17) Sum. c. 16. n. 1. (18) De iust. l. 5. q. 1. a. 5. (19) De 6. praec. q. un. n. 10. (20) T. 6. de leg. d. 3. a. 2. q. 4. concl. 1. in fin.

lariter saltem. Sanchez [1] Fill. [2] et alii. (Vid. *l.* 6. *a n.* 932. *ad* 936.).

» Resp. 2. Sponsis tactus impudici non licent; pudici vero in partibus honestis licent, si ex iis tantum intendant delectationem sensitivam; secus si veneream; Sanch. [3] Bon. [4] etc. (Sed vide dicenda *l.* 6. *n.* 854.). »

Dubium II. Quae sint species luxuriae consummatae naturales.

432. « Resp. eae dicuntur, in quibus fit commixtio eo modo quo natura instituit: v. gr. quando servantur sexus diversus, species eadem, vas et modus naturalis, etc.

Unde resolvitur tales esse has sequentes quae ideo in confessione sunt exprimendae:

« 1. Est fornicatio, quae est concubitus soluti cum soluta (hoc est, quae sit libera a voto, matrimonio, religione) ex mutuo consensu. Ad hanc reducitur 1. concubinatus, qui est fornicatio continuata. Unde concubinarius (sicut et meretrix) ordinarie non debet absolvi, nisi dimissa concubina, aut muliere suspecta, cuius retentio scandalum daret, licet cum ea non peccaret. Sanch. [5] Nav. [6] Fill. [7]. 2. Congressus cum alterius sponsa, quae est fornicatio intra eamdem speciem gravior, et in confessione aperienda; saltem respectu sponsae, ut docet Rodr. [8] Sanch. [9] Fag. [10] Fill. [11] contra Covar. Vivald. Led. Azor. quorum sententiam (etiam respectu sponsae) probabilem et in praxi tutam censet Dian. [12]. »

Attende hic prop. 25. damn. ab Alexandro VII. quae dicebat: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis praecepto dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

Deinceps notandum, procul dubio fornicationem vetitam esse de iure naturae, cum natura ordinet copulam tantum ad matrimonium, quo non solum proles generari, sed etiam bene educari possit. Ideo fornicatio semper est intrinsece mala, licet aliquando per accidens a fornicario proles bene educaretur. Ratio, tum quia in hoc ob magnum periculum hallucinationis, causa nimiae delectationis, facillime

(1) L. 9. d. 46. n. 7. (2) N. 337. (3) L. c. n. 30. (4) P. 9. n. 6. (5) L. 1. mor. c. 8. (6) C. 3. (7) Tr. 30. c. 2. n. 56. (8) Tr. 3. c. 109.

(9) De matrim. t. 1. l. 1. d. 2. n. 6. (10) T. 1. l. 4. c. 3. (11) L. 2. tr. 30. c. 2. n. 32. (12) P. 1. tr. 7. res. 5.

errari potest; tum quia natura considerat, quae communiter, non quae per accidens eveniunt, tum quia de se est contra ius naturae carni rationem subiicere, ut accidit in fornicatione ob delectationem actus. In matrimonio autem esto eadem delectatio interveniat, Deus tamen speciali providentia disponit, ut talis deordinatio absit. V. Roncaglia [1].

433. Quaeritur hic 1. an peccet graviter mulier non resistens turpi congressui alterius ob metum mortis, quamvis non consentiat. Alii omnino affirmant quia talis immobilitas esset quaedam cooperatio voluntaria, cum possit se agitando congressum aliquo modo impedire. Ita Lugo[2] Ronc.[3] cum Fill. Azor. quos saltem in praxi puto sequendos. Alii vero negant. Vide dicta *n.* 368.

434. Quaer. 2. an permitti possint meretrices. *Prima* sententia probabilis affirmat eamque tenent Salm.[4] cum s. Th. Cov. Trull. Led. etc. huicque clare adhaeret s. Aug. [5]. Ratio, quia demptis meretricibus, peiora peccata evenirent, nempe sodomiae, bestialitatis, mollitierum, praeter praevaricationem mulierum honestarum; ideo s. Aug. [6] ait: *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* Verum *secunda* sententia, practice probabilior, negat; et hanc tenent Ronc. [7] Navarrus [8] cum Cornel. Gutt. et aliis apud Salm. [9]. Ratio, quia per meretrices haec mala graviora non evitantur, eo quod in hominibus luxuriosis ex facili et frequenti cum meretricibus congressu libido altiores figit radices; et ideo, cum hoc vitium frequentia magis augeatur, ipsi non desinunt committere pollutiones et peccata nefanda, saltem cum ipsis meretricibus, nec ideo se abstinent a sollicitandis foeminis honestis. E converso permissione meretricum innumera alia mala superaddunt, nempe plures puellae prostituuntur, adolescentes parentes parvipendunt, bona dissipant, studia scientiarum negligunt, rixas excitant, honestas nuptias respuunt. Ceterum, bene advertit et probat p. Sarnelli [10] quod licet in vastis urbibus meretrices permitti possint, nullo tamen modo in aliis locis permittendae sunt.

435. Concubinatus autem proprie est concubitus soluti cum soluta (improprie vero cum uxorata vel uxorato) dummodo habeantur invicem uxorio modo sive in una et domo, sive in alia, ut constat ex stylo curiae romanae et ex concilio Tridentino [11]. Nota hic ante omnia propos. 41. proscriptam ab Alexandro VII. quae dicebat: *Non est obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo* regalo, *dum, deficiente illa, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent et alia famula nimis difficile inveniretur.* Item nota alias tres prop. damnatas ab Innoc. XI. 61. *Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quin imo directe et ex proposito quaerit aut ei se ingerit.* 62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.* 63. *Licitum est directe quaerere occasionem proximam peccandi pro bono spirituali aut temporali nostro vel proximi.*

Hinc quaeritur 1. An aliquando possit absolvi concubinarius qui concubinam eiicere e domo non posset sine scandalo aut infamia. Communiter loquendo non est absolvendus, ut cum Bus. dicunt Salm.[12]. Ratio, quia in diuturno concubinatu est moraliter impossibile rem aliis non fieri notam. Non negant tamen Salm. [13] in aliquo casu rarissimo posse absolvi; puta (ut ait Spor.[14] cum Gob.) si aliter non possit vitari grave damnum famae vel fortunarum, iuxta dicenda *lib.* 6. *n.* 455. Sed eo casu dico omnino expedire,

(1) De 6. praec. c. 1. q. 2. (2) De iust. et iur. disp. 10. n. 197. (3) Ibid. q. 3. (4) De 6. praec. c. 2. a n. 84. ad 91. (5) L. 4. de ord. c. 4. (6) L. c. (7) De 6. praec. c. 2. q. 6. (8) Man. c. 17. n. 195.

(9) N. 85. (10) Opusc. de abusu meretricii. (11) Sess. 24. c. 8. de reform. matrim. (12) C. 2. n. 27. (13) Ibid. (14) De poenit. n. 529.

quod saltem differatur absolutio, donec experimento probetur continentia poenitentis; nisi casus esset, quod poenitens (satis alias dispositus, ut supponitur) non amplius redire posset ad se confitendum, vel si immineret necessitas communicandi, ad vitandam positivam infamiam.

436. Quaer. 2. An extra praedictum rarissimum casum infamiae aut scandali possit absolvi concubinarius, antequam concubinam dimittat, si sedulo eam dimittere promittat. Alii concedunt pro prima vel secunda vice, ut Diana Sancius Megala et fr. Anton. a Sp. S. apud Salm. [1]. Alii omnino negant etiam pro prima vice, quando occasio est proxima. Ita Nav. Pal. Azor. Tol. Fill. etc. cum Diana, se revocante apud Salm. [2] Alii denique, ut Salm. [3] cum Trull. Sylv. Rodr. Lop. distinguunt sic: si concubinarius est publice notus, minime est absolvendus, etiamsi det signa magni doloris, nisi concubinam dimittat, aut nisi postquam (concubina extra domum degente) per aliquod tempus notabile ad eam non accesserit. Ratio, tum quia scandalum pareret videre eum, qui adhuc domi concubinam retinet vel eius domum frequentat, ad eucharistiam accedere; tum quia publicus peccator non debet absolvi, nisi etiam publice poeniteat et scandalo satisfaciat. Vide dicenda *l.* 6. *n.* 512. Si vero concubinarius est occultus, nec etiam absolvi potest, nisi in aliquo casu raro: puta, si vir nobilis doleat profusis lacrymis, vel post terribilem concionem auditam vel si confiteatur territus a morte socii vel a magno periculo mortis evasus. Ita Lugo [4] et Salm. [5] cum Pal. Laym. Dic. Trull. etc. Hoc tamen tantum admittendum puto, quando sit moraliter impossibile, quod concubina ante absolutionem brevi dimitti possit; vel quando urgeat necessitas communicandi ob vitandam magnam infamiam iuxta mox dicta *n.* 435. *in fin.* Nam alias semper absolutio est differenda, quia experientia nimis constat, quod, obtenta absolutione, difficulter occasio postea aufertur et sic facillime reditur ad vomitum. Vide dicenda *l.* 6. *n.* 456.

437. Quaer. 3. An concubina, quae a concubinario sustentatur, possit absolvi, antequam a domo illius discedat. Recte negant Salm. [6]. Excipiunt tamen [7] primo, si ex discessu ei grave eveniret damnum, puta infamiae vel aliorum scandalum. Secundo, si foemina nequiret manuum labore se alere aut in alia domo deservire aut mendicare sine dedecore aut alio gravi incommodo. Emendicare autem illi quae non est ad id assueta, semper magnum incommodum afferre videtur, ut ait Hurt. [8]. Sed in his casibus regulariter semper etiam est differenda absolutio.

438. Quaer. 4. An possit absolvi qui, causa artis licitae exercendae, est in proxima occasione peccandi. Probabiliter respondent Suar. [9] Cai. [10] et Salmant. [11] cum Gand. posse quidem absolvi, si ille esset moraliter impotens ad officium suum deserendum, et peccaret, non ex vi occasionis, sed ex propria fragilitate, et inde ostenderet signa verae poenitentiae, cum proposito occasionem cavendi quantum potest. Hinc communiter possunt excusari a deserenda occasione qui ratione officii cum foeminis versando peccant, ut dicunt Nav.[12] ac Graff. Iann. Hurt. Lopez etc. cum Salm.[13] et Milant.[14]. Idem dicitur de chirurgis, qui foeminis medendo sunt in occasione peccandi. Salm.[15] cum Sanchez Nav. Hurt. Idem de parocho, qui in audiendis foeminarum confessionibus voluntarie se polluit; hi possunt absolvi, quin officium deserant; secus tamen dicendum de confessario simplici, qui tenetur abstinere a confessionibus excipiendis, nisi forte ex hoc infamiam subiret. Salm. [16] cum Pal. Nav. Hurt. etc. Potest etiam absolvi foemina quae vivit hospitando, et peccat occasione hospitandi, et ideo cadit

(1) C. 2. n. 28. (2) N. 31. (3) D. n. 32. (4) De poenit. d. 10. n. 151. (5) N. 34. (6) C. 2. ex n. 45. (7) N. 44. (8) Ibid.

(9) T. 4. in 3. p. d. 32. sect. 2. (10) V. Periculum. (11) C. 2. n. 46. (12) C. 3. n. 5. (13) N. 47. (14) In prop. 61. Innoc. XI. (15) Ib. (16) N. 48.

cum diversis et etiam cadit cum aliquo particulari, modo proponat inde evitare sola cum solo conversari. Ita Salmant. [1] cum Nav. et Trull. Si tamen, adhuc remediis adhibitis, peccans eodem modo relabitur, nulla apparente probabili spe emendationis, tunc nullo modo absolvenda, nisi occasionem deserat vel specialia signa doloris exhibeat, iuxta dicenda *l.* 6. *n.* 457.

439. Quaer. 5. An possint absolvi famulae cum heris peccantes, si etiam antea cum eis peccaverint. Si illae bis vel semel tantum peccaverint et post admonitionem confessarii occasionem tollere curaverint, tunc absolvi posse recte dicunt Salm. [2]. Secus, si occasionem removere neglexerint[3]. Quare nunquam eas absolverem, si peccatum fuerit frequens, nisi in casu gravis necessitatis proposito supra in *quaest.* 3., ac ipsae essent sufficienter dispositae, iuxta dicenda *l.* 6. *n.* 459. Et etiam in eo experimentum quaererem.

440. Quaer. 6. An possit absolvi uxor, si ipsa est in occasione proxima peccandi cum suo viro, qui eam contra naturam cognoscat vel prostituat. Respondetur negative cum Salm. [4] cum Sanch. Tenetur enim tunc divortium facere; sed hoc intelligendum, nisi ad hoc sit moraliter impotens, ut dictum est in *quaest.* 4. *ut supra.*

441. Quaer. 7. An quis teneatur tollere occasionem proximam peccandi cum concubina, etiam cum suo gravi damno temporali; puta, si amasius debitor esset concubinae in magna summa. Negant Tancred. Sanctius et Ant. de Spiritu S. apud Salm. [5]. Sed contrarium omnino tenent Salm., quia damnum spirituale magis quam temporale praecavendum est. Verum haec ratio, si hic valeret, valere deberet etiam pro casibus supra allatis *quaest.* 3. *et* 4. ubi iidem Salm. probabiliter excusant aliquando eos qui ad grave damnum evitandum occasionem non deserunt. Quapropter primam sententiam probabilem censeo, si amasius non posset solvere sine magno detrimento suae famae vel sui status, ita ut ille in gravem necessitatem redigeretur; vide dicenda *l.* 6. *n.* 455. Sed in omnibus his casibus expedit omnino, ut differatur absolutio usque ad emendationem: vide *eodem lib.* 6. *n.* 456.

Plura hic adduntur scitu utilia in hac materia.

442. 1. A conc. Trid. [6] indicta fuit pro concubinatu poena excommunicationis ferendae post tertiam monitionem et insuper poena eiectionis extra oppidum vel dioecesim, implorato brachio seculari. 2. In crimine hoc, cum sit mixti fori, procedi tamen potest tam a laicali quam ab ecclesiastico iudice. 3. Clericus concubinarius ex conc. Trident. [7] post primam monitionem privatur tertia parte fructuum beneficii; post secundam vero privatur pensionibus et beneficii administratione: deinde post tertiam omnino beneficio expoliatur; denique excommunicatur et tunc potest etiam curiae seculari ab episcopo tradi. Vide Salm. [8]. Probabiliter autem non privatur tertia parte fructuum (ut dictum est) clericus, qui etiam post monitionem tantum semel peccaverit. Salm. [9]. Notandum autem 1. nomine fructuum non comprehendi distributiones quotidianas, ut a s. c. fuit decisum apud Salm. [10]. Notandum 2. poenas pecuniarias huius criminis ad pios usus ab episcopo applicandas esse. Salm. [11]. Notandum 3. quod clericus non privatur fructibus beneficii, nisi post sententiam. Salm. [12].

Utrum autem clerici concubinarii publici sint etiam ipso iure suspensi. Affirmant Barbos. s. Anton. Nav. Sylv. etc. apud Salm.[13] dicentes, ipsos incurrere talem suspensionem tam ab officio, quam a beneficio [14]. Et sic declaratum esse a s. c. concilii. Sed negant probabiliter Sot.[15] Fill.[16] ac Trull. Suar. et Fag. ap. Salm.[17] qui huic sententiae adhaerent. Ratio, quia de tali suspen-

(1) N. 49. (2) C. 2. n. 50. (3) Ibid. (4) C. 2. n. 52. (5) N. 57. (6) Sess. 24. c. 8. (7) Sess. 25. c. 14. (8) C. 2. n. 60. (9) Ib. n. 64.

(10) N. 66. (11) N. 67. (12) N. 68. (13) C. 2. n. 70. (14) Ex c. Sacerdotes dist. 50. (15) In 4. d. 5 q. 5. a. 6. (16) Tr. 27. n. 124. (17) Ibid.

sione non constat; imo potius probatur oppositum ex Trident.[1] ubi dicitur quod si clericus concubinarius secundae monitioni non paruerit, ab episcopo suspendatur ab administratione beneficii, ergo supponit concilium nullam esse suspensionem anterius ipso iure latam. Ad declarationem autem S. C. respondent eam non esse authenticam, et etiamsi esset authentica, aliam non habere auctoritatem, quam sententia probabilis doctorum, iuxta dicta *l.* 1. *n.* 106.

443. « 2. Stuprum, hoc est defloratio virginis, ipsa invita: quia, si consentiat, erit tantum fornicatio simplex, nec circumstantia in confessione aperienda, ut probat Less. et Sanch.[2] contra Nav. Azor. et alios. »

Et cum Bus. et Sanch. consentiunt Salm.[3] et Ronc.[4] cum Barb. Bon. etc. Dicunt autem Bon. et Salm.[5] cum Less. Fill. Diana, quod fornicatio cum virgine consentiente potest esse aliunde speciale peccatum, scil. ratione infamiae, vel moeroris parentum vel rixarum, odii etc. Vide dicenda *de sponsalibus l.* 6. *n.* 847.

444. « 3. Raptus, cum scilicet persona aliqua (sive masculus sive foemina sive nupta sive innupta) libidinis causa abducitur, illata vi sive abductae, sive iis quorum potestati subest (Scilicet parentibus aut tutoribus aut viro; non autem si sint fratres, et mulier sit sui iuris. Ronc.[6] cum Mol.). Si quae tamen sponte discedat cum amasio, insciis parentibus, non erit proprie raptus, sed fuga, non addens malitiam specie distinctam fornicationi. Lugo[7] Filliuc.[8]. Vid. Bon. Idem dicit Diana[9] ex Less.[10] Sanch.[11] etc. »

Ex Tridentino[12] raptor tenetur mulierem ducere, aut dotare; nisi mulier sit meretrix aut malae famae. Quando tamen adest raptus cum violentia mulieris invitae, matrimonium semper est nullum etiamsi cum rapta sint sponsalia contracta. Constituunt raptum etiam preces importunae. Num autem etiam dolus; vide Salm.[13]. Vide alia *de matrim. l.* 6. *n.* 1107. *et* 1108.

445. « 4. Adulterium, cum scil. uterque vel alteruter coeuntium est coniunctus matrimonio, etiamsi adulterantis coniux sit contentus: esto enim tunc illi non fiat iniuria, fit tamen ipsi statui, sacramento, et huic praecepto. Quod si foemina adulterans sit coniugata, gravius habetur, quam si vir, propter incommoda graviora, v. gr. damnum veri heredis, prolis incertitudinem, etc. Si vero uterque sit coniugatus, adhuc gravius est, quia sunt duae iniuriae in utriusque coniugem in confessione exprimendae. Fill.[14]. »

(*Nota* hic prop. 50. damn. ab Innocentio XI., quae dicebat: *copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium; ideoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum*).

446. Qui sodomitice uxorem cognoscit, probabilius etiam adulterium committit, quia est contra bonum datae fidei, ut Sanch.[15] Ronc.[16] cum Azor. etc. Salm.[17] cum communi, contra paucos. Et debet explicari, sodomiam commissam esse cum propria coniuge, ut Salmantic.[18].

447. An vero sit adulterium copula habita cum desponsata per verba de futuro. Probabilius negatur cum Sanchez[19] Salm.[20] Ronc.[21] Censent autem Ronc. et Salm.[22] quod si unus ex sponsis cum alia persona fornicetur, debet aperire in confessione circumstantiam sponsalium tanquam mutantem speciem, ratione iniuriae alteri illatae: probabile vero satis est cum Trull. Pont. Dian. Covar. Lugo Sanch. et Laym. esse tantum circumstantiam aggravantem, cum sponsus per *sponsalia* nullum acquirat ius super corpus alterius. Vide hoc *de matr. l.* 6. *n.* 847.

448. « 5. Incestus, hoc est congressus cum consanguinea vel affine usque

(1) Loc. c. (2) L. 7. dis. 12. (3) De 6. praec. c. 4. p. 1. n. 4. (4) C. 3. q. 2. (5) N. 13. (6) Q. 3. (7) D. 16. n. 137. (8) N. 10. (9) P. 1. t. 7. r. 37. (10) L. 2. c. 19. d. 1. (11) De matr. t. 2. l. 7. d. 4. n. 3. (12) Sess. 24. c. 6.

(13) De 6. praec. c. 4. n. 28. (14) T. 26. c. 4. n. 85. et 89. (15) De matr. l. 9. d. 18. n. 4. (16) C. 4. q. 3. (17) De 6. praec. c. 5. n. 15. (18) Ibid. (19) De matrim. l. 1. d. 2. n. 2. (20) D. c. 5. n. 11. (21) Ibid. q. 5. (22) De matr. c. 1. n. 11.

ad quartum gradum [1], eo gravius peccatum, quo gradus est propinquior; quem proinde in confessione exprimere, saltem securius est, ut habet Nav. [2] c. Lugo[3]; sicut etiam multo gravior est incestus cum consanguinea, quam cum affine in eodem gradu, v. gr. cum matre, quam cum noverca; cum sorore propria, quam cum sorore uxoris; et rursus gravior est cum affine, quam cum cognato spirituali vel legali. Addi vero debet, si in primo grado fuerit, utrum cum matre, an cum filia, an sorore, c. Lugo [4] et Escob. [5] ubi ex Hurtad. [6] probabile dicit, incestum in eodem gradu et linea eiusdem esse speciei (eo tamen graviorem, quo gradus est vicinior stipiti); et satis esse dicere, habui rem cum consanguinea in linea recta. Ad hanc speciem revocatur tanquam analoga, fornicatio cum filia confessionis; cum proprie non sit cognatio spiritualis, quam tamen circumstantiam in confessione exprimendam esse probat Sanch.[7] Con.[8] Fag. et ceteri probabiliter contra Sa[9] et Dian. V. Lug. [10].»

Ad maiorem horum claritatem quaeritur 1. An omnes incestus quoad gradus sint eiusdem speciei. V. dicenda *de sacr. poen. l.* 6. *n.* 470. ubi hoc sat probabiliter affirmatur (excepto tantum primo gradu consanguinitatis in linea recta) cum Cai. Sot. Lug. Bon. etc. cum d. Th.

449. Quaer. 2. An incestus cum consanguinea differat specie ab incestu cum affine. Utraque sententia est probabilis. *Prima* cum Croix [11] Cai. Lugo Dian. ex s. Th. negat, quia in utroque casu contra reverentiam coniunctis debitam pariter peccatur. *Secunda* sententia cum Vasq. Dic. et aliis [12] affirmat; ratio istorum, quia videtur totaliter diversa reverentia debita ob sanguinis coniunctionem, quam ob coniunctionem affinitatis V. dicenda *l.* 6. *n.* 469.

450. Quaer. 3. An incestus inter cognatos spirituales sit diversae speciei, quam inter consanguineos et affines. Absolute affirmandum cum Salm. et s. Thom. qui [13] docet per copulam inter cognatos spirituales *committi sacrilegium ad modum incestus*. An autem tunc sit explicandus gradus cognationis. Affirmant Salm. [14] sed probabilius negat Croix [15]. Pariter incestus inter cognatos legales, nempe ratione adoptionis, est diversae speciei ab aliis enunciatis, et explicari debet. Vid. Salm. [16].

451. Quaer. 4. An confessarius rem habens cum filia spirituali occasione confessionis debeat hoc explicare in confessione. *Prima* sententia affirmat, quia pater cum filia spirituali contrahit quamdam extraordinariam familiaritatem et obligationem ducendi illam ad salutem: et ideo videtur specialis turpitudo illam trahere ad perditionem. Ita Salm.[17] cum Sot. Sanch. Fag. etc.

Secunda tamen probabilior sententia negat cum Fill.[18] Spor.[19] Elb.[20] Holz.[21] item Vasq. Bon. Pont. Dic. Dian. Trull. Leand. etc. apud Salm.[22]. Idem sentit Cont. Tour. [23] qui ait: *Ex datione aliorum sacramentorum* (praeter baptismum et confirmationem) *cognatio spiritualis nequaquam oritur*. Ratio, quia nec est incestus, dum inter illos nulla intervenit cognatio; neque est sacrilegium (intellige quoad hanc circumstantiam), dum nulla sacramento iniuria irrogatur. Recte vero advertit Elbel [24] cum Henno parochum peccantem cum tali poenitente peccare etiam contra iustitiam, cum ex iustitia teneatur suas oves pascere ex Trid. non solum verbo, sed etiam exemplo.

452. Quaer. 5. An propinqui, obtenta dispensatione ad matrimonium contrahendum, si ante matrimonium fornicentur, incestum committant. Affirmant probabiliter Maior et Gallego ap. Croix [25] quia impedimentum propinquitatis non censetur auferri per dispen-

(1) Ex copula licita usque ad quartum gradum, ex illicita usque ad secundum. Hom. Ap. tr. 9. n. 17. (2) C. 6. (3) Disp. 16. n. 512. (4) Loc. c. (5) De actibus humanis e. 2. c. 6. (6) D. 9. de poen. diss. 4. (7) L. 8. de matr. d. 55. (8) D. 32. (9) V. Confessio. (10) N. 355. (11) L. 6. p. 2. n. 1073. (12) Ibid. (13) 2. 2. q. 154. a. 10. ad 2. (14) Ib. n. 40. (15) Ib. n. 1078. (16) Ib. n. 41. (17) C. 5. n. 43. (18) Tr. 30. n. 105. (19) De matr. c. 3. n. 620. (20) De 6. praec. n. 141. (21) Eod. tit. n. 669. (22) N. 42. (23) De 6. praec. a. 4. v. Quaer. 1. ex c. ult. de cogn. spir. (24) Loc. c. (25) L. 6. p. 2. n. 1077.

sationem, nisi tantum ut ipsi coniuncti possint matrimonium contrahere, non autem fornicari. Sed non minus probabiliter contradicit Sanch. [1] cum Cai. Arm. et Vega, et idem sentit Lug. [2]. Ratio, quia dispensatio non concedit quidem fornicationem, sed tollit prohibitionem matrimonii; ubi autem matrimonium non est vetitum, ibi non est incestus; ergo, cessante matrimonii prohibitione, cessat tanquam accessoria prohibitio specifica fornicationis.

453. Nota hic, quod omnes tactus inter consanguineos, saltem primi et secundi gradus, sunt incestus, iuxta receptam sententiam. v. *dub. seq. n.* 469.

454. « 6. Sacrilegium, hoc est violatio rei sacrae per actum venereum. Res autem sacrae, quae sic violantur, sunt locus et persona. Unde sacrilegium est 1. omnis actus luxuriosus exterior (qualis etiam est v. g. pollutio; et probabiliter etiam tactus impudici, v. Lugo [3]) in loco sacro, hoc est templo vel coemeterio; nisi tamen fiat a coniugibus ex necessitate, v. gr. ad vitandam incontinentiam: 2. omnis actus luxuriosus tam interior, quam exterior in persona vel cum persona voto castitatis consecrata: circa quem tamen probabile est, non opus esse exprimere, utrum fuerit votum solemne, an simplex: sicuti neque, si duplici titulo sit sacrata, v. gr. quia est sacerdos et religiosus: quia est moraliter una numero malitia: Sanch. [4] Henr. et ceteri quos citat Dian. et sequitur [5]. V. Lugo [6] Bon. [7] Esc. [8]. »

Pro clariori intelligentia, quaestiones super hoc punctum segregatim exponam quoad sacrilegium circa *personam*, circa *locum*, circa *res*.

455. 1. Circa *personam*, quaeritur 1. An sacerdos, qui sit etiam religiosus, peccans contra castitatem duo committat sacrilegia. Prima sententia affirmat, quia talis, ut religiosus debet servare castitatem ratione voti, ut sacerdos autem ratione praecepti ecclesiae. Ita Lessius [9] Con. Led. etc. Sed negant verius Sanch. [10] Pal. Az. Trull. etc. cum Salmant. [11]. Ratio, quia, quamvis ex duplici praecepto talis sacerdos maneat obstrictus voto castitatis, attamen contra idem praeceptum, et ex eodem motivo peccaret; dum sacerdos non iam ex ecclesiae constitutione, ut isti censent, sed tantum ratione voti sacris ordinibus annexi ad castitatem obligatur, iuxta probabiliorem sententiam. V. *de ord. l.* 6. *n.* 808. Praeterea, etiamsi obligatio castitatis in sacerdote immediate esset tantum ex ecclesiae praecepto, is tamen laedendo castitatem etiam peccaret contra religionem, iuxta commun. dd. sententiam ibid. allatam, quia ecclesia ex solo motivo religionis ob reverentiam sacri ordinis, coelibatum suis ministris imponit. Recte enim ecclesia potest efficere, ut materia alicuius sui praecepti sit materia alicuius virtutis, ut probat Croix [12] cum Suarez et Card. Vide de hoc *l.* 6. *n.* 470. *circa fin.*

456. Quaer. 2. An persona sacra rem habens cum alia sacrata duplex sacrilegium committat. Quicquid dicat Sa, omnino est affirmandum cum Less. [13] Elb. [14] Salm. [15] cum Fill. Bon. et communi, quia is dupliciter religionem offendit, scilicet peccato proprio et peccato alterius cui cooperatur.

457. Quaer. 3. An habens votum castitatis sacrilegium committat, si alterum suo consilio inducat ad carnale peccatum. Affirmant probabiliter Lugo Leand. Perez. Salm. [16]. Ratio, quia (ut isti dicunt) non induceret ille alios ad castitatem laedendam, nisi ipse ad libidinem positive affectus esset, ideoque ipse quoque castitatem offendit. Sed satis probabiliter etiam negant Sanch. [17] et Dicast. apud Salm. [18]. Quia castitatis votum emittens, non alienam sed tantum propriam castitatem respicit. Attamen prima sententia mihi certo probabilior videtur, si ille ex positivo affectu ad libidinem alterum ad pecca-

(1) De matrim. l. 7. d. 67. n. 9. (2) De iust. d. 5. n. 13. (3) N. 464. (4) De matr. l. 7. d. 27. n. 27. (5) P. 1. t. 7. r. 3. (6) D. 16. de poen. s. 4. (7) Q. 4. p. 17. (8) E. 8. (9) L. 4. c. 3. n. 87. (10) De matr. l. 7. d. 25. n. 28. et 31. (11) De 6. praec. c. 6. n. 7. (12) L. 1. n. 626. et seq. (13) L. 4. c. 4. n. 84. (14) De 6. praec. n. 248. (15) C. 6. n. 5. (16) C. 6. n. 10. (17) Dec. t. 2. l. 5. c. 6. n. 11. (18) Ibid. n. 9.

tum induceret, secus, si ex alio pravo fine. Omnino autem tenendum cum Salmant.[1] contra paucos, sacrilegium utique committere religiosum, qui morose delectaretur de peccato carnali alterius, vel qui alterum suis manibus pollueret, etiam sine sua delectatione.

458. 2. Circa *locum*, quaeritur 1. an copula maritalis aut occulta habita in ecclesia aut sine alia culpa, sit sacrilegium. Praenotandum, quod [2] prohibetur sanguinis aut seminis voluntaria effusio, per quam (modo effusio certe sit peccatum mortale et sacrilegium), ecclesia remanet polluta, donec iterum benedicatur. Sed dubium est, quaenam effusio ad id sufficiat. Adsunt tres sententiae, omnes satis probabiles, ut recte aiunt Salm. [3]. *Prima* sententia tenet, praeciso scandalo, nunquam esse sacrilegium copulam maritalem, sicuti nec sanguinis effusionem ob defensionem factam; quia praedicta lex, cum sit poenalis, stricte est intelligenda, nimirum de sola effusione illicita. Ita Glossa[4] dicens hoc esse secundum Hyginum papam [5] qui ait: *Si homicidio vel adulterio ecclesia violata fuerit, expurgetur:* Pontius [6] Sa [7] item Alensis Rosel. ac Henr. et probabile putant Sot. Dic. etc. apud Salm. [8].

Secunda sententia distinguit et dicit committi quidem sacrilegium, et ecclesiam pollui per sanguinis aut seminis effusionem publicam; non vero per occultam: scilicet nemini notam aut tantum duobus, aut tribus. Ita Glossa [9]: *Si pollutio fuerit occulta, ecclesia non debet reconciliari: dicunt enim theologi, quod ideo reconciliatur ecclesia, ut videntes ecclesiam lavari, cogitent quantum pro lavatione peccatorum sit laborandum.* Item Pontius [10] (vocans communem), Tolet.[11] Sa [12] Nav. [13] Azor.[14] et Vasq. Coninch. Rodr. etc. apud Salm.[15]. Ratio, quia, ut isti inquiunt, talis effusio non est sacrilegium de iure divino, sed tantum de iure ecclesiastico, quo sola publica effusio prohiberi videtur, dum tantum per istam aufertur in opinione hominum reverentia loco sacro debita; et saltem ob tantorum dd. auctoritatem hanc sententiam probabilem bene putant Salm. [16]. Notant tamen, quod, ut effusio dicatur iam publica, sufficit, si manifestetur verbis; aut si vir et femina in eodem toro cubare cernantur.

Tertia sententia probabilior dicit, adhuc per copulam maritalem occultam committi sacrilegium, et ecclesiam pollui, nisi fiat ex morali necessitate: ratio, quia textus citati universe loquuntur de quacumque effusione, et sic rectius intelligendi, dum etiam per copulam occultam et licitam ecclesiae gravis iniuria irrogatur: et ipsa etiam probabilius polluitur; quamvis tamen, cum sit crimen occultum, non sit obligatio a divinis officiis abstinere. Ita Sanch.[17] Bon.[18] Holz.[19] Croix[20] Salm.[21] cum Suarez Less. Sylv. Opinantur autem isti dd. tunc coniuges in morali necessitate esse, quando sunt in periculo incontinentiae, vel quando diu in ecclesia permanere deberent, nempe per 10. dies ut aliqui censent: alii per 20., alii vero per mensem. Et casu, quo coniuges iudicarent per mensem in ecclesia esse mansuros, etiam ab initio mensis copulari possunt. Ita Sanch.[22] et Salm.[23] cum aliis.

459. Quaeritur 2. an autem soli tactus impudici habiti in ecclesia sint sacrilegia. Negant plures dd. ut Sanchez[24] cum Cai. Nav. et Bon. Fag. Zan Dian. Candid. Leand. etc. apud Moya, dummodo absit periculum pollutionis; ratio, quia talibus tactibus non violatur ecclesia adeo ut impediantur divina officia, ideoque cessat ratio sacrilegii. Sed probabilius contradicunt

(1) C. 6. n. 13. et 14. (2) Ex c. un. de cons. eccl. in. 6. et ex c. Ecclesiis 20. de cons. dist. 1. (3) De matr. c. 15. n. 61. in fin. (4) In d. c. Ecclesiis 20. v. Semine. (5) In c. 19. anteced. (6) De matr. l. 10. c. 10. n. 13. (7) V. Ecclesia n. 14. (8) L. c. (9) In cit. c. un. de consecr. in 6. v. Si polluit. (10) Loc. c. n. 9. (11) L. 5. c. 8. v. Secunda causa. (12) V. Ecclesia, n. 19. (13) C. 27. n. 250. (14) T. 1. l. 10. c. 26. q. 3. (15) D. c. 15. n. 63. et 64. (16) N. 65. (17) De matr. l. 9. d. 15. n. 12. (18) De matr. q. 4. p. ult. n. 6. (19) De 6. praec. n. 667. (20) L. 6. p. 2. n. 1070. (21) Ib. n. 65. et 66. (22) L. c. (23) N. 67. et 68. (24) De matr. l. 9. d. 15 n. 21.

Elbel [1] Holz. [2]. Item Sylvest. Cordub. Lop. et Manuel. apud Sanch. [3]. Ratio, quia tactus inhonesti eamdem malitiam habent, quam ipsa copula, et ideo sunt sacrilegi, non ob violationem ecclesiae statutam fieri tantum per pollutionem, sed ob gravem irreverentiam quae loco sacro irrogatur. Non ideo enim pollutio est sacrilegium, quia polluitur ecclesia; sed ideo polluitur ecclesia, quia pollutio est sacrilegium.

460. Per *locum* autem sacrum comprehenditur omnis locus ab episcopo benedictus et deputatus ad officia divina aut ad mortuos sepeliendos, a tecto usque ad pavimentum. Non autem comprehenduntur cellae, claustrum, sacristia, dormitorium, tectum supra ecclesiam, ianua extra limen ecclesiae, atrium. Ita Salm. [4] cum Sanch. Dic. Boss. Nec etiam oratoria privata: nisi sint erecta auctoritate episcopi, ut fieri solet in hospitalibus, quia tunc sunt verae ecclesiae et ibi omnes missam audire possunt, ut Salm. [5] cum Pal. Suar. Fag. etc. Secus autem, si sint mere privata, quamvis ibi dicatur missa ex concessione papae vel episcopi, iuxta dicenda *de sacr. euch. l.* 6. *num.* 357. *et* 359.

461. Quaeritur 3. an verba et aspectus lascivi in ecclesia habiti sint sacrilegia. Tres pariter adsunt sententiae. *Prima* docet omnes actus externos, etiam leviter turpes, in ecclesia habitos esse sacrilegia. Ita Sylv. et Cordub. apud Salm. [6].

Secunda sententia damnat, ut sacrilegia, tantum actus externos graviter turpes. Ita Sanch. [7] Salm. [8] cum Suar. Molin. Dic. etc.

Tertia sententia, quam tenent Tol. Con. Vasq. Basil. Dian. Valent. etc. apud Salm. [9] Holzm. [10] vocans communem, et ut certam alibi sequuntur Salm. [11] (licet sibi contradicant), negat tales actus aut leviter aut graviter turpes esse sacrilegos. Ratio quia huiusmodi colloquia aut aspectus turpes, sive etiam oscula libidinosa (secluso semper periculo pollutionis), licet sint mortalia et mortaliter deformia, non tamen continent per se gravem deformitatem physicam contra reverentiam loco sacro debitam. Hoc tamen non obstante, puto secundam sententiam absolute probabiliorem.

462. Quaeritur 4. An sint sacrilegia cogitationes turpes habitae in ecclesia. Recte distinguunt Salm. [12] cum Soto Nav. Azor. Suar. etc. Affirmant si desideria sunt deliberata peccandi externe in ecclesia, etiamsi illa extra ecclesiam habeantur, iuxta dicta *hoc l.* 3. *n.* 43. cum Salm. etc. communiter. Secus dicendum, si desideria sint peccandi extra ecclesiam, contra Medin. Si vero consensus sit peccandi intra ecclesiam, sed occulte, sacrilegium est iuxta nostram sententiam allatam mox *n.* 461.

463. 3. Circa *res sacras*, est etiam sacrilegium abuti rebus sacris ad turpiter peccandum; ideo sacrilegium quidem committit, qui indutus ad missam se polluerit etc. ut Dian. et Tancred. apud Salm. [13].

Dubitatur an sacerdos gestans sacramentum eucharistiae, peccando externe vel interne contra castitatem committat aliud sacrilegium. Affirmant communiter Tamb. [14] et Sanch. [15] cum aliis. Ratio, quia sancta sancte tractanda. Sed vide dicenda *l.* 6. *num.* 35. *in fin. v. Valde.* Sic pariter dicunt Salm. [16] cum Lugo, Tamb. etc. non posse excusari a sacrilegio, qui se pollueret statim post communionem, scilicet post mediam horam circiter.

Non autem committit sacrilegium, qui peccat gestando reliquias aut agnos cereos; neque, si illas daret amasiae titulo donationis. Secus, si daret in pretium peccati; nam esset tunc sacrilegium et simonia. Salm. [17] cum Azor. et Fill.

(1) De sacril. n. 576. (2) De 6. praec. n. 721. (3) Loc. c. ex n. 15. (4) De matr. l. c. n. 69. 70. et de 6. praec. c. 6. n. 27. et seq. (5) De privil. tr. 18. c. 5. n. 87. (6) De 6. praec. c. 6. n. 20.

(7) De matr. l. 9. d. 15. n. 20. (8) Ib. ex n. 21. (9) N. 19. (10) De 6. praec. n. 721. (11) De matr. c. 15. n. 68 in fin. (12) Ib. n. 24. (13) C. 6. n. 37 (14) De meth. confess. l. 2. c. 7. §. 5. n. 42. (15) C. 6. n. 36. (16) N. 37. (17) C. 6. n. 38. et 39.

An autem sit sacrilegium peccatum carnale commissum in diebus festis. Affirmant aliqui. Sed probabilius negatur cum Salm., quia finis praecepti non cadit sub praecepto. Vide dicta *hoc l.* 3. *n.* 46. *et* 273.

Dubium III. Quae sint species luxuriae consummatae contra naturam.

464. « Resp. Cum contra naturam esse dicantur eae, in quibus fit seminatio modis repugnantibus institutioni naturae, ita ut iuxta tales modos species varientur; hinc resolvitur, tales species esse sequentes.

» 1. Est congressus inordinatus, hoc est innaturalis sive indebitus concumbendi modus, cum scil. servatur quidem identitas speciei, diversitas sexus et debita naturae organa, sed inordinato tantum modo acceditur: v. gr. cum vir succumbit, vel averse accedit more pecorum vel a latere vel stando aut sedendo, aliave ratione insolita: quod est contra naturam: mortale, quando inde periculum est impediendae generationis aut effundendi seminis: alias, si hoc periculum caveatur aut non sit, eo quod matrix foeminae satis attrahat semen et retineat, ut fit plerumque, non contra, sed praeter naturam erit, et veniale grave; imo nullum, si gravis causa adsit, v. gr. quia mulier est praegnans vel quia corporis dispositio sive utriusque sive alterutrius coniugis aliter fieri non patitur. Fill. [1] (Vide dicenda *de matr. l.* 6. *n.* 917.).

465. » 2. Mollities sive pollutio et est cum absque congressu seu copula, voluntarie procuratur fluxus seminis, sive id foras effundatur, uti in maribus, sive intus defluat in matricem, ut in foeminis. Et hoc peccatum praeter propriam malitiam, saepe aliam habet adiunctam, v. gr. fornicationis, adulterii, incestus etc. cum quis nimirum simul imaginatur aut desiderat congressum alicuius personae liberae, coniugatae etc. quod proinde si fiat, in confessione aperiendum est. Plura de mollitie v. sequenti dubio.

466. » 3. Sodomia imperfecta et est congressus cum debito quidem sexu, maris nempe cum foemina, sed extra vas naturale. Potest etiam simul habere alias malitias, v. gr. adulterii, si fiat cum coniugata; incestus, si cum consanguinea. Bon. [2] Fill. [3].

» 4. Sodomia perfecta et est congressus duorum eiusdem sexus, ut maris cum mare vel foeminae cum foemina, et potest etiam habere alias malitias adiunctas, v. gr. incestus, quo casu cognationis gradum non necessario explicari docet Escob. [4] sed satis esse dicere, coivi cum consanguineo vel affine; quia nec miscetur caro, nec contrahitur affinitas, nec linea variat speciem. Ita ille. Explicandum tamen esse, fuerisne agens an patiens, dicit c. Lugo [5] contra Dian. [6]. »

Quaestio magna est, in quonam actu consistat sodomia. Alii tenent consistere in concubitu ad indebitum vas, alii in concubitu ad indebitum sexum. Utraque sententia est probabilis et in utraque sententia cernitur specialis deformitas, quam habet sodomia contra naturam, quae requirit utrumque servari ad generationem, idest debitum vas et debitum sexum.

Primam autem sententiam, quod sodomia sit in congressu ad indebitum vas, tenent Trull. Reg. Henr. Covarr. Lez. Leand. Llamas et communiter iu-

(1) Tr. 30. c. 8. q. 8. n. 137.
(2) Q. 4. de matr. p. 11. n. 1. (3) Loc. c. n. 138.
(4) De act. hum. e. 2. c. 6. (5) D. 16. n. 423.
(6) T. 2. t. 4. de sacram. r. 159. et p. 6. t. 6. r. 56

ristae apud Salm. [1]. Hinc dicunt veram sodomiam committere qui coit in vase praepostero cum persona etiam sexus diversi.

Secunda vero sententia probabilior et communis theologorum tenet consistere in congressu ad indebitum sexum. Ita s. Th. [2] Less. [3] Holzm. [4] Elbel [5] ac Salm. [6] cum Sa Azor. Bon. Cai. et aliis plurimis. Ratio, quia vera et propria sodomia committitur in accessu ad personam, cum qua nullo modo generatio fieri potest. Hinc infertur 1. esse veram sodomiam coitus foeminae cum foemina, ut dicunt s. Th. [7] Ronc. [8] Holz. [9] Sporer [10] Salm. [11] cum Cai. etc. Quamvis non improbabiliter sentiat Elb. [12] cum Felice Pot. [13] huiusmodi concubitum, etiam cum affectu ad vas praeposterum, non videri nisi sodomiam impropriam, cum inter foeminas non possit dari copula perfecta. Infertur 2. esse veram sodomiam quemcumque concubitum sive corporum coniunctionem habitam cum persona eiusdem sexus, sive in vase praepostero, sive in alia parte; semper enim adest tunc, regulariter loquendo, affectus ad indebitum sexum, ut tenent Tamb. [14] Ronc. [15] Cont. Tour. [16] Croix [17] Salm. [18]. Hinc dicunt Ronc. Tamb. [19] et Salm. [20] contra Graff. non esse necessario in confessione explicandum, si pollutio fuerit intra vel extra vas; sufficit enim confiteri, *peccavi cum puero*, ut confessarius iudicet adfuisse sodomiam cum pollutione. Si vero non adfuerit pollutio, deberet explicari. Infertur 3. cum Salm. [21] ac Cai. Sa Bon. Tamb. et communiori, coitum viri in vase praepostero mulieris esse sodomiam tantum imperfectam, specie distinctam a perfecta, ut aiunt Tourn. [22] et Tamb. [23] qui notat [24] cum Fill. et recte consentiunt Holz. [25] et Spor. [26] cum communi, ut asserit, quod si vir coiret inter crura, brachia, aut alias partes mulieris, esset quaedam copula inchoata, saltem in affectu. Unde iuxta hanc doctrinam, vir concumbens cum virgine extra vas, duo committit peccata, contra eamdem quidem castitatem, sed diversae speciei, unum fornicationis in affectu, alterum contra naturam in effectu. Dicunt autem praefati Spor. Holzm. et Tamb. [27] cum Angel. quod confessarius intelligens mulierem cognitam fuisse extra vas naturale, aut praeposterum, non debet quaerere in quo loco vel quomodo. An autem pollutio in ore sit diversae speciei. Affirmat Sporer [28] cum aliquibus apud Dian. et hoc peccatum vocant irrumationem. Sed probabilius dicunt Holz. [29] et Fill. [30] cum Cai. Graff. etc. quod si vir polluitur in ore foeminae erit copula inchoata, ut supra: si vero in ore maris, erit sodomia. Quale vero peccatum sit coire cum foemina mortua, dicendum cum Holz. [31] Salm. [32] Spor. [33] cum Tamb. etc. communiter, non esse fornicationem, quia fit cum cadavere: nec bestialitatem, ut quidam volunt; sed esse pollutionem et fornicationem affectivam.

467. Dubitatur 1. an pollutio habita tangendo puerum aut mulierem dormientem, aut doli incapacem, aut pudenda bestiarum, sed absque concubitu, sit diversae speciei a simplici pollutione. *Prima* sententia affirmat et dicit talem pollutionem cum puero esse sodomiam, cum foemina vero esse copulam inchoatam. Ita Spor. [34] et Dic. et Diana apud Salm. [35].

Secunda vero sententia cum Cai. [36] Az. [37] Bonac. [38] et Salm. [39] cum Trull. Mach. Sayr. Fill. Bassaeo etc. tenent esse simplicem pollutionem. Ratio, quia, quando abest concubitus, dicunt de materiali se habere, quod fiat pollutio tactibus propriis vel alienis. Suf-

(1) De 6. praec. c. 7. ex n. 81. (2) 2. 2. q. 154. a. 11. in corp. (3) L. 4. c. 3. n. 89. (4) De 6. praec. n. 676. (5) N. 265. (6) Loc. c. (7) Loc. c. (8) De 6. praec. c. ult. q. 1. (9) Loc. c. (10) De matr. c. 3. n. 626. (11) N. 80. (12) Loc. c. (13) De 6. praec. n. 2171. (14) In meth. conf. c. 7. n. 69. (15) Loc. c. (16) De 6. praec. a. 6. sect. 2. (17) L. 5. p. 1. n. 916. et l. 6. p. 2. n. 1082.

(18) Loc. c. n. 81. (19) Ibid. n. 72. (20) N. 87. in fin. (21) N. 82. (22) Loc. c. (23) Ibid. n. 74. (24) Ibid. n. 64. (25) N. 720. (26) N. 536. (27) Ibid. n. 77. (28) N. 637. (29) Loc. c. (30) Tr. 30. n. 155. (31) N. 720. (32) N. 74. (33) N. 639. (34) N. 635. (35) C. 7. n. 9. (36) 2. 2. q. 154. a. 11. (37) L. 3. p. 5. c. 23. q. 1. (38) De matr. q. 4. p. 10. n. 15. (39) N. 10.

ficit tunc confiteri, *habui pollutionem tactibus alienis;* quando enim non adest concubitus non adest affectus ad sexum, sed ad pollutionem: et haec est probabilior. Notat ideo Ronc. [1] cum Bon. Trull. et Fill. quod si quis polluitur tactibus alienis, non oportet ut explicet, an tactibus viri vel foeminae; quia, cum tantum pollutio tunc intendatur, etiam de materiali se habet, si tactibus viri vel foeminae illa eveniat. Secus tamen dicendum, si facta sit tactibus coniugatae, vel votum castitatis habentis.

468. Dubitatur 2. an in peccato sodomiae explicandum sit, si quis fuerit agens vel patiens. Negant Salm. [2] cum Dian. etc. quia, dicunt, taliter coeuntes communiter ambo polluuntur. At verius explicandum est, secundum Holz. [3] Tourn. [4] Mazz. [5] et Tamb. Leand. Lugo etc. apud Salm. [6]; quia in agente multo facilius adest pollutio quam in patiente.

469. Dubitatur 3. an sodomia inter consanguineos aut affines addat speciem incestus. Tres sunt sententiae. *Prima* universe negat cum aliquibus apud Diana, qui eos sequi videtur. Quia dicunt incestum committi tantum et quando adest coitus in vase debito cum mixtione sanguinum. Sed haec non videtur satis probabilis.

Secunda sententia, quam tenent Bonac. [7], item Azor. Cand. etc. ap. Salm. [8] dicit coitum sodomiticum inter propinquos in 1. et 2. gradu esse quidem incestum, cum hic sit vetitus de iure naturali; non vero coitum inter propinquos in 3. et 4. gradu, qui prohibetur tantum a iure positivo inter marem et foeminam in ordine ad matrimonium; quare dicunt coitum sodomiticum, qui non dicit ordinem ad matrimonium, non esse vetitum inter tales propinquos de iure positivo praecise ratione propinquitatis.

Tertia sententia, quam probabiliorem puto cum Lugo [9] Cont. Tourn. [10] Ronc. [11] Croix [12] cum Sylv. et Graff.; item Leand. Dic. etc. cum Salm. [13] docet omnem coitum, sive naturalem sive innaturalem inter propinquos usque ad 4. gradum, sive sint consanguinei sive affines, sive sint cognati legales sive spirituales, induere malitiam incestus. Ratio, quia ex lege ecclesiae iam debetur his omnibus reverentia et pietas, quae si deturpatur coitu naturali, tanto magis coitu innaturali. Sic etiam dicunt Salm. [14] incestum committere, qui polluitur tactibus alicuius coniuncti in quarto gradu. Idemque dicendum de aliis tactibus impudicis, in quibus explicanda est species personae complicis, an sit consanguinea, coniugata etc. cum Cont. Tournely [15] et Viva, ac Salm. [16] qui asserunt esse commune. Notandum vero, ut certum explicandum esse in confessione, si sodomia sit habita cum violentia, vel cum persona ligata voto castitatis: et insuper, si cum coniugata, quia fides matrimonii postulat, ut coniux nullo concubitu carnem suam cum aliis dividat. Sanch. Trull. cum Salm. [17].

470. Quoad poenas autem huius criminis, sciendum sodomitas a lege civili damnari poena mortis et combustionis; a iure autem canonico ex bulla s. Pii v. apud Salm. [18] tam clericos quam laicos religiosos hoc dirum nefas *exercentes* (verba bullae) *omni privilegio clericali, officio, beneficio praesentis canonis auctoritate privari.* Et insuper praecipit s. pontifex, ut ii potestati saeculari tradantur.

471. Hic plures quaestiones agitantur, circa quas, brevitatis gratia, dicimus probabilius esse ad praedictas poenas incurrendas requiri: 1. Ut sodomia sit consummata cum pollutione intra vas, ut contra Laguna tenent Roncag. [19] Bon. [20] Holzm. [21]: item Suar. Nav. Fill. Az. Barb. cum Salm. [22] et communi; nam lex poenalis semper exigit ut crimen sit per-

(1) De 6. praec. c. 7. q. 6. (2) C. 7. n. 87. (3) N. 678. (4) Loc. c. n. 2. (5) T. 1. p. 13. (6) N. 86. (7) De matr. p. 4. n. 10. et 11. (8) C. 7. n. 90. (9) De poen. d. 16. a n. 345. (10) Loc. c. a. 4. q. 2. (11) C. ult. q. 2.

(12) L. 6. p. 2. n. 1082. (13) N. 92. (14) N. 94. (15) Loc. c. a. 7. sect. 1. v. Hic. (16) Ibid (17) Ibid. ex n. 98. (18) C. 7. n. 107. (19) De 6. praec. c. ult. q. 5. (20) De matr. q. 4. p. 11. n. 2. (21) C. 3. n. 750. (22) C. 7. n. 109.

fectum et consummatum. 2. Ut sodomia sit maris cum mari; nam coitus sodomiticus maris cum foemina non est vera sodomia, ut Bon.[1] et cum Az. Hurt. Dic. et communiori tenent Salmant.[2] contra Less. et Garcia. Hinc probabiliter notant Salm.[3] cum Bon. etc. quod sodomia cum foemina non comprehenditur sub reservatione sodomiae. Secus vero si sit reservatum peccatum contra naturam. An autem, sub reservato peccato contra naturam, comprehendatur pollutio. Videtur de se comprehendi; sed Salmanticens.[4] cum Hurt. negant, quia episcopi, ut dicunt, communiter pollutiones in huiusmodi reservatione comprehendere non intendunt. 3. Quod ad poenas clericorum pertinet, ut actus sodomiae sit frequentatus sive usu continuatus, ut ait Navarr. Hoc enim importat verbum *exercentes*, ut supra in bulla expressum. Ita Bon.[5] et Salm.[6] cum Barb. Suar. Hurt. Henr. et communi contra Lop. Farinac. etc. Hinc excusatur qui semel vel bis peccaret.

Sed magis dubitatur 1. an clerici sodomiam patientes poenas incurrant. Negant Hurt. Graff. etc. apud Salm.[7] quia dicunt, verbum *exercentes* proprie significare actionem non passionem, et haec satis probabilis videtur. Contrariam vero merito tenent esse probabiliorem Salm.[8] cum Dian. Bon. Barb. etc. quia patientes etiam sunt veri sodomitae; pari modo ac foeminae a poenis adulterorum, licet sint tantum patientes, non excusantur.

472. Dubitatur 2. an praedictae poenae ante sententiam incurrantur. *Prima* sententia affirmat, quia pontifex dicit: *Praesentis canonis auctoritate privamus*. Ita Azor. Dic. Far. Garc. etc. apud Salm.[9].

Secunda tamen verior et communior sententia negat cum Nav.[10] Suar.[11] Bon.[12] Less.[13] et Salm.[14] cum Barb. Fill. Trull. Dian. Hurt. etc. Ratio, quia (ut probant Salm.[15]) nulla poena privans aliquo iure acquisito incurritur, nisi post sententiam, quamvis in lege exprimatur poena ipso facto incurri. Imo etsi ibi dicatur: *Nulla expectata iudicis sententia:* tunc enim saltem requiritur sententia declaratoria criminis. Ratio, quia nimis dura esset lex, qua per seipsum quis poenas exequi teneretur, priusquam per sententiam damnaretur. Vide dicta *l. 1. n.* 148.

473. Dubitatur 3. an clericus bestialitatem exercens poenas sodomitarum incurrat. Affirmant Quaranta Ledes. Rodriq. etc. apud Salm.[16] quia, ut dicunt, etiam lex poenalis extendi debet de casu ad casum, quando currit eadem ratio et crimen est gravioris malitiae, ut esset in hoc casu. Sed opposita tenenda est cum p. Concina[17]. Salm.[18] cum Barb. Bon. Dian. etc. quia ratio primae sententiae currit in lege praeceptiva quae omnino pendet a ratione legis; non vero currit in lege poenali quae pendet non solum a ratione legis sed etiam a voluntate legislatoris; ideoque in ea non valet argumentum a pari.

474. « 5. Bestialitas, quod est gravissimum inter omnes, et est congressus in quo non servatur identitas speciei, v. gr. si homo coeat cum bestia sive eiusdem sexus sit sive non (Bestialitas est gravius peccatum, quam sodomia, quia non solum ibi non servatur debitum vas aut sexus, sed neque debitum genus. Salm.[19]). Neque opus est explicare, qualis sive cuius speciei fuerit: quia est differentia tantum materialis et in genere entis, non autem formalis et in genere moris. Escob.[20] Filliuc.[21] (Hoc est commune cum Salm.[22] et Elbel[23] cum Henno etc.). »

Sed dubitatur, an opus sit explicare, an bestia illa fuerit mas aut foemella. Affirmant Croix[24] Elb.[25] Holz.[26] quia (ut dicunt) moraliter diversa est deformitas congressus cum bestia mari et cum foemella. Sed communiter (ut fatetur

(1) Loc. c. n. 5. (2) Ibid. n. 111. (3) N. 112. (4) N. 115. (5) N. 2. (6) N. 121. (7) N. 116. (8) N. 117. (9) C. 7. n. 124. (10) §. 27. n. 249. (11) De cens. t. 5. d. 31. sect. 4. n. 22. (12) De matr. q. 4. p. 11. n. 3. (13) L. 2. c. 29. n. 73.

(14) N. 125. (15) Tr. 11. c. 2. ex n. 50. (16) N. 126. (17) C. 5. (18) C. 129. (19) C. 7 p. 7. n. 159. (20) E. 2. c. 6. (21) T. 2. tr. 30 c. 7. n. 151 (22) C. 7. n. 140. (23) N. 260. (24) L. 6. p. 2. n. 1083. (25) N. 261. (26) N. 684.

idem Elbel) et probabilius negant Cont. Tournely[1] Fill.[2] Tamb.[3] Felix Pot.[4] Azor.[5] Renzi[6] cum Graff. et de Ianuar. Ratio, quia tota essentialis deformitas huius facinoris consistit in accessu ad diversam speciem; unde circumstantia sexus omnino accidentalis est nullamque in genere moris differentiam involvit. Tactus autem impudici cum bestia, licet non sint proprie peccata bestialitatis, tamen habent aliquam specialem turpitudinem, ut ait Elbel[7], saltem venialem.

475. « Ad bestialitatem autem revocatur peccatum cum daemone succubo vel incubo. Cui peccato superadditur malitia contra religionem; et praeterea etiam sodomiae, adulterii vel incestus, si affectu viri vel mulieris sodomitico, adulterino vel incestuoso cum daemone coeat. Vide Bon.[8] Fill.[9]. »

Bene ait Busemb. quod congressus cum daemone reducitur ad peccatum bestialitatis, ut dicunt etiam Tamb.[10] Elbel[11] cum Bon. Fill. et Salm.[12] cum Cai. Azor. et Trull. Praeter autem crimen bestialitatis accedit scelus superstitionis. An autem qui coit cum daemone apparente in forma coniugatae, monialis aut consanguineae, peccet semper affective peccato adulterii, sacrilegii aut incestus. Videtur universe affirmare Bus. cum aliis ut supra; sed valde probabiliter negandum, si concumbens delectetur de muliere illa a daemone repraesentata, non qua nupta aut moniali, sed qua pulchra, iuxta sententiam Lugonis Pal. Vasq. et aliorum plurium, qui valde probabiliter docent, quod delectatio morosa non involvit speciem obiecti de quo aliquis delectatur, nisi circumstantia personae intret in delectationem; vide *l.* 5. *n.* 15.

Dubium IV. An aliquando liceat procurare pollutionem.

476. *An pollutio sit vetita de iure naturae.*
477. *An distillatio voluntaria sit mortalis.*
478. *An liceat expellere semen corruptum.*
479. *An teneamur impedire pollutionem incoeptam.*
480. *An liceat ob finem honestum pollutionem optare vel de ea gaudere.*
481. *Quid si praevideatur pollutio secutura ex re honesta. Quid si ex re illicita.*
482. *Est certe mortalis pollutio orta ex causa turpi in eam graviter influente.*
483. *Quid si actio ponatur ex iusta causa, puta 1. ad medendum, ad audiendas confessiones, ad alloquendum iuxta morem, etc. 2. ad abigendum pruritum. 3. ad equitandum. 4. ad decumbendum aliquo situ. 5. ad moderate edendum etc. Quid si chirurgus aut parochus in iis aliquoties consenserint in pollutionem. Quid de simplici confessario. Et quid si quis fere semper reciderit.*
484. *An sit mortalis pollutio orta ex causa in eam leviter influente. Quid si causa sit in eodem genere luxuriae; si lapsus fuerit frequens. Quid si causa sit in alio genere. An saltem sit veniale eam ponere.*
485. *De pollutione secuta in somno. An mutua pollutio habeat diversam malitiam.*

476. « Resp. Auctoritate scripturae, quae molles a regno coelorum excludit[13], docent omnes nullo casu licitum esse intendere vel procurare directe mollitiem, ne causa quidem sanitatis ac vitandae alias certae mortis. Causam dat Sanch.[14] quod natura administrationem seminis extra matrimonium in omni eventu homini denegarit, eo quod adeo vehemens sit in ea re sensus voluptatis, ut homines passione excaecati passim sibi facile persuaderent habere se iustam causam irritandi seminis, unde plurima gravissimaque vitia contra bonum commune et in impeditione generationis emergerent. »

Adverte hic 1. ante omnia prop. 49. damnatam ab Innocentio XI. quae dicebat: *Mollities iure naturae prohibita non est: unde, si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali.* Haec merito est damnata; si enim fornicatio est mala quia est contra educationem prolis, peior est pollutio quae est contra prolis generationem. Adverte 2. quod pollutio spadonum et puerorum (licet illi semen perfectum non habeant) nihil differt a pollutione adultorum. Adverte 3. quod omnes pollutiones secundum se sunt eiusdem speciei, quocumque modo fiant, si fiunt sine concubitu, ut

(1) De 6. praec. a. 6. sect. 2. n. 3.
(2) Tr. 30. c. 8. n. 161.
(3) Dec. l. 7. c. 7. §. 5. n. 1.
(4) De 6. praec n. 2182
(5) L. 3. c. 22. q. 3.
(6) De 6. praec. c. 3. q. 16.
(7) Loc. c.
(8) De matr. q. 4. p. 12.
(9) N. 162.
(10) Ibid.
(11) N. 262.
(12) N. 141.
(13) 1 Cor. 6. 10.
(14) L. 9. d. 17.

dicunt Az.[1] Bon.[2] Anacl.[3]: vide dicta *n.* 467. Dicitur *secundum se*, quia ratione circumstantiae possunt ei adiungi aliae malitiae specie distinctae, puta si polluatur sacerdos, additur sacrilegium; si coniugatus, adulterium; si cum desiderio peccandi cum alia persona, additur malitia iuxta qualitatem personae concupitae; item additur alia malitia, si quis polluitur se delectando de concubitu imaginato cum aliqua persona mari vel foemina, nupta vel soluta, iuxta dicenda *l.* 5. *n.* 15. Item si polluitur tactibus alienis.

477. « 1. Distillatio quae est fluxus humoris quasi medii inter urinam et semen (cum quo coloris et viscositatis similitudinem gerit) sine ingenti illa delectatione, non est vera pollutio, et, si proveniat sine omni commotione sensus venerei, ut quandoque fit, de ea non magis laborandum, quam de sudore, dicit Caietan. Si vero fiat cum sensu carnis et commotione spirituum generationi servientium, tunc ei cooperari vel causam praebere, non est, vel est peccatum, idque veniale vel mortale, ad eumdem modum quo de pollutione dicetur. Sanch.[4] Laym.[5]. »

Quaeritur utrum distillatio voluntaria sit peccatum mortale. Distinguendum; si ipsa contingat cum notabili commotione spirituum, procul dubio est peccatum mortale, quia talis notabilis commotio est pollutio inchoata. Et idem dicendum si distillatio sit in magna quantitate, quia talis notabilis distillatio non potest esse sine notabili carnis rebellione; unde sicut graviter peccat qui notabilem commotionem procurat; ita etiam qui magnam procurat distillationem. Ita Sanch.[6] Sporer[7] Elbel[8] Holzmann[9] Tamburin.[10] et alii communiter. Hinc tenemur sub gravi obligatione non solum huiusmodi distillationem directe evitare, sed etiam indirecte, vitando omnes causas proxime in eam influentes, pari modo ac dicemus de pollutione *inf. n.* 484. Si vero distillatio sit in modica quantitate et sine delectatione et commotione, tunc sine peccato possumus illam permittere, ut dicunt Caiet. et Margar apud Sanch.[11] Salm.[12] cum d. Thoma Sayr. Bon. et aliis communiter; quia de tali fluxu non est magis curandum, quam de emissione cuiuscumque alterius excrementi de quo natura se exonerare solet; *De quo* (ita Caiet.[13]) *nisi cum rebellione carnis veniret*, *non magis curandum quam de sudore videtur*. Idem ait Cont. Tour.[14] cum Henr. a s. Ignat. Imo Holzm. Tamb. Spor. et Elb.[15] dicunt id permitti etiam cum levi carnis commotione. Recte vero advertit Sanch. apud Salm.[16] et consentit Bon.[17] quod directe et data opera procurare quamcumque distillationem, etiam levem, nullo modo potest excusari a peccato mortali; quia revera quaecumque distillatio semper vel ut plurimum secum fert aliquam commotionem et aliquantuli seminis effusionem.

478. « 2. Si semen iudicio medicorum transivit in materiam venenosam, licet eam medicamentis expellere, etsi praeter intentionem sequatur aliqua veri seminis emissio. Sanch.[18] Fill.[19] Trullench.[20]. »

Hanc sententiam non admittunt Salmant.[21] et Ronc.[22] tum quia (ut dicunt) impossibile est semen corruptum expellere, quin verum semen simul emittatur; tum quia non desunt alia remedia ad medendum semen corruptum, quin opus sit illud eiicere. Sed communius dd. hanc sententiam nostri p. Busemb. amplectuntur. Ratio, quia medicamenta illa per se directe solum tendunt ad expulsionem seminis corrupti; effusio autem aliqualis veri seminis sequitur per accidens et praeter intentionem, quod non potest dici illicitum,

(1) P. 3. l. 3. c. 21. (2) De matr. q. 4. p. 10. n. 15. (3) De 6. praec. n. 49. (4) L. 9. d. 45. n. 32. (5) L. 3. sect. 4. n. 18. (6) De matr. l. 9. d. 17. n. 17. et d. 45. n. 41. (7) Eod. tit. n. 659. (8) De 6. praec. n. 259. (9) Eod. tit. n. 692. (10) Dec. l. 7. c. 5. §. 5 n. 53. (11) L. 9. d. 45. n. 2. (12) De 6. praec. c. 7. n. 35. (13) Op. 22. q. 1. §. Animadverte. (14) De 6. praec. a. 6. sect. 1. v. Hic obiter. (15) Loc. mox cit. (16) D. n. 55. in fin. (17) De matr. q. 4. p. 8. n. 17. (18) De matr. l. 9. d. 17. n. 16. (19) Tr. 30. c. 8. n. 150. (20) L. 6. c. 1. d. 8. §. 1. (21) De 6. praec. c. 7. n. 27. (22) Eod. tit. c. 7. q. 3.

cum omnes concedant licitum esse remediis alios expellere humores nocentes, quamvis per accidens sequatur pollutio, sicut etiam licet pharmacum sumere ad morbum expellendum, etsi indirecte expellendus sit foetus inanimis (iuxta pariter communem sententiam relatam *n.* 394. *q.* 1.). Itá Sanchez [1] Spor. [2] Tambur. [3] Anac. [4] Bonac. [5] Diana [6] Croix [7] cum Laym. Hanc secundam sententiam satis probabilem censeo, modo tamen 1. Semen certo sit corruptum, non vero si dubie. 2. Expulsio seminis corrupti possit fieri sine sensu libidinis, ut bene advertit Anacl. 3. Alia non sint remedia ad semen corruptum medendum: nunquam tamen est licitum tactu semen corruptum expellere, etiamsi absit periculum consensus; sic tenendum omnino cum Sporer [8] Croix [9] cum Laym. Fill. et comm. (contra Bon. [10] et Tamb. [11]). Ratio, quia, licet permittatur remedium, eo quod illud solum tendit de se ad expellendum semen corruptum, nullo modo tamen est permittenda confricatio, quia ista tendit de se ad commovendos spiritus carnales et semen verum expellendum, quod nunquam est licitum. Hinc sapientissimus et piissimus Sanch., quamvis contrarium tenuerit [12], tamen postea [13] non dubitavit se retractare. An autem liceat sumere medicamentum ad semen verum corrumpendum et postea eiiciendum resolutum in sanguinem aut alium humorem. Negat Spor. [14] cum Diana, quia (ut dicit) id repugnat seminis institutioni. Sed probabiliter id concedunt Sanchez [15] Bonac. [16] Anaclet. [17] Roncaglia [18] etc. Ratio, quia natura non obligat ad conservandum semen cum periculo vitae: si enim (ait Sanchez) licet amputare testiculos ad tuendam vitam, quamvis homo sine illis omnino impotens reddatur ad generandum, cur non licebit semen corrumpere?

479. « 3. Non tenetur quis (modo tamen absit periculum consensus in voluptate, nec voluntarie promoveat) impedire pollutionem sponte sua evenientem, aut iam coeptam v. gr. in somno reprimere, sed potest sanitatis causa sinere ut natura se exoneret: quia id non est procurare, sed pati ut effluat, quod alias corruptum sanitatem laederet. Unde idem admittit Sanch. etiamsi orta esset prius ex culpa, modo de ea doleat et consensum ulteriorem abstrahat; additque plerumque expedire munire se cruce, et sine alio attactu, quietis manibus, rogare Deum, ne permittat lapsum in delectationem. Sanchez [19] Trull. [20]. »

Quando pollutio incipit in somno et emissio contingit in vigilia semiplena, tunc si homo aliquam experitur delectationem non plene deliberatam, non peccat quidem nisi venialiter, ut bene notant s. Anton. [21] Nav. [22] Salm. [23] ac Conc. [24], et patebit ex dicendis *l.* 5. *n.* 3. *et* 5. Quando vero emissio incoepit in somno, sed postea consummatur in plena vigilia; eo casu (modo absit consensus in delectationem vel proximum consensus periculum ex praeterita experientia) non tenetur homo illam cohibere, tum quia difficillimum est avertere exitum seminis iam e lumbis decisi, ut communiter dicunt dd. cum Salmant. [25] Nav. Azor. Trull. etc.; tum quia non tenetur persona, cum periculo morbi ex semine corrupto retento, effusionem illam impedire, ut docent Sanchez [26] Conc. [27] Spor. [28] Holz. [29] Tamb. [30] et alii communiter; tunc enim illa pollutionem non vult, sed mere patitur. Bene tamen monet Gers. [31], quod eo casu *pro executione virtutis et evitatione periculi, videtur expediens ut homo conetur prohibere quantum sentit et commode fieri possit.* Saltem (dicendum

(1) L. 9. d. 17. n. 15. et d. 45. n. 9. (2) De matrim. n. 643. (3) Dec. l. 7. c. 7. §. 2. n. 8. (4) De 6. praec. n. 47. (5) De matrim. q. 4. p. 10. n. 12. (6) P. 2. tr. 19. r. 55. (7) L. 3. p. 1. n. 926. (8) N. 643. (9) L. c. n. 926. (10) Loc. c. (11) Ib. §. 2. n. 8. (12) Tr. de matr. (13) Dec. l. 5. c. 6. n. 12. (14) Dict. n. 643. (15) L. 9. d. 17. n. 15. (16) P. 10. n 12.

(17) N. 47. (18) Q. 3. (19) D. 17. n. 17. (20) L. 6. c. 1. d. 10. (21) P. 2. n. 6. c. 5. in fin. (22) C. 16. n. 8. v. Non est. (23) De 6. praec. c. 7. n. 74. (24) N. 48. (25) Loc. c. (26) De matrim. l. 9. d. 17. n. 16. (27) Loc. c. (28) De matr. n. 657. (29) De 6. praec. n. 668. (30) Dec. l. 7. c. 7. §. 2. n. 17. (31) Alph. 38. l. 3. propos. 9.

cum Sanch.) tunc expedit signo crucis se munire, atque mentem ab illa turpi delectatione avertendo ac nomina sanctissima Iesu et Mariae invocando, eos ferventer precari ne ullum lapsum permittant.

480. « 4. Licitum est ob finem honestum, v. g. minuendae tentationis, sanitatis, tranquillitatis animi, optare simplici affectu spontaneam et naturalem exonerationem naturae; modo desiderium illud non sit causa efficax pollutionis (Et hanc probabiliorem censent Salm. [1] cum s. Anton. Trull. Fag. Dian. etc.). Similiter licet etiam de ea gaudere, via naturali et sine peccato facta, quia obiectum istius desiderii et gaudii non est malum; (Et ita s. Ant. [2] modo intellige ut notat Ronc. [3] pollutio non sit orta ex somno turpi vel ex tactu proprio, ut dicemus *l.* 5. *n.* 20. Semper autem licet delectari non de causa sed de effectu secuto, scil. de exoneratione; vid. *ibid.*) quamquam eiusmodi desideria simplicia inutilia esse, nec periculo carere, quidam bene observent. Less. [4] Laym. [5].

481. » 5. Si quis facturus rem aliquam necessariam vel licitam et honestam, praevidet naturaliter secuturam pollutionem (idque multo magis valet de distillatione), quam tamen ille nullo modo velit nec intendat: tunc, modo absit periculum consensus in delectationem, non tenetur abstinere a tali actione, quia prosequenti suum ius non imputatur effectus per accidens et praeter intentionem secutus. Hinc non obstante periculo pollutionis, licet audire confessiones mulierum, studere casibus conscientiae, tangere se ex necessitate, foeminas caute et cum necessitate alloqui, osculari, amplecti iuxta morem patriae, si alioqui incivilis habendus esset. Quod si tamen periculum esset consentiendi in delectationem (quod colligitur inde, si saepius ex simili occasione mortaliter sit lapsus); a causa illa, quantumvis licita, abstinendum esset; proindeque confessarius tali casu teneretur relinquere officium. Fill. Sanch. [6] Nav. [7] Laym. [8]. Monet autem Laym. eum qui in actionibus honestis et utilibus talem miseriam experitur, facilius liberari contemnendo, quam aestimando, quia imaginatione et timore augetur.

482. » 6. Si pollutio secutura praevideatur ex re illicita, otiosa vel minus necessaria, et haec sit causa propinqua ac natura sua ad venerem ordinata, ut sunt actus luxuriosi, tactus, aspectus, lectio, auditio, locutio turpis, mortale est ab illa non abstinere: quia in eam consentiens moraliter in effectum consentire censetur. Quod si res illa sit causa tantum remota, per accidens tantum ad pollutionem concurrens, qualis est v. gr. esus aut potus calidorum, equitatio, confabulatio inutilis, crapula, ebrietas etiam mortalis (modo pollutionem non intendat, et absit periculum venerei consensus); secuta pollutio non est mortale: quia in talem rem consentiens, non ideo velle censetur effectum. Fill. [9] Sanch. [10] Less. [11]. V. Diana [12]. Addunt quidam dd. hanc regulam, pollutionem in causa volitam tantum esse peccatum, quantum est ipsa: ut, si causa sit peccatum mortale, etiam ipsam fore mortalem: si sit veniale, venialem, si vero causa nullum sit peccatum, nec ipsam fore (secluso semper periculo consensus); hinc venialem v. gr. esse illam quae provenit ex lectione curiosa, vel aspectu per se non mortali. Trull. [13] ex Lop. Henr. Vasq. Bon. [14]. V. Diana [15].»

Clarius et distinctius haec omnia explicare et discutere hic operae pretium est. Si causa pollutionis est in ipsam graviter influens, et homo non abstinet a causa sive actione illa ponenda, patet quod pollutio imputatur ad peccatum etiamsi non fuerit intenta, modo saltem in confuso sit praevisa. Huiusmodi autem causae sunt proculdubio omnes illae quae per se sunt

(1) N. 73. (2) P. 2. tit. 6. c. 5. in fin.
(3) 7. c. in reg. prax. n. 40. (4) D. 14. n. 15.
(5) L. 5. s. 4. n. 17. (6) L. 9. d. 45. (7) C. 16.
(8) Ibid. n. 16. (9) Tr. 30. c. 8. q. 6. n. 152.
(10) Loc. c. (11) L. 4. c. 3. d. 14.
(12) P. 5. tr. 13. r. 4. (13) L. 6. c. 1. d. 9.
(14) De matrim. p. 10.
(15) P. 1. t. 2. misc. r. 56.

graves culpae in genere luxuriae, nempe tactus vel aspectus pudendorum alieni aut proprii corporis, cum delectatione turpi et deliberata; aspectus concubitus humani et cogitationes morosae de rebus venereis. Omnes igitur pollutiones ex his causis provenientes certe sunt mortalia; ita s. Th. [1] et alii communiter. Et tunc actus ille turpis, qui est causa pollutionis, habet specialem malitiam contra naturam, ut ait Sanch. [2] et certum est apud omnes. Idem recte dicit Sporer [3] de pollutione orta ex actionibus, quae, licet sint veniales per se et ex obiecto, evadunt tamen mortales ratione periculi proximi consentiendi in eius turpem delectationem. Hinc dicendum non excusari a malitia pollutionis, qui polluitur ex diuturno colloquio cum puella a se inordinate dilecta, saltem ob periculum consensus, ut bene inquiunt Petrocorens. [4] et Salm. [5] cum s. Th. [6] ubi expresse id docet.

483. Excipitur tamen, si praefatae actiones ponantur ex causa necessaria vel utili vel convenienti animae aut corpori; tunc enim pollutiones ex ipsis provenientes, adhuc praevisae, non sunt peccata, dummodo absit consensus vel eius periculum. Ita commun. Sylvius [7] Cont. Tourn. [8] cum Henr. a s. Ignat. et communi Salm. [9] Croix [10] Roncag. [11] et alii ex d. Th.[12]. Ratio, quia tunc homo potius patitur, quam agit, dum pollutio non ex sua malitia, sed ex infirmitate naturae procedit, ut loquitur d. Gregorius [13] et d. Th.[14] qui ait: *Quando causa habet duos effectus, unum bonum, alterum malum, poni potest ex intentione solius effectus boni, permissive se habendi ad malum.* Hinc etiam praevisa pollutione involuntaria, licet 1. parochis et etiam aliis confessariis, audire confessiones mulierum, ac legere tractatus de rebus turpibus; chirurgis aspicere et tangere partes foeminae aegrotantis, ac studere rebus medicis: licet quoque aliis alloqui, osculari, aut amplexari mulieres iuxta morem patriae, servire in balneis et similia. Ita s. Thom. [15] Sanch. [16] Bon. [17] Sporer [18] Anacl. [19] Holzm. [20] Salm. [21]. Item Petrocorens. [22] cum Navarr. Cai. et s. Anton.[23] qui sic ait: *Sed ubi pollutio sit omnino involuntaria, contra intentionem, non est peccatum, sicut cum quis audit in confessione turpia, aut loquens cum mulieribus ex causa honesta et inde sequitur pollutio.* Et idem docet Nav.[24]. 2. Licet alicui, qui magnum pruritum patitur in verendis, illum tactu abigere, etiamsi pollutio sequatur. Ita Bus. *supra num.* 419. *in fin.* March. Salm. [25] cum Trull. et Diana; item Caiet. Navarr. Vill. Ledesm. Zanard. Bass. apud Moyam. Forte dices posse accidere, ut pruritus ille proveniat ex ipso ardore libidinis, unde extinctio pruritus, quae per fricationem fit, venerea delectatio potius censeri debeat. Sed respondetur, rationabilius iudicandum, quod talis pruritus, quando est valde molestus, oriatur potius ex acrimonia sanguinis, quam ex ardore luxuriae. Saltem in dubio possidet libertas se liberandi ab huiusmodi molestia per tactum de se licitum, dum licite quisque potest tactu pruritum corporis abigere; et si accidit pollutio, absque periculo consensus, per accidens et involuntarie ac proinde inculpabiliter accidit: ut autem iste ab eo tactu abstinere teneretur, probandus pro certo esset pruritus ille a libidine procedere. Caeterum sapienter monet Croix [26] eos qui puritatem amant, ut se abstineant (intellige quantum moraliter est possibile) ab huiusmodi tactibus. Idque absolute et merito prohibet Ronc. [27] si pruritus non sit valde molestus; permittit ta-

(1) 2. 2. q. 154. a. 5. (2) De matrim. l. 9. d. 45. n. 21. (3) De matrim. n. 647. (4) T. 2. de 6. praec. c. 4. p. 214. (5) De 6. praec. c. 7. n. 34. (6) Op. 65. c. de fluxu libid. (7) 2. 2. q. 154. a. 11. ad 2. (8) L. c. a. 6. s. 1. concl. 2. (9) N. 45. et 46. (10) L. 3. p. 1. n. 925. (11) De 6. praec. c. 7. q. 9. (12) Loc. c. (13) In c. Testamentum, distinct. 6. (14) 2. 2. q. 64. a. 7. (15) P. 3. q. 80. a. 7. (16) Dict. d. 45. ex n. 4. usque ad 8. (17) De matr. q. 4. p. 10. n. 6. (18) Loc. c. n. 650. (19) De 6. praec. n. 55. (20) Eod. tit. n. 690. (21) Loc. c. n. 45. 46. et 55. in fin. (22) T. 2. de temp. p. 215. (23) P. 2. tit. 6. c. 4. in fin. (24) C. 16. n. 7. (25) N. 49. (26) Loc. cit. (27) Loc. cit.

men eo casu pati aliquam commotionem, si quis non habet virtutem illum tolerandi [1]. 3. Sic etiam licet, etiam praevisa pollutione, equitare causa utilitatis. Bonac. [2] Sanchez [3] cum Nav. Armill. Vasq. Lop. etc. Salm. [4] cum Less. Azor. et Dic. Et etiam causa recreationis, ut Sporer [5] Anacl. [6] et Holzmann [7] cum Pichler et communi, ut asserit. 4. Licet decumbere aliquo situ ad commodius quiescendum. Salm. [8] Sporer [9] Sanchez Pal. Laym. etc. apud Croix [10] Holz. [11] cum aliis communiter. 5. Cibos calidos aut potus moderate sumere et honestas choreas ducere. Sporer [12] Salm. [13] cum s. Anton. Tol. Less. Holz. [14] cum Pichler etc. communiter.

Quid, si chirurgus in foeminis medendis aliquoties misere consenserit in pollutionem an teneatur officium derelinquere. Probabile est quod non tenetur, modo proponat debitis mediis se munire, ut dicunt Nav. [15] ex Salmant. [16] cum Hurt. Anton. a Sp. s. etc. Vid. dicenda in *l.* 5. *n.* 63. *v. Quaeritur*. Idem dicitur de parocho, qui in eamdem miseriam pluries lapsus fuerit in excipiendis confessionibus; secus vero de simplici confessario, qui sine gravi detrimento famae vel facultatum exercitium deserere possit audiendi confessiones, ut Salm. [17] cum Pal. et aliis cit. At quid, si huiusmodi personae semper vel fere semper lapsae fuerunt, et nulla rationabilis spes effulgeat emendationis? Tunc dicimus teneri cum quacumque iactura officium deserere, iuxta dicta *lib.* 3. *n.* 438. et fusius *l.* 6. *n.* 457.

484. Quaestio autem hic magna agitur, an sit mortalis pollutio praevisa quae involuntarie sequitur ex causis leviter ad eam influentibus. Plures diversae adsunt sententiae. 1. Sententia affirmat esse mortales omnes pollutiones praevisas et non impeditas, etiamsi causae alias sint licitae. Ita Val. Medin. Manuel etc. apud Sanch. [18]. 2. Sententia, quam tenet Armilla apud eumdem Sanch. [19] dicit quamcumque causam, etiam venialiter illicitam, efficere pollutionem mortalem. 3. Sententia, quam sequuntur Sot. Ang. Gers. Lop. etc. apud Sanch. [20] tenet omnem causam, quae in se est peccatum mortale, constituere etiam mortalem pollutionem, quae ex illa sequitur. Et pro hac sententia videtur stare s. Thom. [21] qui ait: *Quandoque vero* (pollutio nocturna) *est cum peccato, puta cum provenit ex superfluitate cibi vel potus. Et hoc etiam potest esse peccatum veniale vel mortale*. 4. Sententia communis et probabilior docet pollutionem non esse mortalem, nisi proveniat ex causa per se mortali in genere luxuriae. Ita Lessius [22] Sylvius [23] Spor. [24] Croix [25] Sanch. [26] cum Sylv. Abul. Sa Ang. Turr. Henr. etc. Item Ronc. [27] Elb. [28] Anac. [29] Holz. [30] Bon. [31] Salm. [32] cum s. Anton. Suar. etc. Ratio, cur causa debeat esse per se mortalis, est, quia, cum pollutio non sit volita in se, sed tantum in causa, eo gradu mala erit, quo mala est ipsa causa. Ratio autem, cur debeat insuper esse mortalis in eodem genere luxuriae, est, quia, cum causa leviter ad pollutionem concurrat, non est gravis obligatio causam illam vitandi ob pollutionem quae praeter intentionem accidit.

Hinc infertur 1. non esse nisi venialem pollutionem quae oritur ex colloquio non diuturno cum puella, vel levi aspectu, aut curiosa lectione venialiter turpi; quia, ut dictum est, cum causae istae leviter influant, pollutio subsequens potius a causa naturali quam ab illis procedit. Ita Sanch. [33] Salm. [34] cum aliis ut supra. Idem sentit p. Cuniliati [35]

(1) Nihilominus non facile credatur quibusdam puellis quae tactibus se polluere solent praetextu huiusmodi ardoris; nam si diligenter examinentur, cognoscetur ille pruritus multoties potius excitatus fuisse vel a pravis cogitationibus praehabitis vel ab habitu pravo contracto se tangendi. H. A. tr. 9. n. 34.
(2) N. 7. (3) N. 7. (4) N. 53. (5) N. 650. (6) N. 53. (7) N. 690. (8) N. 53. et 56. in fin. (9) N. 650. (10) L. 3. p. 1. n. 925. (11) N. 690. (12) N. 650. (13) Loc. c. (14) D. n. 690.
(15) Sum. c. 3. in fin. (16) De 6. praec. c. 2. n. 47. (17) N. 48. (18) L. 9. d. 45. n. 10. (19) N. 11. (20) N. 12. (21) 3. p. q. 80. a. 7. (22) L. 4. c. 3. n. 102. (23) 2. 2. q. 154. a. 11. ad 2. (24) De matr. c. 3. n. 647. (25) L. 3. p. 1. n. 922. (26) De matr. l. 9. d. 45. n. 10. (27) C. 7. q. 9. r. 2. (28) De 6. praec. n. 257. (29) Eod. tit. n. 54. (30) N. 620. (31) Q. 4. p. 10. n. 5. (32) C. 7. n. 51. et 54. (33) D. 46. n. 18. (34) C. 7. n. 50. (35) Tr. 2. c. 2. n. 15.

dicens: *Peccat mortaliter ponens actiones turpes, de se proxime excitantes ad pollutionem seu commotiones. Secus si causa sit remota, ut equitare, cubare, comedere cibos calidos, loqui cum mulieribus, etiamsi ponantur sine fine virtutis, peccabit tantum venialiter.* Idem de pollutione involuntarie orta ex lectione turpi facta ob curiositatem, sine pravo animo aut periculo se delectandi de ipsis rebus obscoenis, dicunt Lessius [1] cum Sa, Bon. [2] cum Vasq. Tambur. [3] Spor. [4] cum Sanch. Sed in praxi id nunquam concederem, et tanto minus si ob lectionem turpem, solius curiositatis causa, frequenter acciderit pollutio; recte enim dicunt Salm. [5] et consentit Ronc. [6] non excusari a mortali eum, qui frequentem pollutionem expertus sit ex aliquibus causis in eodem genere luxuriae, quae vehementius ad pollutionem influunt, et illas voluntarie ac sine necessitate ponit, quamvis ipsae per se non pertingant ad mortalia, uti sunt nimirum curiosa lectio turpis, aspectus picturae obscoenae vel coitus animalium, tactus propriorum verendorum aut alterius ex levitate et similia. Ratio, quia respectu istius personae ob suam pravam dispositionem talis causa non leviter influit. Secus vero dicunt, si pollutio ex huiusmodi causis raro eveniat, ut Salm. [7]. Et secus etiam, si causae sint omnino leves, prout essent visus partium honestarum mulieris, lectio leviter turpis, colloquium cum foemina non diuturnum vel leviter obscoenum: ratio, quia hominibus est quasi moraliter impossibile omnes has causas communiter evitare. Ita Sanch. [8] et Salm. [9].

Infertur 2. non esse mortalem pollutionem quae praeter intentionem accidit ex causis illicitis adhuc mortaliter in alio genere quam luxuriae, puta, ex ebrietate vel ex comestione carnis nimis immoderata, aut in die vetito. Ita cum Busemb. Sanch. [10] Navar. [11] Suar. [12] Bonac. [13] Less. [14] Salm. [15] cum Vasquez Dicast. etc. Sporer [16] cum Laym. et aliis citatis supra *n.* 484. Ideo s. Gregorius [17] loquens de pollutione orta ex superfluitate cibi vel potus, dixit tantum aliquem reatum contrahi: *Cum vero* (verba pontificis) *ultra modum appetitus in sumendis alimentis rapitur, habet exinde animus aliquem reatum.* Quod verbum *aliquem* explicans Glossa, inquit, *idest veniale peccatum.* Tanto magis non erit mortalis pollutio quae oritur ex causis venialibus in alio genere, ut ex equitatu, esu calidorum, situ et aliis similibus actionibus.

Sed hic controvertitur, an sit saltem veniale peccatum, ponere has causas leviter illicitas in alia materia, sine rationabili motivo, quando ex illis aliquis praevideat pollutionem pati. Negant Holzm. [18] Croix [19] cum Arriaga et Rodr. Quia (ut dicunt) tunc pollutio oritur potius ex naturae infirmitate, quam ex causa illa, quae nonnisi per accidens et remote ad pollutionem concurrit. Sed probabilius affirmant Sanchez [20] Less. [21] Ronc. [22] Spor. [23] Bon. [24] Salm. [25] cum s. Greg. s. Anton. Navar. Suar. et Dic. Ratio, quia sine causa rationabili permittere pollutionem, semper videtur aliquid indecens et deordinatum. Sed ab hoc veniali excusat quidem quaevis causa rationabilis necessitatis, utilitatis aut convenientiae, ut cum Laym. [26] docent communiter dd. citati *n.* 483. Et hoc etiamsi causa illa esset venialiter illicita in eadem materia luxuriae, ut communiter dicunt Salmant. [27] Ronc. [28] Spor. [29] Holz. [30] utpote mox supra dictum est.

485. « 7. Pollutio in somno facta est mortalis 1. si ante directe vel formaliter est procurata, et causa non est retractata. 2. Quando post somnum placuit et approbata est propter delectationem veneream; alias non. Fill. [31]

(1) L. 3. c. 3. n. 102. (2) Q. 4. p. 10. n. 9. (3) Dec. l. 7. c. 3. §. 5. n. 51. (4) N. 748. (5) N. 48. (6) Q. 7. n. 11. (7) L. c. (8) N. 48. (9) N. 50. (10) N. 20. (11) C. 16. n. 8. (12) 3. p. t. 3. q. 80. a. 7. (13) P. 10. n. 6. (14) L. 4. c. 3. n. 99. (15) N. 54. (16) N. 649.

(17) In c. Testamentum, dist. 6. (18) De 6. praec. c. 1. n. 690. (19) L. 3. p. 1. n. 924. (20) N. 21. (21) C. 3. n. 99. (22) Q. 7. (23) N. 649. (24) P. 10. n. 6. (25) C. 7. n. 52. (26) L. 3. sect. 4. n. 16. (27) N. 51. et 65. (28) Q. 7. r. 3. (29) N. 650. (30) N. 690. (31) Q. 5. n. 148.

Trull. [1] (Sed vide de hoc *l.* 5. *n.* 20.).

» Quaeres, an mutua pollutio inter mares vel foeminas procurata sit mollities tantum, an sodomia.

» Resp. Si fiat ex solo affectu ad veneream libidinem sine concubitu, esse tantum mollitiem: si vero fiat ex affectu ad personam illam indebiti sexus (praesertim si adsit aliqua coniunctio et commixtio corporum) est quoad malitiam sodomia. Fill. [2]. Plura de tota hac materia v. infra *l.* 5. *c.* 1. *d.* 2. *a.* 2. *de peccato in genere*, et auctores citatos (Vide de hoc supra dub. antec. *n.* 467.) [3]. »

TRACTATUS QUINTUS

DE SEPTIMO PRAECEPTO DECALOGI: NON FURTUM FACIES

« Cum hoc prohibeatur omnis iniusta damnificatio in bonis proximi, quae fit 1. per furtum et rapinam, 2. per omissionem reparationis damni illati, 3. per iniquitatem contractuum; de his tribus hic agendum. »

TRACTATUS PRAEAMBULUS

DE IUSTITIA ET IURE

486. Antequam aggrediamur tres hos perdifficiles sequentes tractatus de furto, restitutione et contractibus, ad melius intelligenda ea quae dicentur, alia quaedam generalia de iustitia et iure expedit praenotare.

Iustitia dividitur communiter in legalem, distributivam, et commutativam. *Legalis* respicit iura legum et poenas. *Distributiva* respicit personarum merita, quoad praemia et honores. *Commutativa* autem respicit aequalitatem valoris rerum, iuxta hominum aestimationem, ut tantum domino reddatur, quantum ab eo surreptum, vel quantum damnum ei illatum est.

Ius autem dividitur in *ius in re* et in *ius ad rem. Ius in re* est, quando res ipsa habetur obligata, et ideo tribuit rei vindicationem seu actionem

(1) Loc. c. n. 9. (2) T. 30. c. 8.

(3) S. Alphonsus ita tractatum decimum Hom. Ap. complet: Denique serio heic advertendum, quod in hac materia sexti praecepti oportet, quantum possibile est, omnem adhibere severitatem, cum in re tam labili nulla cautela nunquam nimia existimari debeat, et plures opiniones quae speculative loquendo sunt probabiles in praxi improbabiles evadant. Hinc confessarius ubi periculum poenitentium inspicit, licet actionem quam illi vellent perpetrare de certo peccato mortali damnare non valeat, tamen nullo modo permittat. Hoc medici animarum est, praesertim respectu eorum qui in vitio turpi habitum in praeterito habuerunt: his enim non solum proximas occasiones vitare sed etiam remotas opus erit; alias ob fragilitatem contractam semper in idem recidunt, cum in hac materia, ad quam homines naturaliter sunt proni, de facili a minoribus ad ulteriora mala ipsi progrediuntur.

in rem ipsam, v. gr. Venditor qui tradidit rem, actionem in ipsam rem habet pro pretio: beneficiarius per collationem habet ius in beneficium et similia. *Ius* autem *ad rem* est, quando res nondum est obligata, sed tantum ius habetur ad eam acquirendam. Ideo ius ad rem tribuit tantum actionem personalem contra impedientem acquisitionem rei.

487. Deinde ius in re dividitur in *dominium* et *usumfructum*. *Dominium* aliud est *iurisdictionis* erga subditos, ut habet pater erga filios, episcopus erga dioecesanos etc.; aliud *proprietatis* erga res, sive servitutem. Idem dominium aliud est *directum*, ut habet princeps in feudis et dominus in praedio dato ad emphyteusim; aliud est *utile* quod habet feudatarius et emphyteuta [1].

Usufructus autem est ius utendi et fruendi aliqua re, fructus ex ea percipiendo. Hic notandum, ab usufructuario differre usurarium, qui alicuius rei usum habet, v. g. horti, ex quo colligere potest fructus pro sua familia et suis hospitibus; non autem potest illos alienare [2]. Ita pariter habens domus usum, potest eam habitare, sed non locare, nec alteri concedere usum, si ipse eam non habitet. Notandum praeterea quod usufructuario incumbit solvere expensas pro fructuum perceptione, et tributa seu collectas super rem impositas [3]. Deinde tenetur rem bene colere, arbores novas mortuis substituere. Ad magnas autem expensas non tenetur ipse, sed proprietarius.

488. Filiusfamilias dominium habet peculii castrensis et quasi castrensis. In quo notandum, quod peculium filiorumfamilias sit quadruplex, *castrense*, *quasi castrense*, *profectitium et adventitium*. Et 1. *castrense* dicuntur bona illa quae filius acquirit in castris et in militia, sive haec sint debita, ut stipendia, sive haec sint acquisita donatione a praefectis militiae vel a parentibus, aut ab aliis occasione militiae, ut Less. [4] Lugo [5].

2. *Quasi castrense* dicuntur bona quae filius acquirit in officiis publicis, iudicis, advocati, lectoris, medici etc. Istorum duorum peculiorum pertinet ad filium plenum ius quoad proprietatem et usumfructum. Et hoc etiamsi merces exigatur a privatis. Lugo [6] cum Sylvest. Mol. etc. Idem ait Lugo [7] cum Nav. Mol. de notariis, sive publicarum causarum, sive privatorum contractuum. Pro aliis vero artificibus, etsi publico inserviant, eorum tamen merces non pertinet ad peculium quasi castrense; excipit tamen Sanchez apud Lugo [8] architectos principis vel communitatis. Omnia autem bona donata intuitu exercitii praedictorum officiorum sunt quasi castrensia. Lugo [9]. Huiusmodi sunt omnia quae acquiruntur a filiofam. ex officio clericali, ex *L. Presbyteros* 6. *c. de episc. et cler.* Imo idem dicitur de omnibus quae clerico adveniunt ex quocumque titulo. Lugo [10] cum Mol. Sanch. et communi. Hocque recte dicit Lugo [11] contra aliquos de clericis etiam tonsuratis, cum textus cit. exprimat etiam cantores.

3. Peculium autem *profectitium* sunt bona quae proficiscuntur de rebus paternis et filius lucratur in ipsis negotiando; peculium hoc totum pertinet ad patrem quoad fructum et proprietatem. Etiam dicuntur bona profectitia illa quae donantur filio intuitu patris: secus vero si donantur filio intuitu suiipsius, etsi occasione patris filius cognitus sit a donante. Lugo [12]. In dubio autem, an aliquid sit donatum intuitu patris vel filii, erit totum filii, si ipse bona fide incoeperit possidere; alias dividendum pro rata dubii. Bona vero donata filio a patre in patrimonium ad suscipiendos ordines sacros, non sunt numeranda inter profectitia, sed bene sunt conferenda cum aliis fratribus, cum ille haereditatis portionem exposcit, ut Lugo [13] cum Mol. et ut dicemus

(1) Confer. notam infra ad n. 868. positam.
(2) L. Plenum. ff. de usu etc. (3) Ex l. Hactenus, ff. de usuf. (4) L. 2. c. 4. n. 7. (5) D. 5. n. 15.

(6) N. 16. (7) N. 17. (8) N. 18. (9) N. 19. (10) N. 21. (11) N. 22 (12) D. 65. n. 57. (13) Loc. c.

n. 956. Dubium fit 1. an quod lucratur filius ex bonis paternis sit totum et semper profectitium. Affirmant Sylv. Azor. etc. apud Lugo [1]. Dicunt vero Gom. Bart. Tab. Ang. etc. [2]. esse partim profectitium, partim adventitium. Lugo autem cum Mol. tenet esse profectitium, si filius nomine patris negotietur, adventitium vero si nomine suo, puta, si ipse furatus sit pecuniam a patre, vel si pecunia otiosa erat apud patrem. Certum autem est, ut docet Lugo [3], quod si filius negotietur extra domum patris ex aliis bonis quam paternis, lucrum non sit futurum profectitium. In dubio tamen, an lucrum provenerit ex bonis patris vel alterius, tum tantum profectitium praesumitur, cum filius administrabat bona paterna. Lugo [4] cum Gom. Bart. etc. Dubium fit 2. an filius pro labore praestito in beneficium patris possit stipendium exigere. Affirmant Nav. Less. Ang. Lop. apud Sanch. [5] et probabile putant Layman [6] et Bus. *infr. n.* 544. Negant vero Molin. et alii plures cum Sanch. [7] et Croix [8]. Recte autem distinguit Lugo [9] et ait quod si filius extra domum patris habitet, nec a patre alatur, id quod lucratur est adventitium; profectitium vero, si in domo paterna degat et a patre alatur, necnon obsequia illa sint patri debita: quae si tamen excedant, bene potest filius petere stipendium. Sed hic dubium fit 3. utrum, si praedicta obsequia fuerint excedentia et filius non petierit stipendium, praesumatur illud remisisse. Omnino affirmant Mol. [10] et Sanch. [11] quia hoc praestat bono communi, ut inter parentes et filios frequentia iurgia vitentur. Sed probabilius docet Lugo [12] cum Nav. Less. Ang. etc. *ut supra*, quod, dum filius, si potest, non petat, rationabiliter remisisse censeatur. Secus si renuat poscere ex paterna reverentia; debet tamen eo casu detrahere alimenta a patre percepta. *Vide etiam dicenda num.* 541.

4. Peculium tandem *adventitium* sunt bona quae filiisf. proveniunt aliunde quam ex bonis paternis vel intuitu patris acquisitis. Horum bonorum filius proprietatem habet, pater vero acquirit usumfructum, etiamsi sint bona maioratus. Lugo [13]. Quandoque tamen filius etiam talem usumfructum acquirit, nempe 1. Quando praecise ususfructus donatur filio vel donatur aliquid filio, patre contradicente. 2. Si filius una cum patre succedit in haereditatem fratris vel sororis. Ita Lessius [14] et Lugo [15] cum aliis. 3. Addit Lugo [16], si filius accipit dotem, patre se non obligante: *vide alia apud Lugo*. Exceptis autem his casibus, filius de bonis adventitiis non potest disponere sine consensu patris, nec testari, etiam cum eius consensu, nisi ad pias causas [17]. Potest tamen universe testari de castrensi peculio [18]. Ususfructus autem peculii adventitii erit patris, quamdiu vivit, etiamsi filius exierit a patria potestate; nisi filius electus sit ad episcopatum vel ad magnam dignitatem, scilicet, si fiat cardinalis, praefectus urbis maioris, consiliarius regius, magister militum; tunc enim totus ususfructus pertinet ad filium, ut Lug. [19] Salm. [20] Holz. [21]. Si vero pater emancipet filium, dimidia pars ususfructus erit patris et dimidia filii. Lugo et Holzm. [22]. Hoc intelligitur tamen, si emancipatio fuerit voluntaria patris; nam, si filius emancipetur ratione matrimonii, ex iure hispanico, tunc ususfructus erit totus filii: si vero ratione status religiosi a filio assumpti, ususfructus erit totus patris. Lugo [23]. Hic notandum 1. quod si pater permittat filio ut discedat e sua domo, non censeatur remittere praedictum usumfructum, nisi filius dimittatur ad quaerendum sibi victum; vel nisi filius, vidente et tacente patre, fructus expendat, ut Lugo [24]. Notandum 2. quod

(1) D. 5. n. 40. (2) Ibid. (3) Dict. n. 40. (4) N. 41. (5) Cons. l. 1. c. 2. d. 8. n. 1. (6) L. 3. tr. 4. c. 8. n. 12. (7) Loc. c. (8) L. 3. p. 1. n. 1154. (9) D. 5. n. 42. (10) T. 1. tr. 2. d. 234. (11) Loc. c. n. 4. (12) Ibid. n. 43. (13) D. 5. n. 30. (14) L. 2. c. 4. num. 9. 10. et 11. (15) D. 5. n. 25. (16) Ibid. (17) Ex c. Licet 4. de sepult. in 6. (18) Ibid. (19) N. 24. (20) Tr. 12. c. 2. punct. 10. §. 1. n. 128. et 135. (21) P. 4. n. 274. (22) Ibid. (23) Ibid. (24) N. 27. ex l. Cum oportet, c. de bonis quae liber.

si bona sint usu consumptibilia, tunc pater possit de illis disponere, cum obligatione reddendi filio tantumdem. Lugo [1] et Mol.

489. Bona uxoris alia sunt *dotalia*, alia *paraphernalia*, quae sunt res quas uxor attulit vel sibi reservavit ultra dotem. Bonorum *paraphernalium* uxor habet plenum dominium et usum [2]. Bonorum *dotalium* proprietas spectat ad uxorem, ususfructus vero et plena administratio ad maritum [3]. Hinc uxor post mortem viri omnibus creditoribus personalibus praefertur. Et adhuc vivente viro, si ipse vergit ad inopiam, potest uxor dotem repetere [4]. Deinde notandum quod si dos consistat in pecunia vel rebus usu consumptibilibus, tunc dominium dotis plene transit ad virum, cum obligatione tantumdem restituendi, matrimonio soluto [5]. Deinceps notandum quod si bona dotalia, etiam stabilia, dentur viro aestimata, animo, ut aestimatio venditionem constituat, tunc vir etiam eorum dominium acquirit, et, soluto matrimonio, non tenetur nisi ad pretium reddendum [6]. Et in praedictis duobus casibus, si pereunt dicta bona viro pereunt [7].

490. Clericorum bona quadrupliciter distinguuntur, videlicet 1. In bona *patrimonialia*, quae dicuntur ea quae ipsi obveniunt ex quacumque causa profana. 2. In bona *quasi patrimonialia* seu *industrialia* et dicuntur ea quae clerici acquirunt ex ecclesiasticis functionibus sine beneficio, ut ex concionibus, missis etc. 3. In bona mere *ecclesiastica* et sunt illa quae acquiruntur ex beneficiis. 4. Tandem in bona *parsimonialia*, quae sunt illa quae clericus ex reditibus ecclesiasticis subtraxit de sua sustentatione, vivendo parcius quam honeste vivere potuisset.

491. 1. Quoad bona *patrimonialia* certum est quod clerici plenum eorum dominium habent [8]. 2. Idem est de bonis *industrialibus*, ut communiter docent dd. cum Sanch.[9] Less.[10] Lugo [11] Anac.[12] Viva [13] Salm. [14] cum Pal. Con. etc. Ex quo infert Anac. [15] cum Less. et aliis, quod si clericus vivat aut expendat de bonis his vel propriis in pias causas, possit tantumdem accipere de bonis ecclesiasticis et de eis ad libitum disponere; quia, cum ius habeat vivendi ex beneficio (ut infra videbimus in quaest. 5.), non tenetur vivere ex bonis propriis; unde, si de iis vivat, potest uti compensatione. Hoc tamen non admittendum puto, si clericus non habeat superfluum de bonis ecclesiasticis, atque hic et nunc teneatur de bonis propriis pauperi subvenire. Secus autem, si hic et nunc non teneatur ad eleemosynam, habeat tamen intentionem compensandi. An vero distributiones quotidianae canonicorum computentur inter bona industrialia. Negant Navar. [16] Sanch. [17] quia (ut dicunt) distributiones vere sunt partes redituum beneficii et ideo eamdem naturam ac onus sortiuntur, quam alii beneficii fructus. Sed probabilius affirmant Lugo [18] et Salm. [19] cum Azor. Sylvest. Angel. Bon. et Covarr. Ratio, quia praefatae distributiones, licet ex titulo beneficii proveniant, non tamen dantur immediate pro titulo, sed pro servitio personali, tamquam personae stipendium.

3. Idem quod de bonis patrimonialibus et industrialibus dicitur de *parsimonialibus*, ita ut possit clericus ad libitum de eis disponere, ut docent Nav.[20] Lessius [21] Cabass.[22] Anacl.[23] Mazz.[24] cum Sot. Covarr. et aliis (contra Petroc.[25] et alios paucos). Et idem expresse docet s. Th.[26] qui ait: *De his autem quae sunt specialiter suo usui* (scilicet clerici) *deputata, videtur esse eadem ratio quae est de propriis bonis*. Ratio, quia praefata bona non dantur ut fructus bene-

(1) N. 35. (2) L. Hac lege, c. de pactis. (3) L. 2. ff. de iure dotium. (4) Ex eadem l. (5) L. Res in dotem, ff. de iure dotium. (6) L. Quoties, ff. de iure dotium. (7) L. Res in dotem. (8) Ex c. Relatum 12. de testam. (9) Cons. l. 2. c. 2. dub. 37. et 45. (10) De iust. l. 2. c. 4. dub. 6. (11) De iust. d. 4. sect. 3. n. 23. (12) Tr. 7. d. 4. q. 3. (13) Op. de benef. q. 3. a. 1. n. 5. (14) Tr. 12. c. 2. punct. 11. §. 1. n. 138. (15) N. 27. (16) De redit. eccles. q. 1. n. 74. (17) Loc. c. dub. 46. (18) D. 4. n. 25. (19) Ibid. n. 140. (20) De redit. q. 1. mon. 30. (21) C. 4. n. 37. (22) Th. iur. l. 2. c. 16. n. 8 (23) N. 23. (24) T. 2. p. 429. (25) L. 4. de benef. c. ult. q. 7. (26) 2. 2. q. 185. art. 7.

ficii, sed ut stipendia laborum iis qui ecclesiae inserviunt. Nec obstat textus in c. *Episcopi*, *caus.* 12. *q.* 1. quem opponit Petroc. ubi legitur: *Quidquid vero de provisione suae ecclesiae fuerit*, *sive de agris sive de fructibus*, *omnia in iure ecclesiae reservare censuimus.* Nam respondetur ex praedictis, bona parsimonialia non esse de provisione ecclesiae, sed de provisione seu stipendio laborum ministri, ut sancitum fuit in conc. Agath. [1] ubi dictum fuit: *Clerici omnes qui fideliter ecclesiae deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita*, *secundum servitii sui meritum*, *vel ordinationem canonicam, a sacerdotibus seu episcopis consequantur.*

4. Maior difficultas est de bonis mere *ecclesiasticis*, quae propriae sustentationi supersunt, an de iis possint clerici, sine iniustitia, male disponere Certum est quod beneficiarii tenentur sub mortali reditus superfluos suae sustentationi in usus pios aut in pauperes elargiri. Ita s. Th. [2] Lugo [3] Sanch. [4] Salm. [5] cum Mol. Con. Pal. et communi. An vero ad id teneantur virtute iustitiae vel religionis, infra dicetur. Hic autem sedulo notandum quod in hoc, ut materia censeatur gravis, requiritur quantitas multo maior quam in furto, ut dicunt Lugo [6] cum Mol. Henr. Holz. [7] et alii ex d. Th. [8] qui requirit *multum excessum* ad malam fidem clerici constituendam. Quaenam autem est ista notabilis quantitas. Con. Pal. et alii apud Mazzotta [9] requirunt quartam vel quintam partem superfluorum. Sed verius sufficit pars vigesima ad materiam gravem constituendam, ut ait idem Mazz. et tenent Lugo [10] ac Croix [11] qui cum Haun. merito sententiam Coninchii reprobant. Hic obiter advertatur, Benedictum XIV. [12] declarasse quod si beneficiarius fructus beneficii vendat per totam suam vitam, sive una sive pluribus solutionibus, contractus est nullus.

Sed quaer. 1. An clericus teneatur ex superfluis necessario pauperibus succurrere. Negant Azor. [13] cum Navar. et Viva [14] qui dicit cum Vasq. et commun. posse clericum superfluum erogare sive in pauperes sive in alios pios usus pro suo libitu, quia sufficit illud applicare in Dei cultum et non dissipare, ut loquitur Trid. [15]. Sed excipiendum omnino mihi videtur cum Lugo [16] ac Less. [17] si adsint pauperes, in gravi necessitate temporali vel spirituali constituti; tunc enim non potest clericus superflua in alios usus pios expendere, quia tunc urget praeceptum naturale caritatis, ex quo, si habet bona propria superflua statui, iam tenetur sub gravi iis illa elargiri. Et hic advertit Viva [18] cum Vasq. pastores, ut episcopos et parochos, teneri insuper inquirere huiusmodi pauperes, non tamen beneficiarios non pastores.

Quaer. 2. Qui veniant nomine pauperum. Veniunt quidem, non solum ostiatim mendicantes, sed etiam ii qui aliter nequeunt suum statum conservare. Veniunt etiam consanguinei, si vere pauperes sint, ita ut alias non possint proprium statum sustinere, ut Sanchez [19] Laym. [20] Croix [21] cum Az. Pal. et communiter. Et patet ex Trid. [22] ubi interdicitur beneficiariis *ne ex reditibus eccles. consanguineos familiaresve suos augere studeant .... Sed*, *si pauperes sint*, *iis ut pauperibus distribuant.* Hos autem consanguineos indigentes potest clericus praeferre aliis pauperibus, etiam gravius egentibus (quidquid dicat Laym. [23]). Ratio, quia, ut bene advertit Viva [24] cum Mol. et comm., subventio propinquorum egentium pertinet etiam ad proprium statum clerici servandum, cum illorum paupertas in ipsius dedecus redundet. Unde Tol. [25] sic

(1) Can. 36. (2) 2. 2. q. 185. a. 7. (3) D. 4. sect. 2. n. 9. (4) Cons. l. 2. c. 2. dub. 38. (5) Tr. 12. c. 2. punct. 11. §. 2. n. 141. et 144. (6) N. 42. (7) De iust. n. 204. (8) Loc. c. (9) T. 4. (10) D. 4. n. 42. (11) L. 4. n. 1358. (12) Bull. 29. Universalis ecclesiae, ed. 20. aug. 1741. (13) P. 2. l. 7. c. 11. q. 2. (14) Op. de benef. q. 2. a. 4. n. 12. (15) Sess. 25. c. 1. de ref. (16) D. 4. n. 38. et 39. (17) C. 4. n. 47. (18) Loc. c. (19) Cons. l. 2. c. 2. dub. 38. n. 24. (20) L. 4. tr. 2. c. 3. n. 3. (21) L. 4. n. 99. (22) Sess. 25. c. 1. de ref. (23) Loc. c. (24) Loc. c. art. 2. n. 2. (25) L. 5. c. 4. concl. 3.

scripsit: *Episcopus, subtractis quae ad decentem victum pertinent, et subtractis his quae gratia pietatis* (nota) *et saritatis potest in alios consanguineos indigentes aut famulos distribuere, tenetur residuum dare pauperibus sub mortali.* Idque expressum habetur in decreto indicto a cardinali Polo, legato apostolico ann. 1566. apud Thomassinum [1] quo praeceptum fuit beneficiariis Angliae (prout etiam olim praeceperat s. Greg. instruens Augustinum anglorum apostolum): *Ne sumptuum moderatio avaritiae tribuatur, quidquid ex fructibus ecclesiarum, deductis iis quae earum muneribus sustinendis, et ipsis atque ipsorum familiaribus necessaria sunt, supererit, id omne iuxta illa quae b. Greg. papa Augustino de fructibus ecclesiae dispensandis rescripsit, ad pauperes Christi alendos distribuant.* Hinc dicit Croix [2] cum Az. Pal. etc. quod sub nomine victus beneficiario debiti veniunt omnia necessaria ad se et familiam sustentandam; atque familiam spectant parentes, fratres, nepotes et alii consanguinei. Item advertunt Layman [3] Ronc. [4] et Viva [5] cum aliis, quod si beneficiarius statum suum mutet ex assumptione ad beneficium, tunc potest subvenire consanguineis, saltem proximioribus, ut ipsi quodammodo decenter vivant iuxta suam dignitatem. Hoc tamen, recte ait Ronc. [6], procedere pro episcopis aut assumptis ad similem dignitatem, non vero pro parochis.

Quaer. 3. An in distributione praeferendi sint pauperes loci in quo est beneficium. Dicunt Salm. [7] et Holzm. [8] quod, licet congruentius sit bona distribui pauperibus loci, de hoc tamen non est obligatio; nisi ibi sint pauperes extrema vel etiam gravi egestate laborantes. Sed Azor. [9] Bon. [10] et Mol. [11] cum Navarr. hanc limitationem negant et censent satis esse si bona superflua in quosvis pauperes (intellige aeque egentes) erogentur; etsi testatores oppositum expresserint vel saltem tacite significarint. Ratio, quia canones [12] indistincte praecipiunt ut eleemosyna fiat sive in cives sive in exteros. Et hoc videtur satis probabile, quia pauperes loci non habent, saltem non constat eos habere peculiare ius ad illa bona. Excipit Mol. si aliud exigat bonum commune illius dioecesis, puta, si subveniendum sit collegio educandorum etc.

Quaer. 4. An beneficiarii possint superflua reservare in futurum ad usus pios. Negat Navarr. dicens, ea statim esse distribuenda. Sed verius docet s. Thom. [13] (quem sequitur p. Holzm. [14] cum aliis) dicens: *Si quis, necessitate non imminente providendi pauperibus, de his quae superfluunt ex proventibus ecclesiae possessiones emat, vel in thesauro reponat in futurum utilitati ecclesiae et necessitatibus pauperum, laudabiliter facit.* Bene tamen advertit Holzmann [15] quod eo casu cautio adhibenda sit, ne morte adveniente, tales reditus forte a consanguineis diripiantur.

Quaer. 5. An clericus qui habet ex suo unde vivat, possit se sustentare ex reditibus beneficii. Negant aliqui pauci; sed affirmandum cum Habert [16] Petrocor. [17] Fagn. [18] Anacl. [19] Holzm. [20] etc. communiter. Recte enim ait Fagn. quod primis ecclesiae saeculis nulli clerici admittebantur, nisi qui, relictis omnibus propriis bonis, de solis fidelium oblationibus vivere volebant. Secundo autem tempore, si id servare nolebant, permittebatur eis vivere ex proprio patrimonio; modo nihil de oblationibus exigerent. Tertio demum tempore, scil. postquam clerici portionem suam a mensa episcopali separatam habere coeperunt et beneficia fuerunt illis credita, mos inolevit ut ipsi, separato patrimonio, ecclesiae bonis viverent. Et hoc sane est rationi naturali omnino con-

(1) De eccl. disc. t. 3. p. 3. c. 32. (2) L. 4. n. 904. (3) L. 4. tr. 2. c. 3. n. 3. (4) Conc. 6. n. 6. (5) Loc. c. (6) Loc. c. (7) Tr. 12. c. 2. punct. 11. §. 2. n. 144. (8) P. 4. tr. 1. n. 210. (9) P. 2. l. 7. c. 11. q. 2. (10) De benef. d. 4. p. 2. n. 3.

(11) D. 145. (12) Praecise in c. Sancimus 31. caus. 12. q. 2. (13) 2. 2. q. 185. a. 7. ad 4. (14) Part. 4. n. 207. (15) Loc. c. (16) De iust. t. 4. c. 21. in fin. (17) De bene c. ult. q. 8. (18) C. Si quis, de pecc. cler. (19) Q. 3. n. 27. (20) N. 208.

sonum; iustum enim est ut qui altari servit de altari vivat, iuxta illud: *Quis militat suis stipendiis unquam* [1]*?* Fortene divites qui reipublicae inservientes stipendia habent, iniuste accipiunt? Per accidens autem est quod sint divites vel pauperes. Et hanc sententiam expresse tenet d. Thom. [2]. Recte vero limitat s. d., si casus occurreret quod aliquis pauper esset in gravi necessitate; nam tunc ait: *In tali necessitate peccaret clericus si vellet de rebus ecclesiae vivere, dummodo haberet patrimonialia bona de quibus vivere posset.* Ratio patet, quia tunc iam habens superfluum statui, pauperi graviter egenti succurrere tenetur.

Quaer. 6. An sicut beneficiarii erogare tenentur superflua in usus pios, ita etiam pensionarii. Affirmant Sanchez [3] Mazzott. [4] et Salm. [5] cum Mol. et Pal. modo pensio sit ecclesiastica, aut detur ecclesiasticis: secus si sit mere laicalis ob titulum mere saecularem et detur laicis ob obsequia praestita, puta principibus, equitibus, etc. aut si detur clericis ob aliquod munus temporale, nempe cantoris, procuratoris, etc. Ratio, quia cum haec obligatio sit annexa reditibus beneficii, pensio illa ecclesiastica, ex fructibus beneficii detracta, transit cum eodem onere. Satis tamen probabiliter negat Lug. [6] cum Vasq. Gigas Cov. etc. et ita decisum habetur in Rota Rom. apud Azor. Ratio, quia dum pontifex iustam ob causam extrahit pensionem ex fructibus beneficii, iam eosdem fructus applicat in usus pios; unde fructus isti non ferunt secum obligationem ut iterum pie applicentur. Idem ait Mastr. [7] cum Bon. etc. contra Nav. Azor. etc. de equitibus commendatariis s. Iacobi Calatravae, Alcantarae et s. Stephani Florentiae etc. quibus a Gregor. XIII. iam concessum est testari.

(1) 1. Cor. 9. 7. (2) 2. 2. q. 185. a. 7. ad 3. (3) Cons. l. 2. c. 2. dub. 47. (4) Tr. 4. d. 1. q. 1. (5) Tr. 12. c. 2. punct. 11. §. 2. n. 147. (6) D. 4. n. 32. (7) D. 14. q. 2. a. 3. n. 69. (8) T. 2. tit. 2. c. 5. §. 3. (9) De iust. l. 2. c. 4. dub. 6. n. 43. (10) T. 1. tr. 2. d. 143. (11) Theor. iur. l. 2. c. 26. n. 7. (12) De 7. praec. c. 1. n. 114. (13) P. 2. lib. 7. c. 9.

492. Quaer. 7. an beneficiarii expendentes reditus superfluos beneficii in usus profanos teneantur ad restitutionem. Haec quaestio magnopere inter dd. agitatur, et ideo in eius discussione diutius immorabor.

Prima sententia probabilis et valde communior inter recentiores, negat. Hanc tenent s. Antonin. [8] Less. [9] Mol. [10] Cabass. [11] Sporer [12] Azor. [13] Viva [14] Mazzott. [15] Sanch. [16] Anacl. [17] Holzm. [18] Salmant. [19] cum Pal. Con. etc. Lugo [20] cum Soto Gers. Abul. Vasq. Adrian. Tab. Covarr. Cordub. Arag. etc. Auctores huius sententiae diversis rationibus utuntur. Maior pars eorum sic ratiocinatur: omnes clerici antiquitus in communi vivebant et bona ecclesiastica singulis distribuebantur, prout opus erat ad cuiusque sustentationem; reliquum vero applicabatur fabricae ecclesiarum et pauperum subventioni. Sed Simplicius papa, qui creatus est ann. 465. [21], eo quod frigescente caritate, forte episcopi non tam fideles essent in tali distributione, fructus bonorum ecclesiasticorum in quatuor partes divisit, primam applicando episcopis, secundam clericis, tertiam fabricae ecclesiarum, quartam pauperibus. Idque confirmavit Gelasius [22] et Gregorius [23]. Hinc dicunt quod, licet ante hanc divisionem nullus clericorum ad ea bona ius haberet, post divisionem tamen eorum dominium ipsi adepti sunt, cum illa ab ecclesia ad proprium usum fuerint eis deputata. Idque confirmant ex concilio Trid. [24] ubi praecipitur quod beneficiarius omittens recitationem horarum *privetur dimidia parte fructuum quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos.* Ergo, ut arguunt, concilium supponit clericum vere dominium ipsorum fructuum acquisivisse. Ex quibus concludunt, obligationem quam habent be-

(14) Op. de benef. q. 2. a. 3. n. 2. (15) Ibid. (16) L. 2. Cons. cap. 2. d. 37. n. 12. (17) Tr. 7. d. 4. q. 3. n. 34. (18) P. 4. de iust. n. 196. (19) Tr. 12. c. 2. n. 155. (20) De iust. d. 4. sect. 1. n. 2. (21) Can. de reditibus 28. caus. 12. q. 2. (22) In c. Concesso 26. (23) In c. Cognovimus 29. dict. caus. 12. quaest. 2. (24) Sess. 24. c. 12. de reform.

neficiarii erogandi superflua pauperibus, non oriri ex iustitia, sed ex virtute religionis, quae non obligat ad restitutionem.

Cabassutius vero [1] cum Azor., alia via incedens, hanc sententiam tuetur; dicit enim, hanc obligationem beneficiariorum erogandi superflua in usus pios non esse de lege naturali iustitiae, quia fundatores beneficiorum libere et sine ullo pacto donant clericis eorum fructus; sed esse tantum de lege ecclesiae, quae intendit ipsos obligare virtute religionis vel caritatis, ad applicandos huiusmodi fructus superfluos in usus pios, tamquam bona dicata Deo et ex pietate donata. Nec obstat quod ait Navarr. hanc obligationem restitutionis oriri ex praesumpta mente testatorum qui videntur bona reliquisse cum tacito pacto, quod clerici, detracta sua sustentatione, reliqua in pios usus expenderent. Respondet enim Cabassutius, noluisse quidem testatores ut sua bona luxui clericorum deservirent, sed non censendum, voluisse eos adstringere ad illam obligationem; quemadmodum quicumque testator minime intendit ut haeres suus bona relicta dissipet, si tamen ille dissipabit, non ideo peccabit contra iustitiam, quia illa testatoris intentio non fuit in pactum expresse deducta. Et pro hac sententia non potest negari fuisse etiam d. Th. non iam in *Summa* 2. 2. *q.* 185. *art.* 7., ut censent Salm., quia ibi loquitur tantum de iis, quae *specialiter sunt suo usui* (scilicet beneficiarii) *deputata*, id est assignata suae necessariae sustentationi, ut contrarii explicant. Sed expresse id docet in *Quodlib.* 6. *art.* 12. *ad* 3. ubi distinguit bona ecclesiastica assignata pauperibus, ab illis quae assignantur clericis, prout sunt praebendae, de quibus ait, ipsos nullam debere restitutionem. Haec s. doctoris verba: *Aliter ergo dicendum est de illis ecclesiasticis bonis quae principaliter sunt attribuenda necessitatibus pauperum, et ex consequenti necessitatibus ministrorum, sicut sunt bona hospitalium etc. et aliter de illis bonis quae principaliter sunt attributa usibus ministrorum, sicut sunt praebendae clericorum et alia huiusmodi. Nam in primis bonis peccatum committitur non solum ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione, dum aliquis in suos usus assumit quod est alterius: et ideo tenetur ad restitutionem, tamquam defraudator rei alienae. In secundis vero non committitur peccatum, nisi per abusum: sicut et de bonis patrimonialibus dictum est. Unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad poenitentiam peragendam.*

Secunda vero *sententia* tenet beneficiarium obligari ad restitutionem; ita sentiunt Nav. [2] Laym. [3] Bon. [4] Petrocor. [5] Habert [6] Concina [7] Roncaglia [8] cum Petr. Soto Archidiac. Comit. et Tanner. item Panorm. Armill. Angel. Maior. Hostiens. et alii apud Lugo [9]. Dicunt autem hi quod ante suppositam divisionem clerici minime quidem erant domini bonorum ecclesiasticorum, cum omnia tunc erant communia; unde quidquid ipsi praeter necessariam sustentationem sibi vindicabant restituere tenebantur. Probari igitur deberet divisio praecepta per Simplicium; sed de hac divisione nullum probatur vestigium, quinimo (ait Habert [10]) multa suadent divisionem hanc non fuisse peractam, cum nullibi videatur sua portio pauperibus aut fabricis ecclesiarum assignata. Saltem (dicunt) de hoc non constat, et usque dum non constat, pauperes ius primaevum retinent ad illa bona ecclesiastica, teneturque beneficiarii ex iustitia superflua ipsis ministrare.

Nec revera probabile videtur id quod adstruit Cabassutius, nempe quod testatores intenderint bona sua in dominium clericorum relinquere; potius enim praesumendum, ipsos relinquere voluisse ea in manus ecclesiae, ut ipsa

(1) Loc. c. (2) Tr. de redit. eccl. q. 1. n. 4. (3) L. 4. tr. 2. c. 3. n. 3. (4) De benef. d. 4. p. 2. n. 9. (5) T. 4. eod. tit. c. ult. q. 7.

(6) De iust. c. 21. (7) T. 2. diss. 6. c. 18. (8) De praec. 7. c. 6. reg. in praxi. (9) De iust. d. 4. n. 1. (10) Loc. c.

postmodum per suos praelatos ministris bona illa committeret, ut ex eis ipsi sustentarentur et superfluum pauperibus erogarent. Et quod haec fuerit intentio fundatorum testatur concilium aquisgranense ann. 816. ubi [1] dicitur: *Fideles ob animarum suarum remedium suis facultatibus sanctam locupletem fecerunt ecclesiam, ut his et milites Christi alerentur et ecclesiae exornarentur et pauperes recrearentur.* Unde plures aa., ut Fill. Petroc. Thomassin. et Nat. Alex., constanter sentiunt numquam beneficiarios dominium adeptos esse fructuum beneficiorum. Sed quidquid sit de voluntate testatorum, de qua non constat, prout utique etiam constare deberet, ut certe dici posset eos dominium talium bonorum in clericos transtulisse: saltem ecclesia quae bonorum ecclesiasticorum (ut omnes fatentur) supremum dominium habet, noluit suos ministros eorum aliud acquirere dominium, nisi limitatum, cum onere scilicet superfluum reddendi pauperibus, ut valde probabiliter ex Tridentino [2] *ut supra*, tenent Ronc. Bon. Laym. cum Palud. et non dissentit Habert. Prout enim, si alicui dentur centum aurei ad peregrinationem agendam, cum pacto ut quod superest pauperibus eroget, iste acquirit dominium centum aureorum, sed gravatum, ita ut teneatur ex iustitia superfluum pauperibus elargiri, ita et beneficiarius. Quod autem ecclesia revera hoc dominium, si concessit, limitatum quidem concesserit beneficiariis, cum onere certo superfluum distribuendi pauperibus, pluribus probatur testimoniis. Gratianus [3] quaerit an mensa communis scindi potuerit in plures praebendas. Respondet affirmando, eo quod, sicut superflua mensae communis olim erant pauperibus eroganda, sic hodie superflua cuiusque praebendae; quo Gratianus ostendit quod sicut antiquitus ecclesiastici onus iustitiae habebant superfluum bonorum communium pauperibus distribuendi, sic etiam habent posteaquam praebendas inceperint possidere. *Ita et praebendae ecclesiasticorum* (verba Gratiani, *eadem caritate manente pie et religiose possunt distribui; nec tunc rebus ecclesiae ut propriis, sed ut communibus utilitatibus deservituræ.* Ex quo patet, praebendas non iam institutas fuisse ut essent totaliter propriae clericorum, sed eis reale onus aliorum piorum usuum annexum esse. Item in conc. mediol. 1. ann. 1565. sub d. Carolo Borromaeo [4] sic dicitur: *Si vero qui beneficia ecclesiastica obtinent, quorum fructus ad eos sunt attributi: si uberiores sint, quam ad tuendam vitam requiratur, dubitare non debent, ad eum finem hanc copiam illis esse attributam, ut praeter ea quae ad victum satis essent, suppeterent etiam quibus eorum pauperum inopia sublevaretur.* Et idem sancitum fuit de episcopis in capitularibus Caroli Magni [5] ubi: *Episcopus ecclesiasticarum rerum potestatem habeat ad dispensandum erga omnes qui indigent; participet et ipse quibus indiget.* Item d. Petrus Damianus apud Baronium [6] sic quemdam episcopum monet: *An ignoras quia ad hoc ecclesiis praedia conferuntur, ut ex eis pauperes sustententur?* Deinde subdit quod prioribus saeculis agri ecclesiae donati vendebantur et pretium distribuebatur pauperibus: sed postea, *procedente tempore ecclesiarum rectoribus visum est, ut ipsa potius praedia traderentur, ut scilicet non modo clericos ecclesia pasceret, sed et refrigerii stipem indigentibus ministraret.*

His tamen non obstantibus, nequit negari primam sententiam esse satis probabilem, praesertim ex auctoritate s. Thomae (iuxta eius verba supra relata) qui supponit et asserit pro certo factam fuisse praefatam divisionem bonorum, et ideo absolute ipse eximit clericum a restitutione, si bonis ecclesiasticis abutitur. Praeterquam quod, ut scribit quidam doctus neotericus, non iam papa Simplicius divisionem illam introduxit, sed ipsam introdu-

(1) Can. 116. (2) Loc. c. (3) Caus. 12. q. 1. post. c. 25. et 27. (4) P. 59. (5) L. 6 c. 58. in conc. Gall. 2. p. 429. (6) An. 1058

ctam invenit, et dumtaxat ipse executionem eius praecepit, prout clare eruitur ex illius epistola scripta ad Florentium aliosque episcopos, adversus episcopum Gaudentium, qui praeter portionem propriam tres alias partes sibi usurpaverat: unde pontifex praecipit auferri ab eo omnem talium bonorum administrationem, ipsumque teneri ad restituendum portiones quas per triennium exegerat. *Simul etiam* (verba sunt Simplicii) *de reditibus ecclesiae vel oblatione fidelium, quid deceat nescienti, nihil licere permittat: sed sola ei ex his quarta portio remittatur .... Cui etiam hoc specialiter praecipimus imminere, ut tres illas portiones quas per triennium dicitur sibi tantummodo vindicasse, restituat* [1]. Quapropter non incongrue fautores primae sententiae concludunt ex divisione executa, bona clericis attributa iam transiisse in eorum dominium. Quod videtur confirmari a Tridentino, ut supra [2] verbis illis, *fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos.* Insuper ex conc. Lateranensi v. [3] ubi dictum fuit, quod beneficiarius officium post sex menses a possessione beneficii omittens, *fructus suos non faciat;* ergo si officium non omittit, iam facit suos.

Quaer. 8. An dono accipiens a beneficiario haec bona superflua, peccet graviter et teneatur ad restitutionem. Quod ad restitutionem pertinet, eum teneri negant omnes aa. qui in praecedenti quaestione censent, beneficiarium non obligari ex iustitia ad talia bona in pios usus eroganda. Nos tamen distinguendum putamus. Si beneficiarius ob talem donationem non reddatur impotens ad satisfaciendum praefatae suae obligationi, nihil tenetur restituere accipiens, cum valde sit probabile, ut docent Laym. Bon. Palud. et Ronc., ut supra retulimus, quod beneficiarius bene habeat dominium fructuum superfluorum, etsi gravatum onere illos in pios usus elargiendi. Ergo si eos donat, suum donat, et aliunde iam poterit satisfacere; quod si non faciat, id proveniet ex sua malitia, non ex acceptatione donatarii, ut recte ait Lug. [4]. Si vero per talem donationem clericus redditur impotens, dicimus probabilius accipientem teneri ad restitutionem, iuxta nostram sententiam, qua tenuimus, beneficiarium obligari ex iustitia dare superflua pauperibus; tunc enim donatarius accipiendo vere influit in damnum pauperum, qui ius habent ad illa bona, prout in simili casu dicemus *n.* 612. et fusius probabimus *de contract. n.* 722. Dixi *probabilius;* non enim nego posse accipientem excusari a restitutione propter probabilitatem contrariae sententiae, intellige quoad partem iuxta proportionem talis probabilitatis [5], si accepit cum dubia fide; quod si vero in bona fide acceperit, probabilius est non teneri eum ad aliquid restituendum, iuxta dicta *lib.* 1. *num.* 35.

Sed admissa sententia contraria tamquam probabili, scilicet quod absit peccatum contra iustitiam, nunc dubium occurrit an accipiens peccet cooperando peccato donantis contra religionem aut caritatem, ut supponunt praefatae sententiae auctores. Affirmant Mazzott. [6] et Sanch. [7] citans Nav. Sylv. etc. communiter ut asserit. Ratio, quia accipiens vere cooperatur ad consummationem peccati donantis, concurrendo ad translationem dominii rei donatae, quod non transfertur nisi per acceptationem. Sed probabilius (iuxta illam sententiam) dicimus cum Lugo [8] Busemb. *l.* 4. *n.* 183. Holz. [9] et Salm. [10] accipientem non peccare neque contra religionem neque contra caritatem, nisi petat vel inducat ad donandum. Non contra religionem, quia tunc ipse minime cooperatur peccato donantis; licet enim dominium rei non transfera-

(1) Ap. Harduin. in collect. conc. t. 2. pag. 804. (2) Sess. 24. c. 12. de ref. (3) Sess. 9. can. 10. §. Statuimus. (4) D. 4. n. 48. (5) Ex Hom. Ap. tr. 10. n. 8. debet *maiorem* partem pauperibus restituere, cum ipsi auctori paulo maioris probabilitatis esse videatur sententia, quod beneficiarius ex iustitia obligetur dare superflua pauperibus. (6) Tr 4. diss. 2. q. 1. (7) Cons. c. 2. d. 58. n. 14. (8) D. 4. sect. 5. n. 49. (9) P. 4. de iust. n. 221. (10) Tr. 12. c. 2. punct. 11. §. 2. n. 145.

tur sine eius acceptione, tamen peccatum donantis iam per ipsam oblationem, etiam externe, omnino consummatum est; per accidens autem se habet quod oblatio effectum habeat vel non, per acceptionem vel refutationem donatarii; prout nihil minuit vel addit ad peccatum homicidae, quod ex vulnere lethali, ab ipso inflicto, mors vulnerati sequatur vel non. Neque contra caritatem ratione damni quod ex illa donatione pauperibus obvenit, quia caritas non obligat hominem, ut cum suo aequali incommodo alienum nocumentum evitet, prout ait Lugo [1] cum Less. Semper intellige, si acceptet cum bona fide, ut mox supra limitavimus.

An autem regulares, facti episcopi, possint libere disponere de bonis ecclesiasticis et patrimonialibus. Probabilius negatur. Vide dicenda *l.* 5. *de statu relig. n.* 2. ubi Salm. cum aliis secus dicunt de bonis patrimonialibus.

DE ACQUISITIONE DOMINII

493. Tribus modis dominium acquiritur: 1. Iure naturali seu gentium. 2. Iure civili aut canonico, scilicet per praescriptionem et usucapionem. 3. Voluntate privata hominum, per contractus. Addi posset alius modus, iure belli; sed iste magis pertinet ad ius gentium. Iure autem gentium pluribus modis dominium acquiritur.

Et I. *Occupatione*, ex illo textu: *Quod enim ante nullius est*, *id naturali ratione occupanti conceditur* [2]. Quid de thesauris inventis? Vide infra *n.* 602. Quid de venatione et piscatione? Vide *n.* 604. et 614. Certum autem est omnia bona inventa restituenda esse domino certo, si iste inveniatur. An vero post inquisitionem, domino non invento, sit obligatio restituendi res inventas pauperibus. Triplex adest sententia. Vide *dub.* 5. *n.* 603.

494. II. Acquiritur dominium *nativitate*, per quam nostra fiunt quae nascuntur a propriis animalibus [3]. Hinc ad usufructuarium spectant partus ovium, equorum etc., salvo semper numero matrum.

495. III. *Alluvione*, qua, si aliquid latenter et insensibiliter tuo fundo adiiciatur, tibi acquiritur. Secus autem, si patenter adiiceretur pars de praedio alterius, tunc enim ipsa ad eumdem pertineret [4]. Statutum etiam est [5] quod si alveus fluvii divertat ad aliam partem, novus alveus sit publicus aut alterius, si iste esset fluvii dominus; antiquus autem alveus accrescet iis qui agros utrinque habent.

496. IV. *Specificatione*, quando forma datur in alienam materiam, v. gr. si bona fide ex aliena lana vestem tibi conficias, dominus illius efficeris, domino lanae pretium solvendo cum aliquibus tamen limitationibus [6]. Idem, si facias pretiosam picturam vel scripturam in vili tabula vel tela aliena, ut ait Tamb. [7]. Secus tamen esset si de alienis uvis vinum faceres: illud enim ad dominum uvarum pertinet; ita Tambur. Sed contradicit Croix [8], qui etiam ait [9], quod si ex alieno frumento farinam facias, farina sit tua. Et idem dicit, si de aliena quercu facias navem [10] cum Haunold. Secus vero si navem facias de asseribus alienis, quia tunc navis adhuc in primos asseres reduci posset. Probabilius autem addit Croix [11] cum Gloss. [12] et Haun. contra alios, ad acquirendum dominium per specificationem, bonam fidem requiri.

497. V. *Accessione*, quando alicui rei accedit ornamentum, licet pretiosius, puta, si vesti tuae intexetur purpura aliena, vel tuo auro aliena gemma, purpura et gemma a te acquiritur [13]. Limitant dd. nisi ornamentum facile divelli posset. Croix [14] cum Lugo.

498. VI. *Confusione vel commixtione*. *Confusio* est quando duo corpora liquida aut liquefacta (eiusdem sive alterius speciei) ita coeunt in unum, ut post confusionem nulla pars assignari possit quae de utroque non participet: utpote si misceatur vinum cum vino, aurum cum auro vel argentum cum

(1) Loc. c. n. 50. (2) §. Ferae, Instit. de rer. divis. (3) Ex §. 1. Item cap. eod. loc. Instit. (4) Ex §. Praeterea eod. loc. (5) Ibid. (6) §. Cum ex alien. eod. loc. (7) Ex §. 34. ibid.

(8) L. 3. p. 2. n. 121. (9) N. 123. (10) N. 124 (11) N. 123. (12) Ad §. 25. Instit. (13) §. Si tamen, eod. loc. (14) Ibid. n. 126.

stanno etc. *Commixtio* autem est, quando miscentur solida, ut nummi cum nummis, frumentum cum frumento, ita ut de quovis grano separato dici non possit, quod illud sit utriusque materiae. Croix[1]. His positis, sciendum quoad *confusionem*, quod si confusio consensu dominorum vel casu sit facta, tunc res erit communis et iudicis arbitrio dividenda[2]. Vide Tamb.[3] cum Pal. Croix[4]. Si vero confusio altero nesciente vel invito sit facta, tunc dominium rei tibi acquiritur, si opera tua facta sit confusio et amplius sit tua maior materiae pars; teneris tamen rei alienae pretium solvere[5]. Ratio, quia tunc aliena res habetur ut accessoria ad rem tuam. Non vero, si tua pars esset modica. Tamb.[6] cum Azor. Quod si res sint aequales, tunc tota materia erit communis. Tamb.[7]. Quoad *commixtionem* autem, si haec sit pecuniae, habetur lex expressa, quod miscens alienam cum pecunia sua, animo dominium totius habendi, totius sit dominus, etiam altero inscio vel invito: nam in *l. Si alieni*, *ff. de solutionibus*, sic dicitur: *Si alieni nummi, inscio vel invito domino, soluti sunt, manent eius cuius fuerant. Sed si mixti essent, ita ut discerni non possent, eius fieri qui accepit, in libris Cai scriptum est; ita ut furti actio domino cum eo qui dedisset, competeret.* Hinc etiam quando mixtio quae discerni non potest, facta sit mala fide, nummi fiunt accipientis sive furis. Hoc tamen intelligendum quando maior pars pecuniae sit miscentis; secus si minor vel aequalis, quia tunc totus cumulus communis erit, ut Lugo Mol. Vasq. et Dic. ap. Croix[8]. Et idem esset, si commixtio casu vel consensu dominorum facta fuisset, ut diximus[9].

499. Quaeritur autem an idem quod in nummis, currat in mixtione aliarum rerum, frumenti, leguminum etc. Negant Glos.[10] Anac.[11] cum Hen. ap. Croix[12] quia dicunt, id tantum de pecunia statutum fuisse ob specialem rationem, quoniam pecuniae sunt in quotidiano hominum commercio, cui valde officere posset, si earum dominium, cum miscerentur, incertum maneret. Sed Lugo[13] et Dicastill. affirmant omnes res quae post mixtionem discerni nequeunt, a miscente acquiri, ob generalem rationem quam assignat Glossa[14], scilicet quod mixtio aequivalet rei consumptioni. Et hanc Tamb.[15] asserit esse communem cum Lessio Sylv. Vasquez et aliis[16]. Quandoquidem, ut advertit Tamb.[17] miscens habeat animum acquirendi dominium; vel saltem contrariam voluntatem non habeat et pars sua sit principalior.

Notandum autem quod si res extat in cumulo permixta, sive apud furem sive apud alium, domino illius prout habenti ius in re retinentique dominium una cum fure, pro sua parte prae omnibus creditoribus est satisfaciendum; imo potest ipsemet ex cumulo accipere quantum suum est. Ita Less.[18] et Salm.[19] cum Pal. et Trull. Et probant *ex l. 3. §. Pomponius*, *ff. de rei vindicat.* ubi sic: *Si quid, quod eiusdem naturae est, ita confusum est atque mixtum, ut separari nequeat, non totum sed pro parte vindicandum.* Hoc quidem probabile est; sed non minus probabile est, ut dicunt Lug.[20] Sanch.[21] et Tamb.[22] (qui ceterum probabilem censet sententiam Less.) quod fur per commixtionem devenit absolutus dominus totius cumuli, ita ut iure possit dominium illius in alium transferre, cum onere aliunde restituendi debitum. Tantum ait Pal.[23] quod dominus rei permixtae habebit actionem implorandi a iudice, ut ex cumulo illo partem suam ei adiudicet.

500. VII. *Aedificatione* ex §. *Cum in*

(1) L. 3. p. 2. n. 116. (2) Ex §. Si duorum 27. eod. Inst. (3) Dec. l. 8. tr. 3. c. 3. §. 4. n. 11. (4) L. 3. p. 2. n. 117. (5) Ex dicto §. 25. (6) Ibid. (7) Eod. loc. (8) L. 3. p. 2. n. 118. (9) Vide dict. §. 27. et 28. Quod si, eod. Instit. (10) In d. l. Si alieni. (11) Theol. mor. tr. 7. d. 5. q. 3. n. 28. et 29. (12) Ibid. n. 119.

(13) De iust. d. 6. n. 164. (14) In d. l. Si alieni. (15) D. l. n. 17. (16) Ex l. Idem. Pomponius, ff. de rei vindic. (17) N. 18. (18) L. 2. c. 20. n. 157. (19) De contr. c. 3. punct. 12. n. 110. (20) De iust. d. 6. n. 166. et 172. (21) Dec. l. 1. c. 23. n. 34. (22) De rest. cap. 3. §. 3. n. 26. (23) De iust. d. un. p. 21 n. 5.

suo, Inst. de rer. divis. §. 29. ubi statuitur, quod si tu aedifices in solo tuo de aliena materia, omne cedat solo, sed tenearis reddere duplum pretii illius materiae: et si aedificium ruat, possit dominus materiam illam sibi vindicare. Vide Croix [1]. E converso in §. 30. statuitur, quod si aedifices scienter ex materia tua in solo alterius, aedificium illius est, et tu materiae dominium amittis. Ex quo colligitur, in eo casu ne pretium quidem illius te posse repetere, quia praesumptio fit, te donare voluisse. Secus autem si constet te noluisse donare [2]. Tunc enim, diruto aedificio, potes tuam materiam vindicare et interim etiam pretium repetere ex aequitate, iuxta utilitatis aestimationem, ut Croix [3] cum Ills. et Haun. [4].

501. VIII. *Plantatione, ex* §. 31. ubi statuitur, quod si tu ponas alienam plantam in solo tuo, illa tua fiat: sic e converso, si ponas tuam in solo alterius, planta illius erit, si iam radices egerit. Et ibi pariter statuitur quod planta posita prope confines fundi alieni, quae in illum radices iecerit, sit communis. Vide Croix [5]. Notandum hic autem, non licere arboris, in alieno fundo positae, succidere radices aut ramos porrigentes se in agrum proprium, nisi alter monitus eos tollere nollet, ut dicunt Schneider et alii apud Croix [6]. Idem quod dictum est de planta statuitur de frumento sato, quod etiam solo cedit, *ex* §. 32. Et qui seminaverit mala fide, neque expensas repetere potest, ut Croix [7] cum Haun. Pariter in §. 33. statuitur, ut litterae, licet aureae, cedant chartis: sed hodie ex consuetudine, asserit Croix [8] cum Ills. et Haun. contrarium vigere.

502. IX. *Perceptione* fructuum, si facta sit bona fide et fructus sint consumpti [9].

503. X. *Traditione* per quam dominus vult in alterum alienare suae rei dominium [10].

504. Iure autem *positivo civili* seu *canonico* acquiritur dominium per *praescriptionem seu usucapionem*, quae proprie dicitur de rebus corporalibus fieri. Ad *praescriptionem* quatuor requiruntur conditiones. 1. Bona fides. 2. Titulus iustus. 3. Continuata possessio. 4. Ut res illa praescribi possit.

1. Igitur conditio est *bona fides* [11] qua quis prudenter, non iam ex ignorantia crassa, credat rem esse suam. Hinc qui ab initio dubitat an res sit sua nequit inchoare possessionem. Si vero ad possessionem bonae fidei dubium supervenit, praescriptio non interrumpitur; modo interim diligentia adhibeatur ad veritatem inquirendam. Idem tenet Anaclet. [12] tamquam communius et probabilius. Vide dicenda *n.* 511.

505. 2. Conditio est *titulus iustus*, puta emptionis, donationis etc. saltem rationabiliter sive probabiliter praesumptus etsi revera non intervenerit. Notandum tamen quod titulus non semper requiritur, sed tantum quando praesumptio est contra possessorem, ut mox dicemus. Ad praescribendum autem sufficit titulus coloratus. Croix [13] cum communi. Sufficit etiam titulus existimatus, puta si existimes rem patri tuo fuisse donatam. Vide Croix [14].

506. 3. Conditio est *continuata possessio* per tempus a iure definitum. Si enim adsit titulus, res usu consumptibiles seu mobiles, triennio praescribuntur, ex *l. un. cod. de usuc. et* §. 1. *Instit. de usuc.* ubi *cautum est, ut res quidem mobiles per triennium usucapiantur.* Bonac. tamen [15] dicit, hoc esse inter praesentes, sed inter absentes requiri quatuor annos: sed hanc distinctionem nec textus agnoscit, nec caeteri dd.: nam Less. [16] cum comm., Verde [17] Anacl. [18] indistincte ibi dicunt, sufficere triennium ad mobilia praescribenda. Idem dicit Croix [19]. Et adhuc pro rebus spectantibus ad ecclesiam, ut Mol. Laym. Palaus Sanchez Lugo [20]. (contra Sylv.

(1) Loc. c. n. 128. (2) Ex l. 2. c. de rei vindic. (3) N. 130. (4) Ex l. 38. ff. de pet. haered. (5) L. c. n. 132. (6) D. n. 132. (7) D. n. 132. (8) N. 134. (9) §. Si quis a non domino, cod. Iust. (10) §. Per traditionem, eod. Instit. (11) Ex reg. 2. iur. in 6. (12) D. 6. q. 2. n. 12. (13) L. 3. p. 2. n. 498. (14) N. 499. (15) De restitut. q. ult. p. 2. §. 2. (16) L. 2. c. 6. n. 22. (17) Inst. civ. l. 2. de usucap. Lemma 8. n. 451 (18) L. c. n. 21. (19) L. 3. p. 2. n. 529. (20) Ib

Covar. Less. etc.). Busembaus autem *de restit. n.* 610. *circa fin.* cum Trull. et Salon. dicit, quod ad praescribendos fructus collectos sufficit biennium inter praesentes et quadriennium inter absentes.

507. Debita ex rebus mobilibus, sicut etiam fructus, pari modo ac mobilia praescribuntur, Croix [1] cum Dicast. et pluribus : quia accessorium sequitur principale. Aliae vero actiones non praescribuntur nisi per 30. annos. Vide Croix [2].

Si quis per triennium possedit beneficium ecclesiasticum vel ipsius fructus, iam praescribit ex regula cancellariae relata in extensum apud Croix [3]. Etiamsi titulus fuerit nullus, ut Croix [4] cum Nav. Sot. Sa Less. etc. contra alios : modo absit ingressus simoniacus vel intrusio. ut dicitur in regula praedicta cancellariae. *Ingressus* autem *simoniacus* est, si quis sciens simoniam a se vel ab alio tertio commissam, ingrediatur beneficium. Croix [5]. Vide dicta *de simon. n.* 111. Secus vero si fuerit a tertio, ipso contradicente, ac deinde ignorante simoniam, ut dictum est *n.* 111. utque dicit Croix [6] cum Lessio Suar. Sanch. Pal. Luca etc. Vel, si post simoniam supervenerit titulus coloratus. Croix cum Gom. et Chokie contra Lugo [7]. Ad excludendum autem beneficiatum, simonia debet esse utrinque completa, Croix [8]. Vide dicta *n.* 106. *Intrusio* deinde intelligitur, si ipse se immittit in beneficium sine vera collatione aut institutione aut confirmatione aut expeditione litterarum pontificiarum; vel si post excommunicationem, suspensionem aut amotionem, per sententiam saltem declaratoriam etc. Vide Croix [9]. Possessio decennalis maiores favores habet. Vide ibid. [10].

508. Res vero immobiles non praescribuntur, nisi per spatium 10. annorum inter praesentes, et 20. inter absentes. Ita ex comm. Bon. [11] Anacl. [12]. Notandum autem quod *praesentes* dicuntur, qui in eadem provincia, *absentes*, qui in diversis provinciis habitant, sive res sita sit in eadem provincia sive alibi, ut Anac. ait [13]. Sed Lug. [14] cum aliis dicit, censeri absentes etiam eos qui, esto in eadem provincia, in diversis tamen degunt locis, qui proprium gubernatorem habent, licet eidem principi vel senatui subditum. Si quis autem partim fuerit praesens et partim absens, anni absentiae sunt duplicandi, v. gr. si fuerit praesens octo annis et duobus absens, hi duo duplicandi sunt, et inde 12. anni ad praescriptionem requiruntur. Anac. [15].

509. Quando autem non adest titulus, ad praescribenda, sive mobilia sive immobilia, requiruntur 30. anni. Est commune cum Anacl. et Bon. [16]. Idem ait Tamb. [17] cum Mol. et Less., qui notat deinde, quoad mobilia sine titulo praescribenda, nihil in iure esse constitutum. Unde videntur etiam 30. anni requiri.

510. Ad praescribenda bona ecclesiae vel locorum piorum, requiruntur 40 anni [18]. Imo, quoad bona ecclesiae romanae requiritur praescriptio centenaria, ut Anacl. [19]. Dubitatur autem, utrum res mobiles ecclesiarum etiam triennio praescribantur. Affirmant Bonac. [20] Less. [21] cum Lay. et aliis pluribus ap. Anac. [22]. Negant vero [23] Ostiens. Panorm. cum Anac. [24] eo quod, ut isti dicunt, concessio locis piis facta a iure canonico, ut non praescribantur eorum bona nisi spatio 40. annorum, non distinguit mobilia ab immobilibus. Utraque est satis probabilis.

511. Dicitur autem *possessio continuata;* nam praescriptio interrumpitur vel *naturaliter*, si praescribens amittat possessionem aut ei superveniat mala fides; vel *civiliter*, si ab altero lis super rem intimetur; nisi alter iniuste hoc faciat ad interrumpendam

(1) L. 3. p. 2. n. 522. (2) N. 539. (3) L. 4. n. 689. (4) N. 716. (5) N. 709. (6) Ibid. (7) N. 71[illegible]. (8) N. 712. (9) Ex n. 713. (10) N. 715. (11) Ibid. (12) N. 22. (13) N. 23. ex l. ult. c. de long. temp. etc. (14) De iust. et iure disp. 7. n. 67. (15) N. 24. (16) Ex l. Sicut in rem. cod. de praescr. 30. vel 40. an. (17) Dec. l. 8. tract. 1. c. 4. §. 1. n. 3. (18) Ex auth. Quas actiones, cod. de sacr. eccl. (19) N. 25. (20) Loc. c. (21) L. 2. c. 6. n. 22. (22) N. 27. Ex dict. auth. Quas actiones. (23) Ibid. (24) Ex c. 1. de integr. rest.

praescriptionem. Less.[1] Anacl.[2] cum aliis.

Si vero bona fide possidere incoepisti, et supervenit dubium, teneris inquirere an res sit aliena. Quod si non comperias, potes pergere ad eam possidendam et praescribendam. Ita Croix[3] Lugo[4] Less. Mol. et communiter (contra Adrian.). Et favent *c.5. Si virgo caus. 34. quaest. 1. et c. finali de praescr.* Dicitque Croix[5] quod pro litis contestatione non interrumpatur praescriptio triennalis. Notat etiam Dicastill.[6] posse quemque praesumi bona fide incoepisse possidere; et hoc valere pro foro interno, etiamsi bona fides sit ex ignorantia iuris manifesti, dicunt Lugo Less. Pal. et alii apud Croix[7] quia leges ideo tunc improbant praescriptionem, quoniam non praesumunt perfectam bonam fidem. Sed tamen probabilior videtur sententia contraria, quam tenet Croix[8] cum Dicastill. Molin. etc. Ratio quia ad praescriptionem non tantum requiritur fides theologice, sed etiam civiliter bona, cum tantum ex vi legum dominium acquiratur. Ait autem Lugo apud Croix[9] quod si fides tua sit solum venialiter mala, potes praescribere; et id deducitur ex conc. lateran. IV.[10] ubi damnatur sola fides cum peccato mortali.

512. Haeres possessoris malae fidei probabilius non praescribit, ut ex communi tenent Mol.[11] et Croix[12] cum Dic. etc. Excipiunt Less. Pal. Cov. Grotius et alii[13] si praescribens sit haeres haeredis; sed hoc probabilius etiam negat Croix cum Lugo etc. Secus vero dicendum de successore particulari, ut emptore, legatario etc. Croix[14].

513. Per bonam fidem potest quisque praescribere libertatem a solvendo debito, si invincibiliter illud ignoret. Lugo[15] et Croix[16]. Et sic etiam praescribet libertatem a solvenda mulcta, si intra certum tempus non exigatur, etsi sciat illam se debere. Croix[17] cum Mol. Cov. etc. Notandum autem quod si quis possessionem dimittat, ut alter eam habeat, si hic non acquirat, prior retinet, quia semper inest conditio, ut alter acquirat[18]. Croix[19]. Possessio autem nequit dimitti, nisi animus sit manifestatus, ut Lugo[20] et Croix[21] cum Suar. et Dic. Ratio quia cum possessio consistat in facto externo, non nisi alio externo facto amittitur.

514. Sedulo insuper advertendum, quod aliquibus personis privilegiatis datur restitutio in integrum per quatuor annos post praescriptionis tempus, ad recuperanda ea quae praescriptione amiserunt, prout minoribus, et ecclesiis, aut aliis locis piis; item mulieribus et rudibus, ut probabile putant Palaus Less. etc. apud Croix[22]. Item uxoribus quoad bona dotalia; item iis qui probent, ut alii opinantur, ideo se non interrupisse praescriptionem quia invincibiliter ignorarunt; sed hoc negant Haunol. Fachinaeus, et merito[23] de hoc dubitat Croix cum Dic. Alioquin sic iurgia etiam saepissime manerent, et facile frustraretur lex praescriptionis.

515. 4. Conditio est, *ut res sit apta praescribi;* nam res furtive aut vi possessae numquam praescribuntur a fure. Res autem quas bona fide tertius possessor a fure accepit, non praescribuntur adhuc cum titulo, nisi spatio 30. annorum inter praesentes, et 40. inter absentes. Si vero titulus non adsit, res furtivae numquam a quocumque praescribuntur, ut notat Verde[24] et annuit Anacl.[25]. Res fisci tantum praescribuntur per 40. an. Quaedam autem res numquam praescribi possunt, ut sunt res publicae, iura spiritualia, prout ius decimarum, ius conferendi beneficia, non autem ius patronatus, Anacl.[26].

516. Probabile autem censet Verde[27] quod haeres cum bona fide rite possit praescribere rem quam testator mala

(1) N. 49. (2) N. 39. (3) L. 3. p. 2. n. 482. (4) D. 7. n. 17. (5) N. 548. (6) Ibid. (7) N. 484. (8) Ibid. (9) N. 489. (10) In c. fin. de praescript. (11) Disp. 65. (12) N. 490. (13) Ibid. (14) N. 491.

(15) D. 7. n. 49. (16) N. 493. (17) N. 494. (18) Ex l. 34. ff. de acqu. poss. (19) N. 517. (20) D. 23. n. 59. (21) Ib. (22) L. 3. p. 2. n. 553. (23) Ibid. (24) Loc. c. (25) N. 18 (26) N. 17. (27) Loc. c.

fide possedit. Sed, ut diximus supra *n.* 512., id probabilius negant Mol. Croix etc. communiter. Imo notandum, hoc Neapoli reprobatum esse ex recenti decisione quatuor aularum, edita an. 1738. Quamvis caeterum admittatur ibi praescriptio legitima 30. an. a die natae actionis (deductis temporibus de iure deducendis) in tertio possessore, in quo sancitum est praesumendam esse bonam fidem, nisi mala fides apertis argumentis (non tantum praesumptionibus) ab actore probetur. Item decisum fuit, advocatos et procuratores litium post biennium non posse agere pro suis laboribus, notarios pro scripturis, copia non tradita, non posse agere post biennium; copia autem tradita, omnem actionem eis interdici: pharmacopolas contra principalem, post biennium; contra haeredes autem post duos menses: fabros post annum: famulos et similes, post duos menses. Notandum tamen, haec locum habere, ut ibi statuitur, *nisi scripturae publicae vel privatae producantur;* et insuper ibi dicitur haec decerni *non ope praescriptionis, sed vi praesumptae solutionis;* quare infertur, quod debitor qui certus esset solutionem non esse factam, ex dicta decisione minime ab obligatione solutionis eximitur.

517. Communis autem est sententia apud iurisconsultos et theologos, quod etiam in foro conscientiae per praescriptionem acquiritur dominium, ut habetur apud Croix [1], et eam tenet et fuse probat Lugo [2] cum Caiet. Sot. Cov. Mol. Less. Sylv. etc. communiter contra aliquos paucos. Id probat praesertim Lugo [3] ex conc. later. [4], ubi tantum reprobatur praescriptio malae fidei, et clare approbatur praescriptio bonae fidei, his verbis: *Unde oportet, ut qui praescribit in nulla temporis parte habeat rei alienae conscientiam.* Ratio autem est, quia bene potest lex humana transferre dominium de uno in alium ob bonum commune, ad vitanda iurgia, et ne dominia rerum remaneant incerta. Sed quaestio hic maxime utilis agitur apud Tamb. [5], an in locis, ubi lex praescriptionis non viget in foro iudiciali, possit quis illa uti in foro conscientiae. Et primo loco ait Tamb. videri negandum, cum is tantum ex lege possit ius accipere rem retinendi. Enixe tamen tenet [6] talem bene uti posse praescriptione de iure communi, saltem ante sententiam, ubi ius commune praescriptionis lege municipali non sit explicite abrogatum, prout Neapoli expresse in decisione relata statutum est illud, quod haeres testatoris, mala fide rem possidentis, numquam praescribere possit. Caeterum, quoad alias praescriptiones a iure communi statutas, nihil vere in nostro regno derogatum expresse invenitur; imo Verde [7] cum Staib. Gallup. Prado et Amato contra Ursil. et Rovit. tenet in regno servari quidem praescriptionem: *Iuri enim standum* (ait Verde), *cuius oppositum non invenitur in regno sancitum.* Quare concluditur (prout etiam me docuit doctissimus episcopus Torni) licite nos uti posse in conscientia praescriptionibus iuris communis in regno et in omni loco, ubi oppositum per municipalem legem expresse sancitum non habetur.

(1) L. 3. p. 2. n. 470. (2) De iust. d. 7. ex n. 4. (3) N. 4. (4) Relato in c. final. de praescript.

(5) Dec. 1. 6. tr. 1. c. 4. §. 2. (6) N. 8. (7) Loc c. Lemma 4. n. 424.

Cap. I. De furto

Dubium I. Quid sit furtum et quale peccatum.

518. « Resp. Est occulta et iniusta rei alienae ablatio, invito rationabiliter domino. Quod si res sit sacra dicitur sacrilegium, de quo supra. Si aperta vi fiat est rapina, a furto specie distincta. Licet autem furtum, caeteris paribus, quam rapina, levius sit, et ex genere suo minimum inter ea quae circa proximum committuntur, est tamen mortale si quantitas sit notabilis. Ita communiter omnes. Vide Bon. [1].

Unde resolves:

519. » 1. Qui alienum accipit ioco, vel ob bonum aut commodum illius a quo accipit, non furatur: v. gr. si uxor auferat a marito pecunias ne ludis aut comessationibus eas prodigat, aut vinum ne inebrietur, aut librum haereticum ne eum legat, aut famulus det eleemosynam non nimis magnam valde indigenti, de qua dominus rationabiliter non sit invitus, a quo tamen ob verecundiam vel aliam causam non audeat petere. Vide Less. [2].

520. » 2. Qui pro se vel alio in extrema necessitate constituto alienum accipit quantum necessarium est, nec furatur nec tenetur restituere postea sic absumptum, siquidem re et spe indigens fuerit. Idem docent Less. [3] Malderus etc. de necessitate gravi. Verum id probabilius alii negant, cum Laym. [4] ex s. Th. [5] Sylv. Ang. Vide Dian. [6] c. Lugo. [7] (Adverte hic prop. 36. damnatam ab Innoc. XI.: *Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi*). »

Certum est eum qui est in extrema necessitate constitutus posse alienum surripere, quantum sufficit ad se a tali necessitate liberandum. Ita communiter dd. cum d. Thom. [8]. Ratio s. doctoris, quia in tali casu omnia sunt communia; ius enim gentium, quo divisio facta fuit bonorum, non potest derogare iuri naturali quod cuique competit sibi providendi, dum extrema necessitate laborat. Idem dicitur, quando necessitas est proxima extremae aut illi aequivalens, in tali enim necessitate, quae vocatur alias gravissima seu quasi extrema, potest etiam quis sibi providere mediis ordinariis, non autem exquisitis et extraordinariis. Ita communiter Lugo [9] Less. [10] Sporer [11] Salm. [12] cum Navarr. Sot. Caiet. Prad. etc. Viva [13] cum Sylv. Az. Croix [14] cum Card. Haunold. et Tamb. qui vocat sententiam certam. Talis autem gravissima necessitas putatur quando quis est in probabili periculo incurrendi mortem, ut Ronc. [15] Holzm. [16] ac Vasq. Val. Nav. Moya Dic. etc. apud Croix [17]. Aut vero in periculo amittendi membrum aliquod principale, aut aliquem sensum, puta oculum. Pal. Dic. et Tamb. apud Croix [18]. Item quando quis est in proximo periculo incidendi in perpetuam captivitatem, sive poenam triremium, vel gravissimum aut perpetuum morbum vel infamiam. Lugo [19] Spor. [20] Ronc. [21] Elb. [22]. Non enim opus est, ut dicunt Lugo et Elbel ex d. Th. et aliis, quod huiusmodi mala actu inferantur, sed sufficit quod proxime et moraliter certo immineant, imo ait Holzm. [23], quod de eis adsit periculum certo probabile. Sed dubitatur an putetur eadem necessitate laborare pater qui ob inopiam est in periculo prostituendi filiam. Affirmat Bon. et consentit Mazzott. [24] cum Caiet. Suar. etc. Sed probabilius contradicunt Salm. [25], quia nulla necessitas potest cogere aliquem ad peccandum, cum possit alia via, saltem mendicando, suae necessitati subvenire. Sed quid, si aliquem virum honoratum valde puderet mendicare vel laborare, an posset ex alienis sibi providere? Negant Salm. [26] cum Soto et Prado, dicentes hanc potius iudicari necessitatem gravem, quam extremam, cum bona temporalia tantum ordinentur ad vitam, non ad honorem servan-

(1) D. 7. q. 8. (2) L. 2. c. 12. (3) L. c. d. 4. (4) L. 3. t. 3. p. 1. c. 1. n. 7. (5) 2. 2. q. 66. a. 7. (6) T. 1. p. 2. t. misc. r. 20. (7) D. 16. s. 7. (8) 2. 2. q. 66. a. 7. (9) De iust. d. 16. s. 7. n. 154. (10) L. 2. c. 12. dub. 12. n. 71. (11) Tr. 5. c. 5. n. 103. (12) De restit. c. 5. punct. 3. §. 2. n. 58. (13) In prop. 36. damn. ab Innoc. XI. n. 14. (14) L. 3. p. 1. n. 957. (15) De carit. c. 2. q. 3. (16) Eod. tit. n. 172. (17) L. 2. n. 195. (18) Ibid. (19) Loc. c. (20) Tr. 5. c. 5. n. 85. (21) Loc. c. (22) De restit. n. 271. (23) Loc. c. (24) Tr. 4 8. §. 4. (25) Ibid. n. 39. (26) Cit. n. 39.

dum. Affirmant vero Viva [1] Roncagl. [2] Mazzott. [3] ac Less. Pal. et Dicast. apud Croix [4], item Bann. et Serra apud Salmant. [5]. Hocque probabilius mihi videtur, si pudor mendicandi esset tantus, ut potius ille mortem subire vellet, quam mendicare.

Sed hic plures quaestiones occurrunt. Quaer. 1. an dicantur esse etiam in tali necessitate gravissima ii qui sunt captivi apud turcas, ita ut liceat ipsis alienum surripere ad se redimendum. Quaestio haec pendet ab alia an divites teneantur redimere tales captivos. Negant Hurt. [6] et Spor. [7] quia dicunt, hos non esse in extrema necessitate, cum libertas non requiratur ad vitam, et alias requireretur magna summa ad ipsos redimendos, et facile pretium redemptionis augeretur. Excipiunt tantum, nisi quis captivus esset interiturus ex tristitia vel aliis aerumnis. Item addit Sporer, quod si captivus petat eleemosynam, tenetur dives saltem aliquid dare pro eius redemptione. E converso dicunt Fill. [8] et Az. [9] cum Cai. et Maior., quod divites tenentur ad redimendum vicinum quem sciunt captivum esse. Caeterum, si absolute aiunt dd. ut supra, et ipse Spor. fatetur, quod quisque possit alienum surripere ad se liberandum a perpetua captivitate, vel etiam ab eius periculo, cur non tenebitur dives ad eum liberandum aliquo saltem mediocri subsidio; et cur non poterit ille alienum auferre, si nullam aliunde probabilem spem habeat suae redemptionis? Sed generaliter loquendo, hic adiicere libet iudicium perdocti p. Concinae, qui disserens de dubio, an divites teneantur huiusmodi captivos redimere [10], sic ait: *Captivitas ex se grave malum est, ad quod tollendum plus minusve divites adstringuntur pro maiori aut minori divitiarum abundantia. Si captivitati iunctum sit aliquod grave periculum amittendae fidei aut vitae, si captivus utilis sit reipub.; tum gravior est divitum obligatio, quando haec omnia illis perspecta sunt. Si captivorum redemptio maximam divitiarum summam exigeret, non auderem cuique diviti onus imponere similes captivos in libertatem redigendi. Hoc quippe onere divitibus iniecto, possent infideles extremis malis captivos torquere, christianorumque opes brevi expilare. Spectandae ergo sunt circumstantiae omnes, et iuxta illarum diversitatem divites plus minusve obligantur.* Attamen in hoc dubio, quod mihi ingentem confusionem ingessit, et in quo dd. tam obscure loquuntur, ipse nihil decidere audeo. Sufficit utriusque partis momenta proposuisse. Sapientiores decernant.

Quaeritur 2. An pauper in extrema necessitate possit occulte alienum surripere, antequam petat. Coninchius [11] censet, pauperem peccare mortaliter, si surripiat non petendo; quia non dicitur extreme indigere qui petendo sibi subvenire potest. Less. vero [12] Laym. [13] et p. Conc. [14] dicunt, eum teneri ad petendum, sed non peccare nisi venialiter si non petat; quia dominus tunc non est invitus quoad substantiam, cum pauper ius habeat ad illa bona, sed tantum quoad modum, ordinem invertendo, quod non est amplius quam veniale. Sed melius distinguendum cum Lugo [15] qui dicit: si res illa peculiaris non est absolute necessaria ad inopiam pauperis sublevandam, pauper peccabit mortaliter clam illam surripiendo; nam alias omnes mendici possent impune accipere aliena non petita, ec quod perirent, nisi eis ab alio subveniretur, quod falsum est. Si vero pauper peculiari illa re extreme indigeat, ita ut dominus teneatur omnino eam dare, quia ipso non dante, pauper periret; tunc iste, ut ait Lugo, occulte accipiendo non peccat mortaliter, imo nec venialiter dico, cum ille habeat eo casu absolutum ius ad rem illam accipiendam, iuxta s. Th. [16].

Quaeritur 3. An pauper extreme in-

(1) Loc. c. n. 3. (2) Loc. c. (3) Ibid. (4) L. 3. p 1. n. 952 (5) Loc. c. (6) In 2. 2. d. 259. sect. 3. §. 21. (7) Tr. 3. c. 6. n. 59. (8) Tr. 28 c. 3. n. 76. (9) T. 2. l. 12. c. 8 q. 5.

(10) Tr. 2. d. 6. c. 9. n. 7. (11) D. 27. de carit. dub. 10. n. 158. (12) L. 2. c. 12. (13) L. 3, tr. 1. c. 1. n. 7. (14) T. 2. d. 6. c. 9. n. 11. (15) D. 16. n. 140. (16) 2. 2. q. 66. a. 7.

digens possit accipere rem magni valoris, si illa sit absolute necessaria ad suam vitam servandam.

Prima sententia negat; hanc tenent Croix [1] Conc. [2] et probabilem vocat Spor. [3] (Croix autem citat Lugo [4], sed non bene, quia Lugo loquitur tantum de obligatione divitis, dicens ipsum non teneri extraordinariam summam expendere ad pauperem sublevandum; in quo dispar datur ratio, ut infra videbimus). Ratio autem huius sententiae est quia caritas, ex qua solum tenetur dives ad eleemosynam, ut supra diximus, non obligat cum tanto dispendio. Et quamvis in extrema necessitate pauper habeat ius ad bona aliena, non tamen habet ius ad bona extraordinaria, sed tantum ad ea quae ordinarie sufficiunt ad vitam sustentandam.

Secunda sententia tamen verior affirmat, eamque tenet Sporer [5] consentitque Lugo [6], dummodo dives per talem ablationem non constituatur in aequali necessitate, et Croix [7] putat practice probabilem. Ratio quia revera in extrema necessitate, cum omnia fiant communia, pauper ius habet ad accipiendum omne id quod est necessarium ad suam vitam servandam, *ita ut* (sic docet d. Th. [8]) *per talem necessitatem efficiatur suum id quod quis accipit*. Nec distinguit s. d. inter rem parvi vel magni momenti. Non autem obstat communis doctrina quam tradunt Lugo [9] Laym. [10] Spor. [11] Ronc. [12] Dian. [13] cum communi, et consentit p. Conc. [14], nempe quod dives non tenetur permagnam summam erogare ad proximum liberandum a morte, maxime si ipse deberet e suo statu decidere; eo quod caritas non obliget cum tanto incommodo; unde aiunt Lugo [15] et Pal. Con. ac Tamb. ap. Croix [16] neminem obligari pro vita alterius expendere ter vel quater mille aureos, etiamsi non excideret e suo statu: nisi (excipiunt Sporer et Croix cum Tamb. [17]) pauper esset persona coniunctissima, puta pater vel filius. Nam respondetur quod, licet haec sententia et ratio sit vera respectu divitis, diversa tamen currit ratio respectu pauperis; recte enim discurrit Lugo [18] et dicit quod, sicut ab initio ante divisionem bonorum omnia erant communia, unde quisque poterat ex eis accipere quantum erat ei necessarium, sed nullus quidem tenebatur ipsi ex iustitia bona dare; sic etiam in casu extremae necessitatis, cum omnia tunc fiant communia, potest utique pauper accipere bona divitis, sed non tenetur dives ex iustitia dare. Quapropter casu quo pauper est in extrema necessitate alicuius rei magni valoris, iuste potest eam accipere, quia ius habet ad illam arripiendam; non ideo tamen dives tenetur dare, cum ipse tantum ex caritate obligatur, quae non obstringit cum tanto incommodo. Quod autem dicit Spor. [19] scilicet quod eo casu dives etiam impediendo quominus pauper rem accipiat, non peccaret contra iustitiam, mihi non videtur probabile: quia pauper habet ius ad rem accipiendam, et consequenter ne alter ab ea accipienda ipsum impediat.

Quaeritur 4. an fur, consumens rem ablatam in extrema necessitate, teneatur semper ad restitutionem.

Prima sententia negat, quam tenet Pal. [20] cum Con. et Petro Nav. Diana [21] et aeque probabilem vocat Sporer [22] satisque probabilem putant Les. [23] et Tambur. [24]. Ratio quia, cum in extrema necessitate omnia fiant communia, fur, sicut habet ius accipiendi bona aliena, sic habet consumendi, non secus ac de novo surripiendi.

Secunda sententia vero gravissima et communior affirmat; et hanc tenent Less. [25] Sylv. [26] Armil. [27] Azor. [28] et p.

(1) L. 3. p. 1. n. 953. (2) T. 2. d. 6. c. 9. n. 6.
(3) De carit. c. 6. n. 54. (4) D. 16. n. 147.
(5) De carit. c. 6. n. 154. (6) Loc. c. n. 146.
(7) Loc. c. (8) 2. 2. q. 66. art. 7. ad 2.
(9) D. 16. n. 150. (10) L. 2. t. 3. c. 6. n. 4.
(11) De car. c. 6. n. 51. (12) Eod. tr. c. 2. q. 3. r. 3.
(13) P. 5. tr. 8. r. 6. (14) Loc. c. n. 6. (15) L. c.
(16) L. 2. n. 201. (17) Loc. c. (18) N. 143.
(19) Eod. n. 54. (20) T. 1. tr. 7. d. 2. p. 10. n. 3.
(21) T. 8. tr. 7. r. 14. (22) De 7. praec. c. 5. n. 102.
(23) L. 2. c. 16. n. 7. (24) L. 8. tr. 2. c. 6. §. 2. n. 3.
(25) Loc. c. (26) V. Furtum, q. 5.
(27) Eod. v. n. 10. (28) L. 12. c. 7

Conc. [1]. Ratio, tum quia obligatio iam contracta ex iniusta acceptione non extinguitur ex superveniente necessitate; tum quia necessitas furis non tribuit ei dominium rei alienae sed tantum dat ius ea utendi, et obligationem suspendit restitutionis. His tamen non obstantibus, non puto improbabilem primam sententiam, quia pauper in tali necessitate, ut docet d. Th.[2], surripiens alienum suum efficit. Obligatio autem restitutionis eo casu non solum suspenditur, sed etiam vere extinguitur consumptione rei, quia dominus teneretur consentire consumptioni, si adhuc res apud ipsum inveniretur. Hoc tamen limitandum dico, 1. Si ille sit pauper, non tantum re, sed etiam spe, ut dicemus in qu. sequenti. 2. Si pauper absolute indigeat re illa peculiari nec aliter possit sibi subvenire, ut dixi in quaest. praecedenti.

Quaer. 5. An surripiens rem alterius in extrema necessitate, hac cessante, teneatur illam restituere. Haec quaestio ab illa alia pendet, utrum dives satisfaciat suae obligationi, si pauperi extreme indigenti rem qua ille eget mutuet aut donet sub pacto restitutionis, si deveniat ad meliorem fortunam. Adest triplex sententia.

Prima affirmat, et hanc tenent Tol.[3] Nav.[4], item Less. Vasq. Cov. Adrian. ap. Croix[5] et probabilem putat Lugo[6] casu quo res data sit magni momenti. Ratio quia caritas, ex qua procedit hoc eleemosynae praeceptum, obligat tantum ad subveniendum proximo indigenti, ergo sufficit ut aliquo modo ei subveniatur, quo ille a sua necessitate eximatur, quin res absolute donetur.

Secunda sententia negat, eamque tenent Azor.[7] Sot.[8] Sanch.[9] (cum communi ut asserit), item Suar. Bonac. Pal. etc. apud Salm.[10]. Ratio tum quia dives ex praecepto naturali tenetur eleemosynam dare extreme indigenti, obligatio autem dandi eleemosynam involvit obligationem donandi; cum vero datur res ad mutuum, non fit donatio, sed una obligatio mutatur in aliam. Tum quia in extrema necessitate omnia sunt communia, unde dives tenetur ex iustitia rem tradere pauperi, cum ille iuste possit eam surripere, etiam invito domino, et suam facere ut docet s. Th.[11].

Tertia sententia longe communior et verior, quam tenent Pal.[12] Holz.[13] Sporer[14] Croix[15] cum Val. qui vocat certam, et Bann. qui primam sententiam putat falsissimam, ac Salm.[16] cum Reg. Med. Trull. Villal. Dian. et omnibus aliis aa. citatis pro secunda sententia, distinguit et docet quod si pauper tempore necessitatis est absolute pauper, tunc dives tenetur omnino gratis ei succurrere, quia tunc absolute obligatur ad praestandam eleemosynam. Secus, si alter habeat aliunde bona, aut spem moralem sive probabilem habendi; tunc enim sufficit rem ipsi mutuare, quia tunc ille non est absolute pauper, nec posset rem alterius absolute arripere et suam facere. Et hanc sententiam expresse tenet d. Th.[17] qui, supponens quod pauper non sit carens bonis propriis, sic docet: *Unusquisque tenetur ad liberandum proximum a morte secundum suam conditionem: et hoc quidem convenienter implevit qui pecuniam mutuavit: non autem tenetur condonare in casu quo ille poterat per mutuum liberari.*

Sic igitur pariter dicendum in quaestione primo loco proposita de surripiente bona aliena in extrema necessitate: nihil tenetur ipse restituere, si tempore necessitatis erat absolute pauper, ut dicunt Lugo[18] et Salm.[19] (contra Laym.[20] ac alios apud Salm.[21]). Ratio quia, ut docet d. Th.[22], qui est absolute pauper potest licite ex rebus alienis sibi subvenire et efficit suum id

(1) T. 4. de furto, c. 5. q. 4. (2) Loc. supra cit. (3) L. 5. c. 14. (4) Man. c. 17. n. 61. (5) L. 2. n. 207. (6) D. 16 n. 167. (7) T. 2. l. 12. c. 9. q. 1. (8) De iust. l. 4. q. 7 a. 1. ad 4. (9) Cons. p. 1. c. 5. dub. 5. n. 56. (10) Tr. 21. c. 7. punct. 1. §. 1. n. 8. (11) 2. 2. q. 66. a 7. (12) Tr. 6. d. 2. p. 4. n. 9. (13) De carit. c. 3. n. 182. (14) De 7. praec. c. 5. n. 99. (15) Loc. c. (16) Ibid. n. 9. et 10. (17) Quodlib. 5. a. 17. (18) D. 16. n. 171. (19) De rest. c. 5. punct. 3. §. 1. n. 35. (20) L. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 7. (21) Ibid. (22) Loc. c.

quod accipit. Recte autem excipiunt Salm.[1] si res accepta, cessante necessitate, existat in propria specie; tunc enim dicunt quod tenetur eam restituere. Ratio quia, cum illius rei solus usus erat ei necessarius ad suam necessitatem sublevandam, non poterat illius dominium sibi adiudicare. Pauper autem qui aliunde bona habuit vel spem habendi, ut supra diximus, bene tenetur restituere rem acceptam et consumptam in necessitate, quia quando rem accepit non fuit absolute pauper.

Quaer. 6. An dives non subveniens pauperi tempore quo ille erat in extrema necessitate, teneatur postea ad restitutionem.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Carden.[2] cum Hurt. Laym.[3]. Item Prado et Arag. apud Salm.[4] eamque putat probabiliorem p. Concina[5]. Ratio quia pauper in extrema necessitate habet verum ius ad bona divitis, et ideo si dives illa non tradat peccat contra iustitiam et tenetur restituere. Alias si non peccaret contra iustitiam, sed tantum contra caritatem, posset ipse sine iniustitia etiam impedire pauperem, quominus in tali necessitate suum arriperet; nec teneretur ad restitutionem damnorum obvenientium filiis pauperis, qui ex illa impeditione mortem subiret; quod nemo dicit. Hinc inferunt, quod si dives sive impedit sive negligit dare eleemosynam, in eo casu tenetur, adhuc sublata necessitate, resarcire omnia damna pauperi illata.

Secunda sententia vero probabilior, quam tenent Less.[6] Lug.[7] Holzmann[8] cum communi, ut asserit, et Salm.[9] cum Suar. Con. Ban. Sanch. Vasq.. negat teneri divitem ad restitutionem damnorum, si negligit dare eleemosynam. Ratio quia talis obligatio est ex praecepto caritatis quae ad restitutionem non obligat. Et quamvis pauper in extrema necessitate habeat ius ad bona divitis apprehendenda, cum illa eo casu fiant communia, non acquirit tamen eorum dominium; tunc enim non quoad dominium, sed tantum quoad usum bona aliena communia evadunt. Sed dices: si dives non obligatur ad subveniendum pauperi ex iustitia, quomodo poterit pauper iuste rem eius surripere ipso invito vel nesciente? Respondeo cum Lugo eodem modó ut diximus in quaest. 3. ante divisionem bonorum omnia erant communia et quisque poterat ex eis accipere sibi necessarium, sed nullus tenebatur ipsi ex iustitia dare. Idem dicendum in casu extremae necessitatis, cum omnia tunc fiant communia, potest pauper accipere bona divitis, sed dives non tenetur ea dare ex iustitia. Cum autem pauper habeat ius ad accipiendum, peccat proculdubio dives contra iustitiam, si illum impediat ab accipiendo et tenetur ad omnia damna filiis aliisque haeredibus necessariis ex tali impeditione obvenientia. Si vero non impedit, sed tantum negligit dare, ad nihil postea tenetur. Unde concluditur quod pauper possit iuste bona divitis accipere, sed dives non teneatur ex iustitia dare.

Ultimo hic notandum quod in sola gravi necessitate prohibetur surripere rem alienam[10]. Excipit Viva[11] quando pauper ad levandam suam non levem miseriam, quamvis non extremam, aliquid leve surriperet, probabiliter iudicando, dominum opulentum ex pietate non esse invitum, saltem quoad substantiam. Recte tamen advertit, huius epikeiae usum non debere esse facilem nec in materia gravi, quia divites in hoc etiam, quoad substantiam, sunt rationabiliter inviti.

521. « 3. Nec item furatur qui accipit in compensationem iustam, si aliter sibi debitum accipere nequeat, v. gr. si famulus iustum stipendium non possit aliter obtinere vel inique inductus sit ad serviendum iniquo pretio. Vide Laym.[12] et Tol.[13]. »

(1) Loc. c. n. 35. (2) In 1. cris. d. 26. n. 76.
(3) L. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 7.
(4) Ibid. n. 33. (5) De eleem. c. 9. q. 10.
(6) L. 2. c 12 n 23 (7) D. 16. ex n. 143.
(8) De carit. c. 3. n. 182. (9) Loc. c. n. 34.
(10) Ex propos. damn. 36. mox supra relata.
(11) In dict. propos. 36. n. 10.
(12) Loc. c. (13) L. 5. c. 15.

Nota quoad *compensationem*. 1. Quod compensatio potest fieri etiam in alia specie, si non possit fieri in eadem. Croix [1].

Nota 2. quod compensatio regulariter peti debeat per iudicium; sed hoc omittere est tantum veniale peccatum, ex Salm. [2] cum Lug. etc. Viva [3] ac Croix [4] Tamb. et aliis, imo nullum, si alias timeantur inimicitiae, amissio expensarum et similia, ut recte docet Laym.

Nota 3. Quod licet ad compensationem requiratur certitudo crediti, ex communissima apud Croix [5] quamplures tamen et graves auctores apud Salm. [6] admittunt posse fieri compensationem cum credito tantum probabili in tribus casibus, scilicet, quando compensatur fama cum pecunia; infamia cum infamia data; et legatum relictum in testamento non solemni. Sed *vide quae de his diximus de conscientia l. 1. n.* 35. *in nota* [7].

522. Nota hic propos. 37. Innoc. XI. quae dicebat: *Famuli ac famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere, ad compensandam operam suam quam maiorem iudicant salario quod recipiunt*. Salmantic. [8] cum aliis, loquentes de hac prop. damn., dicunt 1. quod si famulus sine necessitate libere conveniat cum domino de stipendio inferiori, postea nihil poterit sibi compensare; secus, si ex necessitate, ad levandam nimirum suam miseriam, conveniat de salario notabiliter minori iusto. Ratio quia decreta pontificia non intelligunt obligare famulum contra iustitiam. Ita Salm. [9] et Viva [10] cum Less. Suar. Mol. etc. contra Croix [11] qui ait, nihil penitus posse famulum surripere post pactum, quia iam cessit iuri suo; sed respondetur quod famulus cum cogitur ad sic conveniendum sua paupertate, tunc non cedit iuri suo sponte, sed coacte; et ideo ipsius paupertas nequit excusare herum ut non solvat ei saltem infimum stipendium. Quando autem famulus, coactus necessitate, convenit pro parvo pretio, poterit sibi compensare usque ad pretium infimum, ut ait Viva [12] cum Less. Suar. Mol. et Dic. et aliis (ut ait) communissime. Hoc tamen currit, nisi dominus alios famulos pro eodem parvo pretio iam iuste invenisset; vel nisi ipse famulus de se oblatus fuisset, et dominus ex pietate sive indigentia ipso uteretur. Viva [13] et Salm. [14] cum Mol. Sot. Nav. Vill.

523. Dicunt 2. Salm., quod si famulus ex electione propria augeat operas debitas, nihil potest surripere, quia tunc censetur operam suam condonare ad conciliandam sibi domini gratiam; secus autem si ex voluntate domini expressa vel tacita, quia tunc servanda est regula illa, nempe quod quivis operarius dignus est mercede sua. Ita Salm. [15] cum Mol. Sot. Vill. Nav. Dian. Fagund. Bass. et ita etiam Corella cum Filguera Tores. Lastra et Hozes [16]. Consentitque huic Croix [17].

524. An autem famulus, si evidenter sibi constet de iniustitia sui stipendii, possit tunc ex proprio iudicio facere sibi huiusmodi compensationem. Negant Croix [18] Card. [19] et Viva [20]. Et dicunt quod famulus sive quicumque alius mercenarius non debet sibi compensare, nisi ex iudicio communissimo peritorum, aut viri valde docti et in re morali versati; ideoque inquiunt, ad hoc non sufficere iudicium confessarii mediocriter docti. Attamen Salm. [21] dicunt famulum posse etiam ex pro-

(1) L. 3. p. 1. n. 967. (2) De rest. c. 1. punct. 19. §. 2. n. 313. in fin. (3) In prop. 37. Innoc. XI. n. 1. (4) N. 965. (5) N. 962. (6) Ibid. n. 321. (7) Ad licitam compensationem occultam tres requiruntur conditiones: « 1. Ut non fiat cum damno debitoris; 2. Ut creditum sit certum et liquidum; 3. Ut satisfactio alio modo obtineri non possit; quare creditor debet prius in iudicio postulare; quanquam si hoc negligitur non erit peccatum grave, imo nec si via iudiciaria sumptus odia aut alia damna subeunda essent. » Hom. Apost. tr. 10. n. 21.

(8) De 4. praec. c. un. punct. 7. §. 3. n. 136.
(9) De rest. c. 1. punct. 9. §. 2 n. 317.
(10) In d. prop. 37. n. 12. (11) L. 3. p. 2. n. 975.
(12) Dict. n. 12. (13) Dict. n. 12. in fin.
(14) De 4. praec. c. un. punct. 7. §. 3. n. 136.
(15) Cit. n. 136. et de rest. c. 1. punct. 19. §. 3. n. 316.
(16) Sup. dict. prop. 37. (17) L. 3. p. 2. n. 976.
(18) Ibid. (19) Sup. prop. Innoc. XI. diss. 23. c. 2. a. 3. n. 62. et 63. (20) In dict. prop. 37. n. 1.
(21) De 4. praec. punct. 19. §. 3. n. 137.

prio iudicio sibi compensare suam operam, si ipse certe iudicet se maius stipendium mereri. Quod sane videtur satis probabile mihi et aliis doctis recentioribus, si hic famulus vel quicumque alius mercenarius sit vir prudens, timoratus et vere aptus ad recte iudicandum, ac certus sit de iustitia compensationis, remoto omni hallucinationis periculo. Sed haec rarissime evenient. Nec obstat supradicta prop. 37. damnata, quae merito proscripta fuit, quia nimis generaliter loquebatur.

525. Quaeritur hic obiter, utrum christiani possint licite surripere res turcarum. Resp. si christiani sint in locis turcarum captivi, certum est posse eos surripere a dominis quantum sufficit ut redimantur et ad patriam redeant in compensationem iniustae servitutis et damnorum, quae ratione servitutis patiuntur. Ita habetur ex decreto Congr. SS. Off. die 23. aug. 1630. apud Peyrin.[1] ubi sic fuit declaratum: *Qui captivi iniuste detinentur ab infidelibus, possunt a dominis particularibus accipere sine iniustitia quantum sufficit ad congruam compensationem, etiam pro sufficientia redemptionis, ab illis vel ab aliis qui sunt partes reip. sive Iudaeae sive Turcae.* Dubium fit an quilibet christianus possit surripere bona turcarum. Negant Azor.[2] et Fill.[3]. Sed affirmant probabiliter Mol.[4] cum Cai.[5], item Victorel. Naldus Duval. Rebell. Velasq. Covarr. et alii apud Dian.[6] qui probabile putat. Ratio, quia sic recte praesumi potest ei concedi a principibus christianis, qui ius habent spoliandi turcas omnibus bonis ac locis ab ipsis usurpatis. Consentit etiam Felix Pot.[7] modo (recte limitat) non adesset inter turcas tempus treguae vel salviconductus; vel nisi aliquis turca degat in locis christianorum, sive liber sive servus, maxime si adsit ut publicus negotiator sub fide regia.

Dubium II. Quae sit quantitas notabilis ad mortale peccatum.

526. « Variae ea de re sunt sententiae. Nav. nimis scrupolose statuit medium regalem; alii nimis laxe 10. aureos; moderatius Tol. Med. Less. etc. duos regales, etsi minus sufficiat, si notabiliter noceat.

» Resp. Ea non mathematice, sed moraliter metienda est, non tantum ex valore rei ablatae, sed etiam ex circumstantiis personae cui aufertur: si nimirum ei grave damnum inferatur, aut saltem caritas christiana graviter laedatur, quomodo respectu valde divitis, imo etiam regis, unus vel alter aureus notabile quid videtur: respectu vero mediocriter divitum quatuor circiter regales sive medius imperialis: respectu mechanicorum duo; respectu pauperis unus. Ita nunc plerique cum Bon.

Unde resolves:

» 1. Grave peccatum est auferre rem parvam domino valde proficuam, v. gr. sartori acum quam unicam habet, nec habere aliam potest qua se alat. Less.[8].

» 2. Grave item est (etsi non in specie furti) si fur sciat ex iactura rei parvae domino secuturam valde magnam molestiam, v. gr. quia valde ad eam afficiebatur, nec similis recuperari potest: nisi tamen res sit nullius prorsus momenti. Vide Bon.[9].»

527. Quoad hoc punctum, tam ad praxim scitu necessarium, nempe, quaenam sit materia gravis in furto, operae pretium est plura hic elucidare. Quidquid aliqui dicant, commune est

(1) De priv. minim. t. 3. c. 4. n. 29.
(2) T. 1. l. 8. c. 24. q. 12.
(3) Tr. 32. c. 5. n. 123.
(4) T. 1. tr. 2. d. 37. lit. d. (5) 2. 2. q. 66. a. 8.
(6) P. 5. tr. 13. r. 98. (7) De 7. praec. n. 2933.
(8) L. 2. c. 12. d. 8. (9) D. 2. q. 8. p. 1.

apud dd. et non videtur posse negari, quod ad determinandam huius materiae gravitatem non possit absolute pro omnibus eadem quantitas assignari, sed ipsa dimetienda sit respective ad circumstantias personae, rei, loci, et temporis; cum enim furti gravitas consistat in quantitate damni quod proximo infertur, facile nocumentum quod respectu unius leve erit, respectu alterius erit grave. Ideo enim s. Th. [1]. dixit: *In amissione unius gallinae plus pauper gravatur, quam unus multum dives gravaretur in mille marcis.* Ideo etiam ait Laym. [2]. cum Nav. Bus. et communi, quod auferre acum sartori poterit aliquando esse grave furtum, si ille ea carens nequiret sibi de victu providere. Caeterum ad iustam dimensionem faciendam huius gravitatis, recte dicunt Salm. [3] magnopere conferre iudicia sapientum, quorum maior auctoritas, in hoc puncto, mihi videtur maiorem constituere probabilitatem. Quapropter diversas doctorum sententias sedulo hic congerere curavi; et ne pluries citationes eorum repetam, omnes aa. quos observavi hic simul refero. Hi sunt videlicet Less.[4] Lugo[5] Laym.[6] Bon.[7] Fill.[8] Salm.[9] Habert[10] p. Concina[11] Sporer[12] Holzm.[13] Ronc.[14] Anac.[15] Elb.[16] Wigandt[17] Croix[18] Mazzott.[19] Tamb.[20] Viva[21] Tol.[22] Fel. Potest.[23]. Et quoniam auctores isti, in assignanda materia gravi, diversis pecuniae nominibus utuntur; ideo hic opus est referre plures pecuniae species, quas ipsi nominant, et earum aestimationem, ut eam iidem dd. explicant. *Pazius* sive *Paceus* iuxta Laym. valet quatuor vel quinque asses, sive grana nostratia. *Regalis* iuxta Tamb. valet tarenum unum ac quinque grana monetae siculae; et ad eumdem valorem vel circiter reducitur *iulius argenteus*, sive *carolenus* noster. *Florenus* iuxta Lessium et Anaclet. valet quatuor regales, iuxta Lugonem valet quinque; iuxta vero Fill. sex regales. *Imperialis* iuxta Bus. valet octo regales. *Aureus* iuxta Tamb. et Potesta valet 12. vel 13. iulios; et ad idem reducitur vel circiter, *scutus* sive *ducatus* noster[24].

Communiter dd. dicunt in furto illam esse gravem materiam quae alicui iuxta suam conditionem in die sufficeret pro sui suaeque familiae sustentatione; in qua, ut bene advertit Croix[25] cum Sporer Gom. et aliis, non solum computatur victus, sed etiam vestitus et habitatio. Sed regula haec, cum sit valde obscura et confusa nec universe possit pro omnibus valere, idcirco afferemus dd. qui pro diversis personarum generibus gravem materiam assignant. Et 1. Respectu *pauperum mendicantium* assignant pro gravi materia paucos nummos Habert Elbel Spor. et Holzm. Alii vero communius assignant unum regalem, et aliquando etiam dimidium (sed in casu raro, ut dicunt Salm.). Ita Bus. Less. Bon. Viva, Anacl. Escob. Renzi Mazzot. Wigandt cum Bann. et Serra; item Nav. Reg. ac Diana apud Lugo. 2. Respectu *pauperum laborantium*, generaliter loquendo, dicunt Laym. et Lugo, eam esse gravem materiam quae pertingit ad valorem victus diurni sive ad mercedem mediocrem quae datur fossori pro uno die. Alii tamen distinctius loquuntur; Ronc. et Habert assignant pro materia

(1) Op. de erud. princ. l. 7. c. 8. (2) L. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. (3) De rest. c. 5. punct. 2. §. 1. n.15. (4) De iust. l. 2. c. 12. ex n. 31. (5) Eod. tit. d. 16. n. 27. et 28. (6) L. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 3. (7) De rest. d. 2. q. 8. p. 1. n. 7. (8) Tr. 31. c. 10. n. 239. (9) Loc. c. (10) T. 4. p. 2. c. 8. §. 5. (11) T. 4. c. 3. (12) De 7. praec. c. 5. ex n. 31. (13) Eod. tit. c. 1. n. 732. (14) Eod. tit. c. un. q. 4. (15) Tr. 9. d. 5. q. 1. n. 8. (16) Conf. 10. n. 288. (17) Tr. 9. ex 3. q. 2. (18) L. 3. p. 1. n. 987. (19) Tr. 4. disp. 2. q. 1. (20) Dec. l. 8. tr. 2. c. 2. n. 2. (21) De rest. q. 7. a. 5. n. 5. (22) L. 5. c. 16. n. 3. (23) De 7. praec. c. 3. n. 2618.

(24) *Pazius* ergo aequat 4. aut 5. solidos.

Regalis, *Iulius*, *Argenteus*, *Carolenus* aequant quasi 1/2. francum; sed Iulius et Carolenus aliquanto minores Regali sunt.

Florenus Lessii et Anacleti — 36. solidos.
De Lugo — 45. solidos.
Filliuccii — 2. francos et 12. solidos. Hic est hodiernus Florenus Germaniae; sed apud Belgas aequat 2. fr. et 13. solidos (sive 2. 65.).

Imperialis Busemb. aequat paulo minus 4. fr.

Aureus Tamburini et Potest. aequat 6. francos sive Risdalem Austriae.

Scutus sive *Ducatus vetus neapolitanus* aequat 4. franc. et 33. cent. (25) N. 985.

gravi unum iulium. Alii vero communius dicunt, esse duos regales, tam pro fossoribus, quam pro artificibus sive mechanicis; ita Laym. Less. cum Medin. Bon. Viva Wigandt Conc. Renzi Esc. Mazz. Tamb. Bus. Holz. Serra ap. Salm. et Nav. Reg. ac Diana ap. Lugo. Verumtamen pro artificibus Sot. et P. Nav. ap. Less. requirunt pro materia gravi plus quam duos regales, et idem dicunt Elbel et Potest.; Fill. requirit tres iulios. Lugo autem quatuor argenteos. Hinc probabiliter dico pro fossoribus sufficere duos regales, pro artificibus autem requiri ad materiam gravem saltem duos regales cum dimidio, si similem aut maiorem mercedem ipsi quotidie lucrentur. Recte tamen advertit Habert, quod si quis operarius vix sustentaretur lucrando septem vel octo asses singulis diebus, pro hoc talis summa esset gravis. 3. Respectu *communiter* sive *mediocriter divitum* qui vivunt propriis reditibus Conc. et Ronc. assignant pro materia gravi tres iulios; Laym. 12. vel 15. pazios, id est sex regales vel circiter; communius vero Bus. Less. Bonac. Gordon. Habert Viva Anacl. cum P. Navarr. Elbel Tamb. Holz. Potest. Wigandt cum Bann. item Serra Reg. Dian. cum Salm. dicunt, pro his materiam gravem esse quatuor regales sive iulios. Immo Fill. Escob. Mazzott. Renzi et Tamb. extendunt usque ad quinque regales. Hoc tamen recte advertit Viva, non intelligendum de illis qui, licet vivant propriis reditibus, tamen stricte vivunt; pro his enim certe puto tres regales gravem materiam, imo etiam minus pro eis qui nimis misere se et familiam sustentant. E converso pro persona absolute opulenta Sporer requirit unum florenum; Lugo vero 6. vel 7. argenteos. Quoad mercatores autem tenuis fortunae puto esse materiam gravem duos regales cum dimidio. Pro aliis autem mediocris fortunae, puto cum Elb. Viva Anacl. et Croix esse quatuor regales. Pro mercatore vero valde divite Croix[1] requirit unum imperialem sive octo regales; Tamb. Renzi et Potesta requirunt unum aureum, Laym. autem, Elb. Holz. et Ang. Sylvest. Rod. Arag. Cordub. ap Salm. requirunt tres florenos. 4. Respectu *magnatum* ditissimorum, Sylvest. Ang. Arag. Cordub. Rodr. apud Salm. requirunt pro materia gravi plus quam duos aureos; Viva autem, Elbel cum Sporer et Croix requirunt saltem duos aureos. Communius vero sufficere ad materiam gravem unum aureum dicunt Bon. Gordon. Mazzott. Fill. Anacl. Tamb. Lugo cum Nav. Reg. et Diana Less. cum Sot. et P. Nav. Ronc. Holz. Et hoc procedere, etiam respectu *regum*, dicunt Filliuc Ronc. Holzm. et Lugo; quia, licet respectu ipsorum unus aureus videatur levis materia, revera tamen (ut aiunt) gravis est, spectatis regum oneribus et muneribus. Sal. dicunt, saltem sufficere pro regibus unum aureum cum dimidio. Alii vero probabiliter dicunt requiri saltem duos aureos, ut Croix Bonac. Busemb. Sporer Mazzott. Elbel Tamb. Viva et Serra ap. Salm. Imo Potesta pro regibus requirit plus quam duos aureos, et plurimi alii extendunt usque ad tres aureos, ut Wigandt cum Bann. et Serra ac Laym. cum P. Nav. Ang. Sylvest. Sot. Arag. Rodr. Corduba, et communi, ut asserit Laym. 5. Respectu tandem alicuius communitatis censent Sanch. et Cardenas ap. Croix[2] unum aureum semper esse materiam gravem. Sed Croix probabiliter dicit quod si communitas esset valde opulenta posset materia gravis ulterius extendi, modo duos ducatos non excedat.

528. Ex his omnibus concludo quid probabilius mihi videatur. Et quidem 1. Respectu *mendicantium* puto esse materiam gravem unum iulium seu carolenum, et minus, si aliquis pauper minus quotidie eleemosynis lucretur. 2. Respectu *fossorum* et similium operantium, communiter loquendo, duos iulios; pro *artificibus* vero duos iulios cum dimidio. 3. Respectu *communiter* sive *mediocriter divitum* quatuor iulios, et minus pro iis qui ex

(1) N. 987. (2) L. 3. p. 1. n. 1012.

propriis misere vivunt, verum pro *absolute divitibus* quinque vel sex iulios: et idem censeo pro *mercatoribus* valde opulentis. 4. Respectu *magnatum* ditissimorum unum aureum. Et idem puto pro communitate valde opulenta; saltem pro hac dico sufficere ad gravem materiam aureum cum dimidio. Respectu autem *regum* duos aureos.

« 3. Plus requiritur ad notabilem quantitatem in rebus quae ultro proveniunt et sunt valde expositae, v. gr. fructus ad viam publicam. V. Less. [1]. »

529. Quaer. 1. An caedentes ligna in sylva vetita peccent et teneantur ad restitutionem. Certum est licitum esse cuilibet communitati prohibere sub aliqua poena etiam incolis suis, ob bonum publicum, ne illa dissipentur, ut communiter docent Mol. [2] Sot. [3] Lugo [4] et Sanchez [5] cum aliis. Hoc tamen intelligendum dicunt, modo aliunde possint oppidani commode ligna asportare, ut Molina [6] et Sanch. [7] ex Soto et Led. Item communiter dd. docent, quod si nemus est totius communitatis, incolae illius qui contra prohibitionem ligna caedunt non peccant saltem graviter (imo nec venialiter, iuxta Sanch.[8] cum Soto Salon. Angl. Cord. etc.), et nihil tenentur restituere, nisi magnam faciant stragem, sed tantum tenentur ad poenam post sententiam; talis enim prohibitio censetur pure poenalis iuxta dicta *lib.* 1. *num.* 145. Ita Mol. [9] Sot. [10] Lugo [11] Laym. [12] Busemb. *infra num.* 614. *v.* 2. *Qui in loco*, et Sanch. [13] cum Arag. Bann. Man. Galac. et aliis pluribus. Ad hoc autem, ut strages dicatur magna, dicunt Soto [14] et Sanch. [15] cum Salon. Lop. et Man. quod non sit attendenda gravitas materiae in se, sed respectu ad damnum quod communitati infertur: unde dicit Sanchez cum Henriq. non peccare scindentem unicam sarcinam singulis diebus pro usu proprio, nec duas singulis hebdomadis ad vendendum; quod enim dives (ait Sanch.[16] cum Salon. et Merc. et approbat Lugo[17]) accipit ad usum proprium. pauper accipit ad vendendum, ut inde vivat. Idem dicendum aiunt Sot. [18] Molin.[19] et Sanch.[20] cum Led. Salon. Lop. et aliis, si adsint duo oppida propinqua, et oppidani soleant ligna caedere ex sylva alterius. Quod etiam expresse approbat Bon.[21] cum Valent. Rebell. Sayr. Fill. Turrian. et Arag. (contra La Croix [22] qui perperam citat pro se Bonac.). Adduntque Lugo [23] et Dicast. Burg. et Illsung. apud Croix [24] nec teneri ad restitutionem nec peccare graviter, sed tantum teneri ad poenam qui scindit ligna e nemore propinquo communitatis, etiamsi nulla sit inter illa oppida communicatio, quia tales communitates videntur esse contentae poenis quas a caedentibus exigunt: quod sic praesumendum ait Bonac.[25] cum Vasq. Molin. Vill. Reg. Turrian. et aliis, si communitas laesa taceat nec curet restitutionem. Quid vero, si nemus sit alicuius privati vel alterius communitatis non propinquae? Sentit Sanch. [26] cum Navarr. Salon. Bann. Henriq. et aliis, satis esse probabile quod caedentes non teneantur nisi ad poenam. Quia (ut ait) respublica transferens sylvam in communitatem aut personam, non maius dedit ius, quam ipsa respublica habebat; at quando sylva erat reipub. caedentes tantum tenebantur ad poenam; ergo sic etiam, si sylva translata est. Sed huic rectius contradicunt Molina [27] Soto [28] Bon. cum aa. citatis [29] et alii plures apud Sanch. [30]. Ratio quia dominus habet ius strictum ad sylvam illam, ita ut possit libere eam vendere, aut locare arborum scissionem. Hinc bene dicunt Croix[31] cum Ills. et Lugo[32] cum aliis, quod si communitas sylvam vendat, aut locet alicui privato, scindentes tenentur ad restitutionem cuiuscumque damni etiamsi sint illius communitatis

(1) Loc. c. (2) T. 1. tr. 2. d. 58. (3) L. 4. de iust. q. 6. a. 4. (4) De iust. d. 6. n. 85. (5) Cons. l. 1. c. 5. dub. 1. n. 4. (6) Ibid. (7) N. 5. (8) N. 22. (9) L. c. (10) V. Dubium autem. (11) N. 85. (12) De iust. c. 5. n. 18. (13) N. 19. (14) L. c. (15) N. 25. (16) N. 25.

(17) N. 89. (18) L. c. (19) Concl. 4. (20) N. 20. (21) De rest. d. 1. q. 3. p. 7. n. 26. (22) N. 254. (23) N. 91. (24) Loc. c. (25) N. 27. (26) N. 33. (27) Dicta disp. 58. (28) Art. 4. v. Dubium. (29) Dicto n. 27. (30) Ibid. (31) N. 253. (32) N. 88.

partes; quia tunc communitas, ac proinde singuli cives illius, ex quorum mandato sive consensu administratores vendunt aut locant, totum ius suum in illum transferunt. Quod autem dictum est de sylvis quoad scissionem arborum, dicitur etiam de agris quoad pascenda animalia, ut dicit Lugo [1] et Sanchez [2] cum aliis.

Quaer. 2. An liceat in vinea aliena comedere uvas. Affirmant Covarr. Valerus Ripa etc. apud Lugo [3] modo quis uvas foras non asportet, adducuntque illud Deuter. [4] ubi dicitur: *Ingressus vineam proximi tui, comede uvas quantum tibi placuerit; foras autem ne efferas tecum. Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas et manu conteres: falce autem non metes*. Et idem quod dicitur de uvis et spicis, ait Abul. ap. Cornel. a Lap., intellige de pomis ac aliis fructibus. Idque Iosephus hebraeus et plerique alii ap. Calmet [5] dicunt intelligi non solum de incolis, sed etiam de omnibus viatoribus, quibus hoc permitti aiunt ad refocillandas vires. Sed P. Holzm. [6] (cui adhaeret Lugo [7]) sentit ex Lyrano [8] illud concessum fuisse tantum hebraeis ex speciali Dei permissione vel solis vinitoribus, qui in vinea laborant. Et huic ultimae interpretationi favent versio chaldaea et arabica apud Calm., ac etiam hebraea, quae verba illa, *foras tamen ne efferas tecum*, sic legit: *et non ponas in vas tuum*, id est *in chalatum tuum*, ut Calmet explicat. Caeterum probabiliter ait Lugo, de iure naturae licere comedere unum vel alterum uvarum racemum (id est unam vel alteram uvam): parique modo concedit, ut comedatur ex pomario alieno unum vel alterum pomum: id enim prohibere videtur durissimum et contra humanitatem. Et huic secundae sententiae videtur accedere Hugo cardinalis, qui praefatum textum sic explicat: *Hoc non servatur hodie ad litteram, sed in contrarium dispensatum est propter malitiam hominum*. His tamen non obstantibus satis probabilis videtur prima sententia: nam quod permissio illa fuerit pro solis hebraeis, nullo valido videtur niti fundamento. Quod autem fuerit pro solis vinitoribus, huic obstat 1. auctoritas aliorum, ut supra, et maxime Iosephi hebraei, quae in hac materia multum valet, cum ipse prae aliis melius noscat hebraeorum mores. Obstant 2. verba textus, *ingressus vineam proximi tui* quae magis proprie intelliguntur de viatoribus quam de in vinea laborantibus. Obstat 3. factum apostolorum [9] qui iuxta hanc legem, *cum transirent per sata, vellebant... spicas et manducabant confricantes manibus*. Ipsi autem obiurgati fuerunt a pharisaeis, non quia hoc illicite facerent, sed quia facerent die sabbati; at Christus Dominus eos omnino excusavit.

530. « 4. Plus item, si quis a diversis vel ab uno, interpolatim, parva et plura furetur. V. Less. [10]. »

Docent Less. Trull. Vill. apud Salm. [11] in furtis minutis requiri ad materiam gravem duplo maius; nempe si materia gravis sit per se v. gr. quatuor iulii, per furta minuta ad materiam gravem requiruntur octo iulii. Eamdem quantitatem requirit p. Holzm. [12] si haec furtula fiant diversis: atque si fiant per notabilia intervalla, requirit triplum. Mihi tamen aequius videtur, ut dicunt alii apud Elbel [13] quod si furtula fiant eidem per intervalla, aut diversis eodem tempore, requiritur et sufficit ad materiam gravem simplum cum dimidio, v. gr. sex iulii. Si vero utrumque concurrat, nempe si fiant a diversis et discontinuatim, censeo requiri duplo maius, scil. octo. Hoc tamen intelligitur cum Less. et Lugo [14], modo furta non fiant per partes ex industria, et modo inter furta non interponatur magnum intervallum. Addunt Lay. Bon. Lug. etc. [15] furta minuta non coalescere, si fiant a pluribus et magno intervallo intercedente videlicet anno. Imo Sanch. [16] Ronc.

(1) N. 93. (2) N. 34. (3) D. 16. n. 53. (4) C. 23. v. 24. et 25. (5) In loc. c. (6) De 7. praec. n. 758. (7) Loc. c. (8) In dict. loc. Deut. (9) Luc. 6. 1. (10) Loc. c. n. 46. (11) De restit. c. 5. punct. 2. §. 2. n. 19. (12) De 7. praec. n. 745. (13) De 7. praec. conf. 11. n. 325. (14) D. 16. n. 51. (15) Ibid. (16) Dec. l. 7. c. 21. n. 10.

Viva[1] cum Trull. etc. (contra Rebell. et Croix[2]) excusant a restitutione sub gravi, etsi furtula accipiantur ab uno, anno interiecto. Reiiciunt autem Viva et Ronc. [3] opinionem Fill. Dian. Salaz. Vidal. Tol. etc. apud Salm. [4] qui excusant, si adsit intervallum 15. dierum vel mensis, ut admittit Nav. ap. Sanchez. Nisi, excipit Viva, materia sit valde modica. Hinc magis mihi arridet quod sentit Ronc. [5], scil. saltem requiri interpolationem duorum mensium, dum agitur de materia quae licet non sit gravis, tamen proxima est materiae gravi.

531. Non est mortale, per se loquendo, subripere quamcumque summam cum animo restituendi statim, v. gr. intra quadrantem. Croix [6] cum Less. Lugo Vasq. etc. Idem est, si intra illud breve tempus quis velit restituere tantum illam ultimam partem complentem materiam gravem, aut si ad breve tempus restitutionem differat. Croix [7] cum Vasq. Sanch. Reb. Reg. Sayr. et aliis plurimis.

532. Quaer. hic an sit mortale furari parum reliquiae sacrae. Nulli dubium, quin in districtu romano sit mortale, cum Clemens VIII. et Paulus V. excommunicationem indixerint contra eos qui invitis rectoribus ecclesiarum, furantur reliquias etiam minimas. Secus, probabiliter ait Croix [8] cum Sanch. Bonac. Castrop. Dian. et Baldell. si quis furetur extra districtum aliquid minimum, ipsam reliquiam non deformans neque minuens illius aestimationem; nisi sit aliqua reliquia insignis aut rara, ut puta sanctae crucis, capillorum b. Mariae Virg. etc.

DUBIUM III. Quando graviter peccet qui multa furta minuta committit.

533. *Quid, si qui furatur non habeat animum ditescendi. Quid, si habeat.*
534. *An furtula facta a diversis coalescant. Et an tunc restitutio possit fieri pauperibus.*
535. *Quid, si plures furentur parva, altero alterum nesciente.*
536. *Quid si mutuo sciant et eodem tempore furentur.*
537. *Quid, si unusquisque moveatur exemplo alterius*
538. *An sit mortale furari quid leve, post completam materiam gravem.*

« Resp. Hic quoque quantitas laesionis vel damnificationis quae fit proximo, et quam fur intendit, est mensura quantitatis peccati. V. Less.[9] Sanc.[10].

Unde resolves:

533. » 1. Si quis ex occasione tantum furatur, sive uni sive pluribus, modicum, non intendens notabile aliquid acquirere, nec proximo graviter nocere singulis furtis, non peccat graviter, neque ea simul sumpta unum mortale constituunt; postquam tamen ad quantitatem notabilem pervenerit, eam detinendo, mortaliter peccare potest. Less.[11] Sanch. [12] Bon.[13] (Etsi nunquam advertat ad culpam gravem, ut Tamb. Croix Carden. etc. communiter. *V. dicenda n.* 553.). Verum et hoc mortale evitabit, si vel tunc restituere non possit vel animum habeat paulo post restituendi ea saltem quae tunc accipit. Gran. Dian. [14].

» 2. Si autem per plura parva furta uni vel pluribus facta habeat intentionem paulatim ditescendi vel inferendi grave damnum, peccat graviter ea intentione; ac licet executio singulorum sit tantum venialis ex se, ut tamen substat tali intentioni, est continuata executio peccati mortalis. Less.[15] Sanch.[16], quia nocent graviter reip., et praxis illa valde perniciosa est societati humanae, v. gr. si sartor particulam panni a diversis subripiat; si mercatores utantur brevioribus ulnis, etc. (Nota autem hic prop. 38. damn. ab Innoc. XI.: *Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca (alias parva) furta, quantumcumque sit magna summa totalis.*) Interim hi excusantur subinde a gravi peccato. 1. Ex eo quod dictum est casu primo. 2. Si id faciant, ut se servent indemnes, vel quia alias non lucrarentur vel pretium augere deberent, et tunc non invenirent emptores. Rosella[17]. 3. Si alias non habeant unde se vel suos alant. »

(1) Prop. 29. Alex. VII. n. 17. (2) L. 3. p. 1. n. 1011. (3) C. un. q. 5. (4) Loc. c. (5) Ibid. (6) L. 3. p. 1. n. 1102. (7) Ibid. (8) L. 3. p. 1. n. 1003. (9) Loc. c. (10) L. 7. c. 21. (11) D. 7. (12) L. 7. c. 21. (13) Q. 8. p. 2. (14) P. 3. t. 6. r. 25. (15) L. 2. c. 12. d. 7. (16) Loc. c. (17) V. Emptio.

534. Hic quaeritur 1. An furtula facta diversis personis coalescant et gravem obligationem pariant restitutionis. Negant Ang. Med. et P. Nav. apud Sanchez [1] et probabile putat Croix [2] cum Esparsa nisi fur magnam quantitatem auferre intendisset; vel nisi domini laesi unam communitatem constituerent. Sed merito dicit Lugo [3] hanc opinionem ab omnibus reiici, cum contraria sit communis et tenenda cum ipso Lugone et Sanch.[4] Salm.[5] Croix[6] et aliis. Et verius videtur cum Salm.[7] et Mil.[8] oppositum expresse damnatum, cum praefata propositio generice loquatur. Ratio patebit ex quaestione sequenti quam apud nullum auctorem discussam inveni.

Quaer. 2. Si furtula quae simul ad magnam quantitatem perveniunt sint facta diversis dominis certis, an fur teneatur sub culpa gravi eis restitutionem facere vel an satisfaciat debita illa pauperibus distribuendo. Ex una parte videtur dicendum, sub gravi restitutionem faciendam esse dominis, nisi excuset periculum famae amittendae vel gravissimum damnum aut incommodum. Ratio quia licet domini non sint graviter laesi, fur tamen certe non potest sibi retinere magnam quantitatem ablatam; nam (ut dicunt Sanch. [9] et aliqui alii apud Lugo [10], etsi in alio proposito) praeceptum *non furandi* non solum prohibet ne quis alios graviter laedat, sed etiam ne ditescat notabiliter ex aere alieno. Quapropter, cum fur certe ad restitutionem teneatur, non videtur satisfacere si restituat pauperibus; quia his restitutio facienda est tantum quando creditores sunt incerti, non vero quando sunt certi: propterea quod, restituendo pauperibus, cum restitutio sine magno incommodo possit fieri ipsis dominis, non videtur fur restituere ablatum personis debitis, sed alienis ad quas nullum ius spectat; et ideo non videtur suam obligationem implere. Sed probabilius mihi et aliis doctis iunioribus dicendum videtur quod huiusmodi fur non peccet graviter si non restituat dominis certis, cum commode possit, et satisfaciat suae gravi obligationi si debita pauperibus distribuat. Ratio quia, ut docet Lugo [11] et consentit Sanch. [12] cum Vasq. Val. p. Led. et Reb., praeceptum non furandi non tam intendit vitare emolumentum proprium, quam damnum proximi. Si ergo singuli domini non fuerint graviter laesi, fur non tenetur sub gravi obligatione eis restitutionem facere. Attamen, cum ipse, notabiliter ditescendo ex bonis alienis, grave intulerit damnum reipublicae, ideo reip. damnum restituere debet. Eo igitur casu sub gravi tenebitur reip. restitutionem facere; dominis vero tantum sub levi. Unde videtur quod sufficienter fur satisfaciat suae gravi obligationi ex praesumpto consensu reip., si restituat pauperibus aut locis piis qui sunt egentiores reip. partes. Sed dices: Numquam praesumitur resp. velle, quod fur restituat pauperibus, cum culpa veniali, a qua ipse nullo modo excusari potest, dum sine suo gravi incommodo debitum dominis restituere posset. Respondeo: cum in hoc non censeatur graviter invita resp. ad quam (ut diximus) principalius tunc pertinet ius rei ablatae, si restituatur pauperibus; ideo probabiliter videtur dici posse quod fur semper excusabitur a mortali si pauperibus restituat, et etiam a veniali si rationabilis causa adest.

535. « Si plures simul vel successive plura furta parva alicui faciant, quae simul sumpta graviter illi noceant; tunc, si alter de altero non sciat, nullus peccat graviter: v. gr. si viatores ex vinea unam alteramve uvam rapiant et comedant, etsi hoc licere dicant Cov. Val. et Ripa (Vide *dict. n.* 529.) contra Dian. [13]. Si autem singuli conspirent, singuli graviter peccant. Si denique de se mutuo sciant, nullus tamen alteri sit causa furti, probabilius est non esse mortale, ut docent Less.

(1) Dec. l. 7. c. 21. n. 11. (2) L. 3. p. 1. n. 1015. (3) De iust. d. 16. n. 48. (4) Loc. c. n. 12. (5) De rest. c. 5. punct. 2. §. 2. n. 19. (6) Ibid (7) Loc. c. (8) In dict. prop. 38. (9) Dec. l. 7 c. 21. n. 15. (10) D. 16. n. 40. (11) L. c. n. 49 (12) Loc. c. (13) P. 3. t. 6. r. 39.

Tan. etc. contra Suar. Vasq. Vide Bonacin. [1]. »

536. Probabilissima est haec sententia Bus., scilicet, si plures modica furantur, neminem peccare graviter, etsi mutuo sciant grave damnum domino fieri, nisi ex communi consilio faciant. Ita etiam tenent Habert[2] Lugo[3] Salm.[4] cum Less. Sanch. etc. Et hoc, etiamsi singuli eodem tempore furentur, ut cum Bus. censet Less.[5] cum Sot. et Sanch.[6] (contra Lugo). Ratio quia tunc nemo est causa damni quod per accidens ab aliis domino evenit.

537. Si autem plures plura parva furentur, ita ut unusquisque moveatur exemplo alterius, quamvis sine communi consilio, Laym. Ovied. Steph. etc. ap. Croix[7] dicunt omnes peccare contra iustitiam. Sed probabilius Lessius Lug. Salm. et Tamb.[8] tenent, peccare tantum contra caritatem (et graviter, si materia sit gravis) ratione scandali, non vero contra iustitiam: quia exemplum non est causa positive influens in damnum alienum, ut diximus *l*. 2. *n*. 45. communiter cum Sanch. Salm. Mol. etc.

538. Si quis post completam materiam gravem furatur adhuc aliquid aliud leve, Lugo[9] et Croix[10] cum Spor. Dic. etc. tenent, esse peccatum mortale toties quoties aliquid subripiatur. Sed Lessius [11] et Salm. [12] cum Tapia et Diana huiusmodi furtum leve dicunt non constituere peccatum mortale, nisi pertingat ad aliam novam quantitatem gravem; et hoc Bon.[13] merito putat valde probabile.

Dubium IV. Quid sentiendum de furtis domesticorum vel amicorum.

539. *Quid de furto uxorum et virorum.*
540. *An uxor possit dare eleemosynas, etc.*
541. *An aliquando possit expendere.*
542. *An liceat ipsi subvenire parentibus, etc.*
543. *Quale furtum filiorum sit grave.*
544. *An filius possit a patre mercatore subripere mercedem pro opera sua.*
545. *Quid de furtis famulorum in esculentis, etc.*
546. *De restitutione facienda ab uxore et filiis.*

539. « Resp. Licet vere furtum sit, si uxor, liberi, amici, servi patrifamilias invito quid auferant, plerumque tamen maior quantitas requiritur ut sit mortale, cum plerumque hic dominus aut non rationabiliter invitus, aut saltem minus invitus sit ut ab his, quam ab aliis auferatur: vel, etsi valde invitus sit, saepe tamen id fiat, non tam ratione rei acceptae, quam modi accipiendi clam, aut ratione finis ob quem accipiunt, v. gr. ad ludendum, potandum etc. Vide Cai. [14] Less. [15].

Unde resolves:

» 1. Uxor graviter peccat, si notabilem summam accipiat, invito marito, etiam ex dote vel bonis communibus; quia, licet media pars ad eam spectet, maritus tamen habet usumfructum illius partis, ideoque tenetur ad restitutionem. Trull. [16] etc.

» 2. Similiter peccat graviter maritus contra iustitiam, cum obligatione restituendi, si aliquid notabile uxoris subripiat, sine eius consensu, ex bonis ipsius paraphernalibus vel aliis propriis, si quidem libera eorum administratio ipsimet uxori competat, quia par est ratio mariti et uxoris quoad bona propria. Vide Villalob. [17] Trull. [18].

540. » 3. Uxor potest dare eleemosynam et munera, secundum consuetudinem aliarum mulierum illius loci et conditionis; etiamsi maritus eleemosynas omnes illi prohibeat, quia consuetudo hoc ius ei tribuit, quo maritus eam privare non potest [19] (Ita Lugo [20] communiter cum Mol. Less. Con. Bon. Reg. etc. apud Diana[21]. Et hoc, etiamsi uxor habeat bona propria, ut Lugo Bon. Gob. etc. Croix [22]), Diana [23] qui cum Mol. et 10. aliis docet, posse eam, inscio marito, dare vigesimam partem annui census vel lucri: eo quod hoc pertineat ad decentiam status, et maritus irrationabiliter sit invitus (Sed hoc ita universaliter dictum reprobant Lu-

(1) Loc. c. (2) T. 4. c. 9. §. 5. q. 6. (3) D. 16. sect. 3. n. 55. (4) De rest. c. 5. punct. 2. §. 3. n. 29. (5) L. 2. c. 12. dub. 9. n. 52. de iustit. (6) Dec. l. 7. c. 21. n. 24. (7) L. 3. p. 1. n. 1009. (8) Ibid. (9) D. 16. n 43. (10) Loc. c. n. 1007. (11) Cap. 12. n. 44. (12) Loc. c. §. 2. n. 23.

(13) De rest. d. 2. q. 8. p. 2. n. 5. (14) V. Furtum. (15) C. 12. n. 76. (16) L. 7. c. 6. d. 8. n. 7. (17) T. 2. d. 13. (18) L. 6. c. 1. n. 9. (19) Ibid. n. 13. (20) D. 16. n. 64. (21) T. 1. p. 2. tr. 1. r. 33. (22) L. c. n. 1025. (23) P. 1. t. 3. r. 22. et p. 5. t. 8. r. 34.

go [1] Spor. et Tamb. cum Croix [2]. Idem autem Tamburinus [3] tantum admittit, quando divitiae non multum excedunt). Hinc etiam potest cum Abigail moderatas eleemosynas dare, ut mariti conversionem impetret vel ne Deus illum puniat. Vasq. Bonac. Regin. et alii 10. contra Con. etc. Vide Dian. [4].

541. » 4. Uxor potest bona expendere, marito absente vel fatuo: quia tunc ad illam spectat administratio domus: item, quae acquirit sua industria (Dempto tamen labore, quem praestare debet familiae, ut bene advertit Croix [5]), item paraphernalia, hoc est bona, quae praeter dotem marito allatam, sibi reservavit. Trull. [6] et caeteri comm. (Item potest uxor libere disponere de iis quae sibi reservavit de bonis a viro sibi assignatis pro vestitu aut sustentatione familiae ad certum tempus, modo honeste familiam iam sustentarit. Ita Croix [7] cum Pal. Navarr. Lessio Mol. Bon. etc.).

» 5. Non peccat uxor subducendo aliqua, vel compensationis causa, si vir sit prodigus: quia is tunc facit uxori iniuriam, partem ipsius profundendo: vel pro victu, vestibus caeterisque sibi vel familiae necessariis, quae mariti saepe non intelligunt, et frustra ab illis peterentur. Bon. Trull. [8].

542. » 6. Uxor, si eius pater, mater vel proles ex alio matrimonio sint pauperes, ita ut misere secundum statum suum vivant, et maritus eis nolit succurrere, potest ex bonis suis propriis, vel etiam ex communibus (dummodo post mortem viri omnia computet in sua parte) eis subvenire, quia iure naturae tenetur eos alere et maritus in id consentire. Nav. Pal. Less. [9] Diana [10], qui illam potestatem extendit ad fratres et sorores, quod etiam Less. [11] et Trull. [12] iudicant probabile (Cum Lugo [13] Mol. Sanch. etc.).

543. » 7. Filius peccat graviter, invitis parentibus, notabilem summam accipiens, qualis non semper est, secundum Less. [14] si filius patri praediviti duos vel tres, imo secundum Sanchez, quinque vel sex aureos furetur: eo quod parens sit minus invitus, et filius sit aliquid patris. Unde non tenebitur ad restitutionem, nisi forte cohaeredibus graviter noceat. »

Dicit Salas apud Croix [15] non esse grave furtum filii 20. et 30. aureorum a patre possidente annuos 1500. aureos, et non improbat Lugo [16], si pater non sit tenax, et filius adoleverit, ac accipiat ad usus honestos. Less. Navarr. et Fill. apud Spor. [17] dicunt, non peccare graviter filium furantem 2. vel 3. aureos a patre divite. Bann. dixit ad furtum grave filii parentis praedivitis requiri saltem 50. aureos: sed hoc Lugo et La-Croix [18] reiiciunt; nisi forte esset filius principis, in quo consentit Holzmann [19] qui etiam dicit non esse grave accipere a parente praedivite decem aureos. Admittunt autem Navarr. Sot. Laym. etc. [20], quod si pater mittat centum aureos filio in studiis versanti, poterit filius insumere quinque aureos in recreationes honestas ex praesumpto patris consensu.

« 8. Si filius notabilem summam expendat in res turpes aut vanas contra voluntatem parentum, ex pecunia sibi suppeditata ad usus honestos, putat Less. [21] eum peccare mortaliter: etsi excuset a restitutione, si pater rogatus facile condonaturus putetur.

544. » 9. Si filius, v. gr. mercatoris vel cauponis administret bona parentis, potest a patre exigere salarium, quantum dare deberet extraneo, et si id impetrare non possit vel exigere non ausit, potest clam accipere. Ita probabiliter Laym. [22] Dian. [23]. »

Ita etiam sentiunt apud Moya [24] Nav. Escob. Ang. Gom. cum communiori, ut asserit Mol. et non improbabile putant Less. Villal. Lop. Et hoc concedit

(1) D. 15. n. 16. (2) Eod. loc. c. n. 1021 (3) Dec. l. 8. tr. 1. c. 2. §. 3. n. 14. (4) P. 2. t. 16. r. 23. et p. 5. t. 8. r. 34. (5) Ibid. n. 1018. (6) Loc. c. (7) L. 3. p. 1. n. 1024. (8) Loc. c. (9) L. 2. c. 12. d. 14. (10) P. 5. t. 8. r. 34.

(11) Loc. c. (12) L. 6. c. 1. d. 9. (13) D. 16 n. 71. (14) C. 12. (15) L. 3. p. 1. n. 1032" (16) D. 16. n. 76. (17) De 7. praec. c. 5. n. 57. (18) Loc. c. (19) N. 755. (20) Ibid. (21) C. 22. d. 13. (22) L. 3. s. 6. t. 4. c. 8. (23) P. 4. t. 1 r. 66. (24) Tr. 6. disp. 4. q. 1.

Serra, etiamsi filius serviat gratis, ignorans quod possit servire cum mercede, si praesumatur quod si non ignoraret minime operam gratis impendisset. Et in dubio, ut censet Moya, tenendum est filium noluisse gratis servire. Unde videtur hic posse filius sibi compensare mercedem eodem modo quo clericus posset sibi compensare de fructibus beneficii, quod de bonis patrimonialibus ignoranter impendit in sui sustentationem, nisi expresse voluerit compensationi renuntiare, quia in dubio nemo praesumitur velle se suo iure privari, ut dicunt Leand.[1] cum s. Th. Cai. Pal. Less. Mol. et Nav. Verum Lugo[2] et Moya cum Molin. Med. Sylv. et aliis tenent, nullo modo filium posse hoc salarium a patre exigere, quia secundum iura filius debet patri suas operas et industrias; et quidquid ex bonis paternis acquirit, patri acquirit, ut probat Sanch.[3]. Et cum haec sententia sit valde probabilis, imo probabilior cum Croix[4], ideo, si pater negaret salarium, vel filium puderet illud petere, merito ait Croix[5] minime posse filium occulte sibi illud compensare, cum compensatio non sit licita, nisi ubi ius est certum: sed hic ius filii est valde dubium. Dices: Prima opinio est saltem practice probabilis probabilitate iuris, seu proxima, prout dicunt dd. de eo qui potest compensare famam sibi ablatam pecunia, vel non restituendo famam alteri detrahenti (vide dicta *l.* 1. *n.* 35. *in nota*). Sed respondetur, ibi supponi diffamatum habere certum ius ad suam famam, et dubium est tantum de modo. Sed hic valde dubitatur an filius habeat ius se compensandi in casu proposito. Quando autem ius sive creditum non est certum, omnes conveniunt ad dicendum quod non liceat compensare: vide Salm.[6]. Si vero filius praestet in beneficium patris maiora opera et obsequia quam tenetur, an eo casu possit exposcere stipendium a patre, *vide dicta n.* 488. *v.* 3.

(1) Ibid. (2) D. 5. n. 42. (3) Cons. l. 1. c. 2. d. 8. et 9. (4) L. 3. p. 1. n. 1054. (5) Ib. n. 1035. (6) De rest. c. 4. punct. 9. §. 3. n. 148.

545. « 10. Etsi famuli in esculentis et poculentis quae domo exportant aut divendunt graviter peccent; quae tamen ipsi domi consumunt, in iis facilius (uti et religiosi) excusantur; cum in his dominus aut praelatus saepe tantum sit invitus quoad modum accipiendi clam, non quoad rem. Quod tamen timeri posset, si extraordinaria acciperentur. Laym. Escob. et Less.[7] qui docet quod furta minima famulorum ex comestibilibus quae claudi non solent, non coalescunt, si non ad vendendum, sed ad comedendum tantum accipiantur (Ita etiam Caiet. Nav. Ban. Moya Sanch. apud Croix[8]. Sed merito hoc non admittit Spor.[9] si magna esset quantitas).

546. « 11. Cum a gravi peccato furtum domesticum non potest excusari, tunc uxor tenetur restituere ex paraphernalibus, filius ex castrensibus, vel quasi, vel si ea non habet, post mortem patris afferre in divisionem haereditatis, si quantitas rei ablatae sit valde magna, nec pater restitutionem tacite vel expresse dimiserit. Famuli vero, si sine magna difficultate restituere non possint, iubeantur compensare officiis et obsequiis extraordinariis quantum possunt. Laym.[10]. »

Cap. II. De restitutione

Dubium I. Quid sit restitutio et qui teneantur ad eam.

547. « Resp. 1. Restitutio est actus iustitiae ad salutem necessarius necessitate praecepti, quo reparatur da-

(7) D. 2. c. 12. d. 8. n. 48.
(8) L. 3. p. 1. n. 1016. (9) Tr. 5. c. 5. n. 53.
(10) L. 3. t. 3. p. 1. c. 1.

mnum proximo illatum per iniuriam; ita ut radix restitutionis non sit quaevis laesio proximi, v. gr. contra caritatem, etc. in quibus non habet ius quod violetur; sed ea tantum quae est contra iustitiam, in qua proprie iniuria infertur, hoc est, laeditur aliquod ius proximi quod is habet in re, vel ad rem in qua damnum patitur. Quod variis modis fieri potest, v. gr. furando, defraudando, destruendo rem alterius, negligenter custodiendo, occidendo, mutilando, detrahendo honorem, convitiando et similibus. »

Aggrediamur nunc hos duos discutiendos tractatus *de restitutione et de contractibus*, qui cum permultis implicatissimis quaestionibus et dubiis, solutu difficillimis, conferti sint, maxima digni sunt animadversione, et ad praxim ita scitu necessarii, ut, si in his confessarii non bene sint versati, eos in multa offendicula incurrere oporteat. Facile continget in hoc meo libro, et potissimum in hac postrema editione, omnium sensui me non fore satisfacturum: ab illis enim qui rigidae vel benignae sententiae plus forte, quam par est, amantiores sunt, aut nimis austerus habebor, quia a multorum graviumque auctorum sententiis recessi; aut nimis indulgens, quia plures opiniones libertati faventes tamquam probabiles approbavi. Testor Deum, cuius honorem et animarum salutem mihi proposui, quod, quidquid scripserim, non aliqua passione impulsus, aut verbis aliquorum auctorum addictus, vel austeritati aut benignitati nimis adhaerens, ad haec scribenda me induxi. In qualibet quaestione, praevio diuturno studio, curavi quidem veritatem investigare, praecipue in iis quae ad praxim magis faciunt, et propterea non solum diligenti trutina perpendere elaboravi rationes quas doctores classici tradunt; sed etiam plures doctos recentiores consulere non neglexi, adeo ut aliquando in recto iudicio de aliqua quaestione faciendo multos dies consumpserim. Siquidem non tamquam ovis (ut verbis utar rigoristarum) semitas scriptorum caeco ductu sectatus sum, sed operam dedi ut veritatem assequerer, aut sententias quae magis veritati accedunt amplexarer. Pro viribus sum conatus semper rationem auctoritati praeponere, et ubi ratio me convicit, non renui auctoribus plurimis contraire, etiam iis quibus magis forsan adhaerere potuissem, utpote quia, cum hanc scientiam addiscerem, ad manus meas ante alios illi pervenerunt. Hinc, benevole lector, ne putes me auctoribus benignae sententiae omnino addictum, si eos saepius me citare observes; nam ad hoc opus conficiendum non praetermisi etiam rigidae sententiae auctores legere, et praecipue Merbes. Contens. Hab. Natal. Alex. Iuen. Cabass. Cont. Tourn. Genett. Petrocor. p. Conc. etc. paratus quidem a sententiis meis desciscere, dummodo suis rationibus de veritate me convicissent. Sed quomodo me convincere poterant, dum videbam quod ipsi ut plurimum magis conviciis et subsannationibus, quam vi rationum sententias suas suadere conantur? Quomodo in omnibus adhaerere potuissem iis qui opiniones suas saepius veriores et evangelio conformiores praedicant, nonnisi quia rigidiores sunt, et frequenter insultant in oppositas, tamquam falsas ac evangelio adversas, nonnisi quia libertati favent?

Caeterum in dubiis discutiendis aequalis mihi scrupulus fuit, tam sententias libertati faventes et a ratione alienas uti probabiles admittere, quam damnare ut improbabiles eas quae valido quodam fundamento innixae mihi videbantur: cum certum sit, vel ut certum tenendum, prout communiter dd. docent, et ipse doctus r. p. Concina, quamvis rigidarum sententiarum celebris fautor, in suo eruditissimo opere theologiae dogmatico-moralis me instruit, quod hominibus imponenda sub culpa gravi non sunt, nisi evidens ratio id suadeat: aeque enim nefas est a culpa excusare eum qui reus est, quam innocentem tanquam culpae reum iudicare, ut sedulo monuit s. Antoninus

qui[1] disserens quando aliquid damnandum sit de mortali vel non, sic scripsit: *Nisi habetur auctoritas expressa s. scripturae, aut canones, seu determinationes ecclesiae, vel evidens ratio, non, nisi periculosissime, determinatur. Nam si determinetur quod sit ibi mortale et non sit, mortaliter peccabit contrafaciens, quia omne quod est contra conscientiam aedificat ad gehennam. Si autem determinetur quod non sit mortale et secundum rei veritatem sit, error suus non excusabit a mortali ..... Quando scilicet erraret ex crassa ignorantia: secus, si ex probabili, puta, quia consuluit peritos in tali materia, a quibus sibi dicitur illud tale non esse mortale: videtur enim tunc ignorantia quasi invincibilis quae excusat a toto. Et hoc quantum ad ea quae non sunt expresse contra ius divinum vel naturale vel contra articulos fidei, decem praecepta, et huiusmodi, in quibus ignorans ignorabitur.* Item s. Bonaventura dixit: *Cavenda est conscientia nimis larga et nimis stricta, nam prima generat praesumptionem, secunda desperationem: prima saepe salvat damnandum, secunda contra damnat salvandum.* Quapropter semper timor mihi fuit, ne Deus aeque rationem a me exigeret, si opiniones laxas ut probabiles approbassem, quam si probabiles ut laxas reprobassem. Humanae conditionis praesenti fragilitate spectata, non est semper verum, tutius esse animas per viam arctiorem dirigere, cum videamus ecclesiam tam nimiam libertatem quam nimium rigorem saepe proscripsisse. Unde Gerson[2] animadvertens damna sententiarum excedenter rigidarum, sic advertit: *Fit, ut per tales assertiones publicas nimis duras et strictas, praesertim in non certissimis, nequaquam eruantur homines a luto peccatorum, sed in illud profundius, quia desperatius, immergantur.* Et hoc magis urgere debet in materia restitutionis, ubi in dubio possessor bonae fidei, cum ius certum habeat ad rem possessam, non debet expoliari, nisi moraliter constet rem esse alterius, iuxta regulam communiter receptam, etiam ab aa. rigidae sententiae, ut testatur Lugo[3] et sic revera tenent Gonet.[4] Habert[5] Natal. Alex.[6] Wigandt[7] p. Henno etc. Vide dicta *l.* 1. *n.* 35. Communiter enim dicunt, saltem in materia iustitiae valere regulam illam, quod in dubio melior sit conditio possidentis. De reliquo tandem me protestor quod, si in aliquo erravi, opto ut error mihi ostendatur; nam paratus sum illico me retractare, nec erubescam, prout non erubui id facere in hac mea nova editione, in qua a pluribus recessi opinionibus quae olim probabiles, sed postmodum vel nimis benignae aut nimis rigidae mihi visae sunt.

Restitutio igitur est *actus iustitiae*, sed addendum est *commutativae;* non enim debetur restitutio ex laesione iustitiae *legalis* quae respicit iura legum et poenas; neque ex laesione iustitiae *distributivae* quae respicit merita personarum. Quare episcopus conferens beneficium simplex indigno nihil tenetur restituere digno, uti probabiliter dicetur *n.* 585. *et lib.* 4. *num.* 107. Quid vero, si beneficium sit curatum? *Vide eodem loco n.* 109.

Tantum igitur ex laesione iustitiae *commutativae*, quae respicit ius rei, oritur obligatio restitutionis. Ex laesione autem aliarum virtutum nulla oritur obligatio restituendi, ut Croix[8] cum Soto Lugo Bann. Tamb. etc. contra Less. et Cov. Quare dicunt praefati dd. quod si actio ex alia virtute, quam ex iustitia, sit debita, non est restituendum quod accipitur pro ea servanda.

548. Notandum est 1. quod *radices restitutionis* duae communiter assignantur; prima *ex iniusta acceptione*, cui adiungitur radix ex iniusta damnificatione. Secunda *ex re accepta*, sive *ex iniusta retentione*, cui annectitur obligatio restituendi ex contractu.

549. Notandum 2. quod alia est culpa *theologica* quae respicit conscientiam,

(1) P. 2. tit. 1. c. 11. §. 28. (2) De vita spirit. p. 3. lect. 4. coll. 10. (3) De iust. d. 17. n. 86. (4) Diss. de prob. (5) T. 4. (6) L. 4. r. 39. (7) Ex 1. q. 7. (8) L. 3. p. 2. n. 295.

et est eadem ac peccatum mortale aut veniale. Alia *iuridica* quae dividitur in *latam*, scilicet quando omittitur diligentia quam communiter omnes adhibere solent: in *levem*, si omittitur diligentia quam omnes diligentes adhibent: et *levissimam*, si omittitur diligentia quam diligentissimi ponunt. Hinc resolvitur quod qui damnum minime praevidet nec intendit, certo ad nihil tenetur, etsi operam daret rei illicitae, uti fur qui penitus fortuito domum alienam incenderet. Ita Salm. [1] cum Less. Bonac. Rebell. et aliis.

550. His positis, quaer. 1. Ex quali culpa oriatur obligatio gravis restitutionis in delictis. Respondetur oriri tantum ex culpa lata, coniuncta cum culpa gravi theologica. Ita Less. [2] Lugo [3] Sotus [4] Nav. [5] Sanch. [6] Viva [7] Salmant. [8] cum Laym. Azor. etc. Croix [9]. Item Cabassut. [10] Ronc. [11] et alii communiter. Ratio, quia (ut docent Lugo [12] et alii) restitutio communiter accipitur ut poena; et ideo dicimus quod, ut debita aequalitas servetur, ad obligationem gravem restituendi rem gravis valoris requiritur culpa theologica gravis; *theologica*, quia cum conscientia oneretur de obligatione oportet ut in conscientia adfuerit delictum: *gravis*, quia ut conscientia teneatur ad gravem obligationem oportet ut gravis fuerit culpa.

551. Quaeritur hic 2. Si quis committat culpam iuridicam levem sive levissimam contra iustitiam, sed cum animo nocendi graviter, an teneatur ad damnum ex illa secutum. Affirmant Lugo [13] et Salm. [14] cum Mol etc. Ratio quia tunc ille pravus affectus efficit ut effectus damni secuti sit voluntarius. Negant vero Sanchez [15] cum Angles, item Navarr. et Turr. apud Salm. [16]. Ratio quia ad obligationem restitutionis non sufficit solus pravus affectus, sed requiritur etiam actus externus complete iniustus. Sed in hoc dubio mihi videtur omnino vera sententia Less. [17] qui alia via casum resolvit et sic distinguit: si ille prudenter dubitans an ex sua actione damnum proximo obveniat, committit culpam levem sive levissimam, omittendo eam diligentiam quam tenebatur adhibere, tunc peccat quidem graviter contra iustitiam et tenetur ad restitutionem. Secus, si omnem debitam diligentiam adhibeat, quia tunc nullam culpam committit contra iustitiam, et ideo ad nullam tenetur restitutionem, licet aliunde ob pravum animum peccet contra caritatem.

552. Quaeritur 3. Utrum peccatum veniale contra iustitiam inducat obligationem restituendi. Resp. si est veniale ratione parvitatis materiae, certe obligat ad restitutionem sub levi. Si vero est veniale ratione inadvertentiae sive indeliberationis, hoc quaeritur an obliget ad restitutionem.

Prima sententia affirmat, sed eius auctores sunt diversi apud Lugo [18]; nam alii, ut Vasquez et Turr. dicunt tunc esse obligationem restituendi totum damnum, quin tamen explicent an sub gravi culpa vel levi. Alii autem, ut Laym. [19] Mol. [20] Croix [21] cum Soto Bon. Reginal. et aliis, dicunt esse obligationem restituendi pro ratione culpae; hinc Bonac. [22] ait posse culpam ita levem esse, ut non obliget nisi ad centesimam partem damni. Si vero sit gravior potest obligare usque ad decimam partem; casu autem quo dubitatur an culpa fuerit venialis aut mortalis, obligandus est damnificator usque ad medietatem damni, ita Bonac.

Secunda sententia tamen probabilior et communior, quam tenent Petr. Nav. [23] Less. [24] Sanch. [25] Lugo [26], qui omnino eam existimant veriorem cum Henr. Sa Ro-

(1) De restit. c. 1. punct. 2. §. 1. n. 14. (2) L. 2. c. 7. dub. 6. n. 27. (3) D. 8. sect. 5. n. 56. (4) L. 4. q. 7. a. 2. in fin. (5) L. 2. de rest. c. 1. n. 48. (6) Dec. l. 2. c. 23. n. 130. (7) De rest. q. 1. a. 4. n. 2. (8) Ibid. §. 2. n. 16. (9) L. 2. p. 2. n. 184. et 185. (10) Theor. iur. etc. l. 6. c. 17. n. 2. (11) De restit. c. 1. q. 4. (12) De iust. d. 8. n. 59. (13) D. 8. sect. 6. n. 75. (14) Loc. c. n. 22.

(15) Cons. l. 2. c. 1. d. 49. n. 6. (16) Ibid. n. 21. (17) L. 2. c. 7. n. 25. (18) De iust. d. 8. n. 56. (19) L. 3. p. 1. c. 6. sect. 5. n. 4. (20) T. 3. tr. 2. d. 698. n. 7. (21) L. 3. p. 2. n. 191. (22) D. 1. q. 4. punct. 3. (23) L. 2. c. 1. n. 4. (24) L. 2. c. 7. n. 27. (25) Dec. l. 2. c. 25. n. 160. (26) Dict. d. 8. n. 57.

driq. Salas et aliis pluribus, Roncagl.[1] Viva[2] cum Az. et Fill. apud Cabass.[3], docet in eo casu nullam esse obligationem restituendi. Ratio quia culpa venialis ex indeliberatione non est simpliciter delictum et iniuria, et ideo non potest parere obligationem restitutionis: sicut ex contractu, ubi non adfuit consensus plene deliberatus, non oritur obligatio; et sicut etiam non obligat votum emissum sine plena deliberatione, actus igitur non perfecte deliberatus nequit esse causa perfectae obligationis (*Vide l.* 5. *n.* 3.). Dixi *nullam obligationem* nec sub gravi nec sub levi. Non sub gravi, quia obligatio gravis non habet proportionem cum illa culpa levi; non sub levi, quia levis obligatio non habet proportionem cum re gravi, ut ex suis principiis optime arguit doctissimus Lugo[4], qui post d. Thomam non temere inter alios theologos facile princeps dici potest, cum in dubiis discutiendis hic auctor saepe, nullo praeeunte, falcem ita ad radicem ponit, ut rationes quas ipse in medium adducit difficulter solvi valeant.

553. Quaer. 4. Utrum ex peccato levi, ob parvitatem materiae contra iustitiam, possit aliquando per accidens oriri gravis obligatio restituendi. Affirmative, et casus est quando in ultimo furtulo, complente materiam gravem, non advertit fur ad furtula praeterita; tunc enim tenetur sub gravi ad restitutionem saltem illius ultimi furtuli. Ita Lugo[5] Viva[6] cum Card. Tamb. et La Croix[7] (contra Dian. Ovied. Petsch. etc. apud ipsum). Et ratio est quia obligatio gravior tunc non oritur ex illa ultima acceptione iniusta, quae cum sit tantum culpa levis non posset gravem obligationem parere; sed oritur ex iniusta retentione gravis materiae culpabiliter iam acceptae: vel, ut ait Croix[8] oritur ex gravitate materiae debitae propter illas leves ablationes formaliter iniustas. Sufficit autem ad vitandum mortale ut restituatur tantum materia illa parva gravem materiam complens, ut probabilius tenent Sanch. Less. Vasq. Reb. Bonac. etc. cum Croix[9] contra Medinam Lopez Esp. etc.

554. Quaer. 5. An etiam in contractibus requiratur culpa theologica pro obligatione restitutionis. Certum est, ut ait Lugo[10], tam leges quam contrahentes bene posse se ipsos obligare ad restitutionem sine ulla culpa theologica; sed dubium est an de facto obligentur. Affirmat Laym.[11] cum Nav. Molin. Vasq. Turrian. et aliis apud Lugo[12] et dicunt, in contractibus obstringere ad restitutionem solam culpam iuridicam et quidem levissimam, si contractus est in commodum committentis culpam: latam, si in commodum alterius contrahentis; levem, si in commodum utriusque. Ratio istorum, quia id postulat aequalitas contractus, ut ubi maius est commodum maior apponatur diligentia. Sed valde probabiliter negant Sot.[13] Less.[14] Fill.[15] Tol.[16] Sa[17] Lugo[18] Croix[19] Salm.[20] cum Tap. Led. Henr. etc. Ronc.[21]. Ratio quia ex una parte non est aequum aliquem obligare ad poenam gravem sine sua gravi culpa; ex alia non praesumitur, saltem non constat, quod aliquis voluerit se obligare in conscientia ad satisfaciendum pro damno facto cum sola culpa iuridica. Leges autem quae adducuntur in contrarium, obligantes cum sola culpa iuridica, vel praesumunt culpam theologicam, ut ait Viva[22], vel obligant solum pro foro externo, vel non sunt receptae in alio sensu, ut dicunt Lugo Salm.[23] etc. Illae vero leges quae in aliquibus casibus omnino praecipiunt restitutionem, istae quidem obligant, etiamsi absit peccatum, sed non ante sententiam iudicis, ut communiter dicunt Salm.[24] Viva et alii:

(1) De rest. c. 1. (2) De rest. q. 2. a. 4. n. 3. (3) Theor. iur. etc. l. 6. c. 17. n. 2. (4) N. 58. et 60. (5) D. 8. n. 62. (6) D. q. 2. n. 3. (7) L. 3. p. 2. n. 245. (8) L. c. (9) N. 249. (10) De iust. d. 8. n. 101. (11) L. 3. sent. 5. tr. 3. p. 1. c. 3. n. 2. (12) N. 99. (13) De iust. l. 4. q. 7. a. 2. (14) C. 7. n. 43. (15) T. 2. tr. 34. c. 2. n. 13. (16) L. 5. c. 17. (17) V. Culpae, n. 2. (18) Loc. c. n. 106. (19) L. 3. p. 2. n. 177. (20) De rest. c. 1. punct. 2. §. 4. n. 32. (21) De rest. c. 1. q. 5. (22) De rest. q. 1. a. 4 n. 4. (23) Ibid. n. 34. (24) Cit. n. 34.

quidquid alii dicant. *Vide dicta l. 1. n. 100. in fin. v. Quaero.*

555. Pariter in officiis est probabile ex eadem ratione quod nemo teneatur ad restitutionem, nisi ex culpa lata coniuncta cum gravi theologica. Ita Salm. [1] cum Vasq. Sot. Less. Lugo etc. Tenetur tamen etiam ex culpa levi iuridica, qui recipit stipendium, ut dicit Laym., vel qui promittit diligentiam maiorem communi debita: vel si officium de se exigat magnam diligentiam: ut Salm. cum aliis [2]. Sed semper intelligitur, quod culpa iuridica sit coniuncta cum gravi peccato, ut graviter obliget.

556. « Resp. 2. Ex data responsione patet, teneri ad restitutionem eos qui intulerunt iniuriam damnosam. Haec autem est duplex, scilicet materialis, ut v. gr. cum quis rem alienam destruat, accipiat vel retineat bona fide, id est probabiliter iudicans id sibi licere vel esse suam: et formalis, qua quis rem alienam destruit, accipit vel retinet mala fide, id est cum sciat, vel scire possit ac debeat id sibi non licere et rem non esse suam. Vide Laym. [3] Less. [4] Bonac. [5].

Unde resolves:

» 1. Qui iniuriam intulit, ex qua alteri nullum est damnum secutum, ut si adulterium commisit sine damnificatione alterius, non tenetur in conscientia ad restitutionem; cum haec sit reparatio damni: potest tamen a iudice cogi ad satisfaciendum pro iniuria.

» 2. Quisquis intulit iniuriam damnosam, etiam materialem tantum, tenetur restituere, sed nonnisi id quod ex alterius re adhuc habet, vel quo ex ea factus est ditior.

» 3. Qui intulit iniuriam formalem, sive rem adhuc habeat sive non, tenetur restituere, et quidem tantum quantum est damnum secutum. An vero sufficiat culpa venialis, controvertunt auctores, et sententia utraque probabilis videtur ac in praxi tuta, saltem quando commode non potest restituere. Vide aa. cit. et Laym. [6] Less. [7] c. Lugo [8]. »

(1) De rest. c. 1. punct. 2. §. 3. n. 27.
(2) D. l. n. 28.
(3) L. 3. t. 2. c. [illegible].
(4) L. 2. c. 7. d. 6.
(5) D. 3. q. 1. p. 6.
(6) L. 3. tr. 2.
(7) L. 2. c. 7. d. 1. n. 27.
(8) Disp. 8. sect. 5. n. 56.

DUBIUM II. An qui cooperantur ad damnum alterius teneantur ad restitutionem.

557. *Quotuplices dicantur cooperantes.*
558. *Quid de* mandante.
559. *Quid de* consulente. *Quaer. 1. An praebens pravum consilium, et postea revocans, teneatur ad restitutionem.*
560. *Quaer. 2. Executo consilio, quisnam primo teneatur.*
561. *Quaer. 3. Quid, si damnum etiam sine consilio evenisset.*
562. *Quaer. 4. Quid in dubio, an consilium fuerit causa damni.*
563. *Quaer. 5. Quid, si alter sit determinatus ad damnum et tu tantum suadeas modum.*
564. *Quaer. 6. An teneatur ad restitutionem suadens damnum ex ignorantia culpabili.*
565. *Quaer. 7. An parato inferre maius damnum possit suaderi minus.*
566. *Quando teneatur ad restituendum* dans iniquum suffragium.
567. *Quando teneatur* palpo.
568. *Quando* praebens recursum.
569. *An emptor rei furtivae possit illam reddere furi ad recuperandum pretium.*
570. *An idem possit emptor malae fidei.*
571. *Quomodo teneatur* participans. *Quid, si ob metum.*
572. *Quid si impedias alium, ne reparet damnum alterius.*
573. *Quomodo teneantur* causae privativae.
574. *Vide alios casus apud* Busemb. usque ad num. 5. 8.

557. « Resp. Tenentur omnes illi, qui quoquo modo sunt causa influens et efficax damni secuti: ac qui ex officio et obligatione iustitiae obligati cavere damnum, non caverunt. Ita communiter doctores. Unde concludunt teneri ad restitutionem comprehensos sequentibus verbis:

» *Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus.*

» *Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

» Patet ex sequentibus casibus.

558. » 1. Tenetur ad restitutionem mandans, sive expresse mandet sive tacite, dicto nimirum vel facto, ex quo v. gr. famulus colligat, hero gratum fore si faciat; non autem tenetur qui ratum tantum habet opus suo nomine factum; uti nec mandans, si ante executionem mandatum retractet, idque mandatario innotescat; quia tunc non

est vera causa. Molin. Less. [1] Fill. [2].

»2. Tenetur item consulens aut precibus ac promissionibus ad damnificationem inducens [3]. Quod si tamen ante executionem consilium suum retractet, et quantum potest contrarium suadeat, etsi non persuadeat, probabile est eum excusari a restitutione; maxime si eum, cui damnum paratur, moneat ut caveat. V. Bon. et Tan. [4] Sa [5] et Diana [6].»

559. Quaer. 1. an consilium dans, si postea revocet illud, teneatur ad restitutionem damni post revocationem secuti.

Prima sententia, quam tenent Hab. [7] Less. [8] Lugo [9] Croix [10] Holz. [11] Spor. [12] cum Tol. Gom. Laym. Mol. et aliis communissime, distinguit: Si consulens dederit simplex consilium, vel falsum, vel modo auctoritativo, tunc consilium revocando vel falsitatem ostendendo excusatur a restitutione; secus, si insinuarit motivum sive modum inferendi damnum. Ratio quia, adhuc revocato consilio, haec pergunt semper movere. Sicut enim, dicunt, qui ignem in alienam segetem iniecit, tenetur ad damnum, etiamsi postea dolens conatus fuerit ignem extinguere; ita et consulens.

Secunda sententia autem quam tenent p. Conc. [13] Merb. [14] Salm. [15] cum Reg. Villal. etc., Azor. [16] Dian. [17] cum Nav. et Salon. Ronc. [18], item s. Anton. Sylv. Fill. ap. Spor. [19], et probabilem putant Less. [20] Spor. [21] Elbel [22] Bonac. [23] Viva [24], Ronc. [25] vocat sententiam probabilissimam et Laym. [26] valde probabilem vocat, excusat a restitutione, semper ac consulens conetur postea meliori modo quo potest damnum dissuadere, saltem adducendo rationem salutis aeternae quae debet christiano praeponderare omnibus aliis rationinibus mundanis. Nec obstat paritas ignis allata, nam eo casu ignis necessario operatur, sed revocato consilio, damnum non amplius vi consilii evenit, sed ex sola malitia executoris. Hanc secundam sententiam satis probabilem, sed primam probabiliorem censeo. Recte vero notant Salm. [27] et Spor. [28] cum aliis, quod si consulens nequeat avertere executorem a damno inferendo tenetur ex iustitia monere laedendum ut sibi caveat.

560. Quaeritur 2. Secuto damno ex consilio, quisnam primo teneatur ad restitutionem. Respondeo cum Croix [29] de Lugo et Less. Si consilium sit utile illud praebenti, ipsum primo teneri: secus, si soli executori. Si autem sit utile utrique, utrumque teneri pro rata; et idem puto si ex damno illato neutri utile evenerit. In defectu autem alterius tenetur ille in solidum.

561. Quaeritur 3. An teneatur qui consilium dedit restituere, si damnum etiam sine consilio evenisset. Respondeo cum Viva [30] Les. Mol. Vasq. et communi, ac Bus. *hic n.* 8. quod si executor de se erat determinatus ad damnificationem, tunc suasor ad nihil tenetur. Ratio quia ubi intercesserit tantum iniuria, sed sine damno, nulla datur obligatio restitutionis, ut bene advertit doctus p. Holzm. [31] cum p. Elbel ex s. Thom. [32] qui docet: *Si aliquis passus sit iniuriam et non damnum, illi non est facienda de iure restitutio realis, sed tantummodo secundum genus iniuriae facienda est emendatio per similem satisfactionem.* Secus autem (recte ait Viva) si executor etiam a consilio motus fuerit, quia tunc vere est efficax concausa damni.

562. Quaer. 4. Utrum in dubio an tuum consilium sive mandatum, consensus, recursus, palpatio, taciturnitas, etc. fuerit causa damni aut mortis alterius, tenearis ad restitutionem.

(1) L. 2. c. 3. d. 3. (2) T. 32. n. 54. (3) Iuxta prop. 39. damn. ab Innoc. XI. (4) 2. 2. d. 4. q. 6. d. 14. (5) V. Consilium. (6) Tr. 2. misc. res. 18. et t. 5. resol. 83. (7) De rest. t. 4. p. 2. c. 4. §. 2. q. 3. (8) L. 2. c. 13. n. 16. (9) De iust. d. 19. n. 37. (10) L. 3. p. 2. n. 28. (11) De rest. c. 3. n. 439. (12) Eod. tit. c. 3. n. 21. (13) T. 7. p. 134. (14) P. 1. q. 182. concl. 2. (15) De restit. c. 1. punct. 5. §. 2. n. 117.

(16) P. 3. l. 4. c. 11. q. 2. (17) P. 2. tr. 16. r. 17. (18) De restit. c. 4. q. 4. r. 2. (19) N. 22. (20) N. 18. (21) L. c. (22) De rest. t. 3. n. 143. (23) D. 1. q. 2. p. 6. (24) De rest. q. 3. a. 2. n. 3. (25) De rest. c. 4. q. 4. r. 2. (26) L. 1. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 7. (27) Tr. 10. de ceos. c. 1. punct. 12. n. 158. in fin. (28) N. 22. (29) L. 3. p. 2. n. 56 (30) D. q. 3. a. 3. n. 3. (31) N. 436. (32) Opusc. 73. c. 20.

Prima sententia valde probabilis affirmat, eamque tenent Habert [1] Lugo [2] Sanch. [3] cum Covar. Ang. Boss. Felin. etc. Croix [4] Ronc. [5] et valde adhaeret Less. [6] licet prius [7] expresse contrarium tenuerit. Ratio 1. quia in tali dubio possidet delictum pravi consilii: cum enim consilium erat de se aptum ad damnum suadendum, in dubio praesumitur ipsum fuisse causa damni; prout si quis infligat alteri vulnus aptum de se ad occidendum, si alter postea decedit praesumitur ex illo vulnere decessisse; unde consulens homicidium, ad se liberandum probare deberet, ex alia causa mortem aut aliud damnum provenisse. Ratio 2. quia pro eo stat possessio pro quo stat praesumptio; non praesumitur autem executor damnum intulisse sine consilio, quia nemo praesumitur malus; saltem non praesumitur determinatus ad damnum inferendum, ergo possessio stat pro obligatione consulentis: et hoc casu ruit possessio quam ipse habet super bonis suis. Excipiunt tamen Sanch. et Ronc. nisi adsint aliae coniecturae quae contrarium suadeant, puta (ut ait Sanch. [8]) si homicida erat acer inimicus occisi, vel necem iam minatus fuerat, et similia: item si executor fide dignus affirmaret se non esse impulsum a consilio, ut dicunt idem Sanch. Habert et Mazzott. Commune autem est inter dd. cum Less. [9] et Roncaglia [10] in dubio an consilium datum sit vel an damnum sit illatum, ad nullam restitutionem consulentem teneri.

Secunda sententia vero satis etiam probabilis negat in tali dubio obligationem esse restitutionis; ita cum Bus. Less. [11] cum Petro Nav. et Sylvest., qui vocat communem, Salm. [12] cum Henriq. Dic. et Reb., item Met. ap. Sanch. [13] et probabilem putat Elb. [14] cum Sayr. Dian. et aliis pluribus. Et hanc videtur tenere d. Thom. [15] qui docet: *In aliis autem casibus enumeratis non semper obligatur aliquis ad restituendum; non enim semper consilium vel adulatio vel aliquid huiusmodi est efficax causa rapinae. Unde tunc solum tenetur consiliator aut palpo... ad restitutionem, quando probabiliter aestimari potest quod ex huiusmodi causis fuerit iniusta acceptio subsecuta.* Ergo iuxta d. Th. probari debet consilium certo fuisse causam damni; verbum illud enim *probabiliter* (si sit ex una parte) significat persuasionem moraliter certam quod consulens fuerit causa damni, ut bene explicat doctus p. Concina [16] dicens: *Per tò probabiliter s. doctor intelligit moralem persuasionem et certitudinem.* Ratio huius sententiae est illa regula generalis, quod nemo obligatur ad restitutionem nisi omnino de tali obligatione constet, nempe quod ipse fuerit vera causa damni. Ad 1. autem rationem quod praesumatur influxus quando consilium de se aptum est influere, respondetur ex d. Thom. [17] quod ad obligationem restitutionis non sufficit, consilium de se aptum esse ad influendum, sed insuper requiritur ut revera influat: cum autem ex d. Thoma consilium non semper sit causa damni: *Non enim semper* (verba s. doctoris) *consilium vel adulatio est efficax causa rapinae*, influxus non praesumitur nisi probetur. Dispar autem est ratio vulneris adducta, quia vulnus lethale de se necessario est causa mortis, non ita consilium. Ad 2. rationem, scilicet quod delictum executoris non praesumitur, respondetur quod regula haec currit pro eo qui omnino innocens est, non autem pro eo qui iam delinquentem se prodidit; cum enim ipse omnino voluntarie crimen patraverit, vel praesumitur ipse ex sua mala voluntate id fecisse, vel saltem de hoc positive est dubitandum, et in dubio suis bonis non est alter expoliandus. P. Concina [18] addit tertiam sententiam, dicens quod in tali dubio consiliator teneatur resti-

(1) T. 4. p. 2. c. 4. §. 2. q. 4. (2) D. 19. n. 21.
(3) De matr. l. 2. d. 41. n. 17. et dec. l. 1. c. 10. n. 44.
(4) L. 3. p. 2. n. 574. (5) De rest. c. 4. q. 1. r. 3.
(6) L. 2. c. 27. n. 13. (7) C. 13. n. 38.
(8) In dec. d. n. 44. (9) L. 2. c. 27. n. 15.
(10) D. c. 4. q. 1. (11) L. 2. c. 13. dub. 4. n. 58.
(12) De rest. c. 1. punct. 5. §. 1. n. 113. (13) L. c.
(14) De rest. n. 146. (15) 2. 2. q. 62. a. 7.
(16) T. 7. de iust. diss. 2. c. 9. §. 1. n. 14.
(17) Loc. sup. cit. (18) Loc. c.

tuere tantum pro rata dubii. Sed huic obstat quod vel certo possidet consilium, et tunc ille tenetur ad totum damnum; vel non certo possidet consilium, et tunc ad nihil tenetur, quia melior est conditio possidentis bona sua; quod in materia iustitiae certum esse omnes docent, ut vidimus *n*. 547. Dicit autem Sanch. [1] quod in dubio an consilium fuerit causa occisionis, consulens habendus est irregularis, quia cum homicidium sit certum, quisque in dubio an sit ad illud cooperatus censendus est irregularis [2]. Sed *vide de hoc dicenda l*. 7. *n*. 371. Certum autem mihi est quod si tu pravo consilio revera movisti aliquem ad damnum inferendum, teneris ad restitutionem, etiamsi certe alter non defuisset qui idem illi persuasisset. Et ita p. Concina [3] cum communi, et Sporer [4] cum aliis.

563. Quaer. 5. Quid, si alter iam sit determinatus ad damnum, v. gr. ad occidendum, et tu suadeas tantum modum, nempe, ut occidat veneno, non gladio; in illo, non in alio loco vel tempore? Adest duplex sententia probabilis.

Prima dicit te teneri ad restitutionem, quia suadendo modum concurris ad substantiam damni; suadendo vero ut damnum citius inferatur, totius es causa damni, cum alter per illud tempus potuisset animum mutare. Ita Caiet. [5] Viva [6] cum Mol. Reb. etc.

Secunda sententia te absolute excusat a restitutione, modo certum sit alterum suum pravum animum non mutaturum. Ita Lugo [7] Layman [8] Lessius [9] Sporer [10] Holzm. [11] et probabilem putant Salmantic. [12] cum s. Anton. Prado Sylv. Navarr. etc. Ratio, quia consulens tunc non est causa efficax mali quoad substantiam damni; et haec est mihi probabilior. Nec valet dicere, hypothesim illam suppositam, quod alter certe damnum sit illaturus sine consilio, semper esse incertam, cum animus humanus semper sit mutabilis. Nam respondetur 1. quod in tali dubio influxus consulentis ad damnum secutum non est certus, iuxta id quod mox supra diximus *n*. 562. Resp. 2. (quod magis urget) possessionem hic stare pro determinatione prava voluntatis executoris. Et sic pariter Holz. [13] et Laym. [14] cum Adrian. s. Ant. Sylv. Palud. Mol. Navarr. Less. contra Vasq. probabilissime excusant a restitutione eum qui materialiter cooperatur ad damnum domini, quando scilicet alter sine sua cooperatione adhuc certe damnum intulisset, v. gr. si quis teneat scalam ei qui etiam ascenderet sine suo auxilio.

564. Quaer. 6. An teneatur ad restitutionem suadens damnum ex ignorantia, sed cum culpa gravi. Respond. cum Viva [15] ex Laym. Holz. [16] Less. [17] distinguendo: Si consilium dans, ex suo statu, v. gr. advocati aut confessarii existimatur peritus, tenetur: quia tunc vere decipit. Contra tamen, si noscatur ut rudis: quia tunc damni illatio magis imputatur ei qui imprudenter sequitur eius consilium; nisi cum consilio adfuerit etiam dolus sive intentio damnificandi. Hoc tamen procedit quando agitur de damno solius petentis consilium: nam secus dicendum si agatur de damno tertii. Notandum autem hic, quod dans consilium noxium tenetur postea facere quantum potest ne accidat damnum, etsi inculpabiliter egerit. Eodem modo, qui sine culpa gravi ignem accenderit in domo aliena, tenetur ex iustitia impedire, si potest sine magno incommodo, ne ex sua actione alter laedatur. Ita Viva cum Sanch. et Less. et communi.

565. Quaer. 7. An parato inferre maius damnum possit suaderi minus adversus eamdem personam, v. gr. volenti occidere aliquem suaderi ut solum percutiat. Affirmant cum Viva [18] Sanch. Bonac. Busemb. *hic n*. 11. et commu-

(1) Dec. l. c. n. 44. (2) Ex c. Ad audientiam, et c. Significasti, de homic. (3) L. c. §. 1. q. 1. (4) N 7. (5) 1. 2. q. 62. a. 7. (6) De restit. q. 3. a. 3. n. 5. (7) D. 19. sect. 1. n. 9. et 15. (8) L. 3. sect. 5. tr. 2. c. 5. n. 5. (9) L. 2. c. 13. n. 6. (10) C. 3. n. 27. (11) De rest. c. 3. n. 457 (12) De rest. c. 1. punct. 5. §. 1. n. 112. (13) Loc. c. (14) Ibid. (15) D. art. 3. n. 7. (16) C. 2. n. 432. (17) C. 7. n. 54. (18) D. l. n. 10.

niori. Dixi adversus *eamdem personam*, quia adversus aliam in particulari nequit suaderi damnum quantocumque minus. Ita Viva cum communi apud Bon. [1]. Addit Viva quod solum in genere potest suaderi illi ut potius minus malum faciat; vel etiam suaderi, minus malum esse furari a Petro divite quam a Paulo paupere. Imo concedit, posse dici illi qui vult furari a Titio, ut furetur ab alio in genere; quia sic avertitur ab illo furto, et nulli e converso in particulari fit iniuria. Sed huic ego non acquiesco cum Sporer [2], quia sic iam suadetur damnum alterius. Concedit idem Viva [3] volenti furari a Petro aliquod, ob quod ille in extremam redigeretur paupertatem, posse suaderi ut subripiat aliquantulum a Paulo ditissimo, qui aliter in hoc esset irrationabiliter invitus.

566. « 3. Tenetur item, qui suo consensu, calculo vel suffragio est causa efficax damni. Less. [4] Fill. [5] . »

Ideoque ultimi qui iniquum dant suffragium peccant, sed non tenentur ad restitutionem, cum non sint causa damni, nisi ex condicto egerint.

Sed quaeritur utrum, si quis dubitat an suum suffragium fuerit ex prioribus et necessariis ad damnum alicui inferendum, teneatur ad restitutionem. Adest triplex sententia.

Prima sententia dicit eum ad nihil teneri, et hanc tuentur Reb. Hen. Tab. Diana et alii apud Lugo [6] et Spor. [7] vocat non improbabilem. Ratio quia in dubio melior est conditio possidentis exemptionem ab obligatione restitutionis.

Secunda sententia, quam tenent Salm. [8] cum Bonac. Dicast. etc. dicit omnes teneri ad restitutionem in solidum, quia omnes isti fuerunt concausae totius damni; alias, si primi tantum tenerentur, cum primi sint ignoti, nemo teneretur, et a nullo resarciretur damnum: sed huic respondetur quod per accidens se haberet.

Tertia tamen vera *sententia* docet singulos teneri pro rata ad totum damnum reparandum [9]. Ratio, cur non teneantur in solidum ad totum damnum est quia hic dubium intervenit, an quisque illorum fuerit vel non causa damni: et in tali dubio nemo tenetur ad restitutionem certam. Ratio autem quod singuli teneantur pro rata est, quia quisque saltem suo suffragio deterioravit ius quod damnificatus habebat ad exigendam restitutionem damni ab aliis suffragium praebentibus. Ita Lug. [10] Sporer [11] Mol. [12]. Notandum autem hic cum p. Conc. [13] quod si ille qui debet ferre ultimo loco suffragium praevideat alios se revocaturos, tunc tenetur ad restitutionem damni, si ferre suffragium negligat. In dubio autem dicit hic auctor non praesumi alios non mutaturos consilium; consentio, si alii inculpabiliter erraverint; secus si culpabiliter, quia tunc possidet prava eorum voluntas.

567. « 4. Item palpo, aut qui laude, adulatione, vel exprobratione ignaviae, aliterve alium ad damnum inferendum excitat, animat. Less. Filliuc. [14] (Dummodo iudicet, sic ad damnum influere, licet non intendat. Salm. [15]).

568. » 5. Item qui inferenti damnum praebet recursum, illum receptat, illius furta aut instrumenta occultat, vel ea emendo rapinas fovet etc. [16]. Hi enim omnes, uti et is cui res furtivae traditae sunt in custodiam, tenentur (non manifestato fure) restituere domino. Et sic peccare eos qui a sartoribus emunt fragmenta panni seu vestium, docet Vill. apud Dian. [17] Licet [18] Sanch. excuset eos qui ista emunt a sartoribus magistris, eo quod his plerumque detrahatur plus a iusta mercede, quam mereantur ista fragmenta, ideoque licite ea retineant (Huic doctrinae non acquiesco, quia potius censeo plerumque oppositum accidere. Communiter

(1) D. n. 10. in fin. (2) C. 3. n. 27. (3) Super prop. 36. Innoc. XI. (4) D. 3. n. 25. (5) T. 32. c. 1. (6) De iust. d. 19. n. 20. (7) De restit. c. 3. n. 34. (8) De rest. c. 1. punct. 5. §. 2. n. 125. (9) Vera sententia cum Lugo Molina et Sporer est quod quilibet tenetur tunc pro sua rata ad damnum reparandum; et si alii non restituunt teneris ad totum. Hom. Ap. tr. 10. n. 50. (10) D. 19. n. 22. (11) L. c. n. 35. (12) D. 736. n. 6. (13) C. 9. §. 2. n. 27. (14) Loc. c. (15) Ibid. n. 124. (16) Ibid. (17) P. 4. tr. 4. r. 176. (18) Ibid.

tamen, nisi contraria indicia urgeant, sartor non praesumitur fraudasse). Neque hic a peccato excusari cauponas, qui a filiisfamilias acceptant pecunias aliasve res parentibus subreptas, notat Laym.[1] Bon. etc. Qui vero post delictum ipsum reum iuvat ad fugiendum (non concurrendo ad delictum), non tenetur restituere, modo non det illi spem refugii inposterum; tum quia non est causa damni, tum quia reo licet fugere, ut infra dicetur *l.* 4. *c.* 3. *d.* 7.»

Receptans igitur tenetur ad restitutionem, quando receptatio est causa furti. Sic tenentur ad damna domini, non impedientes famulos damnificantes in confidentiam ipsorum. Ita Salm.[2] et alii communiter. Non tenetur autem qui post furtum iuvat furem ad fugiendum, modo non influat in damna futura, ut bene notat Busemb. *hic in fine*, et consentit p. Concina. [3] Nec tenetur qui receptat furta vel furem, non qua furem, sed qua amicum, cognatum: vel ratione officii, ut stabularius, etsi recipiat furem ante delictum. Ita Conc. [4] Salm. [5] ex communi. Hoc tamen intelligendum, modo, ut diximus, non influat in furta futura, ut bene advertit Croix [6].

569. Utrum autem emptor rei furtivae possit illam furi restituere ad recuperandum pretium.

Prima sententia tenet quod possit, quia in hoc non infert domino damnum, cum reponat rem in eumdem statum in quo erat. Ita s. Anton. [7] Lug.[8] cum Nav. Sylv. Ang. Mald. et aliis (ut asserit) recentioribus communiter: ita etiam Less.[9] Holzm. [10] Salm.[11] cum Prado Rebell. Ban. Elbel [12] cum aliis satis comm.

Secunda sententia autem, quam tenent Cai.[13] Conc.[14] et Croix [15] cum Mol. Lay. et aliis, dicit teneri emptorem rem domino restituere, quia res erepta e manu furis iam adepta est meliorem statum; et ideo si furi eam redderet illam in deteriorem statum deiiceret, et sic iniuriam domino irrogaret; nemini enim licet vestem alterius in ignem iniicere ut suam salvet. Haec sententia est quidem multum probabilis, sed non minus probabilis et forte probabilior est prima, et valde me urgent hae duae rationes quas subdo: Prima, quia non teneris rem domino servare cum tuo damno, et ideo potes permittere ut fur rem illam recipiat, ne pretium tuum amittas. Prout, si rem alienam in via inventam abstulisti, et postea scias damnum te passurum si eam retineas, bene potes illam in eodem loco reponere et permittere ut alter auferat, licet id faciendo in deteriorem statum rem immittas; tunc enim acceptio furis evenit ex sua malitia, et tua cooperatio est tantum permissiva detrimenti alieni quod tu evitare non teneris cum proprio damno. Secunda ratio, quia, cum quisque ius habeat ad sua bona recuperanda, nemini interdicitur actio illa quae per se est necessaria et directa ad suum damnum reparandum, licet indirecte et per accidens damnum alteri eveniat; quemadmodum si quis non possit vitare mortem ab hoste insequente, nisi equo conculcando puerum baptizatum, licite quidem currit, etiamsi mors pueri sequatur, ut communiter docent dd. cum Les.[16] Cordub. et Cai., item Bus. de 5. *praec. l.* 3. *n.* 393. cum Lugo et Escob. Salm.[17] cum Sanch. Dic. Prado Tann. Villal. etc. Ita in casu nostro, in quo emptor habet ius ad rescindendum contractum, ut suum pretium recuperet; et quoniam illum non potest rescindere, nisi rem furi restituat, per se necesse est ei rem reddere furi ad suum recuperandum; atque ideo tunc licite reddit, esto rem in deteriorem statum iniiciat, quia rescissio contractus est ipsi directe licita ac necessaria, et damnum domino per accidens infertur. Dices: Ergo iuxta sententiam hanc, casu quo fur minetur rem tuam

(1) L. 3. t. 2. c. 5. (2) De restit. c. 1. punct. 5. §. 2. n. 125. (3) P. 137. n. 30. (4) Loc. c. (5) D. n. 125. circa fin. (6) N. 37. (7) P. 2. tit. 1. c. 12. §. 16. et p. 2. t. 2. c. 5. §. 2. (8) De iust. d. 17. s. 2. n. 29. (9) L. 2. c. 14. dub. 5. n. 14.

(10) C. 3. n. 450. (11) Ib. punct. 4. §. 6. n. 85. (12) De rest. n. 38. (13) 2. 2. q. 62. a. 6. (14) T. 7. p. 112. (15) L. 3. p. 2. n. 100. (16) L. 2. c. 9. n. 58. (17) Tr. 25. de homic. c. 1. punct. 6. §. 1. n. 155, ac de restit. c. 1. punct. 4. §. 6. n. 84.

auferre, nisi accipias et tradas ei alienam, poteris hanc subripere, ne tuam amittas. Respondetur: Hoc facere non licet, quia non habeo ius inferendi alteri damnum ut bona mea servem, et ideo si id faciam illicitam ac iniustam actionem facio; sed ad rescindendam emptionem illam certum ius habeo, et eam rescindendo licitam actionem facio; unde si ex ipso damnum proximo evenit, per accidens evenit; illudque licite praeter intentionem meam permitto, ut me servem indemnem; prout licite permitto mortem pueri, iuxta mox dicta, ut consulam vitae meae, quia ius habeo ad eam servandam. Tandem distinguere oportet terminos qui ab adversariis confunduntur: aliud enim est rem alterius auferre, aliud eam non servare: aliud damnum alteri inferre, aliud damnum alterius permittere. Advertendum tamen hanc sententiam tunc tantum posse habere locum quando emptori nulla alia suppetit via recuperandi suum pretium, quam restituendo rem latroni.

570. Maius autem dubium urget, an possit rem furi restituere emptor malae fidei. Negant hoc communius dd. cum Less. Mol. et aliis apud Bus. *dub.* 5. *n.* 600. et Salm. [1] cum aliis. Sed adhuc affirmant Holzm. [2] Elbel [3] et Tol. Dian. Prado Sylv. Ang. apud Salmant.[4], item Alensis Gabriel apud Lugo [5]. Et hanc sententiam vocant non improbabilem Less.[6] ac Malder. Et quidem non immerito Bus. putat absolute probabilem, imo Lugo dicit forte probabiliorem. Ratio quia, licet iste peccaverit rem mala fide emendo, tamen post emptionem habet ius aeque ac emptor bonae fidei ad contractum rescindendum, rem furi reddendo, ut supra probatum est. Nec obstat dicere (ut ait idem Lugo) quod hic interveniat iniusta acceptio emptoris; nam ipsa, postquam retractatur, non est de facto causa quod dominus rem suam amittat; revera enim (ut diximus *n.* 551.) ad obligationem restitutionis requiritur ut actio acceptoris non solum sit iniusta, sed etiam ut realiter influat in damnum alterius; in hoc autem casu acceptio emptoris, licet fuerit domino iniuriosa, nullum tamen damnum ipsi intulit, cum damnum iam illatum extiterat per acceptionem furis, ut dictum est *num. praeced.*

571. « Item participans de praeda, aut quoquo modo cooperans: ut agens excubias, applicans scalas, parans instrumenta, conficiens litteras etc., in bello iniquo tormenta advehens; excusantur tamen (modo actio per se non sit mala) qui ea non sponte, sed iusto metu coacti faciunt, v. gr. cum rustici, furto a solis militibus facto, coguntur eorum praedas avehere vel pecora abigere. Less. [7].»

Participantes dupliciter intelligi possunt, nempe in re furata et in actione furti. Participantes in re furata tenentur quidem restituere quantum de illa ad ipsos pervenit. Quoad participantes vero in actione furti, videndum an ipsi concurrant ad totum damnum vel ad partem, iuxta dicenda *n.* 579. Sed quaestio est, si participatio sit in actione furti, an excusentur a culpa et a restitutione ii qui cooperantur aliquo modo ad illationem damni ob metum gravis detrimenti.

Prima sententia inter recentiores communissima, quam tenent Salm.[8] Spor.[9] et Holzm.[10] Viva [11] cum Less.[12] Bon.[13] distinguit: Si actiones cooperantis remote concurrant ad furtum, ut esset scalam tenere furi ascendenti, tradere ipsi claves sive instrumenta ad reserandam arcam, deferre praedam iam ablatam, et similia: tunc cooperans ob metum mortis vel alterius gravis mali, excusatur tam a restitutione quam a culpa; quia istae sunt actiones per se indifferentes, neque laedunt dominum, nisi ex malitia furis. Secus, si actiones sint proxime influentes in furtum, ut fores effringere, incendere domum, cla-

(1) L. c. n. 87. (2) C. 3. n. 455. (3) L. c. n. 39. (4) Ibid. (5) Loc. c. n. 37. (6) Loc. c. n. 21. (7) L. 5. n. 19. (8) Tr. 13. de rest. c. 1. punct. 5. §. 2. n. 127. et 129.

(9) De 7. praec. c. 3. n. 41. (10) De rest. c. 3. n. 443. (11) Eod. tit. q. 3. a. 4. n. 10. (12) Lib. 2. c. 13. n. 29. et 30. (13) De restit. d. 1. q. 2. p. 11. n. 8.

ves falsas conficere, res furatas per fenestram eiicere, pecora e stabulo abiicere, et similia; tunc cooperans non excusatur neque a culpa neque a restitutione. Ratio ut dicunt, quia actiones hae, utpote intrinsece malae, non possunt ob quemcumque metum excusari. Ita aa. citati; imo Salm. [1] se revocantes, dicunt, etiam actiones prioris generis, primo loco relatas, pariter esse intrinsece malas. Ratio, ut aiunt, quia istae actiones proxime influunt in peccatum iniustitiae quod fur committere intendit; et ideo evadunt intrinsece malae ac formaliter iniustae, etiamsi ponantur ad mortem evitandam. Et quamvis ob tantum periculum licitum sit tibi subripere vel destruere bona aliena, quia in eo casu dominus esset irrationabiliter invitus si nollet consentire, ut tu in necessitate extrema constitutus sua bona acciperes vel perderes ad servandam vitam; non tamen potes ob quemcumque metum proxime cooperari iniustae actioni furis; quia tunc formaliter concurreres ad peccatum ipsius et iustitiam laederes: ideoque, si id agis, peccas et ad restitutionem teneris. Tantum te excusant Viva et Ronc. [2] si malum quod tibi imminet sit magnum, et incommodum quod dominus est passurus sit leve; vel si damnum, adhuc te non adiuvante, pariter inferretur: cui quoque consentit Layman [3] cum s. Anton. Palud. Molin. P. Nav. Adrian. et Sylvest. iuxta dicta *n*. 563.

Secunda sententia vero, quam tenent Bus. (*V. l.* 2. *n.* 68.) Sanch. [4] et Less. [5] censet, eiusmodi participantes non peccare, si ob metum magni nocumenti praefatas actiones praestant. In hoc dubio, ut meum iudicium proferam, illud sapientibus submittens tamquam minus sapiens, nemine me praecedente, sic dico: Peccatum hoc cooperantis considerari potest vel respectu domini damnum passuri, vel respectu furis damnum inferentis. Respectu domini dico, quod si tu solum times damnum facultatum, non poteris sine peccato concurrere ad damnum alterius, ut in propriis bonis te serves indemnem; nisi id facias animo compensandi, ut aiunt Bonac. Viva et Less. cum Nav. [6]. Si autem times malum superioris ordinis, quam bonorum, nempe mortem aut mutilationem membri vel gravem infamiam; tunc poteris sine peccato, si praeter tuam intentionem facias, cooperari ad damnum alterius, ut dicit etiam Continuat. Tourn. [7]. Quia tunc dominus tenetur consentire, ut adhuc cum iactura suorum bonorum tu vitae aut honori tuo consulas, alias esset irrationabiliter invitus. Respectu vero ad peccatum furis, secundam sententiam probabiliorem censeo. Ratio quia omnes praefatae actiones, tam primi quam secundi generis, sunt revera indifferentes, cum iuxta finem quo fiunt vel licitae vel illicitae esse possint. Si enim tu praestas illas cum pravo fine nocendi domino, certe erunt tibi illicitae: si vero praestas ad damnum tuum in vita vel honore praecavendum, tunc licitae tibi erunt; et quod fur illis abutatur ad suam pravam voluntatem exequendam, hoc per accidens se habet, tuque solum materialiter tunc cooperaris ad peccatum illius, quod ex iusta causa licite permittis. Nec verum est, quod formaliter tunc concurris ad peccatum furis; nam hoc esset, si positive tu influeres in eius malam voluntatem; quando autem tantum actiones illas praestas, quibus fur postea abutetur ad damnum inferendum, non erit quidem causa damni actio tua, sed sola malitia furis, iuxta ea quae fusius diximus *de carit. l.* 2. *num.* 63. *vers. Ad distinguendum.* Et quod actiones illae non sint formaliter influentes in peccatum furis, nec intrinsece malae ut adversarii autumant, mihi videtur indubitabile; nam alias, si fur te cogeret ad arcam tuam confringendam, ut tradas ei pecuniam ibi contentam, non posses sine peccato hoc facere, quia formaliter

(1) Tr. 21. c. 8. punct. 5. §. 2. n. 75.
(2) De rest. c. 3. q. 9. (3) L. 3. tr. 2. c. 5. n. 5.
(4) Dec. l. 1. c. 7. n. 30. (5) L. 2. c. 16. n. 59.
(6) Loc. supra cit. (7) De praec. dec. c. 1. a. 3. sect. 7. punct. 1. §. 3. Quinta.

coopcrareris ad illius peccatum. Sed hoc quis sanae mentis asserere audebit? Expresse autem favet mihi doctrina P. Molinae, qui [1] sic docet: *Mortis metu vel mutilationis membri, fas est eiusmodi captivis, nocumentum inferre christianis in bonis externis ad infidelium imperium, ea destruendo, capiendo, etc. Quoniam in eo eventu sunt in extrema necessitate eorum bonorum ad vitam conservandam. Ergo, quantum fas est cuique in extrema necessitate sumere de bonis aliorum ad conservandam propriam vitam, tantum damnum fas erit eiusmodi captivis inferre bonis aliorum ad vitam tuendam.* Idem mecum tuetur Cont. Tourn. [2] qui sic loquitur: *Non enim teneor grave subire detrimentum, ut alterius peccatum avertam; ipse sane* (nempe fur) *malitiam suam sibi imputet; haec mihi perperam imputaretur, cum id unum intendam, ut rebus meis consulam easque a damno liberem.* Idque expresse confirmatur a s. Thom. [3] qui ait: *Licet ei qui incidit in latrones manifestare bona quae habet, quae latrones peccant diripiendo, ad hoc, quod non occidatur, exemplo decem virorum qui dixerunt ad Ismael:* Noli occidere nos, quia thesauros habemus in agro [4].

Maius dubium est, an talis cooperans teneatur ad restitutionem. Affirmant omnes aa. pro prima sententia citati, ut supra diximus: sed, spectata ratione intrinseca, cum p. Milante mihi probabilius videtur eum neque peccare neque ad restitutionem teneri. Haec quaestio pendere videtur ab alia relata *n.* 520. *q.* 5. scilicet, an subripiens bona alterius in extrema necessitate, illa cessante, teneatur ad restitutionem. Ibi diximus, veram sententiam esse quod tenetur, si spe non fuerit pauper: secus, si pauper fuerit re et spe. Atque sic videtur dicendum in praesenti casu, nempe quod participans, si metu mortis vel gravis infamiae ad alienum damnum concurrat, tunc tantum eximatur a restitutione, quando tempore cooperationis erat absolute pauper, non solum re sed etiam spe. Sed hic sentio, eadem, ut supra, distinctione utens, quod si participans adiuvat furem ad inferendum damnum ob metum similis gravis damni in bonis propriis, eo casu teneatur ad restitutionem: quia nemo potest ad damnum alterius cooperari, ut proprium damnum bonorum evitet. Secus puto, si is furem adiuvaret coactus metu mortis vel gravis infamiae; ratio quia tunc iste non tenetur ad restitutionem, neque ex re accepta neque ex iniusta acceptione. Non ex re accepta, quia in nihilo factus est ditior; non ex iniusta acceptione, quia non peccavit, ut iam probavimus. Sed dices, cur ille qui in extrema necessitate utitur re aliena tenetur restituere, quando non est absolute pauper? Respondeo: is ideo tenetur quia cum possit ex proprio sibi subvenire, accipiendo aliena quando non potest accipere proprium quod alibi habet, tunc evadit ditior; et propterea tenetur. Sed in casu nostro cooperans in nihilo fit ditior: et ideo nihil tenetur restituere; nec alias obligatur offerre et substituere bona propria ad damnum alterius reparandum. Mihi consentit doctus p. M. Milante [5] qui ait quod is qui praestat huiusmodi actiones adiuvantes furem, non peccet nec teneatur ad restitutionem, sic enim scribit: *Ideoque iis innoxie cooperatur quicumque ex metu cadente in virum constantem ad ea concurrit. Ut quid aliena rapere malum est, et quidem ab intrinseco? Proculdubio ex eo solum, quia invitus patitur malum; at in casu praefato dominus invitus non foret circa malum quod pateretur, ablatae nimirum rei: sic praesumendum est, cum ille non possit praesumi invitus in casu, quo cooperanti in furtum tam grave damnum immineret; nemo quippe potest postponere vitam proximi temporali bono, ut est omnium sensus et naturae dictamen.* Hinc asserit hunc cooperantem bene excusari tam a culpa, quam a restitutione. Idem infertur ex sententia Lay. [6], qui cum Petr. Nav. et Med. in si-

(1) T. 1. d. 105. concl. 5.
(2) Tr. de iust. et iur.
(3) 2. 2. q. 78. a. 4.
(4) Ier. 41.
(5) In prop. 15. Inn. XI.
(6) L. 3. tr. 1. c. 1. n. 7.

mili casu sic dicit: *Si quis merces alienas in mare abiiciat ne ipsemet pereat, non tenetur ad ullam restitutionem, cum nec iniuriam intulerit nec rem alienam possideat.*

Secus autem omnino dicendum censeo si quis cooperaretur ad confirmandam vel augendam malam voluntatem furis, puta, si furi terga servaret (vulgo *guardasse le spalle*) vel si annuntiaret ei horam opportunam furando et similia; quia sic influeret in ipsam pravam voluntatem furis, eum saltem animosiorem reddendo, et sic formaliter cooperaretur ad illius peccatum, quod numquam licet. Secus etiam dicendum si quis cooperationes illas praestaret occisuro, tradendo gladium [1], sive claves ad occidendum (*vide n.* 697. *v. Teneris*), vel humeros subiiciendo ad ascendendum aut scalam deferendo etc. Id tamen recte dicunt Salm. [2] cum Sot. Lessio Bann. Tap. Arag. Villal. et La Croix [3] cum Sanch. et Bonac. intelligi, si ille posset negare suam cooperationem sine periculo mortis aut aequalis gravis damni; quia aliter non tenetur impedire damnum alterius (etiamsi alter sit in extrema necessitate damni patiendi) cum aequali proprio detrimento. Hinc diximus *de carit. l.* 2. *cit. n.* 66. quod si dominus vellet ascendere ad stuprandam virginem, nullius damni metus, praeterquam mortis imminentis, posset famulum excusare in adiuvando dominum, scalam deferendo, subiiciendo humeros, etc., quia sola vita famuli praevalet virginis honori. Miror hic autem, cur p. Milante, cum dixerit [4] praefatas actiones, quoad cooperationem ad furandum non esse intrinsece malas, postea asseruerit easdem esse intrinsece malas quoad cooperationem ad fornicandum, dum aeque in utroque casu nulla disparitas possit assignari, ut recte advertunt Salmant. [5]. Sed nos, ex propriis principiis rem assumentes, censemus patenter probasse quod in neutro casu cooperationes illae, iusta et proportionata causa interveniente, sunt intrinsece malae.

572. Hic obiter notandum quod si tu precibus vel consilio impedias Titium, ne ipse reparet damnum Cai., peccas contra caritatem, sicut peccaret Titius, si malitiose permitteret damnum illud non vero contra iustitiam; unde non teneris ad restitutionem. Ita Croix cum Mol. Less. Lugo (contra Navarr. et Medin.). Secus dicendum, si impedis vi vel fraude [6].

573. « 7. Item tenentur causae, quae privative ad damnum alterius concurrunt: nimirum mutus, sive non clamans cum potest; aut non obstans, non manifestans, sed tunc tantum, quando tales ex aliquo pacto vel officio vel stipendio etc. tenentur ex iustitia damnum cavere. S. Th. [7]. Sic princeps, magistratus, belli dux tenentur ad restitutionem damnorum quae a feris, latronibus, militibus, ob ipsorum culpabilem negligentiam dantur. Item consiliarii, canonici tacentes, absentantes se, non impedientes iniquam constitutionem vel electionem. Item tutores, administratores bonorum etc. non impedientes damna pupillis, minoribus, ecclesiis provenientia. Item custodes montium, vinearum, sylvarum, agrorum, piscinarum, qui damna non impediunt vel facta non manifestant, Molin. [8] Fill. [9] *vide supra l.* 3. *t.* 3. *c.* 2. (*Peccant etiam famuli custodientes bona domini, et tenentur ad restitutionem, si non impediant damna ab extraneis.* Salm. [10] cum Lugo Mol. etc. *Sed omni-*

(1) Quoad damnum, dixi neminem posse cooperari ad damnum alterius, ut lideretur a suo, quando damnum est eiusdem ordinis. Qua de re fit, ut etiam cum periculo mortis tenear denegare gladium volenti occidere inimicum, quia non possum, ut caveam a morte, cooperari positive in mortem proximi. Hom. Ap. tr. 10. n. 56.

(2) De restit. c. 1. punct. 11. §. 2. n. 204.

(3) L. 2. n. 265.

(4) Loc. supra cit.

(5) Tr. 21. cap. 8. punct. 5. §. 2. n. 75.

(6) Dubitatur an teneatur ad restitutionem qui impedit alium, qui vellet avertere proximi damnum: affirmant generaliter Navar. et Medina: sed nos distinguimus cum Lugo Less. Mol. et Croix ita: si impedit vi aut fraude, tenetur: secus vero si solo consilio aut precibus, quia tunc peccat contra charitatem, non autem contra iustitiam. Hoc tamen intelligitur, modo ille alius non teneatur ex iustitia illud damnum impedire. Hom. Ap. tr. 10. n. 58.

(7) 2.2. q. 62. a. 7. (8) D. 116. (9) T. 32. c. 2. q. 12.

(10) De 4. praec. c. un. punct. 7. §. 3. n. 153.

no v. dicta n. 344.). Item principes et domini territoriorum, si sciant vias publicas infestari a praedonibus, et cum possint, non impediant, tenentur mercatoribus et caeteris viatoribus damna quae ab istis accipiunt, compensare. Diana[1].

574. » 8. Supradicti non tenentur ad restitutionem, quando non fuerunt causa efficax damni; ut v. gr. si fur homicida non fuerit efficaciter motus mandato vel consilio alterius: sed nihilominus absolute erat facturus, item si v. gr. in capitulo alii ante te dederint suffragium, ita ut videas te nihil impetraturum, etsi neges; tunc enim non teneris restituere, licet pecces, pro qualitate damni, addendo tuum, vel mandando, consulendo etc. Bon.[2].

575. » 9. Probabile est, non teneri supradictos, si non sit moraliter certum eorum mandatum vel consilium efficaciter influxisse: quia in dubio melior est conditio possidentis, praesertim circa materiam iustitiae. Less.[3] Bon.[4] Dian.[5] Tan.[6] (*V. dicta n.* 562.).

576. » 10. Nec tenentur, si efficaciter tantum concurrant ad circumstantiam et modum actus damnosi, v. gr. si quis tantum impellat alium, ut citius vel animosius, hoc vel illo loco vel modo noceat, vide Laym.[7] (*Vide dicta supra n.* 563.).

577. » 11. Nec tenetur, qui deliberate volenti inferre magnum damnum suadet, ut minus eidem inferat, quia tunc utiliter alterius negotium gerit. Dico *eidem*, quia non licet impedire damnum unius cum iniuria alterius (*Vide dicta hic n.* 565.).

578. » 12. Non tenetur item (contra Navarr. Ang. etc.) confessarius, etsi ex officio confessiones audiat, ut parochus, etc., si ex negligentia vel ignorantia poenitentem non moneat aut obliget ad restitutionem, quia etsi ex officio teneatur bene instruere poenitentem, ideoque peccet graviter omittendo, quando est necessarium; non tamen ad hoc tenetur ex obligatione erga tertium, quasi ex iustitia debeat eius damnum cavere, aut procurare ut hoc ei compensetur. Secus tamen dicendum videtur, si positive restitutionem impediat ex malitia, imo etiam ex ignorantia crassa vel culpa lata: quia tunc consilio suo est causa efficax damni. Vide Less. et Bon.[8] Laym.[9] et infra *l.* 6. *tr.* 4. *c.* 2. *d.* 5. (*Vide dicenda l.* 6. *de poenit. n.* 621.). »

Dubium III. An supradicti teneantur singuli restituere in solidum et quo ordine.

579. *Qui teneantur restituere in solidum.*
580. *Qui teneantur primum restituere.*
581. *Quid, si damnificatus condonet restitutionem.*

579. « Resp. Cum plures damnificantes, vel seorsim singuli rem suam agere possint, vel coniunctim, atque alii aliis plus minusve in damnum influere, hinc ex tali ordine et mensura influxus, ordo et mensura restitutionis desumenda est. Ita communiter doctores.

Unde resolves:

» 1. Si plures absque consensu, quisque per se seorsim et casu concurrant ad damnum, singuli non plus tenentur restituere, quam quod quisque per se damni intulit. Laym.[10].

» 2. Si plures cum consensu et se invicem iuvantes id fecerunt, singuli in solidum tenentur restituere totum damnum: quia singuli sunt causa totius damni, cum unus iuvet alterum, et procedat ex confidentia quam habet in auxilio aliorum. Unde si unus eorum restitutionem fecit, potest a reliquis, nimirum a principali totum, aut, si is nolit a reliquis pro rata singulorum repetere. Bon.[11] ex Vasq. Mol. Fill. etc.»

Quaeritur an singulae causae ad damnum concurrentes teneantur in solidum. Distingue: si res est individua, ut incendere domum, occidere hominem, tradere navem, etc. tunc quisque cooperans tenetur in solidum: et hoc, etiamsi sine illo damnum eveniret. Ratio quia tunc moraliter totus effectus a singulis procedit; nam, propter concursum, particularis coopera-

(1) P. 8. t. 7. r. 38. (2) L. c. (3) C. 13. d. 4 (4) Q. 2. p. 4. (5) T. 5. misc. r. 64. (6) 2. 2. d. 4. q. 6. d. 14. (7) Lib. 2. s. 5. t. 2. c. 5.

(8) D. 1. q. 2. p. 11. (9) L. 3. t. 4. c. 6. (10) Lib. 3. tr. 2. c. 6. (11) De restit. d. 1. q. 2. p. 11.

tio cuiusque unam actionem constituit contra iustitiam; unde quia damnum ex hac unica actione evenit, omnes in solidum obligantur ad restitutionem. Ita probabiliter Salm. [1] cum Soto Bon. Sanch. Cai. etc. Et idem tenet Less. [2]. (Excipit autem [3] si quis non concurreret ad damnum immediate, sed tantum mediate praebendo instrumenta, iuvando conscendere, etc.). Sed adhuc probabilis est sententia Nav. [4] Sylv. [5] Ang. [6], et satis probabilem eam vocant Lugo [7] et Spor. [8] cum Dic. et aliis: dicunt isti, teneri cooperantes tantum ad suam partem, si damnum etiam sine ipsis fieret. Ratio (ut ait Lugo) quia cum obligatio restitutionis pendeat ab influxu seu causalitate in damnum, obligatio non debet esse maior quam est ipse influxus; ergo sicut partialiter quisque concurrit, ita partialiter obligatur. Prout enim, qui concurreret tantum ad partem alicuius damni dividui, licet cum aliis concurreret ad totum damnum; tamen ad solam suam partem tenetur ob partialitatem rei circa damnum causatum; ita qui concurrit partialiter ad damnum individuum, ob partialitatem causalitatis sive influxus, partialiter tantum tenetur, quia solum partialiter damnum ab ipso procedit. Et huic doctrinae non videtur dissentire Less. in contrariam adductus; nam [9] ipse tum obligat cooperantem ad totum damnum, cum *sine ipso vel alio, similem opem conferente, damnum non fieret*, verba Lessii. Secus autem omnino dicendum cum Less. [10] Salm. [11] et communi (quidquid dicant aliqui apud Salm. [12]) si damnum sine ipsius ope non obveniret; quia tunc certe tenetur ad totum, etiamsi, ipso non opitulante, alter eamdem opem certe praebuisset.

Si autem res est dividua, ut furari vineam, thesaurum etc. tunc motor principalis tenetur ad totum, cooperantes vero tantum ad partem suam, etiamsi communi consilio ad damnum concurrant. Ita Lugo [13] Salm. [14] cum Bonac. Dic. Lessius Nav. Molin. contra Croix [15] qui putat in casu communis consilii quemque teneri in solidum. Si vero omnes invicem se excitent sive moveant ad damnum (ita ut singulis non concurrentibus damnum non eveniret, ut dicit idem Croix [16]) certe singuli tunc in solidum tenentur; ita Busemb. Ronc. et Salm. [17]. Cum autem dubitatur an quisque fuerit causa totius damni, non tenetur nisi ad partem suam, iuxta id quod diximus supra *dub.* 2. *n.* 562.

Utrum quando plures tenentur in solidum, quisquis teneatur restituere totum, si dubium sit an socius restituerit. Negant Salm. [18] et Ronc. [19] dicentes, quemque teneri tantum partem suam restituere, quia praesumendum, alios socios iam restituisse. Sed id minime probatur. Advertendum tamen quod rudes, etsi teneantur in solidum, raro expedit obligare ad totum; cum difficulter isti sibi persuadeant, se teneri ad restituendam partem a sociis ablatam. Quinimo satis praesumi valet quod ipsi domini, quibus debetur restitutio, consentiant ut illi restituant tantum partem ab eis ablatam; cum aliter valde sit timendum ut nihil restituant si obligentur ad totum [20].

580. « 3. Quod si actio damnificans fuerit lucrativa, et apud aliquem ex cooperatoribus res ablata adhuc existit, aut is eam mala fide absumpsit, tenetur is primo loco restituere ipsam vel aequivalens; et si ille non faciat tenentur reliqui. Less. [21].

» 4. Si actio damnificans non fuerit lucrativa, quia res periit et destructa est; ut fit v. gr. in combustione, mutilatione, destructione, tunc ante alios

(1) De rest. c. 1. punct. 5. §. 5. n. 151.
(2) L. 2. c. 13. d. 4. n. 34. (3) N. 35.
(4) C. 17. n. 17. et 21. (5) V. Restit. n. 3. q. 6.
(6) V. Furtum §. 16. (7) De iust. d. 19. n. 83.
(8) De 7. praec. c. 3. n. 76. (9) Dict. n. 35.
(10) Dub. 2. n. 2. (11) Loc. c. (12) Ib. n. 149.
(13) D. 19. n. 99. (14) De restit. c. 1. punct. 5. §. 5. n. 147. (15) L. 3. p. 2. n. 62. (16) N. 53.
(17) D. l. n. 148. (18) Ib. n. 152. (19) Eod. tit. c. 5. q. 5.
(20) Hinc est quod confessarius quemlibet istorum (praecipue si est conscientiae parum meticulosae) hortetur ut restituat quod debet, quin quantitatem explicet, sed remittens dictamini conscientiae illius. Hom. Ap. tr. 10. n. 54. (21) Lib. 2. c 3.

primo tenetur restituere qui mandavit, vel qui causa fuit primaria vel executor primarius, ut in bello princeps et dux; et si is non sit facturus, vel quia non vult vel quia non potest, tenentur reliqui v. gr. caeteri milites. Quod etsi de militibus speculative verum sit, practice tamen ii excusantur per accidens: tum quia non possunt totum restituere: tum quia dominorum voluntas non est nec expectatio, ut plus restituant, quam partem suam; ideoque, si hanc possunt restituere, ad id tenentur: uti et si quid adhuc reliquum habent ex iniquo. Laym. [1] ex Cai. Mol. etc. Imo Bon. [2] ex Nav. [3] Vasq. Lessio [4] dicunt, militem gregarium qui alios non induxit, non teneri ad restitutionem totius damni illati a toto exercitu, sed tantum pro sua parte. *Vide supra t. 4. c. 1. d. 5. art. 3.*

Ordo restitutionis est quoad cooperantes: 1 Tenetur restituere mandans sive consilium dans alteri, ad faciendum damnum in gratiam sui, ut Salmant. [5] cum Less. et Lug. ac Croix [6] cum Nav. contra Vasq. et Turr. 2. Tenetur executor. 3. Tenentur aliae causae positivae, ut consilium dantes in gratiam alterius etc. 4. Causae negativae. Salm. [7].

581. « 5. Si damnum passus condonet restitutionem principali damnificanti, etiam minus principales liberantur, non autem vice versa; quia ruente principali, ruit accessorium, non contra. Laym. [8]. »

Hic notandum quod si creditor promittat alicui ex debitoribus aeque principalibus, se eum non molestaturum, censetur remittere partem illius: nam si totum exigeret ab aliis ille cogeretur ab illis ad restitutionem, et sic promissio frustranea esset.

Dubium IV. An teneatur restituere qui alium impedivit a consecutione alicuius boni.

582. *Quid, si quis impedit, sine vi aut fraude, aliquem a consecutione iusti boni.*

583. *Quid, si quis impedit mendaciis, ne fisco applicentur bona propter gabellam non solutam.*

584. *Quid, si quis ex odio, sine vi aut fraude, efficit, ne alter aliquod bonum obtineat.*

585. *An suadens episcopo ut conferat beneficium minus digno, peccet et teneatur ad restitutionem. Quid, si beneficium debebatur alicui ratione concursus.*

586 *An teneatur ad restitutionem occidens aliquem, ut alteri homicidium imputetur.* Remissive ad n. 636.

587. *An teneatur ad damnum impediens vi aut fraude etc. Quid si precibus importunissimis aut metu.*

588. *Quid, si religiosus suadeat testatori, ut relinquat bona suo monasterio, relicta ecclesia matrice.*

582. « Resp. Attendendum an laedatur ius alicuius, quod a natura, lege, vel aliter habeat: et an per vim, fraudem, calumniam et mendacia quis alium impedierit: num vero aliter. Inde enim apud Laym. [9]. Bonac. [10]

Resolves sequentes casus:

» 1. Qui alterum impedivit a consecutione rei debitae ex iustitia tenetur ad restitutionem. Less. [11] Fill. [12].

» 2. Si res non erat debita ex iustitia, sed conferenda ex libera voluntate, tunc qui sine vi, fraude et calumnia collatorem inducit, ut v. gr. officium vel legatum, beneficium ecclesiasticum et similia dona gratuita non conferat ei cui apud se constituerat, aut qui petierat, sed vel nulli vel alteri etiam minus digno; etsi saepe is possit graviter peccare, praesertim si id ex odio aut malo fine faciat; non tamen tenetur ad restitutionem. Azor. [13] Vasq. Sa Bon. [14].

583. » Quaer. hic 1. An qui fraudibus seu mendaciis, aut per falsos testes impedit ne fisco applicentur bona quae ob crimen, v. gr. non soluti vectigalis, vel aliud essent fisco addicta, teneatur ad restituendum. Respondetur cum Less. [15] Sanch. [16] Lug. [17] et Salm. [18] cum Dian. Bann. Azor. Tanner. ac aliis communissime, quod post sententiam certo tenetur; secus vero ante sententiam, quia ante sententiam, nullum ius

(1) L. 3. t. 2. c. 6. n. 5. (2) De rest. d. 1. q. 2. p. 10. n. 13. (3) C. 17. (4) D. 4. u. 37. (5) De restit. c. 1. punct. 5. §. 4. n. 141. (6) L. 3. p. 2. n. 65. (7) Dict. l. n. 142. et 145. (8) L. supra c. (9) Loc. c. (10) Q. 2. p. 12.

(11) C. 12. d. 18. (12) T. 32. c. 3. q. 12. n. 72. (13) 3. p. l. 4. c. 9. (14) P. 12. (15) L. 2 c. 12. dub. 18. n. 134. (16) Dec. l. 2. c. 22. n. 22. (17) De iust. d. 18. sect. 5. n. 108. (18) De rest. c. 1. punct. 4. n. 104.

acquirit fiscus ad poenam, quae nonnisi post sententiam debetur; vel quia sic saltem accipitur communiter hoc fisci ius ad poenas.

584. Quaer. 2. An qui impedit alium a consecutione iusti boni ex odio, sed sine vi aut calumnia, teneatur ad restitutionem. Adest duplex sententia.

Prima sententia probabilis affirmat; hanc tenent Scotus [1] Caiet. [2] Salm. [3] cum Bann. Lugo [4]; item Covar. et Maior. apud Less. [5] et alii apud Lugo. Probatur ex illo textu [6]: *Qui avertit torrentem ut sibi non noceat, unde factum sit ut vicino noceatur, cum eo aquae pluviae arcendae agi non posse a vicino; si modo non hoc animo fecit, ut vicino noceat, sed ne sibi noceat.* Probatque ratione, quia animus iniustus, quando coniungitur cum opere externo, efficit ut idem opus quod sine tali animo iniustum non erat, iniustum cum illo reddatur. Idem videtur sentire d. Th. [7] qui ait: *Ad quartum dicendum quod aliquis potest impedire aliquem ne habeat praebendam multipliciter. Uno modo iuste, puta, si intendens utilitatem ecclesiae, procuret ut detur personae digniori, et tunc nullo modo tenetur ad restitutionem. Alio modo iniuste: puta, si intendat eius nocumentum, quem impedit propter odium vel vindictam.* Et tunc dicit quod tenetur ei totum damnum resarcire, si episcopus erat determinatus ad ei dandum beneficium; si vero non erat determinatus tenetur tantum ad aestimationem spei quam ille ad beneficium habebat.

Secunda sententia vero communis (ut fatentur iidem Salm. [8]) et probabilior, negat eum teneri ad ullam restitutionem; eamque tenent Less. [9] Petrocor. [10] Pal. [11] cum Vasq. Gutt. Nav. et Reb. Ronc. [12] cum Ant. a Spir. s. Spor. [13] qui vocat sententiam veram et communem cum Tambur. [14] Viva [15] Laym. [16] Holz. [17] Elb. [18] Bon. [19] Mol. [20] Sanch. [21] Croix [22] cum Turr. Espars. etc. Mazz. [23]. Eamdemque sententiam ut certam tenet Sot. [24] quem male citant pro se Salm. [25] nam Sotus sic expresse ait: *Ad propositum igitur nostrum, qui suo utens iure, praebendam absque vi et fraude sibi vel amico procurat, etiamsi ex odio alterius id faciat, et contra caritatem delinquat, ad nullam tenetur restitutionem.* Ratio quia nemo potest obligari ad restitutionem damni, nisi damnum sit iniustum, et ipse sit efficax causa illius damni et in illud positive influat: ad damnum autem afferendum non sufficit intentio, sed requiritur actio externa quae non solum sit occasio (ut esset in praesenti casu), sed etiam sit vera et efficax causa damni; nam alias si illud eveniat, aliunde evenit et mere fortuito. Unde, si tu huiusmodi nocumentum fortuitum proximo optabis, peccabis quidem, vel tantum contra caritatem vel tantum affective contra iustitiam, non autem effective, cum ille non habeat ius; et ideo opus externum cum pravo animo coniunctum non erit effective, sed tantum affective iniustum, ex quo nulla orietur obligatio restitutionis. Falso enim dicitur is effective pati iniustum damnum, qui privatur re ad quam nullum ius habet. Ad textum autem, ut supra oppositum, respondetur 1. cum Less. Anacl. et Croix, illam esse legem poenalem quae ante sententiam non obligat. Deinde respondetur 2. cum Soto, quod lex illa iuste prohibuit arcere aquam ex intentione nocendi vicino, quando nulla utilitas ex hoc tibi provenit, unde recte ait Sotus quod eo casu tu non habes ius arcendi aquam, et arcendo peccas contra iustitiam ex vi legis id prohibentis. E converso, si id facias ad tuam utilitatem ne aqua tibi noceat, non peccas contra

(1) In 4. dist. 19. (2) 2. 2. q. 62. art. 2. (3) Ibid. n. 103. (4) De iust. d. 18. n. 98. (5) L. 2. c. 12. n. 128. (6) L. 2. §. Idem Labeo, ff. de aqua pluv. arc. (7) 2. 2. q. 62. a. 2. ad 4. (8) Loc. c. n. 102. (9) Loc. c. (10) L. 4. de iust. c. ult. q. 6. (11) Tr. 13. de benef. d. 2. p. 11. §. 5. n. 3. (12) De 7. praec. c. 3. q. 4. (13) Tr. 4. de rest. c. 2. n. 213. (14) L. 8. tr. 3. c. 4. §. 2. n. 4. (15) De rest. q. 2. a. 1. n 5 (16) L. 3. tr. 2. c. 6. n. 1. (17) Tr. 2. de rest c. 5. n. 539. (18) De rest. conf. 4. n. 108 (19) D. 1. q. 2. p. 12. n. 2. (20) T. 3. d. 272. n. 4 (21) Cons. l. 2. c. 1. d. 49. n. 27. (22) L. 3. p. 2. n. 148. (23) T. 2. p. 300. (24) De iust. l. 4. q. 6. a. 3. ad 6. vers. fin. (25) Ibid. n. 103.

legem; quae negat actionem vicino, semper ac tu arces aquam *ne tibi noceat*, etiamsi id facias ut vicino noceas. Nec etiam obstat doctrina s. Th. supra allata, nam explicat Sot. [1] s. doctorem intelligere, impedientem aliquem ab obtinenda praebenda tunc teneri ad restitutionem damni, quando impedit *iniuste*, ut s. doctor exprimit, nempe vi vel fraude. Nec obstat quod ibi dicat: *Puta, si intendat eius nocumentum, quem impedit propter odium vel vindictam*. Nam Angelicus hic supponit iniustitiam, cuius causa sit odium: *Facere enim ex odio*, ait Sotus, *non te onere restitutionis gravat; sed facere iniuste, scilicet nullo tuo iure, sed violando alienum.*

585. Hinc infertur 1. quod si quis ex odio, sed sine vi vel fraude suadeat episcopo, etiam determinato ad conferendum beneficium digniori, ut conferat minus digno, etiamsi probabilius sit quod tam episcopus quam suasor graviter peccent, quamvis beneficium sit simplex, ut dicemus *l.* 4. *n.* 93., suasor tamen non tenetur ad ullam restitutionem; quia non laesit iustitiam commutativam, avertendo collatorem a conferendo beneficio, ad quod alter ius non habebat. Ita Gloss. [2] Soto [3] Sylvius [4] Less. [5] Laym. [6] Ronc. [7] Holzm. [8] Pal.[9] cum Vasq. Gutt. et Reb., Spor. [10] cum Mol. et communi, item Sa Filliuc. Nav. et Dic. apud Salm.[11] (qui hoc probabile vocant [12], licet oppositum alibi probabilius putent [13]). *V. dicenda l.* 4. *n.* 106. *usque ad* 108. Dicendum tamen cum probabiliori sententia, teneri ad restitutionem, cum quis post concursum impediat digniorem a consequendo beneficio, iuxta dicenda *l.* 5 *n.* 109. Infertur 2. propter eamdem rationem non teneri ad restitutionem qui sine vi vel fraude impedit testatorem ne relinquat haereditatem alicui qui ad illam nullum ius habet. Laym.[14] Elb. [15] Tamb. [16] Spor. [17] cum Sanch. Sot. Molina etc.

586. An autem, si quis occidat aliquem, intendens ut homicidium alteri imputetur, teneatur damnum restituere quod ex imputatione ille passus fuerit. Vide *n.* 636.

587. « 3. Si in re praedicta, ex libera voluntate conferenda, aliquis per vim, fraudem vel calumniam collatorem induceret ne ei daret, aut eum a petitione (cum quivis habeat ius petendi) aut consecutione talis rei per vim, fraudem, calumniam vel mendacium impediret (cum etiam quivis ius habeat ne inique impediatur): is teneretur ad compensationem damni arbitrio viri prudentis, iuxta certitudinem vel probabilitatem qua alter tale bonum alioqui assecuturus fuisse existimaretur, dummodo tamen eo sit dignus: nam si indignus est non tenetur ad restitutionem, nisi famae, si eam forte laeserit. Less.[18] Mol.[19] Sa[20]; v. Bon.[21].»

Censent Salm.[22] quod aequiparentur vi preces importunissimae, aut metus reverentialis, maxime si ei addantur verba aspera vel torvus aspectus vel preces [23].

588. Nota hic autem quod graviter peccat religiosus qui suadet testatori ut suo monasterio potius quam ecclesiae matrici bona relinquat, ex *Clem.* 1. *de privil.*, in qua etiam adest excommunicatio. Non tenetur tamen ad restituendum, quia ecclesia nullum habet ius quaesitum: ita Sanch.[24] Lug.[25] et Croix [26] Mol. Imo Sanch. putat religiosum non peccare si bono zelo hoc faciat, nempe pro maiori utilitate testantis, modo non petat pro se vel amicis.

DUBIUM V. Cui vel quibus restituendum.

(1) Eod. l. c. (2) C. 2. de offic. cust. (3) L. 4. q. 6. a. 3. (4) V. Episc. n. 10. qu. 9. (5) L. c. n. 128. (6) N. 2. (7) D. q. 4. (8) N. 340. (9) Tr. 13. de ben. d. 2. p. 11. §. 5. n. 3. (10) Tr. 4. c. 2. n. 213. (11) De rest. c. 1. punct. 4. n. 106. (12) N. 107. (13) Tr de benef. punct. 8. n. 371.

(14) L. c. n. 1. (15) De. rest n. 108. (16) L. c (17) N. 113. (18) L. 2. c. 12. d. 18. (19) T 1 d. 135. (20) V. Restit. n. 221. (21) Loc. c (22) De contr. c. 5. n. 30. (23) De matr. c. 9. n. 37. (24) Cons. l. 2. c. 1. dub. 49. n. 38. (25) Disp. 18. n. 95 (26) L. 3. p. 2. n. 74.

« Resp. Attendendum ad naturam iustitiae, et si quis damnum patitur, quidve ratio et leges ferant communiter. Vide Less. et Laym. *hic c.* 9.

Unde resolves:

589. » 1. Quando bona restituenda, sive debita quaecumque sunt incerta, hoc est, cum cui debeantur ignoras aut adire non potes aut illi restituere; tunc si ea habes sine delicto, ut si inveneris, vel a mercatore v. gr. per errorem acceperis duas ulnas panni pro una, et iam is discessit, nec scias quo abierit, teneris adhibere aliquam diligentiam inquirendi: post quam, si spes non sit sciendi dominum, probabile est quod non tenearis ea dare pauperibus, licet ita plerique cum s. Th. sentiant (Quorum sententiam vocant communem Salm. [1]. Sed vide *n.* 603.) et sit magis pium ac practice suadendum; sed possis tibi retinere, ut docet Petrus Navarr., quem sequitur Lay. *hic* et Less.[2] idque Dian.[3] dicit esse tutum in praxi. (Cum Pal. et Dic. apud Salm.[4] exceptis debitis ob usuram aut simoniam ex textibus allatis in fine huius numeri). Si vero ea habeas ex delicto, ut furto, usura etc. teneris ea restituere pauperibus vel ecclesiae, hospitali etc. quia debet tunc fieri restitutio meliori modo quo potest ut saltem, cum corpori domini non prosit, prosit eius animae, dum in pauperes expenditur. Ita communiter dd.; ut videbis ap. Laym. *hic.*»

Quaeritur 1. quomodo facienda restitutio, si dominus rei est incertus. Distinguendum et videndum an res accepta sit bona vel mala fide. Si *mala fide*, tunc iterum distinguendum est: vel dominus incertus rei est ignotus tantum in particulari, prout si sciretur rem spectare ad aliquem ex tribus vel quatuor hominibus loci, sed ignoretur ad quem peculiariter spectet; tunc nequit restitutio fieri pauperibus, sed res dividenda est inter eos quos inter defraudatus existit; ita Sylv. [5] Less. [6] idemque dicunt Pal. Mol. Cai. P. Nav. etc. Vel autem dominus est ignotus in generali, ita ut nequeat discerni inter loci habitatores, ad quem vel quos res pertineat: et tunc restitutio fieri debet pauperibus, ut habetur in *cap. Cum tu*, *de usuris*, ubi praecipitur usurariis ut restitutionem faciant dominis vel eorum haeredibus vel, his non superstitibus, pauperibus. Sufficit autem quod restitutio fiat pauperibus cuiuscumque loci. Sufficit etiam quod fiat locis piis, ut communiter docent Less.[7] Nav.[8] Salm.[9] Croix [10]. Bonac.[11] cum Azor. Mol. P. Nav. Vasq. Fill. etc. Id tamen locum habet, modo adhibita sit debita diligentia ut proprii domini invenirentur; nam si ante diligentiam adhibitam fieret restitutio pauperibus et deinde domini comparerent, utique damnum ipsis resarciendum esset. Praeterea id locum habet, cum defraudati pauciores sunt, nempe tres vel quatuor, ita ut si restitutio fiat quibuscumque illius loci indiscriminatim, res verosimiliter non sit ventura in manus proprii domini; et ideo restitutio tunc fieri potest pauperibus cuiuscumque loci, ut communiter tenent Sylv.[12] Bon.[13] et idem dicunt Salm.[14] cum Sot. Rebell. et Tap., et quamvis Sylv. [15] dicat congruentius esse ut eo casu restitutio fiat pauperibus illius loci ubi furtum patratum est, addit tamen, id non esse necessarium

(1) De rest. c. 1. punct. 11. §. 3. n. 214.
(2) L. 2. c. 14. dub. 7. n. 48.
(3) P. 2. tr. 3. misc. r. 5.
(4) Ib. n. 213.
(5) T. 3. in 2. 2. q. 62. a. 5.
(6) L. 2. c. 14. n. 32.
(7) L. 2. c. 14. n. 33.
(8) C 17. n. 33.
(9) De rest. c. 1. punct. 11. §. 3. n. 216.
(10) L. 3 p. 2. n. 94.
(11) De rest. d. 1. q. 3. p. 4. n. 5.
(12) Verb. restitutio q. 3.
(13) L. c. n. 10.
(14) Ibid. n. 215.
(15) Loco supra cit

Si autem plures et varii domini incerti alicuius communitatis damno affecti fuerint, tunc omnino restitutio facienda est pauperibus eiusdem communitatis laesae. *Vide dicenda n.* 595.

590. Quaeritur 2. Si res post debitam diligentiam adhibitam ad inveniendum dominum, tradita sit pauperibus et postea dominus compareat, utrum ei restituenda sit. Negant Nav. Sot. Henr. Led. apud Croix[1], item Cai. et Bon. apud Spor.[2]. Quia, cum debita diligentia est praemissa, pauper aut locus pius absolute acquirit dominium rei. Dicitur, *quando debita diligentia est praemissa;* nam alias certum est apud omnes, rem domino comparenti restituendam esse, quoniam nulla ratione tunc potuerit in pauperem dominium transferri, cum eo casu dominus sit rationabiliter invitus. Communius vero Laym.[3] Salm.[4] Pal.[5] Less.[6] Spor.[7] et Croix[8] cum Mol. Dian. etc. dicunt quod si res extat, pauper debet eam restituere domino comparenti, si vero est consummata, tantum id in quo factus est ditior. Ratio, ut ait Pal., quia licet dominium rei in pauperem translatum sit, res tamen adhuc extat tunc in aequivalenti. Sed haec ratio non videtur congrua, nam si rei dominium vere translatum est, nulla deberetur restitutio, sive res extet sive non. Melius igitur distinguendum cum Lugo[9] iuxta ea quae de inventore rei perditae fusius dicemus inf. *n.* 603. cum eodem Lugo Holz. et Croix[10] (qui[11] sibi non cohaeret): quando, spectatis omnibus circumstantiis, non est amplius possibile quod dominus inveniatur, tunc pauper acquirit rei absolutum dominium, sine ullo onere restitutionis. Quando vero adhuc, post diligentiam adest aliqua spes inveniendi dominum rei, tunc pauper non acquirit eius dominium et proinde debet eam domino servare ipsique restituere si compareat; additque Lugo[12] ex ipsa manifestatione domini tunc communiter argui quod non adfuerint debitae circumstantiae ad transferendum irrevocabiliter dominium in pauperem. Sed vide omnino dicenda *n.* 603. Recte tamen excipiunt Spor.[13] et Wigandt[14] nisi pauper aut locus pius bona fide rem iam praescripserit, quia virtute praescriptionis tunc dominium irrevocabile vere acquirit.

591. Notandum quod super his debitis incertis bene potest fieri compositio per bullam Cruciatae, quae refertur apud Tamb.[15] pro regnis Hispaniarum, Sardiniae et Siciliae et pro omnibus aliis particularibus, quibus bulla communicatur. Potest etiam haec compositio fieri per s. poenitentiariam: sed si ab ipsa obtineatur, constituit Bened. XIV.[16] ut restitutio fiat, cum poterit commode fieri, iis in locis ubi furtum factum est. An autem valeat huiusmodi compositio facta sine sufficienti causa. Affirmant Cord. Turr. Alens. apud Lugo[17]. Sed negant Covar. Sotus Nav. Mol. et alii communiter[18]. Verius tamen distinguendum cum Lugo et dicendum eam valere si restitutio sit facienda ex sola lege ecclesiastica, puta ex fructibus ecclesiasticis male perceptis; secus si restitutio aliunde sit debita. Ratio primi, quia pontifex in lege propria valide dispensat; ratio secundi, quia bonorum aliunde debitorum pontifex non est absolutus dominus. An autem id possit pontifex pro bono spirituali communi. Vide Lugo[19] et vide *q. n. seq.*

592. Quaeritur autem an, compositione facta, debitor ad aliquid teneatur, si postea dominus certus compareat. Dicunt alii, eum teneri restituere id in quo factus est ditior. Ita Villal. Rodr. apud Tamb.[20] et Cai. Sot. etc. apud Renzi[21]. Ratio quia non praesumitur pontifex dominum rebus suis expoliare voluisse. Alii vero dicunt eum ad nihil teneri, ut Salm.[22] cum Trull.

(1) L. 3. p. 2. n. 95. (2) De rest. c. 3. n. 104. (3) L. 3. tr. 1. c. 5. n. 24. (4) Tr. 12. c. 2. punct. 9. §. 3. n. 86. (5) De iust. d. un. p. 19. n. 7. (6) L. 2. c. 14. n. 45. (7) L. c. n. 113. (8) L. c. (9) De iust. d. 21. n. 102. (10) Loc. c. n. 89.

(11) N. 95. cit. (12) Ibid. (13) D. n. 113. (14) Tr. 8. ex 3. n. 50. (15) Tract. de bulla Cruciatae, c. 18. (16) Bulla Pastor Bonus. (17) D. 21. n. 95. (18) Ibid. (19) N. 98. (20) L. c. §. 5. n. 9. (21) 7. praec. c. 3. q. 26. (22) De rest. c. 1. punct. 11. §. 3. n. 217.

Dic. Tap. etc. et idem tenent Lugo[1] et Tamb.[2] semper ac praemissa sit debita diligentia. Ratio, quia pontifex, ut administrator bonorum temporalium, quatenus spectat ad bonum spirituale, tunc transfert dominium per compositionem propter bonum publicum.

Notat autem Viva[3] cum Vill. Diana et Mendo, idemque dicunt Trull. et Henriq. apud Croix[4] cum Busemb. infra *dub.* 7. *art.* 3. *n.* 2. huiusmodi compositionem posse fieri etiam ab episcopo, cum hoc nullo iure sit reservatum papae et videatur esse iuxta voluntatem creditorum pro bono animarum suarum. Sed contradicunt verius Lugo[5] ac Mol. cum Rodr. Turr. Cord. etc. apud Croix[6]. Ratio quia id non potest efficere episcopus, nec ratione administrationis talium bonorum incertorum, cum ea pertineat ad solos reges vel ad pontificem; nec ratione supremae potestatis mutandi voluntates dominorum, cum haec pertineat ad solam sedem apostolicam, ex iure can.[7] ubi dicitur: *Quia contingit, cum ea quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salva sedis apostolicae auctoritate), converti.* Sed quoad ultimas voluntates, vide infra *n.* 931.

593. Compositio haec solet etiam concedi pro fructibus ecclesiasticis male perceptis. Croix[8]. Dicunt etiam Esc.[9] Tamb.[10] item Vasq. Lop. et alii apud Dian.[11] compositionem fieri posse etiam pro furtis minutis, commissis ab iis qui vendunt civibus vinum, oleum etc. Sed tenendum oppositum cum Croix[12] Diana[13] quia talis restitutio omnino facienda est iisdem civibus defraudatis. Vide mox dicenda *n.* 595.

594. An vero, si creditor sit notus, sed tam longe absit, ut res pauperibus dispensari possit, fieri tunc valeat compositio. Affirmant Turr. Covarr. Rodr. et putat probabile Lugo[14]. Sed videtur probabilius oppositum cum Sot. et Henriq. ap. Croix[15]: quia compositio conceditur tantum quando creditor est incertus. An autem haeres qui compositionem obtinuit teneatur summam relaxatam tribuere aliis creditoribus certis sui testatoris. Affirmat Mol.; sed negat Lugo[16] et assentit Croix[17], si concessio facta est illi, non ut haeredi sed ut tali personae. Secus vero si facta sit ei ex vi potestatis quam testator habuit.

595. « 2. Qui multis minutis furtis, v. gr. olei, panis, vini etc. damnum intulit multis civibus; eum teneri restituere, non pauperibus, sed ipsis civibus (minoris deinceps vendendo aut maiore mensura donec veniatur ad aequalitatem) dicit Mol. At Vasq. et Escob. dicunt esse probabile quod possit dare pauperibus, praesertim civitatis eiusdem. »

Alii igitur dicunt, ut Escobar.[18] Anac.[19] item s. Th.[20] Vasq. Lop. et alii apud Diana[21] quod pro huiusmodi furtulis commissis a venditoribus publicis restitutio potest fieri pauperibus; cum regula sit generalis, debita incerta pauperibus esse restituenda, ut in simili casu de usurario qui pluribus incertis defraudavit, sancitum est in c. *Cum tu, de usur.* Advertunt tamen restitutionem faciendam esse pauperibus eiusdem loci, quia cum communitas illius loci sit laesa illi damnum resarciendum est; nisi (excipit Bon.[22]) damnum sit illatum aliquibus paucis personis incertis, quia tunc ait restitutionem posse fieri pauperibus alterius loci: et hanc sententiam Diana[23] non audet dicere improbabilem propter auctoritatem d. Thom. Alii vero, quorum sententiam tamquam communissimam suadendam puto, dicunt talem restitutionem omnino, quoad fieri potest, faciendam esse civibus eiusdem loci, ubi fraus commissa est. Ratio quia, cum existant damnum passi et aliquo modo cogniti, iis quantum fieri potest da-

(1) D 21. n. 98. (2) L. c. (3) L. c. n. 3. (4) Loc. c. n. 413. (5) N. 107. (6) Loc. c. (7) Clem. Quia contingit, de rel. dom. (8) N. 416. (9) L. 37. c. 12. n. 7. (10) Dec. l. 8. tr. 3. c. 1. § 3. n. 19. (11) P. 4. tr. 4. res. 46. (12) L. 3. p. 2. n. 417. (13) L. c. (14) N. 139. (15) N. 418. (16) D. 20. n. 12. (17) N. 419. (18) L. 3. c. 12. n. 71. (19) De 7. praec. d. 5. n. 20. (20) In 4. sent. d. 15. q. 1. a. 5. (21) P. 4. tr. 4. r. 46. (22) De rest. d. 1. q. 3. p. 4. n. 10. (23) L. c.

mnum compensari debet. Ita Laym.[1] Concina[2] Spor.[3] cum communi, ut asserit Croix[4] Dian.[5] Tamb.[6] Salm.[7] cum Dic. Reb. et Tap. Verumtamen censeo, iuxta dicta *n.* 534. quod huiusmodi venditores non teneantur sub gravi restituere civibus; satisfaciunt enim suae gravi obligationi si pauperibus restituant. Quapropter excusantur etiam a veniali si restituant pauperibus, accedente aliqua rationabili causa, puta, si non possint restituere civibus sine aliquo notabili incommodo, vel si urgeat necessitas aliquorum pauperum valde indigentium, quibus praesumantur cives illi non esse inviti restitutionem fieri. Et sic invenio sensisse etiam Cont. Tourn.[8], qui loquens signanter de tabernario qui communitatem defraudavit, ita ait: *Deinde, ut quod vere furatus es, si singulis restituere nequeas vel quia ignorantur vel quia difficilior est executio quam res tantilla postulet, vel quia periculum est infamiae, hoc sive per parochum qui suorum indigentiam novit, sive aliter in pauperes loci quem laesisti diffundi cures vel in alia opera eidem loco utilia insumas.*

596. « 3. Quando bona sunt certa ordinarie restitui debent possessori iusto a quo accepta sunt vel cui damnum illatum; etsi is non sit immediatus dominus. Unde quod acceptum est a depositario, commodatario, conductore, custode, administratore, debet non domino, sed ipsis restitui, quia alioqui ipsis fieret iniuria, si iure possessionis, detentionis, custodiae, aut utilitatis spoliarentur; et damnum atque lucrum cessans compensari deberent.

» 4. Excipitur tamen hinc 1. Si horum nihil interesset ut si sine illorum damno, infamia, domino restituatur. 2. Si probabiliter ipsi putarentur rem absumpturi vel ablaturi cum iniuria domini; quo modo bona ecclesiae, non praelato dissipatori, sed potius capitulo restituenda sunt. Item accepta a filiofamilias, pupillo, furioso, uxore, religioso; si sint ex iis bonis quorum administratio ipsis non competit, plerumque restituenda sunt patri, tutori, marito, praelato. Sic etiam si bona alicuius publicata et fisco addicta sint: tunc enim depositum et similia debita fisco debent reddi.

» 5. Cum quis, ignorato domino, cui restituendum erat, non praemissa aliqua diligentia, pauperibus distribuit, non satisfecit domino postea comparenti: secus si diligentia sit praemissa. Vide Less.[9].

597. » 6. Cum dominus quidem scitur, sed ei mitti non potest sine sumptu, tunc si res male accepta est tenetur restituens aliquas expensas ex se facere; si autem bene accepit, non nisi expensis domini restituendum est. Quando nullo modo potest mitti expectandum est ad tempus. At si adhuc non sit spes, reputatur debitum incertum. Tol.[10]. »

598. Quaeritur an fur teneatur restituere rem ablatam cum qualicumque suo damno.

Prima sententia affirmat cum Cai.[11] ac Vasq. Navarr. Cov. Arm. etc. apud Lugo[12]. Ratio quia dominus debet servari indemnis, etiam cum furis detrimento, quod suae malitiae imputandum est.

Secunda sententia vero communissima et probabilior negat; hanc tenent Bus. (v. *n.* 677.) Bon.[13] Less.[14] Mol.[15] Holz.[16] Fill.[17] Salmant.[18] cum Pal. item Lugo[19] cum Scoto Gabr. Ang. Salon. Arag. etc. cum communi, ut asserit Croix[20]. Ratio quia iustitia cum sit virtus, et prudenter praecipiat ut aequalitas servetur, non potest obligare ad restituendum quocumque gravissimo damno debitoris; quod esset contra caritatem, et alias dominus esset irrationabiliter invitus. Si autem res in in-

(1) L. 3. tr. 2. c. 9. n. 2. (2) T. 7. d. 2. c. 13. n. 10
(3) De rest. c. 3. n. 117. (4) L. 3. p. 2. n. 417.
(5) Loc. c. (6) L. 8. tr. 4. c. 1. §. 5. n. 19.
(7) De rest. c. 1. punct. 11. §. 3. n. 215.
(8) De iust. et iur. p. 3. c. 3. a. 4. s. 2. q. 4.
(9) L. 2. c. 14. dub. 3. (10) L. 5. c. 24.

(11) 2. 2. q. 62. a. 5. (12) De iust. d. 20. n. 184.
(13) De rest. d. 1. q. 5. p. 1. n. 5. (14) L. 2. c. 15. dub. 8. n. 50. (15) T. 3. d. 732. n. 5.
(16) N. 493. (17) Tr. 32. c. 4. q. 8. n. 111.
(18) De rest. c. 1. punct. 10. n. 195.
(19) Loc. c. n. 185. (20) L. 3. p. 2. n. 368

dividuo non posset ad dominum mitti, nisi cum tanto damno, fur potest et debet eam vendere et pretium domino transmittere, ut dicunt Lugo[1] et Croix[2]. Casu vero quo creditor simile damnum vel paullo minus sit passurus, tenetur omnino debitor ei satisfacere, ut communiter aiunt Less.[3] Tamb.[4] cum Nav. Val. Cai. etc. ac Lugo[5], qui dicit in hoc attendendum non solum damnum emergens creditoris, sed etiam lucrum cessans. Bene tamen advertunt ipse Lugo[6] et Croix[7] cum Ills. et Haun. quod damnum creditoris et debitoris pensandum est comparative ad subiectum; fieri enim potest ut damnum decem nummorum respectu debitoris inopis sit longe maius quam damnum centum respectu creditoris opulenti; et sic vice versa.

Sed, ceteris paribus, difficultas est, quaenam mensura damni assignanda sit ut debitor excusetur a restitutione facienda creditori. Et in hoc distinguendum: si sit spes ut res vel pretium alio tempore restituatur domino vel eius haeredibus sine magno damno debitoris, tunc probabiliter dicunt Bonac.[8] Lug.[9] Less.[10], restitutionem posse differri. Si vero desit talis spes ita ut dominus esset re privandus; et tunc adhuc probabiliter dicunt Less.[11] et Dicast. apud Croix[12] (qui id non reprobat cum Lugo[13]), quod si res parvi sit momenti et damnum furis esset duplo maius, tunc posset restitutio applicari pauperibus vel operibus piis; quia in hoc praesumitur dominus assentiri. Si tamen esset res magni momenti, Sylvester et Petsch. apud Croix[14] et Bus. cum Bonac. infra *n.* 677. excusant furem a restituendo domino immediate, casu quo expensae faciendae essent aequivalentes rei valori. Sed hoc communiter non admittunt Tamburin.[15] Sporer[16] et Croix[17] cum Lugo Vasquez et Illsung. Excusant autem Scotus Gabriel et Rich. apud Croix[18], si sumptus essent maiores debito. Huius sententiae est etiam Glossa in *c. Cum tu de usur.*, ubi dicitur fur non teneri rem mittere domino, si expensae deportationis excedant ipsius rei valorem. Probabilius vero Spor. Tamb. et Mol.[19] excusant solo casu quo sumptus essent longe maiores; imo Lugo[20] obligat furem, etiamsi passurus sit damnum duplo maius. Quando autem damnum esset omnino excessivum, sufficit restituere pauperibus, ut communiter dicunt cum secunda sententia ut supra relata, ipse Lugo Spor.[21] et Bon. cum Sayr. et Vill. apud Salm.

599. « 7. Cum quis accepit rem alienam a possessore bonae fidei, putante rem esse suam, cum non sit, tum, si quidem intervenerit aliquod iustum pactum, ut depositi, commodati, pignoris etc. illi restituendum est, non domino, qui tamen ex caritate monendus erit, si id ei profuturum putetur, sine alterius graviore incommodo, infamia etc. Vasq. Azor.[22]. Si autem aliter accepta sit, tunc vero suo domino restitui debet, si eum noveris et sine incommodo fieri possit.

600. » 8. Quando a fure vel aliquo venditore quis emit, sive mala sive bona fide rem furtivam, tenetur restituere domino, non furi. Ita communiter Mol. Regin.[23]. Tol. tamen[24] Sylv. Ant. Mald.[25] probabiliter sentiunt, posse reddi furi, ut ab eo pretium suum recuperet, quia non constituit rem peiore loco quam ante fuerat; et consequenter ipse non infert domino damnum (*Vide dicta n.* 569. *et* 570.). Quod Navarr. et Trull.[26] admittunt cum hac limitatione; si mox et non post longum tempus contractum rescindat, vel si certo sciat furem redditurum rem domino, vel si dominus rei sit mortuus aut absit, ita ut conveniri non possit. Quod si autem pretium suum recuperare non possit a venditore, tenetur reddere domino et sibi damnum adscribere. Quod si por-

(1) N. 189. (2) N. 370. (3) C. 16. n. 23.
(4) L. 8. tr. 4. c. 1. §. 8. n. 4. (5) N. 186.
(6) N. 188. (7) N. 373. (8) Loc. c. (9) N. 191.
(10) C. 15. n. 50. (11) Loc. c. (12) N. 365.
(13) N. 184. (14) Loc. c. (15) L. c. n. 6.
(16) Tr. 4. c. 3. n. 162. (17) N. 368. (18) N. 365.
(19) Loc. c. (20) N. 190. (21) Loc. c.
(22) P. 3. l. 4. q. 2. (23) T. 1. l. 10. c. 5. n. 40.
(24) L. 5. c. 17. (25) In 2. 2. tit. 4. c. 3. dub. 2.
(26) L. 7. c. 11. d. 4.

ro sciens rem esse furtivam, emat eo fine, ut invento vero domino restituat, tunc si emit parvo pretio tenebitur id ei dominus refundere, cum utiliter eius negotium gesserit: secus autem si pretium esset fere aequale rei: tunc enim sufficit refundere ad arbitrium viri prudentis tantum quantum videtur meritus, rem domini utiliter redimendo. Less. [1] Dian. [2].

601. » Si bona fide rem alienam, v. gr. equum emeris ab altero, v. gr. Petro, et vendideris tertio, v. gr. Paulo, et postea cognoscatur esse Ioannis, eoque repetente a Paulo, Paulus repetat pretium a te, existimat quidem probabile Nav. et Dian. [3] non teneri te Paulo id reddere (si in nullo factus sis ditior); sed sufficere si tuam actionem quam habes in Petrum, ei cedas. Verum Sot. Salon. Less. Sayr. Bonac. [4] rectius docent, teneri te, exigente Paulo, contractum rescindere et pretium restituere: tum quia vendidisti rem vitiosam, tum quia teneris de evictione emptori, nec eum potes remittere ad illum quocum nihil habet negotii. Quod si tamen Paulus, cum possit, tibi non restituat equum, sed Ioanni, et hoc ipse impediat quominus pretium tuum possis recuperare, nec tu teneris ei pretium ab ipso acceptum restituere. Bonac. Less. etc. V. Trull. [5]. »

Si igitur ab emptore dominus rem evincat, omnino sequenda est sententia Busemb. quam praeter dd. a se citatos, docet etiam Less. [6] et Salm. [7] nempe, teneri venditorem pretium emptori restituere, saltem in quo factus est ditior, prout dicunt iidem Salm. [8] *Vide dicenda infra n.* 800. Si vero res non evincatur, nulli tenetur venditor restitutionem facere, ut aiunt Salm.[9]. Nec tenetur (ut dicit Less. [10]) monere dominum aut indicare emptori quod res illa sit aliena, si post venditionem bona fide factam id venditor resciscat, et non possit amplius pretium quo ipse rem emit recuperare; quia, cum rem illam amplius non habeat, nec sit causa quod dominus re illa privetur, non tenetur cum magno suo damno curare ut dominus rem suam redipiscatur.

602. « Quaeres, cui restituendi sive dandi sint thesauri et alia inventa quae habentur pro derelictis. Resp. Quando nullius domini sunt, iure naturali et gentium fiunt primi occupantis. Potest tamen per consuetudinem et leges aliter quid ordinari, quod servandum est. De quo vide Less. [11] Lay. [12]. »

Circa thesauros iura disponunt : 1. Ut thesaurus si inveniatur in loco proprio sit inventoris. 2. Si in loco alieno, sed inveniatur casu, dimidium sit inventoris et dimidium domini loci; et ad hoc dimidium praestandum domino inventor tenetur in conscientia etiam ante sententiam iudicis; ratio quia ius positivum potuit hoc disponere, non obstante iure naturae, ob bonum commune. Ita Salm. [13] cum Lugo Less. Palao etc. licet de hoc dubitare videantur aliqui apud Tamb. [14]. Si vero thesaurus inveniatur in loco alieno, non casu, sed ex industria, inscio domino: tunc statuit *L. unic. de thes.* ut totus reddatur domino loci. Sed quia lex haec est poenalis, non obligat nisi post sententiam, ut dicunt Salm.[15] cum Lay. Less. et aliis citatis. Pars autem quae pertinet ad dominum loci, si locus habeat dominium utile et dominium directum, inter ipsos dividenda est, nihil vero debetur usufructuario. Salm. cum Lugo Palm. et Reb.[16]. 3. Si thesaurus inveniatur in loco publico aut sacro dividendus est inter inventorem et fiscum aut praelatum. Viva [17]. 4. Si autem inveniatur per artem magicam, applicandus est fisco totus: quam legem pariter ut poenalem non obligare nisi post sententiam dicunt Salm.[18] cum Lugo Less. etc. Et adhuc post sententiam dominum fundi innocentem non privari sua parte in tali casu, censent Salm.[19]. Sed a-

(1) L. cit. c. 14. dub. 3. (2) P. 2. t. 3. r. 5. (3) P. 1. t. 8. r. 68. (4) De rest. q. 4. p. 2. (5) C. 11. d. 31. (6) L. c. c. 14. n. 26. (7) De rest. c. 1. punct. 3. §. 6. n. 88. (8) Tr. 14. c. 2. punct. 3. n. 31. (9) Cit. c. 1. n. 88.

(10) C. 14. n. 30. (11) L. 2. c. 5. d. 10. (12) L. 3. t. 1. c. 5. (13) Tr. 12. de iust. et iur. c. 2. punct. 8. §. 3. n. 93. (14) In dec. (15) Cit. n. 95. (16) D. l. n. 97. (17) De rest. q. 2. a. 2. n. 5 (18) Ibid. n. 91. (19) Cit. n. 91. in fin.

liter disponunt iura regni nostri circa thesauros inventos. Si enim inveniuntur in loco publico et arte non propria tunc toti applicantur fisco: si vero inveniantur in loco privato et casu, tunc tertia pars spectat ad fiscum, tertia ad inventorem, et tertia ad dominum fundi. Sed vide alia apud Salm. [1].

603. Quaer. an inventor rei perditae, domino non invento, possit illam sibi retinere. Adsunt tres sententiae.

Prima sententia affirmat, modo inventor omnem debitam diligentiam adhibuerit ad dominum inveniendum. Hanc tenent Sot. [2] Nav. [3] Diana [4] Sa [5], item Merc. Led. Esc. etc. ap. Croix [6]. Et probabilem vocant Less. [7] Lugo [8] Holz. [9] Salm. [10] Croix [11] cum Vasq. Mald. Med. Salas Henr. Rodriq. etc. ac valde probabilem vocat Laym. [12]. Ratio quia, domino non invento, post omnem (ut dictum est) diligentiam adhibitam, res censetur domino carere et ideo fit primi occupantis.

Secunda sententia multo communior censet inventorem rei non posse illam sibi applicare, sed debere eam elargiri in usus pios. Hanc ut probabiliorem tenent Pal. [13] Less. [14] Cai. [15] Lay. [16] Salm. [17] cum Tap. et Reb. Ratio quia praesumitur voluntas domini esse ut, si ipse rem perditam habere non possit, saltem illa pro anima sua erogetur.

Tertia sententia, verior et sequenda quam tuentur Lugo [18] Holz. [19] et Croix [20] distinguit et dicit: Quando adhuc post diligentiam possibile est dominum invenire, tunc res vel pretium servari debet; quod si utrumque servari nequeat, res vel pretium omnino est erogandum in usus pios, iuxta praesumptam voluntatem domini, qui adhuc illius rei dominium retinet semper ac res potest in manus eius redire. Et e converso quando res, spectatis circumstantiis longitudinis temporis vel distantiae loci, vel eo quod res non possit amplius a domino pro sua recognosci, ut accidit in nummis ordinariis, non videtur possibile ut ad dominum redeat; tunc illa fit nullius, et ideo acquiritur a primo occupante qui illam non tenetur dare iuxta voluntatem prioris domini, cum ille impossibilitate eam recuperandi ius dominii prorsus amiserit. Et hanc sententiam expresse tenet s. Th. [21] qui ait: *Et similiter si* (res) *pro derelictis habeantur, et hoc credit inventor, licet sibi eas retineat non committit furtum.* Ratio a priori est quia ius gentium tribuit privatis dominium rerum non ad aliud, quam ut illis utantur; hinc quando est impossibile rem pervenire ad ipsorum usum, illa, tamquam derelicta evadit nullius, et redit ad primaevum ius naturae, ac ideo fit primi occupantis sine ulla obligatione.

604. « Quaeres 2. an et cui restituenda quae capiuntur venatione iuste prohibita.

» Resp. Id aestimandum partim ex iure naturae, partim ex consuetudine et legibus ac iuribus particularibus; ut videre potes ap. Lay. [22] Less. [23] et Sa [24].

Ex quibus resolvitur hic casus:

» Venator iniquus tenetur restituere saltem damna quae segetibus fructibusque infert. »

Quoad *venationem* quaeritur 1. si fera aut avis ab uno sit vulnerata, ab alio capta, ad quem pertineat. Pertinet ad capientem [25], quia multoties fera vulnerata non capitur. Ex qua ratione Mol. et Less. inferunt eam pertinere ad vulnerantem, si constet feram manus vulnerantis effugere non posse: si vero sit dubium dividenda est. Ita Laym. [26].

Quaer. 2. ad quem pertineat avis cui unus laqueum tetendit et quam alius capit. Probabilius Lay. [27] cum Mol. Sa contra Nav. et Cov. dicit pertinere ad

(1) L. c. (2) L. 5. de iust. qu. 3. a 3. ad 2. (3) L. 4. de rest. c. 2. n. 75. (4) P. 2. tr. 17. resol. 5. (5) V. Thesaurus n. 4. (6) L. 3. n. 89. (7) L. 2. c. 14. n. 48. (8) De iust. d. 6. sect. 12. n. 159. (9) P. 4. de iust. n. 59. (10) Tr. 12. c. 2. punct. 9. §. 2. n. 84. (11) L. c. (12) L. 3. tr. 1. c. 5. n. 24. (13) D. un. p. 10. n. 4. (14) Loc. c. (15) Summ. v. Furtum. (16) Loc. c. (17) Ibid. n. 85. (18) Dict. d. 6. n. 104. et fusius n. 140. (19) De iust n. 51. et 54. (20) L. 3. p. 2. n. 89. (21) 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2. (22) L. c. l. 3. t. 1. c. 5. n. 14. (23) C. 8. d. 9. (24) V. Venatio. (25) Ex l. Naturalem, §. illud. ff. de acq. rer. dominio. (26) De iust. et iur. c. 5. n. 12. (27) D. l.

laqueum tendentem qui certe avem capturus esset.

Nota quod legem prohibentem venationes tantum reges ferre possint, et alii quibus rex tamquam privilegium tale ius concesserit. Laym. [1].

605. Quaer. 3. utrum venatores in locis a rege reservatis venando peccent mortaliter et teneantur ad restitutionem. Affirmant Laym. [2] et Less. [3] et dicunt eos teneri restituere regi non feras captas, sed valorem ipsarum iuxta spem, quam rex habebat capiendi. Diana tamen cum Dic. et aliis ap. Bus. *n.* 614. *v.* 5. Spor. [4] cum Sot. Molin. etc. excusant venatorem a restitutione et a peccato gravi, si loca non sint conclusa. Quod etiam admittit Less. [5] si damnum non fuerit notabile, cum ferae non sint magni pretii vel non sint multae, tunc enim dicit prohibitionem accipi, ex communi iudicio, factam tantum sub veniali. Imo addit cum Molina quod semper excusari possint venatores a restitutione, quando poena iniuncta est, quia illam tantum videntur tunc principes intendere.

606. Quaer. 4. utrum venatio ecclesiasticis prohibita sit. Textus habetur [6]: *Episcopum, presbyterum aut diaconum, canes aut accipitres aut huiusmodi ad venandum habere non licet; quod si quis talium personarum in hac voluptate saepius detentus fuerit, si episcopus est, tribus mensibus a communione: si presbyter, duobus: si diaconus, ab omni officio suspendatur.* In quo notandum 1. quod hanc prohibitionem communiter intelligant dd. de venatione clamorosa cum strepitu, ut Salm.[7] et Laym. [8] cum Abb. et aliis canonistis. Tridentinum tamen [9] generalius loquitur: *Ab illicitisque venationibus, aucupiis, etc. abstineat.*

Notandum 2. quod etiam venatio clamorosa non est vetita sub gravi, nisi sit frequens [10] et insuper sit cum scandalo vel magnis expensis. Ita Less. et Vasq. ap. Lugo [11] et Pal. Reb. ap. Salm.[12] Idem tenent Spor.[13] et Mol. ap. Lugo [14] et Cai. Ab. ac Sa ap. Laym.[15] qui dicunt ex sola causa venationis, nisi aliud adiunctum sit, non esse de facili clericum damnandum peccati mortalis. Ratio, ut aiunt, quia talis venatio de se non est gravis deordinatio, idque arguitur ex ipso canone supra citato ubi imponitur poena suspensionis ferenda et ad tempus; talemque suspensionem testantur hodie non esse in usu. Imo sentit Laym.[16] cum Less. Sa Val. etc. quod fieri possit ut talis venatio omni culpa vacet, si sit rara et moderata; vel si sit causa necessitatis vel exercitii. Proinde doctus neotericus auctor libri, cui titulus: *Istr. per li nov. conf.* ait, venationem non clamorosam ad honestam recreationem omnino esse licitam; clamorosam vero, iuxta communiorem sententiam, ratione canonum non esse de se peccatum mortale, nisi adsit contemptus aut contumacia.

Strictius autem venatio clamorosa vetatur religiosis [17]. Sed iis, praeciso scandalo, dicit Pal. nec etiam esse peccatum grave. Et hoc admittunt Salm.[18] si bis vel ter contingat et sine magno strepitu fiat.

Dubium VI. De rebus quae debent restitui.

Art. I. Quid debeat restitui ab inferente iniuriam materialem tantum sive a possessore bonae fidei.

607. « Resp. qui bona fide damnum intulit, aut possidet aliquid de quo postea melius cognoscit, tenetur, ne incipiat esse possessor malae fidei et detinere alienum, id tantum et non plus restituere, quod ex ea re ipsi superest una cum eius fructibus, si extent, vel

(1) Eod. loc. (2) N. 14. (3) C. 5. n. 44. (4) Tr. 6. n. 159. (5) Dict. n. 44. (6) Ex c. 1. de clerico venat. (7) De iust. et iur. c. 2. punct. 6. §. 2. n. 64. (8) D. l. n. 15. (9) Sess. 24. c. 12.

(10) Ex textu cit. (11) De iust. d. 6. sect. 6. n. 51. (12) L. c. (13) De 7. praec. c. 1. n. 15. (14) Ib. (15) L. c. n. 15. (16) L. c. (17) Clem. 1. §. Porro de stat. monach. (18) D. n. 64.

quatenus inde factus est ditior; praeterquam, si dominium sibi comparaverit per legitimam praescriptionem. Ita communiter doctores Mol. Sanch. Less. [1] Bon. [2] Laym. [3].

Unde resolves:

» 1. Si vestem v. g. bona fide donatam a fure aut alio portaveris et fere attriveris, ac postea dominus compareat, teneris eam aut aequalem ei restituere, et insuper persolvere quantum attrita est, si alias vestem aequalis valoris attrivisses; si autem eam amiseris aut ablata tibi sit etc. ad nihil teneris, Bonac. [4] Laym. [5] Vide Trull. [6] Si autem res quam a fure bona fide accepisti (sive donatione sive emptione) sit usu consumptibilis, eamque cum tuis miscueris ita ut discerni nequeat; etsi deinde deprehendas furtivam fuisse, non teneris restituere. Nav. Sylv. Sayr. Less. Bon. [7], quia per istam commixtionem bona fide factam est in re translatum dominium [8]. Neque est ratio, cur haec potius quam illa pars censeatur aliena: atque adeo perit obligatio realis, et tantum manet personalis in venditore. Vide Dianam [9] Trull. [10] Less. [11] qui addit esse valde probabile iurique naturae conforme, quod verus dominus rei illius ablatae et permixtae (quamdiu totus cumulus extat) retineat ius in re, ut ex illo cumulo sibi satisfiat ante alios, imo possit ex eo occulte accipere. »

Hoc intelligendum est, quod in tali casu semper teneris reddere domino id in quo factus es ditior, etiamsi latro potens sit ad restituendum; quia nemo lucrari potest cum iactura alterius. Vide Tamb. [12] Bon. [13] qui hoc pro certo supponunt. Sed quoad mixtionem *vide n.* 498 *et* 499.

608. Dicunt Bann. Led. et alii apud Salm. [14] quod accipiens rem consumptibilem, v. g. pecuniam bona fide a fure, non tenetur illam, etiamsi extet, domino reddere, si fur potens sit ad restituendum: quia pecunia (*etiam propria*) furis est obnoxia iam restitutioni pariter ac illa furtiva, cum dominus non habeat ius ad illam (*suam*) specie pecuniam petendam a fure. Sed haec opinio non videtur mihi probabilis, cum ratio non probetur; nam dominus nunquam censetur amittere ius in pecuniam suam in specie, cum nulla sit maior ratio in aliis quam in rebus usu consumptibilibus.

609. « 2. Milites bona fide militantes, intellecta postea belli iniustitia, id tantum restituere debent quod adhuc habent ex praeda et quo facti sunt ditiores. Bon. [15].

» 3. Qui bona fide per inculpatam ignorantiam celebravit contractum quem postea usurarium esse cognoscit, non ad plus tenetur quam quo factus est ditior. Vide Laym. [16].

» 4. Possessorem bonae fidei, si adhibita diligentia inclinet in eam partem quod res non sit sua, teneri aliquid restituere iuxta inclinationem, docet Con. [17]. At Pal. [18] putat eum ad nihil teneri, quia possessor, contrariis rationibus non convincentibus, praeponderat. Idem docent Vasq. ap. Escob. [19] Dian. [20]. Si neglexerit investigare veritatem et deinde sciri non possit, dicit Pal. [21] ad nihil eum teneri (*Vide dicta lib.* 1. *n.* 37.).

» 5. Si bona fide rem vendideris dono tibi datam, teneris restituere pretium quia factus es locupletior, et satis debet esse tibi, non habere te minus quam ante. Quod si tamen apud alterum res sit, is reddere tenetur. Vasq. [22] Molin. Less. [23].

» 6. Si bona fide rem ipse emeris et vendideris sine lucro, nihil teneris restituere, sed solus is apud quem res est. Mol. [24] Less. [25] contra Vasq. etc.

» 7. Si rem alienam bona fide donaveris, non donaturus aliam, si hanc

(1) L. 2. c. 6. (2) D. 1. q. 1. p. 1. (3) L. 3. t. 2. c. 2. (4) L. c. (5) N. 1. (6) L. 7. c. 11. dub. 1. (7) D. 1. q. 3. p. 1. (8) Ex l. Si alieni nummi ff. de solut. (9) P. 4. tr. 4. r. 66. (10) L. 7. c. 11. d. 3. (11) L. 2. c. 20. d. 18. (12) De rest. c. 3. §. 4. (13) D. loco n. 5.

(14) De restit. c. 1. punct. 3. §. 1. n. 45. in fine. (15) Loc. c. (16) L. 3. tr. 2. c. 3. (17) D. 3. d. 10. n. 39. (18) T. 1. d. 2. p. 2. n. ult. (19) T. 2. c. 3. n. 154. (20) P. 4. t. 3. r. 24. et 26 (21) L. c. (22) C. 9. §. 2. (23) L. 2. c. 14. d. 3. (24) Loc. cit. (25) L. 2. c. 14. d. 1.

non habuisses, ad nihil teneris; quia non es factus ditior; secus si aliam donaturus fuisses (quia tunc, parcendo tuae, factus es ditior); vel si aliquid acceperis in remunerationem. Bonac. Trull. [1].

» 8. Si aliena re lucratus sis, tamquam instrumento, v. gr. frumentum alienum alio deportatum vendideris: vel pecuniam alienam negotiationi exposueris, non teneris illud lucrum restituere: quia non est fructus rei alienae, sed tuae merae industriae: tales enim fructus dicuntur merae industriae, quos ipsa natura ex se nullo modo gignit, sed tantum concurrit ut instrumentum operantis. Laym. [2] ex s. Thom. etc.

610. » 9. Fructus omnes rei, sive ii sint mere naturales, hoc est qui vix ullo hominum labore egent, ut foetus animalium, arborum, herbae et gramina; sive sint simul industriales, sive mixti, hoc est, ad quos aeque aut magis hominum labor cum natura concurrit, ut, verbi gratia, segetes et quae serendo gignuntur: item vinum, oleum, lana etc., quo etiam referuntur pretia locationis domorum, iumentorum etc., qui fructus civiles appellantur: hi, inquam, fructus rei, si percepti et extantes sint, domino restitui debent, deductis tamen expensis propriis et aestimatione laboris. (*Sed vide infra n.* 825. *v. Bene autem*, ubi dicemus cum Molina La Croix et communi, quod fructus mixti a possessore tam bonae, quam malae fidei non debeant restitui, nisi in quantum respondent naturae, non vero in quantum respondent industriae.) Et quidem pretium locationis ex re aliena debet domino restitui, licet is rem, si penes se habuisset, non fuisset locaturus. V. Lay.[3]. (An tenearis restituere pretium libri alieni locati. Negat Laym. quia liber non videtur de se aptus ad gignendos fructus. Sed verius tenendum oppositum cum p. Conc.[4] Salmant.[5] qui citant Lugo Prado Sanch. et Less. Et idem dicendum de veste, torque aureo, equo et simili; quia, licet non sint aptae ad fructus gignendos, sunt tamen per se locabiles). Si tamen fructus isti reales bona fide possessi fuerint tempore a lege praescripto ad usucapiendum illos (quod si adsit titulus, est biennium inter praesentes, inter absentes quadriennium: si autem non adsit titulus anni 30. cum bona fide), non sunt restituendi: quia usucapio transfert dominium. Salon. Trull.[6] (Ita Lugo Less. Caiet. Sot. Mol. et alii communiter; *vide dicta n.* 517. Quoad vero praescriptionem et eius requisita, vide quae fuse diximus *hoc lib.* 3. *ex n.* 504.).

611. » 10. Si a fure acceperis (sive bona sive mala fide) rem usu consumptibilem, v. gr. vinum, oleum, triticum, cum propriis ipsius furis rebus permixtum, ita ut discerni non possit, non teneris restituere, si fur ad restituendum sit potens, quia fur per commixtionem istius rei cum propria acquisivit eius dominium, atque adeo illud tamquam verus eius dominus potuit transferre. Navar. Sanch. Less. Bon. Trull.[7]. Vide Diana[8] (Ita etiam dicunt Salm.[9] cum Sanchez Reb. Dic. etc.).»

612. Sed quid, si receperis a fure rem iam commixtam cum illius bonis, et per illam tuam acceptionem fur factus sit impotens ad restituendum? Sporer[10] et Tamb.[11] aiunt probabile esse quod dicunt Less. Mol. etc. ad nihil teneri donatarium qui accipit rem a debitore non solvendo, quia debitor dat rem suam, et damnum per accidens creditoribus obvenit: quapropter cum debitor per illam commixtionem quae aequivalet consumptioni iam acquisierit totale dominium cumuli, ut dicunt Lugo[12] Sanch.[13] et Tamb.[14] Ideo probabile esse dicunt Tamb. et Spor.[15] quod donatarius possit rem illam accipere et retinere. Sed huic opinioni

(1) L. 7. c. 11. d. 1. (2) L. c. n. 3. (3) L. c. (4) T. 7. p. 110. n. 3. (5) De rest. c. 3. punct. 3. §. 4. n. 70. (6) L. 7. c. 11. d. 5. (7) L. 7. c. 11. d. 5. (8) P. 2. tr. 6. misc. r. 40. (9) Ibid. c. 1. punct. 5. §. 1. n. 46. (10) De 7. praec. n. 250. (11) De rest. c. 3. §. 4. n. 26. (12) De iust. d. 6 n. 172. (13) Dec. l. 1. c. 23. n. 34. (14) Loc. c. (15) Loc. c.

obstat primo id quod valde probabiliter docent idem Less.[1] et Salmant.[2] cum Trull. ut dictum est *n.* 499. *vers. Notandum* contra Lugo Sanch. etc., nempe quod cum cumulus ille extat, sive apud debitorem sive apud alium, dominus rei permixtae habet ius in rem, retinetque verum dominium in illo acervo una cum debitore. Qua sententia posita, donatarius rem illam permixtam accipiens semper teneretur ad restitutionem, quia tunc non acciperet rem donantis, sed alienam. Sed magis obstat sententia quam veriorem putamus et referemus *n.* 722. contra Less. et Mol. ut supra, scilicet omnino peccare contra iustitiam accipientem rem a debitore non solvendo creditoribus, quia efficaciter influit in alienationem rei cum creditorum detrimento. Hinc dicimus in casu proposito cum Sanch.[3] Tamb. et communi sententia ap. Sporer[4] accipientem teneri domino rem permixtam restituere.

613. Quaeritur hic, ad quid teneatur qui in mare proiecerit gemmam putans valere decem aureis, si illa revera valebat centum.

Prima sententia dicit eum teneri ad centum, quia iniuste damnificans cum culpa mortali tenetur ad omne damnum factum, licet ignoratum. Ita Lugo[5] Pallavic. ac Ills. apud Croix[6] et aliqui docti iuniores.

Secunda sententia tamen, quam sequuntur p. Holz.[7] Pontius[8] Croix[9] cum Dicast. Mazzot.[10] Espars.[11] Diana[12] et alii docti iuniores, dicit, eum teneri tantum ad decem, modo invincibiliter credat, gemmam non pluris valere, et ne in confuso quidem dubitet de eius reali valore; quia non censetur volitum damnum illud quod non est cognitum; ideo quoad illum excessum deest voluntas damnificandi. Et satis probabilis haec sententia mihi videtur; rationem enim a principiis petendo, dico quod secundum omnes ad restitutionem requiritur culpa theologica; et tanta est culpa quanta invincibiliter apprehenditur. Ita ut ille qui proximo damnum infert plus aut minus peccet, quanto plus vel minus aestimat damni valorem. Iuxta autem culpam correspondere debet obligatio restitutionis. Si igitur culpa sit tantum pro decem, obligatio restitutionis nequit esse pro centum; ipse enim Lugo[13] fatetur quod si damnificans putet rei valorem esse levem et eam destruat, non teneatur (saltem sub gravi) ad integre restituendum quia deest iniuria gravis erga dominum. Ob eamdem ergo rationem ille qui apprehendit invincibiliter rem valere minoris suo vero valore, non tenetur excessum suae aestimationis restituere, cum gravior iniuria desit: nam est commune axioma apud philosophos, quod *sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.* Nec obstat dicere quod damnificans tenetur ad omne damnum illatum; hoc enim intelligendum est, modo damnum illud sit aliquo modo, saltem in confuso animadversum, ut caeterum ordinarie accidit; non vero si prorsus invincibiliter fuerit incognitum, ut advertunt Croix[14] Mazz.[15] et p. Holzm.[16] Salm.[17].

Art. II. Quid debeat restitui ab inferente iniuriam formalem seu malae fidei damnificatore seu possessore.

(1) L. 2. c. 10. n. 157. (2) De contract. c. 3. punct. 12. n. 110. (3) Dict. n. 34. (4) L. c. (5) De iust. d. 8. n. 63. (6) L. 3. p. 2. n. 194. (7) De rest. n. 544. (8) In cursu theol. d. 52. q. 2. concl. 2. n. 6. (9) L. c. (10) De rest. tr. 4. d. 1. q. 3. c. 3. q. 5. (11) Qu. 34. (12) P. 11. tr. 2. r. 34. (13) L. c. (14) D. n. 194. (15) Loc. c. c. 2. n. 4. (16) De rest. tr. 2. n. 592. (17) De rest. c. 4. punct. 9. §. 1. n. 118. et 124.

621. *Quid, si quis occidat agnum alterius, qui postea pluris valuisset. Et quid, si fur consumat tempore maioris pretii agnum, quem dominus tempore vilioris erat consumpturus.*
622. *Quid, si quis se fingat pauperem.*
623. *Quid, si quis consumat rem alienam in extrema necessitate.*
624. *Quid, si consumat rem mutuatam.*
625. *Quid, si quis emat rem alienam cum dubio.*

614. « Resp. Id iuxta supradicta aestimandum a quantitate, tum iuris quod alter habet, tum damni quod iniuste infertur: cui aequale reddi debet, nisi aliud de damnificati mente et consensu rationabiliter praesumatur.

Unde resolves:

» 1. Si damnificatus habeat ius in re in qua damnum est passus, restitutio ei facienda in solidum; si autem tantum habeat ius ad rem, restitutio facienda est pro quantitate iuris, consideratis circumstantiis: quia non debetur solidus valor rei quae expectabatur; cum tantum sit in spe et multis modis possit impediri.

» 2. Qui in loco publico suae civitatis contra iustam probibitionem pascit vel ligna caedit non tenetur ad restitutionem, nisi communitati graviter nocuerit, v. gr. stirpes incidendo, arbores aedificiis idoneas sternendo: quia rationabiliter praesumitur mens reipub. non esse, suis membris usum publicorum locorum rigidius prohibere, quam sub mulcta solvenda, casu quo deprehendantur (Cum Laym. [1] hinc ad nihil teneretur ante sententiam. *Vide dicta n.* 529. *quaest.* 1.).

» 3. Gravius tamen peccaret et teneretur ad restitutionem, si quis pasceret in loco alicuius privati; etsi etiam hic praesumi aliquando possit de consensu domini, qui saepe non intendit ut fiat restitutio, sed ut deprehensus poenam luat.

» 4. Qui venantur vel piscantur in locis alteri locatis, vel alias prohibitis (saltem si ea conclusa vel circumsepta non sunt) non peccare mortaliter, nec teneri ad restitutionem, docet Dian. ex Less. Dicast. [2] etc. contra non. etc. (*Vide dict. num.* 604. *et* 605.)

» 5. Etsi probabilius sit et in praxi communiter tenendum, peccari mortaliter circa vectigalium fraudationem, ex eaque oriri obligationem restitutionis: non omnino tamen improbabiliter id alii quidem negant, eo quod consuetudo interpretetur non esse mentem legislatorum ad aliud obligare, quam ut deprehensi mulctentur. Vide Nav.[3] Sa [4] Bonac. [5] ex Navarr. Fill. [6] Less. Mol.[7] Dian. [8] Laym. [9], vide etiam Dian.[10] qui ex Caiet. Med. Soto etc. docet non esse negandam absolutionem poenitenti qui defraudavit gabellas seu vectigalia imposita rebus iis quae emuntur, non ad negotiationem, sed ad usus proprios, vel familiae necessaria, v. gr. pani, carnibus, piscibus, frumento, oleo etc.»

Circa hanc tributorum materiam plures hic quaestiones sunt enucleandae.

615. Quaeritur 1. Quis possit tributa imponere. Resp. possunt imperatores, reges, respublicae omnesque principes supremam habentes potestatem. Possunt etiam concilia et pontifex, ex potestate indirecta disponendi de temporalibus, quando id opus est ad regimen spirituale; ita communiter Less.[11] Mol.[12] Lugo [13]. Possunt etiam ii quibus princeps gubernandi potestatem impertitur et expresse simul hanc det facultatem tributa imponendi, ut Lugo [14] et Sanch. [15]. Possunt item civitates et communitates adhuc subditae aliquando imponere contributiones sive *collectas*, ut vocant, ad sui gubernationem, si princeps saltem non contradicat, quo tacite consentire videatur: Lugo [16]. An autem principi infideli debeantur tributa a christianis negotiantibus vel transeuntibus. Resp. debentur, si iusto titulo ille regnum possidet; secus si iniusto, nisi praecedat pactum de aliquo tributo solvendo; Sanchez [17] et Lugo[18].

Communissime autem docent Mol. [19] Less.[20] Lugo [21] Sanch. [22] cum Sylv. Pa-

(1) De iust. c. 5. n. 18. (2) P. 9. t. 9. res. 39. (3) C. 23. (4) V. gabella. (5) Q. 9. p. 1. n. 5. (6) T. 28. n. 11. (7) D. 9. (8) Tr. de leg. res. 19. (9) L. 3. t. 3. p. 1. c. 8. n. 4. et 5. (10) P. 1. t. 11. res. 38. et p. 2. t. 17. r. 38.

(11) Lib. 2. c. 33. n. 12. (12) D. 666. (13) De iust. d. 36. n. 3. et 4. (14) N. 6. (15) Cons. l. 2. c. 4. dub. 3. (16) N. 8. (17) L. c. d. 5. (18) N. 16. (19) Loc. c. (20) Dub. 2. n. 14. (21) N. 14. (22) Dict. c. 4. dub. 4.

norm. Ang. etc., quod bene possit consuetudine ab aliquo principe acquiri ius tam exigendi quam imponendi tributa.

Quaeritur 2. Quae requirantur conditiones ad iusti tributi impositionem. Prima conditio est *iustitia causae*, quae non est quidem abundantia vel utilitas principis, sed necessitas boni communis, ad quod merito pertinet etiam sustentatio principis iuxta eius dignitatem. Hinc, si princeps nequeat alia via suae necessitati subvenire, etiamsi ipse sua culpa in talem necessitatem devenerit, adhuc tenentur subditi contribuere, ut communiter docent Molina [1] Less. [2] Sanch. [3] Lugo [4] cum Vasq. et aliis contra s. Anton. Host. Hen. etc. Notant tamen praefati aa. debere tunc principem moderari sumptus quantum fieri possit, imo et resarcire damnum subditis, si ad pinguiorem venerit fortunam. Unde bene monet Molina [5] peccare utique principes, si excessivis sumptibus et largitionibus periculo se committunt excedenter gravandi subditos.

Secunda conditio est *proportio tributi* cum necessitate occurrente, nempe ut populus non magis gravetur quam eius bonum postulet. Hinc ait Lugo [6] non posse principem, ut regnum sibi conservet, propter expensas belli subditos adeo gravare, ut eos in magnam paupertatem coniiciat, non enim regnum est propter regem, sed rex propter regnum; nisi (bene excipit) alter princeps qui regnum invadit sit infidelis vel haereticus, ita ut sub eius regimine gravissima timeri possint religionis damna subditis imminere. Notant autem Lessius [7] et Lugo [8] cum Victoria iuste posse principem subditis qui rebellarint, absque alia necessitate novum imponere tributum, partim ad compensandum damnum ab ipso propter rebellionem passum, partim in iustam criminis commissi poenam.

Tertia conditio est *aequalitas in personis*, nempe quod si qui maiores vires habeant plus solvant, et minus qui minores, vide Lugo [9]. Sed dubitatur an *assisium*, impositum ob utilitatem alicuius loci, iuste exigatur ab exteris. Negant Sylv. Caiet. Ang. etc. apud Sanch. [10]. Sed communiter et probabilius affirmant Sanch. [11] Mol. [12] et Lugo [13] cum Vasq. et aliis; tum quia non apparet alius modus conveniens colligendi tributum, aliter difficulter poterunt exteri a civibus dignosci; tum quia sic in populis invicem consuetudo servatur; incolae enim huius loci, cum ad alios confluunt, etiam tributa illorum locorum solvunt.

616. Quaeritur 3. An fraudantes gabellas peccent et teneantur ad restitutionem.

Prima sententia communissima et probabilior affirmat, hancque tenent Sanch. [14] Mol. [15] La Croix [16] Conc. [17] Viva [18] Ronc. [19] Holz. [20] Diana [21] cum Suarez P. Nav. Led. Graff. Vega etc. Lessius [22] cum Caiet. Arm. Med. Cov. etc. ac Lugo [23] cum Soto Sylv. Gabr. Cord. etc. Probatur 1. ex illo Matth. [24]: *Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, etc.* Et ex Apost. ad Roman. [25]: *Ideo enim et tributa praestatis; ministri enim Dei sunt; in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Probatur 2. ratione, quia sicut rex tenetur vacare saluti populi, administrationi iustitiae, et aliis oneribus, sic contra tenetur populus ex iustitia et de iure naturali solvere principi vectigalia ad eius sustentationem.

Secunda sententia vero negat, et eam tenent Nav. [26] Angel. [27] Beia [28] Duard. [29] qui fuse illam tuetur, et respondet ad contraria argumenta; et probabilem pu-

(1) D. 667. (2) C. 33. n. 48. (3) Cons. l. 2. c. 1 dub. 2. n. 8. (4) D. 36. (5) L. c. (6) N. 21. (7) C. 33. n. 49. (8) N. 22. (9) N. 23. (10) Dicto c. 4. dub. 45. n. 6. (11) N. 9. (12) D. 669. n. 3. (13) N. 28. v. Secundo. (14) Dec. lib. 6. c. 4. n. 62. (15) D. 674. (16) L. 1. p. 2. n. 669. (17) T. 6. pag. 420.

(18) De rest. q. 7. a. 7. n. 1. (19) Eod. tit. c. 10. q. 4. (20) De leg. n. 358. (21) P. 1. tr. 10. r. 19. (22) C. 33. n. 57. (23) D. 36. n. 38. et 59. (24) C. 22. v. 21. (25) C. 13. v. 6. et 7. (26) Man. c. 23. n. 55. et 60. (27) V. Pedagium n. 6. (28) In resp. p. 1, cas. 13. (29) In comment. bull. Coenae l. 2. can. 18. q. 12. n. 9.

tant Bossius [1] cum Sayr. et Sancio, ac Diana [2] cum Sa et Malder, qui dicunt, defraudantes vectigalia non esse a confessariis urgendos ad restitutionem. Ratio quia, licet subditi, per se loquendo, de iure naturae teneantur principi congruum subsidium ministrare, non tamen tenentur sub culpa ad eas gabellas quae ab ipso sub poena magna sunt impositae, cum iuste praesumatur princeps tunc nolle eos obligare ad culpam simul et poenam, nam *leges humanae* (ait Navarrus) *etiam praecipientes, quae poenam temporariam constituunt, in dubio ad aeternam non obligant; quatenus sunt leges eius qui poenam statuit* (Cuius sententiae sunt etiam alii, citati *lib.* 1. *n.* 147.). Obligatio autem subditorum solvendi vectigalia principi, quoties ea defraudant, compensatur illi cum obligatione poenae, cui subditi subiiciuntur. Unde videtur principibus satisfieri, si cum tanto eorum emolumento poena illa defraudantibus irrogetur. Quod eo magis praesumendum videtur, quo (ut quidam doctus recentior dicebat) solutiones gabellarum certo excederent principum necessitatem, si subditi integras impositiones solverent. Praeterea adhuc in sententia (communiori quidem et probabiliori) non dari legem mixtam, nempe quae praecipit et poenam imponit, quae non obliget ad culpam; nihilominus in praesenti casu, existente lege quae praecipit ut solvatur gabella, et poenam iniungit non solventibus, dici potest quod tunc peccat fraudans, quando, non soluta gabella, nollet etiam post confiscationem solvere poenam; lex enim haec videtur conditionalis, sive disiunctiva (iuxta id quod dicit Sanch. [3] cum Salon. Cord. Ang. Mercad. Met. et aliis) ut solvatur gabella aut poena. Quod hic magis videtur praesumendum in huiusmodi poenis lucrativis pro rege, in cuius beneficium cedunt, quam in aliis tantum afflictivis. Saltem dubium est an lex ista obliget sub culpa ad utrumque, scilicet ad solutionem gabellae et poenae; vel tantum poenae, et in dubio nemo tenetur obligationem certam subire. Nihil autem obstat dicere quod talis defraudatio esset in damnum ementium huiusmodi tributa; nam respondetur, subditos non plus teneri quoad gabellas erga ipsarum emptores, quam erga regem vendentem; ipsis autem imputandum est, si non invigilent, nam sub tali conditione gabellas emunt, et, si in alio amittant, in alio lucrantur propter poenam contraventionis. Haec dici possunt pro hac secunda sententia; an autem propter has rationes (quae caeterum non videntur contemnendae) ipsa sit sufficienter probabilis, sapientioribus me remitto [4].

Sentit autem Sanch. [5] neminem, qui palam et recta via transit, teneri solvere vectigalia, ratione transitus per portam vel pontem, quae imponuntur pro assecuratione viarum; durissimum enim esset obligare advenas ad scienda haec statuta in portis vel pontibus. Et hoc probabile putat Sanch. [6] cum aliis, etiamsi quis consulto merces aut se occultet, quia huiusmodi tributa ita sunt recepta, ut non debeantur nisi petita. Generaliter vero loquendo de omnibus vectigalibus, putat Lugo [7] cum Mol. [8] monendos esse populos ad tributa solvenda, sed post factum non esse cogendos ad restitutionem tributi defraudati, si probabiliter sibi suadeant in tanta vectigalium multitudine se aliquid iniustum solvisse, vel competenter contribuisse ad publicas necessitates.

Quaeritur 4. An teneantur solvere gabellas subditi deferentes res ad usum proprium. Et an pauperes.

Certum est de iure apud omnes, nullum deberi vectigal de rebus cuique deservientibus ad usum proprium et familiae, ut expressum habetur in iure civili [9]. Et confirmatur in iure canonico [10] ubi: *Quamquam pedagiorum exa-*

(1) P. 1. §. 24. n. 290. et 296. (2) L. c.
(3) Cons. lib. 1. c. 5. dub. 1. n. 22.
(4) Ego, inquit s. Alphonsus in Hom. Ap. tr. 10. n. 81., non omitto primam sententiam suadere.
(5) Cons. c. 4. dub. 10. n. 7. (6) N. 12.
(7) D. 36. n. 43. (8) D. 674. n. 9.
(9) L. Universi c. de vectigal.
(10) C. Quamquam, de censib. in 6

ctiones regulariter merito sint damnatae. Quod tantum de rebus ad usus proprios forte dispositum putat Lugo [1]. Unde refert Sanch. [2] cum s. Ant. Iason et Gabr. huiusmodi vectigal non esse solvendum, nisi expresse imponatur etiam deferentibus bona ad usum proprium, quia cum sit res odiosa et contra ius commune, expressa indiget mentione. Sed dubium hinc oritur an solutio huius vectigalis possit per consuetudinem induci.

Prima sententia negat et hanc tenent Caietanus [3] Sot. [4] et Host. Angel. Tab. Led. ac alii apud eumdem Sanch. [5]. Quia (ut aiunt) iniustum est gravare pauperiores, cum isti pluribus indigeant ad usum proprium.

Secunda sententia vero affirmat, eamque tenent Lugo[6] Less.[7] et Sanch.[8] cum Nav. s. Anton. Angles. Sylv. Gab. et Rosell. Quia talis consuetudo (quae instar legis obligat) non esset quidem iniusta; non enim gravarentur magis pauperes quam divites, dum divites ob maiorem copiam famulorum quos alunt, et maiorem sumptuum largitatem plus emunt quam pauperes. Dicunt tamen Les.[9] et Sanch.[10] cum Corduba etc., quibus adhaeret Lugo [11], ad talis vectigalis iustitiam requiri causam urgentissimam, et non ingerendum scrupulum defraudantibus nisi de eius iustitia constet.

An autem pauperes teneantur ad vectigalia. Dicunt Lugo [12] cum Bartholo et Decio, Less.[13] ac Sanch.[14] cum Sylv. Baldo Felin. Rosella Panorm. Gigas Isern. Baez. etc. quod si paupertas in aliquo eo deveniret, ut hic non posset alere se et suos, etiam cum mediocri lucro ex negotiatione, vel quia habet multos filios aut debita, vel propter alias necessitates, non tenetur solvere gabellas; quoniam hoc postulat naturale ius, ut quis prius alat se et suos, deinde tributa solvat. Subduntque Sa et alii aa. citati, etiam ministros posse eas remittere alicui ob nimiam paupertatem, cui ipse princeps remittere praesumitur.

617. Quaeritur 5. An populi in dubio de iustitia tributi teneantur ad eius solutionem. Plures sunt sententiae: nam in dubio negativo affirmant eos teneri Less.[15] ac Sotus Palac. Malder. etc. apud Lugo [16]. Ratio quia in dubio praesumendum est pro iusto praecepto principis, cuius auctoritas est in possessione praecipiendi. Sed negant Mol.[17] Diana[18] cum Vill. Arag. Fill. etc. Lugo[19] et Sanch.[20] cum s. Antonin. Host. Cai. Sylv. Gabr. Med. Cord. Arm. Tab. Ang. etc. id tamen intelligendum putat Lugo, si adsit aliqua praesumptio de iniustitia tributi, quia tunc dubium illud non erit merum dubium, cum praesumptio fundet partem contrariam: quando enim tributum nequit iudicari iustum, saltem probabiliter, non videtur (ait Lugo) obligandus subditus ad solutionem; in dubio enim onus probandi iustitiam tributi incumbit principi qui petit illud. Hinc limitant praefati aa. suam sententiam, ut procedat de tributis novis, quorum scitur initium causae: non vero de antiquis, quorum causae non est memoria, et ideo praesumenda sunt iusta; nisi (ait Mol. [21]) semper adfuerit gravis suspicio sive coniectura de eius iniustitia vel de cessatione causae. Probant autem dicti auctores praefatam secundam sententiam ex c. *Pervenit de censib.* ubi dicitur, census cuius causa ignoratur, non deberi, his verbis: *Oportet ut omnis census ad quid et quando persolvi debeat, praesciatur.* Item ex c. *Quamquam, de censib. in* 6. ubi: *Quamquam pedagiorum exactiones regulariter merito sint damnatae, tanto tamen districtius, ne ab ecclesiasticis exigantur, prohiberi oportet.*

Dices: Lex in dubio praesumitur iusta, ita et tributum. Respondet Lugo [22] non eamdem fieri praesumptionem pro

(1) D. 36. n. 88. in fin. (2) Cons. l. 2. c. 4. d. 44. n. 2. (3) V. Vectigal, sub initio.
(4) De iustit. l. 3. q. 6. a. ult. v. Causa.
(5) L. c. n. 4. (6) De iust. d. 36. n. 71.
(7) C. 33. d. 7. (8) N. 6. (9) L. c. (10) N. 7.
(11) Dict. n. 27. et 71. (12) Dict. d 36. n. 69.
(13) L. 2. c. 33. n. 62. (14) D. 15. n. 2.
(15) L. 2. c. 33. dub. 8. n. 64. (16) D. 36. n. 86
(17) D. 674. n. 6. et 9. concl. 5.
(18) T. 3. tr. 3. r. 59. (19) De iust. d. 36. n. 89.
(20) Cons. l. 2. c. 4. dub. 6. n. 5.
(21) D. n. 6. (22) N. 90.

lege, quam pro tributis, quorum plura a viris probis censentur iniusta, quia (ut notat Molina [1]): *Rari sunt qui veritatem in hac materia principibus dicant, cupientes ei placere ; et populi non audent se opponere, neque sufficienter audiuntur.* Non est ergo (subdit Lugo) praesumptio illa ita fundata in lege tributi, ut dubia expellat, cum tot gravissimi dd. dicant, pauca esse tributa in quibus conditiones omnes ad eorum iustitiam necessariae de facto concurrant. Neque obstare dicunt regulam illam, quod superiori praecipienti in dubio parendum sit : omnes enim, dicit idem Lugo [2], fatentur subditum non teneri in dubio ad obediendum, quando praeceptum est nimis difficile, vel grave illi damnum affert; et ita etiam docent Less. [3] Sotus [4] Cordub. [5] et Sanch. [6] cum Arag. Bann. Tap. Sayr. Met. Lop. Man. Rodriq. Henriq. Salas etc. Ratio, quia in dubio favendum est ei de cuius damno agitur; tunc enim difficultas illa, una cum dubio de potestate imperandi, praeponderat possessioni superioris. Confirmant eamdem sententiam plures iuristae apud Sanch. [7], ut Bartholus Corneus Decius etc. dicentes quod, cum tributum sit res odiosa, iudicandum est in dubio non esse solvendum.

Haec in dubio negativo; quid in positivo, nempe cum probabile est tributum esse iniustum, an teneantur subditi illud solvere? Affirmant Suar. Vasq. et Turr. apud Lugo [8]. Sed communissime negat Less. [9] asserens esse communem sententiam dd. cum p. Nav. [10] Item Sanch.[11] Laym.[12] Pal.[13] Lugo [14] et Sporer [15] cum Azor. Caiet. Sylv. etc. vocans pariter communem; aliique multi, quos congerit Diana [16]. Ratio quia subditus iuste tunc suo iure utitur ad non solvendum, dum probabiles rationes pro se habet et huic sententiae tandem convenit etiam Suar. [17] qui fatetur non esse obligationem obediendi, quando saltem manifeste probabile est mandatum esse supra potestatem praecipientis. Et expresse eam docet d. Antoninus [18] qui sic ait : *Non solventes pedagia et telonia cum iniusta sunt, quia sunt instituta ex iniusta causa (quod tamen credi non debet, nisi probabiliter sciatur) non peccant nec tenentur restituere, iuxta Raymundum.*

An autem peccent exigentes publica tributa in dubio an sint iusta. Affirmant Mol.[19] et Sanch.[20] cum Nav. Sylv. Cai. Ang. Arm. Host. etc., nisi ipsi sint subditi et a principe ad has exactiones compellantur, ut iidem dd. limitant. Sed Lugo cum Vasq. et Turr. [21] excusat etiam non subditos vel subditos non compulsos, si exigant iudicando regem esse prudentem nec imponere tributa absque sapientum consilio. Imo Lugo [22] sentit non peccare exactorem quando ei de iniustitia non constat; potest enim praesumere pro iustitia tributi, praesertim in tanta opinionum varietate.

Quaeritur 6. An creditor regis, si nequeat debitum recuperare, possit non solvere gabellam alteri locatam. Negant Cord. Regin. et Graff. apud Lugo [23]. Sed affirmant communiter Less.[24] Sanch.[25] Mol.[26] et Dian.[27] cum Navarr. Vasq. Sylv. Bon. Turr. Molf. Nald. Vega etc. et consentit Lugo [28]. Ratio quia conductor maius non habet ius quam rex; si ergo rex iniuste ab hoc creditore tributum exigeret, ita et conductor. Idem dicunt Less.[29] et Lugo [30] cum Sylv. Petro Nav. et Vega, si gabella fuerit alteri vendita. Hoc tamen non procedit, ut recte ait Lugo [31] quando debitum contractum fuit a rege, postquam gabella fuerit locata aut vendita.

Quaeritur 7. An emens mercem a defraudante gabellam teneatur ad i-

(1) D. n. 6. (2) Dict. n. 90. v. Dices.
(3) Lib. 2. c. 31. n. 10. et c. 41. n. 77. in fin.
(4) De teg. secret. Membr. 3. q. 2. concl. 2.
(5) L. 3. q. 6. (6) Loc. c. et dec. l. 6. c. 3. n. 24.
(7) Cons. dicto n. 5. (8) D. 36. n. 91.
(9) L. 2. c. 33. n. 67. (10) L. 3. c. 1. n. 263.
(11) Dec. l. 6. c. 3. n. 7. (12) L. 3. tr. 3. c. 3. n. 6.
(13) Tr. 1. d. 2. p. 6. n. 5. (14) Dict. n. 91.
(15) De 7. praec. c. 5. n. 154. (16) T. 1. p. 1. de parlam. r. 22. et p. 2. tr. 3. misc. r. 59.
(17) In 3. p. d. 4. sect. 6. n. 6. in fin.
(18) P. 2. tit. 1. c. 13. §. 8. (19) Loc. c. n. 7.
(20) Cons. l. 2. c. 4. dub. 7. n. 2. (21) N. 93.
(22) N. 28. (23) D. 36. n. 72. (24) C. 33. dub. 10.
(25) Cons. l. 2. c. 4. dub. 48. (26) D. 674. n. 10.
(27) T. 1. p. 2. tr. 2. misc. r. 16. (28) N. 76.
(29) Ibid. n. 76. v. Secus. (30) N. 82. (31) N. 86.

psam. Affirmat Sylv. ap. Croix [1]. Sed probabilius negant Sanch. [2] Lug. [3] Sporer [4] ac Molin. Less. Bon. et Dicast. apud Croix [5]. Ratio quia gabella non est onus stricte reale gravans mercem, sed est reale simul et personale, scilicet, debitum quidem de tali re, at non a quovis habente rem illam, sed a solo venditore solvendum, qui facta venditione adhuc remanet obstrictus ad solutionem gabellae. Id tamen intelligendum, ut omnes dicunt, modo emptor non cooperetur positive ad defraudationem tributi. Item excipiunt Lugo [6] et Spor. [7] si emptor adverteret, ex huiusmodi frequentibus emptionibus fraudulentis, aliis passim tale exemplum sequentibus, principi grave damnum evenire.

618. « 6. Caeterum ordinarie iniustus seu malae fidei damnificator aut possessor tenetur non tantum restituere rem ablatam et fructus perceptos exceptis suis expensis (Sed *ex l. Adeo* 7. §. *Ex diverso ff. de acqu. dom.* possessori malae fidei negatur actio ad repetendas expensas. Hinc probat Sanch. [8] et Lugo putat tutam sententiam, posse dominum retinere expensas utiles in re factas a fure. Attamen Lugo Molina Less. Pal. Nav. Cov. etc. apud Croix [9] oppositam merito vocant probabiliorem; praefata autem lex prout poenalis non obligat nisi post sententiam) et industria; sed etiam resarcire damnum emergens et lucrum cessans, cum vere sit iniusta causa talium damnorum (Etiamsi haec damna sint ignorata; modo sint praevisa, saltem confuse, ut advertunt Croix [10] Salm. et alii cit. *n.* 613. *in fin.*). Unde si dominus, re sua retenta, per culturam vel negotiationem percepturus fuisset ex agro suo aut pecunia centum florenos et alter parum vel nihil, debet is domino suo satisfacere pro centum illis florenis: quamvis communiter soleant domini plurimum remittere, si res componatur. Laym. [11].

619. » 7. Si res aliena, dum iniuste detinetur, crescat, ut si pretium eius augeatur, domino crescit ac proinde id ei praestari debet. Vide Laym. *hic lib.* 2. *t.* 2. *cap.* 4.

620. » 8. Si res aliena dum iniuste detinetur pereat aut deterior fiat, idque casu vel iusta hostium incursione vel naturaliter, et certum sit apud dominum aeque perituram fuisse, non tenetur alter restituere: quia nihil novi detrimenti domino apud furem, v. gr. accidit quod non apud ipsum. Si vero non fuisset peritura apud dominum vel saltem nonnisi per iniuriam, tunc iniustus detentor adhuc tenetur ad restitutionem, licet sine culpa sua res perierit. Laym. [12].

» 9. Si res aliena apud iniquum detentorem pereat, idque ipsius culpa aut quia is eam absumpsit, alteri donavit, destruxit etc. tunc, etiamsi domino relicta fuisset certo peritura, nihilominus tenetur pro ea domino satisfacere, ut est communis apud Laym. [13] Less. etc. »

Pro maiori claritate quaeritur an teneatur fur ad restitutionem rei apud ipsum deperditae, quae aeque apud dominum peritura fuisset. Distinguendum: Si res periit apud furem sine culpa sua neque alterius, et eodem tempore ac periculo quo apud dominum fuisset peritura, fur non tenetur ad restitutionem; quia furtum licet fuerit commissum cum iniuria, non tamen fuit efficax causa damni; iustitia enim commutativa ad restituendum non obligat nisi damnum effective accidat. Ita Bus. ut mox supra, Laym. [14] ex comm., Salm. [15] cum Less. Pal. Dicast. etc. Sporer [16] Holz. [17]. Et confirmatur ex *leg.* 1. *ff. Ad leg. Rhod. etc.* ubi dicitur non teneri ad restitutionem nautam qui ex una in aliam navim deteriorem, invito domino, transtulit mercem quae periit; pereunte prima navi in eadem tempestate. Sed dices: quomodo extinguitur sine satisfactione obligatio restitutionis ex iniusta acceptione iam contracta?

(1) L. 3. p. 2. n. 276. (2) L. 2. c. 4. dub. 12. n. 3. (3) D. 36. n. 65. (4) De 7. praec. n. 151. (5) Loc. c. (6) N. 65. (7) Loc. c. (8) De matr. l. 6. d. 58. n. 35. (9) L. 3. p. 2. n. 221.

(10) L. 3. p. 2. n. 198. (11) L. 3. tr. 2. c. 4. n. 7. (12) Tr. 2. c. 4. n. 2. (13) L. c. (14) De rest. c. 4 (15) Eod. tit. c. 1. punct. 3. §. 2. n. 52. (16) N. 162. (17) N. 400.

Respondeo: extinguitur eventu illius communis periculi, quo fit ut nullum damnum ex furto domino eveniat; non enim facienda est reparatio damni quod non adest, cum restitutio ad hoc tantum debeatur, ut damnum reparetur; probavimus autem *n.* 561. ex d. Thom. quod sola iniuria non obliget ad restitutionem, ubi damnum non intercessit.

Dixi 1. *sine sua culpa;* nam si fur rem consumpserit vel ex negligentia culpabili perdiderit, antequam periculum illud eveniret, tenetur quidem ad restitutionem, ut dicunt Bus. *sup. n.* 9. Salm.[1] et Laym. cum Mol. et communi. Quamvis Spor. [2] et Less. [3] cum Vasq. et aliis excusent furem a restitutione, si rem ipse consumpserit eodem loco et intra idem tempus quo iam praeviderit rem apud dominum aeque perituram; quod probabile recte putant Laym. [4] ac Lugo[5]; quia revera fur eo casu nec etiam est causa damni. Dixi 2. *sine culpa alterius;* nam, ut bene advertit Elb.[6] teneretur quidem fur ad restitutionem, si res periisset apud ipsum, non casu, sed iniuria alterius; quia tunc iam iste alter obligationem contraxisset restitutionis; unde remanet ad eam obstrictus fur qui prius obligationem contraxit. Ita Elb. Holz. Bul. Spor. et alii communiter. Dixi 3. *eodem tempore et periculo;* nam si transacto periculo illo communi fur non restituat et postea res pereat in alio periculo, dicunt Salm. [7] cum Pal. Dicast. et Less. furem teneri ad restitutionem, quia non restituendo fuit in mora culpabili. Sed adhuc probabiliter Croix [8] excusat furem a restitutione, semper ac eveniat commune periculum in quo aeque apud dominum res peritura fuisset: recte enim ait Croix, teneri tunc quidem furem ratione morae ad restituendos fructus quos dominus ex re percepturus fuisset; quia mora fuit causa quod dominus damnum illorum fructuum pateretur; non tamen tenetur rem restituere, cum non mora, sed periculum fuerit vera causa quod dominus rem amitteret.

621. Si quis occidat agnum alterius qui nunc valeat quinque denarios, sed postea valiturus erat decem, dicunt Sot. Bann. Salon. etc. apud Croix[9] restituendos esse decem denarios. Sed probabilius Less. Mol. et Dicast. cum Croix[10] tenent ex communi restituendos tantum quinque. Bene tamen excipit Croix cum Lugo, nisi dominus pretio illo non possit emere similem agnum vel quia caret pecunia vel quia non habet amplius opportunitatem emendi; hoc tamen intelligendum si dominus eum reservaturus fuisset ad tempus incrementi.

Quid, si dominus consumpturus fuisset rem tempore vilioris pretii, fur vero consumpserit tempore incrementi? Sentiunt Mol. Vasq. Laym. Less. etc. apud Salm.[11] furem non teneri nisi ad pretium vilius, tum quia restitutio facienda est iuxta quantitatem damni domino illati; tum quia venditio, facta tempore incrementi, est fructus industriae qui non debetur domino: et hanc sententiam Salm. probabilem putant. Sed mihi videtur omnino verior opposita, quam tenent Lug.[12] Pal.[13] Conc.[14] et Salm.[15] cum Sylv. Reb. et Vil. Ratio quia res domino suo fructificat, licet dominus fructum non percepturus fuisset. Nec fructus ille est fructus industriae, sed fructus rei: unde deductis expensis totus ei debetur. Quid, si dominus consumpturus fuisset agnum tempore vilioris pretii et apud furem creverit valor, sed postea apud ipsum decreverit ad pristinum valorem? Respondet Conc.[16] furem teneri ad restituendum vilius pretium, quoniam restitutio non obligat nisi ad mensuram damni illati. Sed id mihi videtur penitus improbabile, quoniam, cum pretium agni creverit a quinque in beneficium domini, et eo tempore culpabiliter agnum illi fur non restituerit damnum non fuit in quinque, sed in decem, et mora furis fuit

(1) Loc. c. (2) De rest. n. 168. (3) L. 2. c. 12. n. 93. (4) N. 2. (5) D. 18. n. 77. (6) De rest. n. 77. (7) Ibid. n. 51. (8) L. 3. p. 2. n. 218. (9) L. 3. p. 2. n. 236.

(10) Ibid. (11) De rest. c. 1. punct. 3. §. 2. n. 53. (12) D. 18. sect. 6. n. 126. (13) De iust. q. un. p. 24. §. 9. (14) T. 7. pag. 106. n. 24. (15) Ibid. n. 59. (16) L. c. pag. 105. n. 21.

quidem causa huius damni; quapropter non 5. sed 10. ille restituere debet.

622. « 10. Qui fingens se pauperem vel alium quam est, extorsit eleemosynam, non tenetur restituere, si parva fuerit, qualis ostiatim mendicantibus datur; secus si fuerit magna; tunc enim quia subintelligitur conditio haec (si pauper sit) tenetur restituere secundum Mol. danti; secundum Pal. vel danti vel aliis pauperibus. Vid. Esc. [1].

623. » 11. Qui in extrema necessitate consumpsit quod ante acceperat commodatum, conductum vel precarium, non tenetur restituere: quia nec ratione rei acceptae, cum ea nec in se nec in pretio extet; nec ratione acceptionis, cum iure eam consumpserit; nec ratione contractus, cum hic non obliget, nisi re pereunte tua culpa. Less. Hurt. Trull. Dian. [2]. Imo probabiliter ne id quidem quod ante illam necessitatem erat furatus et in ea consumpsit, quia furtum illi non ademit ius quod ad rem in tali casu habebat. Conc. Pal. Hurt. Dian. [3] contra Less. et Vasq., sicut neque, si in ipsa necessitate accepisset et consumpsisset. Diana [4] ex Azor. et 6. aliis, contra Less. (*Vide quae diximus quaest.* 4.). »

624. Certum est autem, quod mutuatarius, qui in extrema necessitate rem mutuatam consumit, tenetur adhuc restituere mutuum; quia tunc consumit rem propriam, cum rei mutuatae transferatur dominium in mutuatarium.

625. Quaeritur, ad quid teneatur emens rem alienam cum dubio an sit venditoris, et postmodum, facta diligentia, dubium evincere non possit. Dicunt aliqui eum teneri ad totam rem reddendam uni vel alteri, de quo dubitat an sit eius; vel pauperibus si ignoretur persona. Sed probabilius tenetur ad rem dividendam pro qualitate dubii, cum ex una parte non faveat illi possessio incepta cum dubia fide et ideo nequit rem sibi totam retinere: ex altera parte non videtur aequum, eum teneri totam restituere, cum dubium est an res sit aliena. Ita Lugo [5] Less. [6] Pal. [7] Salm. [8] cum Dic. et Villal.

(1) T. 3. e. 2. c. 6. n. 109. (2) P. 3. tr. 8. r. 10. (3) L. c. r. 8. (4) L. c. r. 9. (5) D. 17. n. 80. et 81. (6) L. 2. c. 14. n. 15. (7) D. 3. punct. 3. n. 2. (8) Loc. c. §. 3. n. 62. (9) L. 2. c. 9. d. 23.

ART. III. An et quid debeat restitui pro iniuria illata corpori, v. g. per mutilationem, occisionem etc.

626. « Resp. Iniustus occisor aut mutilator in conscientia tenetur tantum restituere pro damnis bonorum fortunae, quae ex tali occisione, vulnere etc. directe ab eo causata sunt, iuxta prudentis arbitrium: praecise autem pro vita, membro vel cicatrice nihil tenetur restituere secundum rigorem, cum sint bona altioris ordinis, quae pecunia aestimari non possunt. Ita contra Sotum Sylv. etc. probat Less. [9]. Vide Lay. [10]. »

627. Quaeritur an impotens ad restituendum in uno genere bonorum teneatur restituere in altero inferiori, puta, si quis hominem occidit aut vulneravit aut infamavit, teneatur pecuniam dare, si nequeat aliter damnum compensare. Adest duplex probabilis sententia.

Prima affirmat cum Soto [11] Cai. [12], Item Sylv. Mercad. Arm. Arag. etc. apud Lugo [13]. Et pro hac sententia videtur esse d. Th. [14] qui ait: *Cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei compensare vel in pecunia vel in aliquo honore.* Idem repetit [15] loquens de resti-

(10) L. 3. t. 3. (11) De iust. l. 4. q. 6. a. 3. ad 3. (12) Sum. v. Restitutio, c. 2. (13) D. 11. sect. 1. n. 4. (14) 2. 2. q. 42. art. 2. ad 1. (15) Ibid. ad 2.

tutione famae: *Vel si non possit famam restituere debet ei aliter recompensare.* Ratio quia qui non potest totum damnum tenetur saltem compensare partem quam potest.

Secunda sententia vero communior et probabilior negat, eamque tenent Lessius [1] Lugo [2] Laym. [3] Bon. [4] Sanch. [5] Croix [6] Spor. [7] Salm. [8] cum Bann. Vasquez Vict. Fill. Petro Navarr. etc. Ac probabilem putat p. Conc. [9]. Probatur 1. Exod. [10] ubi dicitur quod, convalescente vulnerato, *innocens erit qui percusserit, ita tamen, ut operas eius et impensas in medicos restituat.* Ergo sufficit restituere tantum damna in bonis illata, quin sit obligatio restituendi aliquid pro vulnere; alioquin (bene arguit Lugo) percussor non diceretur innocens. Probatur 2. ex iure civili [11] ubi dicitur vulnerans teneri ad expensas curationis et mercedes quibus cariturus est vulneratus: *Cicatricum autem aut deformitatis nulla fit aestimatio; quia liberum corpus nullam recipit aestimationem.* Probatur 3. ratione, quia iustitia commutativa obligat ad restituendum iuxta aequalitatem damni illati, ubi autem restitutio facienda sit in genere diverso, nulla adest aequalitas, nec ulla erit unquam compensatio damni: per quamcumque enim pecuniam damnum minime reparabitur neque in toto neque in parte: et sic respondetur oppositae sententiae. Communiter tamen praefati aa. monent congruum esse ut confessarius imponat poenitenti pro poenitentia vel ex aequitate aliquid laeso elargiendum.

« 1. Qui occidit ebrius alium, si ebrietas non fuit culpabilis et voluntaria, vel licet fuerit talis, si tamen homicidium vel non praeviderit vel diligentiam debitam adhibuerit ad cavendum, non tenetur ad restitutionem; tenetur autem si praeviderit et non caverit. Bon. [12].

» 2. Qui occidit Caium putans esse Titium tenetur ad restitutionem, quia actio ista est Caio iniuriosa. Bon. [13] comm. »

628. Quaeritur 1. an occidens Caium putans se occidere Titium, teneatur ad restitutionem. Affirmat Bus. *hic* cum communi. At negant alii, quia homicidium respectu Caii est mere casuale et involuntarium. De hoc *vide in quaest. seq. dicenda* quae ad idem coincidunt. Sed hic dubium fit an incurrat excommunicationem canonis qui volens occidere clericum Petrum per errorem invincibilem occidit clericum Paulum. Negat Diana [14] cum Suarez [15] Conc. [16] et probabile vocat Tamb. [17]. Ratio quia respectu Pauli percussio illa non fuit voluntaria, sed mere casualis et affectiva; solus autem affectus percutiendi Petrum fuit voluntarius, sed solus affectus non est sufficiens ad inducendam excommunicationem. Probabilius tamen dicunt incurrere Sanchez [18] cum Cord. et Cov. Viva [19] Bon. [20] cum Mol. Reb. et aliis communiter, ut fatetur ipse Tamb. [21]. Ratio quia occidens clericum ideo incurrit excommunicationem, quoniam iniuriam irrogat statui clericali; qui autem unum clericum pro alio percutit, licet erret in persona, iam laedit statum clericalem, quia clericum vult laedere et de facto clericum laedit. Sed dices, cur iste excommunicationem canonis incurrit et non obligationem restitutionis. Respondetur: differentia est, quia restitutio non debetur personae nisi ob iniuriam personae illatam; sed excommunicatio incurritur ob iniuriam factam statui ecclesiastico, quae in hoc casu iam adest; et quamvis respectu Pauli sit accidentalis et materialis, respectu vero status est substantialis et formalis. Tanto magis puto occisorem in eo casu non excusari ab incurrenda irregularitate, ut dicit Sanch. [22] cum Cov. Cordub. Led

(1) L. 2. c. 9. dub. 23. n. 141. (2) Loc. c. n. 5. et disp. 15. n. 23. (3) l. 3. sect. 5. tr. 3. p. 3. c. 6. n. 2. (4) D. 2. q. ult. sec. 2. p. 10. n. 10. (5) Cons. l. 1. c. 4. d. 1. n. 7. (6) L. 3. p. 2. n. 299. (7) De 8. praec. c. 6. n. 127. (8) De rest. c. 2. punct. 6. n. 80. et c. 4. punct. 9. §. 3. n. 142. (9) T. 7. p. 110. n. 7. (10) C. 21. v. 19.

(11) L. fin. ff. de his qui effud. etc. (12) D. 2. q. ult. sect. 2. p. 1. (13) Loc. c. (14) P. 9. tr. 4. r. 31. (15) De censur. d. 22 sect. 1. n. 54. (16) T. 3. d. 53. n. 3. (17) Dec. l. 6. c. 4. §. 3. n. 29. (18) De matr. l. 9. d. 32. n. 23. (19) De rest. q. 7. a. 1. n. 7. (20) De cens. d. 1. q. 2. p. 1. n. 20. (21) N. 28. (22) L. c.

Vega etc. contra Fill.[1] Spor.[2] et Tambur.[3] cum Con. Henr. et Farinac. qui afferunt pro se quamdam declarationem s. c. concilii ann. 1587. ap. Dian.[4] ubi declaratum fuit, quod mandans occidere Petrum non incurrit irregularitatem si mandatarius errans occidat Paulum. Sed respondetur: in hoc casu ideo mandantem non esse irregularem, quia respectu occisionis Pauli non potest dici quod ille fuerit verus mandans, cum mors Pauli accidat omnino per errorem mandatarii, non propter mandatum; sed qui unum pro alio occidit verus dicitur homicida. Nec obstat dicere quod si quis proiiciens lapidem vult occidere inimicum et occidit mere casualiter amicum, non incurrat irregularitatem, ut dicunt Bon.[5] cum Suar. et Sayr. Sic etiam dicendum de eo qui volens pugione occidere inimicum, casu occidit amicum. Sed respondeo: in primo casu tantum adest pravus affectus, non autem externum homicidium, cum occisio illa omnino accidat praeter voluntatem; et in casu nostro adest affectus et homicidium externum, cum occisor velit interficere hominem, et de facto hominem interficiat, licet erret in persona.

629. Quaer. 2. An autem, si quis velit incendere domum Titii inimici et incendat domum Caii amici, teneatur Caio restituere damnum.

Prima sententia cum Bon. Haunold. et aliis apud Croix[6] absolute affirmat. Ratio, quia omnis actio contra iustitiam, executioni mandata cum advertentia, parit onus restitutionis; nec excusat error personae domini, cum error sit tantum circa qualitatem, non circa substantiam.

Secunda sententia cum Leand.[7] Mol.[8] Tamb.[9] Spor.[10] Lugo[11] Croix[12] cum aliis doctis iunioribus, et praesertim doctissimo magistro meo illustriss. episcopo Torno, negat eum teneri ad restitutionem, modo is non intenderit, ne confuse quidem, incendere domum alterius quam Titii; nempe si non fuerit sic animo actualiter saltem implicite comparatus, quod etiamsi scivisset domum esse Caii, adhuc incendisset, quia tunc censetur damnum intulisse Caio, non ut Caio, sed ut domino domus; et ideo tunc cuique domino damnum resarcire debet. Secus vero si nullum alium intenderit laedere, quam Titium inimicum, invincibiliter credens domum esse Titii. Ratio quia ad obligationem restitutionis quae oritur ex damnificatione principaliter facta propter iniuriam, requiritur iniuria formalis; nec sufficit iniuria materialis et solum effectiva sine animo, sicut nec sufficit iniuria tantum affectiva, opere externo non completa, ut esset haec; cardinalis de Lugo enim sic loquitur: Cum ego intendo damnum inferre Titio, animo illi tantum iniuriam irrogandi, quocumque alio excluso; si postea per errorem invincibilem laedam Caium, iniuria respectu Caii non est formalis et affectiva, sed dumtaxat materialis et effectiva, ac mere accidentalis, cum mihi non fuerit animus eum laedendi, nec in particulari nec in generali; et ideo non teneor illi restituere damnum quod oritur ex iniuria. Nec obstat dicere quod ad obligationem restitutionis satis sit intendere aliquam actionem iniustam et eam exequi; nam respondent dd. citati quod ad onus restitutionis, ratione damnificationis, non sufficiat sola actio materialiter iniusta, sed insuper requiratur actio formaliter seu voluntarie iniuriosa in alterum qui laeditur. Haec autem actio iniuriosa voluntaria deest in casu nostro, cum accidat actio praeter intentionem, quae non est alicui formaliter iniuriosa: si enim intendam tantum laedere Titium, et quemcumque alium excludam, tunc neminem voluntarie offendo; non Titium, quia de facto is non laeditur; non alterum, quia respectu istius mea actio est prorsus involuntaria, et ideo error est circa substantiam. Et ob eamdem rationem idem

(1) T. 20. c. 3. q. 10.
(2) De 5. praec. c. 3. n. 206.
(3) Loc c. n. 25. (4) Loc. c. (5) Loc. c.
(6) L. 3. p. 2. n. 200. (7) T. 10. q. 28.
(8) T. 3. d. 127. n. 4. (9) Dec. l. 8. tr. 3. §. 6 n. 2. verb. Dixi. (10) Tr. 4. de rest. c. 2. n. 139.
(11) De iust. d. 17. n. 78. et d. 18. n. 86.
(12) L. 3. p. 2. n. 200.

dicunt Sporer [1] Fill. [2] Croix [3] Leand. [4] Tamb. [5] (contra Bon. [6] cum Cov. Gom. et Sanch. [7] Suar. etc.) de eo qui occidit amicum invincibiliter credens eum esse suum inimicum. Nec obstat textus in *l.* 30. *Eum qui* §. *Si iuravero*, *ff. de iureiur.*, ubi dicitur, quod si quis laeditur ab aliquo qui putat eum esse alium, is habeat in illum actionem damni. Nam respondetur id procedere in foro externo, ubi praesumptio scientiae personae laesae stat contra laedentem, cui fides minime praestatur si asserat se alium voluisse offendere; non vero in foro interno, ubi laedens certus est se alium offendisse pro eo quem offendere intendebat.

Idem etiam dicunt de furto Molin. [8] Lug. [9] Spor. [10] et probabile putant Leand. et Tamb. [11]. Ait enim Lugo quod si fur, rem iniuste accipiendo vult illam absolute possidere, tunc saltem in confuso velit iniuriam inferre domino, quicumque ille sit: secus vero, inquit, si acciperet sub expressa conditione, si res sit v. gr. principis; quia tunc non intendit absolute possidere. Sed huic doctrinae non acquiesco et adhaereo sententiae quam tenet Sanch. [12]. In furto enim non attenditur, cui voluerit facere iniuriam, sed an vere voluerit rem accipere invito domino, cum in hoc videatur differre obligatio restitutionis ob damnificationem, a restitutione ob furtum: nam in damnificatione principaliter intenditur iniuria in personam domini, et accessorie illius damnum; in furto autem principaliter intenditur lucrum iniustum, et accessorie iniuria domini; et ideo error domini, in casu furti, videtur esse circa qualitatem, in casu vero damnificationis circa substantiam.

630. « 3. Si laesus ante mortem omnia remiserit, ad nihil tenetur occisor: quia filiis non fit iniuria in bonis, nisi quatenus laedantur in patre contra eius voluntatem (volenti enim non fit iniuria); ergo, sicut per eum ius acquirunt, sic etiam id amittunt: etsi non recte faciat parens, si filii valde egeant. Less. [13] (Ita etiam Salm. [14] cum Sanch. Sot. Bonac. et communiter contra Croix [15] cum Lugo: Facta autem remissione iniuriae, non intelligitur facta remissio damnorum. Vide Salm. [16]).

631. » 4. Etsi praecise pro vita, membro, occisione non sit obligatio restituendi: per sententiam tamen iudicis cogitur iniurians satisfacere pro iniuria.

» 5. Consilium est, ut confessarius pro his iniungat eleemosynas et missas pro salute occisi.

» 6. Si occisus vel mutilatus fuerit servus vel animal, tunc etiam pro vita et membris facienda est restitutio, quia horum vita pretio aestimatur; ac proinde tantum debet restitui quanti potuisset vendi; et pro mutilatione vel cicatrice, quanto pluris venderetur.

» 7. Pro expensis funeris nihil restituitur; quia illae aliquando faciendae tandem fuissent; nisi forte occasione illatae necis, v. gr. extra patriam, maiores fieri oportuerit.

» 8. Restitui debent impensae factae in curationem et medicamenta vulnerati vel occisi. Fill. [17].

» 9. Item lucra quae ex mutilatione vel vulneratione cessarunt; non quidem tam in solidum, ac si de facto essent acquisita, sed pro maiore aut minore spe quam laesus habuerit illa acquirendi. Vide Trull. [18].

» 10. Si homicida a magistrato plectatur, verius est eum adhuc teneri ad damna resarcienda, cum morte sua tantum satisfaciat iustitiae publicae, non haeredibus occisi; qui tamen cum plerumque aliud non exigant, videntur esse contenti, ac proinde haeredes homicidae ad nihil tunc tenentur. Fill. [19].

» 11. Debet autem restitutio fieri tantum parentibus interfecti, filiis et uxori: quia hi soli directe laeduntur, cum moraliter censeantur una persona cum

(1) De 5. praec. c. 3. n. 206. (2) Tr. 20. c. 5. q. 10. (3) L. 3. p. 2. n. 201. (4) Loc. c. (5) L. 6. c. 4. §. 3. n. 31. (6) L. c. n. 8. (7) L. 9. d. 32. n. 27. (8) Loc. c. (9) D. 17. n. 78. (10) Tr. 4. de rest. c. 2. n. 139. (11) Loc. c. (12) Dec. l. 2. c. 23. n. 157. (13) L. 2. c. 9. d. 26. (14) De rest. c. 2. punct. 8. n. 113. (15) L. 3. p. 2. n. 310. (16) Ibid. n. 112. (17) T. 32. c. 8. n. 202. (18) L. 7. c. 8. d. 3. (19) L. c. n. 214.

occiso. Nisi tamen occiderit animo etiam nocendi aliis; nam tunc etiam his eum restituere teneri dicit card. Lugo [1] ex Less. Vide Trull. [2]. »

Quaeritur 1. Quibus haeredibus teneatur homicida restituere damna. Et quaenam damna restituenda sint. Certum est 1. quod haeredibus necessariis, ut filiis, parentibus et etiam uxori, restituendum est damnum et lucrum cessans, non tantum illud quod cessavit in vita occisi, sed etiam post eius mortem, iuxta tempus quod defunctus verisimiliter victurus creditur, attenta aetate, valetudine etc., ut recte docet Sanch. [3] cum Panorm. Gom. Ang. Palao etc. Sed hoc lucrum non est restituendum integrum in re, sed iuxta spem, ut idem Sanchez bene advertit cum s. Thom. Nav. Sot. Salon. Arag. et aliis, contra Panorm. Gom. et alios. Certum est 2. quod restituendum est haeredibus non necessariis omne debitum reale contractum cum defuncto ante ipsius obitum, nempe damnum eius bonis irrogatum per occisionem et lucrum, quod amisit vulneratus tempore quo vixit: non autem lucrum quod cessavit a tempore mortis, cum id non fuerit debitum reale cum defuncto contractum, ut dicunt Sot. et alii dd. apud Sanch. [4] et consentit Croix [5]; dicit autem [6] quod si nullus superfuerit haeres, restitutio dictorum debitorum realium facienda sit pauperibus. Addit etiam Croix [7] quod si uxor (et idem dicendum esset de filiis et parentibus) postea aeque commode nupserit, vel si quis ipsi alimenta praestiterit, huic nihil restituendum sit, quia tunc reipsa non patitur damnum.

632. Quaeritur 2. An homicida teneatur restituere fratribus, consanguineis vel aliis bona quae occisus illis probabiliter daret, si viveret. Tres sunt sententiae.

Prima universe affirmat, quia illi quamvis ius non haberent ad talia bona, habent tamen ius ne vi impeditus fuisset defunctus quominus ea ipsis elargiretur. Ita Vasq. Scot. Azor. et alii apud Salm. [8].

Secunda dicit restitutionem deberi tantum fratribus, praeter parentes, uxorem et filios.

Tertia et quidem probabilior sententia quam tenent Bus. *infra num.* 13. cum Less. et Trull. item p. Conc. [9] et Salm. [10] cum Soto Lugo Fill. Bon. etc. docet, nihil deberi aliis, nisi parentibus, filiis et coniugi, etiamsi homicida illorum damna praevideret. Nec obstare aiunt Salm. [11] et Lugo [12] id quod dicit Sanch. [13] esse semper contra iustitiam impedire vi aliquem a consecutione boni, cum huiusmodi impeditio praevidetur: nam respondent, iustitiam non obligare ad non apponenda ea (etiam vi vel fraude) ex quibus per accidens et remote sequitur aliquod damnum, quia tunc vis aut fraus non censetur esse illius causa nec physica nec moralis. Regula autem qua quis habet ius ne vi impediatur a consecutione iusti boni, obtinet, quando directe intenditur illius damnum, non vero si eveniat per accidens.

633. Contra autem dicunt Salmant. [14] cum Caiet. Mol. etc. teneri homicidam ad restituendum, si damna illorum intenderet. Sed concedunt, satis esse probabilem sententiam oppositam, scilicet eum tunc etiam ad nihil teneri, cum deficiat ibi opus externum contra iustitiam erga damnificatos, ut tenent Sanchez Sot. Trull. Dic. Bon. [15] iuxta dicta *supra n.* 583.: sed huic sententiae nequeo acquiescere; nam occidens animo nocendi directe aliis, certe peccat contra iustitiam erga illos, cum quisque habeat ius ne vi impediatur a consecutione iusti boni. Tunc enim occidens iam opere iniusto externo laedit illos, et eum ideo teneri eos indemnes reddere recte dicunt p. Conc. [16] Tamb. [17] cum Less. et Viva [18] Croix [19] Elb. cum Henr. et Ills. Neque hic valet dicere

(1) De iust. d. 11. n. 8. (2) L. c. d. 4. (3) Cons. L. 1. c. 4. d. 2. n. 10. (4) L. c. dub. 3. n. 9. (5) L. 3. p. 2. n. 509. (6) Ibid. (7) Eod. n. 509. (8) De restit. c. 2. p. 8. n. 105. (9) T. 7. p. 214. n. 18. (10) Dict. l. n. 107. et 108. (11) Cit. n. 108. (12) Disp. 11. n. 117. (13) Cons. l. 1. c. 4. d. 3. n. 11. (14) L. c. (15) Dict. n. 108. (16) L. c. (17) De rest. ex homic. c. 4. §. 3. n. 13. (18) De restit. q. 7. a. 1. n. 8. in fine. (19) L. 3. [illegible] 2. [illegible]

quod si hic tenetur ad restitutionem, cur non tenebitur is qui impedit alterum ex odio a consecutione iusti boni, quem dictum est *supra n.* 584. non teneri? Respondetur quod ille non tenetur, quia malitia fuit omnino interna pravae voluntatis odientis; sed hic prodiit in vim externe iniustam, prout est homicidium debitoris; quisque autem habet ius ne vi privetur iusto bono, et ideo tenetur homicida ad restituendum ipsi damnum.

634. « 12. Etsi probabile sit deberi etiam restitutionem creditoribus occisi, si quod damnum illis ex ea caede obvenerit; contrarium tamen etiam probabile (saltem secundum limitationem casus praecedentis) est, cum occisio illa non sit directe causativa illius damni. Vide Laym. [1]. »

In hac quaestione, scilicet an homicida teneatur restituere creditoribus occisi damnum eis illatum, tres sunt sententiae.

Prima dicit eum teneri, si homicida praeviderit eorum damnum. Ita Sanch. et Tap. apud Salm. [2].

Secunda dicit eum teneri, sive praeviderit sive non; quia creditores ius habebant exigendi sua credita ab occiso. Mol. et Laym. ap. Salm. [3].

Tertia sententia autem quam tenet Tamb. [4] cum Less. Soto Bec. Dicast. etc. Salm. [5] et Viva [6] docet, eum non teneri ad restitutionem, etiamsi praeviderit damnum, modo non intenderit, quia damnum illorum tunc evenit per accidens. Secus, si damnum creditorum directe intendisset, ut Tamb. [7] et Viva; et hoc recte vocat communius et probabilius p. Conc. [8] iuxta mox supra dicta *num. praeced.*

« 13. Non tenetur occisor aliquid eis restituere, quos occisus alebat ex liberalitate, quia damnum illorum per accidens sequitur. Less. [9] Trull. [10] (*Vide mox dicta n.* 632.).

» 14. Nec tenetur ad damna quae v. gr. provenient ex morte alicuius innocentis qui per errorem putaretur homicidium fecisse, et sic captus plecteretur; quia huius mors non directe causaretur ab ipso, sed per accidens et ex errore vel malitia accusatorum. Vide Bon. [11]. »

635. Quaer. 1. An tenearis restituere damnum alteri obveniens ex tuo homicidio, nempe, si illi crimen imputetur. Respondet Less. [12] quod certe ad nihil teneris, si non advertas ad damnum illi eventurum. Quid, si advertas? Nav. apud Sanch. [13] aliique apud Less. [14] dicunt te teneri ad restitutionem, quia tunc fuisti causa efficax damni. Probabilius tamen negant te teneri Lessius [15] cum Soto Lopez et aliis, item Sanch. [16] Tamb. [17]. Ratio quia non censetur alteri iniuriosa actio illa ex qua provenit damnum non ex se, sed ex errore aliorum, licet error praevideatur, modo tamen (ut bene limitat Less. [18] Tambur. [19] et Croix [20]) actio illa exterior non sit talis ut ea eiusque circumstantiae proxime influant moraliter ad imputationem in tertium, puta, ut dicunt Viva [21] Tambur. et Croix [22], si occidas indutus vestibus vel armis Pauli, vel in domo aut agro aut cum famulis Pauli. Nisi (addunt tamen Less. [23] et Petsch. apud Croix) quis in huiusmodi actionibus utatur iure suo; quia tunc nemini infert iniuriam, quamvis peccare possit contra caritatem, si tunc parum ipsius intersit iure suo uti.

636. Sed maius dubium fit, si non solum advertas, sed etiam intendas ut homicidium tuum alteri imputetur. Lugo [24] cum Cai. Ricc. Cord. Ang. etc. (Et idem sentit Viva [25] sibi non bene congruens cum dictis a se [26]) affirmat, te tunc teneri ad restitutionem; quia licet tua actio sit causa remota imputationis, tua tamen prava intentio nocen-

(1) L. c. n. 4. (2) De rest. c. 2. punct. 8. n. 110. (3) Ibid. (4) De rest. c. 4. §. 3. n. 12. (5) Dict. l. n. 11. (6) De restit. q. 7. a. 1. n. 8. (7) Dict. l. n. 13. (8) T. 7. p. 214. n. 10. (9) L. 2. c. 9. a. 26. (10) Loc. c. (11) D. 2. q. ult. sect. 2. p. 2. (12) L. 2. c. 9. dub. 16. n. 110.

(13) Cons. l. 1. c. 4. dub. 5. n. 6. (14) L. 2. c. 9. n. 111. (15) Dict. n. 111. (16) N. 7. (17) Dec. l. 6. c. 4. §. 1. n. 5. (18) N. 114. (19) N. 4. (20) L. 5. p. 2. n. 157. (21) De restit. q. 7. a. 1. n. 5. (22) L. c.t. (23) L. c. (24) De iust. disp. 8. n. 75. (25) Loc. c. (26) Q. 2. art. 1. n. 5

di efficit ut sit causa moralis illius damni. Verum adhuc probabilius puto nec etiam eo casu te teneri, ut docent Less. [1] Sanch. [2] cum Angles Tamb. et Croix [3] cum Diana etc. Ratio quia semper ac actio ex se vel ex suis circumstantiis non sit proxime causans imputationem, ut supra explicatum est, intentio prava iuxta communiorem sententiam non efficit ut sit iniustum illud opus quod de se externe graviterque non est iniustum respectu tertii. Sed dices, sicut quis occidens hominem ut noceat fratribus aut aliis quibus ille benefaciebat, licet ex liberalitate prout diximus *n.* 633., tenetur eis damnum restituere; sic etiam tenetur qui alium occidit ut alteri homicidium imputetur. Sed respondetur, differre casum; nam ibi damnum fratrum illorum per se necessario et proxime erat coniunctum cum morte benefactoris; at in casu praesenti damnum eius cui imputatur homicidium non est necessario per se et immediate coniunctum cum morte occisi, sed remote et mere per accidens, cum proprie pendeat ex iudicio aliorum putantium ob extrinsecas coniecturas, ipsum fuisse homicidam. Unde hic homicidium est tantum occasio imputationis, non vero causa, quia non influit proxime et directe.

637. Quaer. 2. An teneatur ad restitutionem damni invasus qui excedit moderamen inculpatae tutelae. Negant Sot. Mol. Sylv. Angl. etc. apud Lugo [4] et Tamb. probabile putat; quia tunc invasor censetur cedere iuri suo. Attamen Lugo [5] et Croix [6] cum Sanchez Navarr. Vasq. et aliis communiter, probabilius putant eum teneri ad totum damnum, quia excedendo iam gravem iniuriam alteri infert, et invasor utique habet ius ut a nemine ex privata auctoritate iniuste occidatur.

638. Censet autem Suar. ap. Croix [7] quod si quis provocet alterum ad pugnam, et illo acceptante occidat, tenetur restituere damnum; quia provocatio fuit vera damni causa. Sed probabilius [8] contradicunt Lugo [9] cum Vasquez et aliis; quia, licet provocans peccet contra caritatem, dum autem alter pugnam acceptat, pugnando non peccat contra iustitiam.

639. 3. Quaer. An in restitutione lucri amissi ab occiso propter occisionem debeat detrahi pretium laboris quem ille pro lucro obtinendo impendere debuisset. Affirmant Molin. Rebell. Diana etc. ap. Croix [10]. Negant vero communius dd. cum Steph., ut asserit Croix: sed rationabiliter sententias conciliat Bonac. dicens, illud tantum detrahendum, quod praesumitur occisus libenter daturus fuisse pro redemptione laboris.

Art. IV. Quid debeat restitui pro illato stupro.

640. « Resp. qui virginem per iniuriam defloravit, tenetur tantum rependere damnum quod ei ex tali iniuria est secutum, idque vel matrimonio, vel damni aestimatione ad arbitrium prudentis, ut talem nimirum inveniat qualem manens virgo invenisset. Vid. Sanchez [11] Fill. [12] (Hinc si stuprator non

(1) N. 113. (2) N. 9. (3) N. 156.
(4) Disp. 9. n. 51. (5) N. 50.
(6) L. 3. p. 2. n. 305. (7) L. 3. p. 2. n. 307.
(8) Probabiliter tamen Lugo cum Vasq. et aliis (contra Suarez) excusat a restitutione qui inimicum provocat ad pugnam et eum occidit; nam tunc non pugnat contra iustitiam. dum ille iam cedit suo iuri pugnam acceptando. Hom. Ap. tr. 10. n. 89.
(9) Disp. 12. n. 58. (10) Loc. c. n. 312.
(11) L. 7. d. 14. (12) T. 32. c. 8. n. 209

possit dotare, tenetur ducere. Tamburin.[1] cum Lugo[2] nisi magnus sit excessus. *Vide infra num. seq.* 642. *et* 649. *in fin.*).

Unde resolves:

» 1. Praecise pro sola virginitate non obligat restitutio. Unde si stuprum mansit occultum, aut non impedivit quin aeque laute nuberet, ad nihil tenetur stuprator. Less. Bonac.[3] (At si virgo antequam nubat satisfactionem petat, tenetur stuprator satisfacere, licet stuprum sit occultum. Tambur.[4]).

641. » 2. Item ad nihil tenetur si defloravit consentientem absque vi, fraude vel promissione matrimonii, quia non est facta iniuria[5], Trull.[6].

» 3. Si virginem importunis precibus flexit, nihil tenetur restituere, quia adhuc consensit libere: nisi forte preces tales fuerint, ut vi et coactioni aequiparentur, ut, si coniunctae fuerint cum minis vel metu reverentiali, v. gr. si fuit illius dominus vel vir magnae auctoritatis. Trull.[7].

» 4. Si promissione vera vel ficta matrimonii eam flexit, tunc tenetur ducere eam, quia in omni contractu, ubi alter ex parte sua acceptavit et implevit, tenetur et alter implere, etiamsi ficte contraxerit, quia tenebatur ex iustitia vere contrahere, cum alioqui omnia humana commercia fraudibus paterent. Et id quidem verum est, etiamsi stuprator religionem vovisset. Less.[8] Trull.[9].

» 5. Non tamen tenetur fictus promissor eam ducere casu quo 1. Is puellam valde notabiliter conditione excederet, vel verbis usus esset fictionem facile indicantibus. 2. Si ipsa conscia esset praedicti voti: quia tunc ipsa contraxisset mala fide. 3. Si ipse putavit eam esse virginem, cum tamen non esset. 4. Si ex matrimonio grave damnum aut scandalum timeretur. 5. Si ipse iam sacris initiatus est aut alteri matrimonio copulatus; tunc enim his casibus solum teneretur curare ut aeque commode nubat, modo ante dicto, dando scilicet dotem, vel aliter. Vide Sanch.[10] Trull.[11]. »

Omnia haec, cum agatur de rebus valde gravibus et quae frequenter ad praxim deducuntur, sedulo hic discutienda et elucidanda sunt; et primo videndum de obligatione viri deflorantis virginem sine promissione matrimonii; secundo de eo qui defloravit matrimonium promittendo.

§. 1. *Ad quid tenetur deflorator si non promittat matrimonium.*

In hoc distinguendum: si virgo libere consentiat, commune est deflorantem nihil teneri ei restituere. Sed dubium 1. fit an eo casu teneatur ille satisfacere iniuriam parentibus puellae. Adest duplex sententia probabilis.

Prima negat et hanc tenent Sanch.[12] Lugo[13] Suar.[14] Less.[15] et probabilem putant Croix[16] et Lay.[17] cum Soto P. Nav. et Vasq. Ratio quia, si ipsa puella, cum sit domina sui corporis, nullam irroget iniuriam patri si deflorationi consentiat, utens iure suo, tanto minus irrogat deflorator. Tantum illa peccabit, et consequenter etiam violator contra pietatem patri debitam et etiam contra obedientiam, si de tali crimine expresse prohibitionem a patre habuerit, ut ait Lugo[18].

Secunda sententia vero affirmat et hanc tenent s. Ant.[19] Nav.[20] Cordub.[21] item Bannez et Salm. apud Sanchez[22] et probabilem putant ipse Sanch. et Laym.[23] cum Caiet. Silv. et Valent.[24]. Et idem tenet d. Thom.[25] qui dicit: *Iniuriam facit* (deflorator) *patri puellae, unde ei secundum legem tenetur ad poenam; nimirum ex Deut.* 22., ubi defloratores, si in iudicium adducti fuissent, tenebantur solvere patri puellae 50. siclos. Id tamen bene advertit d. Antoninus locum habere tantum post senten-

(1) De restit. (2) c. 5. n. 27. (3) Q. 4. de matr. p. 7. (4) Dict. l. n. 32. (5) Ibid. (6) D. 2. (7) C. 9. d. 3. (8) L. 2. c. 10. d. 3. et 4. (9) D. 3. (10) L. 1. de matr. d. 10. (11) L. 7. c. 9. d. 3. (12) De matr. l. 7. d. 14. n. 11. (13) De poenit. d. 16. n. 223. et 224. (14) T. 4. d. 22. sect. 4. n. 7. (15) L. 2. c. 10. d. 1. (16) L. 3. p. 2. n. 316. (17) L. 3. tr. 3. p. 3. c. 13. n. 1. (18) N. 226. (19) 2. p. tit. 5. c. 6. §. 1. (20) Man. c. 16. n. 19. (21) L. 1. q. 13. col. 4. §. Ubi. (22) Dict. n. 11. (23) N. 2. in fine. (24) Relat. ibi n. 1. (25) 2. 2. q. 154. a. 6. ad 3.

tiam iudicis. Caeterum docet praefata secunda sententia, tam puellam quam eius violatorem dupliciter peccare, nempe contra castitatem et iustitiam, ac teneri deflorantem restituere patri honorem ablatum per aliquod signum honorationis, veniae petitione, aut alio simili; nisi praesumatur pater talem nolle satisfactionem.

Dubium 2. fit an violator puellae consentientis restituere teneatur parentibus damnum bonorum ipsis obveniens propter dotem quam augere debent ad filiam in matrimonio collocandam. Affirmant Azor.[1] et Corduba [2] et alii. Sed communissime negant Sot. [3] Suar. [4] Sanch. [5] Less. [6] Lugo [7] cum Vasq. Ronc.[8] Mol.[9] Laym.[10] cum Sylv. et Salm.[11] cum P. Nav. Tapia Reb. Bann. etc. Ratio quia sicut puella, cum possit libere nuptias respuere, non facit iniuriam parentibus, si ad illas minus aptam se reddat, consentiendo in suam deflorationem, ita neque iniuriam eis facit deflorator, ipsam consentientem violans.

Excipitur 1. si vir deinde facinus propalando puellam infamaverit: tunc enim ex iustitia tenetur omne damnum ex infamatione proveniens puellae et parentibus resarcire; ut recte advertunt Laym.[12] et Salm.[13]. Excipitur 2. si deflorator sit valde dives et puella pauper; tunc enim tenetur ipse dare ei aliquam saltem partem dotis, licet non promiserit: quia tunc censetur puella sub hac spe, et ex quodam implicito pacto suae deflorationi consensisse: ita Salm. [14] cum Bann. Villal. et Tapia. Quamvis Dicast. et Rebell. dicant ad id teneri violatorem tantum ex consilio et aequitate. Excipitur 3. cum Lay. [15], si iudex, sequendo sententiam probabilem oppositam, damnet defloratorem ad poenam, propter iniuriam parentibus illatam: bene enim contra ipsum competit parentibus actio pro iniuria, ut dicunt Lugo[16] et Molina [17] cum Guttier. et Salcedo.

Caeterum loquendo de legibus quae in foro externo cogunt defloratorem ad puellam ducendam, aut dotandam [18], eo quod leges ordinarie praesumunt, nisi oppositum probetur, virginem fuisse deceptam, recte dicunt Salm. [19] ad ea non teneri in conscientia defloratorem, si puella revera sponte consensit. Leges enim quae fundantur in falsa facti praesumptione non obligant in conscientia, ut diximus *l. 1. n. 100. in fine v. Quaero.*

Hic obiter adnotare iuvat cum Cont. Tour. [20] valde utile fore ad huiusmodi flagitia vitanda, quod promissiones matrimonii ad obtinendam deflorationem, etiam forte iuramento firmatae, invalidae declarentur ab episcopis: prout fert auctor praefatus in praxi deductum in quadam dioecesi gallicana cum magno profectu. Praeterea notandum cum Sylvio ex Nav. et Sayro apud eumd. Cont. Tourn. [21] quod si vidua, habens bona relicta a viro cum conditione ut caste vivat, fornicetur, nequit bona illa retinere propter conditionem non servatam.

Haec de viro deflorante virginem consentientem. Si vero quis vi, minis aut fraudibus violet, hic tenetur tam puellae quam parentibus omnia damna reparare honoris et fortunae [22]. Hinc tenetur talem augere dotem ut puella aeque bene nubat ac si violata non fuisset; ita comm. Lugo[23] Less.[24] Sanch. [25] Ronc. [26] Laym. [27] et Salm. [28]; qui addunt teneri defloratorem etiam aliquid aliud dare puellae prudentum arbitrio, propter moerorem et periculum vexationis patiendae a viro, si corrupta cognoscatur. Satisfacit tamen stuprator

(1) T. 3. l. 5. q. 1. diff. 9. (2) L. c. q. 13. d. 5. (3) L. 4. de iust. q. 7. a. 1. ad 2. (4) T. 4. de poenit. d. 22. sect. 4. n. 26. (5) De matr. l. 7. d. 13. n. 11. (6) L. 2. c. 10. sect. 1. n. 9. (7) De iust. d. 16, dub. 2. n. 8. (8) De rest. c. 2. q. 1. p. 352. (9) D. 206. n. 2. (10) L. 3. tr. 3. p. 5. c. 13. n. 2. (11) Tr. 12. de restit. c. 3. punct. 1. §. 1. n. 2. (12) Loc. c. n. 2. in fine. (13) Ibid. n. 7. in fine. (14) Loc. c. n. 6.

(15) Dicto n. 2. in fine. (16) De rest. d. 12. n. 10. (17) D. 104. n. 12. (18) C. 1. et 2. de adulter. et l. unic. ff. de rapt. (19) Ibid. c. 3. n. 5. (20) De 6. praec. a. 2. concl. 2. Quaeres. (21) De 6. praec. a. 1. concl. 2. Quaer. 1. in fin. (22) Ex c. Si culpa, de iniur. (23) Dicta d. 12 n. 13. (24) C. 10. n. 11. (25) L. 7. d. 14. n. 12 (26) P. 352. q. 2. (27) Dicto c. 13. n. 3. (28) Loc. c. n. 8.

dotando: non tenetur enim eam ducere, si matrimonium non promiserit, ut Less. [1] Lugo [2] Salm. [3] cum Bann. Dicast. et Rebell. Verumtamen iudex (ut notant Salm. [4]) bene potest eum obligare ad eam ducendam in poenam sui criminis [5]: iuxta olim sancitam ex Exod. [6] ubi: *Si seduxerit quis virginem... dormieritque cum ea: dotabit eam et habebit eam uxorem.* Si autem ipse vellet eam ducere, at puella nuptias respueret, tenetur eam omnino dotare, ut recte dicunt Less. [7] Ronc. [8] Lugo [9] cum Azor. et Turr. ac Salm. [10] cum Rebell. et Dicast. *Vide infra num.* 648. Et idem dicendum etiam in dubio an puella fuerit prius vel non, ab alio corrupta, quia praesumitur ipsa integra, donec certo oppositum probetur. Item si vir rem habeat cum puella clam corrupta, vel cum vidua honestae famae, et ex suo iniusto concubitu ipsa famae iacturam faciat. Secus vero si concubitus omnino occultus remaneret; tunc enim ad nihil teneretur: ita Laym.[11] Ronc.[12] et Salm.[13] ex communi dd.

642. Dubium fit 1. Quid si virgo iniuste violata postea aeque bene nubat? Respondetur, ad nihil teneri violatorem, nisi ante matrimonium, per sententiam vel pactum, dos fuerit puellae adiudicata; nam alias nil tenetur praestare: non pro violatione virginitatis, quae irreparabilis est; nec pro damno, cum nullum secutum sit: ita Nav.[14] Less.[15] Lugo[16] Lay.[17] cum Vasq. Corduba et Azor. ac Salm. [18] cum Dicast. Villal. P. Nav. Qui tamen advertunt, quod si mulier male tractetur a viro ob cognitum defectum, tenetur stuprator damna mulieri compensare.

Dubium fit 2. An qui precibus repetitis et importunis, vel muneribus aut promissis virginem ad consensum deflorationis induxit, teneatur eam ducere vel dotare. Negant communissime Sanch. [19] Less. [20] Lugo [21] et Salm. [22] cum Vasq. Soto Dic. Diana et P. Nav. Ratio, quia preces illae aut promissa non tollunt quod virgo vere sponte consentiat, cum possit facile, ut decet, molestiam illam excutere. Excipiunt 1. praefati aa., si una cum precibus iunctae sint minae aut metus reverentialis. Excipiunt 2. si preces essent adeo importunae et frequentes, ut puella maius detrimentum putaret vexationem illam, quam virginitatis iacturam: tunc enim sollicitatio tam importuna vi comparatur [23]. Tametsi bene addant Salm. [24] cum Sanch. et Less. rarissime id contingere, dum foemina de facili possit, concepta ira vel aliter, a sollicitante se liberare. Excipiunt 3. Ronc. [25] et Salm. [26] cum Bann. Tapia et Villal. si vir incipiat tactibus et osculis vim puellae inferre, etiamsi illa postea libere consentiat deflorari, quia per antecedentem illam violentiam vir constituit eam in proximo periculo consentiendi in copulam. Excipiunt 4. Ronc. et Salm. [27] cum Reb. et Dic. si vir nolit discedere et virgo consentiat, quia alias timet infamari, si cum illo ab aliis sola reperiatur. In his tamen et similibus casibus dicunt Salm.[28] teneri violatorem tantum ad partem, non vero ad omnem damnorum reparationem.

§. 2. *Ad quid tenetur deflorator si matrimonium vere aut ficte promittat.*

Quaeritur 1. An qui per fictam promissionem matrimonii copulam extorserit a virgine teneatur eam ducere.

Prima sententia dicit eum non teneri, sed satisfacere si damnum reparet eam dotando. Ita Gabriel et Barth. Led. apud Salm.[29], idem tenet Praepos. ap. Tamb.[30] et probabile putat Dicast. ap. Salm.[31] (qui citant etiam s. Antoninum, sed non bene; nam hic [32] expresse te-

(1) N. 13. (2) N. 11. et 14. (3) Dict. c. 3. n. 9. (4) Ibid. (5) Ex c. 1. de adult. (6) C. 22. v. 16. (7) C. 10. n. 12. (8) Loc. c. (9) N. 12. (10) N. 10. (11) C. 13. n. 4. (12) Loc. c. (13) De rest. c. 3. p. 1. §. 1. n. 11. (14) Man. c. 16. n. 7. et 19. (15) L. 2. dub. 2. c. 10. n. 15. (16) D. 12. sect. 1. n. 16. (17) C. 13. n. 4. (18) Ib. n. 12. (19) De matr. l. 4. d. 10. n. 1. et 4.

(20) C. 10. n. 14. (21) D. 12. sect. 1. n. 4. (22) Loc. c. n. 14. (23) Ex l. 1. de raptu, et Gloss. in c. Scienti, de reg. iur. in 6. (24) Ib. n. 15. (25) Dicta q. 2. p. 353. in fin. (26) Ibid. n. 16. (27) Cit. n. 16. (28) Ibid. in fin. (29) De matr. c. 1. punct. 3. n. 33. (30) Dec. l. 7. c. 5. §. 3. n. 44. (31) Ibid. (32) P. 2. tit. 5. c. 6. §. 1.

net oppositum). Ratio istorum, quia in hoc casu stuprator non tenetur vi promissionis, cum defecerit consensus; tenetur tantum ex damno illato; ergo sufficit ei si damnum resarciat.

Secunda sententia tamen communis omnino tenenda docet ipsum obligari ad matrimonium. Hanc tenet d. Th. [1] et sequuntur Bus. *ut supra*, s. Anton.[2] Nav. [3] Sanch. [4] Lugo [5] Less. [6] Escob. [7] Tamb.[8] Pal.[9] Elbel [10] Salm. [11] Croix [12] Viva [13] Laym. [14] Holz.[15] et alii passim. Praefatam sententiam probat p. Holzm. *ex cap.* 1. *de Adult.* ubi dicitur: *Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit et habebit eam uxorem; si vero pater virginis dare noluerit, dabit pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.* Sed ex hoc textu nostra sententia non satis probatur, nam docet Laym. [16] cum Nav. Mol. Azor. P. Nav. etc. et Cont. Tour.[17] quod lex praefata non obligat in conscientia ante iudicis sententiam. Hic tamen notandum quod omnes conveniunt cum Lugo [18] defloratorem teneri in conscientia vel ducere violatam vel aliter damnum reparare. Hinc, si non possit damnum resarcire, dicendum cum Lugo [19] ipsum omnino teneri ad eam ducendam; nisi (bene excipit ipse Lugo [20] cum Mol.) conditio viri multum excederet foeminae conditionem, quia nemo tenetur restituere cum suo damno, nimis excedente debitum, iuxta dicenda *n.* 697. Melius autem nostra sententia probatur rationibus intrinsecis. Ratio 1. est quia aliter, si deflorator virginem deceptam non ducat, nunquam ei reddet aequale nec damnum adaequate reficiet. Ratio 2. quia in contractibus innominatis, *do ut des*, *facio ut facias*, quando alter ex sua parte implevit, tenetur alter implere ex iustitia quamvis ficte contraxerit. Ut enim humanum commercium recte servetur ob bonum commune, ipsum ius naturae exigit ut omnis fraus a contractibus absit. et propterea obligat decipientes, ut in poenam suae fraudis teneantur ita reddere omnino indemnes proximos deceptos, ac si nulla fraus intercessisset Unde, sicut in aliis contractibus, quando res non est integra tenetur ex. gr venditor tradere domum venditam pro qua pretium iam accepit, quamvis ficte contraxerit, iuxta communem sententiam quam referemus *de contract. n.* 709; ita in casu praesenti deflorator, etiamsi aliunde posset damnum resarcire, tenetur omnino matrimonium promissum contrahere.

643. Haec vero sententia limitatur, 1. nisi foemina ex verbis aut aliis coniecturis facile poterat advertere deceptionem promittentis; tunc enim non tenetur deflorator promissionem servare, cum ipsa eo casu videatur sponte voluisse decipi. Ita communiter Sanch.[21] cum d. Th. d. Antonin. Ang. Sylv. Tab. etc. Hinc docet Lessius[22], quod si vir inconstanter fuerit locutus vel usus fuerit verbis ambiguis vel nimias adhibuerit exaggerationes, tunc non tenetur ad matrimonium. An autem eo casu teneatur ad damnum compensandum, mox infra videbimus *Dubitatur* 3.

Sed hic dubitatur 1. An teneatur stuprator ad nuptias ficte promissas, si ipse notabiliter excedat in nobilitate vel divitiis conditionem mulieris, et illa iam noverit disparitatem. Pal.[23] et Pontius [24] Croix [25] Laym. [26] cum Nav. Vasq. etc. tenent, non sufficere solam inaequalitatem ad liberandum virum a matrimonio promisso, sed insuper requiri ut ex aliis circumstantiis puella potuerit deceptionem percipere, cum non raro viri foeminas dispares ducant. Sed valde probabiliter eum ex-

(1) Suppl. q. 46. a. 2. ad 2. (2) P. 2. tit. 5. c. 6. §. 1. (3) Man. c. 16. n. 18. (4) De matr. l. 1. d. 10. n. 3. (5) D. 12. n. 20. (6) L. 2. c. 10. dub. 3. n. 20. (7) De restit. c. 7. n. 56. (8) Loc. c. (9) De spons. d. 1. p. 2. n. 3. (10) De matr. n. 14. (11) L. c. n. 34. (12) L. 6. p. 3. n. 69. (13) De matrim. q. 1. a. 2. n. 3. (14) L. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 11. (15) De matr. c. 1. n. 119. (16) L. 13. tr. 3. p. 3. c. 13. n. 3. (17) De iustit. et iur. p. 3. c. 3. a. 2. sect. 9. r. 4. (18) D. 12. n. 11. (19) N. 16. (20) Ibid. (21) L. 1. d. 10. n. 7. (22) C. 10. n. 24. (23) Loc. c. (24) De matr. l. 12. c. 2. n. 15. (25) L. 6. p. 3. n. 71. (26) De spons. c. 1. n. 11

cusant cum Busemb. *ut supra*, Salm. [1] Lugo [2] (cum communi ut asserit) et Sanch. [3] cum s. Anton. Nav. Sylvest. Ang. Arm. et aliis pluribus. Ratio quia ipsa disparitas conditionis de se ingerit motivum ad prudenter dubitandum de veritate promissionis; quod si foemina eo casu non dubitaverit, ut debebat, hoc per accidens se habet, et suae negligentiae imputandum. Sicque expresse docuit d. Thomas [4] qui dixit quod sponsus extorquens copulam a virgine per fictam promissionem, *tenetur eam ducere in uxorem, si aliam non duxerit; sed si aliam duxerit, sufficit si ei de nuptiis provideat; et ad hoc etiam non tenetur, ut quidam dicunt, si sponsus* (*nota*) *sit melioris conditionis, aut aliquod signum fraudis evidens fuerit, quia praesumi probabiliter potest quod sponsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit*. Et in his casibus vir non tenetur ad matrimonium, etiamsi iuramento promissionem firmaverit, ut dicunt Lugo [5] et Sanch. [6] cum s. Antonin. Sylvest. Caiet. Sot. Nav. et aliis plurimis. Ratio quia iuramentum non obligat nisi iuxta intentionem promittentis. Quanta autem debet esse haec disparitas ad liberandum virum a matrimonio. Less. [7] requirit ut vir sit longe nobilior, nempe si sit filius comitis, et mulier sit filia fabri; sed Sanchez [8] cum s. Antonin. et Nav. ait multo minorem disparitatem sufficere, nempe si nobilis ducere debeat filiam agricolae, vel si ipse sit notabiliter opulentior, ut [9] subdit Sanch cum Nav. Lopez Corduba Veracrux, et admittit idem Less.[10]. Sic enim loquitur Nav.[11]: *Obligatur ad explenda promissa... nisi essent valde inaequales genere, potentia vel divitiis, puta si ille esset nobilis, et illa agricolae vel artificis filia*. Idem docet d. Antonin. [12] : *Servet promissum, nisi nimis distans esset eorum conditio, puta mulier plebeia, vir nobilis et potens*.

Dubitatur 2. An deflorator eo casu teneatur ad matrimonium, si puella omnino disparitatem ignoraverit. Affirmant probabiliter Less. [13] et Busemb. *de matr. cap. 1. d. 2.*, quia tunc mulier nullo modo potuit deceptionem advertere. At valde adhuc probabiliter negant Lugo [14] Viva [15] Salm. [16] cum Corneio Sanch. [17] et probabile putant ipse Less. [18] et Cordub. Manuel Petrus Led. Verac. apud Sanch. Ratio quia deflorator non obligatur nisi ad aequalitatem iniuriae illatae; iniuria autem illata in hoc consistit, quod ipse non servet id quod mulier petiit, et propter quod copiam sui corporis ei fecit. Ergo ad reparandam iniuriam illam non tenetur vir reddere plus quam mulier petiit: mulier autem ignorans conditionem viri nihil aliud petiit, quam ut alter eiusdem suae conditionis vel parum excedentis eam duceret. Si igitur vir multo melioris conditionis illam eo casu sibi matrimonio copularet, redderet plus quam aequale iniuriae illatae, dum redderet id quod illa nec petiit nec petere intendit; et ideo non tenetur eam ducere, sed sufficit si damnum reparet eam dotando vel de nuptiis providendo.

Dubitatur 3. Utrum casu quo mulier ob disparitatem cognitam vel ob alias coniecturas potuit percipere deceptionem, teneatur saltem vir ad damnum compensandum. Affirmant Sot. Nav. Cord. et alii ap. Sanch.[19], quia ipse iam iniuste puellam defloravit. Sed probabilius negant Less. [20] Lugo [21] Sanch. [22] cum s. Anton. Sylv. Tab. Ang. Arm. Lop. etc. Ratio, tum quia quando puella deceptionem iam percepit, ut prudenter percipere debuit, tunc recte praesumitur libere consensisse: tum quia ad obligationem restitutionis non sufficit animus internus, sed amplius requiritur actio externa iniusta, per se apta ad damnum inferendum, ut diximus *n*. 584. Hinc si damnum evenit sine tali actione, per accidens evenit et nulla debetur restitutio. Idque ex-

(1) L. cit. n. 37. (2) De iust. d. 12. n. 21. (3) N. 5. (4) Suppl. q. 46. a. 2. ad 4. (5) N. 22. (6) L. 1. d. 9. n. 8. et d. 10. n. 8. (7) D. c. 10. n. 21. (8) L. 1. d. 10. n. 6. (9) Ibid. (10) L. c. (11) Man. c. 16. n. 18. (12) P. 2. tit. 5. c. 7. §. 1. (13) Loc. c. n. 22. (14) D. 12. n. 31. et 32. (15) Loc. c. n. 4. (16) De matr. c. 1. punct. 3. n. 38. (17) N. 21. (18) Loc. c. (19) Dict. d. 10. n. 18 (20) C. 10. n. 24. (21) D. 10. n. 30. (22) N. 19

presse tenet d. Th. [1] ut vidimus, qui docet stupratorem ad nihil teneri si sit melioris conditionis, vel aliud signum dederit deceptionis, et d. Th. sequitur s. Antoninus [2].

644. Limitatur 2. Si timeatur ex matrimonio pessimus exitus, ut si puella noscatur nimis levis, ut dicunt Bus. *ut supra*, Lug. [3] et Sanch. [4] cum Man. et Henriquez. Idem dicunt Sanch. [5] cum s. Anton. et Salmant.[6] cum Dic., si timeantur magna scandala vel rixae inter consanguineos contrahentium. Sed quoad hoc punctum vide quae dicemus *de matr. l.* 6. *n.* 851. *vers. Ad id autem.* Casu vero quo ex tali matrimonio dedecus obveniret familiae viri, ratione disparis conditionis; puto ipsum minime teneri virginem violatam ducere, sive ficte sive vere promiserit: nam si ficte promiserit, iam probavimus eum non teneri ad matrimonium, imo nec etiam ad damna, ut mox supra diximus. Si autem vere, nec etiam tenetur eam ducere, quia promissio est nulla, cum sit de re illicita, utpote de matrimonio cum dedecore familiae, prout dicemus *de matrim. d. n.* 851. cum Laym. Ronc. etc. Sed dices: Si virgo deflorata condonet viro obligationem matrimonii promissi, valide condonat, etiamsi ex condonatione infamia suae familiae obveniat, quia ius ad matrimonium ipsi proprie competit, et ideo illi libere potest cedere, ut probabilissime dicunt Lugo [7] cum Vasq. (contra Cordub. et alios) Less. [8] Laym.[9] Roncagl. [10]. Ergo a pari videtur dicendum quod si vir promittat se ducturum foeminam cum dedecore familiae, valide promittit. Sed respondetur quod dispar sit ratio inter promissionem et contractum consummatum; nam promissio non potest esse valida nisi sit de re licita, cum iustitia non possit obligare ad illicitum, iuxta dicenda *n.* 712. Et ideo promissio de ineundo matrimonio cum dedecore familiae non est valida, quia est de re illicita: contractus vero consummatus potest esse quidem illicitus et validus. Cum ergo puella corrupta condonat matrimonium valide condonat (quamvis illicite, si immineat familiae infamia), quia cedit iuri suo; et sicut illa potuit antecedenter consentire ad damnum deflorationis, sic etiam potest deinde cedere iuri acquisito; sed si tantum promitteret se cessuram, nulla esset promissio, tamquam de re illicita propter infamiam suae familiae. E converso, si talis vir contrahat matrimonium cum puella, etsi illicite, valide tamen contrahit. At si matrimonium solum promittat, invalide promittit; sicut si quis habens votum castitatis contrahat matrimonium, valide contrahit; si vero solum promittat, invalide promittit et ad nihil tenetur, nisi aliunde teneatur ad damnum illatum, ut supra diximus.

645. Limitatur 3. Si vir habeat solos tactus cum virgine, ita Sanch. [11] cum Nav. Lugo [12] Croix [13]. Modo (ut bene excipiunt Lugo [14] et Croix [15] cum Sanch., qui adhaeret [16]) ipsi tactus aut familiaritas cum foemina non innotescant, ita ut ipsa, nisi ducatur, infamiam subire debeat. Haec tamen exceptio valet, quando vir solos tactus petierit cum pacto matrimonii; nam aliter dicendum, ut infra videbimus, si ille simul tactus et copulam postulaverit. Ratio autem cur vir solos tactus exigens non teneatur ad matrimonium est quia tactus non afferunt tantam iniuriam quae proportionem habeat cum onere ducendi; et ideo mulier facile tunc potuerit fictionem promissionis advertere. Recte vero advertit Lugo [17] quod hoc procederet, si foemina esset humilis conditionis; secus si esset nobilis et honesta, et ex illis tactibus multum deturpata remaneret, ita ut sine spe matrimonii minime eos praestasset: tunc enim probabilius tenetur vir eam ducere, quia iniuria esset eo casu satis aequalis nuptiis promissis. Idem censet dicendum Lugo [18] etiam quoad foe-

(1) L. c. (2) P. 3. tit. 1. c. 19. sub init. (3) D. 10. n. 25. (4) D. 10. n. 10. (5) Ibid. (6) Ib. n. 40. (7) D. 12. n. 9. (8) C. 10. n. 9. (9) L. 3. tr. 3. p. 3. c. 13. n. 2. (10) De 7. praec. c. 2. q. 1. r. 2. (11) L. 1. d. 10. n. 14. (12) D. 12. n. 37. (13) L. 3. p. 2. n. 329. (14) N. 48. (15) Loc. c. (16) N. 24. (17) Loc. c. (18) Ibid.

minam humilis conditionis, si vir petiisset simul ab ea tactus et copulam; quia tunc, ut ait, foemina nequisset advertere fictionem. Sed pace tanti doctoris, melius dicendum mihi videtur cum Tamb. quem sequitur Sporer [1]. eo casu omnino excusandum virum ab onere matrimonii, quia tunc nulla adfuisset fictio promittentis, nec mulier praestitit id quod vir petebat sub promissione coniugii; et ideo, cum fraus abfuerit, non tenetur ipse nisi ad compensandum damnum infamiae quam forte ex illis tactibus mulier esset subitura: ita Tambur. [2]. Et hic mihi permittatur obiter verbum dicere de hoc auctore qui ab aliquibus nimis parvipenditur. Negari non potest quod auctor iste multum facilis fuerit ad tribuendum probabilitatis pondus opinionibus quae probabiles dici non merebantur, unde cum cautela legendus est. Caeterum ubi ille ex sua sententia loquitur, ut verbis utar doctissimi et illustrissimi episcopi d. Iulii Torni, sane theologice loquitur, et ex propriis principiis quaestiones resolvit: ita ut sententiae quas ipse probabiliores iudicat, sapientum iudicio ut plurimum probabiliores sint.

646. Limitatur 4. Si vir foeminam cognoverit, existimans eam esse virginem, sed corruptam invenerit. Ita Salmant. [3] Sanch. [4] cum Lop. et Bordon. item Spor. Laym. Holzm. Ronc. [5] etc. comm. Idemque dicendum putat Sanchez [6] pro quocumque alio notabili errore viri. His tamen casibus putat Sanchez [7] Spor. [8] Lugo [9] teneri virum aliquid compensare foeminae ratione copulae traditae; nisi foemina eum deceperit fingens se virginem; quia tunc una deceptio cum altera compensatur. Ita praefati auctores; sed probabilius docent Less. [10] Ronc. [11] Conc. [12] in eo casu virum ad nihil teneri, nisi pactum praecessisset dandi aliquid vel nisi ex copula illa mulier infamiam contraxisset: nam alias pro damno violatae honestatis probabilius nihil debetur, cum tale damnum nulla pecunia compensari possit, prout diximus pariter de restitutione vitae et famae ablatae (*vide dicta n.* 627.). Imo probabiliter ait Elbel [13] quod si puella ideo infametur et a meliori connubio impediatur, quia ipsamet stuprum clam passum manifestat, ad nihil tenetur stuprator. Ratio quia ipsamet sola tunc est causa sui damni. Quid si vir ante copulam non ignoraverit foeminam illam esse corruptam? Eum adhuc teneri ad eam ducendam sentiunt Cord. Man. et Lop. apud Sanch. [14]; sed melius distinguendum: si foemina fuerit corrupta extra matrimonium, tunc dicendum cum Sanch. [15] et Salm. [16] teneri virum tantum ad damna, non vero ad matrimonium, quia revera matrimonium cum foemina inhoneste corrupta est longe maius quam copula exacta. Si vero foemina sit bonae famae et fuerit corrupta ex matrimonio, Sanch. [17] cum Henr. et Verac. censet virum tunc non teneri ad matrimonium, nisi foemina infamiam ex copula contraheret. Sed verius dicendum cum Lugo [18] et Salm. [19], virum semper teneri ad eam ducendam, quia tunc copula revera est aequalis ad matrimonium promissum, ad quod vir obstrictus remansit per deceptionem commissam, ut diximus in principio huius quaest. *n.* 642.

647. Limitatur 5. si non stet per virum quominus matrimonium fiat; sed stet per puellam quae deflorationi consensit sub illa ficta promissione: tunc enim vir ad nihil teneretur etiamsi vere promisisset; ergo tanto magis si ficte promiserit, ut Sanch. [20] et Lug. [21] qui id habet ut certum. Sed recte excipit Lugo si stuprator se finxerit melioris vel aequalis conditionis foeminae, cum fuerit inferior, quia tunc obligatur ad eam dotandam. Dubium est, quando non stat per puellam, sed per eius parentes, an eo casu vir ficte promittens te-

(1) De matr. n. 602. (2) Dec. l. 7. c. 5. §. 2. n. 41. (3) De rest. c. 3. punct. 1. §. 1. n. 19. et de matr. c. 1. p. 3. n. 39. (4) L. 1. ead. disp. 10. n. 11. (5) Loc. c. (6) Ibid. (7) L. c. (8) N. 602. (9) D. 12. n. 25. (10) C. 10. n. 30. (11) De matr. c. 2. q. 5. (12) T. 7. p. 216. et 218. (13) De rest. n. 221. (14) N. 22. (15) Ibid. (16) Ibid. (17) N. 23. (18) N. 34. (19) Loc. c. (20) L. 1. d. 10. n. 15. (21) D. 12. n. 28.

neatur damnum compensare. Negant Sanch.[1] et Lugo[2] cum Tur. Ratio quia tunc non tenetur ratione fictae promissionis, cum per eam teneretur tantum ad coniugium, ac si vero promisisset: nec ratione damni illati, quia damnum tunc non provenit ex sua fraude, sed ex repugnantia parentum. Sed verius mihi videtur tenendum oppositum cum Sylv. Nav. Henr. apud Sanch.[3] et Vasquez ap. Lugo[4]. Ratio quia si deflorator vere promisisset coniugium, adhuc teneretur ad damnum compensandum, etiamsi per ipsum non stet quominus matrimonium ineatur, quando promissio principaliter facta fuerit ad damnum compensandum. Quando autem promissio fuit ficta, certe non ob aliud fuit facta, nisi ad damnum reparandum; et ideo ad illud puto eum omnino teneri ac si damnum se compensaturum promisisset.

648. Quaeritur deinde 2. Si virgo vi corrupta nolit matrimonium contrahere cum stupratore, an teneatur ipse eam dotare. Negant Mol. Covarr. etc. Sed probabilius affirmant Lugo[5] et Croix[6] cum Less. Azor. Bon. et Turr. Ratio quia non est aequum ut puella ob iniuriam stupratoris sua libertate privetur nubendi quocum velit. Si autem ipsa cum esset vi corrupta nollet dotem, sed peteret matrimonium, Azorius ad illud obligat stupratorem; sed communiter Less.[7] et Lug.[8] cum Gob. apud Croix[9] dicunt satis esse ut ille dotando eam damnum compenset: intellige autem nisi interfuerit promissio saltem ficta, ut supra diximus; aut nisi non possit alia via damnum reparari, quam per nuptias, ut notat Croix[10] cum eisdem aa. Dummodo vero (ut advertunt Lugo[11] et Tamb.) non sit magna disparitas, iuxta supra dicta *n*. 643.

649. Quaeritur 3. An vir habens votum castitatis vel religionis teneatur ducere virginem defloratam post veram vel fictam promissionem matrimonii. Si votum fuerit emissum post promissionem, commune est doctorum apud Croix[12] teneri virum ad coniugium, quia tunc votum est nullum, cum factum fuerit in iniuriam puellae. Dubium est si fuerit emissum ante promissionem.

Prima sententia negat eum teneri, et hanc tuentur Laym.[13] cum Nav. Rodr. Dian.[14] Salm.[15] cum Sylv. Prad. et Dic., item Perez Hurt. et Gob. ap. Croix[16], et probabilem vocant Lugo[17] ac Sanch.[18] cum Man. ac Vivald., et probabiliorem putat p. Conc.[19]. Ratio quia tunc corruptor non tenetur ratione damni illati, quia defloratio iniusta sine promissione non obligat praecise ad matrimonium cum deflorata, sed ad alterutrum vel ad eam ducendam vel ad dotandam. Neque tenetur ratione promissionis, cum illa fuerit nulla. Nec obstat quod ficte promittens obligetur ad matrimonium ratione delicti: nam respondent aa. citati, delictum ficte promittentis in hoc esse, quod, cum poterat apponere verum consensum, fraudulenter non apposuerit. In praesenti autem casu, stante voto, corruptor non poterat verum consensum praestare et ideo tenetur tantum ad damnum, eam dotando vel de nuptiis providendo, eodem modo ac si sola defloratio sine promissione intercessisset.

Secunda sententia vero probabilior, quam tenent Less.[20] Sanch.[21] Lug.[22] cum Vasq. Con. Reg. et Gutt. Tamb.[23] Sporer[24] Croix[25], docet talem stupratorem omnino teneri ad matrimonium. Ratio 1. quia (ut diximus) damnum deflorationis nunquam adaequate reparatur nisi per solum coniugium. Ratio 2. quia obligatio ducendi defloratam oritur non ex eo quod tenebatur corruptor vere promittere et non promisit, sed ex ipso delicto fraudis, in cuius poenam, ut probavimus, remanet ipse obstrictus

(1) D. 10. n. 15. (2) N. 29. (3) N. 15. (4) L. c. (5) D. 12. n. 12. (6) L. 3. p. 2. n. 313. (7) C. 10. n. 13. (8) L. c. n. 13. (9) Ibid. (10) L. c. (11) N. 18. (12) L. 3. p. 2. n. 320. (13) L. 5. tr. 10 p. 1. c. 2. n. 5. (14) 3. p. tr. 4. r. 230. (15) De rest. c. 3. punct. 1. §. 2. n. 23.

(16) L. 3. p. 2. n. 320. (17) D. 12. n. 41. (18) De matr. l. 1. d. 45. n. 2. (19) T. 7. d. 3. c. 2. n. 10. (20) L. 2. c. 10 n. 32. (21) De matr. l. 1. d. 45. n. 3. (22) D. 12. n. 42. (23) Dec. l. 7. c. 5. §. 2. n. 34. (24) De matr. c. 3. n. 604. (25) Lib. 3. p. 2. n. 320.

ad reddendam indemnem alteram partem deceptam, tali modo ac si non intervenisset fraus; hoc enim expostulat aequitas naturalis contractuum propter bonum commune. Et sic respondetur rationi oppositae sententiae. Nec obstat votum emissum, quo vigente, videtur corruptor non potuisse ad matrimonium se obligare. Nam respondet Lugo, communem esse sententiam, quod debita onerosa semper sint praeferenda debitis quae obligationem trahunt ex libera voluntate hominis, prout sunt vota. Ita communiter docent Lessius [1] Mol.[2] Bon.[3] Lugo [4] cum Nav. Man. Med. Reb. Reg. Et probatur ex *l. Inter eos*, §. *Is quoque ff. de re iud.* ubi dicitur: *Qui ex causa donationis convenitur*, *in quantum facere potest condemnatur*, *et quidem is solus*, *deducto aere alieno*. Ratio quia in promissione gratuita semper subintelligitur conditio: *dabo si potero*, *vel nisi status rerum mutetur*. Et signanter loquendo de votis, id docent Laym.[5] Sanch.[6] Bon.[7] Pal.[8] Salmant.[9] cum Trull. et Leand. Eo quod vota non sint solvenda nisi ex bonis ipsius voventis; bona autem voventis sunt ea sola quae remanent deducto aere alieno [10]. Hinc est quod si quis voverit dare bona sua ecclesiae et postea damnum alicui inferat, prius tenetur resarcire damnum et deinde implere votum. Sicque votum castitatis semper intelligitur emissum sub conditione, nisi advenerit obligatio alteri damnum compensandi. Et hoc censet valere Lugo [11], etiamsi virgo violata fuerit conscia voti; et merito probabile putat Croix [12] contra Sanchez et Less. ex infra dicendis. Sed dices: Si hoc esset ergo posset deflorator sine dispensatione matrimonium contrahere. Non desunt aa. qui dicunt eum posse, ut Lessius [13] Spor.[14] Tamb.[15] et Trull. Candid. etc. apud Salm.[16], qui censent dispensationem non esse tunc necessariam ad contrahendum, sed tantum eam suadent, ut vir possit inde etiam petere. Sed praeterea respondeo cum Lugo [17] quod, licet talis vir nequisset matrimonium promittere, poterat tamen promittere se impetraturum dispensationem, et ad hoc stuprator iam se obligavit ratione deceptionis, copulam extorquendo sub promissione matrimonii; unde tenetur ipse dispensationem impetrare; qui enim tenetur ad finem tenetur etiam ad media necessaria ad finem conducentia, cum possit ea ponere sine gravi incommodo. Deflorator autem in hoc casu facillime potest dispensationem obtinere et ideo tenetur: prout si religiosus teneatur alicui damnum resarcire, et possit restituere laborando vel petendo a praelato facultatem, ad id tenetur. Haec secunda sententia mihi certo et longe probabilior videtur. An autem prima sententia sit probabilis, dubitat Tamb.[18], imo Spor. ait non esse audiendum Dianam, qui eam tuetur. Ego ipsam nec probabilem nec improbabilem dicere audeo.

Illi autem opinioni quam tenent Layman [19] et Nav. Man. ap. Lugo [20], nempe quod si vir non possit eo casu damnum resarcire, nec etiam tenetur ad matrimonium; huic, dico opinioni, non valeo acquiescere; verius enim contradicit sapientissimus Lugo [21] et eum sequitur Spor.[22]. Ratio quia certum est apud omnes quod iniustus deflorator, etiamsi matrimonium non promiserit, ad illud teneatur, si non possit aliter damnum resarcire, ut docent communiter Less.[23] ipse Lugo [24] et Salm.[25] cum Bann. Dicast. Villal. etc. Tanto magis igitur stuprator, quando matrimonium ficte promisit, ad illud tenetur, si aliter damnum nequeat compensare. Modo (bene excipit Lugo [26] ipse non sit multo melioris conditionis, ut diximus.

(1) L. 2. c. 15. n. 35. (2) D. 790. (3) De rest. d. 1. q. 8. p. 2. n. 12. (4) D. 20. n. 140. (5) L. 4. tr. 4. c. 3. q. 6. n. 13. (6) Dec. l. 4. c. 15. n. 39. (7) T. 2. d. 4. q. 2. §. 6. n. 2. (8) D. 1. p. 16. n. 10. (9) De vot. c. 1. punct. 4. §. 3. n. 125. (10) Ex l. Mulier, ff. de iure dotium. (11) D. 12. n. 50. (12) D. n. 320. (13) L. 2. c. 10. n. 34. (14) De matr. c. 3. n. 601. (15) L. c. n. 36. (16) De rest. c. 3. punct. 1. §. 2. n. 22. (17) D. 12. n. 41. (18) N. 35. (19) Eod. loc. c. (20) D. 12. n. 40. (21) N. 41. (22) De spons. c. 3. n. 595. (23) L. 2. c. 10. n. 13. (24) N. 11. (25) Loc. c. §. 1. n. 9. (26) N. 18.

650. Quaeritur 4. Ad quid teneatur qui sub promissione matrimonii violaverit consanguineam. Duo casus in hoc sunt distinguendi. Primus casus est, si vir promiserit matrimonium expresse sub pacto impetrandi dispensationem; et tunc, quando impedimentum est tale ut in eo pontifex numquam vel raro soleat dispensare, prout inter consanguineos in 1. vel 2. gradu transverso, utique promissio erit omnino invalida, atque ideo non erit alia obligatio quam resarciendi damna. Quando vero impedimentum est tale in quo papa dispensare soleat, alii dicunt promissionem matrimonii esse invalidam, ut Innoc. Host. Abb. Praepos. Sylv. Henr. Villal. Vict. Led. etc. ap. Sanch. [1] qui probabile putat; et ita tenent omnes, qui excusant in casu praecedenti ab obligatione ducendi stupratorem habentem votum castitatis; idque fortius dicunt in hoc casu ubi adest impedimentum non solum impediens sed etiam dirimens. Ratio tum quia haec conditio reiicitur a contractu matrimonii, tamquam impossibilis; ea enim quae a voluntate principis pendent impossibilia dicuntur [2]. Tum quia impediti ad matrimonium, sicut sunt inhabiles ad contrahendum, ita ad promittendum; et pro hac opinione Dian. [3] adducit plures decisiones Rotae Rom. Alii tamen communius et verius docent, talem promissionem satis obligare; ita Lugo [4] Laym. [5] Sporer [6] cum Pal. Con. et Dic. Salm. [7] cum Pont. Bonac. Reb. et Led. Sanch. [8] cum Mol. Covar. Lop. Gom. Holzm. [9] cum aliis communiter, ut asserit. Ratio 1. quia matrimonium promissum sub tali pacto revera est possibile, id enim quod princeps concedere solet minime impossibile reputatur [10]. Tum quia omnis contractus, licet pro tempore impedimenti non sit validus, potest tamen esse validus respectu ad tempus quo impedimentum aufertur; actus enim factus tempore inhabili valet, iuxta iurisperitorum axioma, pro tempore habili ad quod refertur. Et sic respondetur rationibus oppositis. Hinc stuprator eo casu bene tenetur ad dispensationem impetrandam et deinde ad matrimonium contrahendum.

Secundus casus est si promissio matrimonii sit absoluta, nulla facta mentione dispensationis; tunc dicit Sanch. [11] cum Covar. Nav. Gutt. Led. Lop. etc. promissionem esse omnino nullam, utpote de re bonis moribus adversa [12]. Sed verius adhuc puto cum Lugo [13] Croix [14] Tamb. [15] cum Mol. Tab. Arm. ap. Sanchez [16] qui vocat probabile promissionem esse validam, si impedimentum promittenti iam notum fuerit. Ratio quia conditio illa de dispensatione impetranda semper in tali promissione subintelligitur tacite apposita; prout si religiosus promittat aliquid se daturum, valet promissio, quia subintelligitur conditio apposita de licentia praelati. Ideo in tali casu vir etiam tenetur ad procurandam dispensationem et ad matrimonium, cum taciti et expressi eadem sit ratio.

Maior difficultas est quando stuprator ficte promisit matrimonium cum pacto impetrandi dispensationem. Hic recte distinguunt idem Lugo [17] et Tamb. [18] quod si mulier prudenter advertere potuerit fictionem promissionis, vir ad nihil tenetur quia tunc ipsa sponte decipi voluit. Secus si mulier non potuerit advertere; quia tunc deflorator ratione fraudis tenetur ad matrimonium et consequenter ad dispensationem impetrandam. At quid, si deflorator ficte sed absolute coniugium promisisset consanguineae, non advertens ad impedimentum. Respondeo: si ipse culpabiliter non advertit, tenetur pariter ad matrimonium, quia iam fraudulenter egit. Si vero inculpabiliter, tunc dico quod quando dispensatio non potest obtineri sine gravi incommodo, non tenetur ad

(1) De matr. l. 5. d. 5. n. 5. (2) Ex l. Continuus 137. §. Cum quis ff. de verb. oblig. (3) P. 6. in fine r. 290. (4) D. 15. n. 33. (5) L. 5. §. 10. p. 2. c. 7. n. 4. (6) De spons. c. 1. n. 211. (7) De matr. c. 2. n. 74. (8) Loc. c. n. 12.

(9) De matr. c. 3. n. 191. (10) Ex l. apud Iul. ff. de leg. §. Constat de leg. (11) Dict. d. 5. n. 26. (12) Ex l. Si stipulator 33. ff. de verb. oblig. (13) D. 13. n. 54. (14) L. 3. p. 2. n. 314. (15) Dec. l. 7. c. 6. §. 3. n. 37. (16) N. 25. (17) N. 55. (18) N. 37.

matrimonium, quia ad hoc praecise non se obligavit, stante ignorantia inculpabili impedimenti; sed bene tenetur ad damnum compensandum ratione deflorationis extortae, et si non possit damnum compensare adhuc tenetur ad matrimonium, prout tenetur quisque iniustus deflorator. Ita Lugo et Tamb.[1]. Quando autem dispensatio facile impetrari potest et sine gravi incommodo, tunc dico omnino teneri virum ad matrimonium, eo quod qui tenetur ad finem tenetur etiam ad media ordinaria quae de facili adhibere potest, ut diximus mox supra *n.* 649. in praecedenti quaestione de eo qui habens votum castitatis virginem violavit sub vera promissione matrimonii; deflorator enim ficte promittens matrimonium tenetur ad illud ratione fraudis eodem modo ac si vere promisisset, ut pluries repetivimus.

Art. V. Quid debeat restitui pro adulterio.

651. *Ad quid tenentur adulteri.*
652. *Ad quid tenetur adultera.*
653. *An teneatur manifestare, prolem non esse legitimam.*
654. *An tunc spurius teneatur credere matri.*
655. *Ad quid tenetur adulter.*
656. *An teneantur adulteri reddere expensas hospitalibus pro exposita prole.*
657. *Ad quid tenetur adulter, si dubium sit, an proles sit mariti.*
658. *Quid, si dubium sit inter duos adulteros.*
659. *Ad quid tenetur adulter, si ipse non fuerit causa suppositionis.*

651. « Resp. Cum ex adulterio damnificari possint coniux alter, et proles legitimae circa sustentationem, haereditatem, etc. patet quod uterque adulterans, nata eis prole, debeant, cum id damnum causent, eatenus restituere, quatenus possunt sine detrimento altioris boni et causatione maioris mali. Est communis. Vide Laym. [2].

Unde resolves:

652. » 1. Quod attinet ad ipsam adulteram, ordinarie non tenetur prodere quod proles eius spuria sit; nam et viro suo tristitiam et sui odium et discordias domesticas crearet, ac famam suam prodigeret, quibus damna fortunae merito cedunt. Accedit, quod proles matri non teneatur credere se esse illegitimam. Fill. [3].

» 2. Debet tamen, si potest, aliis industriis damnum compensare, v.gr. 1. diligentius administrando rem familiarem. 2. de cultu corporis detrahendo. 3. si habeat bona propria, plus legitimis quam spurio relinquendo. 4. eum inducendo, ut relicta haereditate vel eius parte, amplectatur statum ecclesiasticum vel religiosum, si idoneus sit, etc. Trull. [4]. »

653. Quaer. 1. An adultera teneatur se prodere, si sciat prolem non esse legitimam, ad evitandum detrimentum mariti et filiorum legitimorum. Affirmant Adrian. Palud. etc. apud Croix [5]. Sed negant Sot. Maior. et alii [6], nisi ingens sit damnum, nempe regni, principatus et similis. Alii vero, ut Caietan. Less. Scot. Vasq. Med. Ricc. etc. apud Lugo [7] negant ullo casu teneri matrem se infamare; et probant ex *cap. Officii* 9. *de poen. et rem.* ubi dicitur: *Mulieri quae, ignorante marito, de adulterio prolem suscepit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est poenitentia deneganda.* Ultima tamen sententia vera et satis communis, quam omnino sequendam puto, et tenent Lugo [8] cum Soto Cov. Molin. Tol. Val. Turr. etc. Croix [9] Roncagl.[10] cum Azor. Fill. Diana et Tamb. Spor.[11] Elb.[12] Laym.[13], et huic se adiungit Less. [14]. Haec sententia distinguit: Si damnum famae multum praeponderet damno mariti et filiorum legitimorum, tunc non tenetur mater illud subire; secus vero, si infamia non sit tanta. Hinc infertur, matrem teneri se prodere: 1. Si ipsa sit perditae famae, ut Layman. Roncagl. Lugo Croix etc. Bene tamen advertunt Lugo [15] et Elb.[16] non sufficere quamlibet suspicionem de adulterio, sed requiri ut alii vulgo de ea male sentiant. Idem autem quod de foemina malae famae dictum est, dicunt Lugo et Less. de foemina vili: modo (addit Lugo) sit adeo

(1) Loc. c. (2) L. 3. t. 3. p. 1. c. 14.
(3) Tr. 32. q. 222. (4) L. c. d. 4.
(5) L. 3. p. 2. n. 332. (6) Ibid.
(7) D. 13. n. 45. (8) N. 45. (9) N. 333.
(10) De 7. praec. c. 2. q. 4. r. 2.
(11) De matr. c. 2. n. 562. (12) Eod. tit. n. 457.
(13) L. 3. tr. 4. n. 1. (14) L. 2. c. 10. n. 58.
(15) N. 87. (16) N. 458.

abiecta, ut non esset longe magis aestimabilis fama sua quam damnum aliis inferendum. 2. Si alioquin timeatur publicum damnum, nempe, si spurius sit perditis moribus imbutus, et succedere debeat regno vel principatui, ut Roncagl. et Laym. cum Less. 3. Si mater se manifestando filio spurio, verosimiliter speraret filium ei crediturum, bonisque cessurum, ne timeretur ulterius magna infamia aut vexatio matris, ut docent Lugo [1] Ronc. cum s. Anton. et Less. Croix [2] Holz. Spor. Tamb. [3]. Idem dicendum videtur si mater posset damnum vitare, se manifestando soli marito, sed bene aiunt Lugo et Spor. raro ad hoc teneri uxorem, eo quod raro ex tali manifestatione ipsa non sit subitura magnam vexationem, et hoc satis indicare videtur textus in *c. Officii*, supra relatus.

Sed dices, nec teneri matrem se prodere filio, quia iustitia commutativa non obligat ad reparanda damna bonorum cum detrimento famae; quae est superioris ordinis. Et ideo ex communiori et probabiliori sententia ut dictum est *n.* 627. non tenetur detractor qui non potest aliter famam restituere, eam pecunia compensare. Ex altera vice non videtur posse dici mater modicam infamiam pati se prodendo filio, cum communius doceant dd. cum Lug. [4] et Salmant. [5] Sot. Ban. Prado Reb. Vill. Tap. etc., quod infamatio apud unum vel alterum virum adhuc sit gravis ponderis. Sed respondetur: aliud est teneri ad compensandam famam cum facultatibus: aliud teneri suam famam prodere ad damnum illatum reparandum. Non enim tenetur qui alterum infamavit, pecunia famam compensare, quia fama nulla pecunia reparari potest. At cum quis damnum bonorum alteri intulit, tenetur quidem cum damno aequali ac etiam aliquantulum maiori illud resarcire, quando per manifestationem facti, quamvis cum infamatione manifestantis, damnum reparatur. In eo solo casu posset is excusari, quo certum esset quod ad damnum resarciendum longe maius detrimentum, ut diximus, incurrere deberet. In casu autem nostro non est certum quod mater se manifestando soli filio, gravem patiatur infamiam, dum satis probabilis est sententia, quod revelatio criminis uni vel alteri viro cordato non sit gravis infamatio, *iuxta dicenda lib. 4. n.* 973. et in praesenti casu id dicunt Lugo et Spor. [6]. Cum ergo ex una parte mater sit certe obstricta ad damnum viro et aliis filiis reparandum, et ex altera non sit certa excusatio, quia certum non est quod ipsa, revelando suum crimen filio, tale longe maius damnum incurrat quod sufficiat ad eam excusandam; ideo possidet obligatio restitutionis, et proinde tenetur mater se prodere. Imo hoc puto dicendum, non solum si mater spem moraliter certam concipiat praecavendi damnum, ut asserunt Less. Ronc. et Conc., sed etiam si habeat spem tantum verisimilem, ut dicunt Spor. Lugo et Holz. ex eadem ratione, quia in dubio semper possidet obligatio matris. Secus si nulla esset spes aut valde exigua. Hinc aiunt Tambur. [7] et Elb. [8] in praxi raro teneri matrem se manifestare marito aut filio, quia raro fieri potest quod ex tali manifestatione non sit subitura ingentia damna; et contra raro continget quod filius credat, et teneatur credere matri, *ut mox infra videbimus in seq. quaest.*

654. Quaer. 2. An eo casu teneatur spurius credere matri. Affirmat p. Concina [9] Tambur. [10] et Host. Panorm. Med. Adrian. et Vasq. apud Lugo [11] si mater sit fide dignissima spectatis circumstantiis; nempe amore in filium, et sua praesenti probitate, puta si tunc poenitentem vitam ducat, sacramenta frequentet etc., aut si sit in articulo mortis, et suum dictum iuramento confirmet, ut dicunt Tol. et Turr. apud Croix [12]. Sed communissime et probabilius filius non tenetur credere matri, etiamsi iuramen-

(1) N. 60. (2) N. 333.
(3) L. 7. c. 3. §. 4. n. 15. (4) D. 14. sect. 4. n. 52.
(5) De restit. c. 4. punct. 5. §. 2. n. 48.
(6) Loc. cit. (7) N. 16. (8) N. 460.
(9) P. 223. n. 10. (10) L. 7. c. 3. §. 4. n. 10.
(11) D. 13. n. 61. (12) L. 3. p. 2. n. 334

to id asserat. Ita Lugo [1] Salmant. [2] cum Trull. Dic. Vill. etc. Holz. [3] (cum communi, ut asserit) Less. [4] Laym. [5] cum Abb. Rich. Sa etc. Ronc. [6] cum Az. Fill. Dian. etc. Spor.[7] Croix [8]. Id probatur 1. quia filius est in possessione legitimitatis, cui cedere non tenetur, nisi convincatur esse adulterinus vel illegitimus [9]. Vide Lugo [10]. Probatur 2. quia nemo tenetur credere uni testi, etsi probatissimo, ut patet ex c. *Relatum*, *de testam.* ubi dicitur etiam quoad legata pia requiri saltem duos testes: *Tribus aut duobus legitimis testibus requisitis, quoniam scriptum est* [11]: *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Et ex c. *Licet*, *de testib.* ubi: *Licet quaedam sint causae quae plures quam duos exigant testes: nulla tamen est causa quae unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur.* Hoc enim dicunt Lay. et Holz. fuisse necessarium pro communi bono ad fraudes avertendas. Secus tamen dicendum, ut bene aiunt Lugo [12] Holz. Roncagl. Spor. Less. Salm. Croix [13], si adsint indicia ita vehementia, ut filius in foro externo tamquam spurius condemnaretur, prout si mater clare ostenderet impotentiam vel absentiam mariti tempore procreationis; tunc enim tenetur ille ut spurium se habere, quia quisque tenetur se conformare in conscientia foro externo, ubi forum non nititur falsa praesumptione.

655. « 3. Quod attinet ad ipsum adulterum spurii patrem, etiam ipse saepe excusatur vel in toto vel ex parte, sive quia damnum ab adultera compensatum fuit, vel compensandum creditur; sive quia huic restitutio non potest fieri sine periculo vitae, dispendio famae, turbatione et discordiis familiarum; sive quia non est certus filium esse suum. Vide Less.[14] Bon.[15] Trull.[16].»

Caeterum adulter tenetur restituere omnia damna; scilicet haereditatem relictam a viro adulterinae proli, et alimenta ab eo data puero a tertio aetatis anno: nam usque ad tertium annum mater tenetur eum lactare. Dixi *lactare*, nam ad alias expensas tenetur pater. Si vero mater non possit lactare, non ipsa, sed adulter tenetur subire expensas ad lactandum, ut dicunt Salmantic.[17] cum communi. Nisi pater sit impotens, quia tunc tenetur mater.

656. Quaeritur 1. An, si adulteri sint divites; et exponant prolem hospitalibus, teneantur reddere illis expensas factas pro nutrienda prole.

Affirmat *prima sententia*, quam Salmant. communem vocant [18] cum Mol. Less. Sanch. etc., item Elbel [19] Spor. [20] Lugo [21] etc. Ratio quia haec pia opera unice pro pauperibus sunt instituta.

Negat vero *secunda sententia*, quam tenent Henriq. Dic. Roder. de Acunna apud Salm. [22] Renzi [23], et probabilem vocant Salm.[24] Elb. Spor.[25] et Croix [26]. Eamdemque sententiam docet Laym.[27] si hospitale sit opulentum, secus si pauper: sed universe praefatam sententiam ego puto probabiliorem; ratio quia huiusmodi hospitalia non solum sunt instituta ad subveniendum pauperibus, sed etiam divitibus in infamiae periculo, in quo ipsi solent vel procurare abortum vel prolem necare ne infamentur; et huic malo intendunt hospitalia occurrere: imo dico ista potius, quam pro pauperibus, erecta esse pro pueris spuriis, ad eos liberandos a discrimine mortis aeternae et temporalis, quam facile subirent ob infamiae timorem, si adulteri ex proprio eos alere deberent.

657. Quaeritur 2. ad quid teneatur adulter, si dubium sit an proles sit sua vel mariti? Lay.[28], licet contrarium putet probabile, probabilius tamen esse dicit eum teneri ad damnum pro rata dubii. Communis vero est contraria sententia, quae excusat ab omni restitu-

(1) Dict. n. 61. (2) De restit. c. 3. n. 39. (3) De 6. praec. c. 1. n. 657. (4) L. 2. c. 10. n. 51. (5) L. 3. tr. 3. c. 14. n. 1. (6) De 7. praec. c. 2. q. 4. r. 2. (7) De matr. c. 2. n. 555. (8) L. c. (9) Ex l. Filium ff. de his qui sunt sui etc. (10) D. 13. n. 16. (11) Deuter. c. 19. v. 15. (12) N. 62. (13) Loc. c. (14) L. 3. c. 10. d. 6.

(15) De matr. q. 4. p. 15. (16) L. 7. c. 8. d. 7. (17) De 4. praec. c. un. n. 3. (18) De restit. tr. 13. c. 3. punct. 2. §. 1. n. 28. (19) De matr. n. 461. (20) Eod. tit. n. 538. (21) D. 13. n. 5. (22) Ibid. n. 29. (23) De 6. praec. c. 5. q. 8. (24) Loc. c. (25) Loc. c. (26) L. 3. p. 2. n. 159. (27) De iust. l. 3. tr. 4. c. 14. n. 4. (28) L. c. n. 3.

tione adulterum, modo non sit certus prolem esse suam; ratio, tum quia possidet matrimonium, et filius legitimus reputatur, nisi constet oppositum; tum quia melior est conditio adulteri possidentis bona sua, quibus non tenetur se spoliare pro obligatione dubia. Ita Cont. Tourn. [1] Elb. [2] cum Soto Nav. Sporer Salm. [3] cum Less. Pal. Sanch. Dicast. Trull. et aliis, et est commune apud Croix [4] cum Lugo [5] Azor. Conc. etc.

658. Et ob eamdem rationem idem tenent valere, si dubium sit inter duos adulteros, cuius sit prolès. Ita Sanch. [6] Zachar. [7] cum Gob. Less. Fill. et Bon. ac Salm. [8] cum Sot. Trull. Lop. etc. (contra Dic. Mol. et alios). Quae utique sententia, spectata ratione et absolute loquendo, probabilior est; nemo enim tenetur ad damnum, nisi certo moraliter constet ipsum fuisse causam damni, ut probavimus supra ex *n.* 562. cum d. Th. [9]. Nec obstat dicere cum Ronc. quod possidet obligatio adulterorum ex actione iniusta ab eis posita; nam respondetur quod ad obligationem restituendi ex una parte non sufficiat actio iniuriosa, sed insuper requiratur damnum ex actione certe secutum, ut docuit idem s. Th. cuius verba retulimus *n.* 561. Ex altera, ut quis teneatur ad restitutionem non sufficit, posuisse eum actionem aptam ad damnum causandum, sed requiritur ut actu moraliter certo illud intulerit. Non semper autem adulterium est causa prolis, sicut non semper consilium est causa damni, iuxta d. Th., cuius textum vide *d. n.* 562. Per accidens vero est quod prolem nullus alere teneatur, cum incertus sit pater. Hanc sententiam Croix [10] (loquens de spurio nato ex muliere soluta) vocat probabilem cum Gob. Less. et Fill. (contra Bardi), et communem asserit Lugo [11]. Attamen ipse Croix [12] cum Lugo [13] loquens de prole adulterina, absolute dicit cum Ills. adulteros teneri ad alimenta pro rata dubii; quia, licet nemo teneatur ad damnum in dubio an a se sit illatum; tamen hic (dicit) quisque adulter posuit certam causam damni: nam uniuscuiusque copula fuit causa incertitudinis, ne ab aliquo ipsorum determinato exigantur alimenta, et in hoc damnum videntur singuli consensisse, copulam patrando causantem huiusmodi damnum. Sed haec ratio universe non suadet, quia videtur tantum valere pro secundo adultero, qui sciens adulterium factum ab altero, cum adultera rem haberet advertens suo secundo adulterio fieri causam incertitudinis ne possint a primo adultero exigi alimenta; vel locum haberet si plures adulteri ex communi consilio adulterium patrarent. At non valet quidem ratio pro adultero anteriori, qui nihil adverteret de adulteriis futuris. Et ut secundus teneatur requiritur ultra ut ipse advertat ad illud damnum quod evenire potest ex suo adulterio: quia tamen rarissima erit haec advertentia, rarissima etiam erit haec obligatio adulteri; et ita mecum sentit Elbel [14] cum Petschascher et Babestuber. *Vide dicta num.* 562.

659. Quaeritur 3. an adulter certus de prole teneatur ad damna, si ipse non fuerit causa suppositionis, scilicet si ipse non induxerit mulierem, ut mulier supponeret viro suo prolem uti filium suum, sed negative se habuerit. Tres sunt sententiae.

Prima sententia docet teneri eum semper ad omnia damna; quia ipso suo crimine fuit causa suppositionis, nempe quod proles credatur mariti, quemadmodum, ut adultera sit causa suppositionis, sufficit ut constante matrimonio prolem suscipiat. Hanc tenent Less. [15] Lug. [16] Mol. [17] et Salm. [18] cum Cai. Less. Mol. etc., et vocant communem.

Secunda sententia vero excusat adulterum; quia tunc adulter non est ipse

(1) De iustit. et iur. p. 3. c. 3. a. 2. sect. 9.
(2) De matr. n. 443. (3) De rest. c. 3. punct. 2. §. 1. n. 30. (4) N. 335. (5) D. 13. sect. 2. n. 27.
(6) Cons. l. 4. c. 3. dub. 1. disp. 13. n. 20.
(7) L. 3. p. 1. n. 704. (8) Ibid. n. 52.
(9) 2. 2. q. 62. a. 7. (10) L. 3. p. 1. n. 704.
(11) D. 13. n. 19. (12) L. 3. p. 2. n. 337.
(13) N. 24. (14) De rest. c. 18. n. 452. et 453.
(15) L. 2. c. 10. dub. 6. n. 45. (16) D. 13. sect. 2. n. 14. (17) T. 4. d. 103. n. 2.
(18) De restit. c. 3. punct. 2. §. 1. n. 36.

causa suppositionis, nec illam intendit, sed est mater; sicut non est causa abortus qui fornicatur cum muliere, licet coniiciat eam in necessitatem abortus. Ita Sot. Trull. etc. [1].

Tertia sententia apud Tambur. [2] distinguit et dicit quoad alimenta teneri patrem illa subministrare, et hoc Tambur. supponit ut certum, quia pater tenetur de se alere filium; quoad haereditatem vero proli relictam, dicit eum non teneri, quia de hoc tenent Sot. [3] et Henriq. [4] et probabilem vocant Tambur. [5] et Dian. cum Bart. a s. Faust. apud Lugo [6]. Sed longe probabilior mihi est prima sententia, teneri in eo casu adulterum tam ad alimenta, quam ad haereditatem, quam una cum adultera tenetur ipse compensare filiis legitimis. Ratio potissima, quia, licet adulter tantum permittat filium suum supponi, tamen filium procreando est causa proxima et directe moralis omnium damnorum, cum in moralem necessitatem supponendi prolem ponat adulteram, cui est inde moraliter impossibile prolem e domo eiicere propter infamiam, quam subiret. Ita Less. [7] p. Conc. [8] Croix [9] Elb. [10] et Lugo [11] cum Vasq. Cai. Sylv. Navarr. Mol. Azor. et aliis communiter, qui (ut asserit Lugo) praefatas duas sententias reiiciunt. Secus autem dicendum, ait Lugo [12] cum Vasq., si adultera sine sua infamia et periculo suppositionis possit prolem extra domum tenere et alere.

ART. VI. Quid debeat restitui pro fama et bonis spiritualibus, in inductione ad peccatum, avocatione a religione. Et quid pro officio.

660. *An restitutio facienda in alio genere.*
661. *Quid, si quis inducat alterum ad peccandum.*
662. *Ad quid teneatur, qui abduxerit novitium vel religiosum a sua religione.*
663. *De restitutione ob omissionem officii divini.*
664. *Quaest. 1. Quid, si fructus beneficii non percipiantur.*
665. *Quaest. 2. Quid si omittatur officium sine culpa.*
666. *Quaest. 3. An restituendi fructus intra primos sex menses.*
667. *Quaest. 4. An omittens officium possit postea supplere altera die.*
668. *Quaest. 5. Quid, si omittatur pars minor, quam integrae horae.*
669. *Quaest. 6. Quid, si recitentur horae sine attentione interna.*
670. *Quaest. 7. An excommunicatus teneatur restituere fructus.*
671. *Quaest. 8. An omittens incurrat aliam poenam.*
672. *Quaest. 9. Cui facienda restitutio.*
673. *Quaest. 10. An omnes fructus restituendi, et quid de beneficiario simplici.*
674. *Quaest. 11. An teneatur ad officium habens tenue beneficium.*
675. *Quaest. 12. An canonici non assistentes, vel non psallentes in choro teneantur ad restitutionem distributionum, et praebendarum. Dub. 1. An peccent graviter canonici, qui choro non assistunt. Dub. 2. Quid teneantur restituere, si choro non intersint. Dub. 3. An satisfaciant choro, qui tantum intersunt, et non recitant. Dub. 4. An satisfaciant choro, qui submisse recitant.*

660. « Resp. 1. Iuxta dicta, si restitui non possint bona ablata ex bonis eiusdem ordinis, non est obligatio faciendi ex bonis diversi ordinis. (*Vide d. n.* 627.).

Unde resolves:

» 1. Pro fama restituenda est fama: cum id non potes, non teneris ad pecuniam et bona fortunae, nisi per sententiam a iudice cogaris sic satisfacere. Eadem est ratio de reliquis. Quod si tamen, laedendo famam, in bonis etiam fortunae alteri damnum allatum esset, constat ex supra dictis quid faciendum sit. Porro de laesione famae etc. *vide dicenda num.* 988.

661. » 2. Si quis alterum induxit ad peccatum suasione vel exemplo suo, tenetur quidem ex caritate, quoad potest, eum revocare ad meliorem statum, sed non ex iustitia. Less. [13] Laym. [14].

» 3. Si quis autem induxit fraude, dolo, iniusto metu etc. tenetur ad id ex iustitia; quia quisque habet ius ne iniuste laedatur in bonis spiritualibus. Unde, si laedatur, debet id spirituale restitui si possit [15]. »

An autem teneatur tunc ex iustitia cooperari ut alter convertatur. Croix [16] putat eum probabiliter teneri; sed non negat oppositum esse etiam probabile cum Sanch.

(1) Ibid. (2) Decal. l. 7. c. 3. §. 5. n. 5. et 6. (3) De iust. l. 4. q. 7. a. 2. (4) L. 2. de matr. c 2. n. 3. (5) Loc. c. (6) De iust. d. 13. n. 10.

(7) L. 2. c. 10. n. 45. (8) T. 7. p. 222. n. 7. (9) L. 3. p. 2. n. 336. (10) L. c. (11) L. c. n. 11 (12) N. 13. (13) L. 2. c. 8. d. 2. n. 20. (14) C. 8. n. 1. (15) Ibid. (16) L. 3. p. 2 n. 344.

662. « 1. Si quis aliquem (etiam novitium) abduxit ab ingressu religionis, tamen sine vi et fraude, etsi graviter peccarit id irrationabiliter faciendo, ac proinde teneatur ei rursus suadere ingressum ex caritate; non tamen ex iustitia vel illi vel religioni tenetur, quae nullum adhuc in eum ius acquisivit. Vide Laym. [1].

» 5. Si quis religiosum ad apostasiam induxerit suasione aliave cooperatione, obligatur ex iustitia religioni ad restitutionem, non quidem ut ipse (quod aliqui volunt) loco alterius ingrediatur, sed ut suadeat alteri, quoad potest, reditum, et compenset monasterio commoda quae ex haereditate, bonis vel industria alterius expectabantur. »

Qui per vim, fraudem aut metum gravem impedit vel avertit aliquem a religione, graviter peccat contra iustitiam, est commune apud Croix [2] cum Less. Dic. Burg. et Steph. Probatur ex Tridentino [3] ubi excommunicatur qui puellam a religione impedit. Fortius peccant parentes si impediant; *vide dicta n.* 335. *v. Praeterea.* Probabilius autem est quod is qui hunc impedit non teneatur alium adducere ad religionem, ut ait Croix [4] cum Sanch. contra Nav. Tenetur tamen reparare damna ob id monasterio provenientia, ut communiter dicunt dd. cum Lugo [5]. Et hoc dicendum probabilius, etiamsi ille aversus simplex esset novitius, ut Lugo [6] et Less. cum aliis apud Croix [7] contra Sanch., qui putat oppositum probabile, dicens monasterium non acquirere ius in novitium nisi post professionem.

Hic autem videndum de restitutione ob omissionem divini officii.

663. Ex decreto concilii lateranensis sub Leone x. aucto a s. Pio v. anno 1571. beneficiarii tenentur restituere fructus beneficii pro rata omissionis officii, elapsis sex mensibus a die possessionis beneficii. In praefato enim concilio [8] sic dicitur: *Statuimus quoque ut quilibet habens beneficium, si post sex menses, obtento beneficio, officium divinum non dixerit, legitimo impedimento cessante, fructus non faciat suos pro rata omissionis recitationis officii et temporis.* Deinde s. Pius v. *in sua Const.* 186. quae incipit, *Ex proximo lateranensi*, edita anno 1571. sic sancivit: *Statuimus, ut qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii fructus qui illi vel illis diebus responderent: qui vero matutinum, tantum dimidiam; qui caeteras alias horas, aliam dimidiam: qui horam singulam, sextam partem fructuum eius diei amittat: tametsi aliquis choro addictus, non recitans, omnibus horis canonicis cum aliis praesens adsit, fructusque et distributiones forte aliter assignatas sola praesentia iuxta statuta, consuetudinem, vel alias sibi lucrari fecisse praetendat: is etiam praeter fructuum et distributionum amissionem, grave peccatum intelligat se admisisse. Item ille qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse etc.* Huiusmodi autem restitutio certe debetur ante iudicis sententiam, ut patet ex damnatione Alexandri VII. prop. 20. quae dicebat: *Restitutio a Pio v. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis, eo quod sit poena.*

664. Super hoc puncto plures quaestiones occurrunt. Quaer. 1. An beneficiatus, fructus non percipiens teneatur ad horas recitandas. Respondetur. Si ipse careat spe recuperandi fructus, et non negligenter se gerat in illis exigendis, non tenetur. Ita Viva [9] Croix [10] Bon.[11] et Lugo [12]. Ratio quia non est aequum ut aliquis subeat onus officii, si fructus non percipiat sine sua culpa. Excipe 1. Si beneficiatus iuste privetur fructibus in poenam alicuius criminis; Bon.[13] cum Azor. Secus si iniu-

(1) L. 3. t. 2. c. 8. (2) L. 3. p. 2. n. 507. (3) Sess. 25. c. 18. de reg. (4) Ib. (5) D. 9. n. 40. (6) N. 59. (7) Ibid. (8) Sect. 9. §. Statuimus.

(9) De rest. q. 7. a. 9. n. 2. (10) L. 4. n. 1193. (11) De hor. can. d. 1. q. 2. p. 4. n. 25 (12) Resp. (13) Loc. c.

ste privetur, ut idem Bonac. cum Suar. Molf. Azor. Laym. Lop. Garz. etc. Excipe 2. Si spem certam habeat exigendi fructus sequentibus annis, ut Lugo [1] cum Suar. et Croix [2].

Quid si vertatur lis super beneficio? Distinguendum: si beneficiarius nondum acceperit possessionem beneficii, Caietan. [3] Nav. [4] et Sanch. [5] cum Corduba dicunt eum teneri ad recitandum officium, semper ac verisimiliter putet pro se ferendam esse sententiam. Ratio quia beneficiarius per solam collationem iam acquirit dominium beneficii [6]. Quapropter, cum a die collationis ad ipsum fructus pertineant, iustum est ut ipse onus officii subeat. Communis tamen et vera sententia docet hunc non teneri ad officium; ratio quia beneficiarius ad officium non tenetur nisi ex perceptione fructuum: is autem cui collatum est beneficium habet quidem ius in illo et ad possessionem accipiendam; sed ante possessionem non habet ius ad fructus percipiendos, tale enim ius non acquiritur nisi per possessionem. Ita Hab. [7] p. Conc. [8] Tour. [9] Salm. [10] cum Suar. Pal. Lug. Bon. Fill. Rodr. etc. Bene tamen excipiunt, nisi stet per beneficiarium, quin possessionem adipiscatur; quia ex *reg.* 25. *in* 6. *mora sua cuilibet est nociva.* Nec obstat quod fructus reserventur proviso; nam respondet Habert [11] etiam fructus beneficii vacantis saepe reservari beneficiario futuro, et tamen nemo dicit hunc teneri ad officium. Hoc autem beneficium usquedum liti subiicitur habetur pro vacante, ut ait Conc.[12]. Et sic respondetur rationi oppositae sententiae.

Si vero beneficiarius iam fuerit adeptus possessionem beneficii, tunc, si ipse habet spem moraliter certam vincendi litem, utique tenetur ad officium, ut docent Less.[13] Suar.[14] Lug.[15] Conc.[16] Salm.[17] cum Pal. Fill. et aliis communiter. Secus si absit haec spes, et dubium sit cui adiudicandi erunt praedicti fructus; quia nemo obstringendus est ad onus certum ob mercedem incertam. Ita Lugo [18] Salm. [19] cum Sanchez Led. Pellizar. et Tambur. [20] cum Bon. Et hoc dicendum etiamsi beneficiarius emolumentum ex fructibus beneficii iam perciperet, sed ob aliquod manuale servitium (ut recte notant Lugo[21] et Salm.[22]) ob quod non foret privandus tali emolumento, etiamsi litem amitteret. Si autem beneficiarius vincit litem, sentit Salas apud Croix, ipsum teneri fructus sequestratos largiri pauperibus. Sed melius censent Lugo [23] et Salm. [24] cum Bon. nullam esse obligationem restitutionis ei qui sine culpa sic omisit officium, unde licite eos retinere potest, sicut licite retinet fructus maturatos a tempore vacationis beneficii, etsi officium non dixerit.

665. Quaer. 2. An omittens officium sine culpa teneatur ad restitutionem.

Prima sententia affirmat cum Led. et aliis apud Viva[25] qui probabilem putat.

Negat vero *secunda sententia* probabilior, quam tenent Less. [26] p. Conc.[27] et ipse Viva cum Sanch. et communiori. Ratio, tum quia cessante culpa cessat poena restitutionis fructuum, ut colligitur ex verbis concilii lateranensis, *qui officium non dixerit*, *legitimo impedimento cessante*, *fructus suos non faciat;* tum quia, ut censet Sylv.[28] cum Innoc. Panorm. Butr. item Less.[29] cum Palud. et Rosell. (contra Ang. et Cov. qui tamen fatetur contrarium esse commune) huiusmodi restitutio non debetur de iure naturali, cum fructus beneficii non dantur pro mercede recitationis, sed pro sustentatione beneficiati, cum onere tamen officii; ante enim concilium lateranense, ita Less., nullus erat canon quo haec restitutio

(1) Loc. c. n. 5. (2) Loc. c. (3) V. Hora.
(4) In c. Quando, c. 7. n. 29. (5) Cons. l. 2. c. 2. d. 76. n. 6. (6) Ex c. Si tibi, de praeb. in 6.
(7) Tr. 4 p. 232. q. 7. (8) T. 7. n. 411.
(9) De relig. a. 8. sect. 2. concl. 2. q. 2.
(10) T. 16. c. 2. punct. 3. §. 3. n. 36. (11) L. c.
(12) Loc. c. (13) L. 2. c. 34. n. 173. (14) L. 4. c. 29. n. 7. et 10. (15) Loc. c. dub. 5. n. 9.
(16) Pag. 412. n. 27. (17) Loc. c. n. 38.
(18) N. 14. (19) Ib. n. 37. (20) L. 2 c. 5. §. 7. n. 30.
(21) N. 5. (22) Loc. c. n. 38. (23) N. 5.
(24) Ibid. n. 39. (25) L. c. n. 2. v. Inf. Secundo.
(26) L. 2. c. 34. n. 180. v. Quinto
(27) T. 2. p. 417. n. 5.
(28) V. Clericus, 4. n. 17
(29) Loc. cit. n. 179.

praecipiebatur. Bene autem potuit ecclesia omittentibus restitutionem imponere ipso facto et ante omnem sententiam; sed cum haec restitutio proculdubio sit poena (ut non dubitat Viva [1]), ipsa omnino culpam requirit; et ideo satis a restitutione excusantur officium inculpabiliter omittentes. Sed dices: Si restitutio fructuum culpabiliter omittentibus est poena; cur non requiritur sententia saltem declaratoria criminis, ut declaravit Alexander VII. damnando propositionem 20. dum (ut diximus *lib.* 1. *n.* 149.) in omnibus poenis positivis requiritur sententia. Respondetur, non requiri sententiam, eo quod haec restitutio sit poena conditionalis iuxta dicta *ibidem dicto n.* 149. *v. Poena*, sive quia recitatio officii est conditio sine qua non potest beneficiarius adipisci fructus, sicut declaravit lateranense (ut mox vidimus *n.* 663.) dicens: *Si post sex menses, obtento beneficio, officium divinum non dixerit, legitimo impedimento cessante, fructus suos non faciat.*

666. Quaeritur 3. An omittens officium infra sex primos menses teneatur ad restitutionem. Affirmant Suar. [2] et Val. cum aliis apud Viva [3]. Sed negant probabilius Less. [4] Conc. [5] et Viva cum Vasquez et communiori. Ratio est eadem quam mox adduximus, quia restitutio fructuum non debetur nisi de lege ecclesiae, quae hanc poenam iniunxit tantum omittentibus post sex menses. Advertendum tamen, quod isti non excusentur a culpa gravi, ut habetur ex bulla s. Pii v. *ut sup. n.* 663.

667. Quaer. 4. An beneficiarius omittens officium uno die possit supplere die alio. Omnes docent, et non dubitandum, hunc non excusari a peccato mortali, ut diximus haberi etiam in praefata bulla s. Pii v. Dubium fit an ita supplens excusetur a restitutione fructuum.

Prima sententia affirmat, quam tenent Molf.[6] Salm. [7] qui citant Palud. et Quintan., item Henr. Suar. et Fill. (Sed Dian. [8] asserit Henriq. esse pro contraria sententia, et Fill. ac Suarez loqui tantum pro casu praecedentis quaestionis); ac probabilem vocat Bon. [9]. Ratio quia in tali casu iste iam rependit aequale, prout si capellanus omittat missam uno die, bene potest altero supplere.

Secunda sententia vero communissima, cui adhaereo, negat; et hanc tenent Bonac. [10] Viva [11] Roncag. [12] cum Navarr. Pell. Bass. etc. apud Salmantic.[13], item p. Concina [14] cum Leandr. qui dicit hanc omnino tenendam, et Croix [15] qui contrariam non putat probabilem. Ratio quia onus officii est addictum diei, unde qui illud non implet non potest implere die alio; et haec videtur fuisse vera mens s. Pii v. dum sancivit non facere fructus suos, qui *horas canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit*. Ubi notandum non dixisse pontificem *omiserit*, sed *intermiserit*, quo verbo satis significavit, non lucrari fructus qui uno die officium intermittit, etiamsi die altero suppleat; quia, licet is dici possit horas non omisisse, nequit vero dici quod non intermiserit. Hinc bene arguit Roncaglia, quomodo ille qui uno die fructus sui beneficii iam amisit, poterit altero die reacquirere? Tanto minus deinde approbo id quod subdunt Salm.[16], nempe quod beneficiarius omittens officium possit supplere aliis piis operibus. Nec etiam acquiesco ei quod dicit Roncagl., nimirum quod, cum sub nomine pauperum veniant etiam animae purgatorii, si beneficiarius applicat preces pro ipsis, possit liberari a restitutione: non acquiesco, dico, quia papa omnino imposuit omittentibus restitutionem fructuum.

668. Quaer. 5. An omittens partem minorem quam integrae horae teneatur ad restitutionem. Si partes omissae materiam gravem non constituerent, commune est nullam deberi restitutio-

(1) In cit. prop. 20. n. 3. (2) De rel. l. 4. c. 29. (3) L. c. n. 2. v. Inf. sexto. (4) Cit. c. 34. n. 167. (5) T. 2. p. 416. n. 3. (6) T. 1. tr. 5. c. 5. n. 7. (7) Tr. 16. c. 2. punct. 4. n. 65. (8) P. 2. tr. 12. resolv. 24. (9) De hor. can. d. 1. q. 5. p. 2. n. 5. (10) Loc. c. (11) Dict. § 9. n. 2. (12) De hor. can. c. 4. q. 7. r. 2. (13) Loc. c. n. 64. (14) T. 2. p. 420. (15) L. 4. n. 1209. (16) Ibid.

nem, ne sub veniali quidem; etiamsi fructus illi parti respondentes ad magnam quantitatem pertingerent. Ratio, tum quia sic fert chori usus, tum quia a s. Pio v. tantum omittentibus aliquam horam imposita est restitutio: qui autem partem levem illius omittit, non potest dici horam omisisse; ita Suar.[1] Bonac[2] Salm.[3] et p. Concina[4]. Et hoc verum putant Pal.[5] Salm.[6] cum Fill. p. Nav. Pel. Dian. etc., ac probabile censet Bon., etiamsi partes in pluribus horis constituerent simul gravem materiam; quia praeceptum recitandi integrum officium diversum est a praecepto restitutionis, quae (ut dictum est) non debetur de iure naturae, sed ex mandato ecclesiae, pro omissione singularum horarum. Sed his non obstantibus, verius mihi videtur oppositum, quod docent Suar.[7] p. Conc.[8] Bon.[9] cum Garc. etc., nempe non excusari a restitutione qui in uno officio per plures leves omissiones ad gravem materiam pertingit. Ratio quia ex concil. lateranensi absolute praecepta fuit restitutio fructuum *pro rata omissionis officii*, ubi, nota, non dici pro rata omissionis cuiuslibet horae, sed *officii:* ergo ex concilio omittens partem notabilem officii iam tenebatur ad restitutionem. Postea s. Pius v. suam bullam emanavit, qua nihil quidem de illa constitutione concilii immutavit, *sed expressius providere volens*, ut dixit, solum definivit quantum fuerit restituendum pro omissione singularum horarum; ex hac autem definitione perperam infertur quod pontifex voluerit eximere omittentem partem notabilem totius officii a restitutione iam a concilio illi imposita, quamvis non omittatur pars notabilis uniuscuiusque horae. Tanto magis deinde reiicimus cum Salm.[10] Bonacina Pal. etc. id quod dicunt Filliuc. Pelliz. et Dian. (et Viva putat probabile cum Navarr. et Tolet.), nimirum non teneri ad restitutionem qui omittit partem notabilem alicuius horae: nam qui partem notabilem omittit vere non recitat horam, sicut vere missam omittit qui partem eius notabilem non audit.

669. Quaeres 6. An teneatur ad restitutionem beneficiarius qui recitat officium sine debita attentione. Qui externe voluntarie distrahitur certe non non satisfacit officio, et tenetur restituere. Dubium est de se distrahente interius; de hoc magna est quaestio de qua fuse agemus *lib.* 4. *n.* 177., ubi probabiliorem esse sententiam dicemus, eum non satisfacere. Sed quia oppositam sententiam non possumus negare adhuc esse probabilem, hic dicimus non esse obligandum beneficiarium ad restitutionem fructuum, semper ac bona fide eos perceperit; quia posito iure certo, quod ipse habet ad res suas bona fide possessas, non tenetur ad restitutionem nisi sit certus de obligatione restituendi. Magnus rigoristarum princeps Prosper Fagnanus gravem scrupulum imponit confessariis absolventibus poenitentem qui non vult restituere iuxta opinionem probabiliorem sui confessarii, quia eius sententiae, tanquam sui iudicis, poenitens ut reus parere debet. Sed gravior quidem scrupulus videtur mihi et communiter aliis innumeris doctoribus etiam rigidae sententiae fautoribus, angere debere confessarios damnantes ad restituendum poenitentes qui ex una parte habent opinionem probabilem eos excusantem a restitutione, et ex altera habent ius certum possessionis ad bona sua, quibus expoliari non debent nisi constet de obligatione restitutionis iuxta dicta *n.* 547. Praeterea diximus *lib.* 1. *num.* 84. et fusius dicemus *lib.* 6. *n.* 604. quod poenitenti qui habet pro se opinionem probabilem nequeat denegari absolutio, ut communiter docetur, et fatentur etiam plures inter probabilioristas quos ibi retulimus et referemus. Nec obstat dicere quod poenitens debeat se conformare iudicio

(1) L. 4. c. 3. n. 13. (2) D. 1. q. 5. p. 2. n. 11. (3) Tr. 16. c. 2. punct. 4. n. 56. (4) T. 2. p. 419. n. 8. in fin. (5) T. 2. c. 7. dec. 2. p. [illegible] n. 6. (6) Loc. c. (7) De rel. l. 4. c. 30. n. 13. (8) Loc. c. (9) De hor. can. d. 1. q. 5. p. 2. n. 13. (10) Ibid. n. 85.

confessarii, nam confessarius non est iudex controversiarum, prout est summus pontifex, sed tantum iudex dispositionis poenitentium et satisfactionis iniungendae, ut habetur ex Trident. [1] ubi dicitur: *Iesus Christus ... sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tamquam praesides et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur ...., qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim, sacerdotes iudicium hoc, incognita causa exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis iniungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* En igitur patet poenitentem in hoc tantum sequi debere iudicium confessarii, ut peccata apud eum deferat et poenitentiam acceptet. E converso poenitens post confessionem suorum peccatorum habet ius certum ad absolutionem, quae non potest ei denegari nisi aliunde sit indispositus; neque potest quidem dici indispositus, quia non sequitur opinionem confessarii, ad quem certe non pertinet reprobare opiniones quas alii sapientes approbant; sed tantum iudicare an poenitens rectam vel ne conscientiam sibi formet. Sed instabit Fagnanus: haec sunt principia probabilistica. Ego nescio an sint probabilistica vel antiprobabilistica, cum plures etiam inter probabilioristas illa sequantur. Hoc unum scio, quod in omnibus scientiis regula probata sit, ut sequamur principia magis recepta a sapientibus, prout sunt ista quae invenio passim teneri a scriptoribus undique doctrina et pietate conspicuis, qui in facie ecclesiae sua volumina ediderunt, et quibus adhaerere consultius tutiusque mihi esse iudico; quod enim docetur *ex unanimi theologorum consensu* (ait Cont. Tourn. [2]) *magni esse debet ponderis, quia ubi est aliqua obscuritas, id sequendum est in praxi quod prudentissimi quique iudicant.* Neque hic auctor dixit hoc loquens de opinione omnino communiter recepta, sed de quadam sententia cui plures graves auctores contradicunt.

670. Quaer. 7. An excommunicatus teneatur restituere fructus beneficii. Certum est, teneri excommunicatum tempore collationis quae fuit nulla, Viva [3]. Secus si post collationem incidit in excommunicationem. Ita Laym. [4] Cont. Tourn. [5] Pal. [6] Sanch. [7] Salm. [8] cum Henr. Bonac. Con. Avila Hurt. et aliis pluribus (contra Suar. Cov. Fill. Sayr. etc.). Et quidem probabilius: ratio, quia poenas quae actionem requirunt, ut diximus *lib. 1. n.* 148., reus non tenetur subire nisi post sententiam. Et sic videtur significare textus *in c. Pastoralis* 53. §. *Verum de appel.* ubi dicitur: *Illi proventus ecclesiastici merito subtrahuntur, cui ecclesiae communio denegatur.* Tò autem *subtrahuntur*, ait Cont. Tourn. [9], potius indicat expoliationem quae fit ab homine, quam quae ipso iure inducitur, ut etiam explicat Glossa. Tanto magis quia pontifex respondet ibi interrogationi factae an clericus excommunicatus potuisset privari a iudice ecclesiasticis beneficiis. Haec tamen sententia procedit, si beneficiarius per se vel per alium iam muneri suo satisfecerit. Si autem ob iniustam excommunicationem abesset a choro, posset percipere fructus beneficii et etiam distributiones, ut ait Viva [10] cum Sa Fill. Av. etc. Quid, si excommunicatio sit iusta, sed excommunicatus non assistat choro, quia non stat per ipsum ne absolvatur? Sa Henr. et Ugol. concedunt huic distributiones; sed negat communius et multo probabilius Viva cum Suar. etc. [11].

671. Quaer. obiter 8. omittens, ultra restitutionem, quamnam aliam poenam incurrat. Incurrit poenam privationis beneficii, si admonitus saltem bis, post sex menses officium omittat intra 15. dies, ut Suar. apud Viva [12].

(1) Sess. 14. de poenit. c. 5. (2) De iust. et iur. (3) Q. 7. a. 9. n. 7. (4) L. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 9. (5) De censur. p. 2. a. 5. sect. 5. q. 4. (6) D. 2. p. 11. n. 4. (7) De matr. l. 3. d. 51. n. 11. et 12. (8) De cens. c. 3. punct. 10. n. 115. (9) Loc. c. (10) N. 8. (11) Ibid. (12) D. l. n. 10. ex conc. later.

672. Quaer. 9. omittens cui debeat facere restitutionem. Resp. pauperibus vel fabricae beneficii [1] sive ecclesiae sive domui beneficii sive in augendis agris, ut Suar. et Vasq. apud Viva [2]. Non autem (ait Viva) potest dare fabricae alterius ecclesiae, nisi fabrica esset in utilitatem pauperum, vel nisi ecclesia propria non indigeret restauratione, et aliae ecclesiae eleemosynis indigerent ut reficerentur, ut ait Concina [3]. Nomine autem pauperum intelliguntur pauperes cuiuscumque loci, et etiam intelliguntur ipsi defuncti. Et etiam ipse clericus sibi potest applicare dictos fructus, si vere pauper est, ut dicunt Palaus [4] cum Nav., Suar. Bon. Tol. et Viva cum Less. ex communi [5]. Excipitur tamen si ille in fraudem officium omittat, sciens se posse retinere fructus ob paupertatem, ut bene advertunt Pal. et Viva. Addunt Palaus [6] cum Suar. Bonac. et Salm. [7] cum Nav. Pell. Reg. Fill. Quintan. et communi, posse beneficiarium satisfacere restitutioni, si quaecumque alia pia opera pro defunctis offerat aequivalentia recitationi omissae, nempe (ut explicat Quintan. ap. Salm.[8]) auditionem sacri, flagellationem, lucrationem indulgentiarum et similia; sed huic supra *n.* 667. *quaest.* 4. *in fine* non acquievimus. Tantum admittendum videtur cum Concina [9] posse beneficiarium fructus restituere, ut celebrentur missae, vel alia suffragia applicentur pro defunctis.

673. Quaeritur 10. An beneficiarius restituere debeat omnes fructus, iuxta officia quae omisit. Affirmant Suar. Valent. Azor. quia sic loquitur bulla. Sed Sanch.[10] Sotus [11] Less. [12] Viva [13] et Salm.[14] cum Pal. Vasq. Led. Vill. Dian. Henr. Rodr. Bonac. etc. probabiliter dicunt ex benigna interpretatione ipsos non teneri omnes fructus restituere, sed tantum eos qui respondent ad onus officii omissi. Ratio, tum quia bulla s Pii sic recepta est et sic explicata usu, utpote conformior aequitati naturali; tum quia durum videtur eodem modo obligari episcopos, parochos et capellanos qui ferunt alia onera, ac simplices beneficiarios. Quare dicunt episcopum vel parochum teneri restituere tertiam vel quartam partem fructuum, retinendo alios pro aliis oneribus quibus ipsi satisfaciunt: canonicos, dimidiam partem: habentes capellaniam, dimidiam vel tertiam partem: (capellanus enim tenetur ad officium, cum quaelibet capellania conferenda ab episcopo et eius auctoritate erecta, sit vere beneficium, etsi sit ad nutum amovibilis: secus si non sit erecta auctoritate episcopi, licet ab ipso conferatur. Ita Salm.[15] cum Suar. Pel. Vill. etc.). Ratio quia isti omnes recipiunt fructus non solum pro officio, sed pro aliis etiam oneribus. Henriquez autem apud Sanch.[16] dicit episcopum et parochum teneri tantum ad quintam partem, quod Viva etiam approbat [17], canonicum ad quartam, ut etiam Viva [18].

Quid de beneficiario simplici? Recte Viva cum Bon. [19] dicit eum teneri ad omnes fructus; quia onus gestandi habitum, vivendi caste etc. compensatur privilegiis clericalibus. Attamen Henr. apud Sanch. [20] dicit teneri tantum ad tertiam partem, ratione aliorum onerum. Et asserit hanc esse communem recentiorum cum Man. et Med., quorum opinionem ait Sanch. esse rationi consonam. At hanc opinionem merito ait Less.[21] esse laxam. Unde rationabiliter eam limitat ad eos beneficiarios tantum qui praeter horas canonicas alia onera habent, idque iuxta onerum proportionem.

674. Quaer. 11. An teneatur ad officium habens tenue beneficium. Salmant. [22] cum Nav. Laym. Pal. Sa etc.

(1) Ex decr. s. Pii v. (2) Q. 7. a. 9. n. 11. (3) T. 2. p. 425. n. 24. (4) Tr. 7. d. 2. p. 7. n. 12. (5) D. n. 11. in fin. (6) Tr. 7. d. 2. p. 7. n. 11. (7) De hor. can. c. 2. punct. 4. n. 60. in fin. (8) Ibid. n. 66. (9) P. 427. (10) Cons. t. 1. l. 2. c. 2. d. 83. n. 3. (11) De iust. l. 10. q. 5. a. 5.

(12) L. 2. c. 34. n. 133. (13) Loc. c. n. 13. (14) Loc. c. n. 59. (15) Cit. n. 59. (16) Cons. l. 2. c. 2. d. 84. n. 4. (17) In prop. 20. Alex. VII. n. 6. in fin. et de horis can. q. 3. a. 3. n. 8. in fine. (18) D. n. 8. in fin. (19) D. l. de rest. n. 13. in fine. (20) D. loc. (21) L. 2. c. 34. n. 177. (22) De hor. can. c. 2. punct. 3. §. 5. n. 48.

teneri eum censent, quia s. Pius v. hunc non excludit. Negant tamen apud Moya [1] Malder. Escob. Quintan. Diana et Arag., qui testatur hanc esse communem recentiorum: et idem sentiunt Less. [2] Sanch. [3] cum Rodr. Molf. Vega Led. Torre et Pell. apud Salm. [4] (quamvis Less. et Pell. sentiant teneri hunc beneficiarium recitare saltem dominicis et diebus festivis). Ratio quia *ex c. Is cui* 19. *de praebend. in* 6. in iure tenue beneficium non reputatur pro beneficio; in praefato enim canone habens tenue beneficium non excluditur ab alio beneficio obtinendo, cum ibi prohibeatur ne de beneficio provideatur tantum obtinens aliud beneficium sufficiens: *Is cui* (verba textus) *conceditur, auctoritate apostolica possit uni personae in sua vel alia ecclesia providere: alicui aliud sufficiens beneficium obtinenti providere non potest.* Addit ibi Glossa : *Ergo si non est sufficiens, secus est.* Deinde infra rationem adducit: *quia beneficiatus idoneus non est, et iure communi beneficiatus beneficiari non mandatur ex c. Quia in tantum, de praeb.* Habens igitur tenue beneficium, si potest beneficiari, ergo reputatur in iure tamquam non beneficiatus: et proinde censetur eximi ab onere officii.

Quaeritur autem quodnam beneficium iudicetur tenue. Dico non audiendos aliquos, qui contra communem asserunt tale iudicari beneficium quod non pertingit ad 20. vel 30. aureos. Merito tamen Viva [5] Sporer [6] Elbel [7] Tamb. [8] et Salm. [9] cum Mald. ac aliis communiter censent probabile, tenue existimari illud beneficium quod non pertingit ad tertiam partem sustentationis. Et adhaeret Sanch. [10] cum Suarez, putans beneficium tenue illud quod non pertingit ad tertiam, vel non magis declinet ad tertiam ultra quartam partem. Sustentationem autem rationabiliter dicit Viva [11] mensurari iuxta diversitatem patrimoniorum, quae in diversis locis solent clericis assignari. Hinc Sotus apud Sanch. [12] obligat ad officium beneficiarium qui percipit annuos aureos octo. Sed Sanch. excusat, etiamsi percipiat 16. aureos. Verum huic minime acquiesco: communis enim sententia est apud Croix [13] nullo modo excusari ab officio beneficiarium percipientem tertiam partem sustentationis. Idemque recte censet dicendum Croix [14] cum Vasq., si dubium sit, an beneficium sit tenue; quia, cum beneficium sit certum et tenuitas excusans sit dubia, possessio stat pro beneficio, et proinde pro obligatione officii. Merito addunt Lug.[15] cum Suar. et aliis, Croix[16] et Tamb.[17], neque excusari beneficiarium si ob suam culpam beneficium factum sit tenue; vel si ipse speret in posterum uberiores fructus se habiturum; tunc enim unus annus compensatur cum alio, contra Palaum [18]. Pariter addit Croix [19] teneri ad officium qui acceptat beneficium cum onere solvendi omnes fructus pro pensione. Sic etiam, si non faciat fructus suos, quia non residet, ut ait idem Croix [20] cum Suarez Lugo etc. Hoc tamen limitant Bus. et Sanch. si absit cum licentia: sed id recte reiiciunt Tamb.[21] et Croix [22] cum Azor. cum ille possit fructus percipere, si velit.

675. Quaer. 12. an canonici non assistentes, vel non psallentes in choro, teneantur ad restitutionem distributionum et praebendarum. Plura dubia hic discutienda sunt. Certum est quod clerici ecclesiarum cathedralium et collegiatarum tenentur ad officium in choro [23]. Atque tenentur quotidie assistere, nisi alibi alia sit institutio vel consuetudo; vel nisi necessitas cogat, ut in alio loco extra ecclesiam officium persolvatur, et adsit licentia episcopi, quando ad ipsum aditus patet, ut ait Viva[24]. Imo probabiliter putat Bon., cui

(1) Tr. 2. de relig. disp. 2. q. 4. n. 8. (2) L. 2. c. 34. n. 169. (3) L. 2. cons. c. 2. d. 66. (4) Ibid. n. 46. (5) In prop. 20. Alex. VII. n. 7. (6) De hor. can. c. 1. n. 27. (7) Eod. tit. n. 421. (8) L. 2. c. 5. §. 1. n. 24. (9) D. c. 2. n. 46. (10) Cons. l. 2. c. 2. dub. 67. n. 4. (11) Loc. c.

(12) N. 5. (13) L. 4. n. 1195. (14) N. 1196. (15) Resp. mor. dub. 6. n. 5. (16) N. 1193. (17) L. c. n. 26. (18) T. 2. d. 2. p. 1. §. 2. n. 18. (19) Ibid. (20) Loc. cit. (21) N. 25. (22) Ibid. (23) Ex c. 1. de celeb. miss. et c. fin. dist. 92. et ex Trid. sess. 24. c. 12. (24) De rest. q. 7. a. 9. n. 14.

adhaeret Viva, canonicos bene distributiones lucrari, si recitent in sacristia ob aliquam causam, etiam sine licentia episcopi, si ipsa licentia praesumatur; in sacristia enim reputatur officium moraliter ac in ecclesia recitari.

Sed dubitatur 1. an peccent graviter canonici qui choro non assistunt. Negant plures dd. antiqui, ut Nav. [1] Sylvest. [2] Caiet. [3]. Item Ang. Vald. Barb. Pell. Reg. Tamb. apud Salm. [4], tum quia de hoc non adest praeceptum expressum, tum quia obligatio assistendi choro oritur ex distributionibus; ergo, cum his canonici renuntiant, omni obligatione se liberant. Sed verius Suar. [5] Bon. [6] p. Concina [7] Viva [8] Cont. Tourn. [9] Salm. [10] cum Vasq. Pal. etc. docent eos peccare mortaliter qui a choro absunt notabiliter, ultra tempus a Tridentino permissum. Ratio quia [11] depositioni subiicitur clericus non recitans in sua ecclesia; tum quia obligatio assistendi non oritur ex distributionibus, sed ex primaria institutione ipsius beneficii; Trid. enim [12] loquens de canonicis praecipit: *Omnes.... compellantur... in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.* Diximus autem 1. *notabiliter*, nam si absit canonicus per 3. vel 4. dies, est communis sententia eum non peccare graviter. Ita Salm. [13] et Croix [14] cum Sylvest. Bon. Cov. Vasq. et Suar. [15], qui tamen dixit praefatam sententiam non videri certe improbabilem, sed se nolle suum iudicium interponere. Diximus 2. *ultra tempus permissum;* quia Tridentinum permittit canonicis, sicut episcopis, per tres menses abesse. Recte autem docet s. Thomas [16], quem sequitur Viva [17] cum Val. Fill. et Bon. contra Nav. et alios, episcopos non obligari ad chorum, tum quia sic fert consuetudo; tum quia ipsi maioribus negotiis vacare debent quae chori assistentiam non compatiuntur.

Dubitatur 2. quid teneantur restituere canonici qui choro non intersunt. Certum est ipsos non posse lucrari distributiones, etiamsi alii consocii eas illis remittant, ut habetur ex Trid. [18] ubi dicitur: *Distributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant.* Nota *remissione exclusa;* nam, ut bene advertunt Croix [19] et Concina [20], si portiones illae praesentibus iam sint praestitae, isti licite possunt donare eas absentibus; modo hoc non fiat ex pacto et in fraudem legis, ut ait Croix [21] cum Sanch. et Lugo; quia haec esset palliata collusio. Non privantur autem distributionibus qui absunt ex legitimis causis, de quibus agemus *l.* 4. *ex n.* 130.

Haec quoad distributiones. An vero non assistentes teneantur etiam fructus praebendae restituere. Sic habetur in Trid. [22]: *Primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus. Crescente vero contumacia, contra eos iuxta sacrorum canonum constitutiones procedatur.* Ex sacris autem canonibus, ut dicunt Salmant. [23] illi expoliantur ipsis beneficiis. Hoc vero aiunt Salm. [24] ex comm., non fieri nisi post sententiam: sed contrarium hodie tenendum, ut mox videbimus in dubio sequenti.

Dubitatur 3. an satisfaciant choro, et lucrentur distributiones canonici qui tantum assistunt et non canunt. Affirmant Sanch. [25] cum Metina Arag. et Panorm. Et consentiunt Bon. [26] et Salm. [27] cum Pal. Suar. Less. Pell. et Led. pro iis ecclesiis, ubi talis viget consuetudo

(1) De orat. c. 5. n. 14. (2) V. Horae q. 11. (3) Eod. verb. §. 5. (4) Tr. 16. c. 4. punct. 1. n. 2. (5) L. 4. c. 17. (6) D. 11. q. 1. p. 2. (7) T. 2. p. 510. n. 4. (8) L. c. n. 14. (9) De relig. p. 2. c. 2. a. 8. sect. 5. (10) L. c. n. 3. (11) Ex c. Si quis presbyt. dist. 92. (12) Sess. 24. c. 12. (13) Loc. c. n. 1. (14) L. 4. n. 876. (15) L. 4. c. 13. n. 8. et 9. (16) 2. 2. q. 91. a. 2. ad 3. (17) L. c. verb. Dico tertio. (18) Sess. 24. de reform. c. 12. (19) L. 4. n. 877. (20) T. 2. p. 523. n. 4. (21) Ibid. (22) Loc. c. (23) C. 4. punct. 1. n. 9. (24) Ibid. (25) Cons. l. 2. c. 2. dub. 99. n. 2. (26) De hor. can. d. 1. q. 3. p. 2. §. 1. n. 18. (27) L. c. n. 5.

quam asserunt adesse fere in omnibus ecclesiis. Sed hodie, aliis omissis, causa finita est in bulla *Cum semper oblatas* [1], ubi pontifex postquam asserit praefatam opinionem absonam esse menti conc. Tridentini, atque pluries improbatam a congregatione ipsius concilii, dicit: *Equidem minime nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius vel alterius ecclesiae canonici, se suo muneri satisfacere per simplicem in choro assistentiam, absque divinae psalmodiae cantu. Verum, nisi illis praesto sit apostolicum, non praesumptum vel abrogatum, sed legitimum ac vigens privilegium sive indultum, iure ac merito verendum est ne isti, dum ita se gerunt, praebendarum ac distributionum fructus minime suos faciant, et consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur.* Ex quo verbo *verendum* recte infert Concina [2] ita infirmatam esse contrariam opinionem, ut non amplius probabilis dici possit; tale enim verbum importat formidinem practicam, quacum certe non licet operari. Sed quidquid aliqui dixerint super praefata bulla, idem ss. pontifex omnia dubia abstulit novo Brevi, quod direxit die 19. ianuarii anno 1748. ad emin. cardin. Delphinum patriarcham aquileiensem, incipiens, *Dilecte fili, etc.* [3]. Ibi noster pontifex consuetudinem canonicorum tantum interessendi choro, extirpandam esse declarat, sic dicens: *Itaque a te, dilecte fili noster, poscimus et flagitamus, ut non solum huiusmodi abusum et corruptelam ab ecclesiastica disciplina absonam, et canonicis ordinationibus ac nostrae quoque constitutioni contrariam penitus evellere et eradicare adnitaris; verum etiam ipsos suaviter fortiterque admoneas, ut imposterum ea qua decet ac tenentur reverentia choro intersint assistantque, nec non pari pietate, attentione ac vigilantia omnino canere vel psallere cum caeteris studeant ac contendant. Deinde iisdem edicas et notum facias nos, (quemadmodum per hasce nostras in forma brevis litteras tibi declaramus et iniungimus) decernere atque statuere, sicut in eadem constitutione nostra innuimus, ipsos suosque successores canonicos choro quidem interessentes assistentesque, minime vero canentes psallentesve, nullo pacto ex praebendis et distributionibus facere fructus suos, atque adeo restitutioni obnoxios esse ac fore.* Ex quo diplomate remanet tandem decisum quod canonici vel non interessentes, vel non canentes aut psallentes in choro, nedum distributiones quotidianas amittunt, sed etiam non faciunt fructus suos ex praebendis, atque ad restitutionem sunt obnoxii.

Dubitatur 4. an satisfaciant choro qui submisse recitant psalmos, alteram partem audiendo. Loquendo de choro in generali, an isti satisfaciant officio, adsunt duae sententiae.

Prima, quam tenent Cai. [4] Arm. [5] Navarr. [6] et alii apud Salm. [7] dicit eos non satisfacere, quia non communicant cum aliis canentibus.

Secunda sententia vero valde probabilis et communior affirmat; hancque tenent Sanch. [8] Less. [9] Suar. [10] Fill. [11] Concina [12] Bon. [13] Salm. [14] cum Sot. Trull. Vil. etc. Ratio quia ad satisfaciendum officio in choro non est necesse ut quisque audiat omnes voces alterius partis; unaquaeque enim pars cum alia unum corpus constituit et mutuo communicat.

Loquendo autem de choro canonicorum, an ipsi submisse recitando satisfaciant choro et lucrentur distributiones. Affirmat Sanch. [15] cum aliis. Sed communiter et merito id negant Less. Fill. [16] Conc. [17] Cont. Tourn. [18] et Bonac. [19] cum Suar. P. Nav. et Rodr. Ratio quia distributiones debentur solum iis qui choro inserviunt: servitium autem chori [20] in eo consistit, ut clerici conveniant in ecclesiam ad officium

(1) Vide in fine operis de romanor. pontif. decr. epist. encycl. n. v. (2) T. 2. p. 518. n. 22. (3) V. ap. Conc. p. 520. n. 29. (4) Sum. v. Horae, in fine. (5) Eod. v. n. 22. (6) In c. 10. n. 80. (7) Tr. 16. c. 2. punct. 3. n. 25. (8) Cons. t. 2. l. 7. c. 2. dub. 14. n. 2. (9) L. 1. c. 34. dub. 33. n. 184. (10) T. 2. l. 4. c. 12. n. 8. (11) Tr. 26. c. 6. n. 195. (12) T. 2. p. 513. n. 9. (13) D. 1. q. 3. p. 2. §. 1. n. 16. (14) L. c. (15) L. c. (16) L. c. (17) P. 513. n. 9. (18) De rel. p. 2. e. 2. a. 8. sect. 5. (19) L. c. n. 17. (20) Ex Clement. 1. de cel. miss.

psallendum. Ergo qui non psallunt, sed officium submissa voce recitant, non possunt dici choro inservire. Censet tamen Bonac [1] cum Suar. Fill. etc. quod canonici id recitantes possint saltem percipere mediam partem distributionum: sed ss. noster pontifex Bened. XIV., ut mox supra vidimus in praecedenti dubio, expresse declaravit canonicos non cantantes vel psallentes, non solum amittere omnes distributiones, sed etiam teneri ad restituendos fructus praebendae.

Dubitatur 5. An canonici, portinarii et similes possint inservire choro per substitutos, vel alternatim unus pro alio. Negat Ioann. Baptista Ventriglia [2] cum Zerol. Barb. et Garz. ex praescripto concilii Trident. [3] ubi dicitur: *Omnes vero divina per se et non per substitutos compellantur obire officia.* Hinc ait id vetari, etiamsi adsit consuetudo, vel statutum id permittens, ex declaratione s. congr. 25. iul. 1570.: *Si factum est aliquod statutum, quod canonici possint inservire per substitutos, vel alternatim unus pro alio, non habeatur eius ratio quia est contra concilium.* Tantum id concedit Ventriglia, si adsit legitimum impedimentum, v. gr. infirmitatis et absentiae permissae. Verumtamen advertunt Fagnan. [4] Monacel. [5] et Matthaeus [6] declarasse S. C. concilii, quod episcopus (ubi adest consuetudo, ut notat Monac.) possit concedere facultatem capitularibus invicem se substituendi in servitio tum ecclesiae, tum chori, modo non substituantur iis temporibus quibus servitio ecclesiae adstricti sunt, et modo curet episcopus, ne hac facultate substituendi illi abutantur: puta si huiusmodi substitutiones sint nimium frequentes. Alias vero, ut scribit idem Fag., declaravit S. C. decretum hoc locum habere tantum inter praesentes. Cumque deinde dubitatum fuerit, an censendus sit absens, qui pernoctat extra moenia civitatis, ubi est cathedralis, per medium milliare vel circiter in suburbiis, unde canonicus opportune possit ad servitium accedere, S. C. respondit, non censeri absentem. Omnes has declarationes colligit et refert c. Lambertini [7].

(1) L. c. (2) Prax. etc. annot. 19. §. 3. n. 18. (3) Sess. 24. de reform. c. 12. (4) T. 1. in c. Cum omnes, de constit. n. 28. (5) T. 2. tit. 13. form. 2. n. 64. (6) Offic. cur. c. 55. §. 1. n. 9. (7) Notif. 107. n. 17. et 18.

DUBIUM VII. De circumstantiis restitutionis.

ART. I. Quo tempore, loco et modo debeat restitui

676. α. Resp. Debet quamprimum, et eo modo ac loco restitui, quo ius et interesse damnificati requirit, et commode ac moraliter fieri potest sine gravi incommodo, quod quis pateretur in re sua propria ultra debitum. V. Lay. [8] Fill. [9].

Unde resolves:

» 1. Qui non potest commode restituere aperte, faciat clam, et qui non potest per se faciat per aliam personam interpositam, v. gr. confessarium (Quid, si confessarius non restituat? *V. dicenda seq. n.* 704. *quaer.* 4.).

677. » 2. Possessor malae fidei, v. gr. fur, debet suis sumptibus ad eum locum rem deferre, ubi alter eam habiturus fuisset, si non fuisset ablata, destructa vel inique detenta, deductis tamen expensis quas alter eam servando vel deferendo debuisset facere. Excipe nisi transferendo deberet plus impendere quam res valeat; tunc enim plerumque ex praesumpta mente domini posset restituere pauperibus vel in usus pios. Bon. [10].»

Quaestio est an fur teneatur rem reddere domino, etiam cum sumptu maiori quam res valeat. Affirmant Navarr Val. Dicast. Caiet. etc. apud Salmant. [11]. Sed negant Salm. [12] cum Soto Pal. Bon. Less. etc. cum Bus. *hic. Vide dicta supra n.* 597. *et* 598.

(8) Hic l. 3. tr. 2. c. 10. (9) Tr. 32. c. 4. q. 11. (10) Q. 6. p. 1. (11) De rest. c. 1. punct. 10. n. 195. (12) D. 1

678. « 3. Bonae fidei possessor satisfacit, si restituat in loco, ubi rem possidet [1].

» 4. Debita ex contractu eo loco et tempore solvi debent, de quo inter partes conventum fuit expresse vel tacite. Vide Less. et Bon. [2]. »

Regulariter, praecisis pactis, solutio in contractibus, quoad locum fieri debet in loco ubi contractus fuit initus et expensis illius in cuius favorem fuit contractus. Quoad tempus autem, si de isto non sit conventum, non peccat graviter debitor si non restituat donec moneatur ab altera parte: nisi illa ob timorem, oblivionem aut impotentiam omittat eum monere; vel nisi debitor obligarit se cum iuramento, quia iuramentum de se obligat quamprimum. Ita Salm. [3] cum Pal. Covarr. etc. Monent autem [4] Lugo Bon. Trull. etc. non esse damnandum de culpa gravi qui differt solvere debitum ex contractu sine gravi damno creditoris, licet iste petat, quia talis dilatio non videtur tunc graviter ei iniuriosa; et adhaeret Busemb. *num. seq.*

679. « 5. Si quis possit quamprimum restituere totum, ad id tenetur. Si autem alter dilatione non pateretur ulterius damnum aut non notabile, non facile arguendus esset gravis peccati is qui cum proposito satisfaciendi differret, aut paulatim per partes solveret. Vide Bon. [5]. »

Certe excusatur a peccato gravi qui differt restitutionem per breve tempus, in quo dominus nec damnum patitur grave nec graviter censetur invitus. Ita Salm.[6] cum Lugo Cai. Bon. etc. Palaus ordinarie loquendo spatium 20. dierum putat esse breve.

680. Utrum, si debitor habet iustam causam differendi restitutionem, teneatur deinde restituere omne damnum quod creditor ex dilatione patitur. Respondetur: Si debitum non sit ex delicto non tenetur, ut ex communi docet Lugo [7] et Croix [8]. Si vero ex delicto est, nec etiam teneri si dilatio sit iusta, dicunt Nav. Dic. Burg. et Dian. ap. Croix [9] qui probabile putant; quia, ut aiunt, tunc circa dilationem creditor esset irrationabiliter invitus. Sed communius et probabilius tenetur, ut docent Lugo [10] Less.[11] et Molin. Laym. Reb. Tamb. aliique cum Croix [12]. Ratio quia, licet iusta dilatio posterior non sit causa damni, tamen revera causa fuit illa prima iniusta acceptio.

681. « 6. Qui scit se teneri ad restitutionem, et cum possit in vita, non vult restituere nisi in articulo mortis, vel post mortem per haeredes, absolvi non debet nec potest: quia semper est in actuali peccato et impoenitens. Sylv. Sayr. Bon. Trull.[13]. »

Certum est non posse absolvi qui, quando potest, non vult restituere nisi in morte vel per partes. Limita 1. Nisi ille sit in bona fide, et monitio praevideatur non profutura, ut Salmant.[14] cum Dicast. P. Nav. Sylv. etc. Limita 2. Nisi adsit iusta causa, nimirum scandalum, infamia et similia, si statim fieret restitutio. Salm. [15] cum Lugo Dic. Bon. Bann. etc.

682. Quaeritur hic 1. utrum sit absolvendus debitor antequam restituat.

Prima sententia dicit eum bene posse absolvi, non solum prima, sed etiam secunda vice, si det vera signa doloris et propositi. Ita Viva [16] cum Nav. Val. Led. Sayr. etc. Mazz. Et probabilem putant Salm.[17] cum P. Nav. et Dic. etiamsi poenitens monitus prima vice culpabiliter non restituerit.

Sed mihi omnino placet secunda sententia quam tenet p. Conc.[18], regulariter non esse absolvendum debitorem, nisi prius restituat, quando ipsi restitutio est moraliter possibilis: sicut non est absolvendus concubinarius antequam concubinam abiiciat; experientia enim satis compertum est quod debitores post absolutionem rarissime restituant, prout concubinarii rarissime

(1) Loc. c. (2) Loc. c. (3) De rest. c. 1. punct. 13. n. 254. (4) Ibid. n. 255. (5) De contract. d. 1. q. 6. p. 1. (6) Ibid. n. 253. (7) D. 18. n. 35. (8) L. 3. p. 2. n. 252.

(9) Ibid. (10) D. 2. n. 17. (11) C. 16. n. 52. (12) Loc. c. (13) C. 14. d. 11. (14) De rest. c. 1. punct. 13. n. 256. (15) Dicto loco n. 259. (16) De rest. q. 1. a. 5. n. 2. (17) Ibid. n. 258. (18) Tom. 7. p. 85. n. 25.

concubinas dimittunt. Unde s. Th .de Vill. [1] recte monuit: *Prius ergo vadat et concubinam e domo pellat, pecuniam alienam restituat...et tunc ad confessarium redeat ut absolvatur.* Caeterum bene ait Concin. [2] quod si revera prudens confessarius deprehendat debitorem sincere paratum esse restituere cum primum poterit, et restitutio non possit fieri cito, recte poterit eum absolvere pro prima vice: imo probabilissime id admittunt Salm. [3] et Lugo [4] etiam pro secunda et tertia vice, si tales occurrant circumstantiae ut confessarius solo proposito restitutionis contentus esse debeat.

Quaeritur 2. utrum, si poenitens sit in bona fide et confessarius praevideat monitionem restitutionis minime esse profuturam, debeat eum monere. De hoc dubio *vide dicenda de poen. l.* 6. *n.* 614. ubi partem negativam probavimus cum Lugo Sanch. Cano Layman Salm. Ronc. Spor. et aliis communiter contra paucos: si enim confessarius magna cum prudentia officio suo fungi debet, quomodo prudenter se geret, si poenitentem monebit, praevidens quod ille animae detrimentum sit passurus, et e converso damnum creditoris non sit amovendum?

683. Quaeritur 3. quot peccata committat negligens culpabiliter restituere.

Prima sententia, quam Salm. probabilissimam vocant, tenet eum tot peccata distincta committere, quot intersunt occasiones restituendi, et quoties proponit non restituere: imo quoties per somnum aut per alia distrahitur. Ita Bonac. Vasq. Dic. Trull. Bann. etc. apud Salm. [5].

Secunda sententia docet eum unum peccatum committere, licet per annum et amplius in eadem voluntate non restituendi perseveret. Ratio quia tale peccatum, quamvis physice interrumpatur, moraliter tamen non censetur interruptum, quoties non retractetur mala voluntas, quae virtualiter semper permanet in effectu retentionis. Ita Lugo [6] cum Nav. Gabr. Tanner et Salm. [7] cum P. Nav. Arag. et Dian. cum aliis. Hinc dicunt sufficere poenitenti confiteri omissionem restitutionis, quin tempus exprimat, quia diuturnitas temporis non est nisi circumstantia aggravans. Utraque sententia est probabilis, sed haec secunda videtur probabilior. *Vide l.* 5. *de pecc. n.* 40.

ART. II. Quo ordine restitui debeat.

684. *Cui facienda restitutio si res extet.*
685. *An pretium rei venditae possit solvi creditori venditoris.*
686. *An pecunia furtiva, immixta propriae, restituenda sit ante alia debita.*
687. *An prius restituenda debita certa, quam incerta.*
688. *An prius solvenda debita ex delicto, quam ex contractu.*
689. *Quae alia debita prius solvenda.*
690. *An semper praeferendi creditores hypothecarii anteriores, etiam ex hypotheca tacita. An autem personales anteriores.*
691. *An praeferri possit creditor personalis pauperior.*
692. *An prius exigens.*
693. *An creditor, cui inter plures facta est solutio, possit eam retinere.*
694. *An famuli possint accipere salarium a debitis gravato.*
695. *An uxor, et filii alimenta.*

684. « Resp. Certum est, non necessario ordinem servari, quando debitor omnibus solvere potest; quando vero tantum non habet, ut haeredibus relinquat, sequentes regulae servandae:

» 1. Si debitor rem alterius apud se habet, quocumque titulo habeat, sive ex furto sive ex deposito sive inventione etc. debet prius restitui domino suo, vel eo deficiente, pauperibus. Similiter, si res empta ad creditum, pretio non soluto, adhuc extet. Navarr. Sylv. Bon. [8]. Hoc tamen Less. [9] contra Bon. etc. limitat, nisi venditor ab emptore fideiussionem vel pignus acceperit. »

685. Quaeritur an venditor rei, exstante re, sit praeferendus pro pretio aliis creditoribus emptoris. Certum est 1. quod si venditor non acceperit ab emptore nec pignus nec fideiussionem neque fidem de pretio, ipse debet praeferri, quia tunc adhuc retinet rei do-

(1) Fer. 6. post. 4. Dom. Quadr.
(2) L. c. n. 24.
(3) Cit. n 258
(4) De iust. d. 20. n. 213.
(5) Ibid. punct. 14. n. 262.
(6) De poenit. d. 16. n. 549.
(7) L. c. n. 264.
(8) Q. 5. p. 2.
(9) C. 15. d. 2.

minium [1] Vide Salm. [2]. Et *vide infra n.* 796. Certum est 2. quod si venditor acceperit pignus vel fideiussionem nullam habet praelationem, quia tunc iam est securus de pretio, Lugo [3]. Quaestio igitur est, quando venditor rem tradidit, et de pretio tantum fidem accepit.

Prima sententia dicit tunc praeferendum esse venditorem, et hanc tenent Salm. [4] cum Sylvest. Bon. Bann. Tap. Vill. (citant etiam Lessium, sed non bene: nam Less. [5] ubi citatur loquitur de casu quo non sit data nec etiam fides de pretio). Ratio, tum quia hoc postulat aequitas naturalis; tum quia dominium rei, licet eo casu translatum fuerit, est tamen translatum sub conditione pretii solvendi; unde talis res manet hypothecata solutioni pretii.

Secunda sententia vero probabilior, quam tuentur Mol. [6] Layman [7] Pal. [8] Lugo [9] cum Vasq. P. Nav. Cov. Azor. etc. tenet nullam venditori praelationem deberi. Ratio quia, cum dominium iam translatum sit, venditori remanet tantum creditum personale erga emptorem; nulloque iure habetur quod res venditori hypothecata remaneat donec ei pretium solvatur: alias emptor non posset de illa pro suo libito disponere, quod nemo dicit.

686. An pecunia autem furtiva, immixta propriae, sit ante alia debita restituenda. Affirmant rationabiliter Pal. Rebell. et Croix [10], quia totus cumulus est specialiter obligatus domino pecuniae ablatae. *Vide dicta n.* 499. *v. Notandum.*

687. « 2. Si restitutio facienda sit ratione iniustae acceptionis, prius restitui debent certa, hoc est, quorum domini cognoscuntur, quam incerta, Bon. Less. [11] quia illa iure naturae debentur suis dominis, haec autem iure solo positivo pauperibus. »

Quamvis probabilis sit sententia cum Busemb. Less. etc. imo communis cum Salm. [12] et Croix [13] quod prius restituenda sint debita certa quam incerta: attamen etiam probabile est quod si debitor non possit utraque restituere, restitutio fiat pro rata etiam pauperibus pro debitis incertis. Ita tenent Bann. Mol. Rebell. et probabile vocant Tapia Vill. ap. Salm. [14], et Lugo [15] probabilissimum putat. Ratio istorum, quia praelatio creditoribus certis non debetur neque iure positivo (quod est certum) neque iure naturae, ut supponit Bus. Sed aeque de iure naturae, pauperes succedunt in locum creditorum incertorum, ut dicunt Cai. [16] ac Covarr. Arag. et Tap. apud Salm. [17]. Talis enim praesumitur voluntas creditorum, ut quod ipsis nequit restitui restituatur pauperibus pro ipsorum animabus.

688. « 3. Prius facienda est restitutio debitorum licite contractorum, quam usurarum; cum in his dominus non fuerit simpliciter invitus. »

Quaeritur utrum debita ex delicto sint solvenda ante debita ex contractu. Tres sunt sententiae apud Salm. [18] quas ipsi vocant omnes probabiles et in praxi tutas.

Prima praefert debita ex delicto, quando non intervenit hypotheca vel pignus in contractu, aut non extat res in propria specie; quia retinere rem iniuriose ablatam est gravior iniuria quam non solvere rem debitam ex contractu; ideo illa prius est reparanda. Ita d. Th. [19] Reb. Med. etc.

Secunda praefert debita ex contractu, scilicet oneroso; (nam debita ex gratuito, certum est solvenda esse ultimo loco, ut Bus. *n. seq.*). Ratio quia alias solverentur debita ex aere alieno; maxime cum creditor dederit aequivalens. Ita Caiet. Nav. Valent. etc. Sed hanc sententiam dicit Lugo [20] nullam prae se ferre rationem magni momenti.

Tertia communior et probabilior di-

(1) Ex l. Quod vendidi, 19. ff. de contr. empt. et ex §. Venditae. Instit. de rer. div. (2) De rest. c. 1. punct. 12. §. 1. n. 231. (3) D. 20. n. 15. (4) L. c. n. 232. (5) L. 2. c. 15 dub. 2. n. 11. (6) T. 2. d. 536. (7) L. 3. sect. 5. tr. 2. c. 11. n. 2. (8) D. 1. p. 18. §. 14. n. 5. (9) D. 20. sect. 2. n. 17.

(10) L. 3. p. 2. n. 375. (11) D. 1. (12) Ibid. n. 230. (13) L. 3. p. 2. n. 377. (14) L. c. n. 229. (15) D. 20. sect. 1. n. 5. (16) 2. 2. q. 62. a. 5. (17) De rest. c. 1. punct. 11. §. 3. n. 210. (18) Ibid. punct. 12. §. 1. ex n. 234. (19) Opusc. 73. c. 18. (20) D. 20. ex n. 31.

cit praedicta debita solvenda esse pro rata, nisi adsit res in specie vel hypothecata, ut supra. Ratio quia ex nullo iure habetur in his aliqua praelatio facienda. Ita Lugo [1] Less. [2], item Bonac. Dic. Vill. Pal. Laym. etc. ap. Salm. [3].

689. « 4. Debita ex titulo oneroso prius solvenda sunt, quam quae debentur ex gratuito, v. gr. ex promissione; quia haec includunt tacitam conditionem, nisi quid obstet. Hinc debita defuncti solvenda sunt ante omnia legata etiam pia, Nav. Sylvest. Con. [4].

» 5. In reliquis debitis servandum est ius particulare loci, si tale sit, et non repugnet iuri naturae. Si nullum sit, sequendum est ius commune, secundum quod 1. Solvenda sunt debita ad quae bona debitorum expresse fuerunt obligata. 2. Dos uxoris extrahenda est (Dos ex Laym. praefertur omnibus creditis hypothecam tacitam habentibus). 3. Debita, ad quae bona debitorum sunt tacite hypothecata. 4. Deposita perdita in potestate debitorum. 5. Debita privilegiatorum. 6. Aliorum creditorum: post quos omnes sunt hi, a quibus usurae acceptae sunt, et adhuc post hos restituenda sunt bona incerta. Quando autem multi unius rationis creditores inveniuntur, temporis antiquitas inter eos servanda est. Vide Layman [5]. Qui addit, e bonis debitoris, si is defunctus sit imprimis solvendas esse impensas funeris, et quae ad confectionem inventarii, apertionem testamenti, item ad medicos et pharmacopolas pertinent. Vide Fill. [6]. »

690. Quoad creditores hypothecarios nulli dubium est quin praeferendi sint anteriores, etiam ex hypotheca tacita, qui si tempore antecedant alios creditores ex hypotheca expressa, adhuc praeferendi sunt, ut tenent communius Lugo [7] cum Mol. Vasq. et alii apud Croix [8] contra Navarr. Sylvest. et Angel Notandum tamen quod inter creditores hypothecarios semper omnibus sit praeferendus supra rem creditor qui pecuniam dedit ad illam emendam vel ad reficiendam, v. gr. domum; vel ad custodiam sive ad cultum agrorum; vel ad collectionem segetum [9] Vide Salm. [10]. Dubium est quoad personales.

Prima sententia tenet omnibus his satisfaciendum esse pro rata. Ita Pal. [11] Holz. [12] et Less. Bon. Vasq. Azor. etc. apud Salm. [13]. Ratio quia his non bona debitoris, sed obligata est persona, quae aeque omnibus est obnoxia. Et probant ex illo textu [14]: *Licet alicui, adiiciendo sibi creditorem, creditoris sui deteriorem conditionem facere.* Ergo, inferunt, creditor anterior non habet ius ad illius bona.

Secunda, quam tenent s. Ant. [15] Sylv. [16] Diana [17] Navarr. Ang. Arag. Bon. Baldi cum Lugo [18] Bon. [19] Croix [20] Concin. [21] Salm. [22] cum d. Th. Suar. Val. Tol. Sa etc. docet, praeferendos esse anteriores *ex regula* 54. *iuris in* 6.: *Qui prior est tempore, potior est iure.* Licet enim ius civile sic loquatur tantum de creditoribus hypothecariis: ius tamen canonicum loquitur de omnibus, et fundatur in iure naturali; creditor enim anterior personalis, quamvis directe personam debitoris, indirecte tamen habet obligata etiam eius bona, in quibus non debet praeiudicari a creditore superveniente. Utraque est probabilis, sed secunda probabilior.

691. Quaeritur an debitor impotens satisfacere omnibus suis creditoribus personalibus, possit praeferre pauperiorem diviti, vel non egenti; duplex datur sententia, utraque probabilis, ut recte dicunt Salm. [23].

Prima affirmat. Ratio quia obligatio restitutionis datur ad reparandum damnum proximi; plus autem damnum

(1) D. 20. n. 36. (2) L. 2. c. 15. n. 16. (3) L. c. n. 236. (4) Q. 8. p. 2. (5) L. 3. tr. 2. c. 11. (6) C. 4. q. 13. (7) D. 20. n. 41. (8) L. 3. p. 2. n. 392. (9) Ex l. 3. ff. Qui potiores etc. (10) De rest. c. 1. punct. 12. §. 2. n. 241. (11) Tr. 32. disp. 1. p. 18. §. 18. n. 5. (12) De rest. tr. 2. n. 477. (13) Ib. §. 1. n. 245.

(14) L. 1. §. Ex contrario ff. de separat. (15) P. 2. tit. 2. c. 7. §. 3. (16) V. Restit., q. 5. (17) P. 3. tr. 5. res. 10. (18) De iust. disp. 20. sect. 7. n. 148. (19) Q. 18. n. 18. (20) L. 3. p. 2. n. 403. (21) T. 7. p. 176. n. 17. (22) Tr. 13. c. 1. p. 12. §. 4. n. 246. (23) Ibid. n. 247.

patitur pauper, si ei non fiat restitutio, quam non indigens. Ita d. Thom. [1] Molin. Sa Med. etc. et probabilem putant Less. Laym. apud Salm. [2].

Secunda sententia probabilior negat, quia nullo iure talis praelatio datur: hinc pro rata restituendum. Ita Lugo [3] Pal. Less. Vasq. Azor. Dic. etc. Excipiunt Salm. [4] cum Less. [5] si creditor esset extreme vel graviter indigens: tunc certum esse dicunt istum esse praeferendum ex caritate. Et sic revera tenendum casu quo creditor iam teneatur ex caritate cedere solutionem illam sibi debitam, habens superflua statui, ut pauperi subveniatur; alias non tenebitur ipse ex propriis pauperi illi succurrere cedendo solutionem.

692. « Quaeres utrum prius exigenti non liceat prius solvere.

» Resp. 1. Solvens scienter posteriori, praeterito illo qui habet hypothecam priorem vel privilegiatam, peccat, teneturque priori de damno, qui etiam potest recuperare solutum. Less. [6].

» 2. Si ex pluribus creditoribus personalibus aequalibus aliquis exigat (sive in iudicio sive extra), teneris ei in integrum solvere, quia diligentia fecit eum potiorem, Nav. Sylv. Bonac. [7]. »

Si talis creditor petiit solutionem in iudicio, communiter dicunt dd. posse illum exactum retinere. Ita Lugo [8] quia leges dant praelationem etiam in conscientia ei qui prius obtinuit sententiam, et post eam etiam debitor debet ei solvere in conscientia, ut ait Lugo [9] cum Molin. et Vasq., eo quod lex det creditori hoc privilegium propter reverentiam iudicii publici. Si vero is petiit extra iudicium et exegit, Lugo [10] sentit non posse eum retinere exactum, quia praeiudicavit creditoribus anterioribus, quibus competit praelatio, iuxta suam sententiam, ut diximus *n.* 690. Attamen Salm. [11] cum Less. Bann. Villal. Dic. Nav. Sylv. et Bus. *ut supra*, et Cabassut. [12] recte dicunt probabilius esse quod possit illud retinere, ex iure civili [13] ubi dicitur: *Sin vero iuste exegerit, et caeteri creditores neglexerint exactionem... id quod acceperit creditor revocari nullo pacto potest, quia alii creditores suae negligentiae expensum ferre debent.* Idipsum clarius confirmatur alibi [14] ubi habetur: *Statuendum ne alterius aut negligentia aut cupiditas huic qui diligens fuerit noceat. Quod si utroque instante tibi gratificans tutor solvit, aequum est aut prius eamdem portionem mihi quaeri, aut communicandum quod accepisti.*

» 3. Debitor sciens statum suum labentem, non potest non petenti integre satisfacere, sed debet omnibus personalibus solvere pro rata (si tamen iste solutionem accepisset, an possit retinere, controvertitur. Vide Bon. Less. [15] Trull. [16]). Nec potest uni solvere omissis aliis, nisi secundum ordinem supradictum. »

693. Alii autem, ut Less. [17] et Dic. Dian. Villal. Led. etc. apud Salm. [18] dicunt quod creditor, cui facta est solutio integra, possit illam retinere, licet debitor sit impotens aliis satisfacere. Ratio quia solutum non revocatur [19]. Card. de Lugo [20] distinguit et dicit quod si creditor mala fide solutionem acceperit, tenetur restituere aliis creditoribus: secus si bona fide, quia is non tenetur ex iniusta acceptione, eo quod bona fide acceperit; non ex iniusta retentione, quia per solutionem acquisivit dominium accepti. Sed verius p. Concina [21] Pal. [22] Cont. Tour. [23] Salm. [24] cum Bann. Tap. Bon. Azor. et Turr. dicunt ipsum in conscientia teneri aliis pro eorum rata satisfacere: quia ex iure naturali nullum ius habet ut sibi integre solvatur, cum debitor non possit satisfacere omnibus: iure autem

(1) Op. 73. c. 18. (2) L. c. (3) D. 20. sect. 7. n. 161. (4) Dict. loc. n. 248. (5) L. 2. c. 15. dub. 7. n. 46. (6) Dub. 5. ex l. Scimus, §. Et si praefatam c. de iur. delib. (7) L. c. ex l. Pupillus ff. Quae in fraudem etc. (8) D. 20. n. 177. (9) N. 170. (10) N. 176. (11) Ibid. n. 249. (12) L. 6. c. 23. n. 14. (13) L. Pupillus. (14) L. Si non 6. §. 1. ff. de bon. auct. iud. etc.

(15) L. c. (16) L. 7. c. 14. d. 22. (17) L. 2. c. 15. dub. 5. n. 41. (18) De rest. c. 1. punct. 12. §. 4. n. 250. (19) Ex l. Qui autem, et l. Pupillus, ff. Quae in fraudem, etc. (20) D. 20. n. 178. et 179. (21) T. 7. p. 180. n. 22. (22) D. 1. p. 18. §. 21. n. 6. (23) De iustit. et iure, part. 3. c. 2. a. 6. sect. 2. concl. 7. in med. (24) Ibid. n. 251.

positivo cit. leges statuunt solutum non posse repeti in foro externo, sed non quod possit retineri. Praeterquam quod cit. leges intendant solum praemio afficere diligentiam creditoris exigentis, non autem dare illi ius retinendi id quod iniuste debitor solvit. Nec prodest creditori, quod acceperit in bona fide, nam licet accipiendo non fecerit iniuriam aliis creditoribus, facit tamen retinendo cum damno ipsorum, qui saltem aequale ius habebant ad bona debitoris.

694. Utrum famuli possint recipere salarium a domino debitis gravato. Recte possunt, si bona fide famulatum praestiterint. An vero ipsi teneantur discedere, si advertant dominum ex tali famulatu impotentem reddi ad satisfaciendum debitis. Affirmant Nav. Adr. et Ang. apud Layman [1]. Negat tamen Mol. (et non improbabiliter ait Laym.); nam ipsi neque contra iustitiam peccant, si a domino rogati famulentur, et mercedem accipiant, neque contra caritatem si defuturi non sint alii ad famulandum [2]. *Sed vide dicta n.* 612.

695. Utrum filii et uxor possint accipere alimenta a debitis gravato. Affirmant Laym. [3] cum Sanch. et Croix [4] contra Henr. et alios: etiamsi paterfam. alia debita contrahat ad eos alendos, cum ipse ad eos alendos ex iustitia teneatur: modo isti non habeant aliunde sustentationem. Imo docet Laym. cum Nav. Vasq. et Molin. contra Sylv. quod uxor possit vivere ex bonis viri usurarii, qui non est solvendo, licet alere se possit bonis propriis vel propinquorum: quia vir non minus tenetur alere uxorem, quam usuras restituere. Nequit tamen uxor uti ad sustentationem familiae pecuniis a viro datis ad solvenda debita; nisi in casu quo familia graviter egeret, tunc enim huic prius vir succurrere tenetur; ideoque uxor tunc utitur iure suo. Ita Laym. qui subdit, mercedes operariorum ad necessarios usus debitoris praeferendas esse etiam creditoribus hypothecariis.

ART. III. Quae a restitutione excusent.

696. *Quae excusent a parte debitoris.*
697. *Quid, si non possis restituere, nisi cum graviori damno. Quid, si dominus aequale damnum sit passurus. Quid, si dominus sit abusurus re restituenda.*
698. *Vide alios casus.*
699. *Quid, si debitor cedat bonis.*
700. *Quando excusetur restitutio ex parte creditoris. Quaer. 1. An liceat rem alienam retinere, vel accipere ex praesumpto consensu domini. Quaer. 2. An debitor donans immemor debiti excusetur a restitutione.*
701. *Quid, si debitor restituendo se coniicere deberet in necessitatem extremam.*
702. *Quid, si in necessitatem gravem.*
703. *Quid, si creditor sit in eadem necessitate*
704. *An debitor differens restitutionem ex iusta causa, teneatur reddere interesse quod patitur creditor.*
705. *An haeres rei teneatur ad damna, quando reus, cui successit, fuit capite damnatus.*
706. *An possessor bonae fidei in dubio si factus sit ditior, teneatur restituere.*

696. « Resp. 1. Ex parte debitoris excusant ea quae faciunt ut creditor rationabiliter debeat esse contentus, etsi de facto non sit contentus. Commun. dd.

Unde resolvuntur sequentes casus:

» 1. Excusaris in foro conscientiae (iuxta sententiam probabilem) a compensatione damni, si illud datum sit sine tua culpa theologica gravi, hoc est, mortali peccato, nisi aliud cum altero pactus sis, vel inde sis factus ditior. Unde excusaris si v. gr. aliquem occidisti ex subita ira, ut si fuerit motus tantum primo primus, vel si ex oblivione non extinxeris candelam, et hinc ortum sit incendium etc. Quod si advertens periculum in actionibus periculosis, omittas eam diligentiam praecavendi, quam homines eiusdem conditionis communiter praestare solent, graviter peccas et teneris restituere damna secuta. Porro in foro externo proceditur secundum culpam iuridicam, quae saepe non est peccatum, et dividitur in latam et levem et levissimam. (*Vide dicta n.* 549. *et* 550.).

» 2. Excusaris a restitutione incertorum, si fecisti compositionem cum episcopo vel papa, Less. [5] Bon. [6] (Quod

(1) De rest. c. 11. n. 8. (2) Ex Hom. Ap. tr. 10. n. 115. teneutur discedere, si non sint necessarii, nec possunt prosequi ad exigendum stipendium. (3) D. lib. n. 9. (4) L. 3. p. 2. n. 387. (5) C. 10. d. 11. (6) Q. ult. p. 2.

possit etiam episcopus componere, tenent Trul. Villal. Henr. Dian. sed oppositum tenendum cum Lugo Mol. etc. apud Croix [1] (*Vide dicta ex n.* 592. *v. Notat*).

» 3. Item, si casu quo teneris rem restituere pauperibus, tibi ipsi revera indigenti eam des: et tunc quidem postea factus ditior, adhuc non teneris restituere. Vide Laym. [2].

697. » 4. Si non possis restituere, nisi cum notabiliter graviore damno tibi vel tuis vel reip. inferendo, quam aestimari debeat commodum ex restitutione creditori obventurum; tunc enim differre potes, dum esset ista impotentia, Laym. [3] ex Sylv. Nav. etc. Idque verum est, etsi debitum sit ex delicto, uti et in sequentibus casibus. (*Vide dicta n.* 598.) »

Teneris autem restituere etiam cum tuo damno, si omissa restitutione dominus aequale damnum sit passurus. Ita Salm. [4] cum Pal. Less. et Dicast. Cessationem autem lucri dicunt Salmant. [5] non esse causam iustam differendi restitutionem: nisi (excipit Beia apud Croix [6]) ex dilatione creditor nullum damnum patiatur. Vide alia circa dilationem restitutionis apud Croix [7]. Probabilissimum autem est cum Lugo [8] et Croix [9] cum Nav. Sot. Mol. Less. etc. (contra Azor. Sanch. Bon. etc.) te non teneri restituere rem qua dominus est abusurus ad peccandum: imo si ille praevidetur abusurus in damnum tertii, peccares restituendo, quando posses negare sine tuo graviori vel saltem aequali gravi damno, iuxta dicta *n.* 571. *vers. Secus.* Idque expresse docet s. Th. [10] qui dicit: *Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei cui restitutio facienda est, vel alteri, non ei debet tunc restitui; quia restitutio ordinatur ad utilitatem eius cui restituitur.* Et tunc peccares restituendo non solum contra caritatem, ut dicunt Mol. et Dic., sed etiam contra iustitiam, ut docent Salm. [11] Conc. [12] et Lugo [13] cum Less. Pal. Bonac. Sot. aliisque communiter apud Croix [14]. Ratio quia proximus habet ius ne tradas aliquid alteri in eius perniciem.

698. « 5. Si ad restituendum sis impotens; ut si vivere non possis secundum decentiam tui status iuste a te acquisiti (Secus iniuste acquisiti, Salmant. [15]). Unde si nobilis v. gr. non potest statim solvere, nisi se privet famulis, equis, armis etc., vel civis primarius, nisi obeat artem mechanicam sibi insuetam, vel mechanicus, nisi vendat instrumenta sua quibus vivit, aut magnum damnum subeat, potest differre, et paulatim restituere sine iactura sui status. Laym. [16] Bonac. (Est commune apud Croix [17]).

» 6. Quod si tamen tua culpa in illas angustias delapsus sis, v. gr. luxuria, ludis, superfluis expensis vestium, tibi imputare debes, quod iam sine status tui amissione non possis satisfacere [18].

» 7. Quod si item creditor ex dilatione aequale damnum subire debeat, tu potius quam is, sustinere debes, cum eius conditio sit melior. Excipitur extrema necessitas, in qua quoad usum sunt omnia communia [19] (Communiter omnes cum Laym. apud Croix [20]).

» 8. Quod si item damnum quod timetur ex restitutione, non esset propriorum bonorum, sed in hoc praecise tantum, quod spoliet se rebus debitis, non potest ideo differre restitutionem: quia hoc non est pati in suis rebus, neque suum statum amittere, sed est dimittere alienum et reverti ad statum proprium. Sayr. Bonac.

» 9. Item excusaris a restitutione, si fieri nequit absque periculo salutis animae tuae vel tuorum; ut v. gr. si non possis absque peccato, ut si sit periculum ne uxor aut filiae se prostituant, ne filii se dent latrociniis, ne ipse per impatientiam incidas in desperationem. Bon. Less. Mol. Fill.

» 10. Item si non possis restituere

(1) L. 3. p. 2. n. 413. (2) L. 3. t. 2. c. 12. (3) L. c. (4) De rest. c. 1. punct. 15. n. 270. (5) Ibid. n. 271. (6) L. 3. p. 2. n. 424. (7) N. 425. (8) D. 21. n. 26. (9) N. 426.

(10) 2. 2. q. 62. a. 5. ad 1. (11) Loc. c. punct. 11. §. 2. n. 204. (12) T. 7. p. 168. (13) N. 29 (14) N. 427. (15) Cit. punct. 15. n. 269. (16) L. c. (17) L. 3. p. 2. n. 340. (18) Ibid. (19) Ibid. (20) N. 430.

absque periculo vitae vel notabili detrimento famae: cum alias plus damni sustineres, quam intulisti, Bon. [1] (Nisi iactura famae sit minima respectu damni in bonis creditoris. Salm. [2]. *Vide dicta n.* 653. *v. Sed dices*).

699 » 11. Item si cedas bonis, quia leges concesserunt, ut qui contraxit multa debita, nec habet unde solvat, possit cedere bonis, ea relinquendo in manibus creditorum, et tunc maneat liber, ita ut etiam in conscientia sit tutus, retentis instrumentis artis, et quae ad sustentationem sunt necessaria. Quod si tamen postea redeat ad pinguiorem fortunam, tenetur adhuc restituere [3]. Navarr. Bon. Less. (Imo ex Laym. [4] remanet obligatus ad laborandum et acquirendum ut solvat). Ex quo Trull.[5] sic limitat: si acquirat plus quam ad decentiam status est necessarium [6]. Nisi tamen debita proveniant ex delicto, v. g. furto, eo enim casu tantum posse retinere quae simpliciter necessaria sunt ad victum, docent Navarr. Salon. Less. [7], etsi hic concedat ea quae post cessionem iuste acquiruntur, licite teneri, si ad statum sint necessaria. Vide Tol. Laym. [8] Less. [9] Bonac. Trull. [10]. Porro, etsi cessionem dictam non habere locum in bonis ex delicto provenientibus communiter teneant dd. cum Laym. [11]; contrarium tamen ex Less. Dian. etc. docet Trull. [12] Denique, etsi debitor principalis cesserit, non ideo liberantur fideiussores. Card. Lugo Dian. [13] et alii.

700. » Resp. 2. Ex parte creditoris excusat: 1. Si is cui debet restitui semel remiserit, expresse vel tacite, v. g. si laceraverit tuum chirographum vel tibi reddiderit. Remissio autem haec debet esse libera; non metu, fraude, vel mendacio extorta. Fill. [14] Less. [15].

» 2. Excusat in foro conscientiae, si solvisti ei cui debebat tuus creditor. Less. [16] Bon. [17]. 3. Si compensatio facta est creditori per commodum aequivalens, v. g. per procurationem officii non gratis factam. 4. Omitti aut saltem differri potest restitutio, imo aliquando debet, si creditor ea sit abusurus, v. g. si quis pecunias tibi mutuo datas repetat ad fornicandum vel aliter peccandum. Item si eas repetat ad peccandum contra iustitiam, sive inferendum damnum iniustum tertiae personae: nisi tamen ex negatione restitutionis timeretur maius malum (*Vide dicta n.* 697. *et alibi*). »

Quaer. hic 1. An liceat tibi rem alienam retinere vel accipere ex praesumpta voluntate domini, nempe quod si peteres libenter ille donaret. Respondetur affirmative cum sententia satis communi quam tenent Sanchez [18] cum Ang. Nav. Arag. Mendoz. Lop. Lugo [19] cum Sylvest. Tab. Sayr. Holz. [20], Croix [21] cum Less. Sa Reg. et Dic. Et expresse eam docet s. Anton. [22], qui loquens de obligatione restitutionis ad quam tenetur qui accipit alienum invito domino, sic subdit: *Invito domino dicitur, quia, si credit dominum permissurum, et subest iusta causa credendi, non tenetur.* Ratio huius sententiae est, quia malitia furti non tam consistit in ditescendo ex re aliena, quam in ditescendo cum damno domini graviter inviti, cum hoc praeceptum non furandi tantum ordinetur ad caritatem erga proximum servandam, ut diximus *n.* 534. *v. Quaer.* 2., et docet Lugo cum aliis [23]. Unde ut excuseris in tali casu a peccato sufficit ut dominus non sit positive invitus. Id confirmatur ex iure civili [24] ubi legitur: *Recte dictum est, qui putavit se domini voluntate rem attingere, non esse furem; quid enim doli fecit, qui putat dominum consensurum fuisse?* Confirmatur etiam ex doctrina s. Thom. [25] qui ait non esse proprietarium religiosum qui ponat aliquid, po-

(1) D. 2. q. ult. p. 1. (2) Tr. 13. c. 1. punct. 17. n. 282. (3) Ex l. Cum filiifam. qui bon. (4) C. 12. q. 1. (5) Lib. 7. d. 15. c. 5. (6) Ex dicta l. Cum etc. (7) Loc. c. (8) L. 3. c. 12. (9) L. 2. c. 16. d. 3. (10) Loc. c. (11) Loc. c. (12) Loc. c.

(13) P. 7. t. 8. r. 18. (14) Tr. 32. c. 5. q. 9. (15) L. 2. c. 16. d. 2. (16) D. 5. (17) P. 3. (18) Dec. l. 7. c. 19. n. 13. (19) D. 21. n. 54. et 63. (20) Tr. 3. p. 483. n. 600. (21) L. 3. p. 2. n. 462. (22) 2. p. tit. 1. c. 15. (23) D. 16. n. 49. (24) L. 46. §. 7. ff. de furtis. (25) 4. dist. 15. q. 2. a. 5. qu. 4. in corp.

nens spem in ratihabitione praelati; ratihabitio autem semper de futuro est. Oppones id quod ait Suarez [1], nempe quod licentia interpretativa, quatenus daretur si peteretur, non sit licentia, sed esset si peteretur; ideoque non sufficit ad valorem actus, v. gr. ad confessiones audiendas, ad assistendum matrimoniis. Sed respondetur cum Lugo et Holzm. [2] quod ad audiendas confessiones atque assistendum matrimoniis requiratur facultas praesens positiva quae non habetur nisi de praesenti concedatur. Sed ad rem alienam accipiendam vel retinendam non requiritur positiva voluntas domini, sed sufficit, ut diximus, quod ipse non sit positive invitus, saltem ad te excusandum a culpa gravi; nam, si putes dominum invitum quoad modum, tunc non excusaberis a veniali, ut recte docet Sanch. [3] cum Navarr. Cai. Arm. Sa Led. etc.

Quaer. 2. An debitor aliquid donans suo creditori immemor debiti excusetur a restitutione.

Negat *prima sententia* cum Sanch. [4] Laym. [5] Spor. [6] Bon. [7] Dian. [8] Salm. [9] etc. Ratio quia, cum is sit debitor tum ex titulo iustitiae, tum ex titulo donationis acceptatae, non potest una solutione his duabus obligationibus ex diversis titulis ortis satisfacere. Nec obstat 1. ut dicunt, quod debitor, si memor sui debiti fuisset, non donasset, sed potius debitum solvisset; quia in contractibus non attenditur voluntas conditionalis sed actualis. Nec obstat 2. quod donatio fuerit facta per errorem, sive propter ignorantiam debiti, dantem causam donationi; nam, ut dicunt Less. [10] Sanchez et alii communiter, adhuc in contractibus gratuitis error non invalidat actum, etiamsi causam illi dederit, nisi adfuerit error in motivo donandi; hinc si quis promiserit eleemosynam pauperi quia pauperem eum iudicavit, non tenetur illam praestare si postea sciat eum non indigere, quia error hic fuit in substantia: contra vero, si postea sciat pauperem illum fuisse suum calumniatorem, tenetur dare, etiamsi non fecisset promissionem, si prius hoc novisset. *Vide dicenda n.* 715.

Limitant vero praefatam sententiam: 1. Si obligatio restitutionis proveniat ex praecepto ecclesiastico, puta si beneficiarius, obstrictus ad restitutionem fructuum ob omissionem horarum vel residentiae, eleemosynas postmodum erogaverit immemor suae obligationis. Ita Laym. [11] Sanchez [12] Suarez [13] Roncaglia [14] Sporer et Diana [15]. Et item dicunt Roncaglia [16] ac Bonacina [17] de omni restitutione ob debita incerta. Limitant 2. Quando probabiliter praesumitur creditor libenter debitum remissurus si rem cognitam haberet, Laym. et Spor. [18]. Limitant 3. Si obligationes essent aliunde quam ex iustitia, puta si quis immemor voti, poenitentiae sacramentalis, aut praecepti ecclesiastici, opus debitum praestaret, quia tunc bene satisfaceret, ut docent Laym. Suar. Sanch. Bon. [19] et Bus. cum Azor. et Less.

Secunda sententia vero quam tenent Card. [20] Rodr. [21] Mazz. [22] Croix [23] cum Reb. Tamb. [24] cum suo magistro Baldello (et probabilem censet Diana revocans primam sententiam [25]), affirmat talem donantem bene satisfacere suo debito ex iustitia (Et idem esse, ait Mazzott. si quis conferat suo creditori gratis officium aliquod saeculare, quod sit pretio aestimabile). Ratio quia in omni liberali praestatione quisque praesumitur prius velle satisfacere obligationibus iustitiae. Idque probatur ex iure civili [26], ubi dicitur quod qui ex pluribus causis alteri debet pecuniam,

(1) De rel. t. 3. l. 8. c. 11. (2) L. c. (3) L. c. (4) Dec. l. 1. c. 13. n. 11. (5) L. 3. tr. 2. c. 12. n. 9. (6) De consc. tr. 1. c. 1. n. 90. (7) De leg. q. 1. p. 10. n. 13. (8) Q. 3. tr. 6. r. 57. (9) De leg. c. 2. punct. 8. n. 146. (10) L. 2. c. 17. n. 23. (11) L. 1. tr. 4. c. 4. n. 7. (12) Dec. l. 1. c. 13. n. 10. (13) De rel. l. 4. c. 26. n. 8. (14) De leg. c. 4?.

(15) Loc. c. (16) Loc. c. (17) L. c. p. 10. n. 13. (18) Ibid. (19) L. c. (20) In 1. crisi d. 64. n. 24. (21) P. 2. c. 49. concl. 2. (22) De rest. tr. 4. q. 7. c. 2. (23) L. 3. p. 2. n. 452. (24) L. 1. c. 3. §. 7. v. Solutio, n. 4. (25) P. 5. tr. 13. r. 94. (26) L. Cum ex pluribus 97. ff. de solution.

et solvendo non exprimit ex qua causa solvat, censeatur solvere pro causa potiore; haec sunt verba textus: *Cum ex pluribus causis* (nempe propter infamiam vel poenam vel hypothecam) *debitor pecuniam solvit*, *utriusque demonstratione cessante*, *potior habebitur causa eius pecuniae*, *quae sub infamia debetur*, *mox eius quae poenam continet, etc.* Et ratio ibi subditur (quod magis urget), quia praesumitur, quod si debitor fuisset admonitus, pro causa potiore solvisset. *Quod verisimile videtur*, *diligentem debitorem admonitum*, *ita negotium suum gesturum fuisse.* Sic textus, ubi Glossa[1] addit, *idest sua discretione*, *vel ab amicis.* Accedit alia ratio, quia oblivio debiti efficit ut donatio fuerit omnino involuntaria, qui enim donat censetur semper hanc actualem voluntatem (saltem implicitam) habere: *Dono*, *nisi tenear ex aliquo alio titulo potiore.*

Prima sententia est communior et quidem valde probabilis; sed haec *secunda* sua probabilitate non caret. Ad rationem enim praecipuam primae sententiae, nempe quod in contractibus non conditionalis, sed actualis voluntas attendatur, respondetur quod in nostro casu non sola voluntas conditionalis habetur, quae nunquam in actu adfuerit, sed habetur vera voluntas, ut supponimus, anterius absolute habita solvendi debitum, quae semper perseverat, quamdiu non revocetur; sed dices: debitor donans non potest in uno actu duas voluntates oppositas habere, unam donandi, alteram solvendi debitum. Sed respondetur quod donans immemor debiti potius censeatur velle solvere ex prima voluntate habita, quam velle donare. Tota igitur quaestio reducitur ad videndum an in hac solutione praevaleat prima voluntas generalis habita solvendi debitum, an secunda actualis donandi: sed videtur satis probabile quod praevaleat prima voluntas, tamquam potior et praecedens. Hocque probatur ex concessis ab eisdem dd. contrariis; concedunt enim Layman[2] Sanchez[3] cum Led. iuxta ea etiam quae diximus *n.* 210. quod si quis emiserit votum non vovendi, et statuerit se nolle futura vota valere, et postea immemor primi voti secundum emittat; tunc nullum erit hoc secundum votum, dummodo primum non retractet expresse vel virtualiter, nempe si memor primi secundum faciat. Sic pariter Sanch.[4] et Laym.[5] dicunt non valere posterius testamentum contra prius habens clausulam, ut per nullum aliud censeatur revocatum, nisi in secundo testamento per aliam clausulam expresse primum revocetur. In his casibus quaero cur valeat primum votum, primum testamentum, et non secundum? Nulla utique alia ratio assignari potest, nisi quia illa prima generalis voluntas habita praevalet secundae voluntati actuali. Si ergo talis impletio (loquendo de voto) satisfacit Deo, cur non homini? Praeterea concedit Laym.[6], quod si quis promittit aliquid dare, et promissio acceptatur, si postea illud donat, primae donationis immemor, ad nihil aliud tenetur: hic rursus rogo quare hic non teneatur ad primam donationem, cum prima et secunda donatio sint duo actus distincti, nisi quia praevalet anterior voluntas solvendi debitum, quam donandi? Nec valet dicere quod ambo isti actus pendeant ex eodem titulo liberalitatis; nam certum est hunc donantem potuisse ex eodem titulo donationis se adstringere ad duas obligationes. Quapropter in tantum is immemor primae donationis per secundam illi primae satisfacit, quantum praevalet voluntas generalis iam prius habita potius solvendi debitum ex anteriori donatione contractum, quam iterum donandi. Id quidem fortius dicendum in casu nostro ubi agitur de solvendo debito contracto ex iustitia, quod strictius obligat quam debitum ex donatione.

Sed occurrit hic alia urgentior dif-

(1) Ad verb. Admonitum. (2) L. 1. tr. 4. n. 5. (3) Dec. l. 4. c. 8. n. 17. (4) Loc. c.
(5) L. 3. tr. 5. c. 4. n. 3. ex l. Si quis de legatis. (6) L. 1. tr. 4. c. 4. n. 7. v. Caeterum.

ficultas, nimirum, quod debitum certum non compensatur probabili satisfactione. Sed respondetur cum Card. Croix et Mazz. hoc procedere quando adest sola probabilitas facti, non autem quando accedit probabilitas iuris. Clarius id explico: Quando debitum est certum, et probabilitas versatur circa factum solutionis, certe ex probabili solutione debitor non liberatur, quia solutio probabilis aequare non potest debitum certum. Sed hic probabilitas non est circa veritatem sive factum solutionis, sed circa effectum illius, scilicet quod per solutionem illam debitum sit probabiliter satisfactum, eo quod probabiliter adfuerit satisfaciendi voluntas; haec enim est probabilitas iuris, sive proxima, qua debitor bene uti potest, ut diximus *lib.* 1. *n.* 33. [1] cum Suar. Sot. Nav. Sylv. Ang. Lugo Salm. et aliis.

701. Quaeritur 3. Quando debitor in necessitate constitutus excusetur a restitutione. Hic distinguenda est primo necessitas gravis ab extrema; et dicendum quod si debitor aliter sibi non potest subvenire, nisi per bona quae restituere deberet, tunc non tenetur ea restituere et in extremam necessitatem se coniicere, etiamsi creditor in eadem necessitate constituatur nisi debitum ei restituatur. Haec est sententia communis, ut testantur Salm. [2]. Et hoc etiamsi extet res debita in specie, ut docet Less. [3] cum Cai. Sot. et Tol. ac Sporer [4] contra Nav. Ratio quia tunc omnia fiunt communia, cessatque potestas dominii iure gentium introducta. Excipe tamen cum Less. et Pal. [5] nisi praecise ob subtractionem illam dominus in extremam necessitatem sit coniectus, quia auferre alicui rem sibi ad vitam necessariam est idem ac eum occidere, unde in eo casu melior debet esse conditio domini prius possi-

(1) Numerus, qualis hic laudatur, minime convenit cum *n.* 33. *lib.* 1. huius editionis, sed est ex editione Rom. anni 1757. in cuius tractatu de conscientia, ordine plane diverso ab eodem huius editionis, *lib.* 1. *n.* 33. haec leguntur.

« Sciendum est, quod nemo uti potest opinione probabili cum periculo damni vel iniuriae proximi. At hic maxime advertendum, quod non possumus uti probabili cum damno proximi quando probabilitas est tantum facti, non autem si (in aliquibus casibus) adest probabilitas iuris, quae reddit nos moraliter certos practice bene operari et prudenter, utendo opinione probabili de iure, vel probabilitate proxima ut communiter docent auctores nostri cum Suarez 1. 2. *t.* 3. *d.* 12. *sect.* 6. et Soto *de iust. lib.* 3. *qu.* 5. *art.* 6. *ad* 4. qui ait: In omnibus negotiis magni momenti, etiam in magnam iniuriam tertii, licitum est sequi opiniones probabiles. Sed hic dices: Cur opinione probabili de iure in aliis materiis uti possumus, et non etiam in sacramentis, et pharmaco praebendo infirmis, cum in utroque damnum proximus pati possit? Egregie respondet Suarez *loc. c.* dicens distinctione utendum: interdum enim opiniones sunt circa ius, scilicet an hoc sit prohibitum, nec ne; interdum vero circa res ipsas, ut in sacramentis, an hoc modo facta teneant: et in medicina, an hoc pharmacum sit utile, vel perniciosum. Dicendum 1. Quotiescumque est opinio probabilis hanc actionem non esse prohibitam, potest aliquis formare conscientiam certam tali opinione. Praeter auctores citatos favent huic conclusioni multa, quae adducit Navar. *d. c. Si quis autem a.* 12. *et in summa c.* 27. *n.* 288. Sylvest. Angel. *verb. Opinio* s. Antonin. 1. *p. tit.* 3. *c.* 10. Ratio est, quia excedit ordinarium humanae facultatis maiorem cognitionem obtinere in actionibus. Item quia esset intolerabile onus obligare omnes homines ad conferendas singulas opiniones. Praeterea existimo illam rationem sufficientem, quia quandiu est iudicium, quod nulla sit lex prohibens actionem, talis lex non est sufficienter proposita, donec certius de illa constet. Dicendum 2. Quando opiniones versantur circa res ipsas, saepe tenetur homo praeferre certam probabili, quando scilicet ex iustitia vel caritate vitare damnum tenetur quod in re ipsa subest. Unde confirmatur ex differentia de iure vel de re: nam primum dicit ordinem ad operantem, et omnino tollit periculum malitiae: secundum vero dicit ordinem ad rem ipsam, et non tollit periculum detrimenti quod est in ipsa. Unde in priori est sufficiens excusatio sequendi probabile iudicium, quia nondum lex est sufficienter proposita; hic autem nulla est sufficiens excusatio, cum satis constet periculum in re ipsa manere; huc usque Suarez.

» Ad quod clarius explicandum dico, quod opinio probabilis aliter se habet, quando versatur circa substantiam rei, hoc est an res existat vel non: aliter circa modum rei, nempe an res sive actio sit honesta vel non. Nam quando opinio versatur circa substantiam rei, opinio quantumvis probabilis non potest sufficere, ut sit quod non est; ex. gr. ut sit sacramentum, quod probabiliter videtur esse sacramentum, sed revera non est sacramentum, vel pariter ut sit medicina, quod est revera potius venenum, cum de facto noceat. Quando vero opinio versatur circa modum rei, an sit honesta vel non; tunc opinio probabilis bene efficit ut actio sit honesta, licet forte per se non sit. Ratio quia (ut late probatum est in dissert. de usu opinionis probabilis) in iis casibus, in quibus probabiliter opinamur legem prohibentem non adesse vel saltem non esse satis manifeste propositam, tunc lex non obligat; et ideo tunc operatio, eo quod non sufficienter inveniamus eam a lege prohibitam, utique remanet honesta et licita.

(2) De restitut. c. 1. n. 271.

(3) L. 2. c. 10.

(4) De rest. c. 4. n. 77.

(5) P. 7. tr. 32. d. 1. q. 17. §. 2. n. 6.

dentis. An autem, transacta huiusmodi necessitate, debitor teneatur ad restitutionem. Distinguit Less.[1] etait quod si restitutio debebatur ex contractu, tunc quando per illum dominium rei iam translatum fuerat in debitorem, certe debet tantumdem restitui; quia tunc debitor consumpsit quod erat suum, unde debitum perseverat; si vero res non fuerat translata in dominium alterius, ut in deposito, precario, etc., tunc adhuc probabile esse dicit Less. cum P. Nav. non teneri debitorem ad restitutionem. Si autem restitutio facienda erat ex delicto, Lessius[2] dicit probabile esse adhuc cum eodem P. Nav. non esse obligationem restituendi; sed probabilius recte ipse cum Scoto Rich. Palud. Sylv. putat restitutionem esse faciendam. At *vide dicta n.* 520. *Quaer.* 4. ubi distinximus pauperem in re et in spe. Id autem quod licitum est auferre pro necessitate propria, licet quoque pro necessitate suorum, nempe uxoris, parentum et filiorum; ita Less. [3] cum Sot. Lop. et Tolet. qui admittit etiam pro necessitate fratrum.

702. In gravi autem necessitate plura alia distinguere oportet, et dicendum 1. Quod si solus debitor est in necessitate gravi constitutus, certe potest restitutionem differre, quando debitum est ex contractu, ut fatentur omnes apud Croix [4]. Si vero ex delicto, negant posse differri restitutionem Sotus Mol. etc. [5]. Sed communiter affirmant Pal. [6] Salm. [7] s. Antoninus [8] et Croix [9] cum Lugo Scoto Nav. Az. Sylv. Laym. Quod si autem necessitas praevideretur perpetua, in eo casu putat Croix [10] debitorem teneri restituere saltem diversis vicibus parcissime vivendo. Citat autem Ills. qui dicit eum posse excusari etiam in perpetuum, si damnum subeundum a debitore esset notabiliter maius damno creditoris. Et idem sentit Lugo[11], qui subdit tamen[12] quod ad excusandum debitorem ex contractu, deberet is subire damnum duplo excedens debitum; ex delicto, damnum quadruplo excedens debitum et damna creditori obvenientia ex omissione restitutionis, ad quae fur proculdubio tenetur. Dicendum 2. Quod pariter excusabitur debitor, si restituendo decisurus sit e suo statu iuste acquisito, ita ut in gravem necessitatem incidere debeat. Ita Pal.[13] Viva[14] cum Tambur. et Bonac. Salm. [15] cum Prado Bann. Villal. Dic. Tapia. Dixi *iuste acquisito*, nam secus dicendum, si status iniuste acquisitus fuisset ex usuris, etc., ut communiter limitant Pal. [16] et Salm. [17] cum aa. cit. Sicut etiam limitant Pal. [18] cum Sylv. ac P. Nav. atque Croix [19] cum Layman et communi, si debitor propria culpa, nempe ludis et comessationibus in illum miserum statum devenerit; sed in hoc casu mihi et aliis doctis iunioribus durum videtur damnare debitorem ad restituendum, si ille statum iuste iam acquisierit. Hic autem bene advertunt s. Anton. [20] Elbel [21] Holz. [22] et Spor. [23] cum communi, quod licet tunc debitor ad restituendum non teneatur totaliter mutare statum, tenetur tamen illum diminuere quantum potest, scilicet dimittendo splendorem equorum, famulorum etc.

703. Sed dubitatur 1. an in gravi necessitate debitoris et creditoris sit obligatio restituendi. Respondetur: Si creditor iam necessitatem gravem patitur, et debitor tunc ea non laborat, sed laborabit restituendo, certe tenetur restituere, quamvis in necessitatem gravem sit constituendus; quia in aequali necessitate gravi praeferendus est creditor, ut magis ab ea eximatur ipse creditor innocens, quam debitor, sive hic sit ex delicto, sive ex contractu. Ita communiter Less.[24] Salm.[25] et Croix [26] cum Az. Laym. Dic. Mol. Spor. etc. Si vero debitor iam constitutus sit

(1) Loc. cit. n. 4. (2) N. 5. (3) N. 14. (4) L. 2. p. 2. n. 430. (5) Ibid. (6) Loc. c. n. 4. (7) De restit. c. 1. punct. 15. n. 272. (8) P. 2. tit. 2. c. 8. §. Quidam. (9) Eod. loc. (10) N. 431. (11) D. 21. n. 21. (12) N. 22. (13) Loc. c. n. 5. (14) De rest. q. 6. a. 1. n. 3. et 7. (15) Loc. c. n. 269. (16) Dict. l. 4. n. 4. (17) Dict. n. 269. (18) Ibid. (19) Dict. n. 430. (20) P. 2. tit. 2. c. 8. (21) De restit. n. 347. (22) N. 507. (23) C. 4. n. 65. (24) Dict. c. 10. n. 30. (25) Ibid. n. 270. (26) Loc. c. n. 430.

in necessitate gravi, dubium est an teneatur restituere, quando creditor eadem necessitate laborat.

Prima sententia affirmat cum Prado Trull. apud Salm [1]. Et hanc sequitur ut probabiliorem Roncaglia [2] quando debitum est ex delicto. Ratio istorum, quia extra casum quo debitor in extremam necessitatem decidere debeat, in aequali necessitate semper reputanda est melior conditio creditoris innocentis: secus tamen censet Roncaglia, si debitum esset ex contractu.

Secunda sententia vero tenet in eo casu posse debitorem etiam ex delicto differre restitutionem, dummodo res ablata non extet in specie, et modo non praecise per illam ablationem creditor in gravem necessitatem sit coniectus. Ita Less. [3] Pal. [4]. Et probabilem vocant Roncaglia et Trull. cum Sylvio apud Salm. [5], qui eam aeque probabilem putant; et revera videtur sua probabilitate non carere, quia in eo casu, si restitutio facienda esset, non tantum aequale damnum debitor sustinere deberet, sed multo maius quam creditor; cum enim is gravi necessitate iam laboret, certe non posset restituere, nisi cum gravissimo incommodo, ita ut quasi in extremam necessitatem se coniicere videretur.

704. Dubitatur 2. an talis debitor restitutionem differens ex iusta causa, teneatur reddere creditori interesse quod hic patitur ex dilatione. Negat Pal. [6] cum P. Nav. et Lessio ex parte, quia, ut dicit, damnum creditori tunc non obvenit ex illa prima iniusta acceptione, sed ex retentione posteriori quae iuste fit. Sed probabilius dicendum cum Viva [7] Salm. [8] Bon. et Villal. quod si debitum sit ex contractu, tunc non debetur interesse, quando iuste differtur solutio; secus vero si ex delicto, quia tunc prima iniusta acceptio revera fuit culpabilis causa damni. *Vide dicta n.* 680.

Quaer. 4. Si fur mittat domino rem ablatam per confessarium aut virum fidelem, et iste sibi illam retineat, an teneatur iterum restituere. Negant Castropal. Soto Gabr. Ledesm. etc., et hanc opinionem probabilem vocant Trull. Filliuc. etc. apud Salmant. [9], quibus olim adhaesi. Eamdem enixe tuetur Felix Potestas [10] dicens: *Si fur ex consensu expresso creditoris hoc faceret, certe ad nil amplius teneretur; idem ergo dicendum si hoc agit ex consensu tacito qui certo praesumitur; alias creditor esset irrationabiliter invitus, dum certe fur non tenetur se prodere: taciti autem et expressi consensus eadem est vis.* Sed oppositum docet sententia communis et tenenda cum Less. [11] Lugo [12], qui mordicus eam tuetur, et contrariam vocat parum probabilem, spectata ratione, et citat pro se s. Anton. Nav. Sayr. P. Nav. Sylv. etc. item Spor. [13] cum Mol. Tol. Reb. Fab. Salm. [14] Croix [15]. Ratio, quia debitor ex delicto tenetur efficaciter, et cum effectu reddere dominum indemnem. Et hoc sive restituatur res furata in individuo, cum furis crimen sit iam vera causa, ut tunc res pereat, prout bene aiunt Lugo et Sporer cum aliis; sive restituatur valor rei, et mittatur ad creditorem. Quo casu fortius probatur nostra sententia, ex eo quod dominium pretii illius maneat apud furem, donec pecunia ad creditorem perveniat, adeo ut possit illam repetere ad suum libitum; si ergo perit, cur perire debet creditori innocenti, et non furi qui adhuc illius dominus est? Ratio autem a priori est, quia debitor ex delicto tenetur ad omne damnum, etiam fortuitum (ut certum est apud doctores) quod domino evenit ex sua iniusta ablatione; ergo quomodocumque res pereat, etiam sine ulla nova culpa furis, debet damnum domino resarciri. Dices eo casu, cum fur non teneatur se prodere, praesumitur creditor consentire ut debitum per alium restituatur periculo sui; alias irrationabiliter peteret ut fur

(1) Loc. c. n. 273. (2) De 7. praec. c. 9. q. 2. (3) N. 19. (4) N. 7. (5) Ibid. (6) Loc. c. §. 10. n. 2. (7) Loc. c. n. 7. (8) Ibid. n. 274. (9) De restit. c. 1. punct. 9. n. 187. (10) N. 179.

(11) L. 2. c. 16. dub. 6. n. 67.
(12) De iust. d. 21. sect. 5.
(13) De rest. c. 4. n. 25. (14) L. c. n. 188.
(15) L. 3. p. 2. n. 364. et 462.

restitueret per se ipsum. Respondeo: non tenetur quidem fur per se ipsum restituere, sed tenetur vere et cum effectu indemnem suum creditorem reddere; et cum faciat id quod potest ad restituendum, hoc sufficit utique ad ipsum excusandum a novo peccato, non autem ad liberandum a restitutione. Creditor autem licet praesumatur consentire in missionem, non tamen censetur nec tenetur remittere ius suum, donec creditum consequatur. Irrationabiliter quidem ipse peteret ut fur se proderet, sed non irrationabiliter petit ut indemnis servetur. Nec valet dicere quod si creditor expresse consentiret in huiusmodi missionem, iam fur liberaretur; nam tunc creditor virtute sui expressi consensus debitum haberet pro accepto, et periculum in se susciperet; sed in casu nostro nec praesumitur, nec tenetur habere debitum pro accepto, nisi cum effectu recipiat. Olim primam sententiam vere probabilem censebam, sed ex rationibus mox allatis melius postea perpensis de illius probabilitate valde dubito. At quia Lessius et Sporer cum Tambur. non audent primam opinionem damnare, nec ipse audeo.

Quid si, cum dominus sit certus, confessarius imponat furi ut det pauperibus pro anima domini, et ille det? Tamb. dicit quod si teneri potest prima sententia, possit etiam et haec; quia dominus non debuit esse invitus quod fur confessario bona fide iudicanti obediat dando eleemosynam. Tanto magis quia, si denuo ille restituat, dominus plus recipiet quam suum creditum, recipiendo creditum et bonum spirituale per eleemosynam iam illi applicatum. Huiusmodi satisfactioni nec etiam acquiesco. Quamvis eum qui vellet hanc opinionem sequi, nec etiam audent damnare Spor. et Tambur. Secus tamen esset (dicit idem Tamb.) si confessarius mala fide suaserit furi ut restitueret pauperibus; quia tunc videtur dominus nunquam consensisse in hoc casu, et rationabiliter invitus praesumitur.

705. Quaeritur 5. Quando reus morte plectitur, an haeres eius teneatur restituere damna causata per crimen. Negant Scotus etc. apud Croix [1]. Sed contrarium est dicendum cum Croix, Sporer et aliis communiter. Censet tamen probabile Croix[2] cum Soto Less. Fill. Bus. etc. excusari haeredem a restitutione, si compensatio damnorum non petatur; quia tunc partes praesumuntur condonare; nisi res adhuc extaret, ut bene limitant Croix et Sporer: vel nisi, ait Lugo, damnum esset valde grave.

706. Possessor bonae fidei in dubio an factus sit ditior, ad nihil tenetur quia tunc possessio est pro libertate. Ita Croix [3] cum Sanch. Tamb. Rosm. etc. Pariter etiam in dubio, an debeas plus vel minus, teneris tantum ad minus, Croix [4]. Sic quoque in dubio an sis cooperatus damno alieno, non teneris, Croix [5]. In dubio autem an res restituenda sit materiae gravis aut levis, teneris sub gravi rem restituere, ne exponas dominum periculo grave damnum sustinendi. Ita Croix cum Card.[6].

An autem possessor bonae fidei superveniente dubio an res sit aliena, et dubio manente post debitam diligentiam adhibitam, teneatur aliquid restituere. Respondetur negative. Vide quae super hac quaestione fuse diximus *lib. 1. n.* 35. *et* 36. Et quid, si superveniente dubio negligat inquirere? *Vide ibid. n.* 37.

Cap. III. De contractibus

Dubium I. Quid in genere sit contractus.

(1) L. 3. p. 2. n. 465.
(2) Ibid.
(3) L. 3. p. 2. n. 503.
(4) Ibid.
(5) N. 574.
(6) N. 575.

707. « Resp. Est pactum sive consensus duorum, quo scienter, libere et legitime uterque se vicissim, vel nimirum saltem una pars se alteri acceptanti obligat, quocumque signo externo id fiat: ut v. gr. in contractu mutui, ex una parte mutuans se obligat non repetere mutuum ante certum tempus; ex altera parte mutuatarius se obligat tunc illud reddere; et sic de aliis. In promissione autem vel donatione absoluta, una pars tantum obligatur post alterius acceptationem. »

Praenotandum alios esse contractus nominatos, ut sunt emptio, mutuum etc., alios innominatos quorum [1] quatuor dantur species, scil. *Do ut des: Facio ut facias: Do ut facias: Facio ut des.* Notandum deinde alios esse contractus nudos, alios vestitos, nimirum stipulatione, iuramento. Pro nudis autem regulariter non conceditur actio in foro externo.

708. Sed quaer. 1. quot modis contractus perficiuntur? Resp. quatuor modis: 1. *Consensu*, ut in emptione, locatione, etc. Et si in istis convenitur de scriptura, ista magis ad probationem, quam ad constitutionem deserviet [2]. Excipe, nisi partes intendant suspendere consensum, donec scriptura fiat; et hoc esse iudicatur, quando ab initio de scriptura conveniunt [3]. 2. Contractus perficiuntur *verbis*, prout in stipulatione. 3. *Scriptura*, ut in contractu census. 4. *Traditione*, ut sunt mutuum, donatio, depositum, commodatum, pignus: qui omnes contractus, nisi tradita re, non perficiuntur. Ita commun. Lugo Less. Mol. etc. cum Salm. [4]. Hinc in contractibus qui solo consensu perficiuntur nequit una pars, altera invita, resilire. Secus, si contractus scriptura aut traditione indigeant. Caeterum in foro conscientiae contrahentium intentioni standum est. Ita communiter dd. apud Salm. [5] cum Less. [6] Cov. Gom. etc.

709. Quaeritur 2. an, si quis externis signis contraheret, sed sine contrahendi animo, in conscientia teneretur ad contractum. Resp. negative ex communi cum Sanch. [7] et Lugo Sylv. Prado cum Salm. [8]. Excipe, nisi in aliquo contractu oneroso alter contrahens iam partem suam praestiterit; tunc enim teneris tu implere tuam, etiamsi ficte promiseris, iuxta dicta de stupratore ficte promittente matrimonium, *v. dicta n.* 642.

710. Quaeritur 3. an qui, sciens obligationem contractus, velit quidem contrahere, sed nolit se obligare, remaneat obligatus in conscientia. Adest duplex sententia probabilis.

Prima sententia affirmat cum Less. Soto Dic. Pont. etc. apud Salm. [9].

Secunda sententia vero probabilior negat cum Sanch. [10] Bonac. [11] et Salm. [12] cum Pal. Con. Avers. Vill. Bec. Corneio etc. Ratio quia conditio apposita contraria substantiae contractus contractum invalidat; qua ratione in *cap. fin. de condit. appos.* dicitur, quod conditio contraria substantiae matrimonii ipsum annullet, licet adsit intentio contrahendi. *Vide dicta de iurament. hoc lib.* 3. *n.* 172. *v. An autem; et de voto eod. l. n.* 201. *v. Quaer.* 2.

711. Quaer. 4. utrum contractus sine debitis solemnitatibus celebratus obliget in conscientia. Triplex datur probabilis sententia.

Prima negat; quia leges irritantes tales contractus fundantur in praesumptione non solum doli, sed etiam periculi; et ideo potest lex humana omnino tollere naturalem obligationem contractus initi: sic enim ecclesia nullum

(1) Ex l. Naturali, ff. de praescript. verb.
(2) Ex §. un. Inst. de oblig. ex consens. et l. S. C. de trans.
(3) L. contractus, c. de fide instrum.
(4) De contr. c. 1. punct. 1. n. 5.
(5) Ibid. n. 6.
(6) L. 2. c. 17. dub. 2. n. 19.
(7) De matrim. l. 1. disp. 9. n. 5.
(8) Ibid. n. 7.
(9) De matrim. c. 1. punct. 3. n. 27.
(10) De matr. l. 1. d. 9. n. 5.
(11) Eod. tit. q. 1. p. 1. n. 5.
(12) Ibid. n. 28.

reddidit matrimonium sine parocho et testibus contractum. Ita Less. [1] Lugo [2] Salm.[3] cum Vasq. Trull. Bon. et aliis.

Secunda sententia omnino opposita, quam tenent Sotus [4] Mol. [5] Sa [6], item Abb. Innoc. s. Antonin. et alii ap. Cabass.[7] et merito probabilem vocant Lug. Less. et Salmant. [8] affirmat huiusmodi contractus obligare, quia in illis humana lex, quamvis neget actionem civilem, non tamen tollit naturalem obligationem, ad quam solus quidem consensus sufficit.

Tertia sententia, quam sequuntur Sanchez [9] cum Henriq. Lop. etc. Cabass.[10] cum Bann. et Beia (et his se postmodum adiungit Sotus [11]) docet in his contractibus praeferendum esse possessorem, donec per sententiam iudicis condemnetur ad restituendum; et probatur ex illo textu [12]: *Cum sunt partium iura obscura, reo potius favendum est quam actori.* Hanc sententiam non solum puto probabiliorem, sed in praxi omnino tenendam, eo quod (iuxta principium in hoc libro toties statutum), cum possessio ius certum tribuat, nequit possessor re expoliari nisi constet de iure alterius. Haec autem tertia sententia supponit secundam satis esse probabilem. Sed primae sententiae auctores possent obiicere exemplum supra relatum matrimonii clandestini, sine parocho et testibus initi, ex quo nulla remanet naturalis obligatio, cum ab ecclesia in Tridentino [13] omnino invalidum declaratum fuerit. Sed respondetur huiusmodi contractum multum differre ab aliis, respectu enim ad matrimonii contractum, cum ipse ad sacramenti dignitatem elevatus fuerit, singularis potestas a Deo impertita est ecclesiae, solvendi scilicet ab omni obligatione sponsos qui sine debitis conditionibus ab ecclesia praescriptis nuptias ineunt; etenim ecclesia, licet nihil mutare possit circa sacramentorum materiam, et ideo nullum potest invalidare matrimonium legitimo consensu contractum, attamen bene praescribere valet, et declarare illegitimum esse consensum illum quem sponsi apponunt contra legem ab ecclesia propter commune bonum christianae reipublicae sancitam. Procul tamen dubio tenetur possessor stare sententiae iudicis, si damnetur ad restituendum, ut bene addit Cabass.[14]. An vero possit iudex eo casu iudicare contra possessorem, si probabilior sit iudici opinio possessori opposita. Probabilius nego, iuxta *dicenda l. 4. n. 210. v. Quaeritur 2.* Hic autem notandum id quod habetur *in l. Et si inutiliter, c. de fideicom.*, nempe, quod si haeres iam tradiderit rem ex fideicommisso relictam in testamento non solemni, nequeat postmodum eam repetere hac praecisa ratione, *cum non ex sola scriptura* (verba textus) *sed ex conscientia relicti fideicommissi defuncti voluntati satisfactum esse videatur.* Hinc ponitur in argumento: *Agnoscens minus solemnem voluntatem, et solvens, non repetit.*

« 1. Si alteri promisisti aut donasti interius tantum, aut si externo signo quidem, alter autem non acceptavit, non fuit contractus, nec obligaris.

» 2. Invalidus est contractus, si contrahentes sint inhabiles ad contrahendum, vel si ius positivum resistat. V. Less. [15].

712. » 3. Item si materia contractus sit illicita, ut si sit peccatum; vel illegitima, ut si fur vendat rem alienam. »

Quaeritur 1. An inducant obligationem pacta de re turpi, puta de patrando homicidio, adulterio, furto, sacrilegio, fornicatione et similia. Certum est quod ante patrationem peccati nullus est contractus, et nullam parit obligationem, quoniam iustitia nullo modo potest obligare ad illicitum; unde certum est quod eo casu nec promittens tenetur dare pretium conventum, nec alter retinere potest pretium acceptum. Dubium est an post opus illicitum praestitum sit obligatio solvendi pretium

(1) L. 2. c. 19. dub. 5. n. 55. (2) D. 22. sect. 9. n. 252. (3) De contr. c. 1. punct. 6. n. 51. (4) De iustit. l. 4. q. 5. a. 3. (5) D. 81. (6) V. Contractus, n. 1. (7) Theor. iur. l. 6. c. 3. n. 2. (8) Loc. c. n. 50. (9) Cons. l. 4. c. 1. d. 14. (10) Loc. c. (11) L. c. q. 5. a. 3. (12) C. Cum sunt, de reg. iur. in 6. (13) Sess. 24. c. 2. (14) L. c. n. 5. (15) L. 2. c. 37. d. 8.

promissum, et alter possit illud retinere. Quoad meretrices commune est, et certum inter dd. quod possint retinere pretium meretricii praestiti. Ita s. Th. [1] qui docet: *Cum quis dat meretrici propter fornicationem mulier potest sibi retinere quod ei datum est. Sed si superflue aliquid per fraudem aut dolum extorsisset teneretur eidem restituere.* Et ita Contin. Tourn. [2] et omnes alii communiter. Et probatur ex illo textu [2]: *Sed et quod meretrici datur repeti non potest... quia licet turpiter faciat quod sit meretrix, non tamen turpiter accipit, cum sit meretrix.* Pro aliis vero maleficiis, puta pro ferenda sententia iniusta vel patrando homicidio, adulterio, fornicatione etc. duplex est sententia probabilis.

Prima negat esse obligationem solvendi pretium, aut posse illud retineri; ita Adrian. [4] Comitol. [5] Med. [6] Nav. [7] (quamvis Less. et Lugo asserant Nav. alibi mutasse sententiam) Cont. Tourn. [8] ac alii apud Conc. [9], et probabilem vocant Less. [10] Ronc. [11] et Diana [12] atque huic adhaeret Concina [13]. Probatur 1. haec sententia ratione, quia actio illicita nullo pretio digna est, cum peccatum non sit vendibile. Probatur 2. ex iure civili [14] ubi dicitur: *Ob turpem causam ex stipulatione contra bonos mores interposita denegandas esse actiones.* Item [15]: *Pacta quae contra leges constitutionesque vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati iuris est.* Si igitur pactum ante impletionem est nullum, non potest per impletionem validari; regula enim communis est quod illud quod ab initio non subsistit tractu temporis convalescere nequit. Censentur autem leges istae non solum prohibere actiones ipsas illicitas, sed etiam solutionem pretii pro illis, eo quod solutio fomentum praeberet similibus sceleribus. Accedit quod leges quae non nituntur falsa praesumptione, bene obligant in conscientia. Unde s. Th. [16] ait: *Apud illos qui sunt huiusmodi legibus obstricti, tenentur universaliter ad restitutionem.* Et [17]: *Ille qui accepit contra legem, non debet sibi retinere.* Iuxta autem hanc sententiam dubitatur cuinam facienda est restitutio accepti. Sot. et Covarr. censent faciendam esse illi qui dedit: sed probabilius et communius tenet Less. [18] cum s. Ant. Nav. et aliis erogandum esse pauperibus vel locis piis; absurdum enim est et contra mentem legum, ut illi fiat restitutio, quem potius leges punire quam iuvare intendunt.

Secunda sententia vero probabilior et communis, quam tenent Sanch. [19] Les. [20] Salm. [21] Croix [22] Viva [23] Lugo [24] cum Vasq. Sot. Mol. Turr. Cov. Cai. Arag. et aliis communiter, docet teneri promittentem solvere pretium, et contra recipientem non teneri ad restitutionem. Ratio, ut quidam dicunt, quia opus malum, etsi pretio dignum non sit quatenus est malum, est tamen pretio dignum quatenus est alteri utile vel delectabile. Sed haec ratio tenuis mihi videtur: nam, ut docent communiter dd. cum d. Thom., nullum pretium meretur res, quae cedit tantum in utilitatem emptoris, et eius privatio nullum affert incommodum venditori pretio dignum. Nec valet dicere quod praestans opus illicitum iuste pretium accipit pro rectitudine qua privatur; huius enim rectitudinis privatio cum sit res mere spiritualis, nullo modo videtur esse pretio aestimabilis. Ratio potior mihi est quia in quocumque contractu oneroso, *do ut des*, *facio ut facias* (ut statuimus ex communi sententia *n.* 642.), lex naturalis dictat quod, cum quis partem suam praestiterit, tenetur alter suam implere quam licite praestare possit. Unde

(a) 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2. et q. 62. a. 5. ad 2. (2) De iustit. et iur. p. 3. c. 3. a. 1. sect. 4. (3) L. 4. ff. de condict. ob turp. caus. (4) In 4. de rest. §. Restat. (5) L. 3. q. 5. (6) Cod. de restit. (7) Man. c. 17. n. 38. (8) Loc. c. (9) T. 7. p. 147. n. 5. (10) L. 2. c. 14. n. 60. (11) De 7. praec. c. 6. q. 4. (12) P. 2. tr. 2. misc. r. 40. (13) Loc. c. (14) L. Mercalem, c. de condict. ob turp. caus. (15) L. Pacta, c. de pactis. (16) 2. 2 q. 32. a. 7. ad 2. (17) Q. 62. a. 5. ad 2. (18) N. 61. (19) Dec. l. 3. c. 9. n. 27. et 28 (20) L. 2. c. 14. n. 52. et c. 18. n. 18. (21) De rest. c. 1. punct. 5. n. 154. (22) L. 3. p. 2. n. 692. (23) De rest. q. 1. a. 1. n. 3. (24) De iust. d. 18. n. 59.

si alter opus suum (etsi illicitum) iam praestitit, teneris tu pretium promissum ei satisfacere. Sed dices: hoc currit quando utraque pars est pretio aestimabilis; at hic actio illicita praestita nullo pretio digna est. Respondeo: actio illa peccaminosa nullo quidem pretio est digna, qua illicita est; sed bene pretium meretur, qua est temporaliter laboriosa vel ignominiosa vel periculosa illam praestanti; pretium enim et actio tunc conveniunt saltem in genere rei temporalis. Et quamvis ignominia illa sive periculum nullo pretio compensari possit, et ante pactum nihil compensare tenearis, cum sint res diversi ordinis, inter quas nulla datur proportio, et ideo qui famam alteri abstulit non tenetur pecunia infamiam compensare, si nequeat famam restituere, ut ex probabiliori sententia diximus *num.* 627.; posito tamen contractu et praestita ab altero actione peccaminosa, teneris tu pretium promissum solvere, non iam ad compensandum damnum alterius, sed ad implendam obligationem naturalem, ex qua (ut diximus) quisque tenetur suam partem promissam implere postquam alter suam praestitit. Alias (recte ait Lugo [1]) non videtur quomodo possit obligari stuprator qui virginem violavit sub ficta promissione matrimonii, ad eam ducendam, ut diximus *num.* 643. ex communi sententia. Ad leges autem civiles pro prima sententia allatas respondet Less.[2] quod licet ipsae rescindant huiusmodi pacta et auferant omnem obligationem civilem ob quam possit peti in iudicio promissum, tamen non irritant acquisitionem rei ex tali causa. Et hoc satis significat lex in principio huius quaestionis relata, qua declaratur meretrix posse retinere pretium sui meretricii, *quia licet turpiter faciat quod sit meretrix, non tamen turpiter accipit cum sit meretrix.*

Quaeritur 2. An si vir donet foeminae ad extorquendam copulam, possit illa retinere, copula non concessa. Si adfuerit pactum de copula explicitum vel implicitum, tunc certe tenetur restituere; secus vero si donum datum est ad animum alliciendum, quia datio illa fuit omnino liberalis; quemadmodum si quis det pecuniam episcopo tantum ad alliciendum, ut conferat beneficium, iuste potest episcopus retinere, si non conferat. Ita communiter Lugo [3] Molin. [4] Ronc. [5] et Salm. [6] cum Prado Tap. Vill. Dicast. Reb. etc. Bene tamen advertunt Salm. [7] difficulter excusari mulierem accipientem tale munus a peccato scandali, quia munere accepto vir ardentior et audacior redditur ad eam concupiscendam. Unde dixit d. Thom.[8] ex d. Hieronymo: *Matrona non est casta, quae cum rogatur munera accipit.*

713. Quaeritur 3. Si actio sit debita ex alia virtute quam ex iustitia, puta ieiunium in quadragesima, an restituendum sit pretium pro illa actione acceptum. Affirmant Less. Medin. etc. apud Croix [9]. Sed communius et probabilius negant [10] Sot. Lugo Bann. Tamb. Dian. et alii. Ratio quia praesens pretium tunc acquirit ius quo antea carebat.

« 4. Item si contractus sit factus vi, dolo vel errore versante circa rei substantiam, v. gr. si acetum pro vino, vitrum pro gemma vendidisti.

714. » 5. Non est invalidus contractus (etsi aliquando ob iniuriam possit rescindi), si error vel dolus interveniat circa qualitatem aut circumstantiam accidentalem, v. gr. emisti vinum mosellanum, putans esse rhenanum: nisi forte intentio contrahentis fuerit conditionata non obligandi se nisi existente tali qualitate aut circumstantia; qualis virtualiter fuisse censeri potest, si error versetur circa circumstantiam valde immutantem obiectum et nimis excedentem eius existimationem, ut notat Laym. [11]. »

Contractus est nullus si dolus vel error sit circa substantiam contractus. Est commune; Less.[12] Salm.[13] cum Trull. Bon. Villal. etc. ex s. Thom.[14]. Et hoc,

(1) Loc. cit. (2) Dict. c. 14. n. 57. (3) D. 18. sect. 4. c. 49. (4) T. 3. d. 737. n. 3. (5) De 7. praec. c. 6. q. 2. (6) De restit. c. 1. punct. 6. n. 103. (7) Ibid. (8) L. 4. de erudit. princip. (9) L. 3. p. 2. n. 293. (10) Ibid. (11) L. 3. t. 4. c. 6. (12) L. 2. c. 17. dub. 5 n. 27 (13) De contract. c. 1. punct. 3. n. 19. (14) In supplem. ad p. 3. q. 51. a. 2. ad 7

etiamsi dolus aut error non dederit causam contractui, id est etiamsi, patefacto errore, pars adhuc contraxisset: quia semper deficit actualis consensus. Salm. [1] cum Sanch. Bon. Con. Trull. Avers. etc. Communis e converso est sententia quod si error sit non circa substantiam, sed circa qualitatem rei, et non dederit causam contractui, contractus sit validus, Less. [2] cum s. Ant. Soto Cai. Hinc ait Less. quod licet una pars decepta fuisset in pretio ultra dimidium, contractus non posset rescindi, altera nolente, sed solum ad aequalitatem reducendus esset: Salm. tamen [3] cum Mol. dicunt posse rescindi.

715. Sed maius dubium est, si dolus vel error fuerit tantum circa rei qualitatem, sed dederit causam contractui, ita ut, illo manifestato, pars non consensisset, utrum validus contractus remaneat. Negant p. Conc. Basil. et alii apud Salm. [4] et Praepos. cum Medina apud Salm. [5], et Salm. [6] probabile putant. Ratio quia, licet qualitas in esse physico sit quid accidentale, in esse tamen morali habet rationem substantiae. Oppositum tamen est communiter traditum a dd. et probabilius cum Lugo [7] Sanch. [8] Less. [9] Laym. [10] Pal. [11] Roncag. [12] Cont. Tour. [13] Salm. [14] cum Mald. Prado Trull. etc. Ratio, quia contractus hic non est invalidus neque de iure positivo, neque naturali. Non de iure positivo, cum sic habeatur [15]: *Si metu coactus aut dolo inductus aut errore* (intellige circa qualitatem) *lapsus stipulanti Titio promisisti quod non debueras promittere, palam est te iure civili obligatum esse, et actio qua intenditur dare te oportere, efficax est: sed iniquum est te condemnari, ideoque datur tibi exceptio, quod metus causa aut doli mali, etc.* Non de iure naturali; nam ad contractum validandum sufficit animus voluntarius quoad substantiam, licet sit involuntarius quoad accidentia: nisi (ut bene advertunt cum Bus. *hic n.* 5. *ut supra* Cont. Tourn. [16] et Spor. [17] cum Sanch. ac Laym.) contrahens expresse consentiat sub conditione, si talis adsit circumstantia, quia tunc qualitas transit in substantiam. Communiter autem dd., ut ait Concin. cum Bus. Less. Spor. Cont. Tourn. [18] etc., docent semper posse irritari talem contractum a decepto, ratione iniuriae et defectus consensus, et teneri deceptorem ad damna ex deceptione orta [19]. Et quando res adhuc integra est, aiunt Less. [20] Layman [21] Pal. [22] Spor. [23], quod si error fuit invincibilis non tenetur deceptus in conscientia implere contractum, etiam onerosum, postquam noverit veritatem, quae si ab initio ei nota fuisset minime consensisset: ratio quia haec est tacita mens contrahentium, non se obligandi ad contractum, quando se deceptos deprehendunt: idque dicit confirmari a consuetudine recepta. Quando vero res non est integra, nempe si altera pars iam implevit, tunc si illa non erat conscia erroris, licet tu non habeas actionem ad rescissionem, adhuc tamen contractum potes rescindere in conscientia, si res est magni momenti et deceptio fuit causa contractus, ut Sylv. et Nav. apud Less. cum Laym. et Bus. *dict. n.* 5. *in fine.* Si autem altera pars conscia erroris erat tunc potes contractum irritare, ut supra, etiam in iudicio. Notandum tamen quod in conscientia altera pars errorem tibi manifestare non tenebatur. Ita Less. [24]. Intellige, modo non decipiat, sive ipse non sit causa erroris, prout dicit idem Less. loquendo de donatione, *vide infra n.* 737. *in fine vers.* Docet tamen.

« 6. Nec est invalidus contractus, sive onerosus sive gratuitus, ex metu, licet gravi, iniuste incusso, cum adhuc simpliciter sit liber et voluntarius: licet possit a iudice rescindi pro arbitrio metum passi. Ita communiter ap.

(1) Ibid. (2) Ibid. n. 28. (3) Ibid. n. 20. (4) De matr. c. 10. dub. 2. n. 12. (5) De matr. l. 7. d. 18. n. 17. (6) De contr. c. 1. punct. 3. n. 21. (7) D. 22. sect. 6. n. 92. (8) De matr. l. 1. d. 64. n. 3. (9) L. c. n. 29. (10) L. 3. tr. 4. c. 5. n. 3. (11) Tr. 14. d. 2. p. 5. n. 19. (12) De co (13) De iust. et iure et de contr. hic p. 1. c. 3. a. 2. concl. 3. (14) L. c. (15) Ex Inst. l. 4. t. 13. de except. (16) Loc. c. (17) De 7. praec. n. 86. (18) Ibid. (19) Ex l. 13. de act. emptoris. (20) Loc. c. (21) N. 6. (22) N. 25. De 7. praec. c. 2. n. 93. (24) L. c. n. 33.

Sanchez [1] card. Lugo [2] Layman[3]. Excipiuntur tamen aliqui contractus qui ipso facto sunt irriti (saltem ex iure positivo), si ex metu gravi fiant; talis est 1. contractus matrimonii, etiamsi iuramentum accesserit [4] (Utrum currat idem in sponsalibus. Affirmant Salm. [5] cum Sanch. Avers. Cov Bec. At probabilius Con Trull. Dic. Hurt. Led. dicunt sponsalia esse tantum rescindibilia. *Vide de matr. l. 6. n.* 844.). 2. Professio religiosa[6]. 3. In aliis quibuscumque votis (Etiam si vovens voluerit se obligare. Salm. [7] ex communi. *Vide dicta n.* 197.). 4. Contractus dotis promissae vel solutae, qui in hoc sequitur naturam matrimonii, cui accessorius est [8]. 5. Promissio vel traditio, in rebus ecclesiae[9]. 6. Auctoritas tutoris per metum extorta [10]. His addunt alii plures promissionem et donationem gratuitam, renuntiationem beneficii, iurisdictionem per metum extortam. Verum hi controvertuntur. V. Lugo [11]. »

716. Quaeritur 1. An contractus per metum gravem initus sit ipso facto invalidus. Adest triplex sententia probabilis.

Prima sententia affirmat; ratio 1. quia si huiusmodi contractus naturaliter esset validus, ex iniustitia oriretur iustitia, cum ex contractu per iniuriam extorto oriretur obligatio quae est actus iustitiae. Ratio 2. quia si contractus valeret, utique transferretur dominium rei traditae, et metum incutiens eam retinere posset, saltem usque ad iudicis sententiam; sed hoc omnes negant; ergo contractus per se est nullus, saltem de iure positivo ex iure civili [12], ubi dicitur contractum ex metu initum, *nullius esse momenti*. Ita Molina [13] Fel. Pot. [14] cum Villal. Diana Leand., item Sylv. Rebel. et alii apud Salm. [15] qui probabilem vocant.

Secunda sententia tenet contractus gratuitos esse invalidos, non vero onerosos. Ita Sot.[16] Pont.[17] cum Med. Arag. Reb. etc.; et quoad donationes haec videtur esse d. Thom.[18] qui ait: *Talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille qui vim intulit hoc meretur, ut ei promissio non servetur.* Ratio quia ad liberalem donationem, ad differentiam aliorum contractuum, requiritur de iure naturali voluntas omnino libera.

Tertia sententia vero probabilior et communissima, quam tenent Lugo [19] Lessius [20] qui vocat fere communem, Salm. [21] Ronc.[22] Fill. [23] Az. [24] Renzi [25] Viva [26] et alii innumeri, docet talem contractum esse quidem rescindibilem, non vero invalidum, neque de iure naturali neque positivo. Non naturali, quia metus non tollit simpliciter voluntarium, ut d. Thom. [27]. Non iure positivo, dum in iure civili [28] praecipitur iudicibus ut tales contractus rescindant; ergo per se lex habet eos ut validos.

Excipe tamen matrimonia per metum gravem inita, quae certe per se sunt nulla ex iure canonico. *Vide de matr. l. 6. n.* 1054., cui adiunguntur: 1. Professio religiosa [29]. 2. Electio praelati [30]. 3. Auctoritas tutorum extorta per metum [31]. 4. Traditio rerum ecclesiasticarum [32]. 5. Iurisdictio ecclesiastica per metum acquisita, et etiam civilis [33]. 6. Absolutio a censuris (non vero inflictio illarum). 7. Renuntiatio beneficiorum. Vide Less. [34].

717. Quaer. 2. An metum passus possit pro suo arbitrio rescindere contractum sine auctoritate iudicis. Negat Croix [35] et eum sequitur Mazz.[36] qui

(1) D. 8. n. 4. (2) D. 22. (3) Loc. cit. c. 5. (4) Ex c. Cum locum etc., Veniens, de sponsal. (5) De matr. c. 1. punct. 5. n. 62. (6) Ex c. Perlatum, de his quae vi. (7) De contr. c. 1. punct. 2. n. 12. (8) Leg. Si mulier, §. Si dos, ff. Quod metus causa. (9) C. 15. q. 6. (10) L. 1. §. ult. ff. de auct. tutor. (11) De iust. d. 22. n. 115. et seq. (12) L. Qui in carcerem 22. ff. Quod metus causa. (13) T. 2. d. 326. (14) De contr. n. 2359. (15) De contr. c. 1. punct. 2. n. 10. (16) In 4. d. 29. q. 1. a. 3. (17) De matr. l. 4. c. 6. n. 4. (18) 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. (19) De contr. d. 22. n. 115. (20) L. 2. c. 17. dub. 6. (21) L. c. n. 11. (22) De contr. c. un. q. 4. r. 1. (23) Tr. 35. c. 2. n. 52. (24) T. 1. l. 1. c. 11. (25) De contr. c. 5. q. 3. (26) Q. 1. a. 3. n. 11. (27) 1. 2. q. 6. a. 6. (28) L. Si mulier, ff. Quod metus etc. (29) C. 1. de his quae fiunt. (30) C. Ubi periculum. §. Caeterum de elect. in 6. (31) L. 1. §. ult. ff. de auct. tutor. (32) Ex c. 2. Pervenit, de iureiur (33) L. 2. c. de iudaeis. (34) C. 17. dub. 6. n. 37. (35) L. 3. p. 2. n. 658. (36) De contr. t. 2. p. 40.

dicunt hoc prohiberi, ne iurgia multiplicentur, si cuilibet liceret rem repetere propria auctoritate. Sed affirmat communis sententia tenenda, quam tradunt Lessius [1] et vocant communem Sporer [2] Fill. [3] Layman [4] Palaus [5] Viva [6] Salm. [7] Renzi [8] Ronc. [9] cum Mol. et Reb. Unde inferunt quod metum passus bene potest occulte sibi compensare; intellige, si petat, et alter nolit contractum rescindere. Et contra qui metum incussit tenetur restituere rem extortam statim ac alter petat. Ita Pal. [10] Viva [11] Less. [12] Fill. [13].

Idem autem quod dictum est de contractibus initis ob metum gravem dicendum cum Pontio [14] de initis per metum reverentialem (Etsi Pontius [15] teneat contractus mere gratuitos, iuxta suam sententiam ut supra in *quaest.* 1. esse non solum irritandos ad nutum, sed ipso iure irritos). Alii tamen dd. tum tantum id admittunt, cum metui reverentiali adiiciuntur etiam verbera aut minae aut diuturna indignatio sive torvus aspectus, dura verba et similia, quae vere gravis mali timorem immittant. Ita Sanch. [16] Viva [17] Salm. [18] cum Pal. Dicast. etc. communiter. Idem in substantia sentit Pontius, sed merito ait [19] cum aliis, metum reverentialem per se esse gravem, quia aliud est operari ex reverentia superiori debita, aliud ex metu reverentiali, qui necessario induit timorem alicuius gravis damni imminentis ex obedientia non praestita, puta diuturnae indignationis etc. ut supra. An autem preces importunae constituant metum gravem? Affirmat Pontius [20] cum Mald. Lugo etc. Sed verius negandum, nisi preces addantur metui reverentiae erga superiorem: ita Sanch. [21] cum pluribus et Salm. [22] cum Pal. Bonac. Covarr. Dic. Hurt. et plurib. Et bene advertit Sanchez [23] non omnes preces assiduas dici importunas, sed tantum quae sunt instantissimae et saepius inculcatae. Quarum autem personarum respectu detur metus reverentialis. Ultra proprium patrem, episcopum, magistratum, dicit Sanch. [24] cum aliis, dari etiam respectu soceri, avi, curatoris, matris (si tamen sit austera et minas soleat exequi), et etiam fratris maioris aut patrui, si cum eis habitetur, et ab eis alimenta praebeantur.

718. Sed quaeritur 3. utrum contractus ex metu levi initus sit rescindibilis arbitrio metum passi.

Prima sententia affirmat in foro interno; nam in externo non datur actio [25]. Ratio quia quicumque metus iniuriam infert, ex qua incutiens commodum reportare non debet; unde sicut ipse tenetur in conscientia relaxare promissionem tali metu extortam; sic contra promittens in conscientia non tenetur illam adimplere. Ita probabiliter Les. [26] cum Nav. Sot. Sylv. etc.; item Sanch. [27] Pal. [28] et Salm. [29] cum Mol. Trull. Dic. et Reb. Bene tamen excipiunt matrimonium (iuxta nostram sententiam, *vide de matr. l.* 6. *n.* 1056.) et professionem religiosam. An etiam votum. *Vide dicta de voto n.* 197.

Secunda sententia vero mihi probabilior, quam tenent Pontius [30] Tamb. [31] et Viva [32] cum Per. Med. etc., dicit neque in foro externo neque interno rescindi posse contractum initum ex metu levi. Ratio quia non praesumitur consensisse ex metu, sed vere sponte, qui noverit esse levem, et cum facile potuisset, non reiecit. Excipienda tamen censent Salm. [33] omnino esse sponsalia quae etiam per metum levem contracta rescindi possunt per iudicis sententiam, ex maxima libertate, quam sponsalia requirunt.

719. Quaer. 4. utrum si interfuerit metus gravis iniustus dans causam con-

(1) Dict. c. 17. n. 38. (2) Tr. 6. c. 2. n. 123. (3) L. c. n. 35. (4) De contr. c. 6. n. 2. (5) Tr. 2. d. 1. p. 12. n. 6. (6) Loc. c. (7) Ibid. n. 16. (8) L. c. (9) Dict. q. 4. r. 1. (10) Loc. c. (11) Dict. n. 11. (12) N. 58. (13) N. 55. (14) De matr. l. 4. c. 11. n. 3. et 4. (15) D. n. 3. (16) De matr. l. 4. d. 6. n. 14. (17) De matr. q. 4. a. 3. n. 7. (18) Eod. tit. c. 9. punct. 2. n. 33. et 34. (19) L. 4. c. 5. ex n. 3. (20) Ib. n. 17. (21) L. 4. d. 7. n. 7. (22) L. c. n. 37. (23) Ib. n. 8. (24) L. 4. d. 5. ex n. 26. (25) Ex l. 6. ff. Quod metus etc. (26) L. 2. c. 17. dub. 6. n. 46. (27) De matr. l. 4. d. 19. n. 6. (28) Dict. p. 12. n. 6. (29) De contr. c. 1. punct. 2. n. 14. (30) De matr. l. 4. c. 10. n. 5. (31) Dec. l. 1. c. 2. §. 6. n. 4. (32) De matr. q. 4 a. 2 n. 6. (33) Loc. c.

tractui, et res pervenerit ad tertium possessorem bonae fidei, possit metum passus ab illo rem revocare, et ille teneatur restituere. Negat Laym., sed recte communius affirmant Salm.[1] cum Lugo Sanch. Sylvest., quia res semper transit cum vitio suo, etiamsi metus non sit ab illo tertio incussus; et patet ex iure civili [2] ubi: *In hac actione non quaeritur, utrum is qui convenitur, an alius metum fecit. Sufficit enim hoc dicere, metum sibi illatum.*

« 7. Non possunt contrahere, qui bonorum suorum administrationem non habent: quales fere sunt prodigi, furiosi, filiifamilias, uxores, religiosi, pupilli, minores; exceptis quidem casibus, de quibus vide Lessium [3] et infra *n.* 918. »

Dub. II. Quid in specie de promissione et donatione.

720. « Resp. Quae huc spectant, facile colliguntur ex dictis supra *de voto l.* 4. *tr.* 2. *c.* 3.

Ex quibus et doctrina praecedentis dubii resolvitur.

» 1. Promissio acceptata a promissario, si materia sit notabilis, an sub mortali obliget secundum se spectata, non convenit inter dd. Cai. negat, quem sequitur Merat. [4]. Alii (forte probabilius) affirmant cum Vasq. [5] Fill. Mald. etc. Dixi *secundum se*, quia certum est, quod per accidens possit obligare sub mortali v. gr. ratione gravis damni, quod alias promissarius pateretur: ut si promisisses ei dare mutuum, et ille tibi confisus aliunde sibi non prospexisset. Vide Less. [6].

» 2. Tota haec obligatio communiter dependet ab intentione promittentis. Circa quod notat Sa, vix quemquam promittentium intendere se obligare, aut alteri dare ius exigendi, nisi addat iuramentum aut faciat instrumentum: sed plerumque tantum intendere declarare suum propositum. Vide Escob. [7] et Mol. Hinc ut in foro externo censeatur valida promissio requiritur, praeter acceptationem, ut exprimatur causa propter quam promittitur; alioquin praesumitur errore vel ioco facta. Trull. [8] ex Covarr. et Vill. »

In hac quaestione tres sententiae adsunt, omnes satis probabiles.

Prima dicit quod quaevis promissio acceptata obligat sub gravi et ex iustitia, quia fidelitas promissa ius praebet promissario ad rem promissam. Ita Sanch. [9] Layman [10] cum s. Anton. Covarr. Pal. Trull. etc. apud Salm. [11].

Secunda sententia dicit, quod qualis sit obligatio, pendet ex voluntate quam promittens habuit. Bus. *hic n.* 2. et Lugo [12] Spor. [13] et Holz. [14] Mol. Vill. Reb. Reg. etc. apud Salm. [15]. In dubio tamen, ait Lugo, non censeri factam obligationem, nisi per verba obligatoria sit expressa; vide Lugo [16] imo Sa apud Bus. nisi addatur iuramentum aut instrumentum. Caeterum in dubio an quis voluerit se obligare ex iustitia vel ex fidelitate, an graviter vel leviter, probabilissimum mihi dicendum videtur cum Lugo [17] Mol. [18] Spor. [19] Holz. [20] eum non esse obligatum nisi sub levi.

(1) Ibid. n. 15. (2) L. 14. §. 3. Quod metus etc. (3) L. 2. c. 17. d. 4. (4) De iust. dub. 19. sect. 10. (5) De matr. disp. 5. c. 1. n. 1. et 4. (6) L. 2. c. 18. d. 5. (7) T. 3. c. 6. (8) L. 7. c. 16. a. 6. (9) De matr. l. 1. d. 5. n. 20. (10) L. 3 sect. 5. tr. 4. c. 12. n. 1. (11) De contr. c. 4. punct. 4. §. 2. n. 79. (12) D. 23. sect. 6. n. 89. (13) N. 65. (14) N. 702. (15) Ibid. n. 80. et 81. (16) D. 23. s. 6. n. 59. (17) D. 23. n. 90. (18) T. 2. d. 262. (19) De 7. praec. c. 2. n. 69. (20) Tr. 3 n. 702.

Et hic advertunt Sanch.[1] Spor.[2] et alii communiter apud Cont. Tournely[3] ad constituendam materiam gravem in promissione requiri materiam quadruplo maiorem, quam in furto mortali, quia promissor agit de proprio, fur de alieno

Tertia sententia, quam tenent Salmantic.[4] cum Bann. Caiet. Led. Henr. Diana etc., dicit simplicem promissionem non obligare, nisi sub levi, quia tantum obligat ex fidelitate, et probant ex s. Th.[5] qui docet promissionem obligare tantum secundum honestatem, non autem secundum ius civile, id est secundum iustitiam ut explicant Salm. Et insuper probant ex iure civili[6] ubi dicitur quod nuda pactio obligationem non parit. Et huic adhaeret p. Conc.[7] sentiens raro esse obligationem ex iustitia in simplici promissione.

Notandum autem est ut certum quod quaevis promissio, etiam acceptata, non obligat, si postea promissum reddatur impossibile, seu valde nocivum vel illicitum vel inutile: et generaliter loquendo, quoties supervenit notabilis mutatio rerum, quae si praevisa fuisset non fuisset facta promissio; quia semper promissio facta praesumitur sub tali tacita conditione. Ita communiter Viva[8] et Salm.[9] Cont. Tour.[10]. Idque expresse docet d. Thom.[11] qui loquens de obligatione promissoris, ait: *Si vero non faciat quod promisit, tunc videtur infideliter agere per hoc quod animum mutat. Potest tamen excusari ex duobus: uno modo, si promisit id quod manifeste est illicitum... Alio modo si sunt mutatae conditiones personarum et negotiorum: ut enim Seneca dicit*[12]: Ad hoc quod homo teneatur facere quod promisit, requiritur quod omnia immutata permaneant.

721. « 3. Donare non possunt 1. Carentes usu rationis. 2. Muti et surdi nati, secus si tantum sint surdi vel muti, vel, licet utrumque, si norint scribere. 3. Senes deliri sive bis pueri, secus si sint iudicio vegeto. 4. Pupilli vel impuberes (nisi ad pias causas): donationes tamen eorum in foro conscientiae sunt validae (*V. infra c. 4. d. 1.*). 5. Damnatus criminis capitalis. Vide Diana[13].

» 4. Qui praesunt civitatibus, universitatibus, reipubl. etc., non possunt facere donationes, nisi remuneratorias vel in eleemosynas. Sanch. Diana[14]. Imo si reges et principes nimis sint profusi in donationibus in praeiudicium regni vel status (praesertim si debitis gravati iis satisfacere non possunt, vel subditi nimium graventur exactionibus) possunt eae revocari a successore. Bart. Lugo etc. cum Dian.[15]. »

722. Adde. Neque donare potest debitis gravatus. Sed hic quaeritur utrum licite possis tu a debitis gravato accipere donum. Affirmant Les.[16] Mol.[17] Nav.[18]. Item Trull. Diana cum Laym. apud Salm.[19], et probabile putant Lugo[20] et Pal.[21]. Hi dicunt te non peccare contra iustitiam, et ideo non teneri ad restitutionem, nisi induxeris ad donandum, esto scias propter hoc donantem fieri impotentem ad solvendum. Ratio quia ille bene potest dominium transferre, cum adhuc sit verus dominus rei quae donatur; et tu rem acceptando uteris iure tuo, iustitia enim non obligat, ut renuas accipere donum ob damnum alterius vitandum, cum illud per accidens eveniat, et tu non sis causa motiva damni, sed tantum permissiva, quae non obstringit ad restitutionem. Additque Less., cui adhaeret Molina, neque peccare contra caritatem, quia caritas non obligat ut repudies commodum tuum ad servandos creditores indemnes.

Secunda sententia tamen verior et communis, quam tenent Pal.[22] Bon.[23]

(1) De matr. l. 1. d. 6. n. 24. (2) N. 68. (3) De contr. p. 2. c. 11. (4) Loc. c. ex n. 82. (5) 2. 2. q. 88. a. 3. ad 1. (6) L. Iuris gentium, §. Sed cum null. ff. de pactis. (7) T. 7. p. 637. n. 13. (8) De contr. q. 8. a. 2. n. 16. (9) Loc. c. n. 78. (10) Loc. c. n. 5. (11) 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5.

(12) L. 4. de benef. c. 34. et 35. (13) P. 8. tr. 6. r. 3. (14) P. 8. t. 6. r. 16. (15) P. 8. tr. 6. r. 18. et 123. (16) L. 2. c. 20. dub. 19. n. 168. (17) T. 2. d. 528. (18) L. 3. c. 4. n. 217. (19) De contr. c. 4. punct. 5. §. 1. n. 91. (20) De iust. d. 20. n. 116. (21) De iust. tr. 32. d. 1. p. 14. n. 7. (22) L. c. (23) De rest. d. 1. q. 8. p. 2. n. 27.

Lugo[1] cum Caiet. Sot. Nav. Sylv. Palud. Ang. Cov. et Reb. ac Salm.[2] cum s. Anton. Prado Salon et Arag. docet donatarium mala fide accipientem omnino teneri ad restitutionem damni quod obvenit creditoribus. Ratio 1. quia creditores etiam personale ius habent ad bona donata: nam licet in debitis personalibus directe sit tantum persona obnoxia, tamen creditores indirecte habent etiam ius ad rem, sive ad bona debitoris, ut probabilius dicunt Lugo[3] Croix[4] Roncagl.[5] Salm.[6] et alii relati *n.* 690. contra Pal. et alios. Et quamvis debitor donans sit dominus rei quae donatur, attamen (ut ait Pal.[7]) habet illius dominium infirmum, sub onere solvendi quod debet, adeo ut nequeat de re illa ad suum libitum disponere; quapropter dominium illud sicut est in debitore, sic transit cum eodem onere in donatarium. Ratio 2. magis urgens et convincens est, quia sicut donans laedit iustitiam, se reddendo impotentem ad solvendum (quod nemo dubitat), ita etiam laedit accipiens qui positive cooperatur actioni donantis iniuste cum damno creditorum; et licet donatarius non sit causa motiva, est tamen vera causa influxiva et efficax alienationis rei in damnum creditorum: contractus enim donationis (ut dicemus infra *n.* 725.) non consistit in sola voluntate donantis, sed etiam in voluntate acceptantis, qua contractus constituitur, et sine qua nulla existit alienatio sive donatio. Notandum autem hic 1. quod de iure positivo creditores infra annum a die scientiae habent actionem contra recipientem titulo sive lucrativo sive oneroso, ad vindicandam rem scienter acceptam in ipsorum fraudem, nullo restituto pretio[8]. Notandum 2. nihil posse accipi titulo lucrativo per ultimam voluntatem a debitore in praeiudicium creditorum[9]. V. Lugo[10].

723. Adde inter coniuges quamvis alii contractus sint validi[11] donatio tamen est nullius momenti[12]. Potest tamen coniux retinere vel distrahere rem donatam, si donans sciat et non contradicat. Ita Sanch.[13] Salm.[14] cum Pal. et Villal. Semper tamen talis donatio iuramento firmatur, ut ait Lessius[15] Sanch.[16] Salm.[17] cum Sylv. Tapia etc. Firmatur etiam morte donantis, modo iste ante donatarium decedat, et modo res in vita tradita sit, Salm.[18]. Imo ab initio valida est donatio inter coniuges, si sit remuneratoria, vel fiat causa mortis vel si ex illa donans non fiat pauperior, nec donatarius ditior; item si vir sit prodigus, vel si uxor donet viro, ut consequatur aliquam dignitatem, etc. Vide Salm.[19].

724. Praeterea invalida est donatio inter patrem et filium sub patria potestate adhuc manentem[20]. Sed est communis, quod firmatur iuramento, vel morte patris. E contrario similiter est valida in casibus ut supra mox enumeratis pro donatione inter coniuges: vel si fiat causa studiorum, ut Bus. *hic n.* 5. vel si fiat causa matrimonii; vel si filius sit tantum naturalis; vel si pater fructus peculii adventitii filio donet.

Haec tamen intelliguntur, nisi donatio sit inofficiosa (*vide n.* 740.) scilicet laedens aliorum filiorum legitimas, vel creditores, Salm.[21] cum Nav. Sylv. Tapia et Less.[22] qui notat donationes factas a matre vel a filiis parentibus, per se firmas esse.

« 5. Donatio patris filio facta studiorum causa est valida, nec filius tenetur computare in legitimam, tum quia fuit loco alimentorum, tum quia, si detrahatur, iam non fuit donatio contra hypothesim. Wading. et 6. alii cum Diana[23]. Sed Trull. limitat, nisi constet, contrariam intentionem patri fuisse. Quod si tamen de ea non constet

(1) L. c. (2) L. c. n. 92. (3) D. 20. n. 158. (4) L. 3. p. 2. n. 403. (5) De 7. praec. c. 8. q. 6. (6) De restit. c. 1. punct. 12. §. 3. n. 246. (7) Loc. c. p. 15. n. 7. (8) Ex l. Quia debitore, l. Qui autem, §. Simili, ff. Quae in fraudem etc. ac l. penult. cod. eod. tit. (9) Ex l. Qui autem, ff. tit. cit. (10) D. 20. n. 107. (11) Ex l. 5. ff. de don. inter vir. et ux. (12) L. 3. §. Secundum, ff. eod. tit (13) De matr. l. 6. d. 11. n. 2. (14) De contr. c. 4. punct. 5. n. 100. (15) L. 2. c. 18. n. 88. (16) Ib. n. 2. (17) Ib. n. 101. (18) D. n. 101. (19) Loc. c. n. 102. (20) L. 2. c. de inoffic. donat. (21) Ibid. n. 104. (22) N. 90. (23) P. 8. t. 6. r. 23. et 29

praesumendum esse de pietate patris, ideoque tales expensas ordinarie post mortem patris non venire in collationem bonorum, nec debere conferri in commune, nisi pater protestatus fuerit se velle in legitimam computari. Ita etiam Wading. [1] (Vide *n.* 955.).

» 6. Si pater officium filio emit, debet pretium computari in divisione cum fratribus: non autem, si illud gratis a principe obtinuit: uti neque quae filio intuitu meritorum patris sunt donata, quia sunt quasi castrensia. Mol. Fag. Diana [2].

725. » 7. Donatio ante acceptationem non parit obligationem, ne naturalem quidem; potestque revocari, etiamsi voluerit se absolute obligare. Praesenti autem et tacenti facta, censetur ab eo acceptata; quia in favorabilibus habetur pro consensu. Molin. et alii 18. Diana [3]. Pro altero vero nemo potest acceptare sine speciali commissione, nisi donatio fiat ecclesiae vel causae piae; nam hanc sine acceptatione valere, et irrevocabilem esse, est probabile. Layman Diana [4]. Multis tamen casibus, dummodo verba dirigantur in praesentem, potest pater vel mater pro filio, etiam emancipato, tutor pro pupillo, curator pro minore, filiusfamilias pro patre, servus pro domino, monachus pro monasterio; imo etiam, secundum multos, quicumque alterius curam gerit, ut praelatus pro religioso, maritus pro uxore, dominus pro servo, etc. stipulari. Deinde idem iura permittunt iudicibus et notariis publicis. Sanch. Mol. Trull. etc. Diana [5]. »

Communis est sententia (quidquid dicat Diana [6]) quod donatio ante acceptationem nullam obligationem inducit; ita Lugo [7] Cont. Tourn. [8] Habert [9] Conc. [10] Wigandt. [11] Antoine [12] Cunil. [13] Franzoia [14] Less. [15] Soto [16] Sanch. [17] et Salm. [18] cum Pal. Prad. Tapia et aliis. Et hoc verius est, ut probant Lugo Sot. Less. Sanc. et alii (contra Molin. etc apud Less.) provenire non ex solo iure positivo, sed etiam ex iure naturae, vel saltem gentium, ut probatur ex *l. Absenti, ff. de Donat.* ubi dicitur: *Si nesciat* (donatarius) *rem quae apud se est, sibi esse donatam, donatae rei dominus non fit, etiamsi per servum eius, cui donabatur, missa fuerit, nisi ea mente servo eius data fuerit ut statim eius fiat.* Ratio est quia nequit contrahi obligatio a contrahentibus sine alterutrius consensu: ut enim sapienter ratiocinatur doctissimus card. de Lugo, nemo de iure naturali potest acquirere ullum ius in rebus alienis absque eius consensu; quamobrem absque acceptatione donationis nullum transfertur ius in donatarium super rem donatam; et ideo cum donans immunis remaneat a quacumque obligatione, ante donationis acceptationem, poterit quidem ipse pro libito eam revocare. Nec obstat *l. Si quis argentum*, §. *Sin autem, c. de Donat.;* nam ibi nihil aliud dicitur, nisi quod donatio valet, etiamsi res tradita non fuerit. Nec obstat *l. Nec ambigi, c. de Donat.* ubi habetur donationem absentibus factam satis valere; respondetur enim (ut explicat Glossa) id intelligendum, cum donatio acceptata fuerit per epistolam, aut nuntium, aut servum, ut habetur in *l. Si aliquid* 13. *c. de Don. l. Etiam per interpositam* 4. *ff. de Donat. et l. cit. Absenti.* Neque demum obstat ius canonicum in *c. Qualiter, de pactis, et c. Si tibi absenti, de praebend. in* 6., nam in primo textu tantum dicitur quod donatio per nudum pactum tenet, etiamsi nulla interfuerit stipulatio, quod negari non potest: sed ibi nullum fit verbum de donatione non acceptata. In altero autem textu agitur de beneficiis, ubi dicitur quod si episcopus conferat clerico absenti aliquod beneficium ipso ignorante, nequit col-

(1) Ex l. Si pater 2. ff. familiae ercisc. (2) P. 3. tr. 6. r. 127. et 128. (3) P. 8. t. 6. r. 89. 93. et 108. (4) L. c. r. 106. et p. 3. t. 5. r. 107. (5) P. 8. t. 6. r. 97. (6) P. 5. r. 116. (7) De contr. d. 23. n. 38. (8) De contr. p. 2. c. 11. q. 2. (9) De contr. t. 4. p. 3. c. 13. q. 1. (10) T. 2. l. 9. dis. 5. n. 13. (11) Tr. 8. c. 4. n. 53. v. Dixi 3. (12) In dec. c. 2. p. 1. (13) Dec. c. 2. §. 1. n. 2. (14) De praec. dec. c. 3. animad. 2. (15) L. 2. c. 18. dub. 8. n. 34. (16) De iust. l. 3. q. 5. (17) De matr. l. 1. d. 6. n. 10. (18) De contr. c. 4. punct. 4. §. 1. n. 68.

lationem revocare; sed alia est collatio beneficiorum, circa quae episcopus aliam non habet facultatem, quam ea conferendi, et ideo facta collatione, nequit ipsam revocare: alia vero est donatio quae nullam habet vim ante acceptationem. Advertendum tamen cum Sanch.[1] et Vill.[2] quod si donatio facta sit infantibus, valet ipsa etiam ante acceptationem donatarii; quia pro infantibus lex ipsa acceptat. Idemque docent Less.[3] et Laym.[4] de donatione facta civitati ad aedificia reparanda.

726. Sed quaeritur 1. utrum donatio facta ad pias causas ante acceptationem valeat. Affirmat Lessius[5] et probabile putat Busemb. ut supra cum Laym. et Diana, item Molina Felin. etc. apud Sanch.[6]. Ratio istorum, quia acceptatio requiritur tantum de iure positivo et civili; non autem de iure naturali et canonico. Sed probabilius negant Sanch.[7] cum Cov. ac Salm.[8] cum Pal. Vill. Reb. etc. Ratio quia ad donationem de ipso iure naturae, ut mox dictum est supra, requiritur acceptatio, sine qua nulla adest donatio. Secus vero dicendum, si donatio sit facta Deo, videlicet: *Promitto Deo dare tali ecclesiae, etc.* Quia, cum intentio feratur in Deum, tunc donatio valet ut votum, prout dicunt Sanchez et Salm.[9] cum Sylv. Ros. Ang. etc. Non autem si promissio immediate sit facta ecclesiae. Notant tamen Salm.[10] quod donatio ecclesiae facta potest a quocumque particulari acceptari nomine illius[11]. Notant praeterea Lugo[12] Sanch.[13] in dubio de intentione donantis, praesumi habuisse animum vovendi, quia in causis piis, dum in absentia promissio fit, communiter intentio fertur in Deum. An autem eo casu possit episcopus in tali donatione adhuc acceptata dispensare, sine loci pii consensu. Probabile est, *vide de voto, n.* 255. *v. Dubium.*

727. Quaer. 2. utrum ante acceptationem revocari possit donatio iuramento firmata. Negat Laym.[14] cum Covarr.; quia iuramentum servandum est semper ac sine peccato servari potest. Sed communiter affirmant Sanch.[15] Viva[16] cum Trull. Bon. Salm.[17] cum Pal. Gutt. et Mol. quia iuramentum sequitur naturam actus, scilicet donationis, quae de se revocabilis est, donec acceptetur[18].

728. Donatio facta absenti, si per nuntium fiat, potest revocari, donec coram nuntio acceptetur; non enim sufficit, si acceptetur coram aliis. Lessius[19] Viva[20] cum Sancio, et pluribus contra Sylv. et alios. Si vero donatio offeratur per litteras, Viva dicit sufficere, ut litterae ad donatarium perveniant: at Less.[21] et Salm.[22] dicunt requiri amplius, ut remittantur litterae, vel nuntius acceptationis, ut donatio sit valida.

729. Quaer. 3. utrum post mortem donantis possit donatio valide acceptari. Distinguit Less.[23] cum Mol. Si donatio iam facta est, et donans ante mortem mittat nuntium aut epistolam, tunc censet posse acceptari. Ratio quia donatio permanet virtualiter in litteris vel nuntio misso. Et idem probabiliter tenent Sanch.[24] atque Salm.[25] Lugo[26] Viva[27]. Sed probabilius hoc negant Lopez Isern. Tiraq. Decius et alii apud Sanchez[28], et probabile censent Salm.[29], quia post mortem donantis nequit voluntas eius uniri cum donatarii consensu, ut ad acceptationem requiritur. Hic dubium oritur, an donatarius possit rem retinere, si donationem acceptavit post mortem donantis. Ex his sententiis ambabus probabilibus meo iudicio infero, quod si acceptaverit in bona fide, cum iam acquisierit legitimam possessionem, iuste potest retinere. Secus, si cum mala vel du-

(1) De matr. l. 1. d. 6. n. 11. (2) D. 3. n. 4. (3) C. 18. n. 36. (4) C. 1. n. 2. (5) Loc. c. (6) De matr. l. 1. d. 6. n. 16. (7) Loc. c. (8) De contr. c. 4. punct. 4. §. 1. n. 69. (9) Cit. n. 69. (10) Ibid. (11) Ita probabilius. Hom. Ap. tr. 10. n. 131. (12) Loc. c. (13) N. 17. (14) L. 3. sect. 5. tr. 4. c. 1. n. 3. (15) De matr. l. 1. d. 7. n. 24.

(16) De contr. q. 8. a. 2. n. 3. (17) Ibid. n. 70. (18) Ex l. final. c. de non numerata pecunia. (19) L. 2. c. 18. dub. 6. n. 45. (20) Dict. a. 2. n. 9. (21) Ibid n. 43. (22) Loc. c. n. 73. (23) L. 2. c. 18. n. 44. v. Petes. (24) De matr. l. 1. d. 6. n. 5. (25) Ibid. n. 75. (26) D. 23. n. 75. et 81. (27) Dict. a. 2. (28) Ibid. (29) Ibid. n. 73.

bia fide, iuxta dicenda *n.* 761. ubi tenuimus, non posse cum dubio, etiamsi positivo, inchoari praefatam legitimam possessionem.

730. Si autem, aiunt Lugo [1] Less. [2] et Sanch. [3] donatio nondum sit facta, sed mandata fieri a nuntio, per illum etiam munere misso, tunc donatio post mortem donantis amplius acceptari nequit ex *l. inter causas, ff. Mandati etc.*, ubi expresse declaratur mandatum expirare post mortem mandantis. Hoc tamen non obstante, dicit Sa donationem posse acceptari, quia hic mandatum, cum sit quaedam gratia facta, non expirat morte mandantis; et hoc Lessius [4] et Viva [5] cum Sporer et Tamb. apud Croix [6] merito probabile putant. Hinc iuxta primam sententiam dicunt Sanch. [7] Spor. [8] Croix [9] et Less. [10] cum Mol. quod si res culpa nuntii non sit tradita ante mortem mandantis, nuntius tenetur ad duplicem restitutionem, nempe haeredibus defuncti ratione rei quae ad ipsos pertinet; et donatario ratione damni illati. Sed iuxta secundam sententiam tenetur tantum restituere donatario, ut dicunt Sa [11] Tamb. [12] et probabile putant Sporer et Less. [13]. Advertendum tamen cum Lugo [14] Mol. ac Sanch. [15] *ex ead. l. Inter causas*, quod si donatio facta fuerit a nuntio, inscio mortis mandantis tam nuntio, quam donatario, tunc donatio valebit, ut clare colligitur ex *ead. l. Inter causas*, ubi subditur: *Si tamen* (mandatum) *per ignorantiam impletum est, competere actionem utilitatis causa dicitur*.

731. Quaeritur 4. an, mortuo donatario ante acceptationem, suus haeres possit donationem acceptare. Affirmat Sanch. [16] cum Mol. Suar. Tiraquell. Covarr. etc.; quia haeres repraesentat personam defuncti. Negant tamen probabilius Less. [17] et Salm. [18] cum Pal. et Rebel., quia haeres succedit in iuribus realibus defuncti, non autem personalibus, ut est ius acceptandi donationem. Concedit tamen Less. [19] quod si haeres sit filius donatarii, ex aequitate posset acceptare, cum talis praesumenda tunc sit mens donatoris.

732. « 8. Etsi acceptes donationem verbalem, qua tibi Caius v. gr. dat equum absentem; non acquiris ius in re, et dominium equi ante traditionem. Unde, si interea Caius det aut vendat eum alteri, eique tradat, is dominium acquirit; tu autem habes actionem in Caium pro iniuria ratione iuris quod habebas ad rem. Ac sic donatio pure verbalis ante realem, hoc est rei traditionem, vix differt a promissione, ut Less. [20].

733. » 9. Donatio, uti et remissio debitorum liquidorum, una vice et uno animi motu, uni aut pluribus facta, ultra summam 500. solidorum (quae summa hodie ad 700. vel secundum quosdam ad 800. aureos italicos excurrit, ut ex Claro, etc. notat Layman [21], non tenet quoad hunc excessum, sed lege ita statuente ob commune bonum, potest a donatore pro arbitrio repeti. Excipe nisi iudici donatio ea insinuata sit, aut iuramento firmata, aut facta ad pias causas, aut ad redemptionem captivorum, aut ad reparationem aedium incendio, vel ruina destructarum, aut sit remuneratoria beneficiorum, aut fiat in renuntiationem iurium, saltem speratorum, vel denique fiat militibus a belli duce, ex bonis propriis mobilibus, vel hostium spoliis. Vide Less. [22] Laym. [23] Tanner [24] ex Mol. Claro Rebel. etc.; quare, si tunc repetatur quod absque iis conditionibus, vel ultra dictam summam datum est, tenetur donatarius reddere ipsi aut haeredibus repetentibus; si non repetatur, potest retinere. *Vide auct. cit.* (Idem dicitur de donatione omnium bonorum. Salmant. [25]).

734. » 10. Si donationi apponatur modus, tacite vel expresse, non quidem ob-

(1) N. 75. (2) N. 46. (3) Ibid. (4) Ibid. (5) N. 11. (6) L. 3. t. 2. n. 220. (7) N. 8. (8) De rest. c. 4. n. 21. (9) L. c. (10) Ibid. (11) V. Donatio. (12) L. 8. t. 4. c. 1. §. 5. n. 11. (13) Loc. c. (14) N. 73. (15) Ibid.

(16) Eod. loc. n. 6. (17) L. 2. c. 18. n. 35. (18) De contr. c. 4. punct. 4. §. 1. n. 74. (19) Dict. loc. (20) Loc. c. dub. 2. (21) L. 3. tr. 4. c. 12. n. 15. (22) Loc. c. l. 2. c. 18. n. 102. (23) L. 3. t. 4. c. 12. n. 15. (24) D. 6. de iust. q. 2. dub. 2. n. 15. (25) Ibid. punct. 5. §. 2. n. 97. et seq.

ligando, sed tantum desiderando, sperando etc. aliquid alterum facturum, vel animo eum ad hoc inflectendi, valet donatio, etsi finis non sequatur; v. gr. dat aliquis puellae ad eius consensum eliciendum; si postea non consentiat, non tenetur datum reddere: nam, etsi non dedisset, si scivisset eam sibi non consensuram, tamen dedit absolute sine obligatione alia, ut ponitur. Secus esset si vere intendisset eam obligare et hac conditione dedisset, Les.[1].»

Ita Less. etiam [2] et Salm. [3] cum Mol. Dicast. Lugo Tap. etc. *V. dicta n.* 712. *v. Quaer.* 2. Bene autem hic advertunt Salm. [4] quod puella accipiens donum post illicitam petitionem, difficulter excusabitur a peccato scandali ex s. Th. Addit [5] Less. cum Mol. quod si legatum sit relictum puellae ut nubat, potest ab illa retineri etiamsi maneat coelebs; et si moriatur ante nuptias legatum transit ad haeredes puellae. Quando autem donans intendit ad aliquem finem obligare, si finis est principalis, debet donatarius illum praestare, nisi ab alio impediatur. Si vero finis sit secundarius, tunc donatio non est irrita, sed potest a donante irritari. Ita Less. [6] cum Medin. Immo addit quod si detur aliquid monasterio sub aliquo onere, non potest repeti, si onus non impleatur, sed tantum cogi monasterium ad implendum, si possit.

735. Quaer. utrum promittens prodige aliquid foeminae ob copulam, teneatur post copulam dare. Affirmant Lugo Fill. Sanch. apud Salm. [7], quia, posita promissione, datio tunc est debita, non prodiga. Negant autem probabilius Sot. Bann. Trull. etc. cum Salmant.[8], etsi adfuerit iuramentum, quia promissio non tollit dationem prodigam esse illicitam; ideo res promissa reducenda est ad aequalitatem, iuxta communem aestimationem, et si res est indivisibilis nihil debetur. *V. dicenda de matr. l.* 6. *n.* 851. *v. Cum autem.* Non negandum tamen, quod foemina honesta pro usu sui corporis potest recipere quanto plus, ut docet Less. [9].

736. « 11. In similibus donationibus allectivis potest aliquis, v. gr. praedicta puella, acceptare, etsi non intendat praestare quod donator sperat, cum donatio sit absoluta, animo alliciendi, non obligandi. Unde si spe frustratus repetat, dicens se non dedisse nisi sub tali obligatione, non tenetur puella credere; quia eo ipso quod donator non expressit conditionem, praesumitur sine ea dedisse, et repetere vel animo vindictae vel ut consensum extorqueat. Less. [10] Dian. [11].

737. » 12. Non tenet donatio ob causam praeteritam vel praesentem, quae vere non est, ut v. gr. si dem tibi aliquid, quia apud principem meam causam transegisti: vel quia pauper es, et revera non ita est; teneris restituere, cum sit error in formali causa et principali. Unde qui mentiuntur se pauperes, cum non sint, debent aliis pauperibus eleemosynam restituere. Aliud est si error sit tantum in causa secundaria; ut v. gr. si vere sint pauperes et simulent insuper sanctitatem, ad hominum misericordiam provocandam; quia tunc primaria intentio dantium est dare pauperi. Bon. Less. V. Dian. [12].»

Docet tamen Less.[13] quod si error sit circa causam secundariam, licet donatio non sit irrita, est tamen irritabilis a donante; immo si donatarius sit causa erroris, tenetur ipse errorem detegere, nisi donans ita sit affectus, ut censeatur non revocare donationem, etsi errorem agnosceret. In dubio autem ait Lessius restituendum esse pro rata dubii. V. Less.[14]. Sed Croix [15] adhaeret Bus. cum Dic. etc.

DUBIUM III. Quibus casibus donatio possit revocari.

738. *Quid si donatarius sit ingratus.*
739. *Quid si donanti nascatur proles post donationem.*
740. *Quid si donatio fuerit inofficiosa.*

738. « Resp. 1. Donatio inter vivos, hoc est, qua quis vult, se vivo, rem ab-

(1) C. 18. d. 16. et 17. (2) L. 2. c. 18. n. 124. (3) De rest. c. 1. punct. 6. n. 165. (4) Ibid. in fin. (5) Ibid. (6) N. 126. (7) Ibid. n. 166.

(8) Loc. cit. n. 167. (9) L. 2. c. 14. n. 53. (10) Loc. c. (11) P. 1. t. 2. misc. r. 40. (12) P. 8. t. 6. r. 89. (13) L. 2. c. 18. n. 129. (14) Ex n. 131. (15) N. 61.

solute alterius esse, potest revocari (etsi res iam tradita sit) tribus casibus; nisi tamen donatio fuerit remuneratoria, aut facta sit ecclesiae vel monasterio.

Sunt autem hi casus:

» 1. Si donatarius enormiter ingratus sit: ut si donanti atroces iniurias inferat, si inopia pressum non alat, etc. Quod notandum pro filiis, quibus parentes omnia donarunt, et eos postea negligunt. Sylv. Less. Bonac. Trull. [1] (Adde si donatarius adulteretur cum uxore vel filia donantis. Vide Salm. [2]). Neque valet pactum, ut donatio non possit ob ingratitudinem revocari. Bartol. et alii 8. Lugo Diana. [3]. Debet tamen ingratitudo coram iudice probari, ante cuius sententiam donatarius non tenetur restituere. Molin. Lugo et alii 4. Diana [4]: posteam vero et iam fructus perceptos post litem contestatam. Mol. Dic. Dian. [5]. Ab haeredibus autem non potest revocari ob eas causas, ob quas donator ipse potuisset, si eas ipsas scivit et tacuit; secus si ignoravit. Gom. Hurt. Wading. Lug. Diana [6].

» 2. Et quidem revocatio etiam habet locum in legato respectu legatarii, si defunctum testatorem gravi iniuria afficiat, v. gr. uxorem eius carnaliter cognoscat. Mol. Dic. Diana [7].

» 3. Non habet autem locum 1. In donationibus factis ecclesiae, tametsi praelatus vel clericus fuerit ingratus, quia facta est ob bonum animae testatoris, et principaliter Deo qui ingratus esse non potest. Less. Lugo Hurtad. Haun. Wad. Diana [8]. 2. In donatione remuneratoria (v. gr. pro beneficiis alias non debitis, et aliquo modo aequivalentibus) quia potius est remuneratio quam donatio. Remuneratoria autem censetur 1. si donator in ipsa donatione expresse meminerit meritorum; vel 2. si de meritis constet; 3. in dubio. Diana [9] ex Barb. etc.

739. » 4. Si quis prole carens, magnam partem bonorum donaverit, et postea nascatur proles; quia ex iuris dispositione inest donationi haec tacita conditio, nisi nascantur mihi liberi. Et quidem, si facta sit extraneo, revocari potest tota: si alicui ascendentium, ut patri vel avo, vel ecclesiae aut causis piis, tantum revocari potest, quantum necessarium est ut filii habeant legitimam. Quamquam recte notat Less., ad aedificationem expedire, ut quod ecclesiae vel monasterio datum est, praelatus totum restituat. Porro etsi iuraverit se non revocaturum donationem, adhuc potest, liberis natis, revocare; quia hoc iuramentum non excludit tacitam conditionem dictam. Excipe, nisi expresse etiam hanc conditionem excluserit: tunc enim ipse revocare non posset: possent tamen eius liberi post mortem patris. Bon. Less. [10]. An autem haec revocatio locum habeat si filii nascantur illegitimi qui postea legitimentur. Vide Diana [11]. Item, an in donatione remuneratoria. Vide eund. Diana [12] qui cum Mol. et aliis sex negat nisi excedat causam (Potest tamen donatarius retinere rem, donec illa a donante repetatur, Less. [13] Pal. Vill. cum Salm. [14]).

740. » 5. Si donatio fuerit inofficiosa, contra officium paternae pietatis, ut si pater tantum donet, ut filii priventur sua portione legitima: tunc enim post mortem patris possunt filii revocare. Nav. [15] Less. [16] licet donatio fuerit iuramento confirmata. Megal. et alii 5. Diana [17]. Imo etiam vivente patre; licet enim ante mortem patris non debeatur legitima ut tradenda, debetur tamen ut conservanda. Hinc si pater bona dissipet, potest a filio per iudicem cogi ut servet legitimam, ne is post mortem patris careat alimentis. Ita probabiliter Diana [18] ex aliis 6. contra Less. etc. An autem et quando donatio rescindenda in totum, vide Diana [19]. »

Notandum quod donatio si est inofficiosa tantum re, infirmatur quoad partem in qua filii fraudantur: si autem re et consilio, scilic. animo fraudandi fi-

(1) C. 17. d. 12. (2) De contr. c. 4. punct. 5. n. 107. (3) P. 8. t. 6. r. 57. (4) Loc. c. r. 58. (5) R. 58. (6) Loc. c. r. 54. (7) Loc. c. r. 58. (8) L. c. r. 56. (9) L. c. r. 115. 116. 117. 119. 120.

(10) C. 18. d. 14. (11) Loc. c. r. 63. et 64. (12) Res. 65. (13) L. 2. c. 18. n. 110. (14) Loc. c. n. 110. (15) C. 26. (16) L. c. (17) P. 8. t. 6. r. 66. (18) L. c. (19) L. c.

lios, tunc tota infirmatur, quando fit extraneis; quando vero fit aliis descendentibus vel piis causis, etiam quoad partem tantum infirmatur. Less. [1] Salmant. [2] cum Vill. et Gom. Diana [3] p. Conc. [4] Cabass. [5] ex Bartolo [6]. Notandum autem quod donatarius in tali casu ante sententiam iudicis nihil tenetur restituere filiis. Ita Salmant. [7] cum Pal. et Vill. Deinde notandum cum Layman [8] Nav. [9] etc. quod parentes, licet nequeant donationibus minuere filiorum legitimas, possunt tamen contractibus onerosis et donationibus remuneratoriis. Imo Card. cum Lop. Rodr. Nav. Vega Cord. apud Croix [10] dicunt patrem posse insumere sua bona in opera pia, etiam in praeiudicium legitimae filiorum, modo illi non priventur alimentis iure naturae debitis, quia ius civile nequit praeiudicare causae piae. Sed huic opinioni contradicunt [11] Sanch. Gutt. idemque sentiunt Less. Salmant. Diana Conc. et alii, ut mox supra diximus. Utraque sententia videtur probabilis.

» 6. Per supervenientiam liberorum, ut probabilius affirmat Diana [12] ex aliis 4. contra quosdam. Si tamen pater non revocaverit, non potest a filiis postea natis revocari, nisi pro ratione falcidiae, sive ex testamento, sive ab intestato successerint [13].

DUBIUM IV. Quid sit donatio mortis causa.
Et an possit revocari.
Et quomodo et quibus competat.

741. *Quando donatio causa mortis censeatur revocata.*
742. *An valeat haec donatio in absentem.*
743. *Qui possint donare causa mortis.*

741. « Resp. 1. Donatio mortis causa, qua quis sic donat, ut velit rem esse alterius primum post suam mortem, ut si dicas, do tibi hoc post mortem meam vel cum moriar vel quia timeo me nunc moriturum, revocari potest etiam in tribus casibus his (In dubio donatio est censenda inter vivos et irrevocabilis. Lugo Prado Sylv. Vill. ap. Salm. [14]):

» 1. Si donatorem poeniteat, sive expresse sive implicite, ut si rem illam donet alteri, Less. [15].

» 2. Si dedit intuitu alicuius instantis periculi, ex quo metuit mortem, hoc ipso quo periculum evasit, censetur tacite revocata donatio; ut si quis det in gravi morbo vel instante praelio. Bon. [16].

» 3. Si donatarius moriatur ante donatorem, ipso iure revocata est: ut etiam accidit in testamentis et legatis. Secus est in promissione et donatione inter vivos, quae transit ad haeredes. Quod si donator promiserit se non revocaturum, transit in donationem inter vivos. V. Less. [17] Mol. [18] Az. [19] Bon. [20].

742. « Resp. 2. Haec donatio fieri debet in praesentem. Dian. [21] et alii 5. Nec valet in absentem sine nuntio ad hoc destinato vel epistola; licet valeat ut fideicommissum, si fuerint adhibiti testes. Diana etc. [22]. Valet autem probabiliter, etsi donatarius praesens tacuerit.

743. « Respondeo 3. Donare mortis causa possunt omnes, et soli, qui possunt testari, excepto filiofamilias, qui licet testamentum condere nullo modo possit, cum hoc sit iuris publici, donare tamen mortis causa, cum id sit iuris privati, potest, si adsit patris consensus expressus: imo sine hoc donare eum posse, non tantum de castrensibus sed etiam de adventitiis probabile censet Diana [23] (Si nimirum filius ex concessione patris habeat de istis usumfructum et administrationem, ut Salmant. [24] cum Pal. intelligunt). Hinc donare sic possunt minores 20. annis, etiam sine consensu sui curatoris. Diana [25] ex Mol. et aliis. Non autem usurarius, nisi prius usuris satisfecerit vel cautionem praestiterit; potest tamen ad causas pias. Diana [26] ex Fagund. et aliis

(1) L. 2. c. 18. dub. 14. n. 112. (2) De contr. c. 4. punct. 5. §. 4. n. 111. (3) P. 8. tr. 6. r. 66. (4) T. 7. p. 441. n. 13. (5) L. 6. c. 29. n. 1. (6) L. 1. c. de inoff. don. et l. Si totas 5. ac l. Si mater 7. c. eod. tit. (7) Ib. (8) L. 3. tr. 4. c. 12. n. 18. (9) C. 26. n. 39. (10) L. 3. p. 2. n. 312. (11) Ibid. (12) P. 8. tr. 6. r. 78. (13) Ibid.

(14) De contr. c. 4. punct. 5. §. 5. n. 113. (15) Loc. c. (16) Disp. 3. q. 13. p. ult. n. 20. (17) C. 18. d. 14. n. 119. (18) D. 286. et 288. (19) L. 11. c. 11. q. 4. (20) Loc. c. (21) L. cit. r. 66. (22) L. c. (23) L. cit. r. 68. et 69. (24) De contr. c. 4. punct. 5. §. 5. n. 116. (25) L. cit. r. 71. (26) Ibid. r. 73.

6. Nec surdus et mutus a natura, secus si a casu superveniente (vel si surdus sit aut mutus tantum), licet donare inter vivos possit, secundum quosdam Azor. Diana [1].

DUBIUM V. Quid sit commodatum, precarium et depositum.

744. « Resp. Commodatum est contractus quo res aliqua mobilis vel immobilis, quoad solum usum gratuito conceditur, idque ad aliquod certum tempus explicite vel implicite determinatum: explicite, ut si dicas, commodo tibi hunc librum vel domum ad unum mensem; implicite, ut si dicas, commodo tibi librum, ut eum describas, quia tunc implicite tantum temporis determinatur, quantum necessarium est ad commode describendum.

745. » Precarium est, quo conceditur petenti res utenda, non ad certum tempus, in quo differt a commodato, sed donec concedens repetat, sive expresse sive tacite, ut si det alteri aut vendat. Laym. [2]. »

Precarium cessat per mortem accipientis, non autem per mortem dantis, si ab haeredibus non revocetur [3]. Vide Viva [4].

746. « Depositum est, quo aliquid traditur custodiendum, ut integrum reddatur. Et communiter est res mobilis vel se movens, ut vestis, equus, etc.

Unde circa haec resolvuntur:

747. » 1. Commodator non potest repetere absque iniustitia ante definitum tempus. Laym. [5].

» 2. Quod si tamen commodanti damnum impendeat, potest repetere, licet simile damnum impenderet commodatario ex rei ante tempus repetitione, ut habet Less. [6] quia, ut ait Navarr., in commodatione intelligitur tacita haec conditio, nisi interea contigerit rem esse necessariam commodanti, Laym. [7]. »

Nota cum Viva [8] quod in re commodata expensae ordinariae debent fieri a commodatario, ut alere equum, etc. expensae autem extraordinariae a commodante [9].

748. « 3. Si depositarius bona fide existimet depositori non displiciturum, si re deposita utatur, licebit uti, alias non. Less. [10].

» 4. Si depositum sit res usu consumptibilis, ut triticum, vinum, pecunia, quae exponendo absumitur, eaque tradita sit certo numero, pondere et mensura, non videtur depositarius peccare saltem graviter iis utens; si certus sit se tantumdem eiusdem bonitatis habiturum quando repetetur, Less. [11]. Secus, si pecunia tradita fuerit sacculo vel arca inclusa vel munita sigillo. Sylv. Azor. Less. Bon. Vide Trull. [12]. »

Ita etiam Viva [13] cum Mol. [14]. Deinde notandum quod depositarius utens mala fide re deposita tenetur restituere valorem usus; at si ea utatur bona fide tenetur in quo factus est ditior, quando intelliget id domino displicuisse. Ita Viva [15] cum Hurt. Quando autem dominus concesserit usum rei consumptibilis et saltem tacite, tunc depositum transit in mutuum, ex communi cum Less. Mol. etc. [16] contra Hurt. Saltem quando depositarius re actualiter utitur ex consensu domini.

749. « Verum si is cui res commodata, locata, deposita, aut pignorata est, negligenter custodiat, ita ut pereat, negligentia autem non sit theologica culpa mortalis, probabile est quod dixi ex Soto Sa non teneri ad restitutionem in conscientia (Ut etiam tenent Salm. [17]

(1) P. 5. t. 6. r. 12. (2) L. 3. t. 4. c 14.
(3) L. Cum precarium, ff. de praec.
(4) De contr. q. 9. a. 2. n. 9. (5) L. 3. t. 4. c. 14.
(6) C. 27. d. 5. (7) Loc. c. (8) Ibid. n. 7.
(9) Ex l. in rebus ff. de commod. (10) L. c. d. 2.
(11) Loc. c. (12) C. 25. d. 1. (13) L. c. n. 4.
(14) Vers. Notat. (15) N. 3. (16) Ibid.
(17) De restit. c. 1. punct. 2. §. 4. n. 52.

cum Lugo Led. Ronc. Cabass. [1] etc. *V. dicta* n. 554.). Alii tamen aliter sentiunt, nimirum teneri restituere, qui iuridicam culpam in custodiendo contraxerit, si ea fuerit lata; et subinde si levis tantum, imo et aliquando si sit levissima, nimirum quando depositio facta est in commodum utriusque, et si pretium pro custodia accipiat. Vide Less. [2] Laym. [3] qui docet depositarium tantum teneri de dolo vel culpa crassa quae dolo aequiparetur.

» Dicitur autem iuridica culpa lata seu crassa, cum quis facit aut omittit quod ut plurimum non facerent vel omitterent in ea re homines suae professionis, ut v. gr. si quis rem apud se depositam relinquit in loco publico, etsi inadvertenter. Levis autem dicitur, cum quis facit vel omittit quod facerent vel omitterent homines suae professionis diligentes, ut si quis depositum relinquit in suo cubiculo, sed negligit ostium claudere. Levissima dicitur, cum facit vel omittit quod non facerent homines diligentissimi; ut si quis ostium quidem obserarit, sed neglexerit tentare manu an esset bene clausum.

750. » 5. Sartores, molitores et caeteri artifices, quibus res traditur polienda vel immutanda; item nautae, caupones, apud quos res deponuntur, tenentur ex levi culpa, quia depositio fit etiam in commodum ipsorum; imo Sylv. [4] vult eos teneri ex levissima, *ex l. 1. ff. Depositi*, idque cautum esse ad vitandas eorum fraudes. Quod etiam Less. et Trull. [5] putant esse probabile in utroque foro, si quis eis rem expresse tradiderit custodiendam: si autem ipsis tantum videntibus deposuerit, ut v. g. in diversorio, navi etc., ne ex lata quidem teneri. Vide Bon. Trull. Diana [6].

751. » 6. Si depositarius (idem est de commodatario) dubitet an depositum sua culpa perierit, non tenetur in conscientia ad restitutionem, Sanch. [7] quia in dubio non praesumitur delictum [8]. Vide Diana [9]. In foro tamen externo, si res depositarii manserint incolumes, praesumitur de dolo, nisi depositarius probet depositum casu periisse, et non potuisse simul cum rebus suis (imminente v. gr. incendio) servari: tunc enim non teneretur, quia praesumptio doli cessaret. Vide Pal. [10] Trull. [11]. »

752. Hic pro regula generali distinguitur cum Viva [12]. Quando res perit in incendio, naufragio etc., si contractus sit in favorem dantis, et res est minoris vel aequalis valoris quam res tua, tunc poteris rem tuam praeferre et salvare: at si res alterius sit longe pretiosior, eo casu potes petere compensationem pro re tua deperdita. Si vero contractus fuit in commodum tui, tunc teneris rem domini praeferre nec potes petere compensationem. Less. [13] et Viva [14] cum communi.

« 7. Si domino repetenti depositum remiserit per hominem qui fidelis habebatur, isque sibi retinuerit vel perdidit, domino periisse dicit Mol. citatus ab Escob. Vide Trull. [15].

» 8. Deponens rem usu non consumptibilem potest a depositario pro eius usu aliquid accipere; quia is est pretio aestimabilis (licet eo casu non depositi, sed locati et conducti contractus sit dicendus). Secus si sit usu consumptibilis: tunc enim depositum, eo ipso quod depositarius incipit eo uti, induit naturam mutui, ex quo (seclusa ratione lucri cessantis etc.) nihil licet accipere, ut *vide dub. seq.* et Bonac. [16] Trull. [17]. »

753. Notandum hic quod depositarius in quatuor casibus potest depositum domino denegare: 1. Si per sententiam sint addicta omnia bona depositoris. 2. Si comprehendat certo rem esse furatam. 3. Si habeat ipse certam causam compensationis. 4. Si prudenter certo timeat illum abusurum re deposita contra iustitiam, puta gladio ad occidendum; quia tunc peccaret gladium reddendo, contra caritatem, ut

(1) L. 6. c. 9. n. 2. (2) C. 7. d. 8. (3) Tr. 4. c. 25.
(4) V. Nauta. (5) C. 25. a. 1. (6) P. 1. t. 8. r. 74.
(7) De matr. l. 2. d. 41. n. 18. (8) Ex l. Merito, ff. pro socio. (9) P. 2. t. 9. r. 49.

(10) T. 1. de cens. d. 3. p. 4. (11) C. 25. d. 1.
(12) Ibid. n. 2. (13) N. 27.
(14) Q. 9. a. 2. n. 2. (15) Loc. c.
(16) D. 3. q. 13. pag. 3. (17) Loc. c.

Viva [1]. Immo Lessius [2] Salm. et Viva [3] ac Tamb. contra Molin. putant verius quod peccaret etiam contra iustitiam: quia valde proxime cooperaretur ad homicidium. *Vide dicta n.* 697. Dixi tamen *certo timeat;* nam in dubio vel pari probabilitate de damno, gladius restitui debet, nisi dominus sit furiosus, ita ait Viva [4]. Sed illi *pari probabilitati* non acquiesco; nam proximus etiam possidet ius ne laedatur in vita, unde videtur potius praecavendum malum eius quod est maius.

Dubium est an idem currat si dominus abusurus sit re non contra iustitiam, sed contra alias virtutes. Negant Sanch. et Bon. [5]. Sed adhuc peccare reddentem contra caritatem verius dicit Less. [6] cum s. Thom. [7], cuius verba retulimus *n.* 697., nisi non reddendo grave timeat incommodum.

DUBIUM VI. Quid sit mutuum.

754. *Quomodo mutuum distinguatur a permutatione, pignore, etc.*
755. *Quando restitui debet mutuum, si non est praefixus terminus.*
756. *An repeti possit mutuum datum ecclesiae, universitati, vel minori.*
757. *Quid si detur filiofamilias.*

754. « Resp. Est contractus quo rei alicuius numero, pondere vel mensura constantis dominium a mutuante in mutuatarium transfertur, cum obligatione restituendi eamdem vel similem specie et bonitate. Proprie autem mutuum fere est in rebus usu consumptibilibus, inter quas etiam est pecunia: quae licet non absumatur nec pereat in se, perit tamen exponenti. Distinguitur a permutatione, quod in ea reddatur res alterius speciei; item a pignore, hypotheca, deposito, commodato et locato, quod dominium in iis non transferatur, sed usus tantum. Bon. [8].

Unde resolves:

» 1. Mutuans obligatur monere de vitio rei, alioqui ad damnum tenetur in conscientia.

» 2. Item non repetere rem ante tempus, nisi ipse sit in pari necessitate.

755. Si non est praefixus terminus ad restitutionem debes mutuum reddere quando a mutuante interpellaris: intellige post aliquod tempus competens arbitrio prudentum; nam alias mutuum potius tibi obesset, quam prodesset. At teneris reddere etiam non petitus, si non petatur ob oblivionem, reverentiam aut distantiam: mutuans vero non petens, cum facile possit, censetur indulgere dilationi. Ita Laym. [9] Pal. Rebell. cum Salm. [10].

» 3. Item praestare casum fortuitum mutuatarius tenetur, cum penes hunc rei dominium sit, et rem eadem quantitate et qualitate reddere suo tempore.

» 4. In vero mutuo lucrum aliquod accipere non licet, quia est usura, de quo *dub. seq.*

756. Sed hic notandum 1. quod mutuum praestitum ecclesiae causae piae aut universitati non potest repeti, nisi probetur in utilitatem illius conversum fuisse [11]. Et idem dicitur de mutuo dato minori, qui alias non tenetur, etiam maior factus, restituere [12]. Si tamen praelatus cum consensu capituli (et idem dicitur de gubernatore cum consensu officialium) recipiat mutuum nomine ecclesiae, ipsa semper tenetur solvere; dum praelati cum capitulo recte alienare possunt res mobiles ecclesiae. Lessius [13] Salm. [14] cum Laym. Mol. et Pal.

757. Notandum pariter 2. quod mutuum datum filiisfam. ut sic putatis, et carentibus bonis castrensibus, sine saltem tacito consensu parentum, neque ab illis postea restituendum est, saltem in foro externo [15]. Quo privilegio filii uti possunt, etsi ei renuntient. Less. [16] Salm. [17] cum Pal. Dic. et Bon. Excipitur 1. Si mutuum sit in aliis rebus, quam in pecunia, de qua lex loquitur. Excipitur 2. Si filius iuravit solvere; quamvis post solutionem habeat actionem ad repetendum: immo potest relaxationem iuramenti sibi procurare, Salmant. [18] cum cit. dd. Excipitur 3. Si mutuum

(1) De rest. q. 4. a. 5. n. 1. (2) L. 2. c. 16. d. 4. (3) N. 2. (4) Ibid. (5) Q. ult. p. 1. (6) L. c. (7) 2. 2. q. 62. a. 5. ad 1. (8) Disp. 3. q. 3. p. 1. (9) L. 3. sect. 5. tr. 8. c. 15. n. 2. (10) De contr. c. 3. punct. 1. n. 4. (11) L. Civitas, ff. Si certum petatur. (12) L. 3. cod. Quando ex facto tutoris. (13) L. 2. c. 20. n. 13. (14) Ibid. n. 6. (15) Ex senatuscons. Maced. l. 14. ff. tit. 6. leg. 1. (16) C. 20. n. 8. (17) Ib. n. 7. (18) Ib. n. 8.

datum sit, sciente et non contradicente patre, aut si conversum sit in utilitatem patris aut filiorum in rebus, quas pater eis praebere tenebatur: item si res mutuata adhuc extet; vel si pater solitus fuerit solvere debita filiorum; ita Salm. [1].

Dubium est an filiifamilias in primo casu posito liberi sint a restitutione mutui, non solum in foro externo sed etiam interno. Negant Bon. Dic. Covarr. et Rebell. apud Salm. [2], quia ius civile non tollit obligationem naturalem. At satis probabilius affirmant Lessius [3] et Sanch. Laym. Pal. etc. cum Salm. [4], quia lex bene potest cum iusta causa naturalem obligationem auferre, et sic fecisse iudicatur in hoc casu ad providendum damno parentum, et nequitiam foeneratorum avertendam: non videtur autem posse negari quod potestas suprema humana, ob altum dominium quod habet, bene potest propter bonum commune transferre dominium rerum ab uno in alterum, ut patet in lege praescriptionis. *Vide dicta n.* 517.

DUBIUM VII. Quid sit usura.

758. *Quando committatur usura.*
759. *An usura sit mala de iure naturae.*
760. *An mutuans possit aliquid exigere, si obligetur solutionem expectare per longum tempus.*
761. *De usura mentali. Quaer.* 1. *Quando ex ea oriatur obligatio restitutionis. Quaer.* 2. *Utrum mutuans possit retinere id de quo dubitatur, an gratis sit datum.*
762. *An liceat dare mutuum ob spem lucri.*
763. *An mutuans possit retinere quod mutuatarius dedit ex timore, ne alia mutuatio ei negetur in futurum.*
764. *An obligatio antidoralis possit in pactum deduci.*
765. *An possit exigi aliquid ob* periculum sortis. *Quid de* montibus pietatis.
766. *An liceat pactum* poenae conventionalis.
767. *An dicta poena debeatur ante sententiam.*
768. *An et quando possit aliquid exigi ob* damnum emergens, *vel ob* lucrum cessans.
769. *Quot conditiones requirantur ad hoc interesse exigendum. An in contractu oporteat monere mutuatarium de damno emergenti, vel alio iusto titulo. An possit mutuans tale interesse exigere, si ipse se offerat ad mutuandum.*
770. *An liceat mutuanti pacisci ab initio de certa pecunia solvenda pro damno, vel lucro incerto.*
771. *An possis exigere lucrum cessans, si aliam substituas pecuniam ad negotium non destinatam.*
772. *Quid si dicas: Negotiarer, nisi essent mutuum petentes.*
773. *Quid si aderat iustus titulus aliquid exigendi, sed mutuans bona fide inierit contractum usurarium.*
774. *Quae pacta liceant in mutuatione.*
775. *An sit illicitum pactum* legis commissoriae.
776. *An fructus pignoris debeant restitui. Quid si pignus datum sit pro dote.*
777. *An teneat pactum, ut reddatur aliquid debitum, sed non ex iustitia. An ut desistatur ab iniuria.*
778. *An valeat pactum, ut iniuria condonetur.*
779. *An pactum, ut conferatur officium.*
780. *An pactum, ut praestentur debita ex gratitudine.*
781. *An pactum remutuandi.*
782. *An pactum, ut res in eadem specie reddatur.*
783. *An usurarius acquirat dominium lucri usurarii.*
784. *Quid de fructibus rei consumptibilis.*
785. *Ad quid teneatur praebens consilium, aut dans pecuniam pro mutuo usurario.*
786. *An peccet deponens pecuniam apud abusurum ad usuras.*
787. *An principes etc., cooperantes, ut solvantur usurae, teneantur ad restitutionem.*
788. *An liceat creditori mutuantis exigere usuras.*
789. *An peccent famuli cooperantes dominis usurariis.*
790. *Quomodo haeredes usurarii teneantur ad restitutionem. An liceat petere mutuum ab usurario.* Remissive ad l. 2. n. 47. v. Secunda et n. 77. v. 4. Licitum.
791. *Vide alios casus apud Busemb.*
792. *Quae obligatio et poena usurariorum.*

758. « Resp. Est lucrum immediate proveniens ex mutuo: ita ut mutuans supra sortem, id est summam capitalem, lucretur aliquid quod sit pecunia aestimabile, ita ut lucrum tale praecise intendatur ratione mutui. Quod plane iniquum est et grave peccatum contra ius humanum et divinum; cum mutuans acquirat lucrum ex re iam non amplius sua: quia res mutuata iam transiit in dominium mutuatarii, ut patet ex definitione. Et regula generalis est: Omne pactum vel gravamen, sive onus additum mutuo praeter id quod ei proprium et intrinsecum est, reddit contractum usurarium, Bon. [5] Lugo etc. »

759. Certum est, quod usura etiam de iure naturali est illicita, nec per usum rei mutuatae potest aliquid ultra sortem exigi, ut communiter dicunt theologi et iuristae cum s. Thom.[6]. Ratio est quia, ut docet s. Th. [7], licet in

(1) L. c. n. 9. (2) N. 10. (3) Dict. c. 20. n. 8. (4) Cit. n. 10. (5) D. 3. q. 3. p. 3. (6) 2. 2. q. 78. a. 1. ex c. Super eod. de usur. (7) L. c.

re quae usu non consumitur, prout in domo, equo, possit usus a re distingui: in re tamen usu consumptibili, ut vino, tritico, pecunia, non adest usus rei distinctus a dominio, cum usus rei sit ipsa rei consumptio, et ideo in mutuo ex sua natura transfertur rei dominium in mutuatarium: si igitur aliquid exigeretur pro usu rei consumptibilis, iniuste quidem exigetur, ait s. Thom. et omnes, quia exigeretur pro re quae non extat[1]. Quidam autem neotericus in li-

(1) Cod. civ. Galliae, art. 1907. liberam in mutuo permiserat usurae stipulationem quam lex specialis, die 3. sept. 1807., aliquatenus restrinxit, probibens ne lucrum ex mutuo ultra quinque pro centum in re civili et sex in commercio perciperetur. Iam de hoc titulo legis civilis gravissimae inter theologos ortae sunt controversiae, in quas recentissime plures, hoc loco referendae, sedis apostolicae decisiones prodierunt. Doctrinam quidem ecclesiae et speciatim Benedicti XIV. circa materiam usurae immutatam relinquunt, ast utique supponentes aliquem titulum mutuo extrinsecum, non inquietandos esse declarant, qui praeter sortem vi solius legis civilis lucrum quinque pro centum percipiunt, quousque sancta sedes definitivam sententiam emiserit, cui parati sint se subiicere. Tres adducere libet decisiones, quarum prima ad instantiam illustrissimi domini Gousset, archiepiscopi Rhemensis, duae vero subsequentes ad instantiam domini Denavit, profess. in semin. Lugdun. obtentae fuere.

I. *Ad sacram poenitentiariam exponit orator.*

1. An confessarius ille possit absolvi, qui, licet Benedicti XIV. et aliorum summorum pontificum de usura definitiones noverit, docet ex mutuo divitibus aut negotiatoribus praestito percipi posse, praeter sortem, lucrum quinque pro centum, etiam ab iis qui nullum omnino alium, praeterquam legem civilem, titulum habent mutuo extrinsecum.

2. An peccet confessarius qui dimittit in bona fide poenitentem qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum, absque extrinseco lucri cessantis, aut damni emergentis, aut periculi extraordinarii titulo.

Sacra poenitentiaria, diligenter matureque perpensis propositis dubiis, respondit:

« Ad primum: Confessarium de quo in dubio, non esse inquietandum, quousque sancta sedes definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit se subiicere, ideoque nihil obstare eius absolutioni in sacramento poenitentiae. Ad secundum: Provisum in praecedente, dummodo poenitentes parati sint stare mandatis sanctae sedis.

» Datum Romae in s. poenitentiaria, die 16. septembris 1830.

E. Card. De Gregorio M. P.

F. Fricca, S. P. Secretarius. »

II. *Ad sacram poenitentiariam exponit orator.*

« Quando s. poenitentiariae dubia circa materiam usurae proponuntur, semper remittit ad doctrinam Benedicti XIV. quae revera sat clara et perspicua est pro iis qui bona fide illam perscrutari volunt.

» Attamen sunt quidam presbyteri qui contendunt licitum esse percipere auctarium quinque pro centum, solum vi legis principis, absque titulo ullo vel damni emergentis, vel lucri cessantis, quia, inquiunt, lex principis est titulus legitimus, cum transferat dominium auctarii, sicut transfert dominium in praescriptione, et sic prorsus annihilant legem divinam et legem ecclesiasticam quae prohibent usuras.

» Cum res ita se habeant, orator existimans nullo pacto licitum esse recedere a doctrina Benedicti XIV. denegat absolutionem sacramentalem presbyteris qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem, absque titulo vel lucri cessantis, vel damni emergentis. Quare orator humiliter supplicat ut sequentia dubia solvantur:

» 1. Utrum possit in conscientia denegare absolutionem presbyteris praefatis.

» 2. Utrum debeat.

Lugduni, 25. maii 1830. »

« Sacra poenitentiaria, diligenter ac mature perpensis dubiis propositis, respondendum censuit presbyteros de quibus agitur non esse inquietandos, quousque sancta sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subiicere, ideoque nihil obstare eorum absolutioni in sacramento poenitentiae.

» Datum Romae in sacra poenitentiaria die 16. septembris 1830.

E. Card. De Gregorio M. P.

F. Fricca, S. P. Secretarius. »

III. *Ad sacram poenit. iterum exponit orator.*

« Ex responso sacrae poenitentiariae ad oratorem infrascriptum directo, die 16. septembris 1830. absolvendi sunt presbyteri qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem et legitimum aliquid percipiendi ultra sortem in mutuo, absque alio titulo a theologis communiter admisso, donec sancta sedes definitivam decisionem emiserit cui parati sint se subiicere, et huic responso humiliter et libenter acquiesco.

» Attamen, salvo sacrae poenitentiariae responso praefato, consultis auctoribus probatis, et attenta doctrina omnium fere seminariorum Galliae ac praesertim eorum quae a presbyteris congregationis sancti Sulpitii diriguntur; sententia quae reiicit titulum legis civilis tanquam insufficientem, videtur longe probabilior, securior et sola in praxi tenenda, donec sancta sedes definiverit.

» Quapropter fidelibus qui a me consilium petunt utrum possint auctarium percipere ex mutuo, et qui nullum habent titulum a theologis communiter admissum praeter titulum legis civilis, respondeo eos non posse praefatum auctarium exigere et denego absolutionem sacramentalem si exigant. Pariter denego absolutionem iis qui, perceptis huiuscemodi usuris, id est, vi solius tituli legis, nolunt restituere.

» Quaeritur 1. Utrum durius et severius me habeam erga huiusmodi fideles, etc.

» 2. Quae agendi ratio in praxi tenenda erga fideles, donec sancta sedes definitivam sententiam emiserit.

Lugduni, 21. septembris 1831. »

Sacra poenitentiaria, perpensis dubiis quae ab oratore proponuntur, respondet:

« Ad primum: affirmative, quandoquidem ex date a s. poenitentiaria responso liquet, fideles huiusmodi qui bona fide ita se gerunt non esse inquietandos.

» Ad secundum: Provisum in primo, unde ora-

bro recenter edito laboriose conatus est probare, pecuniam de se non esse sterilem et infructiferam, sicut aliae sunt res usu consumptibiles; cum ex communi commercio hominum, ut asserit, quamplura lucra ex pecunia observemus oriri. Hinc infert, praecisis iustis titulis periculi, damni etc., de quibus infra dicemus, licite posse aliquid exigi a mutuo pecuniae ultra sortem; modo lucrum sit moderatum, et modo mutuatarius sit dives, et pecuniam illam in augendis bonis suis impendat. Sed merito haec nova opinio interdicta est a pontifice Bened. XIV. in epistola encyclica edita ann. 1745. quae incipit: *Vix pervenit*, et extensa afferetur in fine operis. Ratio certa est, quia lucrum quod recipitur ex pecunia, totum oritur, non ex ipsa pecunia, quae, cum omnino sterilis sit, fructum parere haud potest, sed oritur ex mera industria hominum; nec pro eo quod mea pecunia alteri proderit ob suam industriam, possum ego ultra sortem aliquid ab eo exigere; pariter ac si vendo rem quae emptori valde utilis erit propter industriam suam, non possum propter hoc aliquid recipere ultra iustum rei pretium. Ratio de se patet, et alia declaratione non indiget. Ad illud autem quod apponitur, iudaeis Deum permisisse [1] foenerari ab alienis, respondet s. Thom. apud Salm. [2], quod tunc non permisit Deus usuras, sed concessit hoc modo accipere gentium bona, quae Dominus iudaeis largitus est. Lege p. Concina qui peculiari volumine hanc falsam opinionem fuse et perdocte confutavit.

Hic autem notandae tres propos. damnatae. Prima ab Innoc. XI. n. 41. dicebat: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non maioris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.*

Secunda ab eod. Innoc. *n.* 42. *Usura non est, dum aliquid ultra sortem exigitur, tamquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex iustitia debitum.*

Tertia ab Alexand. VII. *n.* 42. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obligat ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

760. Sed quaeritur an pro obligatione, cui se submitteret mutuans non repetendi mutuum, nisi post multum tempus, possit aliquid ultra sortem exigere, etiamsi nullum incommodum ex dilatione ei eveniat. Adsunt tres sententiae.

Prima sententia communis negat, et hanc tenent Less. [3] Viva [4] Laym. [5] Lugo [6], qui vocant contrariam falsissimam et communiter ab aliis reprobatam. Ratio, quia talis obligatio est intrinsece annexa mutuo, quod non re-

tor priori sacrae poenitentiariae responso, sub die 16. sept. 1830. sese conformare studeat.

» Datum Romae, in s. poenitentiaria, die 11. novembris 1831.

A. F. De Rets, S. P. Regens.

F. Fricca S. P. Secretarius. »

Hae decisiones, licet sedes pontificia ipsis quaestionem agitatam de titulo ex lege principis desumto accipiendi lucrum quinque pro centum, haudquaquam voluerit definire, improbans etiam absolute docentes in sacris concionibus licitum esse lucrum ex mutuo percipere titulo legis civilis, reticitis conditionibus a s. congregatione apponi solitis, non tamen meram tolerantiam, sed positivam permissionem secum ferre dicendae sunt, ut ipse s. Alphonsus in hoc suo tractatu de mutuo n. 765. in simili casu de mutuatione chinensium probat. Quinimo non inquietandi sunt, denegata absolutione sacramentali aut onere restitutionis imposito, etiamsi percipientes 5. o[o] dubia aut mala fide egerint, dummodo parati sint stare mandatis sanctae sedis. Hocce iam liquet ex recentiori sedis rom. declaratione, quam quartam tribus prioribus decisionibus hic addere iuvat. Quaesiverat reverendiss. d. Galvano, episcopus nicaeensis:

« An poenitentes qui moderatum lucrum, solo legis titulo ex mutuo dubia vel mala fide perceperunt, absolvi sacramentaliter possint, nullo imposito restitutionis onere, dummodo de patrato ob dubiam aut malam fidem peccato sincere doleant et filiali obedientia parati sint stare mandatis sanctae sedis. »

Responsum fuit die 17. ianuarii 1838.: In congregatione generali sanctae romanae et universalis inquisitionis habita in conventu sanctae Mariae supra Minervam, coram eminentiss. et reverendiss. dd. S. R. E. cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus proposito supradicto dubio, iidem eminentiss. et reverendiss. dd. dixerunt: Affirmative, dummodo parati sint stare mandatis sanctae sedis.

Ang. Argenti, S. R. Univers. Inquisit. notarius. »

(1) Deut. 28. 12. (2) C. 3. n. 27.
(3) L. 2. c. 20. n. 127. (4) In d. prop. 42. n. 10.
(5) L. 3. tr. 4. c. 16. n. 7. (6) D. 25. n. 17.

petatur statim; sicut igitur non potest aliquid exigi ex eo, quod solutio expectetur pro aliquo tempore, ita nec pro tanto tempore; alias, dicunt, facile tali modo multoties usura palliari posset, illam exigendo non pro mutuo, sed pro obligatione expectandi solutionem. Et huic videtur favere damnatio secundae prop. allatae.

Secunda sententia dicit, quod licet in mutuo sit obligatio expectandi solutionem per aliquod tempus, quando tamen obligatio est de non repetendo nisi post multum tempus, puta per triennium, tunc, cum illa non sit intrinseca mutuo, potest aliquid licite exigi. Medina [1] Serra Led. apud Salm. [2] ibique probabilem putant Trull. Henr. ac Bassaeus, atque non improbabilem putat Sporer [3]. Et haec sententia vere non videtur sua probabilitate carere; si enim licite aliquid exigere potest qui obligatur ad mutuandum infra longum tempus, ut docent dd. communius cum Mol. apud Viva [4], cur non potest qui obligatur non repetere suum nisi post diuturnum tempus [5]? *Vide mox infra dicenda.*

Tertia sententia parum huic secundae dissimilis, quam tenent Salm.[6] cum Ban. Prado Arag. et Caram. dicit quod licet adhaerendo primae sententiae, exigere aliquid praecise pro tempore sit usura, attamen cum sit moraliter impossibile quod per multum tempus expectando mutuans non patiatur aliquod periculum, damnum vel incommodum, aut saltem non impediatur ab exercendo aliquem actum liberalitatis aut alterius decentis operationis, idcirco potest aliquid ultra sortem recipere et pacisci.

Sed dices 1. Obligatio expectandi per aliquod tempus inest cuilibet mutuo, unde sicut in mutuo ad 15. dies adest obligatio non repetendi intra 15. dies, ita et in mutuo ad tres annos est obligatio per tres annos non repetendi; quia tunc obligatio illa expectandi per tres annos est intrinseca tali mutuo, alias mutuator venderet suam commoditatem: nec talis obligatio expectandi per tantum tempus dici valet pretio aestimabilis, cum ipsa non procedat ex iustitia sed ex eadem liberalitate ex qua procedit beneficium mutuandi. Sed responderi potest: cuilibet mutuo est quidem intrinseca obligatio expectandi per aliquod tempus ordinarium: verumtamen mutuo in particulari, cum pacto expectandi per tempus extraordinarium, non est intrinseca, sed omnino extrinseca talis obligatio; et ideo illa non procedit ex liberalitate, sed ex iustitia, ratione pacti quod ex iustitia obligat ad expectandum pro tanto tempore. Hinc si mutuans aliquid accipiat pro tali obligatione, rite accipit, non ratione commoditatis qua privatur sed ratione oneris ex pacto sibi impositi, quod onus utique est pretio aestimabile, ut fatetur ipse Lugo [7] cum aliis. Dices 2. Obstat tertia propositio proscripta mox supra relata, ex qua videtur omnino vetitum aliquid exigi pro obligatione expectandi *usque ad certum tempus*. Sed respondetur: Dicta propositio merito fuit damnata quia per illa verba nimis generalia comprehendebatur cuiuscumque temporis expectatio, etiam ea quae mutuo est intrinseca: non autem ibi prohibetur aliquid exigi pro obligatione expectandi per tempus extraordinarium, quae obligatio est mutuo extrinseca. Et hic obiter notandum nonnullos induci ad reprobandas cunstas opiniones quae aliquam similitudinem habent cum propositionibus damnatis, inepte putantes eas ita generaliter proscribi, ut nullam patiantur exceptionem vel iustam interpretationem. Quod revera est contra naturam propositionum damnatarum; iuxta enim omnium dd. consensum, non sunt clausis oculis reiiciendae omnes opiniones, nisi expresse aut virtualiter in proscriptis contineantur. Caeterum, regulariter loquendo, propositiones da-

(1) De rest. q. 32. §. Inde.
(2) N. 25.
(3) De 7. praec. c. 4. n. 71.
(4) In dict. propos. 42. n. 5.
(5) V. g. post 3. vel 4. annos. Hom. Ap. tr. 10. n. 146.
(6) De contract. c. 3. punct. 3 n. 26.
(7) Loc. c. n. 24.

mnatae intelligendae sunt uti iacent et in sensu rigoroso, atque ab auctoribus illarum intento. Praeterquam quod quaedam opiniones (prout dici potest esse hanc de qua loquimur) damnatae sunt quia nimis generaliter loquebantur, et ideo non sunt extendendae ad omnes casus particulares qui propter aliquam momentosam circumstantiam distinguuntur.

761. « 1. Peccat graviter ex genere suo exercens talem usuram, etsi sit mentalis tantum, sine externo pacto. Dicitur enim usura mentalis cum quis intentionem habet accipiendi aliquid ex mutuo ultra sortem, etsi exterius pacto id non exprimat: sicut realis et exterior usura dicitur cum quis intentionem illam per pactum aliquod exprimit. Quod aliquando tantum implicite fit in aliquo contractu, et vocatur usura palliata, cum videlicet contrahentes praetendunt alium contractum emptionis, locationis etc., in quo tamen revera usurarium quid intervenit. Vide exempla apud Tolet. [1]. »

Hinc non est sermo de usura mentali quae in solo animo sistit sine datione mutui; haec enim ad nullam restitutionem obligat: sermo autem fit de usura mentali quae coniuncta est cum mutuo, sine tamen pacto expresso vel tacito lucrandi aliquid supra sortem, ad distinctionem usurae realis quae oritur ex pacto.

Quaeritur 1. Quando ex hac usura mentali oriatur obligatio restitutionis. Dicimus 1. Quando usura mentalis est ex parte utriusque, ita ut mutuans accipiat lucrum tamquam pretium mutui, et mutuatarius ut tale etiam solvat, tunc certe lucrum restituendum est. Dicimus 2. Quando usura mentalis est ex parte solius mutuatarii qui dat lucrum ut pretium et mutuator accipit bona fide ut gratis datum, tunc non tenetur hic restituere ex iniusta acceptione, sed tantum ex re accepta, cum noverit mutuatarium non gratis praestasse. Dicimus 3. Quando contra usura est solum ex parte mutuantis, eo quod mutuatarius dederit gratis et mutuans recepit ut pretium, tunc si noverit illum liberalitèr donasse potest retinere.

Quaeritur 2. In dubio an mutuatarius dederit aliquid ultra sortem gratis, vel ut pretium mutui, utrum mutuator possit illud retinere. Certum est licite posse mutuantem accipere a mutuatario dona liberalia, ut docent omnes cum d. Th. [2]. Si vero dubium sit an mutuatarius dederit gratis vel non: respondent Less. [3] et Salm. [4] quod si mutuans accepit munus in bona fide, potest superveniente dubio illud retinere; secus vero si accepit cum dubio. Sed quid si acceperit cum dubio positivo, sive cum probabilitate verae donationis? Admittit Sporer [5] posse retinere, utens opinione probabili; sed communiter et recte id negant Less. [6] Concina [7] Cont. Tourn. [8] et Salm. [9] cum Soto Bon. Covarr. Prado Arag. etc. Ratio quia cum tali dubio nequit mutuator inchoare possessionem rei alienae; item, quia in dubio mutuatarius regulariter praesumitur coacte dedisse, quia difficulter homines gratis sua largiuntur, ut fatetur ipsemet Sporer [10]. Caeterum in hoc dubio deferendum est illi parti pro qua est potior praesumptio; hinc aiunt Salm. [11] Sporer [12] Less. [13] praesumendum esse mutuatarium moraliter certo donasse, si non sit pauper aut avarus, aut non dederit impulsus ex metu, neque ex molestia vel petitione mutuantis. Idemque dicunt Salm. [14] cum s. Antonino, si mutuatarius per scripturam asserat, liberaliter se donasse, nisi constet in fraudem usurae id scripsisse. Oppositum vero praesumitur cum Salm. [15] si mutuans ante donationem significarit velle aliquid ut sibi debitum, aut si mutuatarius sit pauper, vel non solitus donare, vel si solvat ante redditionem mutui: quia tunc facile prae-

(1) L. 5. c. 31. (2) 2. 2. q. 78. a. 2. ad 3. (3) L. 2. c. 20. dub. 6. n. 45. (4) De contract. c. 3. punct. 4. n. 51. (5) De 7. praec. n. 80. (6) Loc. c. (7) T. 7. p. 559. n. 3.

(8) De contr. p. 2. c. 3. a. 5. concl. 2. v. Cum dubia. (9) Ibid. (10) N. 77. (11) Cit. n. 51. (12) Loc. c. (13) C. 20. dub. 6. (14) Ibid. n. 43. (15) Ibid. n. 42.

sumitur dare, ne cito cogatur ad mutuum reddendum. Idem rationabiliter censeri dicunt Nav. et Med. apud Salmant.[1] contra Dicast., si mutuatarius acceperit mutuum ad usus necessarios, quia talis necessitas tollit, aut saltem infirmat praesumptionem quod ille omnino gratis donaverit.

« 2. Non est usura si mutuans nihil intendat ut pretium, sed tantum speret aliquid ex gratitudine, et ea intententione illi aliquid donetur; licet illud ut finem principalem intendat. Mol.[2] Lugo[3]. »

762. Quaeritur 1. An liceat dare mutuum sub spe lucri. S. Thomas[4] sic distinguit: *Si aliquis ex pecunia mutuata expectet vel exigat, quasi per obligationem pacti taciti vel expressi, recompensationem muneris ab obsequio vel a lingua, perinde est ac si expectaret vel exigeret munus a manu ... Si vero munus ab obsequio vel a lingua non quasi ex obligatione rei exhibetur sed ex benevolentia, quae sub aestimationem pecuniae non cadit, licet hoc accipere et exigere et expectare.* Hinc inferunt 1. Caiet. Pal. Prado Trul. et Villal. apud Salm.[5] in foro conscientiae non esse signum usurae mentalis, quod quis non mutuaret, si crederet mutuatarium nullam recompensationem redditurum. Inferunt 2. iidem Caiet. Prado[6] cum Trull. Serra et Salas posse mutuantem licite talem spem mutuatario etiam manifestare; sed bene advertunt Salm.[7] cum Lugo etc. hoc non carere vehementi suspicione usurae, iuxta dicta *de simonia n.* 51. Unde recte dicunt Salm.[8] et Viva[9] taliter mutuantes ordinarie censendos esse usurarios.

Sentiunt autem Bus. *ut sup.* Salm.[10] et Less.[11] cum Petro Nav. ex Soto, non esse illicitum mutuanti dare mutuum sub spe lucri, etiamsi talis spes sit principale motivum mutuandi. Sed verius puto cum p. Concina[12] hoc esse omnino illicitum, ex textu Lucae[13] ubi praecipitur: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Si textus hic non explicatur saltem de hac principali spe, nescio in quo alio casu explicari poterit. Ratio autem nostrae sententiae est, quia, si non licet dare mutuum principaliter ob lucrum ex mutuo percipiendum, nec etiam licet mutuare principaliter ob spem lucri. Id omnino confirmatur exemplo simoniae quae incedit quidem pari passu cum usura: circa enim simoniam iam probavimus *n.* 51. *v. Caeterum, et n.* 54. quod si quis det temporale solo intuitu obtinendae rei spiritualis, tunc censetur habere intentionem saltem virtualiter simoniacam, ut patet ex propos. damnata 46. Innoc. XI. quae dicebat non esse simoniam dare temporale pro re spirituali, *etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale.* Idem dicendum in mutuo; quando etenim mutuum datur principaliter ob spem lucri, tunc ipsum lucrum speratum, cum sit principale motivum mutuandi, virtualiter convertitur in pretium mutui. Et hoc clare colligitur ex *cap. Consuluit* 10. *de usuris*, ubi sic habetur: *Consuluit nos tua devotio, an ille usurarius debeat iudicari, qui (non alias mutuo traditurus) eo proposito mutuam pecuniam credidit, ut, licet omni conventione cessante, plus tamen sorte recipiat. Verum, quia quid in his casibus tenendum sit, ex evangelio Lucae manifeste cognoscitur, in quo dicitur:* Date mutuum, nihil inde sperantes, *huiusmodi homines pro intentione lucri quam habent, cum omnis usura prohibeatur in lege, iudicandi sunt male agere, et ad ea quae taliter sunt accepta, restituenda in animarum iudicio efficaciter inducendi.* Hinc sapienter dixit s. Raymundus: *Qui sub tali spe mutuavit, quidquid postea (etiam gratis oblatum) ultra sortem acceperit, usura est*[14]. Bene autem ait Concina[15] minime peccare mutuantem qui mutuum dat ad captandam alterius benevolentiam, etiamsi haec benevolentia

(1) Ibid. n. 44. (2) T. 2. p. 305. n. 5. (3) D. 25. (4) 2. 2. q. 78. a. 2. ad 3. (5) De contr. c. 3. punct. 4. n. 34. (6) Ibid. (7) Cit. n. 34. (8) Ibid.

(9) In propos. 42. Innocent. XI. n. 15. (10) Ibid. n. 33. (11) C. 20. n. 37. (12) T. 7. p. 462. n. 10. (13) C. 6. v. 35. (14) Tr. de usur. §. 3. (15) P. 460. n. 6.

sit principale motivum mutuandi, quia beneficium gratuitum ex se pertinet ad conciliandam mutuam benevolentiam. Imo addo, etiamsi secundario speretur aliquod lucrum, ita ut lucrum sit causa impellens ad mutuandum (non tamen si hac spe deficiente mutuum non daretur, quia tunc saltem praesumitur animus usurarius). Ita ex d. Th.[1] qui ait: *Si* (mutuans) *accipiat aliquid, non quasi exigens nec quasi ex aliqua obligatione tacita vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat; quia etiam antequam pecuniam mutuasset licite poterat aliquod donum gratis accipere, nec peioris conditionis efficitur per hoc quod mutuavit. Recompensationem vero eorum quae pecunia non mensurantur licet pro mutuo exigere, puta benevolentiam et amorem eius cui mutuatur, vel aliquid huiusmodi.* Et alibi[2] dicit licere mutuanti adhuc huiusmodi donum *sperare;* modo (intelligendum, ut diximus) haec spes non sit causa finalis mutui; nam, licet speculative loquendo, differat sperare lucrum ex benevolentia, et sperare ex iustitia, in praxi tamen facillime haec confunduntur.

763. Quaeritur 2. an mutuans possit retinere, quod mutuatarius dedit non ex mera gratitudine, sed ex timore, ne alias mutuatio ei negetur in futurum, aut ne aestimetur ingratus. Negant Cai. Molina Nav. et alii apud Dian. cum Viva[3], qui oppositam sententiam putat speculative, non practice probabilem. Sed affirmant Laym.[4] Lugo Pal. Sot. Dian. et Salas apud Salm.[5] quia ex s. Thom. et communi, requiritur ad usuram, ut detur ex vi pacti, sive ut debitum ex iustitia; dari autem ex tali timore non efficit ut detur in pretium: lex enim mutui non prohibet ut alter nolit ingratus apparere; Salm. autem, licet primo dicant talem donationem difficulter non esse usurariam, cum rarissime praesumenda sit mere voluntaria; attamen revera postea primae sententiae adhaerent, dicendo quod si donatio vere fuerit gratuita, bene potest retineri: etsi enim illa sit alioquin involuntaria, nequaquam vero tale involuntarium illam irritat, cum non proveniat ab extrinseco cogente, sed ab intrinseca necessitate vel voluntate ipsius mutuatarii. Ita Salm.[6] cum Serra Trul. Prad. et Soto, qui advertit discernendum semper esse an mutuans recipiat ratione amicitiae vel an ratione mutui.

764. « 3. Quod si tamen intelligeret sibi aliquid donatum, non gratis, ut putabat, sed ut debitum ratione mutui, teneretur restituere quantum inde ditior evasisset, ut habet Sa[7] Lugo[8]. »

Adverte hic prop. 42. damnatam ab Innoc. XI. quae dicebat: *Usura non est dum aliquid ultra sortem exigitur ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex iustitia debitum.* Recte notat Viva[9] quod in illa verba *ex gratitudine debitum* cadit damnatio; nam mutuatarius non tenetur bonis suis satisfacere obligationi gratitudinis, cum possit satisfacere, mutuantem laudando, pro eo orando etc. An autem obligatio antidoralis, seu gratitudinis possit unquam in pactum deduci. Omnino negandum, ut clare infertur ex praefata propositione; nam id quod in pactum deducitur iam dicitur debitum. *Vide dicta de simonia num.* 53.

« 4. Nec est usura dare mutuum alterius amicitiae captandae causa, atque ulterius inde sperare officium; quia amicitia nnn aestimatur pretio, card. Lugo[10].

» 5. Pactum tamen de obtinendo a mutuatario (vel eius opera) officio aliquo, illicitum est et usurarium. Ita cum communi Mol.[11] Less. Sal. c. Lugo (Cum Viva[12] et Salm.[13] commun.) contra Navarr. Etsi Salas[14] eum excuset qui mutuat aliquid pacto, ut statim praestetur aliquod beneficium ex gratitudine. Vide Trull.[15] (Excusatur quidem qui mutuat cum pacto ut alter

(1) 2. 2. q. 78. a. 2. (2) Disp. de malo, q. 13. a. 4.
(3) In prop. 41. n. 10. (4) Tr. 4. c. 16. n. 1.
(5) De contr. c. 3. punct. 4. n. 55. (6) Ib. n. 56.
(7) V. Usura. (8) D. 25. sect. 5.
(9) In d. prop. n. 6. (10) L. c. (11) P. 310.
(12) In propos. 42. Innocent. XI. n. 15.
(13) Eod. tr. et c. p. 8. §. 1. n. 58.
(14) De usura d. 9. n. 4. (15) L. 7. c. 19. dub. 7.

remutuet in praesenti: secus in futurum. *Vide dicta de simon. n.* 57. *et dicenda n.* 781. *ex* d. Thoma).

» 6. Pactum ut a mutuatario conferatur beneficium ecclesiasticum, est usura (et simonia), quia cogitur is subire novum onus.

» 7. Non est usura cum quis, non potens sua recuperare, mutuat ut sibi reddantur sua, vel ne sibi inique noceatur: quia haec iure iam ante debentur, et sic non facit lucrum nec imponit novam obligationem. Bon. [1] ex Az. Reg. etc. (*Vide dicta de simon. ex num.* 98. *quae dicuntur etiam de mutuo).*

765. » 8. Nec est usura exigere aliquid ratione periculi recuperationis, difficultatum, vel expensarum quae erunt vel metuuntur in recuperanda sorte, quia pretio aestimari potest quod quis se in tale periculum et difficultatem coniiciat. Con. [2]. Necesse tamen esse ut periculum istud etc. deducatur in pactum expresse vel tacite, docet Laym. [3] ex Medin. Val. Mol. Less. etc. Idem dicit c. Lugo [4]. Et sic liciti sunt *Montes Pietatis*, ut vocant, hoc est thesauri quidam qui in refugium pauperum a republ. vel principe reponuntur, ut inde pauperibus gratis mutuetur, ita tamen, ut parum retribuant pro expensis quae fiunt in ministros et conservationem talium montium. Vide Tol. [5] Less. [6] Bon. [7]. »

Magna agitur quaestio, an ratione periculi amittendae sortis liceat aliquid supra sortem exigere.

Prima sententia negat, eamque tenent Nav. [8] Sot. [9] Tol. [10] Nat. Alex. [11] Genett. [12]. Rationes huius sententiae infra exponemus in obiectionibus ad secundam sententiam quam sequimur.

Secunda sententia igitur probabilior et satis communis, quam tenent cum Bus. ut supra, Less. [13] Sylvius [14] Sylvester [15] Cont. Tourn. [16] Wigandt [17] Fagnan. [18] Petrocorens. [19] Cabass. [20] Lugo [21] Salm. [22] cum Mol. Val. Sal. Trull. et aliis innumeris, affirmat licite posse aliquid moderatum accipi propter periculum sortis: dummodo 1. periculum sit verum et extraordinarium, non autem commune, amittendi sortem, vel eam non recuperandi sine magnis expensis et laboribus, nempe si detur mutuum homini dubiae fidei, vel pauperi (intellige si ipsi des mutuum praeter id quod tu praecise teneris ex praecepto illi mutuare ad eius praesentem inopiam sublevandam). Dummodo 2. non recuses assecurationem sortis, si tibi offeratur per pignus aut fideiussionem, et non cogas mutuatarium ad tale periculum transigendum, ut recte notant Less. [23] et Salm. [24]. Caeterum bene exigere potes a mutuatario id quod alter tibi daret pro assecuratione sortis, licet mutuum postmodum integre tibi reddatur. Ratio quia te exponere tali periculo vere est pretio aestimabile. Id confirmatur 1. ex concilio Lateranensi v. [25] sub Leone x. ubi pro usura damnatur quodlibet lucrum ex re infrugifera perceptum, secluso tamen titulo laboris aut sumptus aut periculi; *Quando videlicet* (verba concilii) *ex usura rei quae non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullove periculo, lucrum foetusque conquiri studetur*. Confirmatur 2. ex doctrina d. Th. [26] (apud Petroc. [27]) qui sic ait: *Res quae extra periculum possidentur eiusdem speciei, plus aestimantur quam eaedem existentes in periculo; et ideo ad naturam rei convertitur recompensatio, quae propter periculum aestimatur plus vel minus valere.* Confirmatur 3. Ex declaratione S. C. de Propag. fide, quam referunt Cabass. et Cont. Tourn. [28] ad Bancel [29]. Casus fuit hic: Apud sinenses lege statutum erat, ut in mutuo acciperentur 30. pro centum,

(1) Q. 3. t. 3. n. 15. (2) D. 3. q. 3. p. 3. (3) L. 3. t. 4. c. 16. n. 9. (4) N. 80. (5) L. 5. c. 18. (6) L. 2. c. 20. (7) L. c. p. 13. (8) C. 23. n. 81. (9) L. 6. q. 4. a. 1. (10) De 7. praec. c. 11. (11) L. 3. a 5. reg. 3. (12) Tr. 4. c. 7. q. 3. (13) L. 2. c. 20. dub. 13 n. 111. (14) In 2. 2. q. 77. a. 1. q. 4. (15) V. Usura. (16) De contr. p. 2. c. 3. a. 3. sect. 1. concl. 4. (17) Tr. 9. ex 8. r. 9. (18) In c. Naviganti, l. 5. tit. de usur. (19) T. 2. p. 387. (20) Th. iur. l. 6. c. 8. n. 2. (21) D. 25. n. 77. et 79. (22) De contr. c. 3. punct. 10. n. 88. (23) N. 112. (24) Ibid. punct. 9. n. 85. in fine. (25) Sess. 10. (26) Opusc. 75. c. 6. (27) Loc. c. (28) Loc. c. (29) Sum. mor. v. Usura.

sine respectu ad damnum emergens vel lucrum cessans: et quia in recuperanda sorte erat periculum fugae debitorum, aut tardae solutionis, vel repetendi pecuniam cum onere recurrendi ad iudices, quaesitum fuit an hoc liceret. Respondit S. C. approbante Innocentio x. (et haec declaratio an. 1645. Romae typis demandata): *Censuit S. C. cardinalium s. rom. ecclesiae, ratione mutui immediate et praecise nihil esse exigendum ultra sortem principalem; si vero aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi et probabilitatis eiusdem ac servata proportione inter periculum et id quod accipitur.* Deinde pontifex praecepit omnibus missionariis sub excommunicatione latae sententiae, ut omnia huius decreti observarent et illis uterentur. Nec obstat dicere quod non constet de hac declaratione, ut ait Henricus a s. Ignatio apud Cont. Tourn. [1]. Nam Thomas Hurtadus [2] affert exemplar huius declarationis authenticatum per notarium apostolicum. Opponit deinde idem Henricus praefatam declarationem non esse approbativam, sed tantum tolerativam; sed respondetur quod S. C. dicit ibidem mutuantes *non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio probabilitatis periculi*, quae utique verba non meram tolerantiam, sed positivam permissionem significant. Praeterea quod pontifex, ut diximus, positive praecepit observantiam huius decreti: unde (bene ait Cont. Tourn.) inaudita fuisset haec agendi ratio, si pontifex praecepisset decreti observantiam, cum haberet sibi persuasum, aut dubitaret hanc esse usuram. Demum opponit praedictus Henr. id procedere in casu extraordinario periculi longe maioris quam periculi communis. Respondetur quod S. C. respondit de periculis de quibus fuit quaesitum, nempe fugae, tardae solutionis et difficultatis exigendi, quae pericula inter extrinseca non sunt extraordinaria.

(1) Loc. c. (2) Ethica p. 402.

Obiicitur 1. Fur, cum restituit ablatum non tenetur restituere pretium periculi; ergo tanto minus tenetur illud restituere mutuatarius: si enim periculum amittendae sortis non est titulus qui furem obstringat ad aliquid ultra sortem domino solvendum, nec etiam mutuanti erit iustus titulus exigendi; nudum enim pactum titulum non praestat. Sed respondetur: Nemo dubitat quin ob damnum emergens possit mutuans aliquid ultra sortem exigere, et tamen si damnum non est deductum in pactum nihil potest exigere, quia deest pactum ut dicemus, *n.* 769. *v. Sed dubitatur.* Ergo damnum emergens nec etiam est titulus accipiendi ultra sortem, sed bene est titulus iuste deducendi in pactum exactionem. Ita a pari, periculum sine pacto non est titulus percipiendi aliquid ultra sortem, sed bene est titulus iuste paciscendi, cum mutuans in gratiam alterius in se suscipiat periculi onus quod per se est pretio aestimabile. Fur autem, quia inter ipsum et dominum nullum pactum intercessit, ideo nihil ratione periculi ultra sortem tenetur restituere. Unde pro conclusione regula certa sit quod ut mutuans licite possit aliquid ultra sortem exigere requiritur ut pactum iustum intercedat; ut autem pactum sit iustum requiritur ut mutuans aliquod onus extraordinarium in se suscipiat. Sicut ergo ipse potest iuste pacisci aliquid exacturum ob damnum emergens certum, sic etiam ut exigat aliquid (etsi minus) ob damnum probabile, quemadmodum est damni periculum. Ideo bene ait Cont. Tourn. [3] quod creditum periculosum non potest tanti vendi quanti creditum securum.

Obiiciunt 2. textum in c. *Naviganti* 19. *de usuris*, ubi sic dicitur: *Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniae quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum; recepturus aliquid ultra sortem usurarius est censendus.* Huic textui multipliciter respondetur. Respondent 1. Laym. Barbos. Palaus et Cab. [4] ibi mendum irrepsisse et o-

(3) Ibid. (4) Loc. cit. n. 3.

missam esse particulam *non*. Hancque interpretationem bene fieri posse dicit Tourn. ex contextu canonis praefati, ubi cum sermo deinde immediate fiat de mutuante granum aut vinum, qui aliquid exigit ob dubium decrementi pro tempore restitutionis, subditur: *Ille quoque qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei etc. mensurae reddantur, non debet ex hoc usurarius reputari*. Idem igitur dictum censetur pro primo casu, particula enim *quoque* id satis ostendit; alias (ait Cont. Tourn.[1]) potius debuisset pontifex apponere particulam *sed*, si contractum illum usurarium declarare intendisset. Respondetur 2. cum Fagnano[2] et Salm.[3] quod praefatus textus intelligitur tantum pro foro externo, ubi talis contractus pro usurario habendus esse decernitur; et ideo non dicitur ibi illum esse usurarium, sed quod *usurarius est censendus*. Prout pariter ait Fagnanus, si episcopus accipit gratuitum munus ab aliquo, cui postea gratis confert beneficium, in foro externo censebitur simoniacus, sed talis utique non erit in conscientia. Respondetur 3. cum eodem Cab. item Lugo[4] Less.[5] Salm.[6] cum Laym. Pal. Cov. Tap. Villal. et aliis communiter, textum intelligi pro casu quo mutuans ex vi ipsius mutui obligaret mutuatarium ad talem contractum assecurationis ineundum; vel casu quo (ut sentit Petrocor.[7]) mutuans intendat omnino ex mutuo lucrari, ita ut aliter non mutuaret. Idque expresse sentit etiam d. Th.[8] (apud eumdem Petr.) qui dicit: *Quod si mutuans non sperat lucrum pro mutuo, sed onus periculi quod suscipit, petit sibi compensari, ita ut esset dispositus ad mutuandam gratis pecuniam, si tale periculum in se non sumeret, certe tunc non peccat*.

Circa autem *montes pietatis* quos meminit Bus. mox supra, advertendum hos approbatos fuisse a concilio lateranensi sub Leone x. sub hac limitatione: *Concedit tantum accessionem, ad solas ministrorum expensas, et aliarum rerum ad illorum conservationem, ut praefertur, pertinentium pro eorum indemnitate duntaxat ultra sortem, absque lucro eorumdem montium*. Hinc advertunt p. Concina[9] et Cont. Tourn.[10] quod, ut licite tales montes erigantur, tres conditiones requiruntur: 1. Ut pecunia tradatur pauperibus intra limitem certae summae, pro tempore determinato restituendae. 2. Ut pignus a debitoribus exhibeatur, illudque custodiatur a ministris, et tempore praefinito vendatur sub hasta, ac retento pretio quod monti debetur, reliquum restituatur domino pignoris, vel pauperibus, si hic inveniri nequit; vel etiam eidem monti ut ait Roncaglia[11] quod etiam admittit Conc.[12] si mons sit pauper, et prematur necessitate succurrendi pauperibus, ut concesserunt aliquibus montibus Sixtus v. et Clemens x. Hic autem notandum cum Concina[13] peccare divites qui sine necessitate accipiunt mutuum a monte, ut alias lucrentur, et ideo tenentur illico pecuniam restituere. Hoc autem intelligendum dicerem, si mons esset pauper, quia tunc deficeret subventio pauperum, pro quibus isti montes sunt instituti. Pasqualigus autem apud Concina[14] affert quasdam litteras Pauli III., quibus asseritur licite concedi posse aliquam annuam accessionem iis qui pecuniam otiosam in praefatis montibus collocant. Sed p. Ballerinus[15] clare et merito evincit has litteras apocryphas. Adducit tamen p. Concina[16] alias litteras eiusdem Pauli III., Iulii III. et Pii IV., in quibus id conceditur, sed cum hisce limitationibus, ut deponentes pecuniam id faciant zelo caritatis erga pauperes, et alias paratas habeant emptiones, ex quibus licite lucrari possent. An vero sit licitum etiam privatis huiusmodi montes instituere. Affirmat Less.[17].

766. « 9. Nec est usura, si timens

(1) Loc. c. (2) In dicto c. Navigantí. (3) De contr. c. 2. punct. 11. §. 1. n. 145. (4) D. 25. n. 78. (5) C. 20. n. 116. (6) Eod. tr. c. 3. punct. 10. n. 92. (7) T. 2. p. 338. (8) Op. 73. c. 6.

(9) T. 7. p. 481. n. 4. (10) Hic p. 2. c. 3. (11) De usur. q. 3. (12) P. 482. n. 5. (13) L. c. n. 6. (14) L. c. n. 7. (15) Ibid. (16) T. 7. p. 483. n. 9. (17) L. 2. c. 20. n. 194

difficultatem aut fraudem mutuatarii in reddendo tempore constituto, paciscaris ut, si tunc non solvat, aliquid det praeter capitale loco poenae quae poena licite exigetur, dummodo non fiat alia intentione quam ut mutuatarius sic quasi costringatur, ne sua culpa fallat. Unde si mutuatarius absque sua culpa non possit solvere, non licebit poenam exigere, ut habet Tol.[1] qui ait manifestum esse argumentum pravae intentionis, si optes non solvi tibi praefixo tempore, ut poenam recipias: ac simpliciter usuram fore, si certo sciens alterum non valiturum solvere, adhuc tali poena oneres. Vide Bonac.[2] Mol.[3] Less.[4].

Licitum est igitur in mutuo pactum *poenae conventionalis*, ut tenent communiter Lugo[5] Sot.[6] Cont. Tourn.[7] cum Henr. a s. Ign. Holz.[8] Wigandt[9] Cab.[10] Less.[11] Anacl.[12] et Salm.[13] cum Scot. Trull. Vill. etc. Ratio autem cur hoc pactum sit licitum, est quia talis poena apponitur, ut contractus firmitati consulatur, et avertatur negligentia mutuatarii. Ad licite vero hoc pactum apponendum requiritur 1. ut mora debitoris sit notabilis et culpabilis. 2. Ut absit animus lucrandi per poenam appositam, qui animus praesumitur, si oneretur debitor ad restituendum pro tempore quo scitur eum solvere non posse. Ita cum Bus. Salm.[14]. Adde 3. ut poena sit moderata et culpae proportionata. Vide Salmant.[15].

767. An autem dicta poena debeatur ante iudicis sententiam. Negant Sanchez[16] et Pal. Dian. etc. apud Salm.[17] quia ratio generalis de poenis est ut non debeantur ante sententiam. Oppositum tamen tenent probabilius Cont. Tourn.[18] Holz. Less.[19] et Sylv. Vill. et alii cum Salm.[20] quia haec poena magis habet rationem pacti quam poenae.

768. « 10. Nec est usura pacisci et accipere aliquid ratione damni emergentis (siquidem mutuum vere illius causa sit) aut lucri cessantis vel cessaturi, dummodo de hoc praemoneatur mutuatarius: ut si volebas domum reficere, aut poteras nunc commodo tempore emere triticum, privando autem te tua pecunia in dando mutuo, corruit domus, et postea carius emes triticum. Item non poteris lucrari cum tua pecunia, quod poteras et volebas negotiando, ita ut mutuatio sit vere causa lucri cessantis. Ubi notat Tol. supponendum in hoc titulo lucri cessantis: 1. Quod vere volueris cum ea pecunia negotiari, et non habeas aliam. 2. Quod malis negotiando, aliterve lucrari, quam sic mutuando, ita ut mutues tantum in gratiam mutuatarii. 4. Ut minus exigas quam lucrari poteras et deductis expensis, quia lucrum cessans non est in actu, sed in potentia, et variis adhuc eventibus obnoxium. Unde ad arbitrium viri prudentis pro maiore, vel minore eius certitudine, aestimare id poteris, et sic cum mutuatario de eo pacisci. S. Thom. Mol.[21] Salm.[22] card. Lugo[23] Bon.[24]. Hinc qui non habuit animum negotiandi, vel si non erant, nec brevi sperabantur merces, vel non erat moraliter certus de lucro, nihil potest accipere ultra sortem: quia mutuatio ista vere non fuit causa lucri cessantis. Eadem ex causa usura est, si mercatores credito vendentes aliquid ultra pretium rigorosum accipiant titulo lucri cessantis, v. gr., rem tantum valentem 100. vendant pro 105. numerandis post annum; quia vendendo ad creditum (quod est virtualis mutuatio) plures habent emptores, pluresque res vendunt, et sic compensatur lucrum cessans, atque adeo illud non cessat ratione huius venditionis. Diana[25] Trull.[26] *vid. dub. seq.* Hac in re perlege prop. 41. inter proscriptas ab Innoc. XI.

Certum est ob titulum *damni emer-*

(1) Sup. c. 32. (2) D. 3. q. 3. p. 7. (3) T. 2. d. 317. (4) L. 2. c. 20. d. 15. (5) D. 26. sect. 6. (6) L. 6. q. 1. a. 3. (7) Loc. c. a. 4. sect 5. (8) De contr. c. 3. n. 759. (9) Tr. 9. ex. 8. q. 5. (10) Th. iur. l. 6. c. 7. n. 1. (11) L. 2. c. 20. n. 128. (12) Q. 4. n. 38. (13) De contr. c. 3. punct. 8. §. 4. n. 75. (14) Ib. n. 75. et 76. (15) Cit. n. 76. (16) De matr. d. 37. n. 4. (17) Ibid. n. 77. (18) Loc. c. in fin. (19) L. 2. c. 10. d. 14. in fin. (20) Cit. n. 77. (21) D. 324. (22) Dub. 26. (25) D. 25. sect. 6. (24) Q. 3. p. 4. (25) P. 2. tr. 34. (26) C. 19. d. 9.

gentis licitum esse mutuanti exigere id quod sua interest causa mutui. Ita omnes cum d. Thom.[1] qui rationem dat, inquiens: *Hoc enim non est vendere usum pecuniae, sed damnum vitare.* An autem id liceat ob titulum *lucri cessantis.* Dubitat Sotus [2], et absolute negant Scotus Durandus et alii apud Azorium; hisque videtur adhaesisse idem s. Thom. [3] subdens: *Recompensationem vero damni, quod consideratur in hoc, quod de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere, quia non debet vendere id quod nondum habet et potest impediri multipliciter ab habendo.* Sed communiter alii dd. affirmant. ut Cai. [4] Sylv. [5] Less. [6] Gennetus [7] Petr. [8] Wigandt.[9] Cont. Tourn.[10] Anacl.[11] Salm.[12] cum P. Nav. Laym. Val. Bon. Reb. etc. Hunc titulum approbat *l.* 13. *ff. Rem. rat. hab.*, et expresse videtur approbasse ss. noster pontifex Bened. XIV. [13] dicens: *Neque item negatur posse multoties pecuniam ab unoquoque suam per alios diversae prorsus naturae a mutui natura contractus recte collocari et impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam* (nota) *ad licitam mercaturam et negotiationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda.* Ratio nostrae sententiae est quia, ut docet idem s. Th.[14] dupliciter potest aliquis damnificari: *Uno modo auferendo ei quod actu habeat: alio modo impediendo ne adipiscatur quod erat in via habendi; et tale damnum non oportet recompensare ex aequo, quia minus est habere aliquid in virtute quam habere in actu.* Idque [15] dicit s. doctor valere etiam pro lucro quod aliquis sperat ex sua pecunia, en eius verba: *Nam ille qui semen sparsit in agro nondum habet messem in actu, sed solum in virtute, et similiter ille qui habet pecuniam nondum habet lucrum in actu, sed solum in virtute, et utrumque potest multipliciter impediri.* Nec officit, quod s. doctor id intelligat [16] de lucro cessante ob moram mutuatarii non solventis tempore praefinito; nam sive lucrum cesset ob moram mutuatarii, sive ob causam mutui, eadem ratio currit exigendi lucrum cessans, cum tale interesse non debeatur mutuanti, nisi ob compensationem damni quod in utroque casu aeque illi obvenit. Ad textum autem d. Thomae primo loco relatum, respondet Sylvius [17] s. doctorem negare ibi quod mutuator possit exigere integrum lucrum assequendum, non vero partem eiusdem; et merito sic respondet, cum ipsemet s. doctor in secundo loco supra allato doceat furem teneri compensare damnum, *non autem ex aequo;* rationem adducens, *quia minus est habere aliquid in virtute, quam habere in actu.* Si ergo fur tenetur recompensare domino lucrum cessans ex furto, iuxta tantum aestimationem spei; cur iuxta eamdem aestimationem mutuator non poterit exigere lucrum cessans ex mutuo? Id maxime confirmatur ex bulla Bened. XIV. [18], ubi dicitur iuste posse aliquid exigi ex mutuo, si concurrant iusti tituli, nempe si pecunia alias collocanda fuisset ad licitam negotiationem.

769. Ad huiusmodi tamen interesse exigendum tres conditiones requiruntur: 1. Conditio, ut interesse ab initio in pactum deducatur; nam post contractum mutuans nihil petere potest, etsi immemor fuerit de suo damno: nisi vi, metu, vel fraude coactus sit a mutuatario, ut s. Thomas [19] Less. [20] et alii; vel nisi involuntarie coactus sit ad mutuandum, quamvis licite, v. gr. a rege ad bonum publicum. Pariter tenetur mutuatarius ad damnum et lucrum cessans, si iuste interpellatur ad solutionem; vel terminus praefixus elabitur, et ipse culpabiliter non solvat, s. Thom. [21] et Salm. [22].

Sed dubitatur hic an in contractu sit necesse praemonere mutuatarium de

(1) 2. 2. q. 78. a. 2. ad 1. (2) L. 6. q. 1. a. 3. (3) Loc. c. (4) 2. 2. q. 62. a. 4. (5) 2. 2. q. 77. a. 1. q. 5. (6) L. 2. c. 20. d. 10. (7) T. 1. p. 233. q. 1. (8) T. 2. p. 399. q. 12. (9) Tr. 9. ex. 8. q. 2. r. 8. (10) Hic de usur. a. 3. sect. 2. (11) Q. 4. n. 36. (12) Tr. 14. c. 3. n. 79. (13) In epist. enc. de usur. (vid. epist. 6. in fin. op.) (14) 2. 2. q. 62. a. 4. (15) In r. ad 2. (16) Obiect. 2 (17) Loc. c. (18) Vix pervenit ad aures, n. 3. (19) D. q. 78. a. 4. (20) N. 79. (21) Loc. c. (22) De contr. c. 3. punct. 9. n. 82.

vero damno, vel alio titulo iusto, pro quo possit exigi aliquid ultra sortem.

Prima sententia negat, quam tenent Lugo[1] cum Sot. Salas Arag. Salon. etc., item Caiet. Tap. Vill. apud Salm.[2]. Ratio quia mutuatarius nequit rationabiliter allegare suam intentionem ad titulum iniustum, sed debet contrahere iuxta capacitatem materiae, et in titulum iustum consentire. Maxime quia regulariter mutuatarius non retardaretur a contractu, ex eo quod nosset iusto titulo lucrum exigi.

Secunda sententia tamen verior (licet olim contrariae adhaesi) docet monitionem esse necessariam; ita cum Bus. ut supra, Less. [3] p. Conc. [4] Continuat. Tourn. [5] Salm. [6] cum Laym. Pal. Dic. etc. Ratio quia mutuatarius putans contractum usurarium, non consentit in contractum iustum, in quem forte non consentiret si novisset iustum titulum; putans enim titulum esse iniustum, forte contrahit sperando non solvere usuras vel solutas eas sibi compensare vel saltem quod alter tempore mortis restituat; alioquin, bene ait Conc., posset forte evenire quod ille maius detrimentum ex mutuo, quam commodum, retraheret. Sed ratio magis universalis est, quia ad contrahendum non sufficit voluntas interpretativa seu conditionalis, ut dicemus *n.* 773., sed requiritur voluntas actualis, aut virtualis, aut saltem aliquando habita et non retractata, iuxta dicenda *lib.* 6. *de Sacramen. miss. n.* 324. Ergo mutuans, si lucrum sibi cessat, imputet suae negligentiae; ait enim s. Thom. [7]: *Debebat sibi cavisse ne detrimentum incurreret; nec ille qui mutuum accipit debet damnum incurrere de stultitia mutuantis.* Secus vero dicendum si revera existeret titulus iustus et tam mutuans quam mutuatarius in contractum consentirent, omni meliori modo quo possent, ut mox dicemus in *q.* 4. *n.* 773.

2. Conditio est, ut non plus exigatur quam sit lucrum quod speratur ex alio contractu licito, iuxta aestimationem spei et periculi, et deductis expensis. Vid. Salm. [8]. An autem deducenda sit aestimatio laboris in tali lucro impendendi. Affirmant probabiliter Cai. Tap. Vill. Sed probabilius negandum censent Less.[9] et Salm.[10] cum Bon. Trull. Pal. Dic. Sal. quia non tenetur mutuans detrahere aestimationem cessationis laboris quem ipse libenter subiturus esset. Alias, si labor compensandus esset, raro a mercatoribus aliquid exigi posset pro lucro cessante. Verumtamen ex aequitate censeo aliquam detractionem faciendam esse casu quo esset cessatio a magno labore, a quo mutuans, ut se liberaret, probabiliter aliquid impenderet.

3. Conditio est, ut mutuum vere sit causa damni vel lucri cessantis: nam si mutuans aliam habet pecuniam, quam ad negotiandum substituit; vel si lucrum quod amittit ob mutuum ex mercatura facienda, potest et vult sibi comparare ex alia via aut arte, cui mercando non potuisset vacare; tunc nequit exigere aliquid, nisi esset pro maiori molestia subeunda in illo alio lucrando. V. Less. [11] Salm. [12] cum Pal. Trull. etc.

An autem mutuans licite exigat interesse damni emergentis vel lucri cessantis, si mutuet non compulsus alterius precibus, sed ipse se offerat ad mutuandum. Negant Corradus et alii quidam apud Less.[13]. Quia cum mutuator non rogatus sed sponte mutuum offert, lucrum non cessat causa mutui vel mutuatarii, sed ipse mutuans lucrum sibi impedit. Sed probabilius affirmant idem Less. Lugo [14] cum Mol. Nav. Toled. Val. Bann. etc. Ratio quia mutuator tunc non offert mutuum absolute, sed sub conditione ut ei compensetur lucrum cessans; et sic mutuatarius acceptando mutuum est vera causa cessationis lucri, vereque impedit quin mutuator ex sua pecunia iuste lucretur: prout si quis in gratiam alterius of-

(1) D. 25. sect. 6. n. 74. et 182.
(2) Ibid. c. 3. n. 83. (3) C. 20. n. 110.
(4) T. 7. p. 406. n. 4.
(5) De usura, a. 3. sect. 2. (6) Loc. cit.

(7) Q. 5. de malo, a. 4. (8) Ibid. n. 84.
(9) N. 89. (10) Cit. n. 84. (11) C. 20. n. 89.
(12) De contr. c. 3. punct. 9. n. 85.
(13) L. 2. c. 2. n. 101. (14) D. 25. n. 107.

ferat omittere iactum retis, licite exigit pretium spei iactus illius, quia alter est vera causa ut captio piscium sperata illi impediatur.

Sed hic plures quaestiones sunt enucleandae.

770. Quaestio 1. An liceat mutuanti pacisci ab initio de certa pecunia solvenda, quando damnum emergens vel lucrum cessans est incertum, seu tantum probabiliter futurum. Distinguit p. Conc. [1] et dicit quod si est certum damnum eventurum vel lucrum cessandum, nempe quia occasiones lucrandi sunt actu vel proxime praesentes, et dubitatur solum de eius maiori vel minori quantitate, tunc bene potest taxari arbitrio prudentum, et in pactum deduci quantitas solvenda. Secus vero si damnum non est certe eventurum, vel si occasiones lucrandi tantum probabiliter occurrere possent. Ratio quia his casibus posset accidere quod damnum non eveniat, vel occasiones non occurrant, et tunc mutuator ex solo mutuo lucretur. Sed verius censent Salmant. [2] cum Malder. Villal. Gutt. Tap. Tamb. [3] cum Nav. et Salas, item Sylv. et Decoq. ap. Cont. Tourn. [4] licite posse mutuantem pacisci de aliqua certa quantitate solvenda, debita servata proportione iuxta timorem damni vel spem lucri futuri. Ratio quia sic debita aequalitas iam bene servatur; nam sicut damno non eveniente, lucraretur mutuans, ita contra, eveniente damno, lucrabitur mutuatarius. Nec refert quod damnum eventurum postmodum non accidat: quia pactum de auctario non fit pro damno futuro quod forte eveniet, sed pro periculo eius probabili quod actu supponitur, et actu est pretio aestimabile: prout si quis vendit iactum retis, non vendit quidem pisces qui forte non capientur, sed vendit spem eorum probabilem quae iam de facto existit. Obiicitur *l. Quemadmodum*, §. *Item Labeo*, *ff. Ad l. Aquil.*, ubi statuitur, quod si quis frangit retia, nihil tenetur solvere domino pro spe piscium capiendorum, sed solum damnum retium. Sed respondetur cum Glossa (ibi verbo *fieri*) quod tunc dominus praecise ex lege Aquilia nullam habet actionem pro impedita spe captus piscium: sed bene habet aliunde actionem ex *l. Si iactum* 12., *ff. de Act. empt. et vend.*, ubi sic dicitur: *Si iactum retis emero, et retem iactare piscator noluit, incertum huius rei aestimandum est.* Subdit Glossa: *Aestimatur quantum est verisimile quod esset captum.* Unde apparet licite posse compensari damnum probabiliter ex mutuo eventurum quamvis incertum.

Ob eamdem rationem probabiliter ait Bon. [5] mutuatorem qui non certo sed tantum probabiliter erat destinaturus pecuniam ad negotiationem, posse aliquid exigere pro rata probabilitatis. Sed dices: si potest aliquid exigi pro probabilitate applicationis pecuniae, ergo posset etiam aliquid exigi pro possibilitate applicandi. At respondeo negando paritatem; possibilitas est mera potentia seu non repugnantia applicationis: unde mutuator ex ea nullum habet actuale et positivum fundamentum lucri futuri, sed tantum negativum. E converso probabilitas futuri lucri habet quidem positivum fundamentum talis lucri sive spei istius, et ideo est pretio aestimabilis. Quid si mutuator solum animi pendeat, velit an non negotiari? Adhuc affirmant Tambur. [6] et Lugo [7] cum Sal., posse aliquid exigere, quia pariter est pretio aestimabile, privare se in gratiam mutuatarii hac potestate deliberandi, destinandique pecuniam ad negotium, cum non teneatur gratis ea spe et potestate privari: prout si quis haereat utrum cras velit vel ne piscari, bene potest aliquid exigere, si in gratiam tui se obligat ad non piscandum. Et hoc neque improbabile videtur, cum haec privatio obligatoria, cum teneatur mutuator non repetere mutuum per aliquod tempus, est aliquo pretio aestimabilis.

(1) T. 7. p. 408. n. 5. et p. 438. q. 4.
(2) Loc. c. n. 84.
(3) Dec. l. 8. tr. 3. c. 8. §. 3. n. 4. et 14.
(4) De usura, a. 3. sect. 2. (5) D. 3. p. 4. n. 13.
(6) L. 9 tr. 1. c. 3. §. 4. n. 3. (7) D. 20. n. 2.

Quamvis autem sub initio liceret in pactum deducere, ut diximus, damnum eventurum, vel lucrum cessandum incertum, nunquam tamen licebit ab initio per pactum exigere huiusmodi interesse, ut communiter docent Lugo [1] Azor.[2] Concina [3]. Ratio quia si mutues centum, et pro lucro cessante accipias decem, non iam mutuas centum, sed nonaginta: privare autem mutuatarium ex pacto ante tempus commoditate pecuniae mutuatae onus est, et illud imponere est usura. Concedit tamen Az.[4] posse exigi sub initio lucrum conventum in alia specie: sed recte hoc etiam reprobat Concin.[5] quia privare mutuatarium illa re ante tempus etiam onus est.

771. Quaestio 2. An possis exigere lucrum cessans ob mutuum pecuniae destinatae ad negotiandum, si aliam pecuniam habeas non destinatam quam tamen negotiationi substituere posses. Et quidem, si illam aliam pecuniam reservasses ad usum familiae, nimirum ad domum alendam, filias dotandas, senectutem solandam, vel ne tuum statum periculo exponas, tunc licite exiges lucrum cessans, quia non teneris ratione mutui tuam providentiam negligere. Ita Lessius [6] cum Navarr. et Salmantic. [7] ut certum supponunt. Sed dubium est quid si sine tali incommodo posses aliam pecuniam supponere. Negant probabiliter alii tunc posse aliquid exigere, quia tunc tibi non cessat lucrum ex causa mutui. Sed Lessius Palaus [8] Tamburin. [9] Sporer [10] cum Molina Layman. et Lugo, Croix [11], item Val. Trullench. Villal. (et merito probabile putant Salmantic. [12]) affirmant, posito quod statueris illam solam pecuniam negotiationi et periculo exponere, licite posse petere lucrum cessans, quia vere mutuatio est causa ut tibi cesset lucrum speratum ex illa pecunia; nec teneris in gratiam mutuatarii pecuniam non destinatam negotiationi exponere. Hoc tamen non admitterem, nisi, cum mutuum das, vere habeas animum pecuniam illam reservatam negotiationi non substituere.

772. Quaestio 3. Utrum, si pecuniam non destinaveris absolute sed conditionate ad negotium, uti si dicas: *vellem negotiari, nisi multi peterent mutuum*, tunc possis exigere interesse. Less.[13] dicit probabile esse quod possis, nam etsi ob multitudinem mutuum accipientium nulla mutuatio sit causa de se, sed omnes simul sint causa lucri cessantis, attamen verum est quod tu, ut isti mutues, iam de facto lucro privaris, et ex alia parte mutuatarii in hoc non putant iniuriam sibi fieri. Et idem sentiunt Lay.[14] Tamb.[15] Spor.[16]. Sed dices: iste usuram committit, quia efficaciter vult lucrari ex mutuo, et inefficaciter ex negotiatione. At responderi potest: iste quamvis habeat voluntatem inefficacem negotiandi, vult tamen efficaciter iuste lucrari, et quia iam potest iuste lucrari ex negotiatione, ideo iuste lucratur ex mutuo, cum mutuum sit huic vera et efficax causa, ut lucrum ex negotiatione ipsi cesset. Recte vero advertit Less. [17] non facile hoc admittendum ob periculum palliandi usuras; nam (ut notat Bus. hic cum Toled.), ut quis ab usurae labe sit immunis, malle debet lucrari negotiando quam mutuando: et mutuare debet tantum in gratiam mutuatarii.

773. Quaestio 4. Utrum, si quis bona fide ineat contractum usurarium et lucrum exigat, re postea cognita, possit illud retinere, si vere poterat contrahere ex iusto aliquo titulo, nempe ratione periculi, lucri cessantis, etc.

Prima sententia affirmat, quia quisquis bona fide contrahit semper intendit contrahere modo licito, quo potest. Ideo enim hoc tali modo contraxit, quia licitum putavit, quare virtualiter intendit contrahere quocunque licito modo quo contractus cohonestari poterat. Ita Lugo[18] Sa Dian. Tan. ap. Salm.[19] et Tamb.[20].

(1) D. 25. n. 106. (2) 3. p. l. 5. c. 5. q. 3. (3) T. 7. p. 446. n. 8. (4) Loc. c. (5) Loc. c. (6) L. 2. c. 20. n. 87. (7) De contr. c. 3. punct. 9. n. 36. (8) D. 4. p. 15. n. 7. (9) L. 9. tr. 1. c. 3. §. 4. n. 2. (10) De 7. praec. c. 4. n. 44.

(11) L. 3. p. 2. n. 861. (12) Ibid. (13) L. 2. c. 20. n. 90. (14) L. 3. tr. 4. c. 16. n. 8. (15) L. 9. c. 3. §. 4. n. 4. (16) De 7. praec. c. 4. n. 44. (17) N. 95. (18) Disp. 25. sect. 9. (19) De contr. c. 3. punct. 5. n. 38. (20) L. 8. c. 8. §. 3. n. 21.

Secunda sententia tamen verior, quam tenent Salmant.[1] Less.[2] Conc.[3] Cont. Tourn.[4] negat posse in eo casu mutuatorem lucrum perceptum retinere. Ratio quia minime dici potest ipsum voluntatem virtualem sive implicitam habuisse, cum non de alio contractu quam de usurario cogitaverit. Eo casu tantum habuisse voluntatem interpretativam, quae non sufficit ad contrahendum, diximus supra *n.* 769. *v. Sed.* Nec obstat dicere quod mutuator iste potest retinere lucrum, tamquam possessor bonae fidei, qui tenetur tantum ad id in quo factus est ditior; nequit autem dici ditior, cui ratione mutui cessavit lucrum, quod iuste percipere poterat. Nam respondetur quod ad iuste exigendum in mutuo aliquid ultra sortem, omnino requiritur ut mutuatarius de iusto titulo moneatur, ut diximus supra *n.* 769. *v. Sed.* Aut saltem, ut tam mutuator quam mutuatarius expresse vel implicite consentiant in titulum iustum, saltem explicite intendentes contrahere omni meliori modo quo possunt: quod e converso sat probabiliter sufficit ad exigendum id quod licite exigi poterat ex illo iusto titulo, quamvis non expresso; ut dicunt Croix[5] et Salm. Cont. Tour.[6] ac probabile putat Les.[7]. Caeterum pontifex Bened. XIV. in sua bulla *de usuris, Vix pervenit*, ubi postquam dixit *n.* 3.: *Per haec autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios (ut aiunt) titulos, eosdemque ipsimet universim naturae mutui minime intrinsecos, forte concurrere, ex quibus iusta omnino legitimaque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitum rite exigendi:* deinde ad significandum quales sint tituli iusti aliquid exigendi ex mutuo, statim sic subdit: *Neque item negatur posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversae prorsus naturae a mutui natura contractus recte collocari et impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam exercendam, honestaque indidem lucra percipienda.* Tandem ait *n.* 5. falsum esse quod semper et ubique praesto sint iusti tituli vel contractus, unde sic monet: *Quisquis igitur suae conscientiae consultum velit, inquirat prius diligenter oportet, verene cum mutuo iustus alius titulus, verene iustus alter a mutuo contractus occurrat quorum beneficio, quod quaerit lucrum, omnis labis expers et immune reddatur.* Postea sapienter sic instruit: *Qui ab omni usurae labe se immunes et integros praestare volunt.... admonendi sunt, ut contractum instituendum antea declarent, et conditiones inserendas explicent, et quem fructum ex eadem pecunia postulent.* Et hic sedulo animadvertendum est id de quo in eadem bulla pontifex monet confessarios: *Ab extremis longe se abstineant; etenim aliqui tanta severitate de iis rebus iudicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam accusent tamquam illicitam et cum usura coniunctam. Contra vero nonnulli indulgentes adeo sunt, ut quodcunque emolumentum ab usurae turpitudine liberum existiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhaereant, sed priusquam responsum reddant, plures scriptores examinent, qui magis inter caeteros praedicantur. Deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quod si disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullae omnino contumeliae in eos infligantur qui contrariam sequuntur neque illam gravibus censuris notandam asserant, si praesertim ratione et praestantium virorum testimoniis minime careat.* Hoc ut adverterent cuperem, qui in scriptores non humilis notae non dubitant plurimis conviciis saepius insultare, eo quod eorum sententiis contradicunt.

774. Quaestio 5. Quaenam pacta licite apponi possint in mutuo. Prae omnibus in hoc attendenda est generalis illa regula tradita a s. Th.[8] quod omne onus pretio aestimabile imposi-

(1) Ibid. n. 39. (2) L. 2. c. 20. dub. 12. n. 104. (3) T. 7. p. 465. (4) Hic c. 3. de usur. a. 5. concl. 3. (5) L. 3. p. 2. n. 924. (6) Loc. c. (7) N. 105. (8) 2. 2. q. 78. a. 2.

tum in mutuo, tanquam debitum ex iustitia, vera sit usura. Secus, si exigatur res quae pecunia non mensuratur, ut benevolentia, amicitia et similia: ita s. doctor. Item certum est, nec etiam esse usuram exigere ex mutuo rem alias ex iustitia iam debitam; hinc licite in mutuo potest exigi ut alter cesset a vindicta privata, a vexatione iniusta etc., secundum dicta *de simon. ex n.* 98. Ita Less. [1] Salm. [2] cum Pal. Trull. Cai. etc.

775. Sed dubitatur 1. an in mutuo possit apponi pactum *legis commissoriae,* scilicet quod, non facta solutione pro certo tempore, pignus acquiratur a mutuante. Communiter negant dd. Pal. Nav. Bonac. etc. cum Salm. [3] nisi pignus non valeat pluris quam sors, vel nisi sit pactum (certe licitum) ut si tali tempore non fiat solutio, vendatur pignus, et de pretio mutuans retineat tantum suam sortem. Utrum autem valeat pactum, ut in poenam non impletae solutionis amittatur pignus, etsi pluris valeat. Negant Vasq. Pal. et Covarr. Sed probabiliter affirmatur cum Bon. Trull. Az. Reg. etc. apud Salm. [4] iuxta dicta *n.* 766., ubi poena conventionalis licita iam fuit probata.

776. Notandum est autem, quod si mutuator accipiat loco pignoris rem fructiferam, tenetur fructus eius in sortem commutare; et ideo pactum quo creditor uti possit pignore, eiusque fructibus frui, donec debitum solvatur, dictum *antichriseos* (vulgo *contratto a godere*), communiter reiicitur de se, praeciso alio titulo, tanquam usurarium: est certum cum s. Th. [5] et communi contra Dianam; quia cum res adhuc remaneat in dominio mutuantis, illi soli fructificat [6]. Imo tenetur mutuator reddere fructus illos, quos sua culpa negligit colligere. Vide Salm. [7].

Excipitur tamen pignus pro dote promissa datum, cuius fructus non computantur in dotem, ad onera matrimonii sustinenda, ut Conc. [8] et Petroc. [9] ex *c. Salubriter de usuris* ubi dicitur: *Generum ad fructus possessionum, quae sibi a socero sunt pro numerata dote pignori obligatae, in sortem computandos, non credimus compellendum.* Et hoc currit, esto fructus pignoris onera matrimonii excedant, quando pignus conceditur absolute, et tempore quo dos constituitur. Secus tamen si detur tantum in dotis securitatem aut dote iam constituta; secus item si gener onera matrimonii non sustineat. Vide Salm. [10].

777. Dubitatur 2. an possit in pactum deduci, ut reddantur a mutuatario quae ab eo sunt debita, non ex iustitia, sed ex caritate aut religione: nempe ut medicus medeatur, si alius non est: advocatus patrocinetur; dives succurrat in necessitate gravi; item, ut qui vovit eleemosynam, eam praestet; ut missam praeceptam audiat, etc. Azorius [11] Bonac. [12] item Covarr. Salas Trull. Reg. etc. apud Salm. [13] negant id posse fieri sine labe usurae, quia pactum addit onus iustitiae quod prius non aderat, et hanc tenet Viva [14] dicens omne pactum novum onus imponens mutuatario, usurarium esse. Contradicunt tamen Lugo [15] Less. [16] Con. [17] Cont. Tour. [18] Salm. [19] cum Valent. Pal. etc., quia, ut inquiunt, talis obligatio superaddita non meretur pretium, cum sit in utilitatem tam mutuantis quam mutuatarii, qui implendo exoneratur ab obligatione quam iam habebat. Addunt, si ex sententia omnium potest deduci in pactum mutui, ut alter desistat ab iniuria inferenda homini; tanto magis ab iniuria inferenda Deo. His non obstantibus, huic secundae sententiae, pace tantorum doctorum, nunquam valui acquiescere, quia omne onus quod imponitur mutuatario ex pacto, tenetur ipse praestare ex iustitia, et ideo evadit quidem pretio aestimabile; ita ut si post tale pactum

(1) L. 2. c. 20. dub. 7. n. 57. (2) De contr. c. 3. punct. 8. §. 1. n. 54. (3) Ib. punct. 7. n. 47. (4) Loc. c. n. 48. (5) 2. 2. q. 78. a. 2. (6) Ex c. 1. et 2. de usuris. (7) Ibid. n. 46. (8) P. 467. n. 6. (9) P. 389. q. 7. (10) Ib. ex n. 49.

(11) 3. p. l. 5. c. 7. q. 15. (12) D. 3. q. 3. n. 7. (13) L. c. punct. 8. n. 55. (14) Prop. 42. Inn. XI. n. 15. (15) D. 25. sect. 5. n. 49. (16) L. 2. c. 20. dub. 8. (17) T. 7. P. 468. n. 2. (18) De usura, art. 4. sect. 1. v. Dico 2. (19) Loc. c.

medicus ille non medeatur, advocatus non patrocinetur, tenebitur utique ex iustitia compensare damnum quod eveniet ex omissione medelae vel patrocinii praestandi, ad quod damnum resarciendum prius certe non erat obligatus. Quid ergo refert quod pactum impositum cedat vel non, in utilitatem mutuatarii, cum usura in hoc consistat, quod exigatur ex mutuo onus pretio aestimabile? Et miror cur Salmantic. qui loquentes de simonia [1] (et ut diximus *n.* 59.) tanquam certum asseruerunt ex d. Th. simoniam committere qui dat aliquid alicui cum obligatione praestandi aliquod opus spirituale, licet illud non sit in commodum dantis, eo quod esset contractus onerosus; hic vero teneant non esse usuram similem imponere obligationem; cum ex communi axiomate dicatur: *Quod in spiritualibus est simonia, in temporalibus est usura.* Caeterum omnes recte docent non inferre usuram pactum solvendi id quod iam prius erat debitum ex iustitia, vel tollendi iniustas vexationes; quia tunc nihil exigitur pretio aestimabile, vel de quo mutuatarius pretium petere potuisset; Ita Conc.[2] Cont. Tourn.[3] et alii.

778. Dubitatur 3. an possit deduci in pactum, ut mutuatarius faciat iniuriae condonationem, ad quam neque ex caritate tenebatur, sed poterat iuste satisfactionem petere. Affirmant Sotus Navar. et Sylv. apud Salm. [4], quia laesio tunc ratione amicitiae naturaliter condonari solet. Longe tamen probabilius et verius negant Lugo [5] Laym. Bon. Pal. apud Salm. [6], quia adderetur obligatio vere pretio aestimabilis. Lessius autem [7] et Salm. [8] cum Trull. Serra Prado etc. adhaerent secundae sententiae, quando esset pactum iustitiae; secus vero si esset foedus amicitiae, ut loquuntur, ex qua exigatur ut alter libenter iniuriam remittat; sed bene advertunt hoc palliatae usurae periculo non carere.

779. Dubitatur 4. an liceat pactum, ut mutuanti officium conferatur. Alii dicunt quod si hoc petatur ex iustitia, esset quidem usura, et est communis cum s. Th. [9] et aliis contra paucos apud Salm.[10]. Secus vero si petatur ex amicitia aut gratitudine; Salm. autem[11] dicunt hoc practice non posse admitti, nisi forte in aliquo casu raro. Sed ego absolute nunquam admittendum esse dico *ex prop.* 42. Innocentii XI. ubi ab usura excusabatur aliquid ultra sortem exigi, tanquam ex gratitudine debitum. Hinc officium sic recipiens, teneretur illud resignare ex iustitia, vel pretium officii in sortem computare, nisi mutuatarius hoc nolle praesumatur; cum alias collatio iam valida existimetur. Vide Less. [12] Lugo [13] Salm. [14].

780. Dubitatur 5. an liceat obligare mutuatarium ad ea quae ex gratitudine tenebatur praestare, v. gr. ut emat sibi necessaria a mutuante, suam domum locet, agrum cum iusta mercede colat, etc. Omnino negandum cum Bus. *n.* 12. non solum si haec exigantur ut debita ex iustitia, sed etiam ut debita ex gratitudine, iuxta eamdem prop. 42. ut diximus: Salm. autem [15] dicunt quod simpliciter rogare mutuatarium ad haec libere praestanda ex amicitia, de se non esset illicitum; et in hoc videtur expresse consentire s. Th. [16], qui dicit: *Si vero munus non quasi ex obligatione exhibetur, sed ex benevolentia, quae sub aestimationem pecuniae non cadit, licet hoc accipere, exigere et expectare.* Haec autem doctrina currit speculative loquendo, sed in praxi recte dicunt Salm.[17] esse valde periculosam. Nec admittendum id quod ait Laym. [18] licitum esse obligare mutuatarium ad haec praestanda, si obligatio imponatur non ut onus, sed ut conditio sine qua non daretur mutuum, quia, acceptata conditione, reipsa iam onus imponitur et mutuatarius obligatur ad illud: quod nunquam licet ex d. Thom. *Vide n. seq.*

(1) Tr. 19. c. 1. punct. 3. §. 3. n. 41. (2) P. 468. n. 1. (3) Loc. cit. V. Et vero. (4) Ibid. n. 57. (5) D. 25. s. 8. n. 38. (6) Ibid. (7) L. 2. c. 20. d. 7. (8) Loc. cit. (9) 2. 2. q. 78. art. 2. ad 3.

(10) Ib. n. 58. (11) Ibid. (12) L. 2. c. 20. n. 62. (13) N. 42. (14) Loc. c. n. 59. (15) De contr. c. 3. punct. 8. §. 2. n. 61. (16) 2. 2. q. 78. a. 2. ad 3. (17) Loc. c. (18) L. 3. tr. 4. c. 16. n. 3.

781. Si pactum autem sit remutuandi, s. Th. [1] sic docet: *Licet simul mutuanti unum aliquid aliud mutuum recipere: non autem licet eum obligare ad mutuum in posterum faciendum.* Licitum igitur est mutuatarium obligare ad remutuandum eodem tempore mutui, quia potes ab altero petere officium amicitiae quod ille a te postulat; modo illud non sit ipsi magis onerosum: et sic pariter posses petere ut eodem tempore domum tibi locet, frumentum vendat, etc. Secus autem, si obligares in futurum; ita cum s. Th. Less. [2] et Salm. [3] cum aliis, contra Bann. et Rodr. etc. qui excusant ab usura pactum adhuc in futurum remutuandi, sed improbabiliter.

782. Dubitatur 6. an liceat pactum ut reddatur res mutuata in eadem specie et quantitate, quando creditur pluris valitura.

In hoc certum est 1. quod licet, si aeque dubium est an valor rei sit augendus vel minuendus: vide Less. [4]. Certum est 2. quod si rem servaturus eras usque ad tempus quo eius valorem augendum esse certo credas, potes petere ut reddatur res in eadem quantitate, vel eius incrementum, deducta tamen aestimatione periculi vel expensarum in re servanda. Ita Habert Concina Bon. Dic. Reb. etc. cum Salm. [5]. Certum est 3. quod licet mutuare vetus frumentum ut reddatur novum quod non credatur pluris valiturum nec melius vetere. Ita Salm. [6] cum Pal. Mol. Trull. etc. cum Bus. *n.* 11.

Quaestio igitur est an possis petere ut tibi reddatur res quam non es servaturus, in eadem quantitate, eo tempore quo credis eam pluris valituram. Affirmant Sot. et Mol. apud Less. [7]. Et his adhaeret Bus. *hic infra n.* 18., quia, ut dicunt, haec est natura mutui, ut res in eadem quantitate reddatur, et quia per mutuatarium stat ne res reddatur ante illud tempus. Sed docet Less. hanc sententiam tunc esse probabilem, cum fuisset dubium an pretium foret augendum, vel an tu rem servasses (in quo casu etiam puto, rem valore iam auctam cum aliqua detractione reddendam esse, iuxta praedicti dubii aestimationem, ne quid ex mutuo lucreris: posito quod non fuisses certo rem servaturus); nam alioqui recte dicit Less. se non videre, quo iure possis aequalem mensuram recipere. Salmant. autem [8] cum Bon. Azor. et Trull. praedictam sententiam approbant, si ex vi pacti attendatur tantum ad rei substantiam praecisa consideratione valoris et incrementi. Sed haec praecisio non video quomodo licite possit fieri, quando res non foret servanda pro tempore redditionis, et certo vel probabilius pluris valitura creditur; pretium enim rei de se necessario semper pertinet ad rei substantiam.

Certum autem puto e converso cum Salm. [9] quod si certo vel probabiliter res tempore restitutionis censeatur minus valitura, poteris maiorem mensuram petere, ut te serves indemnem.

Haec dubia tamen locum habent, quando cogitatur et creditur res pluris valitura; si vero bona fide nulla habeatur consideratio de incremento vel decremento rei, bene potes pacisci, ut res in eadem quantitate tibi reddatur. Ita Less. [10] p. Conc. ac Laym. etc. cum Salm. [11]. Hoc tamen non dici posse de mutuo pecuniae tenent Salm. [12] cum Sa Pal. Trull. Tol. etc., quia in pecunia principaliter attenditur valor. Sed Azorius Nav. et alii apud eosd. Salm. [13] cum Busemb. *infra n.* 17. aiunt bene valere pactum ut reddatur pecunia in eadem specie et numero monetarum, quando nullum cogitatur nec intenditur incrementum, et sic expresse sit conventum: horumque sententia est mihi probabilior, saltem si commune sit periculum incrementi vel decrementi, ut sentit p. Concina. Pactum autem reddendi pecuniam in alia specie, quam traditur, omnino usurarium

(1) 2. 2. q. 78. a. 2. ad 4. (2) L. 2. c. 20. n. 53. (3) De contr. c. 3. punct. 8. §. 2. n. 62. 63. et 64. (4) L. 2. c. 20. dub. 17. n. 145. (5) L. c. §. 3. n. 67.

(6) Ibid. (7) D. c. 20. n. 154. (8) Loc. c. n. 70. (9) Ibid. n. 71. (10) C. 20. dub. 17. n. 149. (11) Ib. n. 72. (12) L. c. n. 73. (13) Cit. n. 72.

est, quia imponitur onus pretio aestimabile, ut dicunt Salm. [1] Concina et alii communiter. Usque adhuc de pactis; circa quae bene advertit Anacl. [2] cum aliis communiter, quod contractus in aliqua regione usitatus, et a viris probis celebrari solitus, non est facile damnandus. Sed procedamus ad alias quaestiones quae supersunt.

783. Quaestio 6. Utrum usurarius acquirat dominium lucri usurarii. Affirmant Lugo [3] ac Scot. Sa Nav. etc. apud Salm. [4], quia mutuatarius, quamvis coacte det, et ideo usurarius teneatur ad restitutionem, dat tamen libere et transfert dominium; sicut transfert qui metu coactus rem vendit. Sed oppositum tenendum cum s. Thom. [5] et communi cum Salm. [6] Conc. Cont. Tourn. Et ratio est quia contractus usurarius est omni iure nullus; nuda autem traditio rei dominium non transfert [7].

784. Circa fructus autem acquisitos per usuras acceptas, docet [8] s. Thom. quod si percepti sint ex re usu consumptibili, tunc restitui non debent, quia sunt fructus industriae; secus, si percepti sint ex re non usu consumptibili, puta ex domo, agro, *quia* (verba d. Thomae) *sunt fructus rerum*, *quarum alius est dominus*, *et ideo ei debentur*. Et hoc valet etiamsi usurarius fructus non percipiat, si alias dominus percepisset. Quid de fructibus quos dominus non fuisset percepturus, sed usurarius percepit. Lugo [9] dicit non esse restituendos, quia ex sua sententia usurarius dominium usurarum acquirit, et tantum tenetur mutuatarium indemnem servare. Sed nos contrarium in nostra sententia, ut supra, dicendum putamus cum Salm. [10] Cont. Tourn. et Conc.

785. Quaestio 7. Utrum dans consilium pro usuris, aut praebens pecuniam usurario ut mutuet, teneatur ad restitutionem. Negant Lugo [11] et Sa Tol. Sylv. Med. etc. apud Salm. [12], quia hi non sunt causa efficax damni, cum possit postea debitor solutionem usurarum negare. Sed respectu huius rationis longe probabilius (saltem dico quoad suadentem usuras) teneri affirmat Bus. *hic* cum Less. [13] Lugo [14] Salmant. [15] cum Pal. Bon. Trull. etc., quia vere ipse tunc est causa iniusti contractus; et licet debitor posset non solvere, si tamen solvat ex causa sua iniuste solvet. Commune autem est cum Salm. [16] quod non peccat nec ad restitutionem tenetur qui in gratiam mutuatarii illa faceret; et ideo ex alia ratione prima sententia est satis probabilis, quia rationabiliter in illis mutuatarius praesumitur consentiens, ut ait Lugo [17]. Quoad eum autem qui tradit pecuniam usurario, aiunt Concin. [18] Less. [19] et Salm. [20] cum Bon. Trull. etc. peccare et teneri ad restitutionem; quia proxime cooperatur ad damnum mutuatarii. Sed Lugo [21] recte excipit ob eamdem rationem, nisi praestet pecuniam in gratiam mutuatarii. Vel nisi, addendum duco, non posset ipse pecuniam tradens eam negare sine damno superioris ordinis, quam esset mutuatarii damnum, iuxta dicta *n.* 571. *v. Secunda.*

786. Quaestio 8. An peccet et teneatur ad restitutionem deponens pecuniam apud eum quem scit abusurum ad usuras. Respondent Less. [22] et Salmant. [23] cum Pal. Lug. Bon. et Trull. quod is peccaret utique contra caritatem, si usurarius non haberet alias unde usuras exerceret: sed non teneretur ad restitutionem, quia in hoc iniuriam non irrogaret mutuatariis. Teneri tamen sentit p. Conc. ex d. Thoma [24] qui dicit: *Quod si quis committeret pecuniam suam usurario non habenti alias unde usuras exerceret*, *vel hac intentione committeret*, *ut inde copiosius per u-*

(1) Ibid. n. 74. (2) De usur. q. 4. (3) D. 25. sect. 11. n. 206. (4) De contr. c. 3. punct. 12. n. 106. (5) 2. 2. q. 78. a. 3. (6) Ibid. n. 107. (7) L. Nunquam, ff. de acquirendo rerum dominio. (8) Ibid. (9) D. 25. sect. 11. n. 209. (10) L. c. n. 115. (11) D. 25. sect. 11. n. 217. (12) Ibid. punct. 13. n. 115. (13) L. 2. c. 20. dub. 21. n. 178. (14) D. 25. n. 216. (15) Cit. n. 115. (16) Ibid. (17) Loc. c. (18) T. 7. p. 534. n. 7. (19) C. 20 n. 178. (20) L. c. (21) Eod. n. 216. (22) L. 2. c. 20. d. 21. (23) De contr. c. 3. punct. 13. n. 116. (24) 2. 2. q. 78. a. 4. ad 3.

suram lucraretur, daret materiam peccandi, unde et ipse esset particeps culpae. Unde si talis deponens est particeps culpae, non erit quidem particeps alterius culpae, quam iniustitiae quam perpetrat mutuator. Sed hoc non obstante, verius mihi dicendum videtur quod deponens non teneatur ad restitutionem: sua enim actio non est iniuriosa, sed potius gratiosa mutuatario, cum hic potius gratam habeat, quam aegre ferat depositionem pecuniae, ut in necessitate sibi providere possit. Posito ergo quod mutuatarius in hoc non sit invitus, deponens licet sit particeps iniustitiae, quatenus laedit virtutem iustitiae in generali, iuxta sententiam quam tenuimus in *tract. de carit. l. 2. n. 45. v. Tertia*, ubi diximus praebentem occasionem peccandi, non solum laedere caritatem, sed etiam virtutem, ad quam laedendam proximum inducit: non tenetur tamen ad restitutionem, quia non laedit iustitiam in particulari, nempe peculiare ius alterius, nec ei iniuriam irrogat, cum ille respectu deponentis non sit invitus. Et sic intelligi potest s. Th.

787. Quaestio 9. An principes, iudices et advocati, qui sunt causa ut usurae solvantur, teneantur ad restitutionem. Respondetur teneri: sicut tenentur etiam illi qui non excludunt a suis locis usurarios: imo excommunicantur ipso facto in Clem. *Ex gravi, de usuris;* nisi tamen ob bonum publicum hoc permittere expediret. Ita Less. [1] Salm. [2] cum Pal. etc.

788. Quaestio 10. An si usurarius sit tibi debitor, possis tu licite exigere usuras quas ille tibi assignat exigendas a mutuatario. Negatur: atque si exigis teneris ad restitutionem; modo tamen tibi constet illud debitum esse pro usuris. Salm. [3].

789. Quaestio 11. An peccent famuli cooperantes dominis usurariis. Certum est quod famuli minus principales qui tantum scribunt, enumerant pecunias, deferunt pignus et similia, non tenentur ad restitutionem, nec peccant. Ita Salm. [4] Croix [5] Tamb. [6] et Bus. *circa fin. huius dubii.* Dubium est de iis qui exigunt usuras et ad solutionem cogunt, an teneantur ad restitutionem. Sa Sylv. Tabien. Vega apud Salm. [7] licet dicant peccare, excusant tamen a restitutione, quia isti non sunt vere causa exactionis, vel tantum sunt materialis et remota; Salm. autem [8] cum Pal. Val. Med. Salas etc. putant teneri, cum vere sint causae iniustae proxime cooperantes: et hoc videtur probabilius cum Tamb. [9] si ipsi cooperantur in re ingrata debitoribus, prout esset, si cogerent eos ad solutionem, subscriberent apodixas: secus si in re illis non ingrata, nempe si eos hortarentur simpliciter ad solutionem, vel exigerent usuras sine coactione; quia in hoc debitores non censentur inviti. Sed non excusarem exigentem a peccato cooperationis ratione solius famulatus.

790. Quaestio 12. An haeredes usurarii, vel alterius debitoris teneantur ad restitutionem in solidum. Distinguendum: Si debita sint hypothecaria ex contractu, communis est sententia, omnes in solidum teneri. Dubium est, si debita sint personalia defuncti ex delicto: adhuc teneri in solidum docent canonistae cum Sylv. Sal. Lop. Maior. etc. ap. Cont. Tourn. [10]. Idque arguunt ex *c. Tua nos 9. de usur.* ubi dicitur: *Filii ad restituendas usuras ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui.* Sed satis probabiliter Cont. Tourn. [11] cum Azor. Caiet. Toled. Bonac. Bann. Med. Habert Pontas Sambov. etc. dicit hos haeredes teneri solum pro rata, nisi ipsi delicto defuncti cooperati fuerint: et probatur ex *lib. 1. c. de delictis defunct.* ubi dicitur: *Post litis contestationem, eo quia vim* (seu damnum) *fecit defuncto, successores eius in solidum, alioquin in quantum ad eos pervenit, conveniri iuris absolutissimi est.* Rationem dat Caietanus respondens ad textum *Tua nos* supra oppositum, et di-

(1) N. 179. (2) De contract. c. 3. punct. 13. n. 117. (3) Ib. n. 119. (4) Loc. n. 118.

(5) L. 2. n. 268. (6) Dec. l. 5. c. 1. §. 4. n. 49. (7) Ibid. (8) Ibid. (9) Eod. loc. (10) De usur. a. 8. concl. 5. (11) Loc. cit.

cit: *Filii tenentur sicut et pater obligatione scil. personali suorum bonorum: sed in hoc est differentia, quod pater est tota illa persona, ac per hoc habet totam obligationem; quilibet tamen haeres* (*scil. filius*) *est pars illius personae, et consequenter partem tantum obligationis subiit.*

Quaestio 13. Hic etiam pertineret quaerere an licitum sit petere mutuum usuras ab usurario, et illas ei offerre. Sed de hac satis dictum est supra *de caritate l.* 3. *n.* 47. *v. Secunda; et n.* 77. *v.* 4. *Licitum.*

791. « 11. Mutuare frumentum vetus cum obligatione, ut restituatur novum (praesertim certo tempore) est usura, si mutuans sciat novum fore melius et maioris pretii, Sylv. Nav. Trull. [1].

» 12. Est usura ex communi sententia, si des mutuum ut postea mutuatarius ex debito civili obligetur tibi rursus mutuare aut vendere, vel apud te in tua officina emere merces, aut operas suas locare: quia talis obligatio est res pretio aestimabilis, cum privet mutuatarium potestate alibi emendi et locandi operas. Less. [2] card. Lugo [3]. Vid. Laym. [4] Bon. [5].

» 13. Usura est mutuare principi vel reipubl. eo pacto, ut interim, dum non solvitur, sis liber a tributis vel oneribus iustis solvendis. Salas card. Lugo [6] ex communi.

» 14. Item mutuare ea lege ut mutuatarius eam pecuniam exigat a debitore mutuantis a quo non facile extorquebit. Quod addo, quia si sponte onus illud suscipiat, eo quod facile possit obtinere, non erit usura [7]. Bon. [8].

» 15. Item, si frumentum quod alibi habes, des mutuum, obligando ut tibi reddatur hic vel alibi (cum maioribus sumptibus vel laboribus), ubi plus valet [9].

» 16. Usura etiam est obligare mutuatarium ut partem mutui accipiat in mercibus quibus non indiget [10].

» 17. In mutuo pecuniario, nisi aliter conventum sit, si quis det mutuo, v. gr. 100. florenos, non potest exigere plus quam eorum pretium et valor tunc fuerit. Unde, si eorum valor tunc augeatur, non potest repetere 100, quia reciperet aliquid supra sortem. Quod si valor decrescat, debet mutuatarius reddere plus quam 100, quia alias non restitueret ad aequalitatem. V. Less. [11] Laym. [12] Bon. [13] (*V. n.* 782. *vers. Haec dubia*).

» 18. In mutuo tamen aliarum rerum, ut vini, tritici etc. aliter se res habet, quia si quis v. gr. mutuet alteri 10. modios tritici, sive pretium crescat sive non, potest repetere 10. Ratio disparitatis est, quia in pecunia non spectatur ordinarie (nisi aliter conventum sit ob certas et licitas causas) nisi valor sive pretium. Unde non debet restitui nisi pretium aequale. At vero in frumentis etc. spectatur ipsa materia, quia non petitur mutuum frumentum propter pretium frumenti, sed propter ipsum corpus et substantiam: ergo, etsi crescat pretium illius, potest repetere tot mensuras quot dedit mutuo. Interim tamen quidam de his rebus eodem modo loquuntur quo de moneta. Vide Laym. [14] et Bon. [15] (*V. dicta n.* 782.).

792. » Quaeres: Quae obligatio et poena sit usurariorum et cooperantium.

» Resp. 1. Usurarius etiam non manifestus, ac haeredes tenentur restituere; imo etiam omnes ii qui ex parte usurarii cooperantur efficaciter: v. gr. iudices, domini temporales, notarii, famuli, advocati, qui quovis modo iuvant vel cogunt mutuatarios ad solutionem usurarum. Dixi (positive seu efficaciter), quia habendo se negative, possunt permittere usurarios ob iustam causam, et necessitatem pauperum. Praeterea in praxi, ex praesumpta voluntate mutuatariorum, fere excusantur minus principales famuli. (*Vide dicta supra n.* 789. *et l.* 3. *n.* 78.).

» 2. Usurarius publicus sive notorius non debet admitti ad communio-

(1) D. 15. n. 11. (2) L. 1. c. 20. d. 8. (3) D. 25. n. 46. (4) L. 3. t. 4. c. 16. n. 3. (5) L. c. p. 3. (6) N. 64. (7) Ibid. (8) Loc. c. (9) Ibid. (10) Ibid. (11) L. 2. c. 22. n. 149. (12) L. 3. t. 4. c. 16. (13) L. c. p. 3. (14) L. c. n. 14. (15) Loc. c.

nem altaris nec absolvi, donec restituat usuras, nec sepeliri in loco sacro; et qui scienter sepelit, ipso facto est excommunicatus. 3. Addit Laym.[1] eius testamentum ipso iure irritum esse, nisi ante mortem restituerit. Vide Less. Bon. Trull.[2] (Item usurarii sunt infames. Salm.[3]). »

DUBIUM VIII. De emptione et venditione.

ART. I. Quid sit emptio et venditio.

793. « Resp. Est contractus quo pretium pro merce solvitur; completurque mercis traditione. Venditio contra. Iustitia eius in hoc consistit, ut pretium sit iustum sive exaequet valorem rei et contra. Alias, si sine legitimo titulo secus fiat, committetur iniustitia gravis vel levis pro gravitate excessus, qui proinde ad restitutionem in conscientia obligabit; etsi in foro externo ad restitutionem fere non cogatur quis nisi ultra dimidium defraudaverit. Vide Laym.[4] Bon.[5]. »

794. Notandum 1. quod, ut contractus emptionis sit validus, requiritur determinatio pretii, quae si remittatur ipsi emptori, nullus est contractus[6]. Secus, si remittatur tertio[7] sive iudicio prudentum, ut recte ait Dicast. An autem valeat emptio facta pro iusto pretio, sine determinatione. Affirmat Pal.[8] Salm. autem[9] negant cum communi, nisi pretium sit iam a lege taxatum. Et sicut pretium, sic etiam (ut valeat contractus) res debet esse determinata, saltem in spe, ut quando venditur hic iactus retis. V. Salm.[10].

Quaeritur hic, an quando data sit arrha, liceat danti resilire a contractu cum iactura arrhae. Respondeo cum p. Conc.[11] quod licite potest ex consuetudine quae regulariter talis est. Excipitur, nisi arrha data sit pro maiori securitate contractus iam initi. Utrum autem in dubio an arrha data fuerit pro securitate, liceat danti resilire. Vi-

(1) L. c. n. 21. (2) C. 14. d. 22.
(3) De contr. c. 3. p. 14. n. 125. (4) C. 17.
(5) D. 3. q. 2. p. 1. et 4.
(6) L. Quod saepe, ff. de contrahenda emptione.
(7) L. ult. c. eod. tit.
(8) Disp. 5. p. 1. n. 4.
(9) De contr. c. 2. p. 1. n. 2.
(10) Ibid. n. 3. (11) T. 7. p. 267. n. 2

detur negare La Croix ex Onnate[1] quia natura huius contractus arrhae est, ut detur pignus ad statuendam obligationem ad non recedendum a contractu sub poena pignus amittendi. Sed affirmat Conc.[2]. Et hoc verum mihi videtur in iis contractibus, ubi regulariter talis est consuetudo; quisque enim praesumitur velle contrahere iuxta consuetudinem qua regulariter fiunt contractus.

795. Notandum 2. quod contractus emptionis solo consensu perficitur, nisi ante emptionem conveniant partes conficere scripturam[3]. Dominium autem rei non transit ad emptorem, nisi facta traditione, ut ex communi, contra Pal. Nav. et videtur certum esse ex textu[4]: *Qui nondum emptori tradidit rem, adhuc ipse dominus est.*

796. Immo nec transfertur dominium rei etiam emptori traditae, donec ab emptore pretium solvatur vel offeratur aut saltem praestetur vel fideiussio aut saltem fides de illo, ex iure civ.[5], ubi dicitur: *Venditae vero res, et traditae non aliter emptori acquiruntur, quam si is venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit veluti ex promissione vel pignore dato. Sed si is qui vendidit fidem emptoris secutus fuerit, dicendum est rem emptoris fieri.* Quaestio autem hic fit, an gabella debita pro venditione solvenda sit gabellario tempore contractus vel tempore traditionis. Vasq. P. Nav. etc. apud Salm.[6] dicunt tempore traditionis et probabile putant Salmant.; sed recte probabilius censent oppositum cum Pal. Vill. Prado Bonac. Dic., et idem tenent Less.[7] Lugo[8] et Cont. Tournely[9]. Ratio quia contractus emptionis solo consensu perficitur, ut habetur ex illo textu[10]: *Consensu fiunt obligationes in emptionibus, locationibus. Ideo autem istis modis obligatio dicitur consensu contrahi, quia neque scriptura, neque praesentia omnino opus est, at nec dari quidquam necesse est, ut substantiam capiat obligatio.*

797. Notandum 3. quod quando venditio est conditionata, impleta conditione, contractus retrotrahitur ad diem venditionis; ideoque fructus interim percepti pertinent ad emptorem. Hoc tamen est, quando conditio adiecta est casualis: secus si potestativa, scilicet cuius impletio sit in potestate emptoris. Ita Less. Mald. etc. cum Salm.[11].

798. Notandum 4. quod periculum et commodum rei regulariter spectat ad dominum rei, sed in contractu venditionis, emptione perfecta, spectat ad emptorem, semper ac est vendita res determinata, etiamsi res non sit tradita, vel tradita sine habita fide de pretio (quibus casibus remanet res in dominio venditoris, ut dictum est mox supra *n.* 796.), nisi aliter conventum sit[12]. Excipe tamen, si venditor sit in mora tradendi; tunc etiam ad ipsum pertinet periculum[13]. Item si culpa venditoris res fuerit destructa vel deteriorata[14]. V. Croix[15]. Perfecta autem emptione, si aliter conventum non fuerit, fructus rei pendentes spectant ad emptorem, ut communiter docent Less.[16] Spor.[17] Cont. Tourn.[18] Lugo[19] Croix[20] cum Mol. Laym. etc. Et hoc currit etiam pro foro conscientiae, ut Sporer cum Mol. et comm. Dicit tamen Cont. Tournely cum Lugo, quod hoc valet quoad aestimationem quam habent fructus tempore emptionis: si vero fructus tempore venditionis erant immaturi, cum postea sunt maturi, certum est quod, re non tradita, eorum incrementum debetur venditori, ut Less. et Mol. apud Lugo[21] ac Cont. Tourn.[22].

Ita quoad fructus pendentes; quoad

(1) De contr. t. 2. d. 34. sect. 1. (2) Loc. c. (3) Ex §. un. Inst. de oblig. ex cons. et §. Empt., de empt. et vend. (4) §. Utique Inst. de emp. etc. (5) §. Venditae, Inst. de rer. divis. (6) Loc. c. n. 4. (7) L. 2. c. 21. n. 1. (8) D. 26. sect. 2. n. 5. (9) De contr. p. 2. c. 1. a. 1. v. Quaeri hic solet. (10) §. un. Inst. de oblig. ex consensu. (11) Loc. c. p. 2. §. 2. n. 25. (12) §. Cum autem 3. Inst. de empt. et vend. l. Id quod 7. ff. de peric. et comm. et l. Post perfectam 1. c. eod. t. (13) L. 17. ff. de per. et comm. (14) L. 2. eod. tit. (15) L. 3. p. 2. n. 705. (16) L. 2. c. 21. n. 100. (17) De 7. praec. c. 5. n. 93. (18) Loc. c. a. 5. (19) D. 26. sect. 14. (20) L. c. n. 977. (21) D. 26. n. 212. (22) L. c. — Sicut periculum rei spectat ad emptorem, ita ei debentur fructus illius, et leges civiles oppositae in hoc puncto reprobatae sunt a iure canonico prout favorabiles lucro usurario, prout dicunt Salmanticenses Hom. Ap. tr. 10. n. 169.

fructus vero futuros rei, dubitatur 1. ad quem spectent ipsi, re non tradita, vel tradita sine pignore, aut data fide de pretio, ita ut dominium rei adhuc fuerit apud venditorem.

Prima sententia, quam tenent Cont. Tourn. [1] et Bon. [2] cum Cov. dicit eos spectare ad venditorem, ex regula illa generali, quod res suo domino fructificat.

Secunda sententia tamen communis et verior, quam tenent Less. [3] Croix [4] Salm. [5] cum Sylv. Tap. Mald. Spor. [6] cum s. Anton. Arm. P. Nav. et Laym. docet, fructus spectare ad emptorem, nisi aliter conventum sit. Ratio, tum quia, cui debetur res debentur etiam fructus tanquam accessorii; tum quia aequum est ut ad eumdem emptorem spectet commodum fructuum ad quem spectat rei periculum, ut mox supra dictum est. Nec obstat regula enuntiata quod res domino fructificet; nam respondetur hoc intelligi de domino absoluto, non autem de domino rei quae debetur alteri, ad quem rei periculum spectat. Nec deinde obstat dicere, iniquum videri quod emptor percipiat fructus, et venditor non possit pretio frui; nam respondetur hoc commodum emptoris bene compensari cum periculo rei ab ipso assumpto; caeterum pretium solvendum per se aequale est pretio persoluto, nisi ex mora solvendi venditor patiatur aliquod interesse ratione damni emergentis vel lucri cessantis; tunc enim emptor sane teneretur illud ei resarcire, ut omnes docent cum Spor. [7]. Certum autem est quod si venditor intenderet non ratam habere venditionem nisi postquam pretium solvatur, eo casu tam periculum rei quam commodum fructuum ad ipsum spectet, ut Spor. [8] cum P. Nav. et Laym.

Diximus autem, *nisi aliter conventum sit;* nam si res non sit tradita, vel tradita sit sine pignore aut fide de pretio, tunc dubitatur 2. an possit venditor pacisci, ut fructus ad ipsum spectent donec pretium solvatur.

Prima sententia negat cum p. Conc. et s. Anton. Sylv. Maior. Arm. Gabr. etc. apud Dian. [9] qui probabilem putat. Ratio quia venditor concedendo dilationem ad solvendum pretium, nequit per hoc tempus proventum exigere; compensato tamen interesse ab emptore, si tempore praefinito fuerit in mora solvendi.

Secunda sententia vero communior et probabilior affirmat, eamque tenent Molina [10] Fill. [11] cum Nav. Ang. Tab. Castrop. etc. Bon. [12] cum Covar. Gom. et Reb., et idem tuetur Petr. [13]. Ratio quia venditor iuste potest dominium directum transferre in emptorem, et reservare sibi dominium utile, ut fructus percipere valeat usquedum pretium solvatur; et tunc non exigit fructus ratione solutionis dilatae; sed ratione ipsius venditionis hoc pacto initae. Hoc tamen casu bene ait Petroc. [14] quod si praedium pereat vel deterioretur, non posset venditor exigere id quod ratione praefatorum fructuum emptor promiserit ei correspondere.

799. Quaeritur 1. cuiusnam sit res empta pecunia aliena. Respondetur emptoris, si emat nomine suo ex illo textu [15]: *Si ex ea pecunia, quam deposueras, is apud quem collocata fuerat, sibi possessiones comparavit, ipsique traditae sunt... ab eo invito in te transferri iniuriosum est.* Excipe, si pecunia sit ecclesiae, minoris et militis, ut Bon. Reb. Sylv. etc. cum Salm. [16] quia tunc illis res acquiritur.

800. Quaer. 2. an valeat contractus, si vendatur res aliena. Resp. [17] validum esse quoad translationem dominii, non quidem rei, sed pretii: unde vendens mala fide acquirit dominium pecuniae, sed tenetur emptori omnia damna restituere: qui autem vendit bona fide non tenetur ad damna neque ad evi-

(1) Ib. n. 4. (2) De contr. d. 3. q. 2. p. 7. §. 1. n. 4.
(3) L. 2. c. 21. n. 109. (4) L. 3. p. 2. n. 978.
(5) De contr. c. 2. punct. 2. §. 3. n. 17. et 18.
(6) De 7. praec. c. 5. n. 94. (7) N. 96.
(8) L. c. (9) P. 4. tr. 4. r. 139. (10) D. 366. n. 9.
(11) Tr. 35. c. 8. q. 2. n. 117. c. 7. dub. 21. n. 3.
(12) D. 3. q. 2. p. 7. §. 1. n. 5. (13) T. 2 p. 393.
(14) Loc. c. (15) L. Si ex ea, c. de rei vindicat.
(16) De contract. c. 2. punct. 3. n. 29.
(17) L. Rem alienam, 28. ff. de contrahend. empt.

ctionem, ut dicunt Salm. [1] cum aliis, quibus consentit Pal.[2], sed tenetur quidem pretium restituere emptori, etiamsi cum eo convenerit non teneri de evictione, ut exprimitur in iure civili[3], ubi: *Idem esse dicendum, etsi aperte in venditione comprehendatur nihil evictionis nomine praestitum iri, pretium quidem deberi re evicta.* Aequum enim non est ut venditor lucrum faciat cum iactura emptoris; vide Pal. [4]. Sed excipitur 1. nisi expresse fuerit conventum de non restituendo pretio, ut Pal.[5]. Excipitur 2. nisi venditor in nihilo factus sit ditior, eo quod nimirum bona fide in largitiones forte, aut in lusum pretium insumpserit, ut aiunt Salm.[6]. Excipitur 3. nisi emptor scienter rem alienam vel alteri obligatam comparaverit, tunc enim ipse, nisi expresse de evictione convenerit, in poenam sui criminis nec etiam pretium potest repetere [7], vide Pal. [8], qui deinde bene advertit, ex hoc non inferendum, quod pretium eo casu possit a venditore retineri; nam in foro conscientiae illud emptori restituendum est, in foro autem externo fisco adiudicandum.

Refert autem hic aliqua adnotare de obligatione evictionis. Debetur evictio, non tantum in venditione, si res ab emptore evincatur [9], sed etiam in permutatione, datione in solutum pro debito, constitutione dotis aestimata, transactione, divisione haereditatis, et in quolibet alio contractu oneroso, ut fuse probat Pal.[10], non vero in contractu lucrativo; unde donans non tenetur ad evictionem, nisi forte donatio incoeperit a promissione rei indeterminatae, et postea tradat rem quae evincitur; v. Pal.[11]. Ut autem emptor possit de evictione agere, tenetur litem motam, antequam tempus probationum elabatur, venditori denuntiare [12]. A qua tamen denuntiatione excusantur minores et ecclesiae: Pal.[13]. Facta autem denuntiatione, tenetur venditor praestare emptori documenta pro defensione, sed non tenetur defendere, nisi id promiserit; Pal. [14]. Tenetur tamen ad expensas litis, ut dicit Palaus cum aliis (contra aliquos [15]). Si vero malitia aut culpa iudicis, aut vi alterius, aut negligentia emptoris res evincatur, venditor ad nihil tenetur; periculum enim fortuitum ad emptorem pertinet, ut recte ait Pal.

801. « 1. Quod spectat ad emptorem, is potest emere vilius quam res valeat, si ei non sit commoda, vel emat in gratiam venditoris, aut similes sint circumstantiae quae rem faciant viliorem. Nec obstat quod venditor necessitate ductus vendat vilius; quia venditio manet voluntaria, inquit Caiet. Vide Bon.[16]. Potest nihilominus graviter peccari contra caritatem, si quando pauperculi extrema inopia res suas vendere coguntur, nimis viliter ab eis emas. Laym. [17]. »

Notandum est 1. quod res in manu mercatoris ratione sui laboris et operarum pluris aestimantur quam in manu alterius. Propterea tamen non est illicitum alteri rem vendere tanti quanti venditur a mercatore. Less. [18] Salm. [19] cum Lugo Bonac. etc.

Notandum 2. quod concursus emptorum, et penuria mercium auget pretium rei; paucitas contra emptorum, et copia mercium minuit pretium. Salm.[20] cum comm. P. Conc.[21] Cont. Tourn.[22].

802. Notandum 3. quod pretium rei decrescit, quando res est parum utilis emptori, et hic in gratiam venditoris emit. Est communis sententia cum Contin. Tour. ut supra, et Salm.[23] cum Bon. Dic. Reg. et aliis. Hinc fit quod merces ultroneae licite possunt vilius emi, ut communiter docent p. Conc. Cont. Tourn. [24] Diana et Salm. [25] cum aliis communiter contra Ronc. [26] qui ait ex

(1) Ibid. n. 31. (2) Tr. 33. d. 5. p. 8. §. 1. n. 1. (3) L. Emptorem. §. Quia autem, ff. de action. empt. (4) L. c. §. 4. n. 2. (5) Ibid. (6) Dict. n. 31. (7) L. Si fundum c. de evict. (8) L. c. n. 16. (9) Ex l. 1. et seq. ff. de evict. (10) Tr. 33. d. 5. p. 8. §. 1. (11) L. c. ex n. 11. (12) L. Emptor, c. de evict. et l. Si rem, ff. Eod. (13) L. c. §. 3. n. 5. et 6. (14) Ibid. n. 9. et 10. (15) Ex l. Si plus, §. Mota, ff. de evict. et l. Qui absentem, ff. de procurat. (16) L. c. n. 21. et 23. (17) L. c. n. 10. (18) L. 2. c. 21. n. 24. (19) De contr. c. 2. punct. 9. §. 2. n. 101. (20) Ibid. n. 102. (21) T. 7. p. 301. n. 101. (22) De vend. et empt. a. 4. de pretio. (23) Loc. c. n. 103. et 105. (24) Loc. cit. (25) Cit. n. 105. (26) De contr. c. 3. q. 5. r. 4.

solo capite quod res ultro a venditore offeratur, non esse causam ut pretium rei decrescat, nisi accedat alia circumstantia, nempe paucitatis emptorum vel pluralitatis offerentium. Sed verius alii dd. communiter, ut diximus, contrarium docent, quia regulariter in huiusmodi ultroneis venditionibus pauci inveniuntur emptores. At dubitatur 1. Quanti vilescat res ultro oblata. M. Serra [1] cum Conrad. et Reb. Salas Palac. Barth. a s. Fausto et Megala apud Dian. [2] sentiunt vilescere usque ad dimidium. Sed probabilius Caiet. [3] Bon. [4] Fill. [5] Sporer [6] Diana [7] Mazzotta [8] Tamburin. [9] censent vilescere tantum pro tertia parte. Dubitatur 2. An idem currat, quando venduntur merces ob paupertatem.

Prima sententia affirmat; eamque tenent cum Busemb. Cai. [10] Conrad. [11] Bon. [12] cum Soto Sa Vasq. et aliis Diana [13] cum Nav. Terr. et Vil. Ratio, quia res ultronea de se pretio decrescit iuxta communem aestimationem; inopia autem venditoris non efficit, ut pretium mutetur.

Negat autem *secunda sententia*, quam tenent Cont. Tourn. [14] et Salm. *supra cit.* [15] cum P. Nav. Reg. Dic. Ratio, quia hoc videtur adversari caritati et iustitiae, emere vilius a paupere, qui necessitate coactus vendit. Excipiunt Salm. [16] et Conc. [17] si res ematur tantum in gratiam venditoris, ita ut alias non emeretur. Haec secunda sententia est quidem aequior et omnino suadenda; sed spectata ratione, prima sententia non videtur improbabilis. Dummodo, excipio, res emenda non sit de iis quae communiter emuntur et offeruntur, ut frumentum, oleum, vinum: secus de aliis quae non ita facile venduntur. Neque in eo casu officit quod emptor re illa indigeret, quia id per accidens esset, et casus non mutat pretium rerum. Quando vero alter vendit coactus a necessitate, et tu non emis mere in gratiam sui, facile potes peccare contra caritatem, ut bene ait Mazzot. [18] emendo tam vili pretio quanti emeres mere in gratiam venditoris. Qui autem venderet in gratiam emptoris, sentio non posse vendere plus pretio supremo, nisi concurreret aliqua extraordinaria circumstantia, nempe raritas rei, multitudo emptorum, incommodum venditoris, vel specialis ipsius venditoris affectus ad rem, ut dicemus infra: alias, si adesset tantum commodum, vel affectus emptoris ad rem, utique non liceret augere pretium, ut dicemus cum s. Thom. [19].

Notandum 4. quod si tam emptor quam venditor ignorent pretium rei, tunc iustum erit pretium illud quod convenitur, quia uterque tunc exponitur periculo iacturae. Ita Cont. Tournely [20] cum Bann. Item notandum cum eodem Cont. Tournely [21] quod si aliqua res minoris valeret in uno loco, et maioris in alio, potest maioris vendi in loco minoris pretii, dummodo venditor assumat in se periculum transvehendi rem ad locum pretii maioris.

« 2. Emptor potest emere minoris, ex eo quod multa simul emat; quia tunc venditorem liberat multis curis, et expeditum facit ad alia nova comparanda, unde merito pretium decrescit. Bon. [22] ex Less. Regin. (Est commune cum Less. [23] Lugo etc. apud Salmant. [24]).

803. » 3. Quoad venditorem, is communiter debet vendere secundum pretium taxatum a lege vel magistratu; quod si nullum est, id censebitur iustum quod morali hominum aestimatione imponitur. Quod non consistit in indivisibili, ut anxie scrupulari oporteat, sed dividitur in infimum, medium et summum, sive, ut alii vocant, pium, moderatum et rigorosum, ita ut intra latitudinem huius pretii vendere et e-

(1) 2. 2. q. 77. a. 1. dub. 3. (2) P. 1. tr. 8. r. 78. (3) 2. 2. q. 77. a. 1. (4) D. 3. q. 2. punct. 4. n. 23. (5) Tr. 35. c. 4. n. 70. (6) De 7. praec. n. 22. (7) L. c. r. 56. (8) Tr. 3. disp. 3. q. 1. c. 1. (9) L. 8. tr. 3. c. 7. §. 4. n. 6. (10) Dict. a. 1. (11) Res. cas. p. 1. q. 157. (12) Loc. cit.

(13) D. r. 78. (14) Ibid. (15) N. 105. (16) Ibid. (17) L. c. (18) L. c. (19) N. 806 (20) Hic p. 2. c. 1. a. 4. concl. 1. not. 3. (21) Loc. cit. concl. 2. quaer. 1. (22) Loc. cit. p. 4. n. 13. (23) C. 21. n. 38. (24) De contr. c. 2. p. 11. §. 2. n. 149.

mere liceat, nunc summo, nunc infimo. »

Notandum est 1. quod taxa facta pretii a republica obligat in conscientia, ut s. Th. [1] cum communi, etiam ecclesiasticos (licet sit probabile alias leges ecclesiasticos non obligare), Salmant. [2]. Intelligitur tamen, nisi notabiliter res mutentur, ut Less. [3] Salm. [4] cum Reg. Trull. Dic. etc., vel nisi taxa a maiori parte populi non servetur, sciente principe et non puniente, Salmant. [5], vel si annus sit sterilis, ut mox subdetur. Utrum autem tunc res optima possit carius vendi, vel misceri cum alia, ita ut fiat sicut aliae res communes. Affirmant probabiliter Salm. [6] p. Conc. [7] et Cont. Tourn. [8]. Ratio quia princeps taxando pretium respicit tantum valorem mercis ordinariae. An vero venditor possit cogere emptorem solvere in determinata specie pecuniae. Probabile esse quod possit, dicunt Salm. [9]. Negat vero p. Concina [10]. Ego censeo posse cogere ad solvendum pecunia usuali, nempe aenea pro rebus vilibus, argentea pro rebus magni valoris. Probabile autem est in annis valde sterilibus, taxam non obligare, ut Nav. Bonac. Mol. Covarr. Pal. etc. contra Ledes. Ban. Tap. Azor. etc. Vide Salm. [11].

804. Notandum 2. quod pretium variari potest ratione temporis et loci; debet enim attendi tempus in quo res traditur, et locus ubi est res quae venditur, non autem ubi fit contractus nisi venditor conveniat huc rem transferri. Salm. [12] cum Lugo Dic. etc. ac Cont. Tourn. ut supra. Hinc res pretiosa potest parvi emi, ubi parvi aestimatur; et res vilis magni vendi, ubi magni aestimatur. *Vide dicenda n.* 808. E contrario venditor non potest alicubi rem vendere pluris, quam ibi aestimatur, licet emerit carius, et multum expenderit ad illam vehendam, ut docent s. Th. Less. Bon. etc. cum Salmantic. [13].

Notandum 3. quod pretium rerum vilium minorem latitudinem habet, quam pretiosarum; vinum enim aut simile quod valet 5. potest vendi 6. vel 4., aut si valet 10. potest vendi 12. vel 8., ut dicunt Cont. Tourn. et Cai. apud Salm. [14] aut si valet 100. potest vendi 105. et 95. Less. [15] et Concina [16]. Domus autem aut villa quae forte vendita est pro 20. mille, post annum emi poterit pro 12. mille. Vide Salm. [17] cum Less. Lugo etc.

805. Notandum 4. quod licet in foro externo non invalidetur venditio, nisi deceptio sit ultra dimidium iusti pretii: in foro tamen conscientiae etiam deceptio infra dimidium obligat ad restitutionem. Et ita omnino dicendum (contra iuristas aliquos) cum s. Th. [18] Less. [19] Lugo [20] et Salm. [21] cum communi. Et hoc etiamsi contractus fuerit initus bona fide; tunc enim decipiens tenetur saltem ad id in quo factus est ditior.

Quod si, ut supra notavimus cum Cont. Tourn. et Salm. [22], tam emptor quam venditor rei valorem ignorent, et uterque sorti se committant ut lucrum vel damnum spectet ad eum cui sors contingeret, tunc valet contractus, etiamsi postea inveniatur deceptio in dimidio, quia tunc sibi invicem censentur cedere excessum, ut recte aiunt aa. cit.

Hinc etiam advertendum quod communiter non praestatur fides mendaciis vendentium, dum satis noscuntur haec esse communia stratagemata; unde ipsi regulariter non tenentur ob id ad restitutionem, ut Salm. [23] cum Trull. Bon. et Reb. Dixi *regulariter*, quia si aliquando venditor certe animadverteret emptorem mendaciis credere, et ideo maioris emere, tunc quidem ab iniustitia is non est excusandus.

(1) 1. 2. q. 96. a. 1. ad 3. (2) De contr. c. 2 punct. 9. §. 3. n. 118. (3) C. 21. d. 2. (4) Ibid. n. 115. (5) Ibid. n. 116. et punct. 10. §. 2. n. 155. (6) Ibid. §. 1. n. 128. et 130. (7) T. 7. tr. 306. n. 29. (8) L. c. n. 3. (9) Ibid. n. 136. (10) L. c. n. 28. (11) L. c. ex n. 132.

(12) Ibid. punct. 9. §. 2. n. 98. et 99. (13) Loc. c. n. 100. (14) De contr. c. 2. punct. 9. n. 79 (15) L. 2. c. 21. n. 10. (16) T. 7. p. 294. n. 2 (17) Ibid. n. 80. (18) 2. 2. q. 77. a. 1. ad 1. (19) L. 2. c. 21. n. 21. (20) D. 16. n. 81. (21) Ibid. §. 1. n. 85. (22) Ibid. n. 88. (23) Loc. cit. n. 84.

806. « 4. Si quid emptori valde utile sit, non licet hoc solo nomine rem vendere ultra pretium iustum: quia utilitas emptoris tota est ipsius, non venditoris. Bon. [1] ex Less. [2] Fill. [3] (ut communiter Salm. [4] cum s. Thom. [5] qui ait: *Si aliquis multum iuvetur ex re alterius quam accepit, ille vero qui vendit non damnificetur carendo re illa, non debet eam supervendere*).

807. » 5. Licet autem vendere carius quam valet pretio currenti, si alii boni tituli adsint, et simul de hoc emptorem moneas: quia tunc illi non fit iniuria. Tales autem sunt, v. gr. lucrum cessans aut damnum emergens, aut incommodum vel molestia tibi obventura ex rei venditione: aut affectus in eam singularis, ut si acceperis a maioribus, a principe. Item si res sint novae, rarae et singulares: ut v. gr. peregrini flores, aves, ferae, monumenta antiqua, picturae, numismata. Laym. [6] Bon. [7] ex Less. Reg. »

Certum igitur est posse rem pluris vendi ratione damni emergentis, vel lucri cessantis causa venditionis, ex d. Th. [8] modo de his emptor moneatur, ut communiter docent cum Busemb. ut supra, Less.[9] Lugo [10] et Salm.[11] cum Bon. Soto Trull. Bann. Mald. etc. Et hoc etiamsi pretium sit a principe taxatum; quia taxa respicit rem tantum secundum se, ut Salm. [12] cum Trull. et Salon. An vero possit huiusmodi interesse exigi a venditore, si ipsemet se offerat ad vendendum. Negant Cont. Tourn. [13] et Bann. ac Trull. apud Salmant. [14], quia tunc ipse venditor, non iam emptor, esset causa talis damni. Sed probabilius mihi est oppositum, iuxta dicta *de usuris n.* 769. *v. An autem, in fin.* Ratio quia emptor, acceptando contractum, iam ipse est vera causa damni venditoris.

Quaeritur 1. An autem ratione specialis affectus quem habet venditor ad rem, possit eam pluris vendere. Negat Tapia apud Salm. [15] quia ob hoc res non fit magis aestimabilis, cum id nihil commodi afferat emptori. Sed communiter et verius affirmant Less. Lugo ac Salm. [16] cum Bon. Trull. Vill. et Mald. Ratio, quia privatio rei, erga quam est quis specialiter affectus, vere est pretio aestimabilis. Si autem valeret ratio Tapiae, nec etiam ob damnum emergens aut lucrum cessans posset res pluris vendi; quia neque illa afferunt emptori aliquid commodi.

808. Quaeritur 2. An res quae non sunt necessariae ad communem convictum, ut gemmae extraordinariae, equi pretiosi, aves indicae, picturae singulares et similia possint vendi quanti plurimi. Idem quaeritur de cantu, saltatione, abusu mulieris. Affirmant Diana [17] cum Sot. Tol. Bann. Reg. Serra Val. Arag. etc. et Salm.[18] recte probabile vocant. Ratio est, quia cum res non habet pretium nec legitimum, id est a lege taxatum, nec vulgare, nempe iuxta communem hominum aestimationem, illud putatur iustum, quod convenitur. Attamen probabilius negandum puto, ut tenent Lugo [19] Less.[20] Cont. Tourn.[21] Salm. [22] cum Pal. Bon. etc. Quia tametsi pretium talium rerum magnam recipiat latitudinem, aequum vero est, quod habeat quamdam taxam iuxta arbitrium prudentum. Excipio tamen ex his mulieris honestae usum, qui cum sit pretio inaestimabilis, sine iniustitia poterit illa pro eo quamplurimum accipere.

Notandum autem 1. cum Lugo [23] et Salm. [24] cum Pal. Bon. et Prado, quod communis aestimatio rei in aliquo loco reddit iustum qualecumque pretium, prout apud iapones magni aestimantur specula, cultelli etc. Notandum 2. cum Lug.[25] Cont. Tour.[26] Conc.[27] Salm.[28] cum

(1) Loc. c. n. 27. (2) L. 2. c. 27. d. 4. (3) T. 35. n. 77. (4) De contr. c. 2. punct. 9. §. 1. n. 91. (5) 2. 2. q. 77. a. 1. (6) L. 3. t. 4. c. 17. §. 1. n. 10. (7) Loc. cit. n. 15. (8) 2. 2. q. 77. a. 1. (9) L. 2. c. 21. n. 26. (10) D. 26. sect. 7. n. 89. (11) Ibid. n. 89. (12) Loc. c. (13) Ibid. concl. 4. v. Sed hic duo.

(14) Loc. c. (15) Ibid. n. 90. (16) Loc. c (17) P. 1. tr. 8. restit. 56. (18) De contr. c. 2 punct. 9. §. 1. n. 92. (19) D. 26. n. 47. (20) C. 21 dub. 5. (21) Hic a. 4. concl. 1. v. Quaeres iterum (22) Ibid. n. 93. (23) N. 48. (24) Ibid. n. 94 (25) D. 26. n. 45. (26) Loc. c. not. 2. (27) P. 29. n. 139. (28) Loc. c. n. 95.

Dic. Trull. Bon. Bann. Diana etc. quod res quae venduntur sub hasta aut per venditrices, possunt quanti carius vendi et quanti vilius emi [1], modo absit fraus, et pretium non sit a lege taxatum. Ratio quia tunc potestas publica approbat pro iusto pretium illud quod publice emptorum concursu probatur. Idem dicitur de reditibus beneficiorum, commendarum, etc. quae locantur sub hasta, quia tunc si emptores concurrant, res fit aestimabilior; si non concurrant, fit vilior. Et non satis probabiliter videtur huic contradicere Petrocor. [2] qui enixe conatur probare quod si res adiudicetur offerenti pro pretio notabiliter minori, deberet ipse legitimum pretium adaequare. Nam si hoc esset, dico quod casu quo emptor in licitatione offerret ultra pretium supremum, teneretur dominus rei excessum restituere; et hinc sequeretur quod res non posset adiudicari ultimo offerenti, si primus offerens iam supremum pretium obtulisset: sed hoc nemo dicet. Ergo si res adiudicatur offerenti ultra pretium summum, hoc certe evenit quia leges decernunt illud esse iustum rei pretium. Ergo si dominus potest retinere excessum, etiam emptor potest rem pretio minori quam infimo emptam retinere.

Diximus, *modo absit fraus;* quae vel potest intervenire ex parte venditoris, nempe si celet occultum vitium rei, aut si immittat fictos licitatores; vel ex parte emptoris, si dolo, minis, aut precibus importunis impediat ne alii plus offerant. Hi enim peccant et tenentur ad restitutionem, donec ad iustum pretium perveniatur; ita communiter Cont. Tourn. [3] Lugo [4] Diana [5] et Salm. [6] cum aliis passim. Idemque recte docent de proxenetis vel aliis quibus commissa sit venditio rei, qui merces vendendas aut bona hastae exponunt eo tempore quo sciunt paucos emptores esse adfuturos, ut res amicis suis adiudicetur.

Sed dubium 1. fit utrum, exposita re ad licitationem, possit emptor alios rogare (precibus tamen non importunis), ne plus offerant, ut ipse pretio infimo rem obtineat. Negat p. Megala [7] cui adhaeret Cabass. [8] quia, dum alii parati erant plus offerre, venditor impeditur ne maius pretium consequatur. Et huic opinioni favet Less. [9] qui ait: *Pari modo emptores contra iustitiam peccant, quando conspirent, vel rogant alios ut non liceantur rem iusto pretio, sed minori, ratio, quia venditores* (nota) *ius habent ad pretium maius.* Affirmant vero communissime Contin. Tourn. [10] Lugo [11] Diana [12] cum Vill. Reg. Vega Rodr. Arag. Conrad. et P. Nav. ac Salm. [13] cum Pal. Trull. Tap. et Dic. Ratio (ut aiunt) quia emptor licite hoc casu utitur sua diligentia, ut sibi consulat.

Dubium 2. fit, an liceat emptori pacto convenire cum aliis licitatoribus ne plus offerant. Videtur Diana [14] cum aliis citatis pariter affirmare, adducendo verba Petri Nav. [15], qui sic tradit: *Non enim meo iudicio quodcumque monopolium mercatorum, ut nonnisi certo pretio emant, est iniquum, si revera illud est iustum. Atque idem est, si quis in publica licitatione roget amicos ne plus dent, ut ipse iusto pretio* (*infimo tamen vel mediocri*) *rem habeat iuxta illum forum; iste enim utitur industria, ut res iusto pretio detur, timens in emendo augmentum magnum in pretio.* Sed mihi et aliis doctis iunioribus videtur oppositum dicendum, saltem casu quo per sententiam iudicis res ad subhastationem exponitur. Ratio quia tunc dominus rei tenetur omnino rem tradere plus offerenti; ideoque iniuriam ei emptor irrogat, si solum pretium infimum aut medium offerendo impedit venditorem a consecutione pretii supremi, ad quod ius habet, scilicet ne impediatur ab illo consequendo. Sicut igitur talis venditor constitutus est in periculo tra-

(1) Ex l. 2. c. de resc. vend. (2) T. 2. p. 349. (3) Ibid. v. Quaeres denique. (4) D. 26. n. 45. (5) P. 4. tr. 4. r. 17. (6) De contr. c. 2. punct. 5. n. 58. et ibid. punct. 9. §. 1. n. 96. (7) 2. 2. l. 2. c. 6. q. 5. n. 146. (8) Th. iur. c. de empt. et vend. (9) L. 2. c. 21. n. 147. v. Dico tertio. (10) De pretio concl. 1. (11) D. 26. n. 45. (12) P. 1. tr. 8. r. 76. (13) Cit. punct. 5. n. 58. (14) D. res. 76. (15) De rest. l. 3. c. 2. n. 84. et 85.

dendi rem pretio parvo, si nullus alius emptor inveniatur plus offerens; ita ius habet ne privetur spe obtinendi pretium maius, si plures interveniant oblatores qui aemulatione ducti pretium augeant: id enim videtur requirere ius et natura licitationis, ut aequalitas servetur. Et idem videtur sentire Lugo [1], qui licet permittat rogare, non tamen admittit pactum inire.

809. « 6. Qui res minutim et in parva quantitate vendunt, possunt aliquanto carius vendere quam qui in magna quantitate, quia debent maiores labores, expensas etc. impendere ad eas conservandas; et sic quidem excusant caupones et stabularios qui avenam, foenum, paleas etc. carius vendunt quam alii; dummodo pretium iis non sit taxatum. Salas Trull. [2] (Est commune ap. Salm. [3] cum Less. [4] et Lugo).

810. » 7. Non licet carius vendere praecise ob dilatam solutionem, aut vilius emere praecise ob anticipatam solutionem: quia in venditione quae fit credito, vel in anticipata solutione, est virtuale mutuum, ideoque usura, si quid supra sortem exigatur. Quod intellige, nisi interveniat alius titulus ex supra enumeratis de usura: vel nisi aliunde crescat pretium, v. gr. ex frequentia emptorum etc. Bon. [5] ex Less. Reg. Fill. etc. *Vide superior. dub.* »

Potest igitur de se res carius vendi ob dilatam solutionem, vel emi ob anticipatam, ratione damni emergentis vel lucri cessantis, dummodo de his emptor moneatur. Notant tamen Salmant. [6] cum Bann. et Vill. non excusari qui tantam habent copiam mercium, quod opus eis sit partem earum ad creditum vendere; vel qui habent superabundantem copiam pecuniae, ut semper servent aliquid in deposito (Sed de hoc vide dicta supra *n.* 771.). Recte notant deinde, raro his venditoribus contingere hoc lucrum cessans, quia si venderent pecunia numerata, tantas merces non distraherent, et sic iam lucrantur pecunia credita, quod lucrarentur numerata. Ex quo dicunt, eis satis esse vendere ad creditum pretio summo id quod alias infimo vendituri essent, sed non amplius.

Ratione autem periculi in exigendo pretio, etiam carius res licite vendi potest, eodem modo ut dictum est supra *de usur. n.* 766. Sed in venditione certum est de his titulis monendum esse emptorem, ut Salm. [7] cum Serra.

Certum est etiam rem posse carius vendi, si pretium tradendum sit tempore quo res pluris est valitura, modo a venditore usque ad illud tempus res esset servanda; sicut contra potest vilius emi si res tradenda sit tempore quo minoris valebit. Salm. [8].

811. Quaeritur an iuxta consuetudinem loci praeciso quocumque alio titulo, liceat carius vendere rem ad creditum, quam venderetur pecunia numerata.

Prima sententia negat, eamque tenent Nav. [9], item Val. Med. Garc. Cord. etc. ap. Salm. [10], quia quidquid exigitur ob dilatam solutionem est usura.

Secunda sententia vero probabilis, quam tenent Less. [11] Lugo [12] cum Mol. Cano Tol. Vict. Spor. [13] et Salm. [14] cum Soto Pal. Sanchez Trull. Serra Bann. Reb. Vill. etc. asserit licitum esse. Ratio quia communis aestimatio iustum reddit pretium rerum quae communiter ad creditum venduntur, cum plures emptores ad sic emendum conveniant, et ideo res pretio augetur. Nec obstat quod emptores cogantur ad sic emendum a sua necessitate; nam hoc per accidens se habet: caeterum verificatur quod eo casu concurrit emptorum multitudo quae iustam reddit talem adauctam aestimationem. Tanto magis quia in multitudine emptorum impossibile est non subesse aliquod periculum amittendi pretium. Nec valet dicere quod tunc non multitudo emptorum, sed modus sic emendi augeret pretium, et hic modus est usura-

(1) D. 26. n. 45. (2) D. 15. n. 11. (3) Tr. 14. c. 2. punct. 11. §. 2. n. 149. (4) Loc. c. n. 38. (5) Loc. c. (6) Ibid. §. 1. n. 141. (7) Ibid. (8) Loc. c. n. 146. et 147. (9) Man. c. 23. n. 82
(10) Tr. 14. c. 2. punct. 11. §. 2. n. 150. (11) L. 2. c. 21. dub. 6. n. 56. (12) D. 26. sect. 7. §. 2. n. 107. (13) De 7. praec. n. 24. (14) Ibid., n. 151.

rius; nam respondetur quod revera non modus dat titulum augendi pretium, sed multitudo aliorum sic ementium, licet multitudo ex tali modo oriatur. Ex dictis pariter est probabile licitum esse rem vilius emere numerata pecunia ob anticipatam solutionem, si talis alicubi sit consuetudo. Ratio quia tunc pauci sunt emptores qui emunt anticipata solutione; et contra multi sunt venditores tali modo vendentes, ex quo oritur, quod merces de se crescant. Ita Less. [1] Lugo [2] cum Molin. Toled. Cano Turr. Vict. Salon. Reb. etc., item Salmant. [3] cum Sanch. Bon. Pal. etc. contra Bann. Azor. Valent. etc. Nec obstat id quod obiicit Habert nempe quod ad hoc ut valeret ratio paucitatis emptorum, oporteret ut haec raritas adesset tempore traditionis rei, quando perficitur venditio; sed tempore traditionis non habetur haec supposita paucitas emptorum. Nam respondetur quod contractus emptionis non perficiuntur tempore traditionis, ut supponit Hab.; sed tempore contractus initi, licet dominium rei non transferatur nisi post traditionem, iuxta dicta *n.* 795. An autem chirographa possint minoris emi ob anticipatam solutionem. *V. infra n.* 829.

812. « 8. Licitum est vendere rem cum pacto de retrovendendo, idest, ut emptor teneatur tibi statuto tempore vel cum volueris, eam revendere; modo vera et non ficta emptio fiat, nec palliata usura intercedat. Mol. [4] Les. [5]. Qui addunt, iuxta aestimationem illius operis ac pacti, pretium esse imminuendum. V. c. Lugo [6]. »

Plures conditiones requiruntur ut venditio cum pacto retrovendendi sit iusta: 1. Ut pretium minuatur iuxta aestimationem gravaminis quod sic emptori imponitur. Hinc pretium rei venditae cum pacto retrovendendi, alii dicunt decrescere usque ad quartam partem, alii usque ad tertiam, alii ad arbitrium prudentum, ut Salmant. [7] cum Less. Bonac. et communi; sed [8] dicunt decrescere usque ad infimum pretium, non ultra: sed parum probabiliter, nam hoc revera decrementum dici nequit, quia emptor ad pretium infimum, etiam sine tali pacto, ius habet. 2. Conditio, ut non apponatur pactum quod pluris vel minoris retrovendatur; licitum autem est pactum, ut retrovendatur eodem pretio, licet res pretio augeatur, ut Les. [9] Bon. et Vil. ap. Salm. [10]. Ideo enim minoris emitur, quia venditor libertatem habet reemendi rem eodem pretio, quando res pretio augetur. 3. Conditio, quod non imponatur, ut periculum rei venditae sit ap. venditorem cum illud per se spectet ad emptorem, nisi augeatur pretium iuxta aestimationem periculi. Ita Salm. [11] Vide *n.* 842. et 849. 4. Conditio, ut res retrovendatur sicut traditur vacua, vel cum fructibus. Salm. [12]. Probabile autem est quod ob pactum retrovendendi venditor habeat actionem in rem, etiamsi emptor alteri eam vendiderit. V. Les. [13] et Salm. [14].

Si in venditione apponatur *retractus gentilitius*, sive pactum, ut consanguineus proximior venditoris ius habeat infra certum tempus rem reemendi, non poterit is rem reemere ut aliis tradat; cum hic retractus tantum institutus sit ut bona conserventur in familia; ita Cont. Tourn. [15] Conc. [16] Sporer [17] et Cabass. [18] cum aliis [19]. Si autem velit rem vendere, tenetur monere consanguineos, qui si per duos menses noluerint emere, potest ille cuilibet vendere, ut Sporer [20]. Quando autem res venditur, consanguineo irrequisito, iste poterit rem retrahere intra annum et diem; ita dd. [21] communiter [22] ap. Laym.

813. An sit licitum pactum reemendi ad arbitrium emptoris.

Prima sententia negat, quam tenent Habert [23] Cont. Tourn. [24]. Ratio quia li-

(1) C. 21. n. 61. (2) D. 26. n. 120. (3) Ibid. n. 153 et 154. (4) D. 373. (5) Dub. 14. etc. (6) D. 26. n. 189. (7) De contr. c. 2. punct. 6. n. 59. (8) N. 67. (9) L. 2. c. 21. dub. 14. n. 115. (10) Ibid. n. 64. (11) Ibid. n. 65. (12) Ibid. (13) N. 121. (14) Ibid. n. 66. (15) Hic appendix de contr. mohatrae etc. v. Quaer. 3. (16) T. 7. p. 290. n. 7. (17) De 7. praec. c. 5. n. 100. (18) L. 6. c. 9. n. 11. (19) Ex l. Dudum 14. c. de contr. empt. (20) Loc. c. (21) Ibid. (22) Ex l. 2. Feudorum. (23) T. 4 p. 3. c. 12. q. 5. r. 2 (24) De contr. p. 2. c. 1. a. 7. s. 1. punct. 1. concl. 2.

est huiusmodi contractus fiat sub nomine venditionis, revera tamen res non videtur vendi, sed tantum in pignus dari, ita ut emptor percipiat fructus ex sua pecunia, quam potest recuperare ad suum libitum. Eamdem sententiam sequuntur Salm. [1] cum Villal. et Tap. Hoc modo tamen limitant, nisi de pretio tántum minuatur quantum valent fructus; vel nisi sub initio contractus vendatur praedium cariori pretio, iuxta spem fructuum per aliquod tempus designatum percipiendorum.

Secunda sententia vero communissima affirmat, et hanc tenent Less. [2] Lugo [3] Mol. [4] Pal. [5] Spor. [6] Viva [7] Mazz. [8] Bon. [9] cum Cov. Azor. Fill. et Garcia; item P. Nav. Mald. et Sylv. ap. Salm. [10]. Hanc secundam sententiam certe probabiliorem puto, cum his tamen conditionibus: 1. Ut adsit verus animus emendi et vendendi, non autem foenerandi. 2. Ut emptor maius pretium solvat, iuxta aestimationem huius oneris quod imponit venditori, reemendi rem quando ipsi emptori placuerit; in quo omnes conveniunt. Hoc autem onus putant aliqui ap. Viva [11] aestimari usque ad tertiam partem pretii. 3. Ut non obligetur venditor reemere eodem pretio maiori quod recipit, ut docet Lessius [12] quidquid postmodum subdat, scilicet hoc excusari posse ex communi usu et aestimatione hominum, quod mihi minime probatur. Hinc censeo non posse emptorem in tali contractu obligare venditorem, nisi ad solvendum solum pretium iuxta valorem rei tempore venditionis, et si res sit deteriorata, iuxta valorem rei tempore reemptionis [13]; excessus enim iusti pretii datus venditori, totus ad illum spectat, ratione oneris ipsi impositi reemendi ad arbitrium emptoris. His conditionibus servatis, nequaquam illicitum mihi videtur praefatum pactum reemendi: sicut enim licitum est pactum retrovendendi in beneficium venditoris cum diminutione pretii, sic contra cum pretii augmento licitum dici debet pactum reemendi in beneficium emptoris, cum ita gravamina utrinque compensentur. Neque dicatur hoc esse mutuum virtuale, cum sit vera emptio et venditio, disparem quidem habens naturam a natura mutui; in mutuo enim res oppignorata perit mutuatario, sed hic, si res pereat, emptori perit aut deterioratur.

Nota hic vetitum esse contractum *mohatra*, scilicet quando quis emit a te mercem maiori pretio credito, cum pacto explicito vel implicito, ut tibi retrovendat minori pretio numerata pecunia. Adest de hoc prop. 40. damn. ab Innocentio XI. *Contractus mohatra licitus est etiam respectu eiusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praevie inito cum intentione lucri.* Ratio quia patet esse palliatam usuram. Caeterum, si res sine ullo praevio pacto retrovendatur, etiam pretio infimo, eidem venditori, de se contractus licitus est, modo absit animus usurarius. Ita Less. [14] Cont. Tourn. [15] Salm. [16] cum Tol. Nav. Pal. Bon. et communi. Addit imo Lug. [17] non esse illicitum venditori, si creditor vendat mercem et dicat emptori: *Si volueris eam viliori pretio vendere pecunia numerata, ego paratus sum emere.* Speculative loquendo, hoc neque videtur illicitum, sed practice puto difficillime hunc venditorem carere animo usurario.

814. « 9. Monopolia, id est, cum unus vel plures id efficiunt, ut ipsi soli aliquid vendant; vel cum mercatores conspirant, non minoris vendere, non sunt contra iustitiam; modo non conspirent ultra iustum pretium vendere. Ita contra Rebell. Navarr. etc. docent Mol. Less. etc., qui tamen concedunt, esse contra caritatem. V. card. Lugo [18]. Porro principum vel magistratus est, cum uni vel paucis tale privilegium conceditur, ut soli aliquid vendant, iis

(1) Loc. c. n. 61. (2) L. 2. c. 21. dub. 14. n. 113. (3) D. 26. n. 200. (4) D. 377. (5) T. 33. d. 5. p. 31. §. 1. (6) De 7. praec. c. 5. n. 101. (7) De contr. q. 2. a. 3. n. 12. (8) Tr. 3. disp. 3. q. 1. c. 3. (9) D. 3. q. 3. p. 3.

(10) Ibid. n. 60. (11) Loc. c. (12) N. 118. (13) Et contra si res crescit, crescit vendenti. Hom. Ap. tr. 10. n. 181. (14) L. 2. c. 31. dub. 16. n. 130. (15) In append. supra cit. v. Quaer. 2. in fin. (16) De contract. c. 2. punct. 7. n. 70. (17) D. 26. n. 208. (18) D. 26. sect. 13.

etiam pretium taxare, et sic providere ne subditi graventur. V. Less. [1] card. Lugo [2] et Trull. [3], qui recte notat ex Nav. etc. etsi alia monopolia ex iusta causa, auctoritate principis vel reipublicae concessa taxato pretio sint licita, v. gr. bibliopolis, ut nemo alius talem librum vendat, vel ut tantum sit unus aut duo tabernarii in aliquo loco; nihilominus quando unus vel pauci propria auctoritate ea constituunt, v. gr. emendo merces certi generis, ut frumentum, vinum, oleum etc., ut ipsi deinde arbitratu suo vendant carius, peccare semper etiam contra iustitiam cum obligatione restituendi. »

815. *Monopolium* idem sonat ac venditio unius; nam *monopola* sonat unicus venditor. Quatuor igitur modis monopolium contingere potest: 1. Si princeps alicui concedat privilegium, ut solus vendat aliquod genus mercium; et hoc certe licitum est. 2. Si mercator impediat ne aliae merces advehantur, ut ipse merces suas vendat cum damno reipublicae; et hoc est certe illicitum, et tenetur ad damni restitutionem. Et idem dicendum de eo qui falsam notitiam spargit, naves esse submersas aut similia mendacia. 3. Si unus vel pauci omnes merces emant, ut deinde vendant quanti plurimi. 4. Si venditores conspirent inter se de pretio, ut non minoris vendant. Sed circa hos duos modos hic ultimo loco adnotatos duae magnae agitantur quaestiones.

816. Quaeritur 1. An unus vel pauci mercatores, qui tempore messis aut vindemiae emunt omne triticum aut vinum pretio vili tunc currente, ut postea carius vendant, peccent contra iustitiam. Certum est 1. id licitum esse si emantur merces non necessariae ad vitae sustentationem, vel ad communem reipubl. statum, ut sunt gemmae pretiosae, equi generosi, ornatus mulierum et similia. Certum est 2. licitum esse emere triticum, vinum etc. ut postea vendantur reipub. pretio communi, quo venderent alii negotiatores ea de longe asportantes, vel ut vendantur civibus moderato lucro, postquam cives iam emerint sibi necessaria et convenientia. Ita Bon. [4] Salm. [5] cum Trull. Tap. ac Villal., et sic etiam docet s. Ant.[6], qui ait: *Licite potest mercator annonas illas emere messis tempore, carius postea venditurus, ut sic honestum per opera sua lucrum reportet*. Quaestio igitur est de ementibus omnes illas res necessarias ad sustentationem, ut postea vendant carius ad suum libitum, an isti teneantur ad restitutionem.

Prima sententia negat, et hanc tenent Less. [7] et Mol.[8]. Ratio quia huiusmodi emptores quamvis peccent contra iustitiam legalem, non tamen laedunt iustitiam commutativam, cum emerint pretio currenti; alias, ut dicunt, etiam eam laederent emptores, qui concurrendo simul caritatem inducerent, quia sic etiam ipsi essent causa ut pretium augeretur. Haec tamen sententia minime mihi videtur probabilis, quia constitutio pretii non pendet a privato arbitrio venditorum, sed a communi aestimatione civium; nec obstat paritas adducta emptorum concurrentium, quia tunc auctio pretii evenit per accidens: at hic pretium augetur ex sola venditorum voluntate. Unde recte s. Anton. [9] sic docuit: *Si autem annonas temporis emit, et tantum congregat, ut postea compellantur homines emere ab uno ad placitum suum, et ideo vendit care ut vult, enormiter peccat contra proximum et communitatem.*

Secunda sententia igitur communis et vera, quam tenent Sot. [10] Sylvest. [11] Cont. Tourn.[12] Viva [13] Croix [14] Salm.[15] cum Trull. Bann. Tap. et Vill., docet hos emptores teneri ad restitutionem damni arbitrio prudentum caeteris emptoribus et reipubl. si merces vendant carius quam iuxta fori aestimationem pretium curreret, si ipsi monopolium non fecissent. Ratio quia isti sunt cau-

(1) C. 21. d. 20. (2) Loc. c. (3) C. 20. d. 18. (4) D. 3. q. 2. p. 2. n. 3. (5) De contr. c. 2. punct. 4. §. 2. n. 45. (6) P. 2. t. 1. c. 23. §. 15. (7) L. 2. c. 21. n. 151. (8) D 145. (9) Loc. c.

(10) L. 6. de iust. q. 2. a. 2. (11) V. Emptio, q. 10. (12) Hic de monopolio, concl. 3. (13) Q. 2. a. 4. (14) L. 3. p. 2. n. 946. (15) Ibid. n. 44.

sa ut pretium iniuste augeatur. Eamdem sententiam sequitur etiam Lugo [1], modo tamen pretium augeatur, supra summum, quo merces venderentur, si factum non fuisset monopolium. Caeterum probabiliter censent idem Lugo [2] Bon. [3] Fill. [4] Holzm. [5] Croix [6] et apud Lugo [7] Bann. Arag. Eman. et Vega, non peccare contra iustitiam tales emptores si vendant pretio summo quod curreret, si monopolium non praecessisset. Ratio quia quisque ius habet ad rem suam vendendam pretio rigoroso. An autem huiusmodi venditor (si unus sit qui merces illas congregarit) peccet tunc saltem contra caritatem. Affirmant plures, sed negant Holzm. [8] et Lugo [9] cum Mol. et Less. [10], modo alios non inducat ad carius vendendum; nam alioquin nemo tenetur negligere commodum suum ut damnum alienum evitet, quando non tenetur avertere.

817. Quaer. 2. An mercatores inter se conspirantes ut merces vendant pretio cariori, teneantur ad restitutionem. Certum est teneri, si conveniant vendere pretio ultra supremum; sicut pariter peccant contra iustitiam artifices illi et similes, qui inter se conveniunt de non locando operas suas nisi pretio summum excedenti, ut Less. [11] Salm. [12] cum aliis communiter. Quaestio igitur est, quando conventio fit ut merces non vendantur nisi pretio summo, an peccetur contra iustitiam.

Prima sententia affirmat, quam tenent Laym. [13] Sot. [14] Cont. Tourn. [15] Sporer [16] Ronc. [17] et Reb. ac Dic. apud Salmant. [18]. Ratio, tum quia ex *l. un. c. de monop.* hoc graviter prohibetur sub privatione omnium bonorum et perpetuo exilio; tum quia huiusmodi mercatores per medium iniquum cogunt alios emere pretio illo supremo.

Secunda sententia tamen dicit hos non peccare contra iustitiam, et hanc tenent Less. [19] Lug. [20] Viva [21] (qui vocat communem) Fill. [22] Holz. [23] Tamb. [24] cum Mol. Bonac. et Salm. [25] cum Tap. Bann. Reg., et probabilem vocat Layman [26] cum P. Nav. Prima sententia est quidem probabilis; sed haec secunda non minus probabilis videtur et forte probabilior, tum auctoritate dd., tum ratione; quia non apte dicitur quod venditores convenientes vendere pretio summo cogant alios ad sic emendum, cum isti voluntarie emant; si coguntur, non coguntur a venditoribus, sed a propria necessitate, quae non potest dici vera coactio ex parte venditorum emanans. Recte igitur loquendo, dicendum per talem conventionem emptores potius impediri ab emendo pretio minori. Cum autem sic impediuntur, non irrogatur eis iniuria, nisi impediantur minis vel mendaciis, sicut accidit in omni alio contractu: aliter etiamsi aliquis tantum suaderet venditori ut venderet pretio summo, etiam peccaret contra iustitiam, et teneretur ad restitutionem; quod iidem contrarii negant. Haec ratio sumitur ex regula generali, ut diximus *n.* 582. et 584. Sicut enim non infertur iniuria alteri, cui sine vi vel fraude impedias ut testator relinquat haereditatem non debitam, etiamsi testator erat determinatus ad eam illi relinquendam; ita in casu nostro. Licet igitur talis conventio sit illicita quia est prohibita iure positivo, non est tamen iniuriosa iure naturali. Nec valet dicere quod ipsa conventio venditorum, cum ipsi mutuo obligentur ad non vendendum nisi pretio summo, cogeret emptores ad sic emendum; nam respondetur 1. quod hoc pactum cum sit sponte initum, non est in illo nec vis nec fraus. Respondetur 2. quod huiusmodi conventio cum sit illicita et contra caritatem, ut infra dicemus, nullam potest

(1) D. 26. n. 176. (2) N. 177. (3) D. 3. q. 2. p. 5. n. 4. (4) Tr. 35. c. 8. n. 214. (5) De contr. c. 4. n. 805. (6) L. c. n. 946. (7) D. n. 177. (8) C. 4. n. 805. (9) D. 26. n. 178. (10) C. 20. n. 168. (11) L. 2. c. 21. n. 147. (12) De contr. c. 2. punct. 5. n. 53. (13) L. 3. tr. 4. c. 18. n. 43. (14) L. 6. q. 2. a. 3. (15) Loc. c. concl. 2. (16) De 7. praec. c. 5. n. 103. (17) De contr. c. 8. q. 2. r. 3. (18) Ibid. n. 55. (19) L. 2. c. 21. n. 145. (20) D. 26. n. 172. et 173. (21) De contr. q. 2. a. 4. n. 2. (22) T. 35. c. 8. n. 232. (23) C. 4. n. 805. (24) Dec. l. 8. c. 3. §. 12. n. 11. (25) Loc. c. n. 56. (26) Loc. c. n. 42.

inducere obligationem, ex regul. iur. 69. in 6. ubi: *in malis promissis fidem non expedit observari:* iuxta dicta *n.* 712. Hinc posita probabilitate huius secundae sententiae, probabilius est hos venditores non teneri ad restitutionem, prout diximus supra *n.* 669. Non dubitatur autem, quod iudex eo casu possit pretium supremum reducere ad medium, ut Lugo [1]. Nec dubitandum quin praefati venditores sic conspirando graviter peccent contra caritatem, ut docent Less. [2] Salm. [3] et Lugo [4] cum Mol. et communi, a qua ait Lugo non recedendum. Ratio quia licet caritas non te obliget ad vendendum infra pretium summum, videtur tamen te obligare ad non dissuadendum aliis ne mitiori pretio vendant: sicut, esto caritas non te obliget ad dandam eleemosynam, videtur tamen te obligare ad non dissuadendos alios qui eam largiri volunt.

Sed hic aliud dubium fit an facto monopolio de pretio iniusto a mercatoribus, liceat aliis merces eodem pretio vendere. Negant Tapia Reb. et Dic. apud Salm. [5], quia pretium illud iniustum est. Sed affirmant Salm. [6] cum Bonac. Trull. Reg. Medina et Diana. Ratio quia illud pretium iam commune est et currens; et per accidens se habet quod ex iniustitia aliorum adauctum sit. At prima sententia mihi omnino melior videtur, semper ac (intelligo) pretium sit ultra supremum. Ratio quia pretium illud per iniustitiam adauctum semper et per se iniustum est, et ad iustitiam reducendum. Illa autem minime est dicenda iusta aestimatio quae iniusta deprehenditur et ex iniustitia est orta; imo neque aestimatio dici debet, sed potius deceptio et fraus. Ita recte Conc.

848. « 10. Venditor debet emptorem praemonere de notabili vitio rei quod ei obesse potest, v. gr. si equus sit furiosus, domus ruinosa, oves morbidae, pannus adustus etc.; alioquin tenetur de fraude et damno secuto: saltem si defectus fuerit in substantia vel quantitate, v. gr. si deficiat in pondere vel mensura, aut vendiderit rem unam pro alia: et sic peccat mortaliter cum obligatione restituendi, 1. qui frumentum venditurus ponit prius in loco humido ut intumescat. 2. Qui vino rhenano miscet francicum. 3. Qui carnes bubulas vendit pro vervecinis etc. Vide Less. Bon. Dian. [7] Trull. [8]. Quando autem venditor possit iuste tacere vitia qualitatis rei quae venditur, sine obligatione restituendi pretium vel rescindendi contractum, vide card. Lugo [9] et Trull. [10], qui notat venditionem factam ab ignorante vitium rei esse validam: rescindendam tamen, vel reducendam ad aequitatem, nisi venditor contra hoc exceperit. »

Triplex igitur vitium potest esse in re vendenda: 1. Circa *substantiam*, ut si vendatur stannum pro argento. 2. Circa *quantitatem*, si dentur 5. modia pro 10. 3. Circa *qualitatem*, ut si vendatur vinum corruptum, pannus adustus.

849. Et 1. si vitium fuit circa *substantiam*, certe contractus est nullus, et venditor tenetur vel contractum rescindere (si alter, vitio manifestato, non emisset, ut docet Less. [11]) vel saltem excessum pretii reddere. Idem contra, si emptor emat gemmam pro vitro, tenetur supplere pretium, saltem infimum, si dolum ipse non adhibuit. Salm. [12]. Excipe, si uterque sorti se committant ob ignorantiam valoris, ut diximus *n.* 802. *v. Notandum* 4.

Sed hic dubitatur, an licite quis emeret scienter argentum pro stanno, petendo a venditore ignorante ut condonet quod amplius valeat. Omnino negandum, contra aliquos, quia talis donatio cum procedat ex ignorantia, nulla est. Ita Tamb. [13] cum Salas et Salm. [14] Less. [15].

Item si venditor ob ignorantiam rem venderet infimo pretio, etiamsi venditor non interrogaret emptorem de rei

(1) N. 177. (2) C. 21. n. 145. (3) Dict. n. 56. (4) N. 175. (5) De contr. c. 2. punct. 5. n. 57. (6) Ibid. (7) P. 1. t. 8. r. 51. (8) D. 11. (9) D. 26. sect. 8. n. 128. (10) T. 20. d. 11.

(11) L. 2. c. 21. n. 87. (12) Tr. 14. c. 2. punct. 12. §. 2. n. 171. (13) L. 8. tr. 3. c. 7. §. 11. n. 39. (14) Ibid. n. 172. (15) N. 84.

valore (nam, si interroget, certe tenetur emptor valorem manifestare. Ita Salm. [1] Lugo [2] et Tamb. [3]. Ratio quia venditor tunc ob ignorantiam facile pretium infimum acceptat. Excipit Lessius nisi ignorantia esset communis in aliquo loco, per quam res vilius aestimatur). Sed huic sententiae nescio acquiescere. Non nego quod ratione illius donationis nihil emptor retinere possit, quia non est vera donatio, quidquid dicant Caiet. et Arm. apud Lugo. At nescio cur non valeat huiusmodi contractus ut vera venditio. Ex una parte enim emptor iuste emit infimum pretium solvendo; ex alia non valeo intelligere unde ipse obligationem habeat certiorandi venditorem (sive interroget venditor sive non) de rei valore ignorato, quando nullo modo eum positive decipit aut cogit ad vendendum : quod autem venditor ignoret pretium illud esse infimum, per accidens se habet et ipsi imputandum est.

820. Si vero res mixta venditur ut pura, quando vere sit res perfectior aliis, et post mixtionem aliis non sit deterior, probabiliter vendi potest, vitio non manifestato, pretio communi, Salm. [4] Less. [5] et consentit p. Conc. [6] cum sententia fere communi, ut asserit; modo, facta mixtione, merx vere adaequet alias quae communiter venduntur. Sed dubitatur 1. an idem possit dici de vino mixto cum aqua. Negant Salm. [7], sed fatentur graves dd. hoc admittere, ut revera admittit Lessius [8] cum Lop. et aliis, ut infra. Et satis probabile videtur, nisi ex mixtione vinum acesceret vel servari non posset ab emptore qui ad servandum emeret, ut aiunt Tamb. [9] Serra [10] cum Sot. et Conrad. Io. de la Crux et Dian. ap. Moyam. Saltem in hoc non videtur esse gravis iniustitia. Id confirmat s. Ant. dicens: *Cum aliqui sophisticant ea quae vendunt, ut se servent indemnes, et cum aliquo lucro congruo, quia si venderent puras res, emptores non vellent dare iustum pretium, quia alii vendunt alia sic mixta minori pretio; videntur posse excusari, dummodo non fiant mixturae quae noceant corporibus in his quae venduntur in cibum et potum, et praecipue in medicinalibus* [11]. Confirmatur id etiam ex s. Thom. qui ait: *Cum usus rei etsi non competat venditori, potest tamen esse conveniens aliis, et si ipse propter huiusmodi vitium subtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium* [12].

821. Dubitatur 2. an sit iniustitia vendere quid pro quo, ut solent pharmacopolae, si quod traditur sit aeque vel fere aeque utile. Negant probabiliter Spor. [13] Salm. [14] cum Lugo Sot. Dic. Medin. Salas et Tamb. [15], dummodo exigatur iustum pretium rei traditae. Ratio quia tunc non adest diversitas substantialis quoad finem emptoris. Recte tamen advertit Tamb. quod ut venditor in hoc excusetur debet esse certus, non dubius de tali aequalitate virtutis.

822. 2. Si vitium est circa *quantitatem* quaeritur an excusetur qui utitur mensura diminuta, ut consequatur iustum pretium, alias non consecuturus ob iniustam taxam vel iniustum monopolium ementium. Valde probabiliter affirmant Lug. [16] Laym. [17] Pal. [18] Sporer [19] cum Sot. Val. Tol. et Salm. [20] cum Reb. Salas et Dic. Ratio quia tunc iste vexationem suam iuste redimit.

823. 3. Si vitium denique est circa *qualitatem*, quando est de se patens, non tenetur venditor illud manifestare, ut s. Th. [21] cum communi. Notant bene tamen Salm. [22] cum Lugo Laym. Dic. et Pal. quod si venditori constet ignorantia emptoris, tenetur in conscientia vitium manifestare vel damnum compensare; quamvis ceterum (ut dicit Tambur. [23] cum Less. et Mol.) contractus sit validus; nisi, excipit Less. [24], res

(1) Ibid. (2) D. 26. n. 137. (3) Loc. c. n. 38. (4) De contr. p. 10. §. 1. n. 129. (5) L. 2. c. 21. dub. 11. n. 85. (6) P. 307. n. 30. (7) Cit. n. 129. (8) D. n. 85. (9) L. c. n. 27. (10) 2. 2. q. 77. a. 2. (11) P. 2. t. 1. c. 17. §. 4. (12) 2. 2. q. 77. a. 2. (13) C. 5. n. 74. (14) De contr. c. 2. punct. 12. §. 2. n. 174. (15) L. 6. n. 9. (16) D. 26. n. 125. (17) L. 3. sect. 5. tr. 4. c. 17. §. 2. n. 15. (18) D. 5. p. 22. n. 5. (19) De 7. praec. c. 5. n. 76. (20) Ibid. n. 175. (21) 2. 2. q. 77. a. 3. (22) Ibid. n. 176. (23) Ibid. n. 19. (24) L. 1. c. 17. n. 33

adhuc sit integra. Excipitur item, si qualitas transierit in substantiam, puta, si emptor expresse dixerit, *nolo vinum, si non est vetus*. Tamb. [1] cum Dic. qui etiam notat [2] quod venditor dolo decipiens emptorem circa qualitatem, si res aeque illi non sit vel fere aeque utilis, tenetur vel contractum rescindere vel damnum resarcire ad arbitrium emptoris; et idem dicit Habert [3]. Quando autem vitium rei occultum et nocivum sit emptori, ut si equus sit furiosus, domus ruinosa, recte dicit *hic* Bus. cum Viva [4] teneri ex iustitia venditorem illum de vitio monere. Notat etiam Viva [5] cum Less. quod si emptor interroget an res habeat certum defectum tenetur venditor manifestare: alias venditio est nulla: secus autem si interroget in genere, tunc si res est utilis ad finem emptoris venditio est valida. Deinde notat Tamb. [6] quod si venditor protestetur se nolle rationem dare de quocumque defectu, sed vendere uti vulgo dicitur: *A sacco d'ossa rotte* [7]; tunc ad nihil tenetur. Unde merito approbat Tambur. consuetudinem quae alicubi viget, praesertim in nundinis magnis, quod ita vendantur animalia, etiamsi vitia sint occultissima. Ratio quia ad tollendas lites ob commune bonum satis hoc cohonestari potest a consuetudine: dummodo, intelligendum, non vendatur res ultra iustum pretium, saltem supremum, quanti valet res, habita ratione illius vitii occulti.

824. « 11. Si scias occulte debitorem tuum non esse solvendo, iniustum videtur, iis qui id nesciunt debitum illud vendere pretio ordinario; tum quia est dolus, tum quia vitium intrinsecum crediti non revelatur. Bon. [8] Lessius [9] Fill. etc.

» 12. Etsi venditor sciat pretium mercis mox minuendum, licet tamen vendere pretio currente, et non dicere emptori (secluso tamen dolo, fraudibus et mendaciis, quibus emptorem allicere ad emendum ei non licet); quia pretium currens simpliciter adhuc est iustum. Bon. [10] ex Az. et Fill. etc.

Sed de hoc dubitatur inter dd. Alii enim, ut Rodr. Med. Gab. etc. negant posse vendi pretio currenti rem quae scitur mox minoris valitura, quia tunc res illa ex tali circumstantia minus valet: et hanc recte Salm. [11] cum Pal. probabilem vocant. Alii tamen affirmant, ut cum Bus. Less. [12] Cont. Tour. [13] Salm. [14] cum Cai. Bon. Pal. Sot. Trull. ex s. Th., qui [15] expresse hoc docet inquiens: *Venditor qui vendit rem secundum pretium quod invenit, non videtur contra iustitiam facere si quod futurum est non exponat*. Ratio quia non est respiciendus valor futurus, sed praesens, qui non variatur ex notitia particulari, sed ex communi aestimatione: et hanc sententiam veriorem censeo, si vere notitia sit particularis, non autem si communis. Sic pariter contra, bene aiunt p. Conc. Cont. Tournely [16] cum Ban. Cai. Mald. et Salm. [17], licere cuique emere merces pretio currenti, scienti pretium brevi augendum, quamvis hoc ignorent venditores, ut probatur exemplo Iosephi [18]. Item dicendum cum Cont. Tourn. et Conc. bene te posse emere pecunia, quam private scis brevi prohibendam; modo, semper intellige, absint mendacia, vis aut fraus. Utrum autem emptor aut venditor eo casu peccent contra caritatem, qui venderet rem illam alicui cum tanto eius damno. Resp. s. Th. [19] *Abundantioris esse virtutis*, *si pretium minuat*. Sed si non minuit, regulariter non peccat, ut dicunt Cont. Tourn. [20] et Salm. [21], quia sic ille consulit rebus suis, licet damnum per accidens alteri eveniat. Certum autem est non teneri cum suo damno rem manifestare, ut Cont. Tourn. [22] Ronc. [23] et Salm. [24] cum Less. Bon. Trull. etc. Ratio quia ex una parte non laedit caritatem qui u-

(1) N. 21. (2) N. 22. (3) T. 4. p. 3. c. 12. q. 3. (4) A. 5. n. 3. (5) Q. 2. a. 5. n. 5. (6) D. §. 11. n. 29. (7) Idest: periculo emptoris. (8) L. c. p. 10. (9) C. 21. d. 10. (10) Q. 2. p. 5. n. 12. (11) Tr. 14. c. 2. p. 9. §. 2. n. 107. (12) C. 21. n. 40. (13) De venditione a. 4. concl. 2. v. Quaer. 2. (14) Ibid. n. 108. (15) 2. 2. q. 77. a. 3. ad 4. (16) Loc. c. (17) Cit. n. 108. (18) Gen. 41. (19) Loc. c. (20) Ibid. (21) Ibid. (22) Loc. c. (23) De contr. c. 5. q. 6. restit. 2. (24) Ibid.

titur iure suo iuste consulens rebus suis, quamvis alter per accidens damnum ex eo patiatur; ex altera parte non tenetur notitiam illam manifestare cum suo incommodo, ut aiunt Lessius [1] et iidem Salm. [2] cum Sot. Cai. Bann. Pal. Bon. Nav. etc. communiter. Dictum est *regulariter;* nam excipiunt 1. Cont. Tourn. et Ronc. si tali venditione emptor reduceretur ad extremam vel gravem necessitatem; sicut enim caritas praecipit ut subveniamus proximo graviter indigenti, sic vetat ne in paupertatem ipse redigatur ut nobis divitias comparemus. Excipit 2. Ronc. si ille causa talis notitiae venderet in maiori quantitate quam foret venditurus cum gravi damno emptoris; nisi iste adhuc eamdem quantitatem eodem pretio empturus fuisset ab aliis: at Salm. [3] merito sentiunt hanc exceptionem regulariter non valere. Excipit 3. idem Ronc., si is posset mercem suam pluribus vendere, et vendit uni; vel si posset vendere alicui qui statim iterum venderet aliis rem consumpturis, et venderet alteri rem servaturo usque ad tempus diminutionis pretii. An autem in his omnibus casibus venditor semper graviter caritatem laederet, dubito, si attendatur ratio ab iisdem auctoribus citatis, nempe quod caritas non vetat ne sibi quis consulat utendo iure suo, licet alteri per accidens damnum obveniat.

825. « 13. Si cui datum est aliquid vendendum pretio, v. gr. infimo vel moderato, et is vendat rigoroso, probabile est ut habet Ang. [4] non teneri restituere, sed posse retinere excessum cum sua industria acquisiverit. Aliud tamen est de famulis mercatorum, quibus indeterminato pretio traditur meliori modo vendendum quo possunt, in utilitatem domini: v. Lessius [5] c. Lugo [6]. »

Quaeritur, an tradita tibi re ad vendendum, pretio designato, possis tibi retinere plus quod ex ea retrahes. Certum est nihil posse retinere, si sis famulus stipendiatus domini rei, sive pretio conductus ad vendendum. Alioquin duae adsunt sententiae:

Prima, quam tenet Bus. *mox supra* cum Angel. et probabilem putant Viva [7] ac Mazz. [8] affirmat posse retinere, si ex tua industria vendas ultra pretium assignatum, quia excessus ille non rei, sed tuae industriae fructus est.

Secunda sententia tamen vera quam tenent Less. [9] Lugo [10] Spor. [11] Ronc. [12] Tamb. [13] Cont. Tour. [14] Conc. [15] Salm. [16] cum Sylvest. Pal. Villal. et Fag. (qui apud Renzi [17] primam sententiam putat improbabilem) negat te posse retinere illud pluris quod ex venditione retrahis. Ratio quia assignatio illa facta est a domino ne infra, non autem ne supra res vendatur. Excipiunt vero Salmant. [18] et Ronc. [19] consentitque Croix [20] si dominus commiserit vendere in uno loco, et tu, facta ibi diligentia, plus vendas in alio valde distanti. Sed merito id negant Lugo [21] Sporer Tamb. et Cont. Tourn. [22]; tunc enim tantum potes retinere pretium tui laboris, non autem totum excessum retractum ex re, quae semper domino suo fructificat. Et idem dicendum sentio (quidquid dicant Salm. [23]) si tibi alter commiserit aliquid tanti emere, et tu minoris emas, adhibita diligentia extraordinaria; eo casu, praeter valorem tui laboris, non poteris plus a domino exigere quam impendisti, cum nomine suo, non tuo rem emisti.

Bene autem poteris excessum ex re vendita retractum tibi retinere in sequentibus casibus: 1. Si res tua industria sit meliorata, et ideo pluris vendas, ut concedunt p. Concina et Cont. Tourn. [24] cum Salm. [25]. Ratio quia ut communiter docent Molin. Dic. et alii cum Croix [26] fructus mixti, scilicet pro-

(1) L. 2. c. 21. n. 40. (2) Ibid. (3) Loc. c. (4) V. Emptio. (5) D. 18. (6) D. 26. §. 9. (7) De contr. q. 2. a. 3. n. 4. (8) Tr. 3. d. 3. q. 1. c. 2. Quaer. 4. (9) L. 2. c. 21. dub. 19. n. 138. (10) D. 26. n. 130. (11) Compl. de 7. praec. c. 5. n. 38. (12) De contr. c. 9. q. 1. r. 2. (13) Dec. l. 8. tr. 3. c. 7. §. 9. n. 10. (14) De vendit. a. 7. sect. 4. (15) T. 7. p. 293. n. 13. (16) Tr. 14. c. 2. punct. 8. n. 72. (17) De 7. praec. c. 6. q. 10. (18) Ibid. n. 71. (19) Loc. c. (20) L. 3. p. 2. n. 114. (21) L. c. v. Quarto. (22) Loc. c. (23) L. c. n. 75. (24) Loc. c. (25) Ib. n. 71. (26) L. 3. p. 2. n. 21..

venientes tam ex natura rei quam ex industria, non debent restitui domino a possessore tam bonae quam malae fidei, nisi quantum respondent naturae, non vero quantum respondent industriae: fructus enim illi non sunt rei, sed hominis, occasione rei, vel per rem tamquam instrumentum sibi lucrantis. 2. Si tacite cum domino conveneris nihil ei dare ultra pretium designatum; ita Lugo [1] et Salm.[2] cum Pal. Sal. Led. etc. Quod utique intervenire asserunt, si dominus pro tuo labore nullum assignet stipendium. 3. Si lucrum sit parvi momenti, ut Spor. et Tamb. [3] quia tunc facile praesumitur dominus consentire ut modicum illud lucrum tibi retineas. 4. Si tu, facta communi diligentia, et pretio maiori non invento, rem tibi emas, et postea pluris vendas, solvasque domino solum pretium assignatum. Ita Lugo [4] Lessius [5] Cont. Tourn. [6] Viva [7] et Salmant. [8] cum Vill. et Mald. Et idem ait Lugo [9] si alter tibi commiserit aliquid emere tali pretio, et tu invenias rem pretio minori: poteris tunc rem tibi emere, et postea eam vendere illi alteri pretio maiori, dummodo postea adhibita diligentia ordinaria, non invenisses occasionem rei emendae, nisi illo maiori pretio. Additque Lugo [10] tunc censeri quod tu volueris rem tibi emere aut vendere, quoties habueris animum retinendi tibi excessum, et simul assumendi periculum rei, si forte periisset. Id tamen bene advertit Lugo, non esse licitum clericis, quibus interdicta est negotiatio, si ipsi ideo emant ut postea non mutatam carius vendant, ut in *Dub. seq.* fusius declarabimus.

Quid si tu gratis te obtuleris ad vendendum vel emendum? Nihil posse retinere dicunt Molina [11] et Less.[12]. Sed Ronc. [13] Sporer [14] cum Fag. Tamb. dicunt posse tibi retinere pretium tui laboris, si non habueris animum donandi; sic enim fuisti quidem mendax et non fidelis, sed non fuisti iniustus, cum tuus labor iam pretio dignus erat. Et hoc probabilius mihi videtur, modo dominus iam prius statuisset vendere rem illam et modo alter non fuisset, qui gratis rem domino venderet.

826. » 14. Quando sartoribus ementibus pannum pro iis quibus vestes conficiunt, minoris venditur, quam aliis, eo quod sint parochiani mercatorum, vel saepe ab iis emant, possunt partem pretii remissam sibi retinere, dummodo alias fideliter agant, quia nulla fit iniuria: et cum mercatorum plurimum intersit, ut tales ad ipsorum potius, quam ad aliorum officinas veniant, censentur in ipsorum gratiam remittere, iisque donare eam partem. Fill. Diana [15]. Negant tamen Salas eo quod mercatores falso dicant se remittere, ut alliciant. »

Caute igitur, ut bene advertit Cont. Tourn. [16] permittendum est sartoribus ementibus pannos pro aliis, retinere aliquid de pretio; nam aliquando mercatores revera potius simulant ipsis donare, quam donent, ita ut si dominus ipse adiret, pro eodem pretio rem obtineret. Caeterum, si sartor fideliter negotium domini gerat, et mercator ei aliquid donet vere gratis, quia suam officinam ille frequentat, vel ut eum alliciat ad suam officinam frequentandam, licite sartor posset retinere donatum, modo moralem diligentiam adhibuerit ad emendum ab aliis mercatoribus pretio minori. Ita Cont. Tour.[17] Sporer [18] cum Busemb. *mox supra*, et Salmantic. [19] cum Filliuc. Trull. Diana etc. Praeterea advertunt Salmant. nihil posse exigere sartores ob lucrum, quod iis cessat, cessando ab opere, causa adeundi mercatores ad vestes emendas, quando ipsi ultro ad emendum se offerunt. Hoc intelligendum, si alioquin alter non deesset qui gratis domino emeret, ut diximus mox supra *n. anteced. in fin.*

827. « 15. Cum res duobus in solidum est vendita, is dominium acquirit

(1) Disp. 26. n. 150. (2) Ibid. (3) Loc. c.
(4) Dict. n. 150. v. Quinto. (5) C. 21. n. 139.
(6) Ibid. (7) Loc. c. (8) Ibid. n. 75. (9) N. 151.
(10) N. 152. (11) D. 363. (12) C. 21. n. 138.
(13) Loc. c. (14) N. 41. (15) P. 1. t. 8. r. 26.
(16) Loc. c. v. Hinc colliges. (17) Loc. c.
(18) De 7. praec. c. 5. n. 57.
(19) Tr. 14. c. 2. punct. 8. n. 76.

cui tradita est, dummodo is pretium solverit. Si neutri tradita sit, debetur ei qui prius tempore emit, et alter habet actionem in venditorem. Si quid tamen vendatur, aut detur ecclesiae vel aliis piis locis, acquiritur dominium ante traditionem. Vide Less. [1] et card. Lugo [2]. »

Si res igitur sit vendita uni et postea tradatur secundo emptori, istius fit. Excipe 1. nisi hic secundus emptor sit conscius prioris venditionis; ita Less. [3] cum Gloss. [4] p. Concina [5] Salm. [6] cum communi. Et hoc etiamsi hic secundus emptor sit persona privilegiata, ut Continuat. Tourn. [7] Concina [8] Salm. [9] cum Less. et aliis communiter; tunc enim iste tenetur rem tradere primo emptori: sed non ante sententiam, si forte ipse induxerit venditorem ad rem ei secundo vendendam, ut Less. Salmant.[10] et Cont. Tourn.[11]. Excipe 2. si primus emptor sit privilegiatus, nempe locus pius aut universitas, Contin. Tourn.[12] Conc.[13] et Salm.[14]. Excipe 3. si res sit tradita secundo titulo gratioso: nam hic debet rem sibi traditam restituere emptori, qui ius habet ad rem[15]. Haec tamen restitutio non debetur nisi alius emptor petat intra annum [16]. Ita Less. Cont. Tourn. et Salm. [17].

828. « 16. Si res pereat ante traditionem, et sit certa ac determinata, v. gr. haec domus, hoc dolium vini, perit emptori, nisi aliter expresse conventum sit, aut venditoris culpa pereat. Si autem res sit indeterminata (ut si quis emerit 10. modios tritici ex granario, oves ex grege) aut si emat rem determinatam quidem, sed ad mensuram (ut acervum totum tritici uno floreno in singulas mensuras), tunc ante rei traditionem aut mensurationem, periculum spectat ad venditorem. Vide Less. [18] card. Lugo [19] Laym. [20] Bon.[21] (Excipe si emptor sit in mora, ne res sit dimensa[22]. Nota tamen quod incrementum et decrementum rei etiam in determinatae spectat ad emptorem. Salmant. [23] cum Less. Bon. etc.).

» 17. Si res vendita pereat aut deterior fiat post traditionem, perit emptori, licet pretium nondum persolverit, quia res domino perit. Lay. Bon.[24].

829. » Quaeres an et quomodo liceat emere chirographa seu credita alterius.

» Resp. Si credita inposterum exigenda (sive ius quod habet alter ut ipsi in futurum aliquid solvatur) sint certa, ea minoris emere, solutione anticipata, est usura, secluso tamen lucro cessante et damno emergente. Bonac.[25] ex Mol. Less. Tol. Fill., quia accipitur aliquid supra sortem ex mutuo; nam mutuat implicite minorem pecuniam pro exigenda maiore. Dixi *certa*, quia si credita sint incerta, periculosa et litigiosa, aut cum difficultate exigenda, licite is qui non est causa istius difficultatis, minoris emit, prout difficultas vel incertitudo solutionis minor est vel maior; quia cum tali periculo et difficultate minus valent. Bon.[26] Trull.[27]. »

Creditum incertum vel difficilis exactionis licite potest minoris emi, etsi ementi sit facile illud integre exigere: quia pretium sumitur a communi aestimatione, non ex circumstantia particulari ementis, ut dicunt ex s. Thoma [28] Less.[29] Lugo[30] Salm. [31] cum Mol. Bon. Trull. contra alios. Sed in dubium revocatur an creditum liquidum possit licite emi minori pretio quam infimo.

Prima sententia affirmat, quam tenent Caiet. [32] Arm. [33] Nav. [34] Sanch. [35] Tol.[36] Auctor in add. ad Anacl.[37] Tambur.[38] cum Dic., et probabilem putat Lugo[39] adhaeretque Azor.[40] cum Abb.[41]

(1) Loc. c. (2) D. 26. sect. 9. (3) L. 2. c. 19. n. 142. (4) In c. Si tibi, de praeb. in 6. (5) T. 7. p. 267. n. 4. (6) Ibid. punct. 2. §. 1. n. 10. (7) De vendit. a. 7. sect. 1. concl. 2. (8) Loc. c. (9) Cit. n. 10. (10) Ibid. (11) Loc. c. (12) Ibid. (13) P. 267. n. 4. (14) Ibid. n. 9. (15) Ex l. Ignoti 5. c. de revoc. his, quae. (16) Ex l. 1. Quae in fraud. (17) Cit. n. 10. (18) D. 12. loc. c. (19) D. 26. sect. 14. n. 216. (20) L. 3. t. 4. c. 17. §. 2. (21) Q. 2. p. 8. (22) Ex l. Lectos, ff. de peric. etc.

(23) Dict. c. 2. n. 13. (24) Loc. c. (25) D. 3. q. 3. p. 10. (26) Loc. c. (27) L. 7. c. 20. d. 8. (28) 2. 2. q. 77. a. 1. ad 1. (29) L. 2. c. 21. dub. 9. n. 76. (30) D. 25. n. 84. (31) Tr. 14. c. 2. punct. 11. §. 3. n. 156. (32) V. usura. (33) Eod. v. n. 33. (34) C. 17. n. 231 (35) Cons. l. 1. c. 7. n. 17. (36) L. 5. c. 3 (37) De vend. q. 6. (38) Dec. l. 8. tr. 3. c. 7. §. 8. n. 5 (39) D. 26. n. 95. (40) T. 3. l. 7. c. 10. q. 5 v. In hac. (41) In c. Ex parte de alien. mut.

et s. Bernardin. Sen. [1] Diana [2] cum Sa Malder. Philiarcho et Fab. item Innoc. Bann. Trull. et Serra apud Salm. [3] et refert Less. [4] sic docuisse Lovanii card. Bellarm. Ratio quia hic contractus non est mutui, sed emptionis, qua non emitur pecunia, sed actio ad illam; et ideo iustum censetur pretium quod communiter negotiatores pro talibus chirographis solvere solent.

Secunda sententia vero negat eamque tenent s. Thomas [5] Less. [6] Lugo [7] Salmant. [8] cum Palao Sylv. etc. Croix [9] Lay. [10] Az. [11] Viva [12] Spor. [13] et alii plures. Ratio quia actio ad creditum liquidum revera, cum nullum adsit periculum, aut sumptus pro eo recuperando, tanti valet quanti ipsa pecunia debita; unde emere vilius actionem illam anticipata solutione, quando nullum intervenit incommodum, est virtualis usura. Haec sententia est quidem suadenda, ut communior et tutior, sed primam, tum ob auctoritatem dd., tum ob rationem, sicut Azor. et Laym. reprobare non audent, ita nec ego, modo absit omnis animus usurarius [14]; res enim naturales, ut bene ait Petr., pretium non habent, sed tanti valent, quanti ab hominibus aestimantur [15]. Constat autem (ait Laym.) quod, cum talia chirographa ad venditionem exponuntur, minoris communiter aestimantur, quam praesentes pecuniae, et haec diminutio aestimationis oritur ex difficili exactione, a qua communiter praefata chirographa solent non esse immunia. Unde iidem Lugo [16] Croix et Sporer licet secundam sententiam sequantur, dicunt tamen quod ea speculative loquendo est vera, sed non practice; nam in praxi communiter huiusmodi credita vix sunt libera a periculo exactionis, vel saltem a molestiis et sumptibus. Cum autem in praxi communiter haec credita sint obnoxia huiusmodi periculis et incommodis; idcirco non improbabile videtur pretio ipsa decrescere iuxta communem hominum aestimationem, et ideo minoris emi posse. Alia autem est ratio mutui, alia emptionis; ex mutuo enim nihil praeter sortem exigi potest, nisi titulus extrinsecus ipsi accedat; in emptione autem sola aestimatio hominum constituit iustum pretium rerum, hicque praebet titulum minoris emendi.

830. « 1. Usuram committunt 1. Ministri regum et principum, etc. qui ut anticipatam faciant solutionem, aliquid accipiunt a creditoribus. 2. Qui aliquid accipiunt a debitoribus, concessa dilatione ad solvendum: quia accipiunt aliquid ultra sortem pro mutuo virtuali. Bon. [17] Nav. Mol. Salm. etc.

» 2. Minoris emi possunt regulariter credita et stipendia, sive salaria debita militibus, aut famulis nobilium, quia habent adiuncta incommoda, pericula et molestias in exigendo, quam ob causam idem licet, etiamsi credita illa tempore praesenti vel etiam praeterito fuerint solvenda. Bon. [18] ex Reg. Mol. etc.

» 3. Qui ipse est causa difficilis solutionis, peccat contra iustitiam emendo minoris et tenetur ad restitutionem; tum quia ipse est causa damni, cum ipsius culpa creditum valeat minus; tum quia alioqui praemium ex delicto suo reportaret. (Hoc certum est ap. omnes. Vide Salm. [19] Mol. [20] Fill. Bon. [21]). Hinc quaestores principum ad quos solutio pertinet, quando ipsi sunt causa difficilis et malignae solutionis, non possunt chirographa vel credita emere minoris, ut docent auct. cit. Additque Sa-

(1) P. 2. serm. 34. (2) P. 1. tr. 8. r. 49.
(3) Tr. 14. c. 2. punct. 11. §. 3. n. 159.
(4) L. 2. c. 21. n. 66. (5) Opusc. 67.
(6) L. 2. c. 21 dub. 6. n. 67. (7) D. 26. n. 96.
(8) Ibid. n. 160. (9) L. 3. p. 2. n. 984.
(10) L. 3. tr. 4. c. 17. §. 5. n. 33. (11) Loc. c.
(12) De contr. q. 2. a. 2. n. 8. (13) De 7. pr. c. 4. n. 49.
(14) Probabiliter dicunt, quod chirographa, licet sint liquida, possunt minoris emi, quia aliud est habere pecuniam, aliud est emere actionem ad illam; quae actio communiter aestimatur minoris, quia hae actiones in praxi non sunt immunes ab aliquo periculo exactionis, aut saltem molestiae aut expensae. Dico tamen excipienda esse chirographa, quae vulgo nuncupantur *fides crediti*, pro quibus nullum morale periculum adest, modo ob distantiam, incommodo aut periculo sibi non esset exactio, propter eum qui ad exigendum mittendus est. H. A. tr. 10. n. 179.
(15) Ex l. Pretia 63. ad leg. Iuliam apud Cabass.
(16) Loc. c. n. 99. (17) Loc. c. (18) Loc. c.
(19) Tr. 14. c. 2. punct. 11. §. 3. n. 157.
(20) D. 313. (21) Loc. c.

las et Mol.[1] non esse liberum quaestoribus etc. quibus incumbit solvere magnatum debita, uni potius solvere quam alteri, nisi quis forte ius prae aliis habeat (*Vide supra de ordine Restit.*); sed teneri omnibus solvere pro rata. Bon.[2] vide Trull.[3]. »

Art. II. Quid sit negotiatio et quibus illicita.

831. *Quando clericis negotiatio sit graviter illicita.*
832. *Quid si clericus negotietur alieno nomine.*
833. *Quid si negotietur per alium.*
834. *An liceat clerico aut religioso emere animalia, ad ea vendenda saginata in pascuis suis.*
835. *An liceat emere pecora ad ea saginanda ex pascuis alienis.*
836. *An liceat emere agrum cum fructibus. An vendere carius, ut ematur vilius. An emere lanas ad vendendum pannum.*
837. *An liceat clerico absolute negotiari pro necessitate sui vel familiae.*
838. *An aliquando laicis negotiatio sit illicita. An liceat clericis gerere negotia, sive procurationes saecularium.*

831. « Resp. Ea est, cum quis rem sibi comparat eo animo, ut integram et non mutatam (secus si in melius mutatam, s. Thom.[4]) carius vendendo, vel permutando lucretur. Quod, quia obnoxium est periculo multorum peccatorum, et valde distractivum, ac indecens statui clericali sic lucris inhiare, severe prohibitum est clericis constitutis in sacris et religiosis omnibus (Constitutis in sacris tantum, ut Salm.[5] Lugo[6] Less.[7] et alii communiter[8]. Id affirmat etiam de novitiis Tur. ap. Lugo, sed Lugo merito de hoc dubitat, quia novitii in odiosis non veniunt nomine religiosorum), ita ut mortaliter peccent (Ut habet communis (sed non contra iustitiam), et incurrant suspensionem et excommunicationem, ferendae tamen sententiae; Salm.[9]. De immunitate gabellarum autem, vide Salm.[10]) si multam negotiationi dent operam, ut ait Less.[11] Laym.[12] Bon.[13] Lugo[14].

Communis igitur est sententia, non prohiberi negotiationem clericis in minoribus. Ita Cont. Tourn.[15] Habert[16] Conc.[17] Lugo[18] et Salm.[19]. Dubitatur autem an vetetur beneficiatis in minoribus. Negant Mol.[20] et Trull. apud Salmant.[21] qui id probabile putant cum Fil.[22]. Sed melius tenendum oppositum cum communi sententia, quam tenent Lugo[23] Salm.[24] Cont. Tourn.[25] Conc. Habert[26] item Sa Tab. Reb. Salas apud Lugo, ex c. *Placuit* 5. *caus.* 21. *q.* 3., ubi prohibetur negotiatio non solum presbyteris et diaconis sed etiam *clericis:* quod saltem de beneficiariis in minoribus intelligendum est; nec intelligi potest de subdiaconis, dum in tertio saeculo, quo peractum fuit concilium carthaginense III., cuius est praefatus canon, nondum subdiaconatus ordo inter sacros connumerabatur; etenim adhuc tempore Urbani II. (qui vivebat anno 1031.) tantum ordines presbyteratus et diaconatus erant sacri, ut patet ex conc. benevent.[27] apud Tourn.[28]. Ratio autem cur beneficiariis negotiatio sit interdicta, est, tum quia beneficiarii ex officio debent Deo vacare, utpote addicti ministerio ecclesiastico, tum quia ex bullis pontificum, ut asserit Lugo, beneficiarii, non solum in maioribus, sed etiam in minoribus constituti expoliantur bonis acquisitis ex negotiatione; ergo etiam iis negotiatio est interdicta. Sententia autem contraria nescio quo valido fundamento nitatur.

» 1. Si clericus semel iterumque tantum negotietur, in materia non gravi, v. gr. libros, cruces etc. emat, ut occulte iterum vendat carius, non est mortale. Less. Mald. Fill. Dian. card. Lugo[29]. »

Non peccat graviter clericus bis vel ter exercens negotiationem non turpem, nec in magna quantitate, quia iura loquuntur de exercente. Ita Less.[30] Lugo[31] Salm.[32] cum Fill. Trull. Vil.

(1) Loc. c. (2) Loc. c. (3) Loc. c. d. 10. (4) 2. 2. q. 77. a. 4. ad. 1. (5) Tr. 14. c. 2. punct. §. 1. n. 37. (6) D. 26. n. 25. (7) C. 21. n. 4. (8) Ex c. Secundum 6. Ne cler. vel mon. (9) Cit. n. 37. (10) Ibid. (11) Loc. c. d. 1. (12) L. 3. t. 4. c. 17. §. 7. n. 39. (13) De contr. d. 3. q. 1. p. 5. (14) D. 26. sect. 3. n. 19. (15) De contr. p. 2. c. 1. a. 7. sect. 2. concl. 2. n. 1 (16) T. 4. p. 3. c. 12. §. 5. q. 2. (17) T. 7. p. 279. n. 5. (18) D. 26. n. 25. (19) Tr. 14. c. 2. punct. 4. §. 1. n. 37. (20) D. 342. (21) Loc. c (22) T. 2. tr. 35. c. 1. q. 8. n. 28. (23) D. 26. n. 26. (24) Ibid. (25) L. c. (26) L. c. (27) Dist. 60. c. 4 (28) Prael. theol. de sacr. ord. q. ult. a. 4. (29) L. c. (30) L. 2. c. 21. n. 4. (31) D. 26. sect. 3. n. 24. (32) De contr. c. 2. punct. 4. §. 1. n. 53.

etc. ex c. *Multa* 1. *ne cler. vel mon.* ubi prohibetur clericis *negotium iniustum exercere.* Hinc, etiamsi semel in materia gravi negotietur, nec etiam peccare graviter, probabiliter tenent Cai. Salas Delbene apud Croix [1]. Imo Caiet. Michael de Palao et Rod. apud Salm. [2] dicunt non esse grave etiam frequenter negotiari, quando fiat sine scandalo, et negotiatio non sit turpis, nisi praecedat monitio; sed Salm. [3] hoc recte inquiunt minime admittendum, cum iura ante monitionem graviter negotiationem prohibeant: monitio autem tantum requiritur ad poenas incurrendas, non vero ut huiusmodi exercitium sit illicitum, cum illud a lege interdicatur, utpote statui clericali per se indecens.

832. Notandum hic ex bulla Bened. XIV. contra clericorum negotiationem, edita Romae 25. febr. an. 1741. quae incipit, *Apostolicae,* statutum esse, quod constitutiones et poenae contra clericos negotiantes intelligantur etiam pro clerico qui non suo, sed alieno nomine quomodolibet illicitam negotiationem exercet. Item quod negotia a laicis incoepta, si ad clericum quovis titulo deferantur, statim sint ab eo dimittenda; quod si non possint dimitti sine detrimento, permittitur continuatio, sed tantum ad tempus, et per interpositam laici personam, ac de licentia s. congregationis concilii (aut ordinarii, si sit extra Italiam); alias incurret clericus eamdem spolii poenam.

833. Plures autem aa. dicunt non peccare graviter clericos qui per alios nogotiantur, dantibus ipsis pecuniam, aliis ponentibus industriam; nisi eorum superintendentia esset tanta, ut ipsimet negotiari viderentur; ita Salmant. [4] Lugo [5] cum Laym. et Castr. ap. Croix [6]. Sed hodie oppositum omnino tenendum ex bulla Benedicti XIV. *Apostolicae*, ubi statutum est poenas inflictas adversus clericos illicitos negotiatores, extendi etiam ad *clericos illicite* (verba bullae) *sub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac per seipsos, ac proprio eorum nomine negotia ipsa illicita exercerent.* Quod intelligitur (ut ipse Benedictus clarius explicavit [7] de clericis qui per laicos negotiantur, lucrum pro seipsis acquirendo. Quod patet sic esse intelligendum etiam ex eadem bulla, ubi pontifex immediate post relata verba declarat quod bona sic a clericis alieno nomine sibi acquisita ad spolii poenam subiiciantur. Praeterea ex bulla regnantis Clementis XIII. *Cum primum*, data 27. sept. ann. 1759. confirmatur bulla Benedicti, et rursus expresse prohibetur clericis ne negotientur per interpositam personam, et praesertim ne per alios *cambium activum* contrahant. Insuper in hac bulla Clemens praecipit, quod etiamsi adsit necessitas familiae, clericus nequeat negotiari sine dispensatione sedis apostolicae, si sit intra Italiam; episcopi vero, si extra Italiam. Praeterea addit quod si aliquis contractus negotiationis dubitatur an licite possit a clerico iniri vel ne, *expeditissimam*, ait, *esse viam scribendi ad s. c. concilii, quae dubium decernet.*

834. » 2. Non est negotiatio ecclesiasticis vel religiosis prohibita, si emant pecora, quae pascuis suis saginata vendant, quia vendunt fructus suorum praediorum vel agrorum. Mol. Less. c. Lugo [8]. Uti nec si greges alant, ut foetus, lac, lanam vendant. C. Lugo [9]. Qui tamen negant licere iis conducere agros ut fructus vendant, eo quod (licet non sit negotiatio proprie dicta) specialiter illis sit prohibitum in concil. carthag. III.

Certum est non esse licitum clericis vel religiosis conducere agros alienos ad vendendos fructus. Ita cum Bus., ut supra, Lugo [10] Less. [11] Lay. [12] Ronc. [13] etc. Ratio quia (ut dixit Bus.), quamvis haec proprie non sit negotiatio, tamen vetitum est a conc. chalced. (nor.

(1) L. 3. p. 2. n. 1003. (2) Ibid. (3) Loc. c. (4) Ibid. n. 40. (5) Disp. 26. n. 36. (6) L. 3. p. 2. n. 1009. (7) De syn. t. 2. l. 9. c. 6. n. 4. et 5.

(8) Sect. 3. n. 23. (9) Loc. c. (10) De contr. d 26. n. 29. (11) L. 2. c. 21. n. 6. (12) De contr c. 13. §. 7. n. 40. (13) De contr. c. 2. q. 4. r. 2.

carthag.) ut habetur in c. *Pervenit* 1. *caus.* 21. *qu.* 3. ubi sic dicitur: *Pervenit in s. synodum, quia de eis qui in clero connumerantur quidam qui propter turpis lucri gratiam alienarum possessionum conductiones, et causas saeculares suscipiunt; et seipsos quidem a ministeriis sanctis per desidiam separant; ad domos autem saecularium concurrunt, et substantiarum eorum gubernationes avaritiae causa suscipiunt. Decrevit igitur s. synodus neminem deinceps eorum, sive clericum aut monachum, conducere possessiones aut misceri saecularibus procurationibus.* E converso licitum est clerico emere agrum cum fructibus iam maturis, et illos vendere, quia tunc vendit fructus agri proprii. Ita Salm. [1] cum Mol. Fill. et Bus. ut mox infra. Licitum esse etiam emere pullos equinos, ut postea domitos vendat, dicit Pal. [2] cum Gutt. et Lassarte: sed hoc parum mihi arridet.

835. An vero liceat clerico emere pecora vel porcos, ut vendat saginatos, vel ut foetibus, lacte, lana lucrum faciat. Communiter id admittunt dd. si in propriis praediis animalia saginentur vel alantur, ut Less. [3] Lugo [4] Pal. [5] Laym. [6] Salm. [7] Ronc. [8]. Sed dubitatur an liceat ea alere ex praediis alienis, ut postea vendantur. Si ad hoc conducantur praedia aliena, censeo omnino dicendum quod non liceat, ex citato conc. chalced. (nisi alicubi contraria vigeret consuetudo). Ratio quia, si ibi prohibetur conducere agros ad vendendos fructus, tanto magis videtur id vetitum ad animalia saginanda. An autem liceat clerico emere fructus alienorum agrorum ad animalia saginanda et saginata vendenda. Generaliter loquendo, id concedunt Viva [9] et Salm. [10] modo absit scandalum. Sed negant Laym. [11] et Spor. [12]. Verumtamen nequeo intelligere cur hoc absolute sit illicitum, cum ex una parte haec non sit negotiatio; emere enim rem, ut in melius mutata carius vendatur, certum est non esse negotiari, *sed praemium sui laboris accipere*, ut docet d. Th. [13] cum aliis. Ex alia parte nullo canone hoc vetitum invenitur. Et regula generalis est, licitum esse quodcumque non constat a lege prohibitum, ut fuse probatum est in *Dissertat. de conscientia probabili.* Dicit Laym. hoc prohiberi quia dedecet statum ecclesiasticum. Sed respondeo, vel dedecet per se, vel propter scandalum aliorum; quod per se dedeceat, nequit dici; nam si hoc esset, etiam clericum dedeceret animalia saginare in praediis propriis, quod communiter dd. cum ipso Laym. permittunt. Si vero ob scandalum, ergo, secluso scandalo, non est illicitum.

836. « 3. Non peccat clericus 1. Si emat agrum cum fructibus iam maturis, illosque vendat; quia vendit fructus agri sui. Card. de Lugo [14] ex Molin. Fill. etc. 2. Si id quod ad proprios usus emerat, postea, vel quia non indiget, vel mutato consilio, carius vendat [15]. »

Notandum est deinde quod ut negotiatio clericis vetita sit, requiritur animus vilius emendi, ut vendatur carius; unde licet eis vendere carius, ut emant vilius. Salm. [16]. Sic pariter non est vetitum clericis vel monachis aliquid emere ut consumant, et postea vendere si pretium illius crescat, ut vilius simile emant, quia *hoc non est propria negotiatio* (ait s. Th. [17]); *nec pertinet ad negotiatores, sed magis ad oeconomicos et politicos, qui habent providere vel domui vel civitati de necessariis ad victum.* Item nec prohibetur iis emere plura pro securitate suae provisionis, et quod superest etiam carius vendere, quia emunt ne provisio deficiat, ut aiunt Lugo [18] Mazzot. [19] Licitum etiam est clericis emere ferrum, ad vendendos gladios; colores, ad vendendas picturas: lanas, ad vendendum pannum: modo tamen ipsi pannum conficiant, non autem per ope-

(1) Loc. c. (2) Tr. 16. d. 4. p. 13. §. 3. n. 3. (3) Loc. cit. n. 6. (4) N. 29. (5) N. 3. (6) N. 40. (7) Tr. 14. c. 2. p. 4. §. 1. n. 41. (8) Loc. c. r. 1. (9) De contr. q. 2. a. 4. n. 7.

(10) Ib. n. 34. (11) L. c. (12) Tr. 6. c. 5. n. 102. (13) 2. 2. q. 77. a. 4. ad 1. (14) L. c. (15) Ibid. (16) Loc. c. n. 42. (17) 2. 2. q. 77. a. 4. (18) D. 26. n. 32 (19) Tr. 3. disp. 3. q. 1. c. 3.

rarios conductos, quia aliter hoc valde accederet ad negotiationem: ita Lugo [1] Salm. [2] cum Mol. et Malder. Et hoc affirmant, etsi lanae essent propriae; de hoc tamen dubitat Lugo. An vero liceat conducere equos ad eos locandos negat adhuc Mol., sed concedunt Lugo et Salm. [3].

« 4. An vero et quomodo clericis liceat negotiari per alios non famulos, praesertim in necessitate. Vide card. de Lugo [4] Trull. [5] Barb. [6]. »

837. Commune est apud dd. licitum esse clerico negotiari pro sua vel suorum necessaria sustentatione. Ita Lessius [7] Lugo [8] et Salm. [9] cum Mol. Sa Nav. etc. *ex c. Multa* 1. *ne cler. vel mon.* ubi dicitur: *Nec tamen iustum negotium est contradicendum propter necessitates diversas*. Sed hic dubitatur, quaenam necessitas requiratur vitae an status? Nimis rigide Laym.[10] requirit necessitatem ad vitam sustentandam. Sed communius et probabilius Pal.[11] Spor.[12] Croix [13] et Mazz.[14] dicunt sufficere necessitatem gravem ad statum decentem, nempe si aliter clericus cum sua familia commode sustentari nequeat. Ratio, tum quia lex ecclesiastica non obligat cum gravi incommodo; tum quia prohibitio, cum facta sit ob decentiam status, non censetur prohibere id quod necessarium est ad decentem statum servandum suum vel suorum.

838. Notandum est ultimo, quod negotiatio, licet tantum clericis prohibita sit, adhuc tamen laicis aliquando illicita erit: nempe si unus vel pauci mercatores emant in magna quantitate res necessarias ad victum, vestitum, vel ad usum communem civium, antequam hi sufficienter de illis sibi providerint, ut postea vendant pretio maiori, quam iuxta fori aestimationem venderentur. Ita Salm. [15] cum Trull. Sot. Sylv. etc. Et addunt in hoc peccare eos contra iustitiam et teneri ad restitutionem. Sed oppositum non esse improbabile ait Less.[16] cui adhaerent Palaus Molin. Dic. et Dian. apud Salm., dicentes quod isti potius peccant contra caritatem et contra iustitiam legalem, non autem contra commutativam; quia non peccant emendo, nec peccant non vendendo statim, cum nullus teneatur vendere res suas. Excipit tamen Less. [17] si pretium spectato tempore venditionis, esset irrationabile; *sed vide dicta num.* 815. Admittunt autem Salm. [18] cum communi posse mercatores vendere merces pretio maiori, si emant eas antequam in urbem invehantur. Sicut etiam admittunt quod dives in urgenti necessitate civium possit emere frumenta, ut moderato lucro postea vendat, et sic eorum necessitati subveniat.

Valde refert hic ultimo loco quaerere an liceat clericis gerere negotia, sive procurationes saecularium. Certum est illicitum esse clericis exercere officium tutoris, curatoris, aut procuratoris pupillorum, item tabellionis et qualecumque aliud officium publici ministerii, ex quo teneantur rationes reddere de iustitia vel de bonis administratis. Et ob hanc causam tales clerici fiunt irregulares [19]. Advertit tamen Mazzotta [20] cum Tambur. Ugolin. et aliis, quod si a clerico suscipiatur administratio post ordinationem, non incurritur irregularitas, cum haec non inveniatur expressa in iure. Deinde advertunt Salm. [21] cum Pal. Bon. Corneio et Sayro, quod ut clericus qui huiusmodi officia exercuerit, possit ordinari, sufficit quod, deposita administratione, idoneam fideiussionem de gestis praebeat. Imo (ut addunt iidem Salmant.[22] cum Pal. Suar. Bon. etc.[23] sufficit, quod reddat rationes, et administrationem deponat, etiamsi debita non solverit. Communiter autem dd. cum Salm. [25] docent quod administratores locorum piorum, aut viduae aut

(1) N. 34. (2) Cit. n. 42. (3) Ibid. (4) D. 26. s. 4. n. 36. (5) Loc. cit. d. 19. (6) De iur. un. l. 1. c. 40. a. 1. (7) L. 2. c. 21. n. 6. (8) D. 26. n. 37. (9) Tr. 14. c. 2. punct. 4. §. 1. n. 39. (10) C. 13. §. 7. n. 39. (11) T. 16. d. 4. p. 13. §. 3. n. 8. (12) Tr. 6. c. 5. n. 102. (13) L. 3. p. 2. n. 1006. (14) Ibid. (15) Ibid. §. 2. n. 44. et 45. (16) L. 2. c. 21. n. 151. (17) N. 152. (18) Dict. n. 44. (19) Ex c. unic. de obl. ad ration. (20) De irreg. (21) De cens. c. 9. punct. 5. n. 63. (22) Ibid. (23) Ibid. (24) Ibid. n. 64.

pupilli indigentis, qui causa pietatis tale onus susceperint, bene possunt ordinari etiam ante redditas rationes [1].

Ad quaesitum veniamus; communiter docent Less. [2] Pal. [3] Bon. [4] Salm. [5] cum Suar. Laym. et aliis, illicitum esse clericis procurationem gerere personae saecularis privatae non miserabilis, cum obligatione reddendi rationes ex illo textu [6]: *Sed nec procurationes villarum, aut iurisdictiones etiam saeculares... clericorum quisquam exercere praesumat. Si quis autem adversus haec venire tentaverit, quia contra doctrinam Apostoli dicentis* [7], Nemo militans Deo implicet se saecularibus negotiis, *saeculariter agit, ab ecclesiastico fiat ministerio alienus, pro eo quod, officio clericali neglecto, fluctibus saeculi, ut potestatibus placeat, se immergit.* Ex praefato autem textu infertur 1. talem clericum incurrere suspensionem ab officio, sed nonnisi ferendae sententiae, a qua excusabit ignorantia, etiamsi fuerit crassa: cum ibi appositum sit verbum *praesumat*, quod importat commodam contumaciam per scientiam censurae, ut dicemus *l.* 7. *n.* 47. Infertur 2. cum Ronc. [8] illum clericum serio increpandum esse in hac materia, qui ita se immergeret in huiusmodi procurationibus, ut sua ministeria cogeretur negligere, prout deducitur ex verbis textus allati, *officio clericali neglecto, fluctibus saeculi se immergit.* Hinc non auderem damnare de mortali clericum qui ob talem procurationem sua ministeria non negligeret: maxime si id non faceret avaritiae causa, sed ad decentius statum suum et familiae conservandum.

Dubium IX. Quid sit contractus census et an liceat.

839. « Resp. Is est, cum certa summa pecuniae, v. gr. 100 florenis, emo a te ius percipiendi quotannis ex bonis tuis, aut certa aliqua re tua utili sive fructifera, certam aliquam pensionem seu censum, v. gr. florenos 5. annuos vel 6. prout consuetudine vel lege taxatum erit: ita ut hic non sit mutuum et usura, si alias pravam intentionem non habeas, sed vera emptio et venditio, quia emitur non praecisa ipsa pensio, sed ius eam percipiendi (Ita Salm. [9]) quod longe minus valet, ideoque minoris emitur; licet post multos annos pretium longe superet. Mol. Less. Layman [10] et caeteri communiter. Rectius tamen c. Lugo [11] probat, ad excusandum censum ab usura, dicendum esse non emi pensiones neque ius ad illas neque fructus, sed potius partem ususfructus talis praedii super quo census constituitur; ita ut dominium totum directum praedii maneat apud venditorem, dominium vero utile seu ius ususfructus ex parte vendatur. »

Unde solvuntur sequentes casus, qui etiam ex natura emptionis et venditionis solvi possunt.

« 1. Hic contractus est iniustus, si non servetur pretium iustum a lege vel consuetudine probatum, quomodo pro Germania constituit Carolus v. ut ius ad 5. tantum pro 100. ematur.

(1) Ex c. 1. Multa sunt, ne cler. vel mon. et c. 35. Monachi, caus. 16. Et c. Pervenit, 1. caus. 21. q. 3. ac c. Indicatum est 5. dist. 89. (2) L. 2. c. 21. n. 6. (3) De cens. d. 6. p. 13. n. 8. (4) Eod. tit. p. 4. n. 4. (5) Eod. tit. loc. c. (6) C. Sed nec 4. Ne cler. vel mon. (7) 2. Tim. 2. 4. (8) De contr. c. 2 reg. 5. in praxi. (9) Tr. 14. c. 4. punct. 2. §. 1. n. 24. (10) L. 3. t. 4. c. 18. (11) D. 27. s. 2. n. 20.

840. » 2. Non solum licitus est census realis id est constitutus super re aliqua, ut supra dictum, ex cuius utilitate pensio extrahatur, ita ut ad quemcumque res transeat cum illa obligatione et onere: sed etiam (saltem ex natura rei et seclusa prohibitione legis positivae) personalis, et constitutus immediate super persona, quae sua opera et industria utilis sit, et fructum aliquem pariat, vel bona in spe vel re habeat, unde pensio duci possit: alioqui enim ius quod venderet non esset pretio aestimabile, et sic contractus fictitius. Ita probabiliter Cov. Less. Sal.[1] etc. contra Nav. Mol. Lugo[2], qui censum mere personale illicitum esse docet esse probabilius, et prolixe probat.

An census personalis sit licitus de iure naturali.

Prima sententia negat, et hanc tenent Lugo[3] cum Mol. Ang. Reb. Lop. etc. p. Conc.[4] cum Panorm. Nav. Sylvest. etc. Probant 1. quia persona non potest vendi ex *l. Ob aes alienum. Et l. seq. c. de Action. et Obl. ac c.* 2. *de Pignor.* Probant 2. ex *Extrav.* 1. *et* 2. *Martini* v. *et Callixti* III. *lib.* 3. *tit.* 5., qui solos census reales approbarunt; et clarius ex bulla s. Pii v. in sua *Extrav. de Censibus*, qui expresse statuit censum super re immobili, et non aliter, constitui posse.

Secunda sententia vero communior et probabilior docet esse licitum. Ita Lessius[5] Sot.[6] Pal.[7] Abelly[8] Merb.[9] Habert[10] Cabass.[11] Cont. Tourn.[12] Wigandt[13] Ronc.[14] Anac.[15] et Salm.[16] cum Cov. Ban. Trull. Prad. Salas etc. Probatur 1. ex Const. Nicolai v. in sua *Extrav. de Censibus*, ubi videtur clare approbari census super personis, ut notant Pal. Cont. Tourn.[17] Salm.[18] et Wig.[19]. Haec sunt verba bullae: *Cum opportuna contrahentium securitate, tuitione, et indemnitate, ac potestate vendentis, personas earumque proprietates, reditus, iura, etc. census et omnia et singula mobilia et immobilia bona obligandi, et obligari faciendi, etc.* Idemque confirmasse Gregorium XIII. testantur Pal. et Wig. Probatur 2. ratione, quia si quisque potest operas suas locare, potest etiam et vendere. In tali autem contractu proprie non emitur persona, sed improprie; nam proprie emitur ius super industriam personae. Sicut enim in censu reali non emitur praedium, sed emitur ius super fructus percipiendos ex praedio; sic in censu personali non emitur persona, sed ius ad percipiendos fructus industriae et laboris personae. Nec valet dicere huiusmodi contractum esse quoddam mutuum virtuale; nam in mutuo cogitur mutuatarius reddere eamdem sortem, sed in censu capitale fit demortuum, et tantum reddi potest ad arbitrium venditoris. An autem sit licitus census personalis redimibilis ex utraque parte. *Vide mox dicenda in seq. n.* 843. Ad bullas autem Martini v. et Callixti III. respondetur, quod ibi minime reprobatur census personalis, sed quia ibi tantum agebatur de censibus realibus, de quibus quaesitum fuerat an liciti essent; ideo pontifices eos tantum approbarunt. Hinc bene aiunt Cabass.[20] Lessius[21] Salm.[22] cum Pal. Sot. Vill. Prad. etc. praefatas bullas non obligare, cum non sint praeceptivae, sed tantum approbativae conditionum in iis expressarum. In bulla autem s. Pii v. praecipitur quidem non constitui censum nisi super re stabili, non tamen declaratur census personalis illicitus de iure naturali. An vero haec bulla s. Pii sit ubique recepta infra videbimus, *n.* 848.

» 3. Iniqui sunt venditores seu censuarii, qui emptoribus sive censualistis obligant rem non potentem reddere fructus, saltem tot quot pensio exigit, aut reddentem quidem, sed iam aliis censibus venditos. Bon.[23].

(1) Dub. 3. n. 2. (2) D. 37. §. 223. n. 25.
(3) D. 27. n. 25. (4) T. 7. p. 576. §. 3.
(5) L. 2. c. 22. dub. 4. (6) L 6. q. 5. a. 1. concl. 4.
(7) D. 6. p. 11. n. 2. (8) P. 376. n. 2.
(9) T. 1. p. 354. q. un. (10) T. 4. p. 3. c. 17.
(11) L. 6. c. 12. n. 5. (12) De contr. p. 2. c. 6. concl. 1.
(13) Tr. 9. ex. 8. n. 4. r. 1. (14) De contr. c. 2. q. 4. r. 1. (15) Eod. tit. dist. 3. q. 6. n. 68.
(16) Tr. 14. c. 4. punct. 2. §. 1. n. 26. (17) Loc. c.
(18) Ibid. (19) Loc. c. (20) Loc. c.
(21) N. 47. (22) Ibid. §. 2. n. 29. et 33
(23) Dub. 3. q. 4. p. 1. n. 9. et 13.

841. » 4. Sicut in emptione res perit damno emptoris, sic etiam in censu reali, si res super quam impositus est census pereat, vel fructus eius absque culpa venditoris, tunc enim perit census, ita ut emptor sive censualista non possit amplius recipere fructus, sive censum: quia qui emit suo periculo emit. Bon.[1] Fill.[2] (*Vide n.* 847.). Unde ad hoc incommodum cavendum inventus est sequens modus.

842. » 5. Licitum est, ut probant Tol.[3] et Less.[4] contractui census adiungere aliud pactum assecurationis, ut si res super quam fundatus est census, pereat, id fiat damno venditoris, ideoque nihilominus obligatus sit vel super aliis bonis suis eum statuere, vel restituta sorte eodem pretio redimere. Debet tamen hoc pactum venditori compensari, augendo pretium census, vel quod eodem recidit, minorem pensionem designando. Bonac.[5] (*Vide infra n.* 847.).

843. » 6. Ex natura rei licitus est non tantum census irredimibilis sed etiam redimibilis, tum ex una parte, tum utriusque, ut patet ex terminorum explicatione: quia irredimibilis census dicitur cum venditor non potest illum pro suo arbitrio redimere: redimibilis autem, cum potest, reddendo emptori eamdem summam, quam accepit, atque ita rursus sibi emendo quod ante vendiderat. Utrinque redimibilis dicitur, cum ita conventum est, ut tam emptor quam venditor possit emptionem factam resolvere, et summam quam dedit repetere. Lessius[6] Dian.[7] (*Vide dicta de pacto retrovendendi et reemendi, sup. n.* 812. *et* 813.).

» 7. Nihilominus, quia contractus census redimibilis ex parte emptoris est res periculosa, suaderi non facile debet: nam in Const. Martini v. et Callixti III. pp. uti Caroli v. imp. usurarius contractus iudicatur. Verum id intelligi debet secundum praesumptionem fori externi: praeterquam quod illae constitutiones multis locis eatenus non sunt receptae, quatenus prohibent ea quae iuri naturali non adversantur, ut notat Laym.[8]. »

Quaeritur an sit licitus census redimibilis ex utraque parte. Adest duplex sententia probabilis.

Prima sententia negat, quam tenent Sot.[9] et Salmant.[10] cum Covarr. Tap. Vill. etc. Ratio quia ubicumque traditur pecunia cum pacto eamdem rursus recipiendi, est mutuum virtuale, unde quidquid ex eo percipitur ultra sortem, est usura[11].

Secunda sententia vero affirmat, et hanc tenent Less.[12] Lay.[13] Pal.[14] Spor.[15] item Val. Sal. Dian. et Barth. a s. Fausto apud Salm.[16]. Haec sententia, spectata rei natura, satis probabilis mihi videtur, modo observentur limitationes quas adnotavi circa pactum reemptionis *n.* 813. Nam revera non potest assignari ratio disparitatis in venditione praediorum, et in hac venditione censuum. Gratis autem asseritur hoc esse mutuum virtuale; cum hic contractus omnino differat a mutuo; in mutuo enim si perit res oppignorata, mutuatario perit; hic autem si perit res censuata, censitori perit (*Vide omnino quae diximus dicto n.* 813.). Idque dicunt Less. Laym. et Spor.[17] valere non tantum pro censu reali, sed etiam pro personali; quod non est improbabile, si debita proportio servetur. Caeterum, ut bene advertunt iidem Laym. et Spor. huiusmodi contractus non caret periculo usurariae intentionis. •

844. « 8. Census vitalitius, quia est virtualis sponsio, et nititur eventu fortuito, licitus est. Fill. Diana[18] (Et communiter Less.[19]) Salm.[20] cum s. Thom. Pretium huius census vitalitii constituitur iuxta rationem aetatis et sani-

(1) L. c. (2) C. 35. p. 2. n. 225. (3) L. 5. c. 46. (4) C. 22. d. 11. (5) L. c. n. 30. (6) D. 10. (7) P. 2. t. 5. misc. r. 76. (8) L. 3. t. 4. c. 18. (9) L. 6. q. 5. a. 3. concl. 1. (10) Tr. 14. c. 4. punct. 2. §. 3. n. 41. (11) Et haec sententia procul dubio suadenda est; dum omnes conveniunt quod in tali contractu adest periculum intentionis usurariae. Hom. Ap. tr. 10. n. 200. (12) L. 2 c. 22. d. 10. (13) L. 3. tr. 4. c. 18. n. 8. (14) T. 6. tr. 32. d. 6. p. 24. §. 4. n. 2. (15) De 7. praec. c. 7. n. 21. (16) Ibid. n. 40 (17) Loc. c. (18) P. 7. t. 9. r. 70. (19) C. 22. d. 6. (20) Loc. c. §. 1. n. 28.

tatis: hinc dicunt Con. [1] et Cabass. [2] quod si censitor possit ad annum 60. pertingere, poterit quotannis exigere aureos 10. pro 100. Sed Lessius [3] cui adhaeret Croix [4] et Mazz. [5] dicunt posse exigere unum pro septem vel octo, quod importat circa 12. vel 14. pro 100. Et alibi [6] ait Less. posse exigere aliquando usque ad 16. pro 100.). »

845. Hic videndum quae conditiones requirantur ad licitam censuum constitutionem. De iure naturali, ut ait Less. [7], duae tantum conditiones desiderantur: prima ut sit aequalitas inter censum et pretium; secunda, ut pacta praeter naturam census adiecta, iuste compensentur. De iure autem canonico duae habentur bullae, in quibus plures assignantur conditiones pro censibus instituendis. Prima est Nicolai v. incipiens *Sollicitudo*, edita anno 1452. pro utraque Sicilia: in hac approbatur census solitus institui in praefatis regnis, etiam cum pactis et poenis appositis pro securitate; modo serventur hae conditiones: 1. Ut census constituatur specialiter super re certa, et generaliter super omnibus bonis censuarii. 2. Ut adsit pactum retrovendendi eodem pretio. 3. Ut pensio solvenda non sit ultra decem pro centum. In hoc autem ait Viva [8] standum esse consuetudini locorum.

846. Secunda bulla posterior est s. Pii v. quae incipit *Cum onus etc.*, edita ann. 1568. In hac plures aliae conditiones praescribuntur: Et 1. Ut census constituatur super re stabili fructifera et designata, unde excluduntur census personales, etsi cum hypotheca celebrentur, ut verius tenent Viva [9] et Salm. [10] contra Nav. Lop. (apud Viva) putantes in bulla praescindi a censu personali. Res autem stabilis reputatur domus, ager, et etiam officium perpetuum, et census perpetuus irredimibilis, imo etiam redimibilis, ut contra Mol. et Azor. probabiliter tenent Pal. [11] Bon. Reb. Hurt. ap. Viva [12]. Notat tamen Viva quod licet res debeat designari, hoc tamen non tollit quin possint obligari alia bona ad securitatem pensionis, quae tamen pensio utique periret, pereunte re specialiter hypothecata. *Vide n. seq.* 847.

2. Ut census ematur pecunia enumerata coram notario et testibus. Sed hic quaeritur 1. an haec conditio non obliget in foro interno, ita ut liceat in conscientia constituere censum ex pecunia antecedenter debita. Affirmant Less. [13] Nav. [14] Diana [15] cum Megala Mald. Val. Io. de la Crux, etc. et probabile putat Tamb. [16]. Negant vero Pal. [17] cum Med. Lop. etc.; item Mol. [18] Lugo [19] cum Salon. Reb. et aliis pluribus. Ratio quia, cum bulla sit iuste constituta ad vitandas fraudes, si in aliquo casu particulari cesset fraus sive iniustitia, non cessat tamen eius periculum. Haec quidem secunda sententia est probabilior, sed prima non videtur improbabilis casu quo omnino absit in casu particulari fraus aut iniustitia: licet enim probabilius sit legem non cessare, cessante fine legis in casu particulari, contraria tamen adhuc videtur probabilis cum Cai. Sylv. Ang. Val. Card. Sa Viva Salm. et aliis pluribus, ut diximus *l.* 1. *n.* 199. Si autem (loquendo in casu nostro) venditio rei frugiferae per pecuniam creditam certe est valida et iusta, cur iniusta censenda est venditio census realis, quae proculdubio vera venditio est, cum vendatur ius ad fructus fundi, in quo census constituitur, ut bene arguit Lugo [20] cum Sot. Salas etc., ad probandum quod iure naturali minime sit illicitus census constitutus ex pecunia credita. Quaeritur hic 2. utrum venditor census si sit laesus in pretio, possit minuere pensionem aut ipsam integram teneatur solvere, et censitor teneatur supplere pretium Utraque videtur probabilis. V. Viva [21]

(1) D. 3. q. 4. p. un. n. 18. (2) L. 6. c. 12. n. 8. (3) L. 2. c. 22. n. 41. (4) L. 3. p. 2. n. 1023. (5) Tr. 3. disp. 2. q. 2. c. 4. (6) In Auctar. v. Societas offic. (7) L. 2. c. 22. n. 74. (8) Q. 7. a. 3. n. 14. (9) De contract. q. 4. a. 3. n. 4.

(10) Tr. 14. c. 4. punct. 2. §. 2. n. 50. (11) P. 14. n. 3. (12) L. c. (13) L. 2. c. 22. n. 80. (14) De usur. n. 88. (15) P. 1. tr. 8. r. 44. (16) De contract. l. 9. tr. 2. c. 6. §. 2. n. 4. (17) Tr. 33. d. 6. p. 16. n. 8. (18) D. 390. (19) D. 27. n. 35. (20) L. c. n. 80. (21) Ib. n. 5.

3. Ut solutio pensionis non fiat anticipate, aut sic in pactum deducatur. Probabiliter tamen ait Bon.[1] cum Mol.[2] Fill. Reb. Salas Less. Azor. et Salon. quod si censuarius sponte vellet solvere anticipate, hoc non prohiberi ex bulla. Illicitum est autem obligare censuarium ad solvendam pensionem suis expensis in domo censitoris, quia hoc onus esset extra naturam contractus, ut recte aiunt Viva[3] et Bon[4] cum Reb. Salas et aliis, contra Rod. Intellige, nisi propter hoc onus pretium minuatur.

4. Ne obligetur censuarius ad casus fortuitos; hinc, si res hypothecata perit, nequit censitor petere ut alia substituatur, secus, si res reperiatur aliena, vel si reddatur infrugifera culpa censuarii; ut Les. Nav. etc.

847. Sed dubitatur 1. an praecisa bulla s. Pii, pereunte re, de iure naturali pereat etiam census.

Prima sententia negat, et hanc tenent Pal. [5] cum Sot. Cov. Palac. item Salm. [6] cum Salas Mercad. Rodr. Matienz. etc. Ratio istorum, quia in censu praecipue obligatio imponitur personae, et accessorie rei quae tantum obligatur pro hypotheca, sive pro assecuratione pensionis solvendae; hinc asserunt quod pereunte re hypothecata, non perit obligatio personalis censuarii. Sed venerando tot dd. auctoritatem mihi omnino tenenda videtur

Secunda sententia quam tenent Less.[7] Lug.[8] Tol.[9] Mol.[10] Lay.[11] Conc.[12] Ronc.[13] Anacl. [14] item Val. Reb. Med. Vill. etc. apud Pal.[15] et apud Salm.[16]. Ratio mihi potissima, quia in censu reali pensio non super persona constituitur, sed super re, ad cuius fructus ius venditur; unde Less. recte dicit falli Sotum et Covar. dicentes rem ibi obligari tantum pro hypotheca debiti personalis; nam revera in censu non obligatur res pro assecuratione pensionis solvendae, sed venditur ius percipiendi fructus ex re censita. Hinc sicut, pereunte re, amittis ius servitutis quod super illa haberes, puta transeundi, colligendi glandes etc.; ita etiam amittis ius percipiendi fructus per contractum census tibi acquisitum, et eo casu venditor ab omni obligatione liberatur. Ita Less.; admittit tamen ipse Less.[17] et consentiunt Spor.[18] et Tamb.[19] pactum adiectum solvendi pensionem, adhuc re pereunte, sustineri posse, si contractui census adiiciatur alter contractus assecurationis, dummodo pensio illa proportionate moderetur. Sed neque opinioni isti acquiescere valeo; licet enim probabilem censeam sententiam Lugonis et aliorum, ut mox dicemus *v. seq. dubitatur* 2. quod liceat pactum exigendi integram pensionem, etiamsi fundus per aliquot annos non det fructus, modo pretium minuatur, quia per pactum illud virtualiter compensantur pensiones minores solvendae annis sterilibus, cum pensionibus quae solvendae fuissent pro annis fertilibus, et hae relaxantur; et sic iam adest aequalitas. Attamen in nostro casu, cum pactum apponitur solvendi pensiones, etiam re pereunte, nulla aequalitas esse potest, dum pensiones solvendae remanent in perpetuum; fructus enim anteriores relaxati, quacumque relaxatione facta, non possunt adaequare pensiones quae in perpetuum solvi debent.

Dubitatur 2. an si res per certos annos non det fructus, attenta bulla, debeatur integra pensio. Negant Less. [20] et Mol.[21] ex hac bulla s. Pii, ubi prohibentur *conditiones directe vel indirecte obligantes ad pensionem in casibus fortuitis eum, qui alias ex natura contractus non tenetur.* Sed probabiliter affirmant Lugo [22] cum Sot. Sa Val. Salas etc. item Nav. Bon. et Reb. apud Viva[23] modo compensetur pretio periculum hoc quod venditor in se suscipit. Ratio quia licitum est contractui

(1) De contr. d. 3. q. 4. p. un. n. 26. (2) D. 390. (3) Q. 4. a. 3. n. 6. (4) L. c. n. 35. (5) Tr. 33. d. 6. p. 31. n. 3. (6) De contr. c. 4. p. 2. §. 4. n. 48. (7) L. 2. c. 32. dub. 5. n. 34. (8) D. 27. n. 103. (9) L. 5. q. 39. n. 4. (10) D. 383. et 394. dub. 3.

(11) L. 3. tr. 4. c. 15. n. 4. (12) T. 7. p. 594. n. 4 (13) De contr. c. 1. q. 4. r. 5. (14) N. 75. (15) N. 2. (16) Ibid. n. 47. (17) Ibid. (18) Tr. 4. c. 6. n. 14. (19) C. 4. §. 3. n. 1. (20) L. 2. c. 22. n. 82. (21) T. 2. d. 390. (22) D. 27. n. 71. (23) L. c. n. 7.

census realis adiicere alium contractum assecurationis qui eo casu virtualiter censetur appositus. Pactum autem hoc assecurationis minime videtur reprobatum a bulla; nam pontifex ibi prohibet tantum pacta praeter naturam contractus qui celebratur. Quamvis enim in tali contractu pactum solvendi pensionem, etiam casu quo res non fructificet, non sit iuxta naturam contractus censualis, est tamen iuxta naturam alterius contractus adiecti assecurationi, ut dicetur infra de contractu trino. Putat autem Lugo [1] quod si pars praedii facta sit infructifera in perpetuum, tunc non debeatur integra pensio, etiamsi pars remanens reddat fructus sufficientes ad pensionem. Sed probabilius mihi videtur oppositum, quod decretum fuit in quadam decisione rotae romanae (quam refert idem Lugo [2], idque non negat esse probabile), nempe deberi totam pensionem ex parte praedii remanente, nisi fructus eius ad pensionem non sufficiant, et ita tenet Ronc. [3] cum Duard.

Dubitatur 3. An, pereunte re specialiter designata, de iure naturali maneant obligata caetera bona venditoris in contractu generaliter hypothecata; affirmat Habert [4] et videtur ei favere citata bulla Nicolai v. ubi conceditur posse constitui censum super re certa, et generaliter super omnibus aliis bonis venditoris. Sed mihi videtur probabilius negandum cum Azor. [5] et p. Conc. [6]. Quia pereunte tota re, totus census perit, iuxta mox supra dicta *dub.* 1. Nec obstat quod in huiusmodi contractu soleant substitui omnia venditoris bona: nam cautio haec solum valet ad reddendum fundum securum ab evictione, ut bene ait Conc., nempe si ille sit gravatus aliis censibus, vel fideicommisso etc. non autem quod si fundus pereat, census permaneat super aliis bonis. Et sic etiam intelligi ait Az. bullam Nicolai. Dicit autem Ronc. [7] ad constituendum censum satis esse designationem fundi, vel plurium aliquot fundorum in aliqua via aut villa, quin necessaria sit designatio alicuius fundi in individuo, et testatur ita pluries decisum fuisse a rota romana [8].

5. Ut non privetur censuarius rem vendere aut donare. Debet tamen iste si vendere vult, monere censitorem, num velit ipse emere eodem pretio. Et ideo debet expectare per mensem; vide Viva [9]. Praecisa vero bulla, licitum esse pactum non alienandi rem, dicunt Salm.[10] cum Sot. Cov. Pal. etc. Sed quando tale pactum non adest, praedictam monitionem semper faciendam esse asserunt cum Val. Salmantic. [11] et Palao. Imo semper aequum esse putant, ut censitor in emptione praeferatur.

6. Ne constituatur pro non soluta pensione alia poena, aut interesse lucri cessantis scilicet extrinseci, puta si praestandum erat triticum tempore quo valebat duobus aureis, et reddatur tempore quo valet uno, ut Mol. et Hurt. apud Viva [12]. Sed iure naturali appositio poenae proportionatae non est illicita, Salm.[13]. Item de iure naturali ex dilatione solutionis bene potest exigi interesse: sed ex bulla ob fraudem usurariam nequit illud in pactum deduci, ut docet Less. [14]. In foro tamen conscientiae ob dilationem culpabilem tenetur debitor ad interesse etiam extrinsecum. Less. [15].

7. Ne ex pensionibus non solutis novus census creetur. An autem id sit illicitum de iure naturali. Bene ait Lugo[16] hanc quaestionem pendere ex alia supra enuntiata (*vide dicta n.* 846. *vers.* 2. *Ut census*), nimirum, an liceat constituere censum ex pecunia debita.

8. Ut censitor non possit pretium unquam repetere, et contra possit censuarius semper redimere censum, facta denuntiatione per bimestre. Pactum autem quod census non possit unquam redimi a censuario, compensato pretio, per se non est illicitum,

(1) N. 103. (2) N. 165. (3) De contract. (4) T. 4. p. 3. c. 17. v. Verum. (5) P. 3. l. 12. c. 5. q. 5. (6) T. 7. p. 595. (7) De contr. c. 1. q. 4. r. 1. (8) Ex clericato in decis. miscell. dec. 75. n. 8. (9) N. 8. et 9. (10) Tr. 14. c. 4. punct. 2. §. 4. n. 49. (11) Ib. n. 50. (12) N. 20 (13) Ibid. §. 5. n. 58. (14) L. 2. c. 22. n. 85. (15) N. 85. (16) D. 27. n. 98.

ita Less. [1] et Salm. [2] qui aiunt hoc omnes docere: sicut enim censuarius potest vendere fundum, vel servitutem super illo in perpetuum, sic etiam ius ad ipsius fructus, et ob eamdem rationem licitum quoque est constituere censum cum pacto ut non possit redimi nisi infra certum tempus, ut communissime docent Less. [3] Sot. [4] Pal. [5] et Salm. [6] cum Salas Arag. et Reb. contra aliquos: modo (intelligendum) pretium proportionate minuatur. Communiter etiam docent p. Concina et Salm. [7] cum Lugo, Soto Pal. Prado etc. (contra Nav.) licitum esse pactum ut census non per partes redimatur, sed totum simul: iustum enim est, ut sicut emptor totam summam numeravit, ita etiam totam simul recipiat.

9. Ut non vendatur aliis census maiori vel minori pretio, quam ab initio constitutus fuit. De iure autem naturali certum est, ut dicunt Salm. [8] censum non liquidum posse minoris emi. Et etiam attenta bulla, probabilissimum videtur hoc fieri posse, ut ait Viva [9] cum Less. Mol. et Bon.

848. Quaeritur 1. an haec bulla s. Pii obliget in conscientia. Negant Habert [10] (dicens bullam obligare in solis locis sedi apostolicae subiectis) Sa [11] Megala [12]; item Nav. Salm. Mol. apud Bon. [13] et probabilem putant ipse Bon. et Tamb. [14]. Ratio quia in foro interno illae tantum conditiones requiruntur quae iure naturae ad constitutionem census sunt necessariae: bulla autem est constituta ad tollendas fraudes; unde ubi fraudes absunt bulla non obligat in conscientia contrahentes, sed tantum iudices, ne in foro externo contractum admittant. Probabilius tamen affirmant praefatam bullam obligare etiam in foro interno Salm. [15] Lugo [16] Bon. [17] Les. [18] et Viva [19] cum Salon. Trul. Hurt. et communi, ut asserit. Ratio quia, licet contractus ex rei natura non sit usurarius, lex tamen positiva bene potuit illicitum eum reddere ob periculum usurae. *Vide dicta supra num.* 846. *v.* 2. *Ut census.*

849. Quaeritur 2. an praedicta bulla obliget ubi non est recepta. Negant communiter Lessius [20] Cont. Tourn. [21] Mol. [22] Bon. [23] Lugo [24] cum Soto Nav. Salas et aliis. Et sic tenendum censeo, quidquid dicant Salm. [25]. Ratio quia, licet verius sit leges pontificias non indigere subditorum acceptatione, prout (contra Less. [26] et Cab. Val. Bon. ac alios) tenuimus *l.* 1. *de leg. n.* 97. *in fin. et n.* 138. cum Suar. Laym. Pal. Croix etc. Attamen communis est sententia quod ubi lex non est recepta, et per sufficientem desuetudinem est derogata, etsi primi legem non observantes peccaverint, praesentes vero ad eam non obligantur, ut tenent ipsi Salm. [27] cum Az. Bon. Gran. item Suar. [28] Pal. [29] et Less. [30] qui cum Cov. asserit certum esse quod lex adhuc ecclesiastica desinit obligare, si per solum decennium non sit recepta, ut pariter diximus *d. l.* 1. *n.* 139. cum Bus. Nav. et Azor. Bulla autem s. Pii non est recepta in duobus regnis Siciliae, ut testantur Lessius [31] Salas apud Viva [32] item Verde [33] cum Dom. de Marinis etc. nec est recepta in Hispania, ut dicunt Salm. [34] nec in Belgio, ut Spor. [35] et Less. [36] nec in Germania, ut idem Less. Habert ac Tanner. Illsung. Pirh. et Platel. apud Croix [37] neque in Gallia, ut Less. et Platel. apud Croix [38] nec etiam Romae observatur, ait Cont. Tourn. [39].

DUBIUM X. Quid sit cambium.

(1) L. 2. c. 22. n. 36. (2) Tr. 14. c. 4. punct. 2. §. 3. n. 43. (3) C. 22. d. 9. (4) L. 6. q. 5. art. 3. concl. 3. (5) D. 6. p. 24. §. 1. n. 4. (6) Loc. c. (7) Ibid. n. 44. (8) Ibid. n. 35. (9) Q. 4. a. 3. (10) T. 4. ib. (11) V. Census, n. 3. (12) 2. 2. l. 2. c. 7. q. 2. n. 37. (13) De contr. d. 3. q. 4. p. un. n. 45. (14) L. 9. tr. 2. c. 6. §. 2. n. 4. (15) Tr. 14. c. 4. punct. 2. §. 2. n. 31. (16) D. 27. n. 83. (17) L. c. n. 46. (18) L. 2. c. 22. n. 100. (19) De contract. q. 4. n. 3.

(20) C. 2. d. 13. (21) De contr. p. 2. c. 6. concl. 1. (22) D. 395. (23) Q. 4. n. 43. (24) D. 27. n. 61. (25) Ibid. n. 32. (26) Loc. c. (27) De leg. c. 1. punct. 7. §. 2. n. 106. (28) L. 4. c. 16. n. 9. (29) Tr. 3. d. 1. p. 13. n. 5. (30) Loc. c. (31) L. c. n. 99. (32) Loc. c. (33) Inst. civ. de cens. l. 3. n. 2309. (34) De contr. cit. n. 32. (35) Tr. 6. c. 6. n. 11. (36) Ibid. (37) L. 3. p. 2. n. 1010. (38) Ibid. (39) Loc. cit. v. Sed illae.

850. « Resp. Cambium, quod permutationem significat, hic accipitur pro sola permutatione pecuniae. Et est contractus quo campsor aliquis campsario volenti cambit pecunias, cum lucro aliquo praeter sortem. Quod si sine intentione usuraria fiat, ob titulos iustos tali lucro aestimabiles, patet non esse malum. Unde cum quatuor sint cambiorum genera, nimirum 1. Cambium minutum seu manuale, 2. Cambium per litteras, 3. Cambium reale, 4. Cambium siccum, seu fictum.

Circa ea resolvuntur casus:

851. » 1. Licitum est cambium *minutum*, in quo dantur pecuniae minores pro maioribus, vel contra: quia hic sunt iusti tituli aliquid lucrandi, nimirum labor campsoris in numeranda pecunia, item diligentia in pecunia omnis generis conquirenda, ut campsariis quibusvis sit paratus; item puritas materiae et commoditas, ut cum aurum vel alia moneta commoda datur pro minuta et incommoda, Laym. [1] (Idque licet etiam eis qui officium cambiendi non habent. Salm. [2] cum Pal. Nav.).

852. » 2. Licitum est item cambium *per litteras*, cum scilicet campsor hic, v. gr. Monasterii prior accipit pecunias, quas postea litteris datis alibi, v. gr. Francofurti refundit per suos factores: quia hic etiam sunt iusti tituli, scilicet virtualis traiectio pecuniae et eius assecuratio. Tantundem enim facit, ac si campsario pecuniam eius Francofurtum transferat sine periculo. Minus tamen campsor exigere debet, quam si realiter transtulisset. Laym. [3] Bonac. [4] Navar. Less. etc. (S. Pius V. in bulla de cambiis, ad usuras amovendas, statuit non protrahi tempus solutionis cambii, nisi ad primas nundinas; et solutiones esse faciendas ubi determinatae sunt, ac iuxta tempus communiter taxatum cambiendi de uno loco in alium. Vide Salm. [5]).

853. » 3. Item licitum est cambium *reale*, cum campsor hic Monasterii prior dat pecunias, ut per suos alibi eas recipiat a campsario, qui alibi habet pecunias, sed eget nunc eis hic. Titulus huius cambii est item translationis et assecurationis: tantundem enim facit campsor, ac si pecunias campsarii absentes sisteret hic praesentes, vel ut alii aiunt, ac si praesenti pecunia emeret absentem, quae utique minus valet; Laym. [6] Bonac. [7]. (Probabiliter ait Croix [8] cum Less. Laym. et Spor. quod licite potest campsor accipere lucrum cambii, esto translatio pecuniae sit ipsi utilis, quia in communi aestimatione haec translatio est digna pretio, cum communiter in ea incommodum adsit, commodum autem campsoris tunc per accidens se habet).

854. » 4. Illicitum est cambium *fictum* seu *siccum*, quod nihil aliud est quam titulus lucrandi; ut v. gr. Titius indigens pecuniis petit a campsore sibi dari 100. Campsor autem non aliter dat, nisi Francofurti, v. gr., vel alio loco distante solvendos, petitque ab eo pretium quod solet dari pro locis similibus. Titius ergo accipit, et tamen vere non cogitat reddere in istis locis, imo forsan nec habet istic correspondentem, idque constat campsori: contractus hic est cambium fictum, ac revera mutuum, ideoque palliata usura. Excusabitur tamen campsor si lucrum illud exigat titulo lucri cessantis. Plura vide apud Tolet. [9] Bon. [10].

Quaeritur hic an sit licitum cambium cum recambio, vulgo *Cambio colla ricorsa* [11]. Casus est: Tu accipis Neapoli centum nummos a campsore solvendos in Sicilia, sed quia non habes ibi nec pecuniam nec procuratorem qui pro te solvat, rogas campso-

(1) L. 3. t. 4. c. 19. n. 4. (2) Tr. 14. c. 4. punct. 1. n. 8. (3) Loc. c. (4) D. 3. q. 5. p. 1. (5) Ibid. n. 12. (6) Loc. c. n. 6. et 7. (7) L. c. (8) L. 3. p. 2. n. 1031. (9) L. 5. c. 52. (10) D. 3. q. 5. p. 1. (11) Idest cum duplici lictione. Hom. Ap. tr. 10. n. 203.

rem ut tibi concedat procuratorem suum in Sicilia residentem, ut nomine tuo solvat debitum ipsi campsori cum lucro cambii; campsor autem scribit ad suum procuratorem, ut tanquam procurator tuus solvat sibi campsori cambium cum lucro, et tanquam procurator ipsius debitum recipiat: at quia tu non habes pecuniam in Sicilia, procurator ille rescribit campsori, ut hic exigat tuum debitum Neapoli cum alio lucro recambii. Tamb. [1] dicit hunc contractum probabiliter esse licitum citatque Nav. Sa Less. et Lugo. Sed merito huiusmodi contractum reprobant p. Concina [2] Cabass. [3] et Spor. [4] qui ait saltem practice hoc esse cambium siccum duplicatum: atque ego censeo etiam speculative, cum revera in eo casu neque tu intendis pecuniam acceptam restituere, nisi Neapoli ubi accepisti; neque contra campsor intendit exigere pecuniam creditam, nisi Neapoli ubi tradidit, ut ita ex sua pecunia lucrum percipiat. Nescio quomodo a labe usurae manifestae id excusari possit.

» 5. Quod attinet ad cambium *Francofurtense*, in quo mercatores dantes cambium ad proximas nundinas, quo magis eae distant eo plus exigunt; si ideo praecise plus exigatur quia solutio diutius differtur, usura est; si autem ratione alterius tituli iusti, v. gr. lucri cessantis, cum pecunia mercatorum sit instrumentum lucrandi, quo si diutius carent, carent lucro, et quo longius est tempus, eo plures cambium petunt, ideoque crescit valor pecuniae, tunc lucrum est iustum. Laym. [5] ex Mol. Less. etc. (Hoc cambium puto licitum, dummodo campsor vere patiatur interesse. Sola autem dilatio solutionis non erit certe causa iusta augendi pretium, ut recte notat p. Conc. [6]).

855. » 6. Qui cambiendo, vel aliter, pecuniam adulterinam accepit, sive ex ignorantia aut inadvertentia, non potest illam expendere: quia res vitiosa non potest tradi alteri, vitio non detecto, ut supra *de vendit.* Neque ex eo quod ipse deceptus est potest decipere alios, cum actio qua deceptus fuit nullum ad hoc ius tribuat. Bonac. [7] ex Az. Sanch. etc. »

Sed alii distinguunt: Si moneta non sit materialiter falsa, nempe si impressa sit signo principis, et materia sit bona, eiusdemque ponderis, poteris eam expendere, cum nullum alteri inferas damnum; ita Spor. [8] et Croix [9]. Si vero moneta adulterina sit etiam materialiter falsa, tunc certe non poteris illa uti. Dubitatur autem, an si eam expenderis bona fide, tenearis ad restitutionem. Negant Sylvest. et Ang. apud Dian. [10] qui probabile censet. Sed verius affirmant P. Nav. apud eumdem Dian. et Croix [11] Spor. [12] qui ait in hoc omnes consentire. Ratio quia tunc ad restitutionem teneris ex vi ipsius contractus, quo obligaris solvere iustum pretium pro re empta; cum autem pecuniam stanneam pro argentea tradis, minime iustum pretium solvis.

856. Utrum famulus recipiens pecuniam auream a domino ut satisfaciat creditoribus domini, possit lucrari, illam cum aenea commutando. Affirmatur, quia est fructus industriae, nisi sit contra expressam vel tacitam domini voluntatem. Salm. [13] cum Lugo Pal. etc.

Dubium XI. Quid sit locatio et conductio.

857. *Vide diversos casus apud Busemb.*
858. *Quando locator potest conductorem expellere ante tempus expletum.*
859. *An successor locatoris expellere possit conductorem.*
860. *An ob sterilitatem debeatur colono remissio pensionis.*
861. *An liceat pauperi elocare ius mendicandi.*
862. *An nuntius proficiscens ad eumdem locum, possit accipere a duobus duplicatam mercedem.*
863. *An conductor obligatus ad meliorationes, illas debeat facere expensis suis.*
864. *An debeatur salarium famulo aegrotanti. Et an expensae curationis.*

857. « Resp. Est contractus quo quis personam vel rem aliquam mobilem vel

(1) L. 9. tr. 3. c. 5. §. 3. (2) T. 7. p. 549. n.2. (3) L. 6. c. 10. n. 7. (4) De 7. praec. c. 6. n. 44. (5) Loc. c n. 9. (6) T. 7. p. 55 [illegible]

(7) D. 3. q. 5. p. 1. (8) De 7. praec. c. 5. n. 50. (9) L. 3. p. 2. n. 960. (10) P. 3. tr. 6. r. 3. (11) L. c. (12) Ib. (13) Tr. 14. c. 4. p. 1. n. 7.

immobilem alteri ad tempus utendam vel fruendam concedit, certo pretio aut mercede seu pensione constituta. Utenda conceduntur, v. gr. elocata domus, equus, servus etc. fruenda conceduntur, elocatae vaccae, caprae, fundus, pomarium etc.

Unde considerata huius contractus natura, et iuris dispositione, resolvuntur sequentes casus:

» 1. Si res locata ante traditionem pereat, contractus dissolvitur, et conductor liberatur.

» 2. Si, absque culpa conductoris, usus vel fructus rei cesset, v. gr. quia domus ruinam minatur, infestatur spectris, vel ob periculum pestis (nisi tamen quoad hoc consuetudo sit contraria), aut belli, tutam habitationem non praestat, liberatur conductor a solvenda pensione pro tempore, quo non potest inhabitare, vel alia re conducta uti vel frui; ut vide apud Laym.[1] Less.[2].

» 3. Servo aut laboratori conducto non debetur stipendium temporis notabilis quo aeger decubuit; nec aegro, nisi expensae modicae: nisi tamen aliter sit conventum aut consuetudo ferat. Vide Sa[3] (*Vide n.* 864.).

» 4. Propter modicum damnum vel infortunium nihil remittitur colono de pensione: secus si magna sit clades. Quod si tamen antecedentium vel sequentium annorum fertilitate damnum compensetur, non remittitur. Laym.[4] Less.[5] (*Vide n.* 860.).

» 5. Si pluribus annis ob coeli clementiam (secus si ob industriam colentis) uberiores fructus ex fundo elocato proveniant, potest colono pensio augeri. Laym.[6].

» 6. Expensas facere in rem conductam, quae duraturae sunt, v. gr. conservare sarta tecta, tributa et onera publica praestare, ad locatorem seu dominum spectat; nisi aliter conventum sit, aut consuetudo ferat. Laym.[7].

» 7. Si conductor in rem conductam necessarias sive utiles expensas fecerit, potest eas de pensione detrahere vel repetere a locatore, et dum non solvuntur retinere rem conductam Laym.[8] Mol.[9].

» 8. Etsi incendium plerumque accidat culpa inhabitantium, et sic in dubio contra illos praesumptio sit, quia tamen saepe id fit culpa famulorum, quam paterfamilias praestare non cogitur, hinc conductor absolvendus est; nisi locator ostendat culpam. V. Lay.[10] Diana[11] qui ex Haun. et Ber. docet si constet accidisse culpa certi et determinati alicuius de familia, isque circa officium suum deliquerit, v. gr. stabularii, qui lumen male custodierit in stabulo, teneri patremfamilias (nisi famulus iste pro fideli ac diligenti fuerit habitus) de damno: secus, si culpa alterius; vel si non constet utrum casu an culpa cuiusquam acciderit.

» 9. Si conductor domus, v. gr. ante tempus velit emigrare, id quidem licet, potestque alteri locare: caeteroqui autem de pensione nihil ei remittitur.

858. » 10. Locator non potest ante tempus praefinitum conductorem invitum privare re conducta, nisi his casibus: 1. Si pensionem non solvat; expectare tamen debet biennium, si ultra biennium res sit conducta. 2. Si casus improvisus accidat, ob quem domus v. gr. ipsi domino sit necessaria. 3. Si rem locatam reficere necesse sit, nec possit fieri altero inhabitante. 4. Si conductor in re conducta male versetur, v. gr. destruat vel abutatur, ut alendo ibi meretrices. Laym.[12].

. 11. » Successor universalis, sive haeres non potest ante completum tempus conductorem expellere: partialis autem successor, ut emptor, donatarius, legatarius etc. non tenetur stare contractui locationis, uti neque conductor; nisi tamen aliter pactum sit, v. gr. ne res locata durante tempore locationis alienetur. V. Les.[13] et Lay.[14]. »

859. Commune est, et certum cum Bus. ut supra, quod successor universalis non potest expellere conductorem, ut communiter dicunt Lugo[15] et Spor.[16]

(1) L. 3. t. 4. c. 23. (2) L. 2. c. 24. d 2. (3) V. Conductio. (4) N. 7. (5) L. 2. c. 24. d. 4. (6) N. 8. (7) L. c. n. 4. (8) L. c. (9) D. 496.

(10) Sup. n. 6. (11) P. 9. t. 7. r. 31. (12) N. 9. (13) L. 2. c. 24. (14) L. 3. t. 4. c. 22. (15) D. 29. n. 16. (16) De 7. praec. c. 7. n. 32

cum aliis [1]. Certum est etiam et commune, quod possit eum expellere successor particularis, uti emptor, legatarius etc. [2]. Conductor autem habet eo casu actionem pro interesse contra locatorem vel eius haeredem [3]. Excipiunt tamen Spor. [4] et Croix [5] si ager iam esset a colono elaboratus vel seminatus; quia (ut dicunt) non patitur aequitas ut colonus iacturam illam patiatur. Sed dico hanc exceptionem esse contra expressam iuris sanctionem, cum ex citatis textibus successor particularis habeat ius certum expellendi colonum: e converso non video, quomodo laedatur aequitas, cum colonus iam habeat actionem contra locatorem, vel eius haeredem, repetendi damnum; expresse enim in iure civ. [6] ubi sermo fit de legatario expellente colonum fundi legati dicitur: *Et hoc detrimentum* (id est ab expulsione proveniens) *ad haeredem pertinet*. Notandum autem hic, quod minor tenetur stare locationi sui curatoris: beneficiarius, sui praedecessoris: et uxor stare locationi sui mariti. Vide Croix [7].

860. Quaer. 1. an ob iacturam causa sterilitatis possit colonus petere remissionem pensionis. De iure naturae iactura sterilitatis per se spectat ad conductorem: ob aequitatem tamen iuris introductum est, si ingens sit damnum, ut aliquid remittatur; nisi sterilitas compensetur cum ubertate aliorum annorum, ut ex iure civili [8], ubi Gregorius IX. in quadam sua *Extravag.* sic sancivit [9]: *Propter sterilitatem afficiendo magno incommodo conductores, vitio rei, sine culpa coloni, seu casu fortuito contingentem, colonis ecclesiae pro rata pensionis remissio est facienda: nisi cum ubertate praecedentis vel subsequentis valeat sterilitas compensari.* Hinc, si nulli fructus percipiantur, nulla debetur pensio, ut docet Lugo [10]. Si autem aliqui fructus percipiantur, aiunt Less. [11] et idem Lugo [12] cum Cov. Bartolo et aliis, tunc tantum remissionem esse faciendam, quando, deductis semine et expensis, non supersit quod sufficiat saltem ad solvendam dimidiam pensionem. Verumtamen putat Croix [13] cum Laym. et aliis, in hoc servandam esse consuetudinem locorum.

861. Quaer. 2. an liceat pauperi elocare ius mendicandi. Affirmant Sanchez [14] cum Henriq. et Spor. [15]. Quia ex una parte contractus est iustus, cum utrinque aequalis sit sors lucrandi et perdendi: et ex alia hoc idem esset, ac si pauper mediate per alium eleemosynam peteret. Sed merito negant Lugo [16] cum Rodr. et Cord. Conc. ac Croix [17]. Ratio quia tametsi hic contractus sit iustus inter locatorem et conductorem, est tamen iniustus respectu ad fideles eleemosynas dantes, qui pauperi tantum volunt dare, non conductori, qui non est pauper, ut supponitur. Nec valet dicere quod fideles mediate dent pauperi; nam bene respondet Croix, quod vi iuris empti ad petendum, conductor non iam petit nomine pauperis, sed nomine suo: et ideo nec mediate nec immediate eleemosynae illae pauperi dantur. Secus autem dicendum censerem, si pauper non posset petere per seipsum: quia hoc casu, licet eleemosynae illae hic et nunc non perveniant ad dominium pauperis, prosunt tamen ut earum subventio sic manuteneatur; alias non inveniretur qui pro paupere illo loca circumiret, et sic pauper destitutus maneret.

862. Quaer. 3. an nuntius proficiscens ad eumdem locum licite possit accipere a duobus duplicatam mercedem. De aurigis ait p. Conc. [18] nullam esse difficultatem quod possint, quia talis est consuetudo. De nuntio vero opinatur aequum esse ut dimidiam tantum mercedem exigat a secundo conductore. Et hoc videtur satis probabile, cum eo casu opera illius pro

(1) Ex l. Viam 10. c. de loc. (2) Ex l. Emptorem, c. eod. tit. (3) Ex l. Si merces 25. §. Qui fundum 25. ff. de locat. (4) N. 34. (5) L. 3. p. 2. n. 1047. (6) Cit. §. Qui fundum. (7) L. 3. p. 2. n. 1047. (8) L. 8. c. de loc. ex c. Propter sterilitatem, de loc. (9) Lib. 3. decretal. tit. 18. c. 3. (10) D. 29. n. 40. ex l. Si merces, §. Vis maior. ff. de locat. (11) L. 2. c. 24. n. 17. (12) N. 43. (13) L. 3 p. 2. n. 1049. (14) Consil. l. 1. c. 7. dub. 2. (15) De 7. praec. n. 23. (16) D. 29. n. 9. (17) L. 3. p. 2. n. 1044. (18) T. 7. p. 632.

itinere quod non suscipit gratia illius secundi conductoris non videtur valere, quanti valeret, si pro eo solo iter susciperet. Caeterum satis etiam probabile est quod possit totam mercedem exigere, ut tenet Less. [1] cum communi sententia, ut asserit idem Concina, et probabilem putat Croix [2] cum Lay. et Pal. Ratio quia per accidens se habet ut opera sua sit utilis duobus; de se autem ab unoquoque mercedem iustam exigit, cum unicuique se obliget ex iustitia ad iter illud peragendum; quod si non peragit, peccat quidem iniustitia contra ius utriusque. *Vide dicta de Cambio n.* 853. *in fine.*

863. Quaer. 4. an conductor obligatus ad meliorationes, illas debeat facere expensis suis. Negant Mol. et Velasq. apud Lug. [3]. Sed verius affirmat ipse Lugo[4] cum Lop. et Croix [5] quia cum quis se obligat ad aliquid faciendum, per se censetur obligatus ad id faciendum suis expensis: sicut si quis se obliget ad solvendam pensionem in domo locatoris, tenetur quidem ad sumptus, ut illuc pensio transmittatur. Intellige, dummodo in contractu locationis detrahatur aliquid de ordinaria pensione, cum hoc onus meliorationum alienum sit a natura conductionis. Caeterum expensae modicae et ordinariae in re conducta faciendae, regulariter spectant ad conductorem; extraordinariae vero ad locatorem, ut Croix [6] cum Spor. et Tamb.

864. Quaer. 5. an debeatur pensio famulo conducto ad servitium annuum, si aegrotet per aliquos menses, puta per trimestre. Affirmant s. Ant. Graff. etc. apud Croix [7]. Sed verius negat communis sententia quam tenent Lugo [8] et Croix [9] cum Mol. Laym. et aliis. Quia de iustitia non debetur salarium pro obsequio non praestito. Putat autem Azorius apud Lugo [10] teneri saltem dominum ad praestandum famulo alimenta et expensas necessarias pro curatione. Melius tamen dicunt [11] Reb. et alii cum Diana non teneri nisi ad sumptus leves pro brevi infirmitate: quinimmo non immerito ait Lugo, neque ad id obligandum esse dominum, nisi forte aliquando ex caritate, casu scilicet quo infirmus esset in gravi necessitate. Bene tamen excipit Ronc. [12], nisi alicubi esset consuetudo ut domini teneantur ad totum stipendium, si famulus, ad annum conductus, per aliquot dies aegrotet.

(1) L. 2. c. 24. n. 28. (2) L. 3. p. 2. (3) D. 29. n. 69. (4) Ib. (5) L. 3. p. 2. n. 1055. (6) Loc. c. n. 1052. (7) L. 3. p. 2. n. 1050. (8) D. 29. n. 58. (9) Loc. cit. in fine. (10) N. 60. (11) Ibid. (12) Q. 3. r. 2.

DUBIUM XII. De contractu emphyteusis, feudi et libelli.

865. « Resp. 1. Emphyteusis est contractus similis locationi, in quo res immobilis, quae cultura possit effici melior, conceditur alteri, vel in perpetuum, vel non brevius saltem quam ad decennium; ita ut dominium eius directum et possessio civilis maneat apud dominum, qui tradit in emphyteusim; dominium autem utile transferatur in emphyteutam, cum hoc onere, ut quotannis certum canonem, ut vocant, seu pensionem domino solvat, quam si totam solvere negligat 26. annis continuis in emphyteusi ecclesiastica (cum scilicet res est ecclesiae vel pii loci) vel in saeculari 36. annis, incidit ipso iure in poenam commissi, ut dominus eum expellere possit [13] (Etiam auctoritate propria, ut multi cum Pal.[14]; sed Less. dicit praecedere debere monitionem. Vide Croix [15]) etsi de solutione interpellatus non fuerit: licet enim Bart. et alii quidam apud Diana [16] dicant, si per 30. vel 40. annos non solverit, eum praescribere immunitatem in futurum, id tamen Wesemb. et alii 5. negant[17]. Porro, quid iuris sit in hoc contractu, pendet ex consuetudine locorum, quae varia est, et ex ipsa conventione contrahentium, quae scripto

(13) Qui canon si non solvatur per tres annos dominus potest sibi vindicare fundum, si hoc erit secularium, per duos si est ecclesiae. H. A. tr. 10. n. 211. (14) P. 10. n. 1. et 6. (15) L. 3. p. 2. n. 1062. (16) P. 8. t. 7. r. 36. (17) Vide loc. c.

instrumento concipi debet, ut valeat. Vide Laym. [1] Less. [2]. »

866. Utrum emphyteuta debeat pensionem, quando patitur gravem iacturam fructuum. Dicit Pal. [3] de iuris rigore et consuetudine, integram pensionem esse solvendam ex iure civ. [4] ubi sancitur, quod, praedio manente in parte, solvenda est pensio. Attamen Les. [5] ac Lugo [6] recte sentiunt hanc legem esse intelligendam, quando pensio est modica respectu fructuum, et magis datur in recognitionem dominii directi, quam ad fructus compensandos. Secus vero, si sit magna et fere aequalis fructibus, nam tunc ex aequitate deberet minui vel fundo pereunte ex parte vel magna sterilitate adveniente. Utrum autem emphyteuta gaudeat privilegiis quae dominus directus in re habebat. Affirmant Bart. Iason, Tiraq. etc. apud Croix [7]. Sed negant probabiliter Less. Laym. Pal. etc. [8]. Ratio quia cum transfertur in emphyteutam utile dominium rei, res non fit sua; unde, si nimirum ipse sit laicus, non potest gaudere privilegiis ecclesiae, ad quam spectet dominium directum.

867. « Resp. 2. Feudum est contractus similis emphyteusi, quo res immobilis alicui conceditur, cum translatione dominii utilis, proprietate retenta, sub onere non quidem aliquid solvendi, sed exhibendi fidelitatem et obsequium personale directo domino. Quod si tamen non faciat vassallus (sic enim dicitur feudi acceptor), perdit feudum. Interdum etiam in feudo aliquid persolvi debet in recognitionem dominii directi, sed tunc ex ea parte deficit a puro feudo, et declinat ad emphyteusim: porro, quid iuris sit circa feuda, pendet item a locorum consuetudine, quae iuris communis sunt [9].

868. « Resp. 3. Contractus libellaticus, sive datio ad libellum dicitur, cum emphyteuta vel feudatarius rem illam quam in feudum vel emphyteusim accipit, simili contractu tradit tertio (ad quod tamen, si in decennium fiat, requiritur domini consensus): ita ut sit quasi subfeudum et subemphyteusis. Ita Less. [10]. »

DUBIUM XIII. Quid sit sponsio et ludus.

869. « Resp. Sponsio est contractus in quo duo de veritate aut eventu ali-

(1) L. 3. t. 4. c. 25. (2) L. 2. c. 24. d. 9.
(3) Tr. 33. d. 9. p. 7. n. 5.
(4) L. 1. c. de iure emphyt.
(5) Lib. 2. c. 24. n. 49. et 50
(6) D. 29. n. 88. (7) L. 3. p. 2. n. 1064.
(8) Ibid. (9) Loc. c. (10) D. 1. n. 6. — Patet, contractum libellaticum, feudum et emphyteusim non novi, sed antiqui iuris esse.

cuius rei certantes, sibi invicem aliquid spondent, ut id eius sit qui veritatem assecutus fuerit; v. gr. certo tecum 10. imperialibus hanc vel istam civitatem obsessam, captam etc. Ut licite fiat, requiritur 1. ut fiat super re dubia. 2. Ut sit aequalitas in re quae spondetur, cum aequali incertitudine. (Aequalitas tunc adest, quando res est proportionata probabilitati alterius partis. Lugo [1]). 3. Dubius eventus in utroque. 4. Ut uterque eodem sensu accipiat id de quo certatur. Molina Lessius Lugo [2]. »

Sed quaeritur an sint licitae hae sponsiones, vulgo dictae *Scommesse*. Negant s. Ant.[3] Sylv. [4] et Conc. [5] cum Gabr. etc. Ratio quia leges civiles has sponsiones reprobant, nisi forte fiant causa exercendae virtutis, puta in palaestra luctando, etc. Affirmant vero communiter Azor. [6] Sanchez [7] Lugo [8] Cont. Tour. [9] Ronc. [10] Wigandt [11] Salmant. [12] cum aliis pluribus. Ratio quia hic est contractus fortunae, quo uterque spondens exponitur pari periculo iacturae et lucri. Neque verum est leges prohibere sponsiones, nisi fiant circa corporis certamina, aut causa odii, libidinis et similis: aliae vero sponsiones indifferentes potius approbantur [13]. Hanc sententiam per se veram puto, quia sponsio per se est res indifferens. Tamen in individuo (cum ex mea sententia non detur actio indifferens) regulariter censeo huiusmodi sponsiones non excusari a peccato veniali, quia in eis deest motivum cohonestans licitae recreationis, sicut adest in ludo honesto. Et sic videtur intelligere s. Ant. [14] vocans tale lucrum *turpe*, utpote *nulli deserviens utilitati*, *sed vanitati et prodigalitati*.

Nemo autem dubitat reprobandas esse sponsiones circa ingluviem aut potum; vide Lugo [15]. Sic per bullam Pii v. *In eligendis*, *etc*. prohibentur sponsiones circa dubiam electionem pontificis sive super eius vitam et mortem, ut refert Azor.[16]. Item testatur Roncag.[17] Gregor. XIV. per aliam bullam quae incipit *Cogit nos*, ampliasse praefatam bullam Pii etiam ad electiones cardinalium, et adhuc extra urbem sub excommunicatione latae sententiae papae reservata respectu ad electionem pontificis; et respectu aliarum sponsionum, ipsae annullantur in utroque foro, adeo ut quisque teneatur ad restitutionem ante omnem sententiam. Sic etiam, ut testatur Sanch. [18] prohibentur sponsiones scholasticorum salmanticorum circa electiones ad cathedras.

870. Dubitatur 1. an sit licita sponsio circa peccatum committendum. Bene distinguit Lugo [19]. Si sponsio est de peccato patrando ab alio tertio, illicita est, si spondens optet peccatum, vel opem ferat ad peccatum committendum. Ita Lugo[20] et Sanch.[21]. Advertunt tamen iidem Lugo, et Sanch. cum Alcoz. quod eo casu optans peccatum peccaret quidem, sed non tenetur ad restitutionem, quia laederet quidem virtutem quam laedi optat, sed non laederet iustitiam. Si vero sponsio est de peccato patrando ab uno ipsorum spondentium, licita erit, si tu v. gr. sponderes alterum commissurum fore peccatum, quia tunc sponsio eum avertit a peccato: secus, si sponderes te commissurum peccatum, aut alterum non commissurum; quia tunc sponsio ad peccandum induceret.

Sed dubit. 2. an hoc casu quod sic illicite sponderes, tenearis ad restitutionem. Recte negant Lugo [22] Sanch. [23] Azor. [24] et Roncag. [25]. Ratio quia, licet spondendo pecces, non tamen laedis iustitiam, cum tu non accipias tunc pretium pro peccato commisso, sed pro eventu iam successo iuxta pactum sponsionis. Et in hoc consentit etiam s. Anton. [26] dicens: *Non tamen restituere o-*

(1) D. 31. n. 77. (2) D. 36. sect. 6. (3) P. 2. t. 1. c. 23. §. 9. (4) V. Negotium, q. 4. in fin. (5) T. 7. p. 608. n. 21. (6) P. 3. l. 11. c. 19. dub. 1. (7) Cons l. 1. c. 8. dub. 32. n. 2. (8) D. 31. n. 73. (9) De contr. p. 2. c. 10. (10) De contr. c. 3. q. 1. (11) Tr. 8. exam. 4. q. 20. r. 2. (12) De contr. c. 4. punct. 3. n. 64. (13) L. Si quis, ff. de verb. obl. et l. Si pater c. de Inoff. test. (14) Loc. c. (15) Loc. c. (16) L. c. c. 20. dub. 4. (17) L. c. q. 2. r. 2. (18) L. c. n. 4. (19) D. 31. n. 75. (20) Loc. c. (21) N. 6. (22) N. 75. (23) N. 8. (24) D. c. 19. dub. 6. (25) C. 3. q. 2. r. 1. (26) L. c.

portet de necessitate; sed pauperibus erogandum, et hoc magis ex consilio, quam ex praecepto.

871. « Ludus vero est contractus quo ludentes inter se paciscuntur ut victori cedat quod uterque deposuit. Hi contractus iure naturae liciti sunt, modo debitae conditiones adsint, et aliunde non interveniat scandalum, aut iusta prohibitio aut iniquitas se misceat, nec peccati sit occasio: quia, sicut quivis suae rei dominus potest alteri eam donare absolute, sic etiam sub aliqua conditione, sive ea fortuita sit, sive ex industria pendeat. Less. [1] Bon. [2].

» 1. Qui rei dominus non est, aut alienare eam non potest, non potest etiam de ea ludere aut disponere. Et sic deberet restituere, qui lucratus esset a religioso et filiofamilias non potente alienare. Laym. [3]. »

872. Quod lucratur quis ludo a filiofamilias debet ei restituere, nisi sit de bonis castrensibus etc., vel nisi ludus sit moderatus iuxta decentiam; vel adsit tacita licentia parentum. Salm. [4] idem dicendum de uxore et religioso, ut Lugo Mol. Azor. cum Salm. [5]. Hoc tamen non intelligitur de ludis illicitis vetitis a iure, a regula, vel a praelato [6], uti sunt ludi alearum et taxillorum, et consequenter omnis ludus fortuitus, nisi fiat in parva quantitate, et in illis religionibus ubi usu permittitur ad recreationem, ut Salm. [7] cum Dic. Peyr. etc. At in religionibus reformatis talis ludus esset peccatum grave propter specialem regulae prohibitionem, ut communiter dicunt Salm. [8] cum Lugo Dian. Dic. etc. Et tunc lucratum omnino restituendum ipsi religioso vel monasterio. *Vide fusius infra dicenda super hoc puncto num.* 901. ubi etiam agetur de quantitate quam alii religiosi possunt ludo exponere.

873. Hinc quaeritur 1. si religiosus, obtenta licentia generali a praelato expendendi aliquam summam, expendat in usibus illicitis, puta in ludis vetitis, aut cum meretricibus, etc. utrum tunc peccet contra votum paupertatis, et tam ipse quam accipiens teneantur ad restituendum monasterio.

Prima sententia cum Salmant. [9] cum Nav. Sanch. Less. Sylv. etc. affirmat. Ratio quia talis licentia a superiore nec praesumitur data, nec dari poterat, cum ipse non sit dominus, sed simplex administrator bonorum monasterii.

Secunda sententia tamen quam tenent plures auctores graves, ut Suarez Lugo Hurt. Med. Sal. Lop. Pelliz. Reb. etc. ap. Salm. [10] quibus Croix [11] adhaerere videtur, censet nec religiosum tunc peccare contra votum, nec restitutionem monasterio deberi ab ipso aut ab accipiente. Ratio istorum, tum quia (ut ait Croix) tunc licentia habetur ut data, non a praelato administratore, sed a religione domina, quae in tali casu, licet sit invita quoad modum, non est tamen quoad substantiam; et religio praesumitur (ut ait Rebell.) saepe in eam consentire, ne periclitetur fama subditi vel superioris: tum quia eo casu superior aufert de se impedimentum quantum potest; et ideo, cum universaliter licentiam praebet, non est cur credatur eam limitasse ad usus tantum licitos, ut dicunt Croix et Lugo cum aliis. Sed his non obstantibus, censeo primam sententiam absolute probabiliorem. *Vide fusius l. 4. n.* 31.

874. Quaer. 2. an religiosus possit in ludo plus lucrari, quam perdere possit. Distingue: Potest, si eodem iactu (exponendo v. gr. quinque argenteos) totidem a quatuor personis lucretur; vel si ludus moraliter non interrumpatur; quia tunc, sicut posset amittere pecuniam iam lucratam, una cum sua exposita, ita bene potest plus lucrari, saltem duplum suae pecuniae expositae. Sanch. Valent. Reb. etc. cum Salmant. [12]. Si vero ludus moraliter interrumpatur, vel si lusores sint omnino

(1) C. 26. d. 1. (2) D. 2. q. 3. (3) L. 3. t. 4. c. 21. n. 3. (4) De contr. c. 4. punct. 3. n. 54. (5) De restit. c. 6. punct. 8. n. 94. (6) Omnes ludi sortis (qui dicuntur lusus alearum) ut sunt lusus taxillorum, qui vulgo dicuntur *bassetta*, *primiera etc.*, hi vetiti sunt tum iure canonico, tum civili. Hom. Ap. tr. 10. n. 217. (7) Ibid. n. 95. (8) Ibid. (9) De restit. c. 6. punct. 7. n. 85. (10) Ibid. n. 84. (11) L. 4. n. 114. (12) Ibid. punct. 8. n. 97.

diversi, non potest pecuniam lucratam integre exponere, quia illa non est sua, sed monasterii. Concedunt tamen Salmant. [1] cum Lugo et Villal. non interrumpi ludum, si de pluribus lusoribus unus substituatur alteri in eodem genere ludi; aut si in altera die, urbanitatis causa ludatur cum iisdem. Idem de filiisfamilias docet Sanchez [2], idem de similibus ait Rebellius.

875. Quaer. 3. an religiosus qui sine licentia exponit ludo maiorem summam, quam possit, teneatur restituere lusori summam lucratam uno iactu supra illam quam perdere poterat. Negant Nav. Gabr. Arm. Graff. Toled. et alii apud Sanch. [3]. Ratio istorum, quia contractus aliquando bene potest esse validus ex parte unius, et invalidus ex parte alterius, ut sunt contractus cum pupillo, et ecclesia sine solemnitate initi [4]. Hanc opinionem Sanchez [5] licet oppositam vocet longe probabiliorem, putat tamen probabilem; sed ratio allata nullo modo probabilis mihi videtur; in adducta enim paritate supponit lex adesse in contractu aequalitatem, et tantum respectu deficientiae solemnitatum favet ecclesiae et pupillo; at in casu nostro deficit aequalitas et iustitia contractus, cui nescio quomodo lex favere possit, cum sit in substantia iniustus. Hinc adhaereo secundae sententiae, quam tenent Salm. [6] Sanch. cum Less. Villal. etc. nimirum, quod eo casu omnino teneatur religiosus ad restituendum; quia nequit lucrari tali contractu inaequali et iniusto. Et hoc congruit doctrinae Molin. Sanch. et Lugo apud Croix [7], qui recte dicunt quod si quis lucratur exponendo ad ludum pecuniam furtivam, extra quam nihil aliud habeat quod tradat, tunc tenetur restituere lucratum, quia contractus fuit nullus cum exposuerit pecuniam, quam collusor acquirere non poterat.

Dicunt tamen Salm. [8] et Sayr. Henr. Salon. Sa etc. apud Sanchez [9] quod si alter lusor sciat religiosum vel filiumfamilias non posse illam quantitatem exponere, tunc nihil repetere posse; quia volenti non fit iniuria. Sed hoc verius negant Sal. apud Lugo [10] et Sanchez [11] cum Soto Lop. Reb. etc. Ratio, quia ille, etsi colludat cupiditate ludendi attractus, non tamen censetur ita cedere iuri suo, ut possit perdere et non lucrari. Recte tamen id admittit Sanch. cum Lop. solo casu quo ex conditione colludentis, et ex parva quantitate ludo exposita probabiliter praesumatur animus donandi; vel si ipse colludens non animo lucrandi, sed recreationis gratia ludit, nec esset res magni momenti, ut etiam bene subdit Sanch. cum Reb.

876. « 2. Si tamen filiusfamilias (et idem de religioso ait Nav. apud Less. [12]) alatur in distanti loco a parentibus, poterit ex alimentis moderate aliquid insumere in honestum lusum, v. gr. 5. ex 100., quia talis communiter praesumitur voluntas parentum, ut habent Sot. [13] Laym. etc. Ac praeterea potest etiam filius exponere quidquid lucratus fuerit, cum ad hoc etiam parens censeatur tacitam facultatem dare. Layman [14] Bon. [15]. »

Probabile tamen est, ut mecum senserunt iuniores valde docti, quod eo casu, si filiusfamilias nolit solvere amissum in ludo, licite potest exceptionem opponere, nec tenetur solvere, reservando aliquid ex alimentis. Utrum autem filiusfamilias possit una vice exponere, quod per totum annum perdere potest. Negant aliqui, sed probabilius affirmant Sanch. et Diana. Nec victor tunc tenetur inquirere an filius poterit necne illam summam exponere, nisi sciat quod iste solet cum aliis ludere. Ita Sanch. Lugo etc. ap. Croix [16].

877. « 3. Tenetur restituere qui vicit faciendo contra conditiones ludi et decipiendo, aut fraude ac per iniuriam alterum pertraxit ad ludendum; v. gr.

(1) Ibid. (2) Cons. l. 7. c. 8. d. 8. n. 2. (3) Dec. l. 7. c. 19. n. 85. (4) Ex l. Iulianus, §. Si quis, ff. de act. empt. et c. Si quis 12. q. 2. (5) N. 86. (6) De rest. c. 6. punct. 8. n. 98.

(7) L. 3. p. 2. n. 1079. (8) Cit. n. 98. (9) N. 87. (10) D. 31. n. 59. (11) Dict. n. 87. (12) Loc. c. d. 1. (13) Loc. c. (14) Loc. c. (15) De restit. d. 1. q. 3. p. 2. n. 10. et seq. (16) L. 3. p. 2. n. 1073

si simularet se plane ignarum lusus, et sic alterum multo imperitiorem provocaret, qui alioqui ludere noluisset, aut si conviciis lacesseret, ad quae vitanda alter consensisset in lusum, alias non consensurus. Mol. [1] Laym. [2] Bonac. [3].

878. » 4. Si in re quae spondetur sit inaequalitas, et haec alteri parti (v. gr. cuius pecunia maior est) sit nota, isque nihilominus spondere velit, valet contractus probabiliter; quia scienti et volenti non fit iniuria, ut dicunt Nav. Med. Sanch. Diana. Contrarium tamen probabilius docet card. Lugo [4] ex Mol. Less. et Bon. Si autem ignota sit, non potest alter lucrari; quia non est aequalis conditio utriusque, et alter nulli se exponit periculo. Vide Az. [5] Bon. [6] Sal. [7] Escob. et card. Lugo [8]. »

879. An valeat sponsio, si quis manifestet certo rem scire, et hoc non obstante alter perseveret in sponsione.

Prima sententia cum Viva [9] Salm. [10] Sanch. Trull. Diana Villal. affirmat valere, quia alter suae pertinaciae detrimentum imputare debet.

Sed *secunda sententia* mihi multo probabilior, quam sequuntur Lugo [11] et Croix [12] tenet contractum esse nullum; pari modo ac si quis pertinaciter emere velit gemmam falsam pro vera. Tunc enim, quamvis venditor manifestet illi veritatem, si tamen ille pro vera emat; adhuc emptio est nulla, cum ibi non alius contractus interveniat, quam emptionis; nec emptor animum habet transferendi dominium suae pecuniae alio titulo quam emptionis; quae cum sit iniusta quoad substantiam nulla est. Excipitur 1. Si ille qui a principio certus videbatur de aliqua re, postea, altero contradicente, ac spondere volente, incipiat dubitare, advertens iam alias se deceptum deprehendisse, etiam in iis quae sibi certa apparebant; tunc enim poterit lucrari. Ita Lugo [13] Cont. Tourn. [14] Ronc. [15] Anac. [16] com Mol. Praeterea ego exciperem, si sponsor deceptus suam assertionem haberet pro dubia, quia tunc sponte vult perdere: quando enim credit certum quod ipse asserit, tunc spondet, non quia vult cedere iuri suo, sed quia decipitur, unde non habet voluntatem perdendi; sed quando alter prodit suam assertionem ut certam, et ipse de assertione sua incipit dubitare, et tamen pertinaciter vult spondere, tunc cessat sua deceptio, et ipse vere vult perdere, casu quo res se habeat ut alter asserit. Prout si venditor asserat gemmam esse falsam, et emptor iam dubitans vult pluris emere, etiamsi deinde detegatur falsa esse, bene poterit venditor pretium illud retinere.

« 5. Per se quidem et iure naturae licita est etiam sponsio de futuro eventu, qui damnum proximi coniunctum habet, v. gr. Petrum intra annum moriturum (etsi enim detur occasio optandi vel machinandi mortem Petro, id est per accidens, potestque idem periculum esse in censu vitalitio): iure tamen humano saepe prohibetur. Lugo [17].

» 6. Etsi sponsio cum conditione illicita. v. g. plus altero potaturum, sit illicita, quia inducit ad peccatum, quod tamen ea lucratus es, non teneris restituere. Sanch. Lugo Diana [18].

880. » 7. Probabile est quod docent Molina etc. dum quis, minis vel conviciis ad lusum inductus est, et perdit, victorem non teneri restituere, quia talis absolute voluntarie lusit. Bon. [19] ex Mol. et Garc. contra Azor. Less. Reg. Fill. etc. communiter. »

Quaeritur igitur an si quis cogat iniuriose alterum ad ludendum, possit postea retinere quod lucratur.

Prima sententia negat, quia damnum ex iniuria secutum omnino est restituendum. Ita Less. [20] qui vocat communem cum Malder. Steph. et aliis apud Croix [21].

Secunda sententia vero, quam tenent

(1) D. 517. (2) L. c. (3) D. 2. q. 3. p. 2. n. 3. (4) D. 31. sect. 6. n. 81. (5) P. 3. l. 5. c. 25. q. 7. (6) D. 5. q. 3. p. 2. q. 36. n. 3. (7) De lud. dub. 15 n. 3. (8) L. c. (9) Art. 4. de ludo et spons. (10) De contr. c. 4. p. 3. n. 64. (11) D. 31. n. 83. (12) L. 4. n. 1068. (13) N. 79. (14) De contr. p. 2. c. 10. (15) De contr. c. 3. q. 2. r. 2. (16) De spons. q. 9. n. 116. (17) Loc. c. n. 74. (18) P. 7. t. 9. r. 69. (19) Loc. c. (20) L. 2. c. 26. n. 9. (21) L. 3. p. 2. n. 1080.

Mol. [1] cum Trull. Hurtad. Dic. et Dian. apud Croix [2] ac Garc. apud Lessium [3] et probabilem putant ipse Less. et Busemb. ut supra, affirmat posse retinere, quia tunc non coactio aut ludus, sed potius casus aut peritia cogentis fuit causa damni: si enim, dicunt, iste cogens perderet, iam solvere utique teneretur, et alter posset retinere, ut communiter docent [4] s. Thom. s. Ant. Less. etc. Ergo vice versa, si vincit potest retinere. Haec sententia, per se loquendo, mihi probabilior est (nisi collusor qui coegit, superaret coactum in peritia ludendi, eo enim casu sentio teneri ad restituendam saltem partem lucrati, iuxta mensuram peritiae qua praecelleret alteri). Ratio quia contractus ille, non obstante iniuria metus incussi, fuit satis utrinque voluntarius et validus, iuxta communiorem sententiam relatam *n.* 717. Neque obstat dicere cum Cont. Tour. [5] quod eo casu tenetur cogens ad restitutionem, quia esset causa damni, cum ex sua iniuria alter damnum patitur. Nam respondetur ex d. Thom. [6] cuius verba retulimus *n.* 562. *v. Secunda*, quod irrogans iniuriam tunc tenetur ad restitutionem, quando iniuria per se coniuncta est cum damno; sed in casu nostro damnum non est de se annexum iniuriae, cum metum passus, sicut perdidit, ita aeque poterat lucrari; ergo damnum non provenit ex iniuria sive ex metu incusso, sed ex infortunio et casu. Dixi *per se loquendo*, nam si metum passus petat restitutionem pecuniae amissae, recte docet Less. [7] teneri incutientem metum lucratum restituere, iuxta dicta *n.* 717. *v. Quaerit.* 2. Quid vero, si ille cogat tantum per preces importunas. Sanch. Nav. Sylv. apud Croix [8] adhuc tenent non posse retinere. Sed longe probabilius contradicunt Lessius [9] et plurimi cum Diana quia preces non tollunt voluntarium, sicut nec minae, ut ex communi asserit Bus. *hic* cum Bann. et Molina.

Quid, si victus cogat iniuriose vincentem ad ulterius ludendum, et postea vincat aliud ultra amissum, an possit retinere. Negat Croix [10], nisi victor ex more lusus haberet ius cogendi alterum ad ulterius ludendum. Sed alii dd. ut Adrianus Toled. Mol. Garc. etc. apud eumdem Croix [11] dicunt non teneri ad restitutionem; et hos sequor iuxta mox supra dicta; nam idem est cogere ad ludendum, quam ad ulterius ludendum. Potest tamen coactus, ut diximus, repetere quod post coactionem amittit.

881. » 8. Communior sententia est teneri restituere, qui lusit vel certavit, certo praesciens se victurum esse. Contrarium tamen, nempe non teneri, dummodo dolus abfuerit, tenent Tol. et Sa [12] quia non tenetur quis ex iustitia suam peritiam vel scientiam adversario declarare: sed is suae temeritati imputet, quod ausus fuerit cum eo deponere, cuius scientiam non norat. V. Bonac. [13] Diana [14].

882. » 9. Non tenetur restituere, qui utitur astutiis illis quas regulae lusus et consuetudo recepta patitur; cum uterque sciat, tales astutias esse solitas, et sic tacite in illas libere consentiat. Az. Fill. Less. Bon. [15], v. g. 1. Si potiores chartas habens, et securus de victoria augeat sponsionem, vel simulet metum, ut adversarius augeat. 2. Si sciens se inferiores chartas habere, dissimulet, augeatque sponsionem, ut sic relinquatur sibi quod erat appositum. Cardin. Lug. Salm. Sanch. Dian. [16]. 3. Si inspiciat chartas alterius, ex sola ipsius negligentia et absque fraude; secus, si ita se collocet, ut possit videre, vel si alium constituat a quo admoneatur. 4. Si chartas a tergo discat nosse inter ludendum, quas ante non signarat nec noverat. Trull. Sanch. Lugo Diana [17].

» 10. Qui vero utitur fraudibus non adhiberi solitis, vel colludenti ignotis; v. gr. suffuratur chartas, vel signis a tergo notat, vel utitur notatis, aut iis

(1) D. 516. (2) Loc. c. (3) N. 8. (4) Ibid. (5) De contr. p. 2. c. 10. n. 5. (6) 2. 2. q. 62. a. 7. (7) Loc. cit. c. 26. n. 10. (8) Ibid. (9) Loc. c. (10) L. 3. p. 2. n. 1080.

(11) Loc. c. (12) V. Contractus. (13) L. c. n. 4. (14) P. 7. c. 9. r. 62. (15) L. c. p. 2. n. 2. (16) P. 7. t. 9. r. 43. (17) P. 4. t. 9. r. 50. et 52.

quas ante novit, ignorante socio, vel arte quadam eas componit, etc. tenetur restituere non tantum lucrum, sed etiam quantum alteri valebat spes lucrandi, imo etiam colludendi. Reg. Amic. Trull. Dian. [1] et Bon. [2].»

Certum est quod fraudator tenetur restituere non solum id quod lucratus est, sed etiam quod alter iuste lucraturus erat, si fraus abfuisset: ita Less. [3] et Salm. [4] cum Bon. Vill. et Trull. In dubio tamen an alter fuisset lucraturus, non potest quidem fraudans retinere lucratum quia saltem est dubius an iuste lucratus sit: sed non tenetur quantitatem expositam alteri dare, quia melior est conditio possidentis: cum alter non erat certo lucraturus ut dicunt Less. [5] et Salm. [6] cum Sylv. Diana Villal. et Trull. Sed melius sentit Cont. Tournely [7] cum aliis teneri ad dandum alteri quantum valebat spes victoriae quam colludens cessante fraude habuisset; modo (intelligendum dico) in colludente potior fuisset spes lucrandi quam periculum perdendi; ratio quia eo casu spes illa qua alter per fraudem privatus est, iam aliquo pretio digna erat.

Qui lusit, quia fraudulenter monitus fuit ab altero qui vidit socii chartas, certe lucrum restituere tenetur, nisi ante monitionem iam illum iactum (vulgo *posta*) ludere statuisset. In dubio tamen, an fuisset lusurus, si monitus non fuisset, alii dicunt teneri restituere totum lucratum; sed probabilius teneri tantum pro rata dubii iudicat communis sententia cum Croix [8] Bon. Sanch. et Dian. [9]. Quid si post monitionem adhuc eventus ludi erat dubius? Sanch. [10] dicit non teneri ad restituendum aliquid; alii dicunt teneri ad totum. Probabilius dico tunc teneri etiam pro rata dubii, cum dubia sit illatio damni; sed quia adfuit certa iniustitia ob illam maiorem fraudulentam probabilitatem vincendi, ideo tenetur ad aliquid. Nota hic, non teneri lusorem monere alterum de suo errore, puta, si det manum, si numeret pro se minora puncta. Croix [11] cum Sanch. quia sic fert communis mos lusorum.

« 11. Si ludens habeat animum non solvendi, vel, si perdat, repetendi, non potest lucrari, atque adeo nec retinere quod est lucratus; quia fraudulenter decipit, nec alter vellet cum eo ludere si id sciret. Less. [12] Regin. [13] Bon. [14].

» 12. Peccant graviter, et communiter mortaliter, qui totos se lusibus tradunt, cum sciant in gravia se inde peccata labi, aut impotentes reddi ad solvenda debita, vel alendos liberos et uxorem etc. Sanch. Trull. [15].

» 13. Ludere pro psalmo vel oratione dominica recitanda non est peccatum nec irreverentia. Nav. Reb. Sanchez Dian. [16].»

Quaeritur hic an liceat ludere precibus sacris applicandis pro victore. Negant Habert ac Lop. Vega etc. apud Conc. [17] quia non licet miscere sacra profanis; imo dicunt esse simoniam, si vellent victos civiliter obligare. Sed merito affirmant licere idem Conc. [18] et Cont. Tourn. [19] cum Henrico a s. Ignatio. Ratio quia malum quidem est adhibere spiritualia propter profana; adhibere vero profana propter spiritualia licitum et bonum est: idque probat piorum usus. Sicut autem licitum est permutare spirituale cum spirituali, ut diximus *de Simon. hoc l.* 3. *n.* 72., sic etiam licet, nec est simonia, invicem se obligare ad praestanda spiritualia. Si vero unus luderet pecunia, alter precibus; hoc certe esset simonia.

883. « 14. Peccat item ludens, si lusus lege positiva sit prohibitus, ut lusus alearum et similes, qui magis in fortuna et casu, quam in industria fundantur. At laicis ratione circumstantiarum sub veniali, clericis sub mortali prohibentur. Less. [20]. Intellige, si clericus crebro perque longum tempus luserit, non autem si per breve tem-

(1) L. c. r. 42. et p. 4. t. 3. r. 25. (2) De rest. d. 2. q. 3. p. 2. (3) L. 2. c. 26. (4) Tr. 14. c. 4. punct. 3. n. 58. (5) L. c. (6) Ibid. (7) De ludo etc. (8) L. 3. p. 2. (9) Ibid.

(10) Ibid. (11) Ib. n. 1043. (12) L. c. d. 5. n. 31. (13) N. 388. (14) Loc. c. (15) C. 27. dub. 1. (16) P. 7. t. 9. r. 1. (17) T. 7. p. 662. n. 4. (18) Loc. c. (19) De ludo v. An licitum. (20) L. 2. c. 26. n. 6.

pus et causa recreationis et absit scandalum; quia canones id prohibentes non videntur recepti, nisi quatenus id fieret cum periculo scandali; ut habent Less. [1] Laym. [2]. Notat autem Diana [3] ex Lug. Dicast. Amic. Trull. etc. praedictis legibus per contrariam consuetudinem ita derogatum esse, ut non tantum laicus, sed etiam clericus non peccet, si principaliter pro recreatione, et simul pro lucro moderato ludat chartis vel aleis: in religiosis tamen (apud quos disciplina regularis viget) uti et episcopis, a peccato gravi excusari vix posse [4] ex Molin. Lugo etc. etsi Sanch. conetur excusare si urgeat necessitas, v. gr. excitandi aut recreandi infirmum, vel si parum ludat ob solam recreationem.

» 15. Si quis ludo tali vetito lucratus fuerit, iuxta sententiam probabiliorem non tenetur ad restitutionem ante iudicis sententiam: quia iura non annullant contractum, nec impediunt acquisitionem dominii, sed tantum concedunt ut possit repeti. An vero qui tali lusu perdidit, teneatur postea adhuc solvere. Alii negant; vide Less. [5] Mol. Reg. Fill. etc. Alii affirmant, ut Azor. Reb. Val. etc. apud Bon. [6]. Vide Diana [7].»

884. Omnia haec operae pretium est singula fusius et sedulius ad trutinam revocare. Ante omnia hic praenotandae sunt leges quae tam de iure canonico quam civili prohibent ludos vetitos. De iure canonico [8] sic habetur: *Episcopus aut presbyter aut diaconus, aleae atque ebrietati deserviens, aut desinat aut certe damnetur. Subdiaconus aut lector aut cantor similia faciens, aut desinat aut communione privetur: similiter etiam laicus.* Item [9]: *Ad aleas et taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint.* Item [10] pontifex declaravit indignum beneficio quemdam clericum *aleatorem manifestum*, et proinde consuetudinem talis lusus in clericis penitus improbavit, eamque dixit *pravam ac corruptelam.* Item conc. trident. [11] quoad hanc materiam et clericos, antiquos canones eorumque poenas in usum revocari praecipit, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus. De iure autem civili [12] generaliter prohibetur lusus alearum, adeo ut *nulli liceat in publicis aut privatis domibus vel locis ludere aut inspicere; et si contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio* (id est victi ad solvendum), *sed solutum reddatur, et actionibus competentibus repetatur ab iis qui dederunt.* Idem sancitur alibi [13]. Idem statutum est iure hispan. pro ludentibus pecunia credita. Vide Salmant. [14].

885. Hinc videndum an et quomodo peccent laici, clerici, religiosi, et episcopi, aleis ludentes. Et 1. quoad *laicos* pertinet, commune et certum est inter dd. quod huiusmodi lusus non est eis vetitus sub gravi, ut cum Bus. tenent Sanch. [15] Lug. [16] Mol. [17] Hurt. [18] et Diana [19] cum aliis commun. Imo probabilissimum est cum Bus. quod respectu ad leges supra relatas, laici ne venialiter quidem peccent, ut dicunt Less. [20] Spor. [21] et Sa Val. et alii communiter apud Croix [22]. Quia (ut dicunt aa. praefati) leges civiles prohibentes obligant laicos tantum ad poenam, non vero ad culpam; datur enim ibi victis actio repetendi amissum [23]. Canon autem citatus *episcopus*, quoad laicos est consuetudine derogatus, ut dicunt communiter dd. *Vide infra n.* 895. Dixi *respectu ad leges relatas;* nam, utrum peccent venialiter laici ludentes principaliter propter lucrum. Negant alii apud Lugo [24], quia non est peccatum ordinare medium ad finem utilem; si ergo lucrum honestum est utile, ludere

(1) Dub. 1. (2) L. 3. tr. 4. c. 21. n. 1. (3) P. 7. t. 9. r. 2. et 3. (4) Ibid. resp. 4. (5) Hic dub. 5. (6) L. c. p. 3. n. 2. (7) P. 2. tr. 7. r. 8. et p. 7. t. 9. r. 21. (8) Can. 42. et 43. apost. qui refertur in c. 1. dist. 35. (9) In c. Clerici officia 15. de vita et hon. cler. (10) C. Inter dilectos 11. de excess. prael. (11) Sess. 22. c. 1. de Ref. (12) In l. Alearum, c. de rel. et sumptib. fun. (13) L. 1. et 3. c. de Aleatoribus. (14) De contr. c. 4. punct. 3. n. 63. (15) Cons. l. 1. c. 8. d. 25. n. 5. (16) De iust. d. 31. n. 9. (17) De iust. d. 510. (18) Eod. tit. d. 8. (19) P. 7. tr. 8. res. 2. (20) Lib. 2. c. 26. n. 6. (21) Tr. 6. de 7. praec. c. 6. (22) Lib. 3. p. 2. n. 1036. (23) Ex d. l. Alearum. (24) N. 4.

propter illud, culpa caret. Sed probabilius, praecisis circumstantiis puto cum p. Conc.[1] non excusari a culpa veniali, quia (ut docet d. Th.[2]) omnis negotiatio propter lucrum cupiditati deserviens quamdam turpitudinem habet. Idque clare probatur ex iure civili[3], ubi dicitur: *Quicumque tempore messis, vel vindemiae, non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam ..... hoc turpe lucrum dicimus.*

886. Sed dubitatur 1. an peccet graviter ludens ludo vetito principaliter ob lucrum. Affirmant Sylv.[4] et Abul. Gabr. Rich. ac Comit. apud Dian.[5] et Cai. s. Antonin. Gutt. etc. apud Sanch.[6]. Quia (ut dicunt), esto intentio lucri non sit mortalis quando ludus est licitus, mortalis tamen est quando ludus est prohibitus: quia in illo ludens intendit expoliare proximum medio illicito. Sed communiter et merito negant peccare graviter Sanch.[7] cum Alcoz. Mol.[8] Lugo[9] Hurt.[10] et Dian.[11] cum Val. Reb. et communi. Ratio quia intentio lucri non potest esse mortalis, quando ludus est talis ut per ipsum valide transferatur dominium, eo quod tunc ludens licito medio intendit lucrum, licet ludus sive modus lucrandi sit illicitus. Imo Lugo et Diana probabiliter dicunt nec veniale esse si ad honestum finem lucrum intendatur.

887. Dub. 2. an victor tali lusu teneatur restituere lucratum ante sententiam iudicis. Affirmant Sylv. s. Antonin. Arm. Tab. etc. apud Sanch.[12] ex iure civ.[13] ubi dicitur, quod si victus *solverit, solutum reddatur, et competentibus actionibus repetatur*. Sed negandum cum Busemb. et communi sententia, quam tenent Laym.[14] Lug.[15] Salmant.[16] Sporer[17] Croix[18] Sanch.[19] (qui merito dicit hanc sententiam omnino tenendam) Lessius[20] qui vocat veram cum Sot. Mol. Medina Cov. et aliis communiter. Ratio quia (uti patet ex verbis legis, ut supra) ibi non declaratur irritus contractus, sed tantum datur victo actio ad repetendum. Et idem dicunt Salmantic.[21] et Lugo[22] de lege hispana vetante ludum ad creditum. Addunt tamen Salm.[23] hoc valere solo casu quo victus libere solverit, sciens ad id non teneri; sed Lug.[24] Dian.[25] et Dic. ap. Croix[26] probabiliter dicunt victorem posse retinere lucratum etiamsi victus ignoraverit posse negare solutionem: quia recepit ex contractu valido, et victus iam habebat obligationem naturalem solvendi, licet ex iure positivo poterat exceptionem opponere.

888. Dub. 3. an si victor impediat ne iudex eum obliget ad restitutionem, teneatur restituere. Respondetur affirmative, si impediat vi vel fraude; secus si alio modo. Ita communiter Lugo[27] Less.[28] Sanch.[29] Mol.[30]. Quia victor non tenetur restituere nisi post sententiam. An autem victor interrogatus a iudice teneatur fateri quidquid ludo vetito lucratus fuerit, et an alias obligetur restituere. Negant Mol. et Sanch. ap. Lugo[31] et alii cum Diana[32] et probabile putat Less.[33] si id probatum non sit saltem semiplene. Ratio quia cum victor examinetur criminaliter, ut puniatur privatione lucri in poenam criminis, non tenetur fateri quando crimen est occultum. Sed probabilius Lugo[34] Less.[35] et Croix[36] affirmant. Ratio quia hic non agitur de punitione, sed de restitutione concessa a lege, quae est dispositiva in favorem eorum qui perdunt, non autem poenalis; si enim esset poenalis, restitutio non esset facienda victo, cum ipse etiam particeps fuerit delicti, sed fisco vel pauperibus. Regula autem quod reus non tenetur fateri veritatem occultam iudici interroganti sine semiplena probatione, ut

(1) T. 7. p. 601. n. 3. (2) 2. 2. q. 77. a. 4. (3) C. Quicumque, caus. 14. q. 4. (4) V. Ludus, q. 4. (5) L. c. r. 1. (6) L. c. c. 8. n. 7. (7) Dict. n. 6. (8) D. 510. (9) D. 31. n. 3. (10) D. 8. diff. 2. (11) L. c. r. 1. (12) Cons. 1. c. 8. d. 1. n. 2. (13) Dict. l. Alearum. (14) L. 3. tr. 4. c. 21. n. 3. (15) D. 31. n. 60. (16) De contr. c. 4. punct. 3. n. 61. (17) C. 6. n. 82. (18) L. 5. p. 2. n. 1086. (19) L. c. n. 3. (20) C. 26. n. 17. (21) Ib. n. 63. (22) N. 67. (23) Ibid. (24) N. 67. (25) L. cit. r. 24. (26) L. c. n. 1087. (27) D. 31. n. 62 (28) C. 26. n. 21. (29) Dub. 2. n. 2. (30) Disp. 514. (31) N. 63. (32) P. 7. tr. 9. r. 27. (33) N. 21 (34) N. 64. (35) Dict. n. 21. (36) N. 1090.

docent Less. [1] et Lugo [2], currit tantum in causis criminalibus, non in civilibus.

889. Dub. 4. an qui ludit ludo vetito cum animo repetendi in iudicio possit retinere lucratum. Negant Lessius [3] et Mol. Reg. ac Dic. apud Croix [4]. quia tolleret aequalitatem contractus, cum eo casu posset lucrari et non perdere. Sed probabilius affirmant Lugo [5] Sanch. [6] et Spor. [7]. Ratio quia ex una parte contractus fuit validus, cum intentio non adimplendi minime irritet contractum; et ex alia parte contractus remansit aequalis, exceptio enim non solvendi utrique parti semper competebat. Hinc si iste lucratur, retinet ex contractu valido: si vero perdit, negat solutionem, utens beneficio quod lex ipsi tribuit.

890. Dub. 5. an qui ludo vetito perdidit teneatur solvere.

Prima sententia valde probabilis affirmat et hanc tenent Sayr. [8] item Val. Ban. et Reb. apud Bon. [9] et probabilem vocant Lugo [10] et Salm. [11]. Ratio quia iure naturali contractus fuit validus, et ideo victus illi tenetur stare donec iudicialiter exceptionem opponat vel petat restitutionem.

Secunda sententia vero communior et probabilior negat, eamque tenent Sanchez [12] Less.[13] Lugo [14] Viva [15] Salm.[16] et Sporer [17] cum Nav. Tol. Mol. et Laym. Ratio, ut dicunt Salm.[18] ac Less.[19] quia in iure civ.[20] videtur ablatam fuisse omnem obligationem solvendi adhuc naturalem, dum ibi sancitur *ut victus non cogatur solvere*. At frustra (aiunt) diceretur ludentem non posse cogi ad solvendum, si in foro conscientiae alias cogeretur. Sed haec ratio probaret nimis; probaret enim quod ex tali lusu vincens teneretur ante sententiam restituere lucratum, quia si victus obligationem naturalem non haberet solvendi, iniuste ille reciperet; sed huic contradicit communis sententia, quam tenent ipsi Salm. et Less. ut vidimus supra in *dub*. 2. Ratio igitur potior est quia lex, nisi obligationem naturalem non auferat, cum tamen sit lata non tantum in poenam victoris, sed etiam in favorem victi, dando ius victo ad se defendendum exceptione vel repetitione soluti, dat etiam ius absolutum ad non solvendum. At quid enim is tenetur solvere, si potest solutum statim repetere? Hoc confirmatur ex illo textu [21]: *Frustra solvitur, quod statim repetendum est*. Idque probabile putat Lugo [22] (contra Mol.) etiamsi victus ob verecundiam non haberet animum excipiendi, vel repetendi in iudicio.

891. Dub. 6. an si uterque ludens renuntiaverit beneficio legis, poterit victus, negare solutionem. Recte affirmant Less.[23] et Lugo [24] si renuntiaverint sine iuramento, quia beneficium legis datum est in bonum commune, et ideo invalida est cessio ludentium. Bene tamen advertit Lugo [25] quod si post solutionem fieret illa cessio valida videtur et irrevocabilis; quia esset nova gratuita donatio independens a ludo. Si vero lusores renuntiaverint beneficio cum iuramento, recte distinguit Less. [26] et dicit quod si iuraverint tantum se soluturos, tenerentur quidem solvere, sed poterunt postea solutum repetere. Secus si iuraverint etiam non repetituros, quia licet ludus sit vetitus, permissum tamen est et licitum solvere tali ludo amissum, illudque non repetere; ac ideo valet quidem tale iuramentum, utpote de re licita, ut mox videbimus in quaestione sequenti, contra Salm.

892. Quaeritur enim utrum eo casu poterit victus petere a praelato relaxationem iuramenti. Affirmant alii apud Less. [27] prout dicitur de iuramento de solvendis usuris. Sed verius negat Les.[28]

(1) L. c. et c. 31. n. 9. (2) N. 63. (3) C. 26. n. 31. (4) N. 1088. (5) D. 31. n. 53. (6) L. 1. c. 8. dub. 5. n. 1. (7) N. 84. (8) L. 9. c. 22. n. 21. (9) De ludo q. 5. p. 3. n. 2. (10) D. 22. n. 301. (11) De contract. c. 4. punct. 3. n. 62. in fin. (12) Dec. l. 2. c. 23. n. 144. (13) L. 2. c. 26. dub. 4. n. 24. (14) Dict. d. 22. n. 300. et d. 31. n. 70. (15) De ludo q. 9. a. 4. n. 11. (16) Cit. n. 62. (17) Tr. 6. de 7. praecept. c. 6. n. 83. (18) Ibid. et c. 1. punct. 7. §. 1. n. 71. (19) N. 24. (20) Cit. l. Alearum, c. de relig. etc. (21) L. Creditori 5. c. de pactis. (22) D. 31. n. 302 (23) C. 22. n. 26. (24) D. 31. n. 65. (25) Ibid. (26) Loc. c. (27) C. 26. n. 27. (28) Loc. c.

cum Molin. quia hic intervenit contractus validus, qui non intervenit in pacto solvendi usuras. Dicunt autem Salmant. [1] praedictum iuramentum solvendi amissum in ludo vetito, revera non indigere relaxatione, quia est de re illicita contra bonum commune, cum ob commune bonum sint vetiti tales lusus. Sed bene contradicit Sporer [2] dicens, verum esse quod iuramentum contra id quod leges prohibent per se est irritum, ut probat Palaus [3]. Sed in nostro casu advertendum quod lex, quamvis prohibeat hunc lusum, non prohibet tamen, sed bene permittit solvere perditum. Hinc concluditur quod iuramentum ludendi lusu vetito esset quidem nullum, quia lusus est vetitus, et contra bonum commune; non autem est nullum iuramentum solvendi amissum, quia hoc a lege non prohibetur.

893. Dub. 7. an victus qui iam solverit, possit occulte sibi compensare solutum. Affirmat Adrianus et probabile putat Angl. apud Sanch. [4]. Sed oppositum est omnino tenendum cum eodem Sanch. Arag. Met. Lop. [5] Sporer [6] et Lugo [7] cum Sot. Led. et communi. Ratio quia dominium pecuniae solutae iam valide translatum est, unde repeti non potest nisi coram iudice: sed quid si victus repetat solutum, petendo rescissionem contractus, et victor renuat restituere? Perpende dicta *n*. 717. [8].

894. Dub. 8. et ultimo utrum si victus ficte minitetur in iudicio repetere solutum, possit titulo transactionis aliquid recipere a victore. Negant Mol. [9] Bonac. [10] et Lugo [11] cum Salas, quia (ut dicunt) contractus ille transactionis factus est per dolum dantem causam contractui, scilicet per metum qui revera non aderat deficiente animo repetendi; et ideo victus nihil potest accipere, et si accipit tenetur restituere. Sed probabilius affirmant posse accipere Les. [12] Sanchez [13] Pal. [14] Diana [15] et Trull. ac Die. apud Croix [16]. Ratio quia, licet victus non habet animum, habet tamen potestatem repetendi; qua se privat inposterum per talem transactionem; et victor revera non dat, ut illum animum deponat, sed ut cedat iuri suo repetendi, prout revera cedit.

895. 2. Quoad clericos vero pertinet, aliter res se habet quam quoad laicos. Sed praenotandum quod canones vetantes ipsis ludos alearum afficiunt solos clericos in maioribus constitutos et beneficiatos, ut dicunt communiter Roncag. [17] Lugo [18] cum Less. et Salas, item Sanch. [19] cum Nav. et Lop. contra Alcoz. Ratio quia (ut aiunt) canon *Episcopus*, in principio relatus, quoad alios clericos saltem ex consuetudine derogatus est, sicut quoad laicos. Quoad beneficiatos autem, vide dicta *n*. 831. *v. Communis*.

896. At dubitatur 1. an praedicti clerici in sacris aut beneficiati peccent graviter aleis ludendo frequenter et in magna quantitate. Salmant. [20] quamvis probabilem putant sententiam affirmativam, negant tamen hos peccare mortaliter, cessante scandalo. Ratio eorum quia praefatae leges vel ab initio non obligarunt, nisi ad poenam, vel ex consuetudine sunt abrogatae, et citant pro sua sententia Sanch. Less. ac alios ap. Dian.; sed Sanchez Less. et alii apud Dian., ut infra videbimus, expresse oppositum tenent. Unde omnino dicendum ipsos peccare mortaliter cum communi sententia, quam tenent Sanch. [21] Less. [22] Spor. [23] Mol. [24] et alii infra citandi: ratio, tum quia iuxta canones (ut pro certo habet Dian. [25]) damnantur de mortali clerici publice et frequenter aleis ludentes, tum quia, licet canones prohibentes hodie non sint in tota sua observantia (ut concedunt Les.

(1) De iuram. c. 3. punct. 1. n. 6. (2) De iur. c. 1. n. 21. (3) D. 2. p. 8. n. 6. (4) L. 1. c. 8. dub. 2. n. 8. (5) Loc. c. (6) Tr. 6. c. 6. n. 82. (7) D. 31. n. 71. (8) Et si unquam pars laesa peteret contractum rescindere et altera renueret, potest tunc sibi compensare damnum quod passa est. Hom. Ap. tr. 10. n. 218. et 125. (9) D. 514. (10) De ludo, §. 3. n. 13. (11) D. 31. n. 72. et d. 22. n. 167. (12) L. 2. c. 17. n. 42. (13) De matr. l. 4. d. 9. n. 6. (14) T. 1. tr. 2. d. 1. p. 10. n. 5. (15) P. 3. tr. 4. n. 24. (16) L. 3. p. 2. n. 1086. (17) De ludo c. 1. q. 3. (18) De iust. d. 31. n. 19 (19) Cons. l. 1. c. 8. dub. 23. n. 8. (20) De cont c. 4. punct. 3. n. 60. (21) Dub. 28. n. 7. (22) L. 2. c. 26. n. 6. (23) Tr. 7. in 7. praec. c. 6. n. 80 (24) D. 512. (25) P. 7. t. 9. r. 3.

et Lugo[1] ac Filliuc.[2]), tamen non sunt omnino aboliti, cum lusus alearum de ipso iure naturali notabiliter dedeceat statum ecclesiasticum, ut mox dicemus dubio sequenti.

897. Dub. 2. an peccent graviter clerici frequenter ludentes aleis, etsi in parva quantitate.

Prima sententia negat, quam tenent Sylv.[3] Nav.[4] item Abb. s. Ant. Gutt. Lop. apud Sanch.[5]. Ratio istorum quia frequentia ludendi, licet aggravet peccatum, non tamen mutat speciem, ut de veniali reddat mortale.

Affirmat vero *secunda sententia* communissima, quam sequimur, et tenent Caiet.[6] Ang.[7] Arm.[8] Hurt.[9] Viva[10] Sanch.[11] cum Alcoz. et Palac. Lay.[12] Mol.[13] Less.[14] Ronc.[15] Spor.[16] et Diana cum aliis[17] qui vocat hanc sententiam communem, aitque ab ea non discedendum. Idem sentit Bus. ut supra (modo tamen ludus non solum sit frequens, sed etiam per longum tempus, ut etiam loquuntur Less. et Wigandt[18]. Ratio quia, ut iam supra indicavimus, et ut docent Sanch.[19] et Mol. ac Ronc.[20] frequentia talis lusus de iure naturae dedecet valde ecclesiae ministros. Neque consuetudo id excusare potest, quia ut pontifex declaravit[21] talis consuetudo, tanquam vera corruptela, est omni tempore improbanda et removenda. Qualis autem sit haec frequentia mortalis. Bordon. putat esse ludere semel in hebdomada, sed Roncaglia merito id putat nimis rigidum. Immo Less.[22] et Wigandt[23] sentiunt non damnandos de mortali clericos ludentes ad breve tempus, etsi crebro, recreationis causa, nisi propria statuta dioecesis vel ordinis id prohibeant.

898. Dub. 3. an peccent graviter clerici ludentes aleis in magna quantitate, etsi non frequenter. Affirmat Sporer[24] et adhaerent Mol.[25] ac alii apud Nav.[26] Sed negat Sal. apud Lugo[27] et consentit Laym.[28] citans Less. et Reb. nisi fiat publice et cum scandalo: dicit enim Laym. quod canones[29] loquuntur tantum de publico aleatore et his lusibus dedito.

899. Ex his omnibus dico 1. non peccare graviter clericos qui raro, moderate et privatim sine scandalo aleis ludunt. Imo probabiliter nec venialiter, si ludant recreationis gratia in loco ubi praefati canones non rigide observantur, ut dicunt Mol.[30] Laym.[31] Spor.[32] et Diana[33] cum Dic. et Amic.

900. Dico 2. praefatas sententias quae damnant de mortali clericos aleis ludentes, non procedere in ludis chartarum qui non sunt merae sortis seu fortunae. Confundunt alii ludum alearum cum omni ludo chartarum: sed immerito, nam revera alea, ut magistri idiomatis latini docent, est nomen comprehendens solos ludos sortis, qui non ex arte, sed omnino a casu pendent, et huiusmodi sunt ludi talorum, tesserarum et similium. Hinc dico quod lusibus illis chartarum, qui totaliter pendent a casu, ut sunt lusus vulgo vocati, *Bassetta*, *primiera*, et similes, pro his quidem valent sententiae praefatae. Non autem pro aliis qui sunt tam industriae quam fortunae, ut sunt illi qui dicuntur, *Ombre*, *tressette* et similes. Pro his enim valde probabiliter puto cum auctore libelli cui titulus: *Istruz. per li novelli Confess.*[34] cum Passerin. valere sententiam Salmanticensium, ut supra, scil. non peccare graviter clericos iis ludentes, nisi alicubi esset specialis prohibitio aut scandalum. Circa quod bene insuper advertit Mol.[35] pensandam esse qualitatem personae, an sit magnae vel parvae aestimationis; clerici enim qui vitam non tam exemplarem ducunt, revera grave scandalum non ingerunt si etiam fre-

(1) L. c. (2) Tr. 37. c. 4. n. 59. (3) V. Ludus, q. 4. (4) Sum. c. 19. n. 12. (5) Dub. 28. n. 6. (6) 2. 2. q. 168. a. 3. dub. 3. (7) V. Ludus, n. 4. (8) Eod. verb. §. 4. (9) De iust. d. 8. diff. 3. (10) De contr. q. 9. a. 4. n. 6. (11) L. c. n. 7. (12) L. 3. tr. 4. c. 21. n. 1. (13) D. 512. (14) C. 26. n. 6. (15) De ludo, c. 2. q. 3. r. 2. (16) L. c. n. 80. (17) D. res. 3. et p. 4. tr. 4. r. 183.

(18) T. 8. ex 4. n. 77. (19) N. 6. (20) Loc. c. (21) C. Inter dilectos 11., de vita et honest. cler. (22) D. n. 6. (23) Loc. c. (24) D. c. 1. n. 80. (25) D. 512. (26) Man. c. 24. n. 9. (27) D. 31. n. 11. (28) D. c. 21. n. 1. (29) Ut in cit. cap. Inter dilectos, de excess. prael. (30) D. 512. (31) Loc. c. n. 2. (32) N. 80. (33) P. 7. tr. 9. r. 3. (34) P. 2. c. 17. n. 397. (35) Dict. d. 512.

quenter aspiciuntur in talibus ludis versari, modo propria ministeria non negligant; imo nec ullum praebent scandalum si mere recreationis causa id faciant. Et hos vere dici potest excusari ab hodierna et universali consuetudine, quae certe differt ab illa antiqua arcta primitivae ecclesiae disciplina.

901. 3. Quoad *religiosos* autem pertinet, dicunt Lugo [1] Sanch. [2] et Mol. [3] ipsos propter eorum statum et scandalum aliorum facilius posse graviter peccare, aleis sive taxillis ludendo. Unde dicunt Roncagl. [4] et Bann. apud Lugo [5] quod religiosi reformati, ut capuccini, iesuitae, discalceati et similes peccant, si semel his lusibus ludant. Et tanto magis id dicendum cum Salm. [6] de eo qui in his religionibus viam talibus ludis aperiret: Ronc. autem [7] et Sanch. [8] cum Met. dicunt adhuc religiosos non tam arctae observantiae peccare graviter si frequenter versentur in his lusibus etsi sine scandalo; sed Salmant.[9] cum Peyrin. Dic. et Anton. a Spir. s. dicunt quod, praeciso scandalo et praecepto in contrarium, huiusmodi religiosi excusantur a mortali, si ludant in modica quantitate; etiam a veniali, si faciant ob rationabilem causam; puta ad solandum infirmum aut socium tristem: et hoc probabile mihi videtur, loquendo de ludis chartarum non merae sortis, iuxta id quod supra diximus de clericis. Addunt Salm. [10] id licitum etiam recreationis gratia, vel ubi consuetudine permittitur; sed huic non acquiesco, quia talis recreatio est per se indecens statui religioso; nec consuetudo talem indecentiam cohonestare potest. Quantam vero summam possit religiosus ludo exponere. Modo ludus non sit specialiter interdictus a regula, Spor.[11] censet posse exponere tres florenos quotannis. Alii autem, ut Lugo [12] Elbel [13] Sanch. [14] cum Nav. Val. Graff. Salon. et Mol.[15] etc. probabiliter opinantur quod si religiosus habet quotannis centum aureos, possit exponere quinque, dummodo tantumdem in eodem anno non impendisset in alios usus non necessarios. Alii tandem, ut Salm.[16] cum Lugo Mol. Az. etc. dicunt posse exponere quantum sibi subtraheret parce vivendo de iis quae sibi ad usum sunt assignata.

902. 4. Et ultimo quoad *episcopos* pertinet, isti si ludant aleis, cum hoc valde dedeceat statum episcopalem, vix possunt excusari a mortali, ut dicunt Sotus et Salzed. ap. Sanch.[17] qui cum Alcoz. absolute eos damnat de peccato gravi, nisi faciant ad recreandum infirmum. Extra tamen hanc vel similem causam, Alcoz. apud Lugo[18] ait peccare mortaliter episcopum qui semel ludat. Sed merito (praecisis circumstantiis) Lugo hoc putat nimis durum: Sanchez autem[19] cum Met. et Rebel. apud Dian.[20] excusat eum a mortali si ludat semel ad recreationem; imo Salas ap. Lugo [21] eo casu excusat etiam a veniali. Caeterum episcopum ludentem ludo merae sortis, etiam semel, difficulter puto excusari posse a scandalo gravi: sicut etiam censeo, si frequenter versetur in aliis ludis chartarum non omnino fortuitis.

903. An autem peccent mortaliter clerici aut religiosi qui assistendo inspiciunt ludentes aleis. Hoc quidem prohibetur, ut vidimus[22], et eis praecipitur *ne huiusmodi ludis intersint*. Communiter tamen negant dd. in hoc ipsos peccare mortaliter, nisi essent causa ludi mortalis, vel negligerent lusores corrigere, vel nisi de tali ludo, quatenus mortali, sibi complacerent; secus, si assisterent causa tantum se delectandi de industria vel fortuna ludentium. Ita Sanch.[23] cum Caiet. Sylv. et Ang. ac Diana[24]. Qua de re improbabiliter sentit Barth. de s. Fausto ap. Diana [25] quod clerici et religiosi assi-

(1) D. 31. n. 12. (2) C. 8. dub. 28. n. 9. (3) D. 521. (4) D. c. 1. q. 3. r. 2. (5) D. n. 12. (6) De rest. c. 6. punct. 8. n. 93. (7) Loc. c. (8) N. 9. (9) Cit. n. 95. (10) Ibid. (11) De 7. praec. c. 6. n. 72. (12) De iust. d. 3. n. 144. (13) T. 2. c. 18. n. 655. (14) Dec. l. 7. c. 19. n. 79. (15) D. 520. (16) Ibid. n. 94. (17) Cons. l. 1. c. 8. d. 26. n. 5. (18) D. 31. n. 12. (19) Ibid. (20) P. 7. tr. 9. r. 4. (21) L. c. (22) C. Clerici officia 15. de vita, etc. (23) Cons. l. 1. c. 8. dub. 29 (24) P. 7. tr. 9. r. 40. (25) Loc. c.

stentes ludis alearum non excusentur a mortali, eo quod in bulla s. Pii hoc interdicitur iis sub poena excommunicationis; sed censeo praefatum auctorem quoad hoc in magnum irrepsisse errorem, nam Sanch. [1] loquens de ludo alearum, nil penitus meminit de tali bulla; meminit vero de ea paulo post. At ibi observatur bullam s. Pii loqui tantum de clericis et religiosis assistentibus agitationibus taurorum, non autem lusibus alearum. Episcopi autem his lusibus ex proposito et frequenter assistentes difficulter etiam excusari possunt a peccato scandali gravis.

Dubium XIV. Quid sit contractus societatis.

904. *Quomodo fit societas.*
905. *De conditionibus requisitis ad societatem Quid veniat nomine* damnorum.
906. *Quid nomine* expensarum. *Et an socius possit sibi deducere expensas itineris.*
907. *Quaer. 1. An capitale sit dividendum, si unus confert pecuniam, alter laborem. Quaerit. 2. Quomodo deinde dividendum lucrum. Quaer. 3. An damnum sortis spectet semper ad dominum. Quaer. 4. An liceat pactum, ut damnum sortis sit commune. Quaer. 5. Quando inter fratres censetur facta societas et quid in ea servandum. Quaer. 6. Quibus modis finiatur societas.*
908. *An per* tres contractus *possit exigi lucrum certum, salvo capitali.*
909. *De societate* animalium. *Quaer. 1. Si das rustico pecuniam, ut emat boves ad societatem, et ille in aliud impendit, possisne lucrum exigere. Quaer. 2. An liceat pactum supplendi oves mortuas, interim fructus dividendo. Quaer. 3. An liceat contractus* ad caput salvum.
910. *Quid de filio negotiante cum patre.*

904. « Resp. Is est cum aliqui inter se conveniunt, et contributis aliquibus rebus ad lucrandum idoneis sive fructiferis, ut pecunia, animalibus, industria, labore, etc. commune aliquod lucrum faciunt, quod, uti et damnum, pro ratione et rata cuiusque dividunt inter se. » Vide Less. Laym. [2] Bon. [3].

Unde spectando id, quod ratio et iustitiae natura hic requirit, resolvuntur hi casus:

« 1. Plus lucrari debet qui confert pecuniam et operam suam, quam qui vel pecuniam vel operam solam.

» 2. Capitale seu sors quam quivis contribuit, si pereat casu vel culpa sociorum levissima, contribuenti perit. Ubi discrimen est inter hunc contractum et mutuum: quia in mutuo sors data alienatur, et dominium eius transfertur in mutuatarium, cuius proinde solius periculum ac damnum est si casu pereat; in societate autem, qui sortem confert, eam non omnino alienat a se; et sicuti commodum ac lucrum ad eum spectat, sic etiam periculum et damnum. » Bon. [4].

905. Tres igitur sunt praecipuae conditiones licitae societatis: 1. Ut societas fiat in negotiatione honesta. 2. Ut damnum sortis spectet tantum ad dominum. 3. Ut servetur aequalitas, nempe ut aestimatio laboris unius aequiparet usum pecuniae alterius. Vide Salm. [5] Viva [6] et alios passim. 4. Conditio est, ut uterque socius subeat onus damnorum et expensarum. Nomine autem *damnorum* veniunt tantum damna illa quae solo intuitu societatis obveniunt socio, puta si ipse causa custodiendi vel transferendi vel comparandi merces diripiatur a latronibus, ut habetur ex iure civili [7] ubi dicitur: *Damni partem dimidiam* (alterum) *agnoscere debere tam pecuniae, quam rerum caeterarum, quas secum non tulisset socius, nisi ad merces communi nomine comparandas proficisceretur.* Non tamen veniunt damna quae remote occasione societatis socius patitur, puta si occupatus in societate praetermittat acquirere legatum sibi relictum, negotiis domus suae providere, etc. ita Bonac. [8] Cont. Tour. [9] et alii [10]. Nec veniunt damna quae non contemplatione societatatis, sed intuitu ipsius propriae personae obveniunt socio [11]. Si autem causa societatis vulneretur socius, vel eius servus a latronibus, tunc solae expensae curationis debent esse communes [12].

906. Nomine autem *expensarum* veniunt sumptus itinerum, transvectionum, solutionis vectigalium, conservationis mercium etc. Sed hic dubita-

(1) L. c. (2) C. 20. (3) Q. 6. p. 1. (4) L. c.
(5) Tr. 14. c. 3. punct. 11. §. 1. n. 96.
(6) De contract. q. 9. a. 3. n. 2.
(7) L. Cum duobus, §. Quidam, ff. pro socio.
(8) De contr. d. 3. q. 6. p. 4. n. 1.
(9) De contr. p. 2. c. 4. q. 2. v. At socii.
(10) Ex l. Socium, §. Socius, ff. eod. tit.
(11) Eod. §. Socius. (12) L. Cum duobus §. Quidam.

tur an socius itinerans causa societatis posset sibi deducere omnes expensas itineris. Negant Sylv. [1] Angel. [2], item P. Nav. Reb. apud Bonac. [3], et probabile putat Less. [4]. Ratio quia societas non tenetur subire sumptus quos alter socius domi fecisset, sed solum illos in quibus is damnificatur causa societatis. Alii vero, ut Ronc. [5] Mol. [6] Less. [7] Navarr. [8] et Bonac. [9] cum Reg. et Salon. concedunt posse integros deducere, modo aliter non sit conventum, et diversa non sit consuetudo; et probant ex iure civili [10] ubi dicitur, quod socius *viatica et stabulorum, iumentorum, carrulorum vecturas, vel sui vel sarcinarum suarum gratia*, (societati) *recte imputabit*. Unde, cum lex absolute concedat socio sibi recipere viatica cum caeteris expensis, non apparet ratio cur ea non integre recipiat. Haec secunda sententia videtur probabilior, utpote iuri conformior. Sed quia primam non audeo dicere improbabilem, ideo censeo quod si bona fide socius sibi expensas applicavit, poterit retinere; secus si mala fide; quia, ut diximus *n.* 761. *v. Quaer.* 2. cum opinione probabili et non certa non potest inchoari possessio.

907. Quaer. 1. Si in societatem unus confert pecuniam, alter laborem, an in fine societatis ante omnia restituendum sit capitale domino pecuniae.

Prima sententia, quam tenent Glossa [11] et Bart. Covarr. etc. apud Pal. [12] negat, et non solum lucrum, sed etiam sortem inter utrumque socium dicit esse dividendam. Ratio quia in societate omnia debent communicari, unde sicut mercator facit communem operam suam, sic alter debet suam pecuniam communem facere. Alii dicunt quod sicut ad dominum spectat capitale et postea eius lucrum; sic ad mercatorem prius pretium suae industriae, et postea pars lucri quod in idem coincidit.

Secunda sententia tamen vera quam tenent Pal. [13] Azor. [14] cum Baldo et s. Bernardinus Sen. Lugo [15] Petr. [16] Bon. [17] Cabass. [18] Esc. [19] Ronc. [20] docet sortem semper primo loco domino deducendam, etiamsi nullum lucrum supersit. Probatur 1. ex bulla Sixti v. *Extrav. Detestabilis*, § 2. ubi sic sancitur: *Si finita societate ipsum capitale extat, ei qui illud in societatem contulerit restituatur, nisi socio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter contrahentes legitime conventum sit.* Probatur 2. ratione, quia pecunia collata in societatem minime fit communis inter socios quoad dominium seu proprietatem, sed tantum quoad usum seu commoditatem, ut habetur ex d. Th. [21] qui ait: *Qui committit pecuniam suam vel mercatori vel artifici per modum societatis cuiusdam, non transfert dominium pecuniae suae in illum, sed remanet eius; ita quod cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur.* Sicut ergo si pecunia perit domino perit, ita si superest eidem superest. Nec obstat dicere quod in societate fiunt communia tam industria, quam pecunia; nam respondetur, ut iam innuimus, quod in societate non communicatur pecuniae proprietas, sed tantum usus seu commoditas; unde sufficit ut uno conferente industriam, alter conferat pecuniae commoditatem. Et ideo, si finita societate solum remanet capitale, non erit iniustitia si totum domino restituatur; sicut enim socius amittit lucrum suae industriae, sic iste amittit lucrum commoditatis suae pecuniae, quae cum sit negotiationi exposita bene apta est fructum reddere. Et sic etiam neque verum est id quod alii supponunt, nempe quod unus conferat operam, et alter pecuniam; nam revera ex una parte confertur opera et ex altera non pecunia, sed pecuniae commoditas praestatur; unde non qui-

(1) V. Societas, q. 12. (2) Eod. v. n. 12. (3) De contr. d. 3. q. 6. p. 4. n. 4. (4) L. 2. c. 25. n. 35. (5) De contr. c. 3. q. 2. r. 2. (6) D. 418. n. 2. (7) L. 2. c. 25. n. 35. (8) C. 17. n. 283. (9) L. c. (10) L. Si fratres. §. Si quis, ff. pro socio. (11) In l. 1. c. Pro socio.

(12) Tr. 33. d. 8. p. 3. n. 1. (13) Loc. c. n. 2. (14) L. 9. c. 3. q. 1. (15) D. 30. n. 24. (16) T. 2. p. 405. (17) De contr. d. 3. p. 3. n. 3. (18) L. 6. c. 13. n. 3. (19) L. 41. c. 12. dub. 1. n. 82. (20) De contract. c. 2. q. 3. r. 2. (21) 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5.

dem debetur mercatori pretium sui laboris, et sui laboris lucrum; sed tantum dimidium lucri spectat ad eum, ut fructus suae industriae, et dimidium spectat ad dominum sortis, ut fructus commoditatis suae pecuniae negotiationi expositae, semper domino salvo suo capitali. Prout si quis ad negotium confert navim, et alter operam, completo negotio, navis quidem integra debetur domino, cum tantum usus navis sit collatus; et lucrum deinde est dividendum.

Quaer. 2. Detracta sorte domino, quomodo dividendum est lucrum. In hoc valde obscure et confuse dd. loquuntur. Alii, ut Less. [1] Viva [2] (et probabile putat Croix [3]), dicunt quod si unus confert centum aureos, et alter operam tantidem aestimatam, tunc aequaliter dividendum est lucrum et capitale, iuxta primam sententiam allatam in praecedenti quaestione. Alii vero, ut Cabass. [4] cum Ang. Sylvest. Nav. etc. dicunt quod deducto prius capitali in beneficium domini, reliquum aeque dividendum sit, etsi valor operarum aequiparet valorem sortis. Pace tantorum doctorum censeo neutram praedictarum sententiarum aequitati conformem esse; prima enim plus aequo tribuit ponenti operam, ut iam diximus in *Qu.* 1.; secunda plus ponenti pecuniam. Hinc omnino mihi dicendum videtur cum Ronc. [5] et Pal. [6] cum Reb. quod, salvo capitali domino, lucrum dividendum est pro rata, habita ratione valoris industriae ex una parte, et ex altera commoditatis praestitae ex pecunia, iuxta communem aestimationem lucri quod communiter haberi solet ex pecunia applicata ad negotiationem. Hinc bene advertendum cum eod. Ronc. [7] et Sporer [8] quod aliquando industria mercatoris plus valebit quam usus pecuniae, et tunc proportionaliter debet lucrum distribui: ita ut aliquando licitum poterit esse pactum, ut in fine etiam capitale dividatur, aeque interim distributo lucro; prout fit ex consuetudine in pluribus locis in societate animalium ut testatur Cabass. [9]. Insuper advertendum quod aliquando valor industriae decrescit ob multitudinem operariorum societatem petentium; qua ratione poterunt forte excusari plures contractus qui primo aspectu videntur iniusti; eo quod operariorum industria in societatem collata iuxta consuetudinem loci communiter non pluris ibi aestimatur.

E converso iniustum omnino esset pactum quod, empta merce, ante omnia durante societate restituatur domino suum capitale, et deinde quod superest aequaliter dividatur; nam licet compensentur mercatori fructus quos interim non percipit, cum medietate sortis quam in fine societatis percipiet; tamen ponenti pecuniam minuitur periculum sui capitalis, dum in principio illud salvum facit, et mercator, si postea merx pereat, subiacet periculo sortis et lucri; ita optime Ronc. [10].

Quaer. 3. An damnum sortis sit commune, quando, uno conferente pecuniam, altero operam, pecunia casu perit.

Prima sententia, quam tenent Maior. [11] Glossa [12] et alii apud Azor. [13] sic distinguit: Si sors perit postquam socius suam operam posuit, tunc damnum totum spectat ad ponentem pecuniam. Si vero pecunia perit antequam socius operam praestet, damnum debet esse commune. Ratio, ut dicunt, quia tunc, uno aequaliter conferente operam et altero pecuniam, omnia fiunt communia lucra et damna.

Secunda sententia tamen et vera, quam tenent Glossa [14] Navar. [15] Ang. [16] Sylvest. [17] Az. [18] cum Bartol. Baldo s. Bern. Sen. et aliis docet damnum sortis ad solum dominum pecuniae pertinere. Ratio quia non est verum quod,

(1) L. 2. c. 25. n. 9. (2) De contr. q. 9. a. 3. n. 5. (3) L. 3. p. 2. n. 1101. (4) L. 6. c. 13. n. 6. (5) De contr. c. 2. q. 3. r. 2. (6) Tr. 33. d. 8. p. 5. n. 2. et 3. (7) Loc. cit. r. 1. (8) De 7. praec. c. 6. n. 51. (9) Loc. c. (10) L. cit. r. 3. in praxi. (11) In 4. dist. 15. q. 47. §. Tertius. (12) In l. 1. c. Pro socio. (13) T. 3. l. 9. c. 3. q. 3. (14) In l. Si non fuerint, ff. Pro socio. (15) C. 27. n. 252. (16) V. Societas n. 17. (17) Eod. v. n. 1. q. 6. (18) Loc. c.

collata pecunia, etiam sors conferatur; confertur enim tantum pecuniae commoditas, ut supra diximus in qu. 1.; unde cum, sorte pereunte in principio contractus, dominus illius nullam pecuniae commoditatem conferat, sic etiam ad nihil tenetur alter si nullam conferat operam. Et ideo diximus e converso quod, finita societate, prius reddenda est sors domino pecuniae, et postea lucrum, si remanet, inter socios dividendum.

Quaeritur 4. An liceat pactum quod, sorte pereunte, commune sit damnum inter ponentem pecuniam et mercatorem. Respondetur: Si pactum sit ut sicut damnum ita et sors sit communis, tunc licitum est; quia sicut ponens operam habet commodum, ut ipsi tradatur media pars sortis, quamvis sors de iure tota ad dominum spectet, sic aequum est ut, sorte pereunte, ipse subeat mediam partem damni, licet damnum sortis ad ipsum non pertineat. Ita Roncag. [1] et Azor. [2] cum Ang. Sylvest. Rosell. et aliis. Si vero pactum est ut sors non sit communis, commune vero sit damnum, tunc certe illicitum est et iniustum, cum nulla hic detur iusta recompensatio. Vide Azor. Ronc. [3].

Quaeritur 5. Quandonam censetur inter fratres contracta societas et quid in ea servandum. Respondetur: non censetur facta societas, nisi expresse vel tacite ex coniecturis id habeatur; unde, non quia fratres habent patrimonium indivisum, et de communi mensa vivunt, inter ipsos contrahitur societas, nisi vero omnes in aliquo negotio se exerceant; vel nisi, uno negotiante, alii conferant bona sua. Ita Azor. [4] Mol. [5] Bonac. [6] cum Fill. Ronc. [7] idque clarius praesumitur, si omnes conferant in commune cuncta bona ad unumquemque spectantia. Hoc tamen intelligitur quando unusquisque confert etiam bona propria, praeter communia; secus, si tantum unus sua propria bona confert, puta lucra alicuius officii vel artis, et alii sola bona communia; tunc enim is potest ea sibi compensare, ut dicunt Azorius [8] cum Bart. et Baldo ac Bonac. [9] cum Nav. Et ita pariter si unus maiorem laborem conferat (ait Ronc. [10] contra Mol.) potest ille plus accipere, iuxta aestimationem sui laboris. Si autem aliquis frater absens negotietur communi nomine ex communibus bonis, intelligitur habere societatem, usquedum admoneatur ab aliis fratribus, velle ipsos divisionem facere; et tunc neque etiam desinit societas pro negotiis inceptis; ita Ronc. [11] cum Giribald. contra aliquos.

Quaeritur 6. Quibus modis finiatur societas. Finitur 1. completo tempore ad societatem constituto aut finita negotiatione [12]. 2. per mutuum sociorum consensum. Ad id autem sufficit etiam tacitus consensus, nempe si alter sociorum incipiat seorsim negotiari pro seipso [13]. Si vero quis, socio invito, renuntiet ante tempus, tenetur ad interesse. Excipe 1. Si hoc est necessarium ob bonum publicum, ut si socius abesse debet causa reipublicae, nec alium commode subrogare possit. 2. Quando nulla subest spes obtinendi id ob quod facta est societas. 3. Quando alter non servet pacta. 4. Quando alter grave damnum infert societati. Haec tamen debent esse certa, alias possessio stat pro observantia contractus. Vide Bonac. [14]. 3. Finitur societas morte alterius socii, nec transit ad haeredes; et hoc etiamsi conventum sit ut transeat societas ad haeredes mercatoris [15]. Ratio quia in societate eligitur industria personae, ignoratur autem qualis sit industria haeredis. Excipit tamen Bonac. [16] nisi pactum iuramento sit firmatum: sicut etiam non finitur societas circa negotia coepta; neque circa vectigalia seu alias res publicas conductas, ut Mol. [17] et Bonac. [18] cum Fill.

(1) C. 3. reg. in praxi 5. (2) T. 3. l. 9. c. 3. q. 4. (3) Loc. c. (4) P. 3. l. 9. c. 19. q. 1. (5) D. 421. n. 6. (6) D. 3. q. 6. p. 7. n. 2. (7) De contr. c. 4. q. 1. (8) Q. 5. (9) N. 7.

(10) N. 3. (11) Loc. c. (12) L. Actione, §. Item, ff. pro socio. (13) L. Itaque, ff. eod. tit. (14) De contract. d. 3. q. 6. p. ult. n. 2. (15) L. Verum, §. In haeredem, ff. pro socio. (16) N. 3. (17) D. 414. (18) Ibid.

etc. communiter. 4. Finitur societas etiam per mortem civilem, id est per exilium aut professionem solemnem socii [1]. 5. Finitur, si socius egestate vel infirmitate laborans, aut in carcerem coniectus, non posset pecuniam vel laborem promissum praestare. Item si pereat pecunia collata, etiamsi socius habeat aliam quam possit conferre. Bonac. [2]. Item si res ita sint mutatae, ut societas non sit amplius idonea [3].

908. « 3. Potest tamen etiam fieri in hoc contractu, ut quis iuste servet sortem suam indemnem, et insuper certum lucrum percipiat, si nimirum ad contractum societatis adiungantur duo alii, assecurationis et venditionis, cuius tale exemplum ponit Laym. Inis societatem cum mercatore, et contribuis ei 1000. florenos v. gr., spes est quod is quotannis lucraturus sit 300., cuius lucri dimidium v. gr., iure societatis tibi debetur una cum sorte; sed quia ad te quoque pertinere deberet eiusdem sortis periculum, ut ipse id periculum in se suscipiat, et tibi sortem assecuret, in huius oneris compensationem, relinquis ei maiorem partem lucri sperati, ut scilicet duae partes lucri ad ipsum, et tertia ad te pertineat. Et rursus, quia spes lucri huius incerta est, ideo adhuc partem hanc lucri sperati, nempe 100. florenos in spe, vendis etiam eidem pro 50. vel 60. v. gr., annuis certis et in re, et sic tandem id lucrum facis, et sortem servas indemnem. Vide Laym. et Bon. [4].

Haec est celebris illa quaestio *Trium contractuum*, an per eos possit lucrum certum exigi, salvo capitali.

Prima sententia negat, quam tenent Sot. [5] Merbes. [6] Hab. [7] p. Conc. [8] Cont. Tour. [9] (qui tamen admittit contractum duplicem, ubi sola sors vel solum lucrum assecuratur, in quo consentit etiam Cabass. [10], item Bann. Reb. Prad. Tap. Led. et Mercad. apud Salm. [11] et videtur adhaerere Az. [12]. Ratio quia per huiusmodi contractus adiunctos contractui societatis, societas destruitur, cum de eius natura sit, ut dans pecuniam sit in periculo lucri et sortis, vel saltem alterutrius, iuxta sententiam Cabassutii et Cont. Tourn., ut supra : destructo autem societatis contractu, deficit iustus titulus, ex quo ille possit fructus exigere ex sua pecunia: et tunc exigeret lucrum ex mutuo, in quod transiret societas, deiecto toto periculo sortis et lucri in socium recipientem pecuniam. Nec obstat dicere quod si contractus isti societati adiecti fierent cum personis diversis, vel in diverso tempore cum eodem socio, iam persisterent; sic etiam, si fiunt eodem tempore, et cum eodem socio: nam respondent fautores huius primae sententiae, quod in iis casibus perseveraret societas: sed hic societas destruitur, et sic deficit fundamentum lucri ex ea percipiendi. Praeterea tuentur praefati aa. oppositam sententiam reprobatam iam fuisse a Sixto v. per bullam *Detestabilis* editam anno 1586. ubi sic dicitur: *Damnamus et reprobamus omnes contractus posthac ineundos, per quos cavebitur personis, pecunias, animalia, aut alias res societatis nomine tradentibus, ut etiamsi fortuito casu quamlibet iacturam sequi contingat, sors ipsa seu capitale semper salvum sit; sive ut de certa quantitate in singulos annos aut menses durante societate respondeatur.* Et ideo huic sententiae videtur adhaesisse noster ss. pontifex Bened. XIV. [13] qui dixit quod licet quaestio haec adhuc indecisa remaneat, cum *plures et non obscuri nominis theologi posteriores trinum contractum ab usura absolverint*, hanc tamen sententiam sentit praefatae bullae magis congruere. Accedit alia bulla s. Pii v. qui [14] sic dixit: *Conventiones directe aut indirecte obligantes ad casus fortuitos eum qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus.*

Secunda sententia vero communior defendit licitum esse hunc trinum con-

(1) L. Verum, §. fin. ff. eod. (2) N. 5.
(3) Cit. l. Verum, §. fin. (4) Loc. c.
(5) L. 6. q. 6. a. 2. (6) T. 1. p. 348.
(7) T. 4. p. 3. c. 15. q. 6. r. 4. (8) T. 7. p. 489.
(9) L. c. concl. 2. (10) L. 6. c. 13. n. 1.
(11) Tr. 14. c. 3. punct. 11. §. 2. n. 99.
(12) P. 3. l. 9. c. 4. q. 5. (13) De syn. l. 7. c. 1.
(14) Extrav. Onus, §. 4. de censib.

tractum, dummodo absit animus foenerandi, et omnino obligetur socius pecuniam accipiens, ut illam ad negotium applicet; hanc tenent Nav. [1] Lessius [2] Tol. [3] Lugo [4] Laym. [5] Pal. [6] Bonac. [7] Escob. [8] Ronc. [9] Mazz. [10] Spor. [11] Mol. [12] Salm. [13] cum Io. Maior. d. Parigin. et Sylv. P. Nav. Arm. Med. Lop. Mald. et valde probabilem vocat Az. [14] saltem de iure naturali. Vide etiam libellum excusum Parisiis anno 1745. hoc titulo: *Examen théologique sur la société du prête à rente*, in quo verbatim referuntur approbationes trini contractus editae ab academiis et facultatibus theologicis, coloniensi, trevirensi, complutensi, salmantina, ingolstadiensi, friburgo-biscoica et moguntina. Ratio praecipua huius sententiae iam supra est tradita, nempe quod si hi tres contractus disiuncti valent, etiam coniuncti valere debent. Nec subsistere dicunt auctores huius secundae sententiae duo illa praecipua fundamenta adversariorum, nempe quod cessante periculo destruitur societas; et quod de societate transit in mutuum. Nam, quoad primum, negant Nav. et Lugo, quod periculo in socium coniecto, societas destruatur; sicut enim in contractu commodati, quamvis periculum rei fortuitum de sui natura spectet ad dominum; iusta tamen compensatione facta, potest illi adiici pactum, ut periculum spectet ad commodatarium [15], neque tunc destruitur contractus commodati: sic etiam in contractus societatis, de cuius essentia non est, ut sit commune periculum damni, prout asserunt adversarii, sed id probare deberent, cum imo potius oppositum clare probetur ex iure civ. [16] ubi dicitur: *Ita coiri societatem posse, ut nullam partem damni alter sentiat; lucrum vero commune sit, Cassius putat*. De essentia ideo societatis tantum esse dicunt ut utraque pars aliquid conferat ad communem usum et lucrum, et aequalia sint commoda et incommoda. Ex quo fit ut ex commodis aequalibus aequalia sint lucra, et ex aequalibus incommodis aequalia sint pericula. Unde quando quis assumit totum periculum, socium assecurando tum de sorte, tum de lucro, licet maius sentiat incommodum, illud tamen sibi compensat commodo maioris lucri; contra vero conferens pecuniam, quamvis nullum sentiat incommodum periculi, sentit tamen incommodum minoris lucri, et sic fit aequalitas; ex qua principaliter constituitur societas. Quantum autem lucrum possit exigi? Mag. Serra apud Salm. putat octo pro centum; Bonac. censet plus, si negotiatio esset lucrosior et minus periculosa; Salm. autem dicunt regulariter posse exigi quinque pro centum.

Ad secundum vero fundamentum, nempe quod societas eo casu transiret in mutuum, quia coniecto in socium toto periculo sortis, tunc etiam in eum transferretur sortis dominium, ita ut sine alterius socii iniuria posset ille pro libito de tali pecunia disponere; diverse respondent fautores secundae sententiae. Less. [17] et Az. [18] (quamvis hic contrariae sententiae adhaereat) dicunt quod huiusmodi contractus, licet non remaneret societas, non tamen transiret in mutuum, sed in aliam speciem contractus, nempe conductionis operum socii, ut loquitur Lessius, vel contractus innominati, ut ait Azorius, qui pro certo habet tunc contractum non transire in mutuum. Alii vero ut Lugo Palaus Escob. et Roncaglia, respondent quod, non obstante periculo suscepto a socio, adhuc persistit societas: sicut enim (inquiunt) in commodato, si commodatarius suscipit in se periculum rei commodatae, non acquirit illius dominium, cum permaneat contractus commodati [19], ita etiam in nostro casu socius ob periculum in se susceptum non acquirit dominium sor-

(1) Man. c. 18. n. 254. (2) L. 2. c. 25. n. 23. (3) L. 5. c. 41. n. 3. (4) D. 30. n. 40. (5) L. 3. sect. 5. tr. 4. c. 18. n. 11. (6) T. 7. tr. 32. d. 8. p. 5. (7) D. 3. q. 3. p. 11. n. 2. (8) L. 41. dub. 3. n. 88. (9) De societ. c. 3. q. 2. (10) Tr. 3. d. 3. q. 4. c. 4. (11) De 7. praec. c. 6. n. 58. (12) D. 416. (13) Tr 14. c. 3. p. 11. §. 2. n. 100. (14) Loc. sup. cit. (15) Ex c. un. de Commodato. (16) L. Si non fuerint, §. Ita, ff. Pro socio. (17) N. 30 (18) Loc. c. (19) Ex cit. c. un. de Commodato.

tis sicut in mutuo; etenim, quamvis ille solvendo in fine contractus valorem sortis et lucri conventi, non irrogaret damnum domino sortis; faceret tamen ei iniuriam, si pecuniam non applicaret ad negotium, ita ut eo casu (ait Lugo [1]) posset iuste cogi ut pecuniam ad negotium applicet. Pariter addit Lugo, quod si socius ille esset gravatus debitis, etiam hypothecariis, non possent creditores eius habere actionem super hanc pecuniam; et contra, posset eam dominus sibi vindicare tamquam suam. Sed quod hic contractus non transeat in mutuum fortius probari dicunt ex textu supra relato [2] ubi dicitur bene posse coiri societatem, ut suscepto a socio periculo, alter nullam partem damni sentiat, et tamen lucrum communicetur.

Ad bullam autem Sixti v. etiam multipliciter auctores istius secundae sententiae respondent: Less. et Salm. dicunt prohibitionem bullae intelligi de eo qui cogeret socium ad sic contrahendum ex vi ipsius contractus societatis; sed Lugo et Ronc. [3] aiunt neque hoc illicitum esse, quia unusquisque potest uni contractui alterum unitum velle, quando nulla adsit iniustitia. Hinc Lugo [4] et alii dicunt pontificem ibi nulla alia pacta reprobasse, nisi usuraria; et sic respondisse vivae vocis oraculo eumdem Sixtum, refert Lugo ex Filliucio et Comitolo, qui auctor insuper testatur sibi retulisse p. Stephanum Tucci, quod cardinales Toletus et s. Severina, quibus commissa fuerat cura hanc bullam sanciendi, idem affirmassent. Item Lugo refert quamdam decisionem rotae romanae sub die 3. iunii 1602. [5] ubi decretum fuit praefatam bullam solos comprehendere contractus usurarios de iure naturali vetitos, additis tamen maioribus poenis. Demum respondent Salm. [6] cum Less. et Malder. bullam vel receptam non fuisse, vel usu in hac parte abrogatam; testantur enim adesse consuetudinem immemorabilem, tali modo contrahendi in Hispania, Gallia et Italia et fere per totam ecclesiam. Ad bullam autem s. Pii v. vide quae alii aa. respondent *supra n.* 849. Hanc secundam sententiam tot auctoritatibus et rationibus roboratam merito non reprobant Lud. Abelly [7] et auctor Petrocorensis [8] quamvis contrariae sententiae adhaereant, et ego satis probabilem reputo. Caeterum, quia non potest negari huiusmodi contractum periculo non carere animi usurarii; hinc censeo expedire ut prima sententia universe omnibus suadeatur.

909. » 4. Societas etiam in pecoribus valide et licite instituitur. Et interdum quidem ita ut tam pecora ipsa quae alteri pascenda et nutrienda traduntur, quam emolumenta et fructus, ipsaque detrimenta et damna danti et accipienti communia sint: interdum vero ita ut pecorum dominium, ideoque etiam periculum sive casus fortuitus spectet ad solum dantem; emolumenta autem fructuum, nempe foetus, lanae, lactis, ad utrumque. Vide Less. *hic*, et Laym. [9].

Hic operae pretium est aliqua valde utilia ad praxim adnotare *de societate animalium*. Iuxta naturam societatis, animalia quae pereunt, domino tantum perire debent. Iis autem pereuntibus, ad custodem pertinet probare quod illa sine sua culpa perierint; alias tenebitur restituere domino eorum aestimationem, ut bene aiunt Cont. Tourn. [10] cum Sanbov. Pontas et aliis. Idque clare probatur ex iure civ. [11] ubi: *Quod si a furibus* (pecus) *subreptum sit, proprium eius* (id est custodis) *detrimentum est, quia custodiam praestare debuit, qui aestimatum accepit.*

Quaer. 1. si rusticus petat a te pecuniam ut par boum emat et ad negotium applicet, revera tamen ille non emit boves, sed debitum suum extinguit, utrum possis tu lucrum exigere. Bene distinguit Ronc. [12] quod si tu mala fide

(1) N. 43. (2) Ita etc., l. Si non fuerint.
(3) C. 3. q. 2. (4) N. 37.
(5) Ex Cherubino in comp. bull. Schol. 1.
(6) C. 5 punct. 11. §. 2. n. 104.
(7) De 7. praec. §. 43. n. 6. (8) T. 2. p. 411.
(9) L. 3. t. 4. c. 20. (10) De contr. p. 2. c. 4. a. 2
(11) L. Cum duobus 52. §. Damna, ff. Pro socio.
(12) De contr. c. 3. reg. in praxi 2.

pecuniam dedisti sciens illum non empturum boves, nihil exigere potes; nisi (intelligendum) aliunde pecuniam applicasses alteri negotiationi, et de hoc illum monuisses. Si vero bona fide dedisti, tenetur ille reddere tibi lucrum cessans: et tunc ad illud tenetur, etiamsi tu eum de tali lucro cessante non monuisses.

Quaeritur 2. an sit licitum pactum, quod si ex grege aliquae oves pereant, suppleri debeant ex foetibus quae nascuntur, et interim caeteri foetus, lana et caseus aeque dividantur. Negant Tamb. [1] et Sylv. Ang. Tab. etc. apud Azor. [2] quia dicunt in hoc non servari aequalitatem: Fill. autem [3] ait in hoc standum esse consuetudini locorum. Attamen dicunt iidem Fill. Azor [4] cum aliis, item Pal. [5] et Ronc. [6] hunc contractum satis licitum esse, quia talis substitutio ovium resultat tam in gratiam pastoris, quam ementis oves. Nec officit quod interim pastor amittere debeat lucrum foetuum substituendorum, quia etiam interim socius amittit partem sui lucri. His tamen non obstantibus, prima sententia omnino vera mihi videtur, quia, licet lucrum utrique prius diminuatur, et utrique postea compensetur; tamen foetus qui substituuntur, aeque dividendi essent inter pastorem et dominum: at quando substituuntur, id certe magis cedit in utilitatem domini, quam pastoris, cum dominus iam sibi compenset deinde iacturam lucri, sicut et pastor, sed interim dominus semper salvam sibi servat sortem quae ipsi diminui deberet, et ideo in contractu non servaretur aequalitas.

Quaeritur 3. an liceat contractus societatis vocatus *ad caput salvum*, scil. quando traduntur pastori animalia cum pacto reddendi ea salva in eodem numero in fine societatis, et lucrum dividendi. Per se loquendo, hic contractus illicitus est, ut bene aiunt Ronc. [7] Viva [8] Az. [9] cum Sylv. et Reg. quia sors debet stare periculo apponentis; res enim suo domino perit. Probabiliter tamen licitus fieri potest, si adiiciatur alius contractus assecurationis, compensando pastori per maiorem partem fructuum onus talis periculi sortis in se suscepti: item Azor. [10] cum Sylvest. et Ang. Ronc. [11] cum Pal. etc. Viva [12] cum Nav. Less. Trull. Reb. et aliis, contra Bonac. et Reg. [13] qui videntur docere talem contractum esse usurarium, quia dum transfertur periculum animalium in alterum, iam transfertur eorum dominium per venditionem, ex qua non tenetur ille reddere nisi pretium; unde, si partem fructuum reddit, usurarie reddit. Sed Less. [14] et Viva cum Nav. et aliis, respondent in eo casu non haberi contractum venditionis, sed permanere societatem, et lucrum licite exigi per aliud pactum assecurationis, prout dictum est supra *n.* 908. in quaestione trium contractuum. Quantum autem possit in huiusmodi contractibus accipi, ait Viva [15] standum esse iudicio peritorum vel praxi timoratorum cuiuscunque loci; recteque addit, consultius esse hos contractus seorsim inire. Ad bullam autem Sixti v. *Detestabilis*, ubi reprobantur contractus societatis, per quos cavetur ut capitale semper domino salvum sit, vide quae respondent dd. citati dicto *n.* 908. *v. Ad bullam supra*. Bene autem advertit Roncag. [16] certe iniustum esse contractum, quo dominus dat boves aestimatos iuxta praesentem valorem, cum pacto, ut si decrescant, finita societate, idem valor restitui debeat; quia deterioratio rei ad dominum pertinet, nisi aliunde hoc damnum compensetur. Quod si tamen adesset pactum, ut in fine societatis, non solum lucrum, sed etiam sors animalium dividenda sint cum socio, tunc non quidem iniustum erit pactum, ut si interim pereat capitale, pastor restituere teneatur domino medietatem sortis, prout dictum est *num.* 907. *v. Quaer.* 4.

(1) Dec. l. 9. c. 11. n. 2. (2) T. 3. l. 9. c. 8. q. 12. (3) Tr. 38. c. 6. n. 101. (4) Loc. c. (5) Tr. 33. p. 68. n. 2. (6) De contr. c. 3. reg. in praxi 2. (7) De contr. c. 3. q. 3. (8) Q. 9. a. 3. n. 2.

(9) T. 3. l. 9. c. 8. q. 10. (10) Loc. c. (11) Loc. c. (12) De contr. q. 9. a. 3. n. 8. (13) Ibid. (14) C. 23. dub. 3. (15) Loc. c. (16) D. c. 3. reg. in praxi.

910. Hic ultimo quaeritur an filius negotians cum patre ponente pecuniam et ipse industriam, possit accipere partem lucri suo labori et industriae correspondentem. Affirmat Ronc. [1] casu quo filius nomine proprio negotietur; secus, si nomine patris; tunc enim tantum potest accipere id quod pater pro tali labore alteri daret; et idem dixit Bus. *de furto n.* 544. cum Lay. et Dian. In eo tamen casu ait Ronc.[2] posse patrem detrahere ipsi valorem alimentorum, quae non amplius debet filio, cum habeat unde se alat. Sed cum valde probabiliter neget Croix [3] cum Mol. Moya etc. posse filiumfam. stipendium petere a patre pro suis laboribus impensis in eius domo, ut tenuimus *dicto num.* 544., hinc dicimus (contra Roncagl. et Bus.) nullo modo posse filium illud occulte accipere, dissentiente patre.

DUBIUM XV. Quid sit assecuratio et fideiussio.

911. « Resp. 1. Contractus assecurationis est, quo quis alienae rei periculum in se suscipit, obligando se, vel gratis vel pro certo pretio, ad eam compensandam, si perierit. Quod si gratis fiat, est gratuita promissio: si pretio, est quasi emptio, qua assecurans vendit suam obligationem praestandi alteri rem eius indemnem. Ad eius iustitiam requiritur, ut eventus rei sit incertus utrique, saltem quoad notitiam quam de eo habent; quia alioqui non servaretur aequalitas Bon.[4] Les.[5].

Unde resolves:

» 1. Si assecurans certus sit rem esse in tuto, inique pretium petit, et tenetur restituere [6]. Bon. [7] (Certum est. Ronc. [8]).

» 2. Si res nondum est in tuto, etsi privata scientia sciat non fore periculum, licere nihilominus pretium ordinarium assecurationis accipere, dicit Less. [9] quia illa obligatio ob pericula ordinaria magni aestimatur, et causae occultae quae periculum minuunt non imminuunt communem aestimationem. Verum id Bon.[10] et card. de Lugo [11] rectius negant.

» 3. Si cupiens rem suam assecurari, certo sciat eam iam periisse, non potest pacisci de eius assecuratione. Vide Less. [12].

912. » Resp. 2. Fideiussio est contractus quo quis alienam obligationem suscipit implendam; si debitor principalis non solverit. Ita commun. doctor.

Unde resolves:

» 1. Pro fideiussione licet accipere pretium, etsi nullum periculum timeatur; quia ex se pretio est aestimabilis. Nav. Azor.[13] Fill.[14] (Est commune ap. Viva [15] et mihi omnino videtur tenendum quidquid dicant Covarr. Moya etc. apud Croix [16] quia assumptio talis oneris procul dubio est pretio aestimabilis).

» 2. Mulieres ex fideiussione (saltem si iuramentum absit, et instrumentum publicum) non tenentur, ut nec clerici, nisi quatenus solvere commode possunt, ut non egeant. Vide Laym. Bon.[17] Less. [18].

» 3. Fideiussor non obligatur plus quam principalis: et huius obligatio, si sit invalida, erit etiam fideiussoris, c. Lugo etc. commun.

» 4. Fideiussor regulariter non potest conveniri, nisi facta excussione principalis debitoris, constet ipsum non esse solvendo. Azor. [19] Fill. [20].

» 5. Debitor tenetur de omni damno sua culpa accidente fideiussori, etc. V. Azor. [21] Bon.

» 6. Ex fideiussione religiosi propria auctoritate facta monasterium non obligatur, nisi quatenus in eius utilitatem versum est. V. Less.[22] et Laym.[23].

» 7. Qui fideiussit pro reo, cui periculum capitis impendebat, si is aufugit, non est eius loco plectendus, quia non praesumitur sic se obligare; imo nec potest, cum non sit dominus vitae. Sylv. Bon. Less.[24].

» 8. Si debitor sua culpa non solvit, tenetur fideiussori, qui pro ipso solvit,

(1) De contr. c. 1. q. 5. r. 2. (2) Ibid. (3) L. 3. p. 1. n. 1054. (4) D. 3. q. 9. p. 3. (5) L. 2. c. 28. d. 4. n. 24. (6) Ibid. (7) Dub. 3. q. 9. p. 3. (8) Qu. 9. c. 3. q. 22. (9) L. c. n. 27. (10) D. 3. q. 9. p. 3. n. 3.

(11) D. 31. sect. 7. (12) Loc. c. n. 25. (13) P. 3. l. 11. c. 12. d. 5. (14) N. 159. (15) N. 3. (16) N. 1106. (17) Q. 9. p. 2. (18) L. cit. c. 28. (19) L. c. (20) N. 153. (21) D. 10 (22) C. 28. (23) C. 29. n. 7. (24) D. 7. n. 41.

non tantum ipsum debitum, sed etiam damna et expensas omnes compensare. Si vero sine culpa, v. gr. ob impotentiam, non solvit, ad solum debitum videtur teneri, Az. Sylv. Sa Bon. Trull.[1].»

Dubium XVI. Quid sit pignus et hypotheca.

913. « Resp. Pignus est contractus, quo debitor dat creditori rem aliquam mobilem vel immobilem, ut sit pro debito obligata, ex eaque solutio peti possit. Aliquando tamen pignus accipitur pro ipsa re quae datur. Differt autem ab hypotheca, quod pignus proprie sit rei mobilis, illa immobilis. Molina Fill. Bonac. [2] (Hypotheca specialis impedit vendi bona, non autem generalis Viva[3]).

Unde resolves:

914. » 1. Pignore non licet uti contra voluntatem domini; quia est res aliena, ad securitatem tantum et non ad usum tradita. Bon. [4] ex Mol. Reg. etc. Si tamen utatur, v. gr. equo vel agro, debet valorem usus sicut et fructus omnes, si sit res ex se fructifera, computare in sortem, deductis expensis, quia alioqui committit usuram, cum res domino suo fructificet. Nav. Bon. Trull. [5] (Praesumitur autem dominus consentire si nullum damnum ei sequatur, puta, si alter utatur libro et simili. Viva [6]).

915. » 2. Non possunt pignorari quae non possunt vendi, v. gr. ecclesiae. Molina[7] Less. [8] Bon. [9].

» 3. Immobilia, uti et mobilia pretiosa, cultui divino dicata, v. gr. calices, casulae etc. non possunt oppignorari nisi in necessitate, quia tunc etiam vendi possunt, ut ecclesiae et indigentibus subveniatur. Vide Navar.[10] Less. Bon. [11].

» 4. Creditor, qui pignus ab aliquo accepit, potest illud alteri oppignorare, sed non pro maiore quantitate. Neque potest vendere, debitore non solvente, nisi post biennium, et eo prius monito. Quidam tamen dicunt, posse vendere post trinam monitionem. V. Layman [12] Bon. [13].

» 5. Eamdem rem non licet oppignorare, seu in hypothecam dare pluribus, nisi sit sufficiens ad solvendum omnibus, vel posteriores de priore hypotheca admoneantur. Azor. Fill. Bon. [14] Trull. [15].

916. » Quaeres: Quid sit contractus antichriseos, germanice *eine Pfandschaft.* (Apud nos: *A godere*) [16].

» Resp. Is est, cum in contractu pignoris convenitur ut creditor utatur pignore, v. gr. agro, ac fructus inde tamdiu lucretur donec debitum ipsi restituatur.

Unde circa hunc ex supradictis resolves:

» 1. Contractus hic videtur iuxta Caiet. Sot. etc. (contra quosdam iuristas) esse usurarius: quia creditor ultra sortem aliquid lucratur, causa solius mutui, quae est usura. Vide Laym.[17] (Et certum est cum Pal. ap. Croix[18]. Quare tenetur fructus etiam illos reddere, quos ex culpa levi neglexit percipere, Vasq. Pal. etc.[19]. Quid, si agrum incultum coluerit? Adhuc teneri fructus restituere, dicunt Mol. Bon. etc. contra Sa Sot. etc. Vide Croix [20]).

» 2. Possunt tamen intervenire tituli iusti lucrandi fructus ex pignore, sine diminutione sortis: ut si v. gr. fructus ex hypotheca percepti non superent quantitatem pensionis, quae iure census super eamdem constituti exigi potest cum pacto redhibitionis, ut supra dictum est de censibus: aut si alioquin lucrum cesset aut damnum emergat, dum debitum differtur. Unde non facile damnandi illi qui a principibus in locum debitorum, agros, pascua, officia etc. in antichrisim habent. V. Layman[21] et Binsfeld.[22] Mol. Les.[23] etc.[24].»

(1) C. 26. d. 2. (2) Q. 10. p. 1. (3) N. 8. (4) Loc. c. (5) C. 26. d. 2. (6) N. 9. (7) D 530. (8) L. 2. c. 28. d. 3. (9) Loc. c. (10) C. 17. (11) Loc. c. (12) L. 3. t. 4. c. 30. (13) L. cit. n. 9. (14) D. 3. q. 10. p. 1. (15) C. 26. d. 4. (16) Gall. *Antichrese.* (17) L. 3. t. 4. c. 16. n. 17.

(18) N. 1115. (19) Ibid. (20) N. 1112. (21) L. c. (22) De usuris. (23) C. 137. (24) Si iam liceat ex pecunia lucrum 5. o/o in re civili et 6. o/o in commercio percipere, patet, licere etiam lucrari fructus ex pignore sine imminutione sortis, modo lucrum legale non excedatur.

Cap. IV. De tutela et testamentis

Dubium I. Quid sit tutela et curatela.

917. *Quibus detur tutor, et quibus curator.*
918. *Ad quae teneantur tutores et curatores. An pupilli et minores possint se naturaliter obligare, sine consensu tutorum etc.*

917. « Resp. Sunt quasi contractus, quibus tutor et curator ad procuranda bona et commoda minorum cuiuscumque sexus, qui vel parente carent, vel sub eius potestate constituti non sunt, obligatur ex iustitia, perinde ac si ex contractu ea obligatio suscepta fuisset; supplente nimirum lege vel magistratu vim contractus. Differunt tutor et curator, quod tutor solum datur impuberibus, etiam invitis, et principaliter datur personis, ut curet earum educationem et institutionem: secundario vero datur etiam bonis illarum respectu omnium negotiorum. Curator vero datur minoribus, post annos expletos pubertatis, usque ad annum 25. completum; nec communi iure datur invitis, nisi in certis casibus, et datur principaliter rebus minorum, secundario personis. Unde pro directione in foro conscientiae, ex iure tum naturali tum positivo communi, ex Layman et Tan. [1] Bon. [2]

Resolves:

918. » 1. Tutores, sive sint testamentarii, hoc est relicti ex testamento aut codicillo patris; sive sint dativi, hoc est constituti a iudice aut magistratu; sive sint legitimi, hoc est praescripti a lege (qualis prae caeteris est mater, si velit, et promittat se non transituram ad alias nuptias, quin prius tutela abdicet, et rationem reddat: dein avia et consanguinei proximiores idonei) tenentur, uti et curatores, iurare se fideliter officium suum facturos, ac fideiussorem dare, rem minoris salvam et integram restituendam: et universim tacite omnia eorum bona sunt hypothecata minori; ita ut ad quemcumque pervenerint, possit illa minor sibi vindicari ut sibi satisfiat, si quid illorum culpa est passus. V. Tan.[3] Lay.[4] Bon.[5].

» 2. Bona minorum tenetur tutor vel curator administrare ea cura quam diligens paterfamilias propriis suis rebus adhiberet, tam impediendo et praecavendo damna, quam procurando commoda et lucra minoris; alioqui damnum et defectus congrui lucri ipsi imputabitur, et tenebitur etiam in conscientia ad restitutionem. Vide Laym. [6].

» 3. Bona immobilia minorum, aut alia pretiosa, quae possunt servari, non possunt alienari, saltem sine iudicis decreto (Sicut neque mobilia, quae servari possunt, etsi adsit consensus tutoris. Salm. [7]).

» 4. Tutori aut curatori et personis ei subiectis nihil licet emere, sive per se sive per alium, ex ullis bonis minorum, quamdiu illi tales sunt, nisi cum auctoritate iudicis, aut cum eius decreto bona pupillorum publice, per iuratum venditorem omnibus venalia exponuntur.

» 5. Sine decreto iudicis non potest minor remittere, vel renuntiare haereditati, legatis, fideicommissis, aliisque iuribus sibi acquisitis. Si tamen religionem ingressus sit, potest bona alienare, quia moritur quasi.

» Pupillus dum infans est, hoc est minor septennio, vel infantiae proximus (ita ut, si masculus est, non expleverit annum decimum cum dimidio; si foemina, nonum cum dimidio), nihil per se efficere potest, quo ullo modo vel alteri obligetur, vel alium sibi obliget: at pubertati proximus obligare quidem sibi potest alium, sed non se alteri, saltem civiliter. Sanch.[8] Less. [9] Laym. [10].»

Certum est 1. quod minor aut pupillus etiam sine consensu tutoris vel curatoris, possunt se obligare circa bona castrensia, vel quasi castrensia; quia de his liberam administrationem habent. Vide Salm. [11]. Certum est 2. quod non possunt se obligare circa bona immobilia sine iudicis auctoritate [12] quia ius omnino irritat ipsorum

(1) T. 3. d. 1. q. 7. d. 10. (2) D. 3. q. 19. (3) Loc. c. (4) L. 3. t. 4. c. 9. (5) Loc. c. (6) L. 2. t. 3. c. 2. d. 3. r. 6. (7) De contr. c. 1. punct. 5. §. 1. n. 40. (8) D. 38. (9) L. cit. c. 17. n. 61. (10) C. 9. n. 7. (11) De contr. c. 1. punct. 5. §. 2. n. 59. (12) Ex l. Lex quae 22. c. de adm. tut.

conventiones [1]. Circa autem mobilia nequeunt se obligare, saltem civiliter, sine consensu tutoris vel curatoris. Salm. [2]. Sed quaestio est an pupillus vel minor circa praedicta bona mobilia, si contrahant sine auctoritate tutoris vel curatoris, remaneant naturaliter obligati. Certum est quod si pupillus aut minor contrahant cum tutore vel curatore, minime obligantur [3]. Pariter idem communiter traditur a dd. si pupillus non sit pubertati proximus, ut docent Sanch. [4] Lugo [5] et Salm. [6] ut patet ex iure civili [7]. Si vero pupillus sit pubertati proximus, et contrahat cum extraneis, hic quaeritur an maneat naturaliter obligatus.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Lugo [8] Less. [9] Sanch. [10] Laym. [11] Pal. [12] et Salm. [13] cum Nav. Reg. Fil. Reb. Tann. et Diana. Ratio 1. istorum, quia fideiussor pupilli remanet civiliter et naturaliter obligatus, ex communi sententia, ut asserunt Salm. [14]. Ergo si fideiussor (arguunt) iam obligatur, etiam pupillus obligatus intelligi debet; nam, deficiente obligatione principalis, deficere debet etiam obligatio fideiussoris, ut docet communis sententia [15]. Sed haec ratio non satis evincit, quia probat nimis; probat enim quod pupillus etiam civiliter teneatur. Ratio potior est, quia ex iure civ. [16] habetur, pupillum obligari naturaliter, si promittat sine auctoritate tutoris; cum ibi dicantur creditores esse satisfaciendi, *dummodo obligatio aut civiliter teneat, aut naturaliter, ut puta si pupillus sine auctoritate tutoris promiserit.*

Secunda sententia vero negat pupillum vel minorem remanere naturaliter obligatum; et hanc tenent Bonac. [17] item Cov. Bann. Rodr. Dic. etc. apud Salm. [18] et vocant probabilem Sanch. [19] et Diana [20]. Ratio, quia ex *l. Quod pupillus* 41. *ff. De cond. indeb. et ex l. Pupillus* 59. *ff. de act. et obl.* expresse negatur, pupillum naturaliter obligari et praecise *in dict. l.* 59. sic dicitur: *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo, ne quidem iure naturali obligatur.* Sed haec ratio non videtur firma; nam ibi casus est de pupillo infante, ut exponit Glossa; unde alia Glossa [21] ait tam relatam *legem Pupillus*, quam alias, tantum de pupillo infante intelligendas esse. Hinc prima sententia verior mihi videtur. Caeterum probabilissimum est quod pupillus non teneatur solvere quod promisit, ut tenet Lugo [22] cum Soto Mol. Cov. etc. et probabile putant Salmant. [23] cum Sanch. Reg. etc. Ratio quia, cui competit actio ad repetendum competit etiam exceptio ad retinendum ex illo textu [24]: *Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum admittendus. Vide dicta num.* 890.

« 7. Eadem est ratio minoris, si curatorem habeat: quem, si semel susceperit, tenetur illi subesse iure communi usque ad annum 25. expletum; et si litem habeat, tenetur ad eam sumere curatorem, exceptis tamen causis spiritualibus. Quod si curatore careat, valent acta per illos, ita tamen ut si laesi sint, restituantur in integrum. Vide auct. cit. et Bon. [25].

» 8. Etsi minores sine curatorum auctoritate donare non possint, nisi quae eius conditionis adolescentes donare solent (in iis enim praesumitur tacitus consensus curatoris); qui tamen dona ab iis accepit non tenetur restituere, nisi repetantur legitime; quia probabile est valere naturaliter, tametsi non civiliter. Mol. Lugo Trull. Diana [26].

» 9. Tenentur curatores et tutores singulis annis administrationis rationem reddere; ubi, si quis deses aut

(1) L. Si ad resolvendam 7. c. de Praediis minor. (2) Ibid. n. 41. (3) Ex l. Non licet, ff. de contr. empt. et l. Pupillus 5. ff. de auct. tut. (4) De matr. l. 6. d. 38. n. 24. (5) D. 22. n. 286. (6) Ibid. n. 42. (7) L. Pupillus 59. ff. de act. et oblig. (8) D. 22. n. 283. (9) L. 2. c. 17. dub. 8. n. 61. (10) L. cit. n. 31. (11) L. 3. sect. 5. tr. 4. c. 9. n. 7. (12) D. 1. p. 4. §. 3. n. 9. (13) Ibid. n. 45. (14) D. n. 45. in fin. ex l. fin. de iureiur. et l. Marcellus 25. ff. Fideiuss. (15) Ex l. Cum lex 46. de fideiuss. et l. Naturaliter, ff. de condit. indeb. (16) Ex l. Novatio, ff. de novation. (17) De contr. d. 3. q. 1. p. 5. n. 6. (18) Tr. 14. c. 1. p. 5. §. 2. n. 44. (19) Loc. c. n. 20. (20) P. 2. tr. 5. r. 44. (21) In dict. l. Novatio. (22) D. 22. n. 300. (23) D. c. 1. n. 47. (24) L. 8. ff. de dol. mal. excep. et ex reg. iur. in 6. (25) Dub. 3. q. 5. p. ult. (26) P. 8. t. 6. r. 4. et 7.

noxius reperiatur, amovendus est imposita satisfactione, aliusque subrogandus.

» 10. Si tutor vel curator, post rationes officii redditas, fidelis deprehensus fuerit, debetur ei praemium quod in quibusdam locis est vigesima pars redituum bonorum omnium minoris, in aliis autem decima pars.

» 11. Porro, qui non possint esse tutores et curatores, et qui a tutela et curatela excusentur, ne iis imponi possint, v. gr. habentes quinque filios superstites pauperes, etc. vide apud Tann.[1] et Sa[2], qui sic habet: *Tutor non potest esse iunior 25. annis, nisi forte mater; nec religiosus, nec foemina* (*nisi mater aut avia, et uxor casu ante dicto*), *nec clericus in sacris, si non velit, nec episcopus, nisi miserabilium personarum. Horum vero tutelam suscipere tenentur et episcopi et clerici et religiosi; quod ego*, inquit, *de religiosis universim non admitto*. V. Laym.[3].

» 12. Si tutor et curator, cum tenerentur negotiari, omiserunt, possunt pupilli ab eis accipere 5. pro 100. Sa[4]. Vide etiam Nav.[5]. Plura vide supra *l.* 3. *tr.* 3. *c.* 2. *d.* 3.»

DUBIUM II. Quid et quotuplex sit testamentum.

919. *Quid sit testamentum. De requisitis ad codicillum, et quid importet* clausula codicillaris.
920. *Quotuplex sit testamentum.*
921. *Ex quibus capitibus testamentum sit nullum.*
922. *Quid, si desint solemnitates, et sit testamentum ad pias causas.*
923. *Quid, si constet haeredi voluntas testatoris.*
924. *Quid si non constet, an ipse teneatur credere uni testi. Et an testamentum nullum valeat quoad legata pia.*
925. *Quid, si testamentum factum sit ab hominibus rusticanis.*
926. *Quid, si tempore pestis.*
927. *An testamentum sine solemnitatibus obliget in conscientia.*
928. *Vide alios casus.*
929. *Quid de testamento clericorum, novitiorum et militum.*
930. *Dub.* 1. *An legatum relictum virgini, ut nubat, possit ei dari, si fiat religiosa. Dub.* 2. *An legatum relictum civibus loci possit dari extraneis. Dub.* 3. *An legatum relictum orphanis possit dari eis qui parentes habent inutiles. Dub.* 4. *An legatum relictum puellis, ut nubant, possit dari eis quae sine dote iam nupserint. Dub.* 5. *An legatum relictum puellis nupturis, possit dari viduis, ut iterum nubant. Dub.* 6. *An legatum relictum virginibus nubendis, possit dari virgini corruptae. Dub.* 7. *An legatum relictum puellae, ut remaneat virgo, debeatur ei si nubat. Dub.* 8. *An legatum relictum puellae, ut nubat, transeat ad eius haeredes, si ante nuptias moriatur. Dub.* 9. *An legatum relictum pro fabrica ecclesiae possit expendi in alia divino cultui necessaria. Dub.* 10. *Quomodo distribuendum legatum relictum pauperibus.*
931. *Quaeritur* 1. *An ultimae voluntates possint commutari a Papa sine causa. Quaer.* 2. *An ab episcopis cum iusta causa. Dub.* 1. *An tunc requiratur consensus haeredis et legatarii. Dub.* 2. *Quae sint causae iustae ad commutandum.*

919. « Resp. 1. Testamentum est voluntatis iusta sententia de eo quod quis post mortem suam fieri vult, cum directa haeredis institutione. Quod additur, ut distinguatur a reliquis ultimis voluntatibus nam differt a legato seu fideicommisso partiali, quod hoc sit donatio quaedam a defuncto relicta, et ab haerede praestanda (Legata accipienda sunt a manu haeredis. Vide Salm.[6]): a codicillo vero differt, quia codicillus est quasi testamentum imperfectum, et non fit ad instituendum haeredem, nisi ex privilegio, v. gr. in militia, sed ad aliquid in testamento explicandum, addendum, mutandum, detrahendum, vel ad legata instituenda. Vide Laym.[7] Tann.[8] Les.[9] Bon.[10].»

Ad codicillum sive nuncupativum, sive in scriptis, sufficiunt quinque testes, etiam non rogati, et foeminae (quamvis ad codicillum in scriptis requiritur testium subscriptio)[11]. Ad codicillum vero inter liberos et milites sufficiunt duo testes. Vide Lugo[12]. Hic notandum cum eodem Lugo[13] quod clausula in testamento apposita, scil. quod si illud non valeat ut testamentum, valeat ut codicillus, importat, ut si testamentum sit nullum sive ob defectum solemnitatis sive ob praeteritionem haeredis necessarii, haeres ab intestato debeat solvere legata[14], et insuper ipse teneatur haereditatem restituere haeredi in nullo testamento instituto, retenta sibi quarta trebelliani-

(1) Loc. c. (2) V. Minor. (3) Loc. c. (4) V. Curator. (5) C. 23. (6) De contr. c. 5. punct. 13. §. 1. n. 178. (7) L. 3. t. 5. c. 1. et seq. (8) T. 3. d. 4. q. 8. (9) L. 2. c. 19. (10) D. 3. q. 17. p. 1. (11) Ex l. ult. c. de codic. (12) D. 23. n. 15. (13) N. 17. (14) Ex auth. Ex causa c. de l. praet.

ca [1], et si est haeres necessarius, retenta sibi portione debita.

920. « Resp. 2. Testamentum est duplex. 1. *In scriptis, seu clausum*: quod testamentum testator, sive sua sive alterius manu scriptum, septem testibus idoneis, non defectuosis, non caecis, non surdis, mutis, nec furiosis, prodigis, infantibus, religiosis, cognatis, qui in testatoris potestate sunt (Adde infames de iure, fratres, patrem testatoris, qui sunt in eius potestate. Viva [2] Salm. [3]. Adde haeredem, sed non legatarios, non tutores etc. Viva et Salm. nec religiosos, etsi isti peccent, si testentur sine licentia. Viva [4]), quibus adde ipsum haeredem, et qui in eius sunt potestate, sed masculis, puberibus, liberis, ad id rogatis, et vocatis coram offert, profitendo id esse suum testamentum: tum, si possit, manu sua subscribit, alioqui octavus pro eo testis, dein omnes et singuli septem testes eodem tempore subscribunt, si possint, per seipsos, proprioque vel alieno, aut communi omnes sigillo consignant. Laym. [5] Bonac. [6] (Nullum est testamentum scriptum ab ipso haerede, saltem post sententiam. Salm. [7]). 2. *Nuncupativum*, quod minorem solemnitatem requirit, scilicet tantum ut septem testes idonei supradicti convocati audiant et intelligant testatoris voluntatem coram eis scriptam vel voce articulata prolatam (Simul et eodem tempore, ut sint contestes. Salmant. [8]. Per signa autem nequit haeres institui. Quid, si testator annuat? Probabile est posse sic institui, ex Lugo Vasq. etc. Vide Salm. [9] maxime ad causas pias. Salm. [10] cum Vill. Gom. etc. et Croix [11]). Etsi vero talis nuncupatio coram testibus a notario in scriptum communiter redigi soleat, id fit non ad actus substantiam servandam, sed ad meliorem probationem et securitatem, si testes decedant vel inidonei reddantur. Si autem testamentum careat solemnitate debita, dubiteturque utrum testator voluerit conficere clausum an apertum, valet ut nuncupativum: haec enim praesumitur testatoris voluntas, ne actus omnino corruat. Sanch. [12] Lugo [13] Bard. [14].

» Porro praeter has solemnitates iure communi requisitas, aliae sunt partialium locorum, quas in singulis locis norunt periti notarii qui proinde, ne impingatur, utiliter adhibentur. »

Notandum 1. cum Lugo [15] qui citat Vasq. et Ronc. [16] cum communiori, contra aliquos [17], non sufficere ad valorem testamenti nuncupativi, quod testator declaret se in tali schedula, puta sigillo signata, vel tali loco clausa nominare haeredem et alias dispositiones; sed requiri quod ipse coram testibus sufficientibus haeredem nominet; et quoad alias sufficere quod se ad schedulam remittat.

921. Notandum 2. quod ex triplici capite testamentum potest esse nullum: 1. ob defectum *solemnitatum* substantialium quae ab auctore explicantur. 2. Ob defectum *complementi*, nam si testator moriatur, vel loquelam amittat antequam testamentum compleat, testamentum est nullum, etsi haeredem instituerit [18]. Hoc tamen currit si constet testatorem voluisse instituere alios haeredes, vel legata ordinare; in dubio autem testamentum valet; sicut etiam valet, si haeres sit causa pia, vel si in eo sint scripta legata pia. Salm. [19] cum Mol. Tap. Dic. etc. 3. Testamentum potest esse nullum ob defectum *libertatis*, eo quod testator non libere egit, vel non compos mentis, vel deceptus, vel coactus vi aut precibus importunissimis, vel metu reverentiali. Salm. [20]. Secus si testator fuit inductus precibus simplicibus, suasione etc. Vide Salm. [21].

922. « Quaeres an testamentum sit

(1) Ex l. Posthumus. §. Si paganus, ff. de iniust. rupto test. (2) Q. 10. n. 4. (3) Ibid. punct. 2. §. 1. n. 10. (4) Ibid. (5) Loc. c. (6) Dist. 3. q. 12. p. 1. (7) De contr. c. 5. punct. 2. §. 2. n. 15. (8) Ibid. n. 11. (9) Ibid. n. 12. (10) Ibid. §. 3. n. 17. in fin. (11) N. 1130. (12) L. 4. cons. (13) T. 2. de iust. d. 24. (14) D. 6. q. 10. §. 1. (15) D. 24. n. 5. (16) De testam. c. 1. q. 3. r. 2. (17) Ex l. Hac consultissima, c. Qui testam. etc. et l. Haeredes 21. ff. eod. tit. (18) Ex l. Si quis, ff. de test. (19) Tr. 14. c. 5. punct. 3. r. 27. (20) Ibid. n. 30. (22) Loc. c.

validum, cui desunt solemnitates a iure civili requisitae.

» Resp. 1. Si testamentum factum sit ad causas pias, etiam in foro externo eas non requiri, sed sufficere eas quae sunt iuris gentium, scilicet duos testes: in foro autem conscientiae, supposita potestate disponentis, sufficere scripturam, nutum, vel aliud signum testatoris, absque ullo teste. Quod si tamen manus testatoris non extet, requiruntur duo testes in foro externo, inter quos etiam foemina esse potest. Covar. et alii 12. Dian.[1] (Cum Salm.[2]). Item confessarius vel parochus esse potest, licet legata sint pro sua ecclesia, idque ad hoc tantum, ut voluntas testatoris probari possit, et iudex pro ea sententiam ferat. Vide Less. et cardin. Lugo[3], qui etiam probat, in tali testamento ad pias causas non esse necessariam haeredis institutionem. At, licet morte interveniente non fuerit absolutum, valet tamen quoad legata pia in eo iam expressa. Malder. Laym. Dian.[4]. An autem tale testamentum ad causas pias principaliter factum, si solemnitates desint, valeat quoad legata profana, controvertitur: Negant Bon. et Lugo, affirmant Covar. Sa Lessius Fill. Sanch. Barbos. Trull.[5] Diana[6] (Et hanc tenent Salm.[7] et Viva[8] cum communiori, et Roncaglia[9] vocat communem quia accessorium sequitur naturam principalis. Attamen sententia Bonac.[10] et Lugonis[11] cum Vasq. Iason. etc. est satis probabilis: quia respectu laicorum papa nihil disponit. Nec semper valet regula, quod accessorium sequitur naturam sui principalis, nam ipsa non currit, ubi diversa est ratio accessorii a principali, ut hic accidit; et ideo, non obstante quod testamentum principaliter sit profanum, debetur legatum in eo relictum, etiam deficientibus solemnitatibus iuris civilis. Praeterea testamentum in favorem liberorum, licet valeat quoad liberos, non tamen valet quoad alios, si solemnitates iuris communis desint[12]). Denique testamentum ad pias causas non solemne revocat aliud solemne, etsi huius mentionem non faciat, Molin. etc. Dian.[13] (Cum Viva[14]) idque, etiamsi prius etiam fuerit ad causas pias. Mol. et alii 6. licet hoc posterius quidam negent[15]. »

923. Quoad dispositiones pias certum est quod si constat haeredi voluntas testatoris, sive per verba sive per nutum, aut scripturam, tenetur haeres in conscientia vel cedere haereditatem loco pio, vel legata solvere. Ita communiter Lugo[16] Conc.[17] Laym.[18] Ronc.[19] et Salm.[20] cum Less. Dic. Vill. etc. Unde infertur quod si testator dedisset tibi aliquid, ut tamquam pauper retineres, vel ut in pias causas distribueres, tute id faceres, etiam inscio et invito haerede, prout docent Lugo[21] Molina[22] et Salm.[23] cum Dic. Vill. Cov. Gom. etc.

924. Caeterum, si contra non constet haeredi voluntas testatoris, docet Laym.[24] quod ex certa regula, omnium consensu recepta, non tenetur haeres in suo praeiudicio credere uni testi, quamvis probatissimo, dum in *c. Relatum de test.* expresse dicitur: *Tribus aut duobus testibus requisitis;* et in *c. Licet, de testib.* dicitur: *Licet quaedam sint causae, quae plures exigunt testes; nulla tamen est causa, quae unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur.* Hoc enim necessarium fuit ad bonum commune, ut fraudes evitentur, prout aiunt Laym.[25] Holz.[26] et Croix[27]. Hinc docet Laym.[28] quod haeres non tenetur credere soli parocho, nisi alius adsit contestans; et idem dicunt Viva[29] et Croix ut supra.

925. « Resp. 2. Si testamentum fa-

(1) P. 7. t. 6. r. 16. (2) Ib. punct. 2. §. 3. n. 17. (3) T. 2. d. 22. s. 9. (4) P. 5. t. 16. r. 126. (5) C. 18. d. 4. (6) P. 7. tr. 6. r. 4. (7) Tr. 14. c. 5. p. 2. §. 3. n. 19. (8) A. 2. n. 5. (9) C. 2. q. 6. r. 1. (10) Punct. 3. n. 18. (11) D. 22. n. 274. (12) L. Hac consultissima et in l. Ex imperfecto, c. de testam. (13) P. 6. t. 6. r. 25. et 26. (14) N. 4. (15) L. c. r. 26. 27. (16) D. 22. n. 267. (17) T. 7. p. 647. n. 9. (18) C. 7. de testam. n. 5. (19) Eod. tit. 2. q. 2. r. 1. (20) Ibid. n. 18. (21) N. 268. (22) T. 1. d. 134. (23) Loc. c. (24) Ibid. n. 4. (25) Ib. (26) De 6. pr. c. 1. n. 657. (27) L. 2. 3. n. 1130. (28) N. 5 (29) Q. 10. a. 2. n. 3.

ctum est ad causas non pias, hominibus rusticanis quinque testes sufficiunt, si plures haberi nequeant, nec subscriptione opus erit, si litterati non sunt. Laym. [1] Bon. [2].»

Hic autem quaeritur an testamentum nullum quoad causas non pias, valeat quoad legata pia. Alii negant, quia corruente principali, corruit accessorium. Sed communior sententia affirmat, quia specialis ratio reperitur in accessorio, quae non est in principali, nempe favor religionis, et ideo ibi attenditur tantum ius canonicum. Ita Layman [3] et Roncaglia [4] cum Covarr.

926. « 3. Tempore pestis non requiruntur septem testes simul congregati ad subscriptionem: sed sufficit, si singuli separatim adhibeantur. Adde, aequitatem postulare ut quando testes vel notarius haberi non possunt, ultimae voluntates validae pronuntientur, si de voluntate defuncti liquido constet. Hinc in camera imperiali valet testamentum, peste valde grassante, conditum coram duobus vel tribus testibus, inter quos confessarius esse potest. Atque haec vera sunt secundum ius commune caesareum, seclusis specialibus locorum statutis. Nam Venetiis v. gr. et Viennae duo testes ad testamentum sufficiunt. Vide Layman [5]. Imo absolute loquendo tempore pestis sufficere solemnitates iuris gentium, atque adeo tres, vel duos testes ait Dian.[6] ex Sa Laym. etc., atque inter eos esse posse foeminam et notarium ipsum (tametsi non sit immatriculatus); modo non sit consanguineus vel affinis defuncti[7], ex Menoc. etc.; nec opus esse ut sint rogati, vel audiant vocem testantis (etsi hoc quidam requirant), modo eum videant[8]; neque invalidari, licet aegrotus convalescat [9], ex aliis 8. Denique, si parochus scribat coram unico teste, habere vim testamenti, saltem nuncupativi, dicunt Mol. et March. cum Diana [10].

927. » Resp. 4. Etsi probabilis et secura sententia sit Cov. Bon. [11] et aliorum, testamentum factum ad causas non pias, sine solemnitatibus a iure requisitis, invalidum esse in foro conscientiae, praeterquam quoad legata pia, Mol. Lugo, Vasq. Sanch. Diana [12] contra Barbos., ita ut haeres per illud institutus et legatarius teneantur ad restitutionem haeredibus ab intestato; contrarium tamen verius est, ideoque licite retinetur, quod tali testamento possidetur. Ratio est quia illae solemnitates tantum requiruntur ad cavendam deceptionem, et ad fidem in foro externo faciendam. V. Less. [13] c. Lugo [14]. »

Triplex etiam sententia (prout diximus de contractibus *n.* 711.) est pro testamentis conditis sine solemnitatibus.

Prima sententia tenet ea valere in conscientia, et naturalem parere obligationem. Ita cum Bus. Less.[15] Molin.[16] Sa et Sylv. [17] Ronc. [18], item Mald. Reg. etc. apud Cabass.[19]. Et probant ex illo textu[20]: *Nihil est tam conveniens naturali aequitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi.* Hinc Less. Salas Sayr. et Molf.[21] dicunt haeredem ab intestato, si certus sit de voluntate testatoris, teneri eam exequi et restituere haereditatem.

Secundam sententiam vero omnino oppositam tenent Suar. Bon. Cov. ap. Cab.[22] et Salm.[23] cum Laym. etc. quia lex solemnitatum non solum fundatur in praesumptione fraudis, sed etiam in eius periculo. Eamdem sententiam sequitur Lugo [24] cum aliis, sed excipit fideicommissa [25].

Tertia sententia, quam amplectitur Cabass.[26] cum Sot. Sanch. Ban. et Beia, tenet praeferri debere possessorem. Primam et secundam sententiam probabilem censeo, sed hanc tertiam proba-

(1) L. c. c. 2. n. 16. (2) L. c. p. 1. n. 5. (3) L. 3. tr. 3. c. 2. (4) De testam. c. 2. q. 6. r. 2. (5) L. c. c. 2. (6) P. 7. t. 6. r. 34. (7) R. 36. (8) R. 37. et 38. (9) R. 39. (10) L. c. r. 34. et 41. et P. 5. t. 3. r. 123. (11) D. 3. q. 1. p. 4. (12) P. 7. t. 6. r. 3. (13) L. 2. c 19. d. 3. (14) Disp. 22. s. 9. (15) L. 2. c. 19. dub. 3. (16) D. 81. (17) V. Testam. (18) De testam. c. 1. q. 4. r. 2. (19) T. I. l. 6. c. 3. n. 4. (20) §. Per traditionem Inst. de rer. div. (21) Ibid. (22) L. c. (23) Tr. 14. c. 1. n. 51. (24) D. 22 n. 256. (25) Ex §. ult. Inst. de fideicom. (26) L. c

biliorem et in praxi omnino sequendam; quia potius omni iure est ius possessionis; unde omnino dicendum puto quod haeres non tenetur solvere; et contra, legatarii, si bona fide legatum acceperint, non tenentur restituere. Observa attente quae diximus *dict. n.* 711. Id tamen intelligendum nisi accedat sententia iudicis, ut dicunt Roncagl. [1] et Cabass. [2] cum aliis cit. Nec obstat dicere sententiam iudicis non obligare, si nitatur legi fundatae in falsa praesumptione fraudis quae non adsit; nam praeterquam quod sententia tunc nititur legi quae fundatur in periculo generali fraudum, ut respondet Roncagl., quisque tenetur parere iudici praecipienti, semper ac eius sententia non sit evidenter iniusta, ob bonum commune pacis, ut litibus et iurgiis finis imponatur.

Unde resolves:

« 1. Haeres ab intestato, si sciat voluntatem defuncti, tenetur restituere haereditatem, et solvere legata iis quibus testamento minus solemni, aut ex voluntate eius debentur Molin. Less. contra Bonac. [3] (Secus vero dicendum iuxta contrariam sententiam probabilem mox supra allatam).

928. » 2. Si dubius sit de voluntate testatoris, debet cum illis componere pro ratione dubii: quia, cum nec ipse nec alii coeperint adhuc possidere bona fide, in dubio par est eorum conditio. Vide Bon. [4].

» 3. Si haeres ab intestato retineat haereditatem et legata, possunt illi quibus aliquid per tale testamentum erat relictum, uti occulta compensatione, quia revera res illa erat ipsorum. Vide Bon. [5] (Sed hoc negamus. Vide dicta *l.* 1. *n.* 35. *v. Attamen.* (*in nota*).

» 4. Si haeres ab intestato fateatur mentem testatoris fuisse, ut haereditatem nomine fideicommissi alteri traderet, vel legatum aliquod solveret; aut si, oblato iuramento, iurare noluerit, cogendus est, etiam in foro externo, haereditatem tradere et solvere legatum.

» 5. Ob eamdem causam idem dicendum est, si fateatur voluntatem testatoris fuisse, ut haereditas, non ut fideicommissum, sed immediate perveniret ad alium, quia non est recurrendum ad fidem testium, vel ad iuris subtilitatem, quando is, cuius interest, ipse confitetur testatoris voluntatem. Vide Less. et card. de Lugo [6].»

Ait Lugo [7] quod si testator voce committat haeredi fideicommissum, et haeres tacet, tenetur utique illud implere; secus, si testator committat ei legatum; dicit tamen quod si haeres solverit iam legatum, non potest repetere.

929. « Resp. 5. Etsi probabile sit clericorum et novitiorum testamenta facta ad causas non pias sine solemnitatibus iuris non valere, Molin. et alii 3.; cum tamen contrarium etiam sit probabile, ex Suar. etc. potest haeres ex tali testamento haereditatem adire pro foro conscientiae. Diana [8].

» Resp. 6. Milites huius temporis gaudent iisdem privilegiis testandi, quibus olim, dummodo in castris (vel in propinquo ex causa legitima) versentur. Diana [9] ex aliis 13. contra Bald. etc., atque adeo sufficiunt iis duo testes (licet probabiliter nec hi requirantur) etiam non rogati, Diana [10] et alii 4. contra Molin. Lugo etc. etiam alias inidonei, modo non sint impuberes nec caeci vel servi [11], Lugo Vasq. etc. neque opus est eorum subscriptione, vel signorum appositione, vel ut sint in conspectu testatoris [12]. Imo miles iure militari (quo praesumitur esse testatus in dubio) potest testari solo nutu [13]. Potest etiam plura simul testamenta valida facere, vel pro parte testatus, vel pro parte intestatus decedere [14]. Valetque eius testamentum etiam post missionem honestam, sed non ultra annum. Mol. Lugo etc. [15]. Denique possunt milites supradicto modo testari, tametsi sint surdi et muti (saltem si in castris auditum

(1) Loc. c. (2) Loc. c. (3) Loc. c.
(4) Loc. c. (5) Loc. c. (6) Loc. c.
(7) D. 22. n. 257. et 258. (8) P. 9. t. 9. r. 16.

(9) P. 7. tr. 15. r. 24. et seq.
(10) R. 45. et 46. (11) R. 47. (12) Ibid.
(13) R. 49. (14) R. 53. et 55. (15) R. 61.

et vocem amiserunt). Diana [1] ex aliis. (Testamentum inter liberos valet ut dispositio facta ad causam piam. V. Salmant. [2]. »

930. Hic plura dubia oportet adnotare circa materiam legatorum. Dub. 1. An legatum relictum puellis ut nubant, possit dari eis quae fiunt religiosae. Respondetur. Si legatum sit relictum personae determinatae, certum est posse dari, nisi aliter constet de mente testatoris, ita *ex Auth. de Sanctiss. Episc.* §. *Hoc quoque*. Vide Salm. [3]. Quid, si legatum relictum sit personis indeterminatis?

Prima sententia negat deberi illud puellis religionem ingredientibus; hanc tenent Sanch. [4] Bonac. [5] Mol. [6] Barb. [7] Ronc. [8] Concina [9] et Lugo [10] cum communi, ut asserit. Ratio quia mens testatoris servanda est in specifica forma semper ac servari potest; nec recurrendum ad eius voluntatem praesumptam, quando habetur voluntas contraria expressa; tales enim testatores saepe et pie providere sic intendunt solis puellis nubere volentibus, ne exponantur periculo prostitutionis. Nec obstat lex in Auth. quia ibi sermo fit tantum de legato facto personae determinatae, unde nullum aliis damnum infertur, si ipsi ingredienti religionem tradatur; sed in casu posito praeiudicium irrogatur aliis nubendis a testatore nominatis.

Secunda sententia vero, quam tenent Salm.[11] Diana [12] cum Pontio Natta Boerio et Ochagav. ac adhaeret Less.[13] affirmat deberi legatum; quia in dicta Auth. assignatur ratio, cur legatum relictum certae personae ad nubendum, ei debeatur si fiat religiosa: *Quod vitam profitentur religiosam:* scilicet ne puella relinquat statum religiosum, ut legatum consequatur. Cum autem in legato relicto puellis indeterminatis idem legis motivum urgeat, ideo religiosae non sunt illo privandae. *Ubi enim* (ut dicitur *in l. Illud ff. ad l. Aquil.*) *eadem militat ratio*, *eadem militare debet iuris dispositio*. Neque (ait Lessius) praefata lex Iustiniani innititur praesumptae menti testatoris, sed absolute vult favere pietati, etiam contra expressam testatoris voluntatem; ita ut, si testator expresserit excludendas esse puellas religionem ingredientes, talis dispositio reiicitur tanquam turpis. Hanc sententiam reprobare non audeo, sed prima mihi videtur certe probabilior; quia dispositio Authenticae continet ius novum, quod, cum exorbitet a iure communi, non est extendendum de casu ad casum; maxime quia talis extensio redundaret in praeiudicium aliarum. Probabiliter autem dicit Conc.[14] quod si non extarent puellae quae nubere vellent, tradendum esset legatum religionem ingredientibus; nisi ex mente testatoris expresse oppositum colligeretur. Praeterea addit Barb.[15] cum aliis, quod si testator relinquat alicui puellae mille si nubat, et centum si ingrediatur monasterium, debentur monasterio omnia mille, si hoc sit factum in odium religionis, quia tunc sic decernendum est in poenam testatoris; secus si id factum sit eo quod dotes religiosarum sunt minores nubentium.

Dub. 2. An legatum relictum civibus loci, possit dari extraneis. Negandum, nisi isti animum habeant ibi perpetuo manendi, tunc enim ab initio pro naturalibus habentur; vel nisi sine tali animo ibi per decennium manserint. Ita Salm. [16] cum Lugo Sanchez etc. ac Conc. [17]. Hic addendum id quod tradunt Sanch. Trull. et Barbosa apud p. Ferraris [18] nempe quod legatum relictum puellis originariis non est dandum eis quae casualiter natae fuerint in eo loco.

Dub. 3. An legatum relictum orpha-

(1) R. 48. 49. et 50. (2) Tr. 14. c. 5. punct. 2. §. 4. n. 20. (3) Ibid. punct. 13. §. 2. n. 184. (4) De matr. l. 1. d. 33. n. 32. (5) D. 3. q. ult. punct. ult. n. 19. (6) D. 207. (7) De pot. Ep. alleg. 83. n. 27. (8) De test. c. 7. q. 2. r. 3. (9) T. 7. p. 672. n. 10. (10) Disp. 24. n. 293.

(11) Ibid. n. 185. (12) P. 4. tr. 14. misc. r. 35. (13) L. 2. c. 18. dub. 15. n. 123. (14) T. 7. p. 680. n. 11. (15) Dict. all. 83. n. 28. (16) Tr. 14. c. 5. punct. 13. §. 3. n. 186. (17) T. 7. p. 681. n. 14. ex l. 1. c. de incolis. (18) Bibl. v. Civitas n. 7.

nis possit dari pauperibus habentibus parentes inutiles. Non concurrentibus vere orbatis parentibus, videtur receptum apud omnes quod dari possit. Ratio quia sic etiam impletur voluntas testatoris qui vult opitulari filiis non habentibus a quo alantur, et tales sunt qui habent parentes inutiles, ex celebri illo dicto apud Gloss. [1]: *Si re priveris, nec nomen habere mereris.* Et ex Glossa alibi [2], ubi dicitur, inutilem reputari ut mortuum. Huic adhaeret id quod dicunt Cov. Balb. Pal. Perez etc. apud Sanch. [3] nempe quod pater dicitur orbatus filio, si filius est inutilis, ex Glossa [4]. Et ex eadem Glossa dicitur vidua quae virum inutilem habet. Sic a pari dicendus orphanus qui parentes habet inutiles; ita Roncagl. [5] Conc. [6] Diana [7] Salmant. [8] cum Trull. etc. ac adhaeret Lugo [9]. An autem, concurrentibus vere orbatis parentibus, hi sint praeferendi. Affirmant omnes praefati auctores cum Sanch. [10] qui vocat commune: ratio quia, cum voluntas testatoris possit impleri in sensu proprio, non debet impleri in improprio [11]. Sicut enim proprie vidua non est quae virum habet inutilem, sed quae viro caret, ut dicunt Sylv. Tab. et Ang. apud Sanch.; ita in casu nostro. Attamen videntur non omnino improbabiliter negare Bonac. [12] et Roncag. [13]. Ratio quia id, licet non congruat litteris dispositionis, congruit tamen, imo magis accedit ad finem testatoris, subveniendi paupertati filiorum, qui cum parentes habent inutiles, egentiores sunt vere orphanis, dum non solum debent tunc propriae, sed etiam parentum indigentiae providere.

Dub. 4. An legatum relictum puellis ut nubant possit dari eis quae sine dote iam nupserint. Resp. affirmative, si sit relictum puellis determinatis, quia praesumitur testator voluisse ipsis omnino providere ob peculiarem erga illas affectum, vel ut nubant vel ut nuptae decenter vivant. Secus si indeterminatis, quia tunc censetur potius testator voluisse subvenire nubendis, ut periculum prostitutionis vitarent. Quando vero legatum est relictum pro dotandis puellis pauperibus, bene potest dari nuptis; nam tunc perseverat finis testatoris, nempe sublevandi ipsarum indigentiam. Ita communiter Sanch. [14] Ronc. [15] Salm. [16] cum Trull. et Diana Conc. [17].

Dub. 5. An legatum relictum foeminis in matrimonium collocandis possit tradi viduis iterum nupturis. Resp. affirmative, si non sint aliae foeminae aetate nubiles: secus si adsint, quia nomine mulieris in matrimonium collocandae, proprie intelligitur ea quae nunquam nupsit, vel si nupsit, invalide nupsit, aut matrimonium non consummavit [18]. Ita communiter Sanch. [19] Ronc. [20] Conc. [21] et Salm. [22] cum Bon. Trull. etc. qui tamen recte addunt cum Ronc., quod si legatum sit relictum pro nubendis foeminis pauperibus, viduis etiam dari potest, quia verbi significatio utrisque convenit tam virginibus quam viduis.

Dub. 6. An legatum relictum virginibus nubendis possit dari virgini etiam corruptae. Distinguendum, si publice constet de eius corruptione, non potest tradi: quia non adimpleretur finis testatoris, volentis tantum subvenire iis quae vere virgines sunt. Secus si clam sit corrupta, quia in communi aestimatione haec pro virgine reputatur [23]. Nec censetur testator voluisse quod puella manifestet suam turpitudinem: ita commun. Conc. [24] Ronc. [25] Salm. [26] cum Trull. Dian. Martin. a s. Ios. etc. An autem puella corrupta pos-

(1) In c. Admonere, caus. 33. q. 2. v. Dixi.
(2) V. Inutilem in c. Inter corporalia, de trans. episc.
(3) Loc. c. (4) In l. Plagiarii, c. ad L. Flaviam de plag. (5) De testam. c. 7. q. 5. r. 1.
(6) T. 7. p. 681. n. 15. (7(P. 1. tr. 2. r. 52.
(8) Ibid. n. 187. (9) D. 24. n. 303. (10) Cons. l. 4. c. 2. dub. 13. (11) Ex Clem. Quia contingit de rel. domib. et ex Trident. sess. 25. c. 8. de ref.
(12) D. 3. q. ult. n. 9. (13) L. c. r. 2. (14) L. 7. de matr. d. 91. n. 63. (15) De test. c. 7. q. 3. r. 1.
(16) Tr. 14. c. 5. punct. 13. §. 3. n. 188.
(17) T. 7. p. 680. n. 12. (18) Ex l. Boves, §. Hoc sermone, ff. de verb. signif. (19) L. 7. de matr. d. 93. n. 65. (20) Dict. c. 7. q. 3. r. 4.
(21) T. 7. p. 681. n. 15. (22) Ibid. n. 189.
(23) Ex l. Liber, §. Quod autem, ff. de legat.
(24) T. 7. p. 681. d. 16. (25) De test. d. c. p. 4. r. 1. (26) Ibid. n. 190.

sit tale legatum petere. Affirmant Salmant.[1] quia in favorabilibus verba sunt large interpretanda, ut probant [2]. Sed probabilius negant Conc. [3] et Martin. a s. Ios. apud Salm. [4] tum quia verba testatoris servanda sunt in rigore quantum fieri potest; tum quia talis interpretatio fieret in praeiudicium aliarum. Et idem videtur sentire Ronc. [5] dicens illum cui data est facultas a testatore eligendi virgines pro legato, non posse eligere eam quam certo scit corruptam, si absit scandalum. Conveniunt tamen Concin. et Ronc. ad dicendum, posse illam petere et eligi, si desint aliae vere virgines.

Dub. 7. An legatum relictum puellae ut remaneat virgo, debeatur ei si nubat. Affirma [6]. Quia [7], multum interest reipubl. ut proles augeantur. Secus dicendum, si legatum relinquatur viduae, ad viduitatem servandam [8] quia honestum est a secundis nuptiis abstinere; ita Salm. [9] et Conc. [10].

Dub. 8. An legatum relictum puellae ut nubat, transeat ad eius haeredem si ante nuptias illa moriatur. Recte distinguit Lugo [11] cum Sanch. et Molina. Si legatum relictum sit puellae intuitu subventionis illius personae, ut possit nubere, tunc transit ad eius haeredem, secus, nullo habito respectu ad personam, sed tantum ad operam piam peragendam; quia tunc est convertendum ad dotandam aliam pauperem; vel si legatum sit relictum sub conditione necessaria, ut puella nubat, sine intentione faciendi operam piam, quia tunc legatum erit profanum, et fiet caducum, ac ideo transibit ad haeredem testatoris.

Dub. 9. An legatum relictum pro fabrica ecclesiae possit expendi in ornamenta et alia divino cultui necessaria. Negant Panormitanus et Lopez apud Sanch. [12]. Sed probabiliter affirmant idem Sanch. et Lugo [13] quia nomine fabricae intelliguntur omnia necessaria ad servitium ecclesiae, nisi aliter constet de mente testatoris.

Dub. 10. Quomodo distribuendum legatum relictum pauperibus. Resp. si legati executio relicta sit ad electionem haeredis, potest ipse dare cuicumque vere pauperi. Si vero non est haeredi electio commissa, tunc praeferendi sunt 1. Coniuncti testatoris, ut communiter dd. cum Barbosa [14] et Ronc.[15]. Et inter eos praeferendi sunt proximiores, ut docet d. Thom.[16]. Id enim exposcit ordo caritatis: atque hoc (addit Ronc.) etiamsi adsint alii pauperiores. 2. Pauperes concives testatoris praeferendi sunt caeteris extraneis, ut Glossa [17] et Ronc. [18] cum Men. [17]. 3. Magis indigentes, ut s. Th. [20] Ronc. [21] et etiam nobiles, ut addit Barb. cum Surdo[22]. 4. Pauperes probatioris vitae. s. Th.[23]. Hinc dicunt Laym. [24] Ronc. cum Men. praeferendos esse religiosos, qui ex eleemosynis vivunt; recte vero censet Roncag. contra aliquos, non venire nomine pauperum religiosos qui habent reditus sufficientes unde vivant. 5. In aequali paupertate praeferendae sunt foeminae, quatenus istae maiori periculo peccandi sunt expositae, idem Roncag. Cum autem testator dixerit, legatum inter pauperes distribuendum, non potest uni tradi; ita Ronc. et Barb.[25] cum Men. Bart. etc. communiter. An vero eo casu possit executor etiam sibi aliquid applicare. Affirmant Laym.[26] Sanch. [27] et Barb. [28] cum Palac. Men. Gonzal. et aliis communiter. Excipiunt tamen Laym. et Sanch. si testator noverit eius paupertatem; quia tunc censetur, quod si voluisset illi subvenire aliquid expresse reliquisset. Sed non improbabiliter Roncag. [29] hanc exceptionem non admittit, quia non praesumitur testator eum voluisse inferio-

(1) Ibid. (2) Tr. de legib. c. 4. n. 19. et seq. (3) Loc. c. (4) Cit. n. 190. (5) Loc. c. (6) Ex l. Quoties 22. ff. de condit. et demonstr. (7) L. 2. c. de indict. viduit. (8) Auth. Cui relictum, c. tit. cit. (9) De matr. c. 1. punct. 8. n. 109. et 110. (10) Pag. 688. n. 7. (11) D. 24. n. 209. (12) Cons. l. 4. c. 2. dub. 14. (13) D. 24. n. 304.

(14) De pot. episc. all. 83. n. 17. (15) De test. c. 7. q. 6. r. 2. (16) 2. 2. q. 32. a. 9. (17) In c. Pauperes, de testam. (18) Loc. c. (19) Ex l. Praeses, c. de serv. (20) L. c. a. 3. ad 1. (21) Loc. c. (22) N. 18. (23) Ibid. a. 9. (24) L. 3. tr. 5. c. 11. n. 6. (25) N. 19. (26) L. cit. n. 7. (27) Dec. l. 2. c. 11. n. 54. (28) L. c. n. 22. et 54. (29) Loc. c.

ris conditionis facere, quam alios pauperes; et si aliquid ei non reliquerit, id evenire potius censendum vel ex oblivione vel inadvertentia, vel quod noluisset testator ruborem executori inferre, si inter pauperes eum numerasset.

931. Quaeritur hic 1. An summus pontifex possit sine iusta causa valide commutare ultimas voluntates testatorum. Nulli dubium quod papa potest cum causa ultimas voluntates commutare, ut patet ex iure canon. [1] ubi dicitur: *Ea quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alia (salva sedis apostolicae auctoritate) converti*. Sed dubitatur, an id possit papa sine causa. Tres sunt sententiae apud Sanch. [2].

Prima sententia affirmat, quam tenent Arm. [3] Ang. [4]. Ratio quia omnia legata intelliguntur implicite relicta ad arbitrium papae vel principis.

Secunda sententia quam tenent Angles Rosell. Covarr. etc. apud Sanch. [5] et cui adhaeret Croix [6] id admittit de potestate absoluta, non autem ordinaria.

Tertia sententia verior et communis quam tenent Bus. infra n. 939. Sanch. [7] cum Bart. Socin. Laym. [8] Salm. [9] cum comm. Mol. [10] et Lugo [11] (qui praefatas duas sententias falsas vocat), omnino negat posse pontificem aut principem sine iusta causa commutare testatorum voluntates. Probatur 1. ex Trid. [12] ubi (ut sentit Laym. [13] cum Mol. [14] supponitur tales commutationes non posse fieri a sede apostolica *nonnisi ex iusta et necessaria causa*. Probatur 2. ratione, quia licet dispositiones testatorum censeantur commissae papae (vel principi), non tamen ut domino, sed ut boni communis aut piarum causarum dispensatori committuntur: unde cum pontifex non sit dominus talium bonorum, non potest neque ex potestate ordinaria neque extraordinaria convertere sine causa has dispositiones ad alium usum, quam a testatoribus sunt destinatae. Si igitur legatum est profanum, poterit princeps ob necessitatem publicam vel aliam iustam causam, in aliud legatum profanum vel pium commutare. Si vero legatum est pium, poterit papa tantum, iusta causa interveniente, in aliud pium convertere.

Quaeritur 2. An episcopi cum iusta causa possint commutare pias dispositiones.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Angel. [15] Sylvest. [16] Arm. [17] et Rosell. Tap. apud Sanch. [18] et Beia cum aliis apud Croix [19] qui huic sententiae adhaeret. Ratio 1. quia communis sententia (ut asserit Croix [20]) tenet, apud episcopos esse huiusmodi facultatem ordinariam commutandi; quia talis commutatio est quaedam dispensatio in lege praescribente exactam impletionem ultimarum voluntatum; unde, quando dicitur fieri posse dispensationes, et non exprimitur a quo in Tridentino, satis intelligitur fieri posse ab episcopis; uti cum pluribus docent Suar. [21] et Sanch. [22]. Hinc inferunt idem Sanchez [23] et Lugo [24] quod si testator reliquit alicui ecclesiae legatum pro festo anniversario, potest episcopus illud ad tempus commutare in reparationem ecclesiae quae aliter non posset reparari. Ratio 2. quia, licet episcopus nequiret hoc facere ex potestate ordinaria, potest tamen ut sedis apostolicae delegatus, modo adsit iusta causa iudicio episcopi: idque probant ex Trid. [25] ubi dicitur: *In commutationibus ultimarum voluntatum, quae nonnisi ex iusta et necessaria causa fieri debent, episcopi, tanquam delegati sedis apostolicae, summarie et extraiudicialiter cognoscant, nihil in precibus, tacita veritate, vel suggesta falsitate,*

(1) Ex Clem. Quia contingit, de domib. relig. (2) Consil. l. 4. c. 2. dub. 1. n. 1. (3) V. Legatum, n. 55. (4) Eod. verb. l. c. (5) N. 2. (6) L. 4. n. 842. (7) N. 4. (8) L. 3. tr. 5. c. 11. n. 11. (9) Tr. 14. c. 5. punct. 13. §. 3. n. 194. (10) L. 4. de primog. c. 5. n. 10. (11) D. 24. n. 312. (12) Sess. 22. c. 6. de reform. (13) Loc. c. (14) D. 249. (15) V. Legatum 2. n. 12. et 14. (16) Eod. v. q. 12. (17) N. 55. cas. 56. (18) Cons. l. 4. c. 2. d. 2. n. 3 (19) L. 4. n. 849. (20) Ibid. (21) De leg. l. 6 c. 14. n. 8. (22) De matr. l. 8. d. 5. (23) L. c. d. 7 (24) D. 24. n. 310. (25) Loc. c.

fuisse narratum, priusquam commutationes praedictae executioni demandentur. Ita Barbosa [1] cum Sylv. Menc. Beia Graff. Mendosa, citatque etiam rotam rom. dec. 1122. Et ita etiam Salm. [2].

Secunda sententia vero probabilior, quam tenent Mol. [3] Laym. [4] et Sanch. [5] cum aliis negat posse episcopos, etiam cum iusta causa, commutare ultimas voluntates. Ratio, quia ex iure can. [6] et ex Trident. [7] imponitur episcopis exequi exacte ultimas voluntates; et hoc, etiamsi commutatio fieret in melius, ut dicunt Barb. [8] cum Imola et Bonif. Laym. [9] ac adhaeret Lugo [10] contra Dian. [11] ac Sylv. Beia Graff. Comit. Vasq. etc. apud Croix [12] qui admittunt commutationem in melius. Nec probari dicunt primam sententiam a Trid. *c*. 6. Nam ibi tantum committitur episcopis, ut quando commutationes ultimae voluntatis a sede apostolica eis committuntur, ipsi, antequam illae executioni demandentur, examinent, an sint verae causae. Concilium enim in *cap*. 5. immediate praecedenti locutum erat de executionibus dispensationum a sola sede apostolica obtentarum. Et hoc aiunt esse conforme Clementinae, *Quia contingit*. Valde tamen probabiliter censet Layman [13] et consentiunt Salmanticenses [14] cum Bonacina et Trullench. quod si aliqua causa superveniat, vel si fuerit testatori ignota, quam si ille cognovisset aliter disposuisset, tunc episcopus cum haerede potest ex epikeia interpretari voluntatem testatoris, et legatum in alium usum convertere, puta si legatum sit relictum pro vasis sacris conficiendis, quibus ecclesia non egeat, sed potius casulis. Quando autem legata pia nullo modo possunt applicari ad usum a testatore intentum, illa non sunt caduca, sed applicanda sunt in alium pium usum, arbitrio episcopi et executoris, ut docent idem Laym. [15] cum Abb. et Lugo [16].

Sed dubitatur 1. An in commutationibus ab episcopis faciendis requiratur etiam consensus haeredis et legatarii. Abbas et Petr. de Ubaldis ap. Barbos. [17] dicunt requiri consensum haeredis [18]. Sed si haeres nollet consentire, episcopus solus potest commutationem exequi, ut ait Roch. cum Felin. apud Barbos. [19]. Dicit autem praedictus Petr. de Ubald. [20] ex Barth. quod insuper requiritur consensus ecclesiae, cui factum est legatum; sed si neque ecclesia vellet consentire episcopus solus commutare potest.

Dubitatur 2. Quae sint causae ob quas episcopus ultimas voluntates commutare valeat. Causa 1. est, quando pecunia legata ad aliquem usum non sufficit. Barb. [21]. 2. Quando usus legati non potest adimpleri, idem Barb. [22] cum Riccio; vel si res legata nequeat deservire pro usu destinato, ob impedimentum facti vel iuris. Ita Barb. [23] cum Imola Bonif. Abb. Innoc. Ubald. Socin. etc. Hinc si non potest monasterium monialium construi, ubi voluit testator, puta in loco campestri, contra praescriptum a conc. trident. [24] potest episcopus alium locum destinare, ut Farin. Alexandr. Riccius cum eod. Barb. [25]. Qui tamen notat cum Ubald. et Genuens. quod si impedimentum est facti, et non est perpetuum, debet expectari tempus opportunum [26]. Si vero impedimentum est iuris, distinguit idem Petrus de Ubald. quod si legatum est ad usus pios, tunc fit commutatio; secus, si ad usus inhonestos, puta, ut in ecclesia fiant ludi theatrales, qui prohibentur in *c. cum decorem, de vita et hon. cler.* tunc legatum est nullum, tanquam inutile; et fit caducum. 3. Causa est, si legatum est factum ad usum non ita necessarium; tunc enim poterit episcopus commutare in alium pium usum magis eidem

(1) De pot. episc. alleg. 83. n. 5. (2) De contr. c. 5. p. 13. §. 3. n. 193. (3) De iust. d. 249. (4) L. 3. tr. 5. c. 11. n. 10. (5) L. c. d. 2. (6) C. Tua de test. (7) Sess. 22. c. 8. (8) L. c. n. 3. (9) Ibid. (10) D. 24. n. 307. ex c. Conquestus de foro comp. et c. Quia nos de test. (11) P. 2. r. 26.

(12) L. 4. n. 847. (13) Cit. n. 11. (14) L. c. n. 194. (15) Ibid. (16) D. 24. n. 305. ex c. Nos quidem, de testam. (17) De pot. episc. all. 83. n. 6. (18) Ex c. Nos quidem, de testam. (19) Loc. c. (20) Ib. (21) De pot. ep. all. 83. n. 7. (22) N. 8. (23) N. 9. (24) Sess. 25. c. 5. de ref. (25) N. 10. (26) Ex c. Non est, et c. Quod super his de voto

ecclesiae necessarium; ita Barb.[1] cum Riccio et Genuen. *Vide mox dicta in Qu.* 2. Imo etiam ad alium usum fructuosum, si causa sit gravissima, et ita praesumatur mens testatoris, ut addit[2] Genuensis apud Barb.[3]. Sic pariter dicit idem Barb.[4] cum Riccio, quod reditus alicuius capellae deputati pro missis, episcopus potest commutare in paramentorum emptione pro una vice tantum.

DUBIUM III. De renuntiatione haereditatum.

932. *Quando valeat renunciatio haereditatis.*
933. *An haec stricte interpretanda. Vide ibi resolutiones.*
934. *An sint irrita pacta de haereditate viventium. Vide exceptiones.*
935. *De constitutione Tridentini irritante renunciationes ingredientium religionem.*

932. « Resp. 1. Renuntiatio futurae haereditatis, nisi iuramento firmetur, nullius roboris est. Ratio est quia ita iure cautum est propter bonum publicum. Excipe 1. Nisi quis in ipso testandi actu renuntiet iuri successionis, vel post testamentum conditum, in quo praeteritus est, praeteritionem sui approbet. 2. Nisi haeres necessarius, post debitam sibi portionem integram a patre acceptam, reliquae haereditati renuntiet; qui tamen, si bona patris postea augeantur, legitimam eorum portionem poterit exigere.

933. » Resp. 2. Renuntiatio haereditatis, cum odiosa sit, et contra ius commune, strictae interpretationis esse debet.

Unde resolvuntur casus sequentes:

» 1. Non obstat renuntiatio haereditatis, etiam iurata a filio facta, quominus ab eodem patre, mutata iterum voluntate, possit institui haeres. Molin. Sanch.[5].

» 2. Si filius renuntiavit in favorem fratris, eo mortuo ante patrem, is qui renuntiavit in prima haereditate, succedere potest; imo etiam institui debet, quia causa renuntiationis cessavit. Mol.[6].

» 3. Filius post iuratam renuntiationem nihilominus succedere potest in iis bonis quae pater ad secundas nuptias transiens, liberis ex priore matrimonio susceptis relinquere cogitur. Ratio est quia in his filius non succedit iure sanguinis, cui renuntiavit; sed propter civiles constitutiones et favores. Mol.[7].

» 4. Etsi filia accipiens dotem a patre dicat se ea contentam, et renuntiare paternae haereditati; pactum tamen illud est invalidum, eoque non obstante, potest postea petere complementum legitimae portionis suae[8]. Mol. Sanch.[9] Lugo[10].

» 5. Si parentes dent filiae dotem infra portionem legitimae debitae, inducantque eam coactione vel fraude seu dolo ad renuntiandum legitimae, non sunt in conscientia tuti, sed tenentur illi restituere libertatem. Sanch.[11] Lugo[12]. Ac licet filia, si renuntiationem iuramento firmaverit, eam servare teneatur; si tamen dolus vel metus intervenerit, licebit relaxationem iuramenti iniuste extorti petere: eaque obtenta, non tenebitur pacto quod ex iniusta coactione processit. Vide Sanchez[13] Lugo[14].

934. » Resp. 3. omne pactum vel donatio de alterius viventis haereditate ipso iure irrita est, v. gr. irritum est pactum quo Titius haereditatem quam sperat a Sempronio, promittit aut obligat Caio. Ratio est quia tales pactiones odiosae sunt et plenae periculis, ob insidias quae parantur eius vitae, super cuius bonis fit pactio. Layman[15].

» Excipe 1. Nisi consentiat is de cuius haereditate agitur, et in eo consensu usque ad mortem perseveret. 2. Nisi renuntiatio fiat in favorem communitatis seu collegii; hic enim cessat praesumptio vel periculum insidiarum. 3. Nisi quis ob constitutiones ordinis, de omnibus bonis et iuribus acquisitis et acquirendis disponere debeat, idque in favorem communitatis piae, vel etiam certae personae pauperis.

(1) N. 12. (2) Ibid. (3) N. 13. (4) N. 14. (5) L. 7. c. 7. (6) D. 579. n. 19. (7) N. 21. (8) Ex l. Pactum dotale, c. de Collat. l. Si quando, c. de pact. et c. Quamvis pactum, de pact. in 6. (9) L. 4. cons. c. 1. d. 54. (10) Resp. mor. l. 6. dub. 24. (11) L. 4. de matr. d. 9. (12) Loc. c. (13) L. 3. dec. c. 12. (14) T. 2. de iust. d. 22 sect. 8. et resp. mor. l. 6. d. 24. (15) C. 7. n. 3.

Sanch.[1] Laym.[2]. 4. Nisi fiat pactum circa haereditatem personae incertae, v. gr. si quae mihi haereditas obvenerit dum vixero, tua esto: cessat enim periculum. Mol. Sanch. [3].

935. » Quaeres, quousque se extendat constitutio Trident.[4] irritans donationes et renuntiationes etiam iuratas, quae fiunt ab ingredientibus religionem, nisi fiant cum licentia episcopi sive vicarii, intra duos menses proximos ante professionem, et professio postea subsequatur.

» Resp. 1. Hanc constitutionem non habere locum in codicillis, testamentis, aut donationibus mortis causa: quia huius constitutionis ratio est ne per renuntiationem haereditatis novitiis imponatur necessitas profitendi; haec enim ratio cessat in his ultimis voluntatibus, quippe quae usque ad professionem revocabiles sunt. Quare valet adhuc hodie testamentum a novitio conditum, neque rumpitur, secuta professione, etsi monasterium in eo praeteritum fuerit. Sanch. [5]. Qui autem licite a religione recedit recuperat omnia bona cuicumque ante donata intuitu ingressus in religionem.

» Resp. 2. Ea constitutione non prohiberi donationem modicam, quia cessat ratio. Sanch. [6].

» Resp. 3. Ea comprehendi renuntiationem beneficii ecclesiastici. Ratio est quia haec est amissio magni iuris ob quam libertas egrediendi a religione impeditur. Sanch. [7].

» Resp. 4. Per eamdem etiam irritantur renuntiationes quae fiunt ante ingressum religionis, intuitu vel causa impulsiva ingrediendi; qualis intentio in dubio praesumitur, si non multo ante ingressum factae sint. Ratio est, tum quia concilium absolute loquitur; tum quia alias non sufficienter consuluisset libertati novitiorum. Nav. Les. [8] contra Sanchez cuius tamen sententia est probabilis. Unde sic donatum tuto retineri potest; donec per sententiam iudicis rescindatur.

(1) L. 7. c. 2. n. 54. (2) L. c. n. 3. (3) L. 7. c. 2. (4) Sess. 25. c. 16. de reg (5) L. 7. c. 5.

» Resp. 5. Irritam etiam esse donationem seu renuntiationem bonorum, sub conditione professionis edendae factam, ita ut, ea non secuta, corruat. Nav. Sanch. [9] Mol. etc. Ratio est quia donantes seu renuntiantes aegre contristant donatarios, ut eos de possessione semel capta deiiciant: et monasteria quae tales donationes acceperunt, omnes modos adhibent ut tales ad professionem inducantur. Laym. [10].

» Resp. 6. Non obstante hac constitutione, validas esse renuntiationes aut donationes ante vel post ingressum soc. Iesu factas, iuxta eius constitutiones. Ratio est quia Tridentinum societatem diserte excipit. Dixi (iuxta constitutiones) quia in iis donationibus, quae contra constitutiones fiunt non videtur habere locum, quia Tridentinum id voluit in favorem societatis. Quod autem ob gratiam alterius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum. Mol. Sanch. Laym. [11].»

Dubium IV. Qui possint et debeant esse executores testamenti.

936. « Resp. 1. Illi a testatore nominari possunt, unus, vel plures ex haeredibus vel non haeredibus; nec tantum masculus, sed etiam foemina. Sanchez Wad. Diana [12] non tantum laicus, sed etiam clericus et religiosus. Hic tamen non sine sui praelati licentia; et quidem generalis, si sit societatis Iesu; fratres de observantia nullo modo. Quod si tamen religiosus, contra canonum decreta, executor testamenti sit, acta eius valent. Ita Laym. [13]. Et ratio est quia, spectato iure naturali, sufficit voluntas testatoris executoris; nec canones executionem religiosi infirmant, sed prohibent tantum. V. Bo-

(6) N. 25. (7) N. 37. (8) L. 2. c. 41. n. 40. (9) N. 17. (10) C. 7. n. 8. (11) Loc. c. (12) P. 8. t. 5. r. 4. (13) C. 11.

nac. [1] Diana [2]. Et licet impubes executor esse non possit, potest tamen minor, si explevit annum 17. Sanch. Lugo Wading. Diana [3]. Nullus autem cogi potest, ut sit executor. Diana [4]. Detrectans tamen hoc ipso perdit legatum (saltem quod in praemium muneris ei relictum fuit), ceditque hoc aliis executoribus. Molina Lugo Diana [5] contra Wading.

» Resp. 2. Si nullus a testatore nominatus est executor, executio pertinet ad haeredem, etiam quoad legata pia: quo tamen casu episcopus iure communi ad se pertrahere potest. Layman [6].

» Resp. 3. Executor non potest officio fungi per alium, nisi testator id ei permiserit, aut nisi committatur executio nudi facti iam declarati. Sanch. c. de Lugo Diana [7].

937. » Quaeres 1. An religiosus executor legatum in pias causas monasterio suo applicare possit.

» Resp. posse. Ratio est quia, si quid obstaret, esset ex eo quod executor etiam indigens eleemosynam sibi ex testamento applicare nequeat, nisi testator indigentiam eius ignoraverit, aut ea postmodum supervenerit, cum, si eam cognovisset, certum quid ei legaturus fuisse videatur. Sed haec ratio non ligat, quia causa monasterii distincta est a causa seu persona professi, sicut causa ecclesiae a causa beneficiati. Unde etiam quivis iussus aliquid dare pauperibus, potest id tribuere cognatis vel filiis suis, quia evidens est distinctio inter donantem et accipientem. Sylv. Sanchez [8]. Vide Diana [9]. Porro ad pias causas legata dicuntur, quae intuitu pietatis relicta sunt, nimirum 1. Loco vel personae sacrae. 2. Hospitali. 3. Confraternitatibus. 4. Pupillis et orphanis. 5. Quod causa alimentorum iis qui indigent. 6. Quod causa studii, saltem theologici. 7. Ad constructionem monumenti. 8. Ad utilitatem publicam, v. gr. pro munienda urbe in necessitate, vel viis reficiendis. Diana [10] ex Bald. et ceteris multis.

938. » Quaeres 2. Quomodo relicta incerta executioni sint mandanda.

» Resp. 1. Si incertitudo sit ex parte legatarii iure civili corruit legatum: v. gr. quia sunt duo eiusdem nominis et amicitiae erga testatorem, iure civili corruit legatum: in foro conscientiae tamen tenetur executor inter eos dividere aequaliter, si in id consentiant. Mol. Diana [11] Trull. [12]. 2. Legata ad causas pias ob incertitudinem loci vel ecclesiae, non fiunt caduca, sed plerumque pauperiori ecclesiae vel xenodochio danda erunt. 3. Si incertitudo sit ex parte rei legatae, videndum an terminos a natura habeat, ut v. gr. bos et equus; vel ab arte et industria, ut domus, vestis etc. Si a natura habeat, danda est una ex mediocribus; si ab arte, electio ad haeredem pertinet, qui rem in eo genere minimam dando satisfacit. Idemque dicendum est de legatis, in numero, pondere et mensura consistentibus. V. Laym. [13].

» Resp. 2. Si acceperint summam pecuniae distribuendam pauperibus, non tenentur dare pauperioribus; possuntque etiam dare hospitalibus, ecclesiis (quae ornamentis vel fabrica indigent), monasteriis, vel iis qui secundum suum statum non possunt vivere, sive ii sint opifices sive altioris conditionis, etiam nobiles. Vasq. Mol. et alii 8.; dummodo tamen non constet vel ex signis colligatur aliam fuisse intentionem testatoris, quae semper attendenda est. Diana [14]. Si vero designaverint semel certos pauperes, non posse eos variare, docet Wad., sed affirmat Lugo. V. Diana [15]. Possunt etiam sibi ipsis vel suis cognatis, si vere pauperes sint et praesertim si testator id ignoraverit, eam applicare. Wading. Dicast. Diana [16].

939. » Quaeres 3. An legata ad certas pias causas possint ab executore vel episcopo commutari in alium pium usum.

(1) De contr. d. 3. q. 18. (2) P. 8. t. 5. r. 9. 10. (3) P. 8. t. 5. r. 6. (4) L. c. r. 27. (5) P. 8. t. 5. r. 27. (6) Loc. c. (7) P. 8. t. 5. r. 26. (8) L. 6. c. 11. n. 36. (9) P. 8. t. 5. r. 46

(10) P. 7. t. 6. r. 29. et 30. (11) P. 3. t. 5. r. 58. (12) D. 12. (13) L. c. n. 7. 8. et 9. (14) P. 2. tit. 15. r. 8. (15) P. 8. t. 5. r. 50. et p. 2. t. 16. r. 19 (16) P. 8. tr. 5. r. 46. et 47.

» Resp. 1. Si voluntas testatoris impleri potest iuste et honeste. non licet eam commutare in opus quantocumque melius, nisi ex dispensatione pontificis, et iusta de causa. Mol. Wading. Diana [1] etc. communiter contra Vasq. et aliquos qui docent, episcopum posse commutare in aequale vel melius. Interdum tamen ad episcopum, haeredes et executores pertinet secundum epikeiam interpretari, non alienum esse a defuncti voluntate, si mutatio fiat; v. gr. si testator pecuniam ecclesiae leget ad calices comparandos, et ecclesia non egeat calicibus, sed casulis. Molina. Laym. [2]. Vide Vasq. [3] Trull. [4] Barb. [5] (*V. dicta n.* 931. *vers. Quaer.* 2.).

» Resp. 2. Si ad usum a testatore destinatum applicari nequeunt, non ideo fiunt caduca, sed arbitrio episcopi et executoris ad aliam piam causam applicanda sunt: ita tamen ut, quoad fieri potest, defuncti voluntas impleatur. Ratio est quia is principaliter intendit ea in salutem animae suae ad Dei honorem relinquere. Mol. [6] Bon. [7] Barb. [8] (Ex Trid. [9]. Vide Salm. [10] et vide dicta *n.* 931. *vers. Quaer.* 2.).

Ex dictis resolves sequentes casus:

940. » 1. Si testator pauperi determinato aliquid legarit, hic autem ante solutionem moriatur, haeres illud tenetur alteri pauperi dare, quia praesumitur legatum pium factum in beneficium animae testatoris, adeoque designatio pauperis demonstrative, non taxative facta fuisse: nisi tamen aliud constet, vel ex circumstantiis colligatur de testatoris intentione, de qua si maneat dubium, manet data resolutio. Mol. Sanch. Bard. [11].

» 2. Si legata pia inveniantur inducta, et non constet de testatoris intentione, tenetur haeres ea solvere; quia praesumitur id fortuito ac casualiter, et non ex testatoris voluntate accidisse. Bard. [12].

» 3. Si testator legaverit summam pecuniae pro certo numero sacrorum; haeres autem eam summam sacerdoti cuipiam bono tradiderit, ac postea ob mortem dicti sacerdotis, aliamve ob causam dubitet prudenter an sacrificia illa sint peracta, non tenetur curare ea iterum celebranda: quia satisfecit testatoris voluntati. Bard. [13].

941. » Quaeres 4. Intra quod tempus, quo ordine et modo haeredes et executores defuncti voluntatem exequi debeant et quis cogere possit.

» Resp. 1. Teneri statim post aditam haereditatem confectumque inventarium, etiam intra annum, nisi iusto impedimento excusentur. Imo in legatis piis intra sex menses. Molin. Vasq. Diana [14] idque, etiamsi haereditas non sit adita, eo quod haeres vel ante fuerit mortuus vel eam repudiarit. Cov. et alii tres, Diana [15]. Unde si differant notabiliter (praesertim solutionem piorum legatorum), aut negligant exequi, graviter peccant, teneanturque damnum quod alii ipsorum culpa acceperunt, compensare. Bon. [16] Nav. [17] Lugo Diana [18] (In foro igitur conscientiae haeredes et executores tenentur sub gravi statim implere legata, maxime pia, cum possunt. Ita communiter Salm. [19] cum Lugo Diana s. Anton. Trull. etc.).

» Resp. 2. Ab utroque iudice, ecclesiastico et saeculari compelli possunt, (si tamen laici sunt). Quod si post annum a monitione iudicis vel episcopi exequi negligant, omni commodo (excepta tota legitima, si haeredes necessarii sunt) ex testamento ipsis proveniente privantur. Vide Laym. [20] de Lugo [21] Diana [22] Valer. Trull. [23] imo, si intra annum negligant exequi, ius executionis devolvitur ad episcopum; Molin. et alii 8. Diana [24]. Nec admittitur purgatio morae. Sanch. Dian. [25]. Sed tenetur episcopus exequi, removendo illos

(1) P. 1. t. 17. r. 28. et p. 8. t. 5. r. 63.
(2) L. c. n. 10. (3) Op. de test. c. 8. §. 5. d. 3. n. 104.
(4) C. 18. d. 12. (5) De off. et pot. episc.
(6) Disp. 294. (7) Disp. 3. de cont. q. ult. p. ult.
(8) De offic. episc. (9) Sess. 25. c. 8. de ref.
(10) Tract. 14. c. 5 punct. 13 §. 3. n 193.

(11) D. 6. c. 10. §. 7. (12) D. 6. c. 10. §. 17.
(13) D. 6. c. 10. §. 22. (14) P. 8. t. 5. r. 53.
(15) P. 7. t. 6. r. 25. (16) D. 3. q. 13. p. 5.
(17) C. 25. (18) P. 8. tr. 5. r. 52. (19) Tr. 14. c. 5. punct. 11. n. 155. (20) L. c. tr. 5. c. 11.
(21) D. 26. de iust. (22) P. 3. t. 3. r. 59. (23) D. 11.
(24) P. 8. t. 5. r 40. (25) L. c. r. 53. et 54.

ab executione et emolumentis spoliando; atque in defectu episcopi idem potest metropolitanus. Mol. Merol. Diana [1].

» Resp. 3. Executor tenetur omnia exequi secundum mentem testatoris; ad hoc tamen executor particularis non potest vendere bona defuncti, nisi hic ita statuerit: universalis autem potest. Lugo [2] Diana [3] neque potest unquam, invito haerede, rem legatam dare legatario: quia non potest nisi per iudicem, spoliare haeredem sua possessione, licet teneatur monere episcopum, ut haeredem cogat. Sanch. Lugo Diana [4]: quod si bona non sufficiant ad legata omnia solvenda, distribuenda sunt omnibus aequaliter pro rata (etiamsi sint pia; et licet uni res certa, et in individuo sit legata) nec licet uni prae aliis gratificari: quia par omnium est ratio et ius. Sylv. Sanc. Bon. Diana Trull. [5].

» Resp. 4. Tenentur executores reddere rationem executionis (idque probabiliter, etiamsi testator eos hoc onere liberasset) exceptis iis quae testator iussit erogari secreto. Diana [6] et alii 35. Possuntque ad hoc cogi ab episcopo vel capitulo, sede vacante [7], nisi sint regulares plene exempti, quos cogi posse alii negant, affirmant alii [8]. Denique non debetur iis salarium, cum sit officium voluntarium amicitiae: si tamen damnum ex eo patiantur, vel sint etiam administratores bonorum debet assignari a iudice. Lugo [9]. Vide Diana [10]. Plura de executione piarum et ultimarum voluntatum, vide apud Trull. et Diana [11] et Barb. [12] (Nemo tenetur munus executoris exercere; nisi iam acceptavit aut legatum accepit, alias legatum amittit. Salm. [13] cum Dic. etc.).»

Dubium V. De iis qui testari et haeredes institui possunt.

942. *Qui testari possint.*
943. *Qui possint haeredes institui.*
944. *Vide resolutiones.*
945. *Quae sit divisio haeredum.*
946. *An sit obligatio gravis relinquendi bona fratribus, et aliis propinquis indigentibus.*
947. *Quantum debeatur haeredibus necessariis.*
948. *Quae sint causae iustae exhaeredandi filios.*
949. *An ob nuptias cum indignis. Et vide dubia super hoc puncto, v. Sed dubitatur.*
950. *Vide alios casus, quando testamenta infirmentur.*
951. *Quid possint petere spurii a matre et patre.*
952. *Quid, si pater relinquat bona alteri, ut reddat filio spurio.*
953. *Qui haeredes succedant ab intestato.*
954. *Quomodo facienda sit collatio inter fratres.*
955. *An debeant conferri sumptus pro studio, doctoratu, etc.*
956. *An patrimonium datum ad suscipiendos ordines.*
957. *An bona paterna, quae filius expendit in ludis, etc.*
958. *An expensae factae in nuptiis.*
959. *An vestes, et similia data parentibus.*
960. *Quid si coniuges transeant ad secundas nuptias.*
961. *De falcidia et trebellianica debita haeredibus.*

942. « Resp. 1. Omnes homines liberam de suis bonis testandi facultatem habent, nisi naturali aut positivo iure prohibeantur. Naturali autem iure testari vetantur infantes, furiosi, amentes, nisi tamen lucida intervalla habeant, vel in una tantum materia delirent et in aliis non, ut Nav. Sanch. [14]. Quid autem sentiendum de eo qui ex morbo aliquandiu delirat. Vide card. Lugo [15]. Positivo autem, surdus simul et mutus a natura, prodigus, servus, usurarius publicus, filiusfam. de bonis adventitiis (Etiam de consensu patris, nisi ad causas pias [16]), (si quidem ante clericatum advenerint, ut vide c. Lugo [17],) impubes, captivus apud hostem, damnatus ad mortem, si bona eius confiscantur. Card. Lugo [18] professus religionem.

» Dico, *professus*, quia novitius, cum adhuc sui iuris sit, absque superioris licentia valide testari potest, etiam non servata iuris solemnitate, ut habet Trull. [19] ex Sa et Bonac. et si quidem intestatus decedat, proximi consanguinei in bonis succedunt. Similiter religiosus societatis Iesu post emissa vota simplicia, etsi non licite, valide tamen potest testari; quia dominium bonorum suorum retinet impeditum quasi voto paupertatis, quaod dispositionem

(1) R. 57. (2) D. 24. sect. 16. (3) P. 8. t. 5. r. 32. (4) P. 8. t. 5. r. 39. (5) L. 7. c. 18. d. 12. (6) P. 8. t. 5. r. 44. (7) R. 36. et 37. et 62. (8) V. l. c. (9) D. 24. sect. 16. n. 335. (10) R. 39. (11) Locc. cc. (12) L. 3. de iure univ. c. 27.

(13) Loc. c. n. 164. (14) L. 1. de matr. dub. 8. (15) D. 14. sect. 4. (16) Ex l. Qui in potestate 6. ff. Qui testamenta, etc. et c. Licet de sepult. in 6. (17) De iust. d. 24. n. 67. (18) Loc. c. n. 72. (19) C. 18. d. 5.

sine licentia superioris, non tamen ulla constitutione canonica dispositio irritatur. Ita Mol. Sanch. Laym. qui addit, potestatem testandi, seu iure seu consuetudine, etiam religiosis ordinum militarium concessam, frequenterque a pontifice concedi iis solere, qui extra claustrum beneficium vel episcopatum habent.

943. » Resp. 2. Omnes homines, etiam amentes, surdi, muti, servi, imo et communitas, haeredes institui possunt, nisi specialiter prohibeatur. Ita Bon. [1] quia ad hoc tantum requiritur plena potestas in disponente et capacitas in haerede. Incapaces autem secundum iura sunt 1. Apostatae et haeretici, eorumque receptores, defensores, fautores: licet probabile sit eos ante sententiam iudicis ad restitutionem non teneri; eo quod hoc ius in eo rigore non sit receptum. Less. [2] Sanchez [3]. 2. Civitas hostium et communitas iudaeorum. 3. Damnatus ad metalla; persecutores et percussores cardinalium, et qui ob crimen active intestabiles sunt. Less. [4]. Adde casus in quibus aliqui excluduntur a bonis defuncti; ut 1. haeres (uti et legatarius) qui testatorem occidit [5]. 2. Idem si testatori prohibuit testari aut testamentum revocare, aut si ad uxorem testatoris accedat. 3. Si dum testator mente captus fuit, haeres illius curam non habuit, aut si captivum redimere neglexit. Vide Mol. [6] card. de Lugo [7].

Unde resolves:

944.» 1. Haeredes institui possunt professi ordinum, quibus permissum est bona immobilia in communi possidere, eorumque nomine monasterium succedit. Tales autem sunt omnes fere religiones, excepto ordine minorum de observantia et cappucinorum. Ratio est, quia illi sunt incapaces, secundum Tridentinum [8], uti et professi societatis Iesu. Vide Sanchez [9] Bonacina [10] Layman [11], licet contrarium probabilius esse putet Wading. [12]. Vide Diana [13].

» Collegia societatis Iesu, et domus etiam professae haereditates accipere possunt, modo bona immobilia, quae communi usui non deserviunt, vendantur, et non deferantur intuitu professi, aut vota formata habentis.

» Dixi *haereditates*, quia sicut minores et cappucini legata et alia donata admittere possunt; ita etiam societas Iesu, etsi intuitu alicuius professi tantum ea relinquantur. Laym. [14].

» 2. Testator potest quemvis extraneum instituere haeredem nulla facta mentione consanguineorum collateralium, etiam fratris pauperis, dummodo absit scandalum, et gravis necessitas illorum: quia nullo iure prohibetur, et bona sunt ipsius, de quibus disponit libere. Bon. et alii 5. Diana [15].

945. » Quaeres 1. Quae sit divisio haeredum.

» Respondetur: Haeres alius est ex testamento, alius ab intestato. Haeres ex testamento, vel est universalis, sive ex asse; vel partialis, seu ex parte tantum, v. gr. ex triente vel dodrante vel quadrante. Uterque horum vel est haeres necessarius qui necessario institui debet, ut sunt omnes in recta linea descendentes, et post hos ascendentes, nisi sit causa iusta exhaeredandi, vel non necessarius, quem testator potest instituere, et non tamen cogitur. Layman [16].»

946. An testator teneatur sub gravi obligatione relinquere bona cognatis, qui non sunt haeredes necessarii, si ipsi graviter indigeant. Loquendo de fratribus aut sororibus, negant Salm. [17] et dicunt esse obligationem tantum sub levi, nisi illi sint in extrema paupertate, et citant Lugo [18] et Diana [19]. Sed ipsorum pace nec Lugo nec Diana hoc dicunt, sed isti cum Sylvest. Sa Bon. et Beia asserunt absolute esse obligationem relinquendi bona fratribus graviter egentibus, saltem quantum suffi-

(1) De cont. d. 4. q. ult. (2) L. 2. c. 19. dub. 5. (3) L. 2. c. 14. n. 31. (4) Loc. c. (5) L. ult. §. ult. ff. de bonis damnatorum. (6) D. 168. et 202. (7) D. 24. n. 75. (8) Sess. 25. c. 3. de reg. et mon. (9) L. 6. c. 18. (10) L. c. (11) L. 3 t. 5 c. 15.

(12) Tr. de cont. l. 4. d. 1. §. 5. (13) P. 9. t. 9. r. 16. (14) L. c. (15) P. 1. t. 8. r. 83. et 85. item p. 5. t. 3. r. 114. (16) C. 5. n. 9. (17) Tr. 14. c. 5. punct. 6. §. 1. n. 87. (18) De iust. d. 24. n. 175. (19) P. 1. tr. 8. r. 83. et 85.

erat ad sublevandam ipsorum indigentiam, iuxta praeceptum caritatis; et cum haec sit materia gravis, non videmus qua ratione possit negari quod caritas ad hoc graviter obliget. Confirmatur ex eo quod communiter docent Laym.[1] cum Ang. Abb. Sylv. Sa etc. et iidem Salm.[2] cum communi, scilicet quod unusquisque tenetur fratribus alimenta praestare; adeo ut clerici beneficiati teneantur ex fructibus beneficii praeferre fratres graviter indigentes aliis pauperibus, prout dicunt Salm.[3] cum Azor. Sylv. Fag. Ang. etc. Eadem igitur obligatio. quae urget in vita, urget etiam in morte. Et hoc non tantum ex generali praecepto caritatis, sed ex obligatione speciali pietatis quam habemus erga fratres, et propter quam certum est laesionem in fratres habere specialem malitiam, in confessione explicandam, ut communiter dicunt dd. cum Lugo[4] et Salm.[5]. Hinc censemus omnino dicendum cum Spor.[6] et Roncaglia[7] (qui citat etiam Lugo[8]), quod idem vinculum pietatis, graviter obligans ad fratres non laedendos, obligat etiam sub gravi ad subveniendum eis in gravi necessitate prae omnibus aliis pauperibus sive operibus piis. Addit Ronc.[9] quod si fratres sint pauperes, etiamsi gravem indigentiam non habeant adhuc est saltem veniale eos praeterire.

Erga vero alios consanguineos remotiores, putat Spor.[10] adesse eamdem obligationem gravem eis succurrendi, si gravi vel adhuc ordinaria paupertate laborent; quia censet offensam adversus eos diversam etiam speciem afferre. Attamen cum haec opinio sit singularis huius auctoris, et communis sit sententia opposita, nempe quod peccata contra ipsos speciem non mutent, ut docent Lugo[11] Bon.[12] Salm.[13] Croix[14] cum Dic. etc., hinc non videtur adesse gravem obligationem ipsos praeferendi aliis pauperibus. E converso, quia (ut dicunt Lugo et Salm.[15] cum Tamb.[16]) offensa cognatorum, extra fratres, saltem aggravat culpam, esto speciem non mutet, ideo puto non excusari a veniali praeteritionem ipsorum, si graviter indigeant, cum erga ipsos etiam adsit aliqua, licet non ita stricta, obligatio pietatis.

947. « Quaeres 2. Quantum haeredibus necessariis debeatur.

» Resp. Iure novo legitimam portionem descendentium esse trientem haereditatis, si non sint plures quam quatuor liberi; si plures, semissem. Similiter ascendentium portio, etsi unus tantum sit, est triens haereditatis (Sive tertia pars ex communi dd. ut Salm.[17]), idque absque ullo gravamine, modo et conditione; alioqui pro non appositis habentur. Quod si autem alicui ascendentium vel descendentium portio legitima non relinquatur, competit ei actio ad petendum complementum, vel ad rescindendum testamentum, ut ipso iure nullum, maxime si causa idonea exhaeredationis non sit inserta et probata. Laym.[18]. »

948. Iustae causae exhaeredandi filium sunt ex Salm.[19]: 1. Si filius, cum peccato gravi, manus iniiciat in parentem, aut contumeliam dicat, aut conetur occidere. 2. Si accuset parentem, aut sit testis vel procurator contra eum in causis criminalibus mortis, exilii perpetui vel infamiae aut damni gravis; nisi crimen sit haeresis vel laesae maiestatis. 3. Si rem habeat cum uxore vel unica concubina patris. 4. Si nolit fideiubere ad liberandum patrem a carcere. 5. Si prohibuit patrem testari. 6. Si filia, recusato iusto matrimonio, luxuriose ut meretrix vivat; non vero si nubat contra parentum voluntatem.

949. Quaeritur hic autem an parentes possint exhaeredare filios nubentes cum indignis. Affirmant Baldus Goff. et alii apud Sanch.[20] *ex Authen. Ut*

(1) De iust. tr. 4. c. 13. n. 5. (2) De 4. praec. c. 1. punct. 4. §. 1. n. 69. (3) Ibid. n. 72. et 73. (4) De poenit. d. 16. n. 307. (5) Eod. tit. c. 8. punct. 4. n. 82. (6) De 4. praec. c. 5. n. 66. (7) De contr. c. 4. reg. 1. in praxi. (8) Loc. c. (9) Ibid. (10) L. c. (11) De poenit. d. 16. n. 308.

(12) Eod. tit. disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 3. diff. 3. n. 15. (13) L. c. n. 89. (14) L. 6. p. 2. n. 1009. (15) Locc. cc. (16) Exp. conf. c. 5. §. 2. n. 9. (17) Tr. 14. c. 5. punct. 6. §. 1. n. 79. et seq. (18) C. 5. n. 11. (19) Ibid. §. 2. n. 90. (20) De matrim. l. 4. d. 24. n. 2.

cum, *de Appel.* §. *Aliud quoque*; ubi dicitur filium exhaeredari posse ob gravem iniuriam patri illatam; et talem hanc esse dicunt. Sed omnino negandum cum Sanch. [1] ac Suar. Sot. Mol. Palud. Tab. etc. apud ipsum, ac Bonac. [2]. Ratio quia in praefata authentica expresse declaratur eo solo casu posse filium exhaeredari, quo filia minor 25. annis, reiectis nuptiis a patre oblatis, luxuriose vixerit. Utrum autem adhuc in hoc casu possit pater filiam exhaeredare. Negant pariter Bonac. [3] et Sanch. [4] cum Abb. Nav. Suar. Sylv. Ang. Henr. et aliis plurimis. Ratio quia ius civile in hoc correctum est a canonico *arg. cap. Gemma de sponsalib.* 29. ubi, ad servandam libertatem in matrimonio, irrita declaratur quaecumque poena in sponsalibus apposita: cum autem in matrimonio ratio sacramenti sit dignior ratione contractus, ideo ad potestatem ecclesiasticam principaliter pertinet de matrimoniis disponere, et refellere statuta illa civilia quae omnimodam libertatem in matrimoniis diminuunt. Contradicunt tamen Sot. Mol. Salm. Led. Vega Viguer. et alii apud Sanch. [5] horumque sententiam Bon. vocat probabilem, et Sanch. probabilissimam. Ratio, quia in dicto *c. Gemma*, sermo est de poena cui sponsi ultro se subiiciunt, et ad quam nullo modo obstringebantur, nisi per pactum quod quidem adversatur matrimonii libertati; sed in nostro casu agitur de poena quae filiis iuste infligitur; iuste enim ex omni iure filii privantur legitima, quando grave crimen contra parentes committunt; quale autem maius crimen, quam reiiciendo honestas nuptias velle filiam se prostituere? Utraque sententia est probabilis, sed haec secunda videtur probabilior iuxta dicta *n.* 337. Tanto magis quia etiam poena apposita in sponsalibus parti iniuste resilienti, valet ex probabiliori sententia, ut dicemus *de matr. lib.* 6. *num.* 853. Alia vide apud Salmant. [6]. Filii e contrario parentes exhaeredare possunt ob similes causas quas videre poteris apud Salm. [7].

Sed dubitatur 1. an in casibus enumeratis possint parentes filiis etiam alimenta denegare. Affirmant Vasq. et Sylv. Sed communius et longe probabilius negant Salm. [8] cum Trull. et Villal. si filii aliunde alimenta non habeant ad vitam necessaria; ista enim semper debentur, saltem ex iure canonico et naturali, et etiam dico de iure civili ex quo tamen exhaeredare filium conceditur parentibus, non autem alimenta denegare.

Dubit. 2. Si pater iustam causam habens, de facto tamen non exhaeredet filios, possint isti privari haereditate. Respondendum negative cum communi; ita Mol. Lugo Dicast. Trull. et Salmant. [9]. Ratio quia exhaeredatio non ex iure naturali, sed vim habet ex iure civili; quo insuper sancitur, ut causa exhaeredationis, non solum in testamento inseratur, sed etiam legitime probetur [10].

Dubit. 3. An pater possit exhaeredare filium ob causas similes enumeratis. Affirmant Tap. Vasq. Villal. etc. Sed negant probabilius Salm. [11] cum Lugo Mol. Lop. etc. cum in poenalibus non fiat extensio de casu ad casum; maxime quia in iure prohibetur exhaeredatio ob alias causas, quam expressas [12].

Dubit. 4. An pater recipiens filium in suam gratiam, et iniuriam remittens, possit adhuc exhaeredare. Negandum cum Salm. [13] Trull. Lugo Mol. Villal. etc. communiter: quia remissa iniuria, pater non habet amplius iustam causam exhaeredandi.

Dubitat. 5. An, si filius poenitentiam agat de crimine patrato contra patrem ante eius mortem, possit pater eum exhaeredare. Negant Trull. Sylv. etc. Sed probabilius affirmant Lugo [14] et Salm. [15] cum Vasq. et Mol. quia poenitentia in foro humano a poena delinquentem non liberat.

(1) N. 3. (2) De 4. praec. p. 6. §. 3. n. 3. (3) Loc. c. (4) L. 4. d. 25. n. 2. (5) L. c. n. 1. (6) Tr. 14. c. 5. p. 6. §. 2. n. 90. (7) Ibid. n. 91. (8) Ibid. n. 92. (9) Tr. 14. c. 5 . 6. §. 2. n. 93.

(10) Auth. c. de Liberis, etc. (11) Ibid. n. 94. (12) Auth. Ut cum, de appel. cognosc. §. Aliud. (13) Ibid. n. 95. (14) D. 25. n. 168. (15) Loc. cit. n. 96.

950. « His adde 1. Rumpi testamentum ob posthumi praeteritionem. 2. Peccare parentes si absque iusta causa ex inordinato affectu erga liberos successionis inaequalitatem inter eos instituant. Iustae autem causae huius inaequalitatis erunt merita et obsequia maiora: si pusilli magno sumptu in studiis ali debeant: si qui plus egere videantur. Diana [1]. Si quis in studiis sustentatus sit doctor, possitque lucrari, et alii secus: imo pater id quod habet supra partes legitimas filiis debitas potest de rigore relinquere extraneo. Trull. [2] Bonac. Diana [3]. 3. Liberos naturales, nisi legitimati sint, respectu patris non esse haeredes necessarios, respectu tamen matris esse; idque aequali iure cum legitimis. Quod si tamen pater liberis caret, naturales potest instituere haeredes, modo parentes superstites legitima portione non priventur. 4. Fratrem et sororem tunc tantum posse infirmare testamentum, si persona infamis instituta sit. Laym.[4]. Vide Bonac. [5]. 5. Patrem non posse expensas factas pro filio in studiis litterarum repetere, siquidem eas liberaliter fecit vel donavit; secus si habuit animum repetendi, et computandi in legitimam. Quod si pater non repetiit quando potuit, non tenetur filius eo mortuo in divisione conferre in commune, quia praesumi potest liberaliter factas vel condonatas, nisi aliunde constet contrarium. Azor. Villal. Trull. [6]. *Vide supra*, c. 3. d. 2. *de donatione.*»

951. Hic quaeritur 1. An filii illegitimi possint succedere parentibus. Ante omnia advertendum, filios illegitimos alios dici *naturales*, alios *spurios*. *Naturales* dicuntur ii qui nascuntur ex parentibus solutis, inter quos matrimonium bene contrahi poterat, vel tempore conceptionis vel tempore nativitatis. Omnes alii dicuntur *spurii*, nempe si nascantur ex parentibus incestuosis vel adulteris vel voto solemni ligatis. Istorum autem aliqui dicuntur geniti ex damnato concubitu, nimirum quando ob copulam est imposita matri poena mortis, puta si ipsa coierit cum ascendente, vel descendente, vel si cum adulterio intercessit incestus, et in aliis casibus apud Salmant. [7].

Certum est autem quod parentes teneantur alimenta praestare filiis, etiam spuriis, et adhuc ex damnato coitu natis, si isti nequeant aliunde sustentari. Et in hoc merito ius canon. [8] correxit ius civ. [9] ubi vetitum erat spuriis etiam alimenta praebere. Quoad successionem vero, filii *naturales*, si pater careat filiis legitimis, de iure novo communi [10] possunt succedere patri in omnibus bonis; vide Lugo [11] et Less.[12]. Si autem pater habeat filios legitimos, potest ipse relinquere naturalibus duodecimam partem bonorum. Lugo[13]. Et deficientibus filiis legitimis, naturales succedunt ab intestato patri (non relinquenti tamen uxorem) in sextam partem haereditatis, dividendam cum matre. Lugo[14]. Ipsi vero filii naturales succedunt matri aeque ac legitimi, non solum ex testamento, sed etiam ab intestato. Lugo[15]. Filii autem *spurii* praeter alimenta nihil penitus ex quocunque titulo possunt recipere a patre, neque inter vivos, neque ex testamento aut ab intestato; et si quid acceperint, tenentur in conscientia restituere haeredibus patris. Ita communiter Salm.[16] Croix [17] Less. [18] Lugo [19] et Sanch. [20] et vocant praedicti Less. Lugo et Sanch. omnino improbabilem opinionem Soti Led. et Angles dicentium posse in conscientia spurios accipere inter vivos aliquid a patre, modo non sint filii clerici vel religiosi. Ratio quia isti spurii effecti sunt per legem omnino incapaces in odium genitorum, ut habetur ex *Novella* 74. *c.* 6. *tit. Quib. mod. nat. fil.*

(1) P. 1. t. 8. r. 83. (2) C. 18. d. 19. (3) P. 1. t. 8. r. 83. (4) L. c. n. 12. 13. (5) D. 3. de contr. q. ult. p. 3. (6) T. 1. l. 4. c. 1. d. 3. (7) De contract. c. 5. punct. 5. §. 2. ex n. 48. (8) In c. Cum haberet 5. de eo qui duxit etc. (9) In Authent. Ex complexu, c. de incest. [illegible]

(10) Auth. Licet, c. de nat. lib. (11) D. 24. n. 88. (12) C. 19. n. 71. (13) Ibid. (14) N. 90. (15) N. 91. (16) Loc. c. n. 62. (17) L. 3. p. 2. n. 1164. (18) L. 2. c. 19. dub. 6. sect. 6. n. 58. (19) D. 24. §. 3. n. 92. (20) Cons. l. 4. c. 3. dub. 19. n. 4.

ubi dicitur: *Nulla eis participanda clementia est, sed sit supplicium etiam hoc patrum, ut agnoscant eos nihil habituros.*

An autem spurius possit succedere matri. Negant Cov. et Mol. apud Less.[1] qui hanc veriorem sententiam putat; sed dicit contrariam non esse improbabilem (et merito, cum textus cit. loquatur de solis patribus); sicut neque probabilem censet sententiam quam tenent Sa Henr. scilicet, quod possit spurius retinere ea quae mater ipsi reliquit, donec a iudice per sententiam illis privetur.

952. Quaeritur 2. Si pater instituat haeredem amicum, cum pacto ut bona reddat spurio, et haeres acceptet, an iste teneatur reddere in conscientia. Adsunt tres sententiae probabiles, ut aiunt Salm. [2].

Prima dicit, talem haeredem posse retinere, et pro suo arbitrio potest dare spurio ex sua gratuita donatione, et contra potest negare si velit: quia ex una parte promissio illa contra leges eum non obligat; et vice versa vere est haeres et dominium acquirit haereditatis. Ita Sanch. [3] Mol. [4] Less. [5] et Lugo [6] qui vocat hanc veriorem et communem cum Vasq. Diana etc.

Secunda sententia mihi probabilior dicit haeredem teneri bona restituere haeredi ab intestato, quia ex una parte non tenetur illa tradere spurio, cum non teneatur gravamen illud observare, utpote appositum contra legem; ex altera non potest haereditatem retinere contra voluntatem testatoris, qui nunquam intentionem habuit, ut apud eum bona remaneant. Ita Sot. [7] item Salon. Led. Trull. apud Salm. [8] et valde probabilem hanc vocat Sanch.

Tertia sententia vero quam ut non minus probabilem enixe tuentur Salmant. [9] et non immerito, tenet haeredem bene acquirere haereditatem, sed ex iustitia pacti initi teneri eam reddere spurio. Ratio quia promissio illa facta in pretium haereditatis promissae, satis obligat haeredem ex iustitia, postquam haereditas est tradita; maxime si ideo haeres aliquam partem bonorum sibi acquisiverit. Ad obiectionem autem, quod illa promissio non obliget, tum quia facta est contra legem et in eius fraudem, tum quia gravamen illud, sive conditio est turpis et ideo reiicitur a lege, respondent, aliud esse quod promissio sit contra legem, aliud quod materia sive res fuerit promissa contra legem; promissio enim facta ad obtinendam rem turpem illicita quidem est ac invalida ante traditionem rei turpis; postquam vero res turpis iam est tradita, promissio pretii valet et obligat, eiusque impletio licita est. Sicut enim qui promittit pretium meretrici illicite promittit, et ante copulam non tenetur promissionem implere, at copula secuta, licite pretium tradit, et ex iustitia tradere tenetur, ut diximus *n.* 712.; ita a pari, quamvis haeres illicite promittat tradere spurio haereditatem, et peccet promittendo quia fraudat legem; licite tamen potest et debet ipsi tradere haereditatem ex pacto inito, postquam testator ipsi haereditatem reliquit.

953. « Quaeres 3. Qui haeredes succedant ab intestato, aut testamento rupto vel irrito.

» Respond. 1. Ante omnes alios patri succedere legitimos liberos, et in demortuorum locum nepotes. 2. Deficientibus descendentibus, patrem et matrem defuncti, et in eorum locum avos et avias. 3. His quoque deficientibus, fratres et sorores, ex utraque parte coniunctos; idque aequis portionibus, exclusis iis qui ex solo patre vel matre coniuncti sunt. 4. Si ex fratribus vel sororibus utrinque coniunctis unus mortuus liberos reliquerit, succedunt hi loco parentis sui cum patruis, non in capita, sed in stirpes. Si tamen fratres et sorores utrinque coniuncti omnes mortui sunt, tunc eorum liberi, exclusis patruis ex una tantum parte coniunctis, non in stirpes, sed

(1) L. c. n. 64. (2) De contr. c. 5. punct. 5. § 5. n. 69. (3) D. ^. 3. dub. 20. n. 9. (4) D. 169. (5) C. 19. n. 60. (6) D. 24. n. 95. (7) L. 4. de iust q. 5. a. 1. ad 4. (8) L. c. n. 70. (9) Ibid. n. 75.

capita, adeoque aequis portionibus succedunt; quia duorum fratrum filii, non suorum parentum loco, sed iure propriae coniunctionis succedunt. Cum ergo aequaliter iuncti sint, aequales etiam in portione haereditatis esse debent. (Ita Salm.[1] cum Lugo Molin. etc. contra alios). 5. Deficientibus fratribus et sororibus utrinque coniunctis eorumque liberis, succedunt fratres et sorores ex una tantum parte coniuncti, hoc tamen discrimine, ut qui ex parte patris sunt iuncti, succedant in bona a patre provenientia, in reliquis aequaliter omnes. 6. Si fratres et sorores eorumque filii deficiant, succedunt propinquiores collaterales, usque ad decimum gradum: et fit talis successio in capita, nulla habita ratione, an ex altera parte an ex utraque sint coniuncti [2]. 7. In horum defectu succedit uxor, et denique in illius morte fiscus saecularis in bonis omnibus laici ab intestato defuncti: fiscus autem ecclesiasticus in bonis clerici. Laym. [3].»

954. Hinc quaeritur 1. quomodo facienda sit inter fratres collatio bonorum a parente defuncto provenientium. Haec collatio, licet de iure antiquo locum haberet tantum, quando filii ab intestato patri succedebant, de iure tamen novo [4] tenentur semper filii conferre bona a patre obtenta, nisi pater expresse eos a collatione exemerit, vel nisi aliquis eorum nolit habere cum aliis portionem, contentus iis quae in vita de bonis defuncti habuit. Poterit tamen petere, si aliquid a patre in dotem, vel causa matrimonii aut simili ei fuerat promissum, nisi promissione illa aliorum legitima laesa fuerit [5]. Salm. [6] cum communi.

955. Quaeritur 2. an sumptus a patre pro filii studio, libris, doctoratus gradu facti, debeant in collationem et portionem bonorum afferri. Resp. negative cum communi, quia haec cedunt in bonum commune. Salm. [7] cum Nav. Molin. nisi (dicunt Nav. Sylv. etc.[8]) in manu patris aderant bona propria filii, v. gr. castrensia vel quasi castrensia; tunc enim censetur de illis filium in studiis sustentasse.

Extendunt 1. hanc doctrinam ad expensas factas pro aliqua dignitate; tunc enim praesumitur pater potius eas donasse, nisi aliud expresserit, aut sumptus scripserit in libro rationum cum filio, quia ex hoc contrarium iudicatur. Extendunt 2. ad expensas factas, ut filius militiam ingrediatur vel obtineat beneficium, vel ut liberetur a vinculis aut a poena criminis. Ita Salm. [9] cum Mol. etc. Extendunt 3. ad expensas factas pro filii honesta recreatione. Nav. Sylv. cum Salm. [10].

956. Quaer. 3. an conferri debeat patrimonium a patre filio donatum ad sacros ordines suscipiendos, si donatio laedat aliorum filiorum legitimam. Negant Gomez Pereira et alii apud Salmant.[11] ex conc. trid.[12] ubi prohibetur omnis alienatio patrimonii. Affirmant vere probabilius Lugo [13] Salm. [14] cum Vasq. Molina Led. Bonac. etc. quia donatio quae laedit aliorum ius est iure naturali illicita. Concilium autem (respondetur) non absolute prohibet patrimonii alienationem, sed tantum quando clericus aliter decenter vivere nequit: hinc licite clericus potest sponte patrimonium conferre, spe maiorem portionem consequendi Salm. [15].

957. Quaer. 4. an filius conferre teneatur, quae de bonis paternis malo expendit in ludis, meretricibus etc. Affirmant Nav. Sylv. Bon. Vasq. etc. ap. Salm.[16] modo expensae fuerint in magna quantitate, et pater eas non remiserit. Negant vero Salm.[17] cum Molina Sot. Fag. modo filius plus non consumpserit male, quam pater contentus fuit, ut in suam sustentationem et honestas recreationes expenderet: secus si expensae excessissent. His autem limitationibus utrinque positis, faci-

(1) Tr. 14. c. 5. punct. 7. n. 106. (2) Auth. Post fratres, cod. de legit. haer. (3) C. 6. n. 1. 2. 3. et 4. (4) Ex Auth. de trient. et sem. §. Illud. (5) Leg. penult. et ult. ff. de collat. (6) De 4. praec. c. unic. punct. 4. §. 1. n. 75. (7) Ibid. n. 76.

(8) Ib. (9) Ib. n. 77. (10) Ib. (11) Ib. n. 78. (12) Sess. 21. c. 2. (13) D. 5. n. 57. (14) L. c. n. 79. (15) De 4. praec. c. un. p. 4. §. 1. n. 81. (16) Ibid. n. 82. (17) Ibid. n. 83. et tr. 13. c. 5. punct. 4. §. 2. n. 44.

le hae duae sententiae conciliantur.

958. Quaer. 5. an expensae factae a patre in die nuptiarum sint in collationem adducendae. Resp. negative cum communi, etiamsi filius habeat bona propria, nisi aliud expresse constet de voluntate patris. Nav. Molin. Bon. etc. cum Salm. [1].

959. Quaer. 6. an mobilia, vestes pretiosae et similia data a parentibus, sint in collationem afferenda. Affirma, nisi parentes expresse aliud disposuerint [2]. Et idem de arrhis et muneribus. Salmant. [3] cum comm. Sanchez Bon. etc. Idemque dicunt de vestibus pretiosis datis a viris uxoribus, constante matrimonio. Secus vero dicendum de vestibus ordinariis.

960. « His adde 1. Si uxor, susceptis ex priori marito liberis, ad secundas nuptias transit, quidquid a priore marito, donatione, aut testamento acquisivit, eiusdem matrimonii liberis cedere. Similiter, si maritus alteram uxorem ducat.

961. » Adde 2. Haeredem adeundo haereditatem, non commoda tantum et iura, sed etiam debita et onera realia defuncti in se transferre. Interim tamen duplici beneficio gaudere: 1. Ut supra vires haereditatis non obligetur. 2. Quod deductis expensis funeris, et solutis debitis, quartam partem (Quae vocatur *falcidia* in legatis, sive donationibus causa mortis, non vero in legatis piis, ut Salm. [4]: *trebellianica* autem in fideicommissis) haereditatis obtinere debeat haeres vel haeredes, et si eam non habent, legatis, non tamen piis, ut notat Trull. [5] detrahere possunt, beneficio legis Falcidiae Laym. [6] Sanch. [7]. Ut autem hoc beneficio frui possit haeres, conficere tenetur inventarium (Intra 30. dies, et per alios 60. concludere [8] nisi adsit legitimum impedimentum); tametsi hanc obligationem testator possit remittere, respectu legatariorum et fideicommissariorum, quibus ex mera liberalitate aliquid relinquit, non tamen respectu creditorum, quibus praeiudicare non potest. Universim enim ab onere inventarii, et a rationibus reddendis eos quibus potest relinquere bona, sine onere dandi partem aliis, potest liberare, iisque concedere, ut eorum dictis vel iuramento stetur. Mol. card. de Lugo [9] .»

TRACTATUS SEXTUS

DE PRAECEPTO OCTAVO, NONO, DECIMO ET DE PRAECEPTIS ECCLESIAE

Cap. I. De praecepto octavo

« Prohibetur hic omnis iniusta laesio famae et honoris proximi: ac praecipue omnis falsitas et mendacium: ac laesio verbalis, quae fit tum in iudicio falso accusando, vel verum celando, de quo supra: tum etiam extra, perniciose mentiendo, secreta revelando, de quo vide Bonac. [10] Laym. [11] ac denique detrahendo. »

Dubium I. Quid sit suspicio, iudicium temerarium et dubitatio ac quale peccatum.

962. « Suppono haec tria differre inter se, quod iudicium sit firma animi sententia, seu assensus indubitatus: suspicio, assensus inchoatus, quo quis inclinat in unam partem, iudicans probabiliter, latere aliquod fundamentum opinandi. Dubitatio autem non est assensus (nisi causaliter), sed quasi suspensio animi, in neutram partem inclinando. Quaeritur ergo hic non de suspicione et iudicio prudenti, quod sufficientibus indiciis nititur, sed de imprudenti et temerario, quod iis destituitur. Maiora autem indicia requiruntur ad iudicium quam ad suspicionem; et ad hanc, quam ad dubitationem.

» Resp. 1. Iudicium temerarium, cum plena advertentia, de gravi malo pro-

(1) De 4. praec. cap. et punct. cit. n. 85
(2) Ex l. Ut liberis et l. Illud. c. de collat
(3) Ibid. n. 86. (4) De contract. c. 5. punct. 15. §. 3. n. 196. (5) L. 7 q. 12. d. 12. ex Auth. Similiter c. Ad legem Falc. (6) L. 3. t. 5. c. 6. n. 7. (7) L. 4. c. 15. (8) L. ult. §. Sin autem dubius, cod. de iure deliberandi. (9) D. 34. s. 8. n. 23. (10) De rest. d. 2. q. 2. (11) L. 3. tr. 3. p. 2.

ximi, communiter est mortale, contra iustitiam. Ita Fill. Less.[1] Laym. [2]. Ratio est quia proximo fit gravis iniuria, dum sine causa improbus habetur, cum habeat ius ad bonum nomen et famam: praeterquam quod ex his iudiciis plerumque gravia mala sequantur. In confessione tamen non opus est explicare speciem mali iudicati, cum omnia uni iustitiae commutativae in specie infima adversentur. Esc. [3].

» Dixi *communiter*, quia si iudicium habeat magnam probabilitatem, etsi non omnino sufficientem ad certitudinem, erit veniale; quia moralis certitudo et magna probabilitas non adeo distant, ut censeatur gravis iniuria, iudicare certum, quod est valde probabile, v. gr. si iudices iuvenem solum cum puella inventum in cubiculo illicita tractasse. Ex quibus resolvitur, peccari tantum venialiter temere iudicando sequentibus casibus: V. Tann. [4].

» 1. Si non sit grave malum, quod proximo temere impingis: et sic eum, qui iudicat alium esse spurium, vel filium iudaei, a mortali excusant Nav. Azor. et Less. contra alios ap. Diana [5].

» 2. Si sit grave quidem, sed non perfecte advertas.

» 3. Si advertas quidem te male iudicare, non tamen advertas signa esse insufficientia, nec de iis dubites.

» 4. Si signa sint sufficientia ad opinionem saltem probabilem.

» 5. Mortale etiam non est (per se loquendo), si de indeterminato tantum iudices: quia nulli fit gravis iniuria. Esc. [6] ex Fagund.

963. » Resp. 2. Suspicio et dubitatio temeraria ex genere suo videntur esse peccata tantum venialia, maxime si procedant ex errore intellectus; quo indicia ut sufficientia apprehenduntur. Ita Laym. ex s. Thom. Nav. Mol. Fill. [7] Less. [8] etc. contra multos qui putant esse mortale. Ratio est quia communiter suspicio tantum est concitatio quaedam ad assensum; manet enim in mente suspicantis aliquo modo bona existimatio proximi: ergo non fit illi gravis iniuria, cum non totaliter deturbetur de possessione bonae famae: fit tamen aliqua, quia temere dubitatur.

» Dixi, *maxime si ex errore:* quia talis, cum non sit per se voluntaria nec pertinax, meretur excusationem; si vero ex malevolentia in suspicione gravi persistas, erit mortale, ut docent Less. Fill. etc. ob iniuriae gravitatem. Atque idem est de dubitatione positiva, orta ex malevolentia absque causa: procedit enim ex contemptu alterius, proindeque gravis iniuria reputatur. »

964. Quaeritur an suspicio sive dubitatio temeraria possit pertingere ad peccatum grave.

Prima sententia negat, et hanc tenent Caiet. et P. Nav. quibus adhaeret Layman [9] cum Diana Sa Arm. etc. ap. Salmant.[10]. Ratio istorum, quia suspicio, quantumvis temeraria, nunquam graviter famam alterius laedere videtur.

Secunda sententia vero probabilior affirmat, si suspicio sive dubitatio sine indiciis fieret de peccatis gravissimis, ut esset de pio religioso suspicari quod sit haereticus, vel quod cum matre incestarit; vel de viro communiter habito ut catholico, quod sit iudaeus vel atheus. Ratio quia forte maior iniuria iis irrogatur talia suspicando, quam si certum iudicium haberetur illorum de delictis gravibus ordinariis. Ita Lugo Mol. Dic. etc. ap. Croix [11] et Salm.[12] qui tenent hanc ut communem et veram.

965. « Quaeres quomodo discerni possit suspicio a iudicio firmo, quando formido de opposito expresse non est coniuncta.

» Resp. Caietanus censet eum iudicare, qui rogatus an habeat rem pro certo, respondet sibi certam aut fere certam videri; eum vero suspicari, qui respondet se non esse moraliter certum, sed facile posse falli. Vide Bonac. [13]. »

(1) C. 29. l. 2. (2) L. c. c. 2.
(3) Ex. 10. c. 4. n. 36. (4) 2. 2. q. 3. d. 2.
(5) P. 5. r. 69. (6) Loc. cit.
(7) Tr. 4. c. 1. q. 5. (8) L. 2. c. 29. d. 3.
(9) L. 3. tr. 3. p. 2. c. 2. n. 6.
(10) De rest. c. 4. punct. 7. §. 2. n. 102.
(11) L. 4. p. 2. n. 1177. (12) Ibid. n. 103.
(13) De rest. l. 2. q. 7. p. 1.

966. « Resp. Detractio est alienae famae iniusta violatio vel denigratio. Differt a contumelia quae est iniusta honoris diminutio: 1. Obiecto, quia contumelia honor, detractione autem fama laeditur, quae est opinio seu aestimatio de alterius excellentia; honor autem est testificatio alienae excellentiae animo conceptae. 2. Differt modo, quia contumelia instar rapinae fit aperte contra praesentem: detractio ut plurimum instar furti occulte, et contra absentem. Unde licet contumelia detractione gravior sit, est tamen detractio peccatum mortale ex genere suo, etsi ex parvitate materiae aut indeliberatione fieri possit veniale. Ratio est quia est gravius furto, quod est mortale, cum laedat proximi famam, quae est maius bonum quam opes. »

Hic quaeritur quando contumelia est peccatum mortale. Apud Matth.[1] habetur: *Qui dixerit fratri suo* raca *reus erit concilio; qui autem dixerit* fatue *reus erit gehennae ignis*. Explicant interpretes ap. Corn. a Lap. verbum *raca*, significare hominem vituperabilem sive sputo dignum, illudque proferentem dici *reum concilio*: quia in concilio tantum gravia crimina deferebantur. Sub verbo autem *fatue*, intelliguntur cuncta convicia gravem iniuriam irrogantia. Haec igitur verba contumeliosa per se sunt mortalia, nisi excuset circumstantia personae vel inadvertentiae vel animi nolentis graviter laedere. Ita praefatus Corn. a Lap. et Conc. [2]. Hic vero s. Thomas [3] rectè advertit: *Dicendum, quod sicut licitum est aliquem verberare causa disciplinae* (puta patri, praelato, domino, aut magistro); *ita etiam causa disciplinae potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod conviciosum dicere.*

Omnes autem tenemur contumelias tolerare animum vindictae abiiciendo: quandoque tamen expediens erit contumelias repellere, nempe cum tolerantia praevidetur adscribi obsistendi impotentiae aut stultitiae, vel si obesse possit bono communi, prout si praelatus tolerando redderetur contemptibilis, et sic petulantia subditorum augeretur, ut Conc.

«Detractio alia est directa et formalis quae fit ex intentione famam laedendi: alia indirecta et materialis tantum, quae fit ex levitate et loquacitate aliqua.

Ex dictis resolves:

967. » 1. Regulariter non est mortale (etsi per accidens ratione damni sequentis tale esse possit) revelare naturales defectus animi, corporis vel natalium, quia tales non sunt morales; nec infamia apud prudentes reputatur, quod quis, v. gr. sit stupidus, spurius, luscus, Bon.[4] (Ita Less.[5] Salm.[6] cum

(1) C. 5. v. 22. (2) T. 4. p. 604. n. 5. (3) 2. 2. q. 72. a. [illegible] ad 2.

(4) T. 2. d. 2. q. 4. p. 2. (5) C. 11. n. 14. (6) De rest. c. 4. punct. 5. §. 2. n. 45.

Nav. Dicast. etc. Si vero dicantur in faciem, aliquando possunt esse mortalia. Salm. [1] Idem dicunt de defectus natalium propalatione, quae aliquando etiam potest esse mortalis, ut dicere de viro honorabili, exercuisse vilissimum officium, vel fuisse mancipium: sed omnia haec maxime pendent a circumstantiis).

» 2. Plerumque etiam levis detractio habetur, si alium infames generalibus nominibus peccatorum mortalium, v. gr. esse iracundum, superbum etc. (etsi aliquando gravis esse possit) quia audientes plerumque interpretantur de naturali propensione et defectu involuntario, nec oritur grave damnum famae. S. Ant. [2] Sylv. Less. [3] Laym. [4].

» 3. Similiter non erit mortale communiter referre peccata mortalia quae ob conditionem personae non notabiliter famam laedant, v. gr. si dicas militem habere concubinam, pugnasse in duello, cogitare vindictam, adolescentem esse prodigum, deditum amoribus etc. Laym. [5].

» 4. Fieri tamen potest ut narrando defectus etiam naturales, spectata conditione et statu illius, graviter noceas, et sic graviter pecces: ut si gravem et optimi nominis praelatum aut religiosum, mendaciis assuetum esse; virum gravem ac consularem, illegitime natum, iudaeum etc. dicas (Item Salmant. [6] cum Less. Navarr. Dic. etc.). Idem est, etsi de altero nihil in particulari, sed tantum in genere dicas, v. gr. te scire aliquid de illo, quod si dicas, magno illum rubore sis affecturus. Card. Lugo [7].

968. » 5. Crimen, aut defectum alicuius, modo verum, saepe licet prodere ob iustas causas: v. gr. 1. cum expedit superiorem scire suorum defectus, ut emendentur, de quo vide supra, *de Corr. frat.*, et sic eos qui crimen occultum filiorum parentibus, vel famulorum heris (Vel religiosorum praelato ut patri: *vide dicenda l. 5. n.* 243.) in ordine ad correctionem (cavendo tamen, ne ex revelatione maius damnum sequatur) significant, communiter excusari docet Trull. [8] ex Bonac. etc. uti et uxorem loquentem cum marito (vel contra) de criminibus occultis filiorum vel famulorum. 2. Causa consilii vel auxilii capiendi; in quo tamen videndum ut cum minimo damno tertii fiat. 3. Causa cavendi alterius damni; ut si alicuius aestimatio falso concepta de eius doctrina, probitate, est aliis perniciosa. Unde, cum agitur de conferendo officio, de contrahendo matrimonio, de suscipienda religione, assumendo medico, praeceptore, famulo, famula etc. licet manifestare (imo aliquando oportet) occulta alterius impedimenta, inhabilitatem, crimina, unde notabile aliquod incommodum merito timeretur: dummodo nulla alia sit ratio commodior impediendi, et damnum quod proximo timetur sit maius aut saltem aequale damno quod ex manifestatione defectus aut criminis alterius ei obvenerit. Lessius [9].»

Maxime hic advertenda doctrina s. Thom. [10] qui docet illum proprie detrahere qui male loquitur de altero, intendens eius famam denigrare, secus autem si hoc non intendat, sed aliquid aliud. Ratio quia (ut addit idem s. Thomas [11]): *Hoc non est detrahere per se et formaliter loquendo*, *sed solum materialiter et quasi per accidens.* Unde infert s. doctor quod *si verba per quae fama alterius diminuitur*, *proferat aliquis propter aliquod bonum necessarium*, *debitis circumstantiis observatis*, *non est peccatum neque potest dici detractio.* Hinc dicendum cum p. Conc. [12] Cont. Tourn. [13] posse revelari crimen alterius 1. ut proximus emendetur, deferendo illud iudici, aut praelato, domino, aut parenti. 2. Ad damnum publicum vitandum. 3. Ad tuendum innocentem, puta, si innocens accusetur de homicidio, potes manifestare aucto-

(1) Ibid. (2) 2. p. t. 8. c. 4. (3) D. 3. n. 18. (4) L. 3. tr. 3. p. 2. c. 3. n. 3. (5) L. 3. t. 3. p. 2. c. 3. (6) L. c. n. 43. (7) D. 14. n. 49.

(8) L. 7. c. 10. d. 11. (9) L. 2. c. 11. d. 12. (10) 2.2. q. 73. a. 2. (11) L. c. (12) P. 626. n. 17 (13) De iust. et iure p. 3. c. 3. a. 3. s. 2. v. Non peccat

rem; vel si scis furem habitare cum alio ignorante, potes eum certiorare, ut sibi caveat, ita Conc.[1] Cont. Tourn.[2] Lugo[3] et Salm.[4] cum Soto Bann. et Tap. ex s. Basilio, qui[5] ait, bene posse crimen revelari, quando necessitas poscit, ut periculo consulatur aliquorum. 4. Addunt Lugo[6] Tourn.[7] Bonac.[8] et Salm.[9] cum aliis cit. quod unusquisque ad evitandum grave damnum sui vel aliorum, etiam in bonis fortunae, licite potest detegere grave crimen alterius; modo non intendat illum infamare, sed damnum proprium vel alienum vitare; sufficit autem ut damnum vitandum sit grave, quamvis maius damnum immineat diffamato. Secus vero, si damnum vitandum sit leve, vel longe minus. Ita Salm.[10] cum Vill. Dic. Tap. item Elbel[11] Mazzott.[12] et hoc satis probabile puto cum Lug.[13], qui dicit eo casu te non teneri neque ex iustitia, neque ex caritate proximi crimen occultare cum gravi tuo damno. Non ex iustitia, quia proximus ad famam suam non habet ius ita strictum, ut obligentur alii ad tegendam veritatem, quando oportet eam patefacere ad proprium damnum effugiendum: si enim spectat ad bonum commune, quod sine sufficienti causa non manifestentur crimina occulta, magis ad commune bonum pertinet illa relevarc, quando hoc est necessarium ne alii errent cum notabili suo dispendio. Neque tenetur ex caritate, quia caritas non obligat cum tanto detrimento: sicut enim non teneris impedire damnum proximi, etsi maius, cum gravi damno tuo; ita nec etiam teneris eo casu occultum crimen proximi celare; ita Lugo. Et hoc etiam in dubio de gravitate tui damni, quia in tali dubio favendum est innocenti, uti dicunt Salmant.[14] cum aa. cit. Haec autem omnia intelligenda, modo non possit damnum aliter averti, et modo non amplius, nec pluribus crimen manifestetur quam oportebit ad reparandum damnum quod timetur.

969. Sed hic magna quaestio occurrit, an ad vitandum grave tuum damnum, possis crimen occultum alterius revelare, si notitiam acceperis iniuste per vim aut fraudem, puta aperiendo litteras etc. In hac plures sunt sententiae: Sotus[15] dicit non posse, etiamsi mortem subire deberes, et fere consentit Sanch.[16] Nav. autem dicit non posse, si damnum irreparabile alteri immineat ex illa infamatione; secus, si reparabile. Mol.[17] censet tunc tantum posse revelare, quando longe maius detrimentum tibi times. Less. vero[18] Navarr.[19] Mazz.[20] Conc.[21] (et probabile putant Salm.[22]) dicunt posse te revelare ad quodcumque tuum grave damnum vitandum, quia licet peccaveris notitiam accipiendo, in gravi tamen necessitate poteris illa uti, prout, quamvis iniuste furatus sis equum, potes tamen adveniente necessitate illo uti, etiam cum damno domini. Inter has tam varias sententias mihi magis arridet sententia Lugonis[23] (quem sequuntur Croix[24] Cont. Tour.[25] Spor.[26]). Docet hic magnus theologus, te non posse, generaliter loquendo, uti notitia illa iniuste accepta cum alterius damno, ob quodcumque damnum tuum effugiendum. Ratio, quia actio iniusta qua tu secretum accepisti, obligat te ad restituenda omnia damna propter illam proximo obventura. Prout casu quo debitor est in extrema vel gravi necessitate non tenetur restituere, etiamsi creditor eadem necessitate laboret, ut diximus *hoc l.* 3. *ex n.* 701. Sed omnes (*vid. ib.*) cum eod. Less. dicunt quod teneris restituere, si praecise propter illam subtractionem proximum in eamdem necessitatem inieceris. Sic a pari in casu nostro, si tu secretum re-

(1) Loc. c. (2) L. c. n. 5. (3) D. 14. n. 95. (4) Tr. 13. c. 4. punct. 5. §. 4. n. 64. (5) Regul. brev. interr. 25. (6) L. c. n. 112. (7) Loc. c. (8) P. 8. n. 1. (9) Loc. c. (10) Ibid. n. 65. (11) Conf. 12. n. 353. (12) Tr. 4. d. 2. q. 2. c. 1. §. 1. q. 5. (13) Dict. d. 14. n. 97. et 112.

(14) Ibid. (15) L. 5. de iust. q. 10. a. 2. (16) Cons. l. 6. c. 6. dub. 2. n. 6. (17) D. 37. n. 13. (18) L. 2. c. 11. n. 55. (19) L. 2. de rest. c. 4. n. 131. (20) Ibid. (21) T. 4. p. 627. n. 18 (22) Tr. 13. c. 4. punct. 5. §. 4. n. 65. (23) D. 14. n. 101. (24) L. 3. p. 2. n. 1233. (25) L. c. v. Sed si. (26) De 8. pr. c. 4. n. 43.

velando damnum iners alteri, teneris ad restitutionem, cum per illam fraudolentam secreti extorsionem, proximum coniecisti in necessitatem tale damnum patiendi. Et hanc sententiam tenet etiam Laym. [1]. Tunc tantum recte admittunt Lugo [2] Spor. et Croix [3] te posse crimen manifestare, quando esset tibi permissum etiam per vim aut fraudem illud exquirere, et litteras aperire: et casus esset: 1. Si revelatio esset necessaria ad commune bonum reip. 2. Si alter teneretur ex iustitia secretum revelare, ad damnum tuum reparandum. 3. Si ille iniuste te vexaret. Alias, non licet tibi alterius litteras aperire, ad bonum tuum procurandum vel ad malum aliquod vitandum, quia hoc esset contra commune bonum humani commercii; tantum enim id permittunt auctores ad se tuendum ab iniusta vexatione inimici, ut Less. [4] Laym. [5] Bon. [6] et Salmant. [7] cum aliis communiter. An autem possis defectum alterius detegere, ut ille excludatur ab amicitia alicuius, et tu ad illam admittaris. *Vide infra l.* 5. *de pecc. n.* 72. *vers. An citra*, ubi dicemus id illicitum esse.

970. Quandonam autem *secretum* sit servandum. Praenotare oportet quod secretum triplex esse potest, scilicet: Ex sua natura, promissum, et commissum. 1. Secretum *ex sua natura*, puta si casu aliquid scias, servare debes ex iustitia, dum ex manifestatione graviter alter laederetur in fama vel bonis; nemo tamen tenetur illud servare cum periculo mortis, nisi damnum alias imminens sit commune et grave. Ita Sanchez [8] Salm. [9] cum Bon. Dian. etc. Trull. Sed vide mox dicenda *num. seq*.

2. Secretum *promissum* regulariter obligat graviter vel leviter iuxta intentionem promittentis. Ita Salm. [10] cum Sanch. et Lugo. In dubio autem dicendum puto, neminem censeri gravi obligatione obstrictum, nisi de illa constet. Notandum autem est quod promissio secreti, etiam iurata, non obligat, quando tu revelare teneris: unde iudici legitime interroganti debes testari crimen alterius, etsi promiseris non detegere. At si secretum sit tibi commissum, et alias non est publicatum, teneris servare etiam legitime interrogatus, et potes respondere te nihil scire, scilicet ad revelandum: quia iudex nequit abrogare ius naturae, ex quo servandum est secretum commissum, nisi ex alia via res sit iam cognita, aut sit iusta causa illam revelandi, ut infra. Ita Lugo [11] Bon. Dic. Pal. Nav. cum Salm. [12].

3. Secretum autem *commissum*, quod alias dicitur rigorosum et absolute naturale, potest committi expresse vel tacite, prout medicis, advocatis, obstetricibus, theologis consultis. Et hoc secretum strictius obligat. Vide Salm. [13].

971. Ex quadruplici autem capite potest manifestari secretum commissum, saltem sine peccato gravi: 1. Ex praesumpto consensu principalis, ut Salm. [14] cum Lugo Sanch. Valent. etc. 2. Ex parvitate rei sub secreto commissae; vel si aliunde res sit cognita vel publicata. Salm. [15]. An autem sit mortale, rem gravem sub secreto commissam uni vel alteri viro probo sub eodem secreto revelare. Probabiliter negatur cum Lugo [16] Bon. Trull. Azor. Salm. [17] dummodo non detegatur personae cui creditur, quod secretum committens specialiter voluerit celari; et ita etiam Ronc. [18] et Mazz. [19]. *Vide n.* 973. 3. Ex inadvertentia vel indeliberatione; sive ex suppositione quod res non sit gravis. Notant tamen Sal. [20] cum Sanch. quod, ut revelans excusetur a mortali, debet certo credere rem non esse gravem. 4. Ex iusta causa, nempe si servare secretum verteret in damnum commune, vel alterius innocentis, seu etiam ipsius committentis, quia tunc ordo caritatis postulat ut reveletur;

(1) L. 3. tr. 3. p. 2. c. 5. n. 5. (2) Ex n. 103. (3) Locc. cc. (4) L. 2. c. 12. n. 133. (5) Ibid. (6) D. 2. q. 3. p. 1. n. 5. (7) Tract. 13. c. 4. punct. 6. §. 2. n. 85. (8) Cons. tr. 2. c. 6. d. 2. (9) De rest. c. 4. punct. 6. §. 1. n. 76. (10) Ibid. n. 77. (11) D. 14. n. 141. (12) Ibid. n. 78. (13) D. c. 4. n. 75. et 79. (14) D. n. 79. in fin. (15) N. 80. (16) D. 14. sect. 9. n. 147. (17) Ibid. (18) De 7. praec. c. 4. q. 4. (19) Q. 10. (20) Ibid. n. 81. in fin.

unde etiamsi iurasses, tunc detegere posses. Ita communiter Salm. [1] cum Mol. Dic. Valen. Bann. Nav. Bon. Trull. Reg. etc.

An autem quis possit revelare secretum commissum ad proprium damnum grave effugiendum.

Loquendo de secreto commisso sive rigoroso, negat de Alexandro [2] cum Scoto Sylv. et Regin. Ratio quia secretum servandum est semper ac sine peccato servari valeat: et huic sententiae adhaeret d. Th. [3] qui dicit secretum commissum servari debere, *quando de se celari potest sine peccato.*

Secunda sententia quam tenet Mol. [4] censet tunc posse tantum revelari secretum, quando eius observantia vergeret in multo gravius damnum ipsius manifestantis.

Tertia sententia vero communior et probabilior, quam tuentur Layman [5] Sot. [6] Less. [7] Nav. [8] Lugo [9] Ronc. [10] Sporer [11] Elb. [12] Bon. [13] tenet te posse aperire secretum ad vitandum tuum grave damnum, etiamsi inde alteri immineret periculum mortis, modo illud sine vi aut fraude exceperis. Ratio quia non teneris cum tanto tuo incommodo damnum proximi vitare: et non praesumitur quis ad tale onus se obligasse, nisi ex circumstantiis id certe appareat, ut addunt Lugo [14] et Croix [15]. Nec obstat dicere quod spectet ad bonum commune secreta commissa servare, ne humanum perturbetur commercium. Nam respondet Lugo, ut diximus supra, hoc verum esse, nisi ex observantia secreti damnum alterius interveniat, eo enim casu magis ad bonum commune pertinet, ut unusquisque noscatur qualis est, ne alii ex ignorantia graviter errent, et perniciose decipiantur cum damno innocentium. Praeterea, si potest ille, cui secretum est commissum, illud revelare ad vitandum damnum innocentis, ex communi dd. ut supra vidimus: cur debet ipse inferioris esse conditionis quam alii, ne posset revelare ad damnum proprium effugiendum? Excipe tamen, ut communiter dd. docent, nisi ex tali revelatione immineat damnum commune grave. Dicimus *grave*, nam si esset leve, probabiliter etiam posses secretum revelare, ut grave damnum proprium vitares, ut dicunt Sanch. [16] et Ronc. [17] cum Trull. quia non videtur obligatio vitandi leve damnum commune te obstringere ad grave damnum tuum patiendum.

Hoc quoad secretum commissum: quid si sit promissum? Quando non promiseris cum obligatione servandi secretum etiam cum tuo damno, certum est te posse manifestare, cum nemo censeatur ad secretum se obligare cum incommodo gravi. Ita Laym. Ronc. Spor. et Holz. [18]. Quid vero dicendum, si expresse promiseris secretum non revelaturum, etiam cum dispendio vitae, an revelare posses in periculo mortis. Affirmat satis probabiliter Spor. [19] dicens tunc posse et teneri, quia nulli est licitum propriam vitam prodigere: et huic sententiae se adiungit Layman [20] iuxta aliam sententiam ab ipso propugnatam [21] qui tenet cum P. Nav. (et idem tenent Sot. Rodr. et Vega apud Salm. [22]) non esse licitum alterius vitae propriam postponere, puta cedendo cibum in penuria aut tabulam in naufragio; quia ex praecepto caritatis quisque tenetur propriam vitam praeferre alienae. Sed cum sit etiam valde probabilis et communior sententia opposita, quod liceat ob honestum finem, conservationem propriae vitae omittere, ob alterius vitam servandam, ut tenent Lugo [23] Less. [24] et Salm. [25] cum Victor. Prado Diana ac Trull., quia hoc non est directe sibi mortem inferre, sed vitam non tueri, quod licitum est

(1) N. 82. (2) Conf. monial. p. 124. q. 9. (3) Quodlib. 1. a. 15. (4) D. 24. n. 2. (5) L. 3. tr. 3. p. 2. c. 5. n. 2. (6) De iust. q. 10. a. 2. (7) L. 2. c. 11. n. 53. et 54. (8) C. 18. n. 54. (9) D. 14. n. 102. (10) De 7. pr. c. 4. q. 3. r. 2. (11) De 8. praec. t. 1. p. 156. n. 46. (12) T. 2. p. 383. n. 390. (13) De rest. d. 2. q. 2. p. un. n. 8. (14) Dict. d. 14. n. 116. (15) L. 3. p. 2. n. 1232. (16) Cons. c. 6. d. 2. n. 5. (17) L. c. (18) L. c (19) De 8. praec. c. 4. n. 46. (20) L. 3. tr. 3. p. 2. c. 5. n. 4. (21) L. 2. c. 3. n. 4. (22) De restit. c. 2. punct. 2. §. 3. n. 34. (23) D. 10. n. 48. (24) L. 2. c. 9. n. 29. et 31. (25) Ibid.

ob iustam causam: ideo valde probabiliter dd. cum Lugo [1] Mol. [2] et Croix [3] cum Haun. dicunt in casu proposito te satis obligari ad servandum secretum etiam cum discrimine vitae, si id promiseris; aliud enim est prodigere vitam, aliud omittere (ut dictum est) eius conservationem, ut promissum serves.

Quomodo autem peccent aperientes et legentes litteras alienas, *vide l.* 5. *num.* 70.

972. «6. Hinc quoque, si quis iniuste laedit famam tuam, nec potes eam tueri, nec recuperare alia via, quam imminuendo quoque famam illius, id licet (dummodo falsa non dicas) in tantum, quantum ad tuam famam conservandam necesse est, nec magis laedas, quam laedaris, collata tua et alterius persona. Vide card. de Lugo[4] (Ita Carden. apud Croix [5] et consentit Cont. Tourn. [6]. Secus tamen, si agatur in iudicio, et tu nullo modo possis probare illius crimen; quia tunc infamatio illius nihil tibi prodest. Omnino etiam peccas, si falsa dicas, ex prop. 44. damnata ab Innoc. XI. quae dicebat: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam et honorem defendat etc.*).

973. » 7. Si quis solatii tantum causa, et non intentione detrahendi, alicui amico narret iniuriam ab alio sibi factam, non videtur esse mortale, etsi inde aliqua infamia proveniat auctori; ea enim ipsi imputanda est. (Est communissima apud Salm. [7] et communis cum Mazz.[8] cum Nav. Bon. Sayr. Led. etc. Hinc probabiliter ait Mazz. cum aliis, excusari posse saltem a mortali, famulos detegentes iniurias illatas a dominis, uxores a viris, filios a patre, religiosos a praelato). Cavendum tamen ne dicatur pluribus, vel apertius nominetur persona, quam necesse sit ad consilium vel solatium. Less. Laym. Tann. [9] card. Lugo [10] et sic excusari posse famulos (saltem a mortali) qui iniurias sibi ab heris suis, uxores quae a maritis, filios qui a patre, religiosos qui a praelato, illatas, doloris tantum mitigandi causa, referunt, docet Trull.[11] ex Less. Laym. Tann. Nav. Diana [12]. Idem putat Cai. dicendum, si crimen occultum reveles uni alicui viro prudenti et taciturno, cui dicere perinde sit, ac si nulli diceretur; eo quod damnum illud censetur leve: et sic Trull.[13] cum Dian. [14] excusat poenitentem qui in confessione manifestat complicem: dicuntque cum Tann. Bon. Escob.[15] eam sententiam esse probabilem. Verum hoc universim non videtur satis tutum, quia laesio famae apud unam etiam personam censetur gravis, ut patet ex iudicio temerario: imo saepe quidam aegrius ferunt se laedi apud unam personam gravem, quam tres vel quatuor alias. Unde Suar. Fill. Less. Azor. et Laym. putant communiter esse mortale. Vide c. Lugo [16]. »

Sed opposita sententia, nempe quod revelare crimen alterius uni vel alteri viro probo non sit mortale, satis est probabilis, ut dicunt Less.[17] Cai.[18] item Trull. Covar. P. Nav. Reg. Bon. Tamb. et alii. Ratio quia, cum fama consistat in communi aestimatione hominum, non censetur absolute diffamatus, qui apud unum vel alterum tantum suam famam amiserit. Et huic sententiae aperte adhaeret d. Th. [19] dicens: *Ad 3. dicendum quod si aliquis referat praelato culpam proximi, intendens vel cautelam in futurum, vel aliquid huiusmodi, quod ad emendationem proximi videret expedire, non peccat. Si autem hoc sive praelato sive alicui amico suo ex malitia refert, tunc peccat mortaliter. Quod si ex incautela alicui dixerit hoc* (id est crimen alterius), *ita tamen quod non proveniat inde aliud, vel infamia vel vituperium proximo delinquenti, tunc non peccat mortaliter, licet incaute agat.*

(1) D. 14. n. 115. (2) D. 37. n. 10. (3) L. 3. p. 2. n. 1232. (4) N. 50. (5) L. 3. p. 2. n. 1217. (6) De iust. et iure p. 3. c. 3. a. 3. sect. 5. (7) Tr. 13. c. 4. punct. 5. §. 2. n. 43. (8) Tr. 4. d. 2 [illegible]

(9) 2. 2. q. 8. d. 2. d. 4. (10) D. 14. (11) L. 7. c. 10. d. 11. (12) P. 2. r. 39. (13) L. 7. c. 10. d. 11. (14) P. 1. t. 3. misc. r. 22 et p. 2. t. 5. misc. r. 33. (15) Ex. 9. (16) Loc. c. (17) L. 2. c. 41. n. 70. (18) 2. 2. q. 73. a. 2. (19) Quodl. 11. a. 13. ad 3.

Ergo s. doctor putat non provenire illi infamiam, cuius crimen uni tantum reveletur, nisi aliunde infamia ei proveniat, nempe si alter sit aliis manifestaturus. Secus autem ait s. Th. si tu peccatum proximi amico revelares *ex malitia*, nempe ex pravo animo nocendi, tunc enim non poteris a mortali excusari. Nec dicas verbum illud *ex incautela*, intelligi pro inadvertentia, ex hac enim nunquam peccatur mortaliter; sed omnino intelligitur imprudentia, sive levitas animi, quae tantum est venialis; et tunc tantum erit mortalis, cum ex ea *inde provenit delinquenti infamia aut vituperium*. Nec obstat paritas iudicii temerarii a Busemb. allata; nam bene respondet Less. [1] quod ibi peccatum mortale non committitur ob damnum famae, sed ob gravem iniuriam quae alteri irrogatur, cum quisque habeat ius ne falsum crimen ei imputetur, et ideo iudicium temerarium est mortale, ut docet d. Th. [2] dicens: *Hoc autem ipso quod aliquis malam opinionem habet de alio, sine causa sufficienti, indebite contemnit ipsum, et ideo iniuriatur ei.* Idque patet ratione, quia si iudicium temerarium esset mortale ob damnum famae alteri proveniens, etiamsi tu ex iustis indiciis tibi tantum notis iudicares de occulto illius crimine, adhuc graviter peccares, quod nemo dicet; ergo malitia iudicii temerarii non sumitur ex damno infamiae, sed ex contemptu sive iniuria quae proximo infertur.

« 8. Crimen simpliciter publicum, sive sit notorium iure sive facto, manifestare aliis qui id nesciunt, non est peccatum mortale iniustitiae: quia hoc ipso auctor amisit ius ad famam, cum ratio iusti iudicii, et evidentia facti faciat, ne de iniuria iuste queri possit. Quod confirmat consuetudo, mandans historiae publica crimina.

» Dixi: *non est mortale iniustitiae*: quia detegere eo loco, quo fama non erat perlatura, vel nonnisi post longum tempus, vel aliter cum gravi moerore eius qui commisit, saepe potest esse mortale contra caritatem, ut Less. Val. Tol. [3] contra Nav. et Cai. Vide Lugo [4] Fag. [5].»

974. Quaeritur an peccet mortaliter qui crimen in aliquo loco publicum manifestat in alio loco ubi eius notitia nondum pervenerit, nec perventura erit intra breve tempus. Circa dubium hoc tres sunt sententiae.

Prima cum Dicastill. Vill. Antoine Cont. Tourn. [6] Cuniliati etc. tenet peccare graviter contra iustitiam, quia peccator ille in eo loco adhuc est in suae famae possessione.

Secunda sententia cum Less. Bon. et Sylv. tenet peccare graviter, sed tantum contra caritatem. Ratio, quia licet reus iam amiserit ius ad famam, graviter tamen ille tristaretur, si sciret crimen suum patefactum fuisse ubi erat occultum.

Tertia sententia communior, quam tenet card. de Lugo [7] (et hic vocat communem et veram) cum s. Antonino Caietano Ledesma et Io. maiori ac Salm. [8] cum Nav. Bannez Serra Filliuc. Fagund. Machado et aliis dicit non peccare graviter neque contra iustitiam, neque contra caritatem. Plures adducunt rationes praefati auctores pro hac sententia. Ratio mihi probabilior videtur esse, quod publico bono conducit facinorosos non ignorari, ut ab eis caveant omnes; publicum enim bonum sane praeferendum est famae privati hominis. Haec tamen ratio valet tantum respectu illorum criminum quae reddunt hominem perniciosum, et ab aliis vitandum, ut sunt crimina homicidii proditorii, latrocinii, scandalosae impudicitiae et similium. Nec obstat dicere, reum in eo loco suam famam possidere, et ideo non posse illa expoliari cum sola opinione probabili. Nam respondetur quod eodem tempore quo suum crimen fit publicum, ex una parte iam probabiliter amittit ipse ius ad

(1) Loc. c. (2) 2. 2. q. 60. a. 3. ad 2.
(3) L. 5. c. 63. (4) D. 14. n. 59.
(5) P. 2. l. 5. c. 3.

(6) De iust. et iure, p. 3. c. 5.
(7) De rest. d. 14. n. 59.
(8) Eod. t. c. 4. punct. 5. §. 3. n. 61.

suam famam, et ex alia communitas aliorum acquirit ius ad eum agnoscendum ut vitet; et cum suum ius tunc evadit incertum, redditur etiam incerta possessio illius. P. Concina in hac quaestione distinguit, et ait quod cum delictum est publicum *notorietate facti*, id est si publice est patratum, tunc in omni loco manifestari potest; cum autem esset publicum tantum *notorietate famae* respectu ad illius manifestationem sic concludit: *Cauti omnes sint oportet, quia facile fingitur haec publica fama* [1].

« 9. Similiter non est peccatum contra iustitiam, saltem mortale, quaerere causam captivitatis alicuius, vel de ea loqui; sicut enim captivitas est publica, sic etiam causa videtur esse facta publica. Sayr. Bon. Trull. [2] qui eodem modo excusat eum qui refert delictum alicuius publicum, referendo simul poenitentiam et emendationem; secus si taceatur poenitentia quam fecit: sic ait peccare historiographum, describendo peccata mortuorum publica, et non referendo poenitentiam vel emendationem, si resipuerint.

» 10. Similiter manifestare crimen quod nondum est publicum, moraliter tamen certum est, brevi fore publicum (sive per facti evidentiam sive per sententiam iudicis), non est mortale, quia parum nocet, nisi tamen ex ista anticipatione sequerentur gravia damna, v. gr. in officio etc. Lugo [3].»

975. Ut autem aliquod crimen possit dici publicum, censent Mol. Lugo et Haun. apud Croix[4] et Elbel[5] cum aliis sufficere, si in aliqua communitate 8. personarum, 4. illud sciant, vel si 100. personarum sciant 15.: vel si 1000. sciant 20. circiter diversarum familiarum plusquam duarum: publicum autem esse in aliqua vicinia 40. personarum, si sciant 8. ex diversis familiis: item si in oppido 5000. civium sciant 40. per illud dispersi: addit Stephan. cum aliis, crimen dici famosum, si illius fama pervagatur per maiorem partem oppidi, communitatis, viciniae, vel parochiae. Item dicunt Mol. et Lugo dici infamatum in regno, qui iam infamatus est in curia vel in alio illustri loco, ex quo facile in regnum fama dimanet.

976. « 11. Infamem in uno crimine de altero valde affini infamare, est tantum veniale: ut v. gr. si de adultero dicas quod miserit litteras amatorias: quia tunc non notabiliter augetur infamia. (Nec si de publico fure dicas esse periurum, nec si de famoso lusore dicas omisisse missam, non curare familiam. Ita Salm. [6] cum Less. Lugo Bon. Tap. etc. Vel si dicas de milite fornicationem vel duellum patrasse). De disparato tamen et non connexo crimine infamare, est mortale: quia infamis in uno genere vitii non amisit ius famae in aliis virtutibus. Tan. [7] ex Nav. et Less. (Sic etiam dicunt Salm.[8] cum Less. Lugo Bon. etc. esse grave de foemina diffamata de uno adulterio narrare aliud occultum) contra Sylv. [9] Palud. etc.

977. » 12. Detractio materialis ex loquacitate orta est mortale, si gravem proximi laesionem importet, idque advertatur; quia etsi non intendatur directe laesio alterius; ea tamen indirecte et implicite est volita et aequivalet formali. Veniale autem tantum erit, si non sequatur laesio gravis, quia scilicet communiter non serio accipitur nec creditur. Similiter erit veniale

(1) In Hom. Ap. tr. 11. n. 12. in fin. s. Alphonsus addit: Adverte quod delictum publicatum in una tantum familia, aut monasterio, non potest dici absolute publicum; unde non potest alibi manifestari, et ne in alio quidem monasterio ipsius ordinis, quod cum illo haberet frequentem communicationem.

Deinde n. 13. loquens non tantum de loco, sed etiam de tempore, quo delictum aliquod fuit publicum, dicit: Delictum vero alicuius publicum uno tempore, non potest in alio in quo factum est occultum publicari sine gravi culpa, saltem contra caritatem; excipe tunc si delictum esset publicum, non solum notorietate facti, sed etiam notorietate iuris nempe per sententiam iudicis aut rei confessionem in iudicio, ut docent Lessius Lugo La Croix etc. Caeterum hoc non obstante, non prohibetur, quin historici delicta publica describant etiam ex solo facto. Sotus Molina Vasq.

(2) L. 7. c. 10. d. 11.

(3) L. c. n. 92.

(4) Lib. 3. p. 2. n. 1219.

(5) Cons. 13. n. 379.

(6) Loc. c. §. 2. n. 52.

(7) D. 4. de iust. q. 8. d. 7. n. 141.

(8) Ibid.

(9) V. Detractio.

tantum, audita referre, ut audita tantum, hoc est, nihil affirmando de rei veritate, sed dubitationem potius suam de ea significando; ita ut nulla inde secutura putetur infamia, nec auditores rationabiliter sint credituri. Ita contra Azor. [1] docent Tann. [2] Esc. [3] eo quod diffamatio, si forte sequatur, imputetur audienti, si credat. Idem docet c. de Lugo [4] recte limitans, nisi grave damnum ex modo narrandi, vel ex levitate audientium (qui temere credituri sint et vulgaturi) secuturum possis praevidere. Hinc peccas graviter contra iustitiam, si referens grave crimen addas, id tibi dictum esse a viro fide digno, quia praebes sufficiens fundamentum credendi. Vide Diana [5].»

Quaeritur an referre tantum peccata occulta alterius ut ab aliis audita, sit mortale. Dicendum 1. Non peccas mortaliter, si ita referas, ut tibi probabile non sit ullam inde infamiam orituram, eo quod alii non sint credituri. Dicendum 2. Si audita referas coram iis qui probabiliter sint credituri ex sola sua levitate vel malitia, non peccas contra iustitiam, quia non es causa efficax damni, sed mere per accidens, at peccas contra caritatem, quia quisque tenetur impedire grave damnum proximi, quantum commode potest. Dicendum 3. Si tandem ita referas, ut audientes probabiliter et merito sint credituri, puta si asseras audivisse a persona fide digna, tunc peccas etiam contra iustitiam, quia das sufficientem causam credendi malum. Ita Less. [6] Lugo [7] Spor. [8] cum s. Ant. Cai. Sylvest. Laym. Tamb. et communi Croix [9] Salm. [10] cum Soto Trull. Vill. Sylvio etc. Addit Less. [11] (et hoc Salmant. [12] habent ut certum cum Bann. Lugo et Bon.) quod si referas crimen alicuius valde enorme, puta haeresis, rebellionis, aut sodomiae, tunc peccas graviter, etiamsi dubitanter dicas, quia haec sola suspicio hominem valde infamat, iuxta dicta *n.* 964. E converso, si referas crimen tanquam auditum a personis fide indignis, v. gr. ab inimicis infamati, et tunc non peccas mortaliter respectu infamati, ut Salm. [13].

978. « 13. Mortuum infamare, minus grave est, quam vivum: mortale tamen et ad restitutionem obligans. Less. [14] Bon. [15].

» 14. Non esse mortale de aliquo ignoto vel indeterminato male loqui, v. gr. in tali loco esse multos improbos, in tali collegio unum canonicum commisisse grave crimen, v. gr. simoniam, docet Escob. [16] Fag., quod Trull. [17] ex Bon. Az. etc. limitat, si non sit tale quod in alios redundet.

» 15. Gravissime autem peccant qui ordini seu statui alicui religiosorum in communi vel monasterio detrahunt, dicendo v. gr. quod in eo male vivatur, non servetur observantia regularis, etc. *nisi id sit plane notorium:* quia gravissime nocent, tenenturque sub mortali ad restitutionem toti communitati, a qua superioris remissio non excusat. Sot. Nav. Trull. [18]. Talem autem sufficienter confiteri, si dicat, detraxi cuidam religioni, ordini, vel monasterio etc. sive sit communitas numerosa sive non, docent Lugo et Tambur. [19].

» 16. Similiter mortale est, tacita persona nominare monasterium vel ordinem religiosum, ex quo aliquis grave peccatum occultum, v. gr. adulterii, vel fornicationis commiserit. Nav. Trull. [20].

» 17. Explicandum est in confessione, an apud multos et quot circiter, an vero apud unum tantum alicui detraxerit. Ita probabiliter Bon. [21] ex Sanchez Sylv. Andr. [22]. Sed c. Lugo [23] ex Nav. Salas Con. etc. negat, dicitque contrarium esse probabilius. Nec omittendum, si quem infamaveris libello

(1) N. 3. l. 13. c. 6. (2) 2. 2. d. 4. q. 8. d. 7. n. 121. (3) Ex. 10. c. 4. n. 40. (4) Loc. c. (5) T. 5. misc. r. 18. (6) L. 2. c. 11. d. 5. (7) D. 14. n. 56. et 57. (8) De 8. pr. c. 4. n. 62. (9) L. 3. p. 2. n. 1207. (10) De rest. c. 4. punct. 5. §. 2. n. 51. (11) L. c. n. 24. (12) Ibid. n. 49,

(13) Ibid. (14) L. 2. c. 11. d. 21. (15) D. 1. q. 3. p. 2. (16) Ex. 10. c. 4. (17) L. 7. c. 10. d. 4. (18) Ibid. (19) De exped. conf. l. 2. c. 1. (20) C. 10. d. 14. (21) De sacr. d. 6. q. 3 p. 2. §. 3. diff. 3. n. 16. et 21. (22) N. 13. (23) D. 16. n. 135. 140. et 163.

famoso; cum id sit genus detrahendi gravissimum, et ad plurimos pertinens. Non tamen necessario dicendum in quo genere infamaveris: quia fama semper est eiusdem speciei in genere moris. Card. Lugo [1].

979. » 18. Peccat mortaliter contra iustitiam et tenetur ad restitutionem, ratione cooperationis, qui audit detractorem, excitando vel animando efficaciter: qui vero laetatur tantum detractione audita, aut, licet non laetetur, qui non impedit, cum commode possit, peccat pro ratione damni, mortaliter vel venialiter contra caritatem; non tamen tenetur ad restitutionem, nisi sit superior, pater vel dominus: is enim ex officio tenetur impedire subditum ne alteri iniuste noceat. Dixi, *si commode possit*: quia non peccat qui putat monitionem suam nihil profuturam: vel ex eo magnum incommodum metuit, vel qui rationabili verecundia prohibetur, ob auctoritatem detrahentis. Debet tamen tunc discedere, si commode potest, faciem tristiorem ostendere, vel alio modo sermonem avertere. Less. et Bon. [2]. Hinc aequalis raro, inferior rarissime tenetur corrigere detractorem. 1. Quia audiens plerumque nescit an quod dicitur sit notorium, tametsi ipse ignoraverit; et in dubio non est cur damnet detractorem: in quo multi falluntur, existimantes, simul ac aliquid audiunt dici contra proximum, id sibi mox refutandum. (Excipe, si detrahens sit homo perditus, ut recte ait Ronc. [3]. 2. Quia, coepta detractione, saepe melius consulitur proximo, si sinatur absolvi, quam si abrumpatur. Nam si distincte explicetur, saepe non tam graviter apprehenditur, quam initio conceptum erat. 3. Quia saepe sine gravi offensione non potest corrigere. 4. Quia saepe alter habet iustam causam manifestandi, praesertim, uni soli. Lugo [4]. Vide Diana. [5].»

Sed melius haec sunt explicanda. Quaeritur quomodo peccet audiens detrahentem. Resp. 1. Qui inducit alterum ad murmurandum certe peccat graviter et contra iustitiam. Resp. 2. Qui autem non inducit, sed tantum gaudet de detractione gravi, peccat graviter, non contra iustitiam, sed contra caritatem, cum delectetur de gravi damno proximi; ita cum aliis s. Th. [6]. Excipiunt Less. et Bon. apud Salm. [7] si ille non gauderet de infamia proximi nec de detractione, sed de auditione rei novae, seu de cognitione curiosa alienorum criminum. Imo Elbel [8] Roncag. [9] Spor. [10] cum Mol. Less. ac Laym. Bon. [11] et Salm. cum Tol. Dian. et Reg. [12] dicunt non peccare graviter, etiamsi de ipsa detractione delectetur, non causa odii vel gaudii de alterius damno, sed ex curiositate seu vanitate; idque deducunt ex s. Th. qui [13] tunc tantum docet esse grave, quando *placeat ei detractio propter odium eius cui detrahitur*. Resp. 3. Superior tam detrahentis, quam detracti peccat graviter audiendo detractionem, si eam non avertat, cum commode possit; quia ipsi specialis obligatio incumbit corrigendi detrahentem, aut damno infamati obviandi. S. Th. [14] Lugo [15] Spor. [16] cum comm.

980. An autem superior tunc peccet contra iustitiam, et teneatur ad restitutionem.

Prima sententia cum Bus. hic affirmat, si praelatus sit superior detrahentis; quia, dicit, ipse tenetur ex officio obstare ne subditus alteri noceat.

Secunda sententia cum Salm. [17] Bann. et Tap. [18] affirmat, si sit superior infamati, quia ex officio tenetur ad obviandum infamiae subditi, quae officit illi ad bonum spirituale in alios promovendum.

Tertia sententia tamen forte probabilior negat peccare contra iustitiam, neque superiorem detrahentis; cum ipse non teneatur invigilare bono alterius non subditi (sed non excusatur a culpa gravi contra caritatem, et et-

(1) D. 16. n. 265. (2) L. c. (3) De 7. praec. c. 2. q. 11. r. 4. (4) Loc. c. n. 128. (5) T. 3. misc. r. 24. et t. 5. misc. r. 25. (6) 2. 2. q. 73. a. 4. (7) De rest. c. 4. punct. 5. §. 5. n. 69. (8) N. 363.
(9) De 7. praec. c. 2. q. 11 r. 2. (10) De 8. praec. c. 4. n. 106. (11) P. 11. n. 5. (12) Ibid. (13) L. c. (14) L. c. (15) D. 14. sect. 8. n. 133. (16) N. 107. (17) Ibid. n. 70. (18) Ibid.

iam contra iustitiam, si sit episcopus vel parochus, et non corrigat, quia hi tenentur ex iustitia ad corrigendos subditos, iuxta *dicta n.* 360. *vers. Sed dubitatur*), neque superiorem infamati, cum ipsi non incumbat ex iustitia bono temporali subditi attendere. Quod autem infamatus impediatur sic promovere spiritualem profectum aliorum, videtur esse per accidens. Ita Sot. Rebell. et Dicast. apud Salm.[1] et consentit Lugo[2]. Bene autem advertit Lugo[3] quod si infamatus et infamans sint subditi, et infamatus imploret praelati auctoritatem ut fama ei restituatur; tunc ille ex iustitia ad id tenetur, modo possit sine timore gravioris mali.

981. Dubium maius est an persona particularis peccet graviter, si detractionem, cum commode possit, non avertit. Affirmat Bus. hic cum Lugo Less. Bon. Dic. etc. apud Salm.[4]. Sed quia auctores relatae sententiae plures addunt limitationes, quas afferunt Bus. Lugo etc. *n.* 978. *ut supra;* censent absolute Salm.[5] dicendum esse cum communi thomistarum, privatam personam nonnisi venialiter peccare, si ex verecundia, timore vel negligentia detractioni non resistat, etiam cum commode possit: modo praeter infamiam aliud damnum ex detractione non accedat. Ita Ronc.[6] Less.[7] Spor.[8] Mazz.[9] Elbel[10] cum Sot. Bann. Tap. Rebell. Tann. Diana etc. ex s. Thoma, qui[11] sic docet: *Si vero non placet ei peccatum, sed ex timore vel negligentia vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus quam detrahens: et plerumque venialiter.* Addit autem s. doctor *plerumque* (ut notant Salm.) quia dicit postea in tribus casibus peccare graviter: nempe 1. Si esset superior. 2. Si aliud damnum proximo immineret. 3. Si ipse ob timorem ultimum finem in creatura constitueret. Praeterea praecisis his casibus memoranda est alia doctrina s. Th.[12] relata per extensum *l.* 2. *n.* 36. ubi docet excusari a mortali, qui ob timorem omittit facere correctionem, modo ei non constet quod correctio sit profutura. At quia in hac materia detractionis difficillime constare potest correctionem proficere, et aliunde facillime offenduntur detrahentes coram aliis correpti, imo periculum est quod potius augeant vel confirment detractionem. ex omnibus his motivis simul congestis rationabiliter sustineri potest praefata communissima sententia excusans universe audientes a mortali, si correctionem omittant. Excusantur autem apud omnes etiam a veniali, qui, advertendo detractionem, discedunt vel sermonem divertunt vel faciem avertunt aut tristem ostendunt ex Prov.[13]: *Dissipat facies tristis linguam detrahentem.* Ratio quia istae actiones sunt verae correctiones. Vide Salm.[14] Elbel[15] Mazzott.[16] et alios communiter.

982. « Quaeres 1. an liceat alium infamare ad tormenta gravia vitanda.

» Resp. 1. Licet, si crimen sit verum: quia nullam alteri facit iniuriam, cum habeat ius illud in necessitate revelandi.

» Resp. 2. Si crimen sit falsum non licet; quia esset mendacium perniciosum. Sylv. tamen et Nav. putant, veniale tantum esse, si sola infamia sequatur, et post torturam revocetur, eo quod non sit infamia efficax (*Vide infra l.* 4. *n.* 277.).

983. » Quaeres 2. an liceat seipsum infamare.

» Respondetur id non esse saltem mortale regulariter. Ita Less. Filliuc. et Laym.[17] quia non est contra iustitiam, cum sit famae suae dominus; nec contra caritatem, quia haec non obligat ad bona externa conservanda, nisi in quantum id exigat salus propria vel proximi.

» Dixi *regulariter:* quia per accidens potest esse mortale, ut v. gr. si tua fama sit necessaria muneri, vel si tibi damnum vitae, vel aliis infamiae ex eadem sequeretur.

(1) Ibid. (2) D. 14. ex n. 130. (3) N. 135. (4) Tr. 13. c. 4. p. 5. §. 5. n. 72. (5) Ib. n. 74. (6) De 7. praec. c. 2. reg. in praxi 7. (7) L. 2. c. 11. n. 22. (8) N. 109. (9) Tr. 4. d. 2. q. 2. c. 1. §. 1. qu. 10. (10) Conf. 12. n. 373. (11) 2. 2. q. 73. a. 4. in corp. (12) 2. 2. q. 33. a. 2. ad 3. (13) C. 25. v. 23. (14) L. c. n. 72. (15) N. 373. (16) L. c. (17) L. 3. t. 3. p. 2. c. 3. n. 14.

» Non est mortale, ad vitanda gravia tormenta, falsum crimen sibi imponere ex quo etiam mors sequatur: quia non tenetur homo cum tantis cruciatibus vitam suam tueri, nec talis dicitur se interficere, sed tantum ex iusta causa vitam morti exponere. Less. Ang. Sylv. Fill. Tann. (*V. inf. l. 4. n.* 275.).»

984. Notandum autem est hic, quomodo restituendus sit honor iniuste ablatus. Certum est quod, si honor publice sit ablatus per contumeliam, publice etiam restitui debet coram illis qui dehonorationi praesentes fuerunt, vel saltem per modum quo satisfactio de facili ad ipsorum notitiam pervenire possit. Sufficit autem ut satisfactio fiat per aliam personam, quae nomine dehonorantis veniam petat, etc. Ita Salmant. [1] cum Trull. Pal. et Nav.

985. Sed quaeritur 1. An, si contumelia fuit occulta, debeatur satisfactio. Negant Mol. [2] et Laym. [3] sed isti auctores diversa ratione ducuntur: ratio Laymani est, quia in eo casu adest iniuria sine damno, quo secluso, nullam ait esse obligationem restitutionis: ratio autem Molinae est, quia, licet damnum adfuerit, illud tamen transiit, et amplius non perseverat, cum deinde offensor iam solitam debitamque honoris testificationem nunc offenso exhibeat, ut supponitur. Sed affirmandum reor omnino cum communi et vera sententia, quam tenent Less. [4] Salmant. [5] cum Rebel. Trull. Vill. Prado et Serra Spor. [6] Ronc. [7] cum s. Anton. Lugo [8], qui dicit omnino tenendam referens ex Rebel. contrariam reprobatam fuisse Romae a censoribus societatis Iesu. Ratio quia contra rationes primae sententiae probatur in tali casu, quod bene adest damnum et damnum perseverat. Quod adsit damnum non videtur posse negari: nam, ut pro certo habet s. Thom. [9] in omni contumelia, adhuc occulta, praeter iniuriam adest damnum honoris iniuste laesi, cum quisque habeat ius ut debitus honor ei servetur. Quod autem damnum hoc perseveret, pariter non est dubitandum cum honor offensi remaneat laesus, usquedum per debitam satisfactionem reparetur: non reparatur vero per signa communia postea exhibita, ut supponit Mol. postquam iniuria est illata, quia ut bene arguit Lugo, qui alteri iniuriam irrogavit, in aestimatione hominum non videtur eum honorare sicut debet, imo potius videtur contemnere, si honore solito ipsum revereatur, quin veniam ei petat contumeliae irrogatae. Caeterum ipsi Mol. et Layman non negant quod offensor teneatur petere veniam ab offenso, saltem ad reconciliandum animum illius exasperatum, iuxta praeceptum Salvatoris [10]: *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, vade prius reconciliari fratri tuo.*

986. Quaer. 2. Quomodo facienda sit honoris restitutio. Resp. illam satisfactionem requiri quae censetur sufficiens ad manifestandum aestimationem, iuxta conditionem personae offensae. Si enim dehonorans fuerit superior, sufficiet si honorabiliter dehonoratum salutet, domi invitet, benevolentiam ostendat, etc. Secus si fuerit aequalis vel inferior, tunc maior satisfactio requiritur, nempe ut praeveniat in salutando, cedat locum, veniam petat; qui modus quidem aptior est ad contumeliam compensandam: caeterum talis petitio veniae non est necessaria, nisi quando aliter satisfieri nequeat. Ita Less. [11] Salm. [12] cum Caiet. Trull. Bonac. Diana etc. Ideo addunt numquam teneri praelatum veniam petere a subdito, herum a famulo, virum ab uxore, nobilem a plebeio.

987. Quaer. 3. An veniae petitio sit semper sufficiens satisfactio. Affirmant Les. [13] cum Bon. Trull. etc. ap. Salm. [14]. Sed negant Salm. [15] cum Soto Serra Lugo Led. et Ronc. [16] cum s. Ant. Laym. et Ant. a Spirit. s. Quando enim iniu-

(1) De rest. c. 4. punct. 8. n. 110. (2) D. 46. n. 5. (3) L. 3. tr. 3. p. 2. c. 7. n. 6. (4) L. 2. c. 11. dub. 27. n. 144. (5) Ibid. n. 112. (6) De 8. pr. c. 4. n. 135. (7) De 7. pr. q. 4. c. 1. q. 2. r. 3

(8) D. 15. sect. 4. n. 54. (9) 2. 2. q. 72. a. 1. ad 1. (10) Math. 5. 23. (11) L. 2. c. 11. n. 244. (12) D. c. 4. n. 113. et 114. (13) Ib. n. 145. n. 115. (14) Ibid. (16) L. c.

ria est gravissima, puta si subditus inhonoret superiorem, vel plebeius nobilem alapa percutiat, ultra petitionem veniae, tenetur petere illam flexis genibus, vel aliam similem humiliationem ostendere: quae quidem sententia probabilior est.

988. Caeterum quoad praxim diligenter advertendum puto, quod multoties expedire continget ut confessarius omittat monere poenitentem in bona fide existentem, qui alium inhonoravit, de satisfactione praestanda, in pluribus casibus: Et 1. Si praevideat monitionem non profuturam, imo potius obfuturam, iuxta regulam infra dicendam de *Sacram. poenit. l.* 6. *num.* 610. dum experientia constat quod poenitentes facile tales satisfactiones promittunt, sed difficulter in facto adimplent, ob ruborem quem postea in hoc sentiunt vel apprehendunt. 2. Si probabiliter putet, dehonoratum magis recusare, quam cupere illam publicam satisfactionem, ne memoria iniuriae acceptae apud alios redeat, aut ne ipse rubore magis afficiatur. Lugo[1] cum Molina. Tunc vero bene advertit Lugo [2] aliam esse quaerendam viam honorandi peculiariter offensum extraordinariis actionibus, in quibus aptius contineatur petitio veniae. 3. Idem dicendum si probabile periculum sit quod in actu satisfactionis odia inter offensum et offensorem renoventur. 4. Si ex signis manifeste appareat remissio facta ab offenso, nempe si iste sponte ad offensorem accedat, atque valde familiariter et iocose cum eo tractet, et similia. Notant autem hic Salm. [3] cum Bon. Dic. Trull. etc. non sufficere ad praesumendam remissionem, simplicem familiarem conversationem offensi: multi enim odium deponunt et dissimulant iniuriam acceptam ad evitandam notam vel aliud damnum; sed satisfactionem vere non condonant.

989. Quaer. 4. Utrum, si tu offensus vindictam sumpseris, liberetur offensor ab onere satisfactionis pro contumelia illata. Videtur quod non, quia non videris recuperare honorem tuum laesum per laesionem honoris offensoris tui. Sed affirmandum cum Lugo [4] et communi sententia. Ratio, tum quia per vindictam iam censeris tibi satisfieri, tum quia offensor tuus tolerando posteriorem iniuriam, videtur suam culpam recognoscere et satisfacere pro offensa prius tibi illata; recte vero censet Lugo[5] quod si iniuria a te irrogata tuam primam offensam notabiliter excedat, teneris tu saltem secundum excessum satisfacere.

990. Quaer. 5. Utrum, si offensor a iudice publice puniatur, adhuc teneatur in conscientia pro iniuria illata satisfactionem exhibere. Probabilissime negat Lugo[6] cum communi. Ratio, quia ipsa poena inflicta pro honore tibi ablato videtur satis honorem tuum resarcire. Ita etiam, si offensor a iudice coactus debitam satisfactionem tibi praestiterit: tunc enim licet coacte, iam vere testificationem exhibuit aestimationis tuae dignitatis. Dixi *debitam*, nam si satisfactio imposita a iudice non fuit sufficiens ad reparandum tuum honorem ablatum, adhuc remanet ei obligatio illum ad aequalitatem resarciendi.

DUBIUM III. An et quomodo fama restituenda

(1) D. 15. n. 58. (2) Ibid.
(3) Tr. 13. c. 4. punct. 8. n. 116.
(4) D. 15. n. 58. (5) N. 60.
(6) D. disp. 15 n. 6?

891. « Resp. Nisi sit causa excusans, patet ex natura iustitiae, et ex dictis de restitutione, famam iniuste ablatam restitui debere. Et quidem, si verum crimen quis narravit, debet opinionem conceptam, quantum potest, apud audientes abolere, dicendo v. gr. se male dixisse, iniuriam intulisse, deceptum esse, etc. vel, si hac ratione parum proficiatur, eum laudando in aliis rebus, crimen extenuando, honores eius in re alia procurando, etc.; sic enim sensim tantundem fama eius illustratur ex una parte quantum ex altera obscurata fuit. Quod si autem crimen falsum impegisti, teneris id aperte retractare (adhibito etiam, si opus est, iuramento) (Sufficit autem iuramentum, quin adhibeantur etiam testes, ut tenent Nav. Trull. Dicast. Salmant.[1] contra Lugo Bonac. etc. qui etiam testes requirunt) apud eos quibus dixisti, et (per se loquendo) ad quos infamia pervenit, sive apud auditores mediatos; ut contra Less. et Tann.[2] docet card. Lugo; quia totum damnum famae, cuius causa es, teneris reparare[3].

» Licet aliquando sufficiat dicere, te penitus deceptum, rem aliter se habere, male te informatum fuisse. V. Layman[4] Less.[5].

» Dixi, *per se;* plerumque enim per accidens ab hac obligatione talis excusatur respectu auditorum mediatorum: tum ob moralem impotentiam, tum quia eo ipso quod apud immediatos retractavit, implicite illis commisit ut hanc retractationem ipsi indicent aliis, si quibus forte revelaverint. Idque confirmat praxis confessariorum, qui tantum obligant, ut retractent apud eos quibus ipsi revelarunt. V. c. Lugo[6].»

Quaeritur an infamator teneatur famam restituere, non solum coram auditoribus immediatis, sed etiam mediatis.

Prima sententia, quam tenet Lugo[7] cum Nav. Less. et Turr. Spor.[8] Croix[9] Salm.[10] Ronc.[11] Conc.[12] Cont. Tourn.[13], distinguit: Si famam abstulisti apud auditores quos putabas non revelaturos, non teneris restitutionem facere apud auditores mediatos, quia, cum non praevideris damnum, non teneris illud reparare, tale enim damnum si evenit, per accidens evenit: secus si praevideris alios facile evulgaturos.

Secunda sententia vero quam (practice loquendo) probabilem putant cum Bus. Lugo[14] cum Fabro Holz.[15] Croix[16] Spor.[17] Salm.[18] tenet sufficere ut plurimum restitutionem facere apud immediatos, tum quia restitutio apud omnes mediatos saepe est moraliter impossibilis: tum quia per illam retractationem coram immediatis iam imponitur iis obligatio se retractandi apud alios. Sed his non obstantibus, prima sententia est mihi verior; quamvis enim ad nihil tenearis, si auditores tui iam se retractent apud alios; quando tamen illi hoc facere negligunt, teneris damnum reparare quantum est moraliter possibile: prout, si incendisti segetem tui inimici, praevidens ignem facile extendendum ad segetes finitimas, teneris utique totum damnum resarcire: cum quisque teneatur restituere omne damnum quod alteri provenit ex sua iniuria, semper ac illud fuerit praevisum.

892. Notandum autem hic quod, cum fama sit restituenda ab eo qui verum crimen propalavit, tres modi a dd. assignantur: 1. Modus, ut docet s. Th.[19] est, si diffamator dicat; *Se male dixisse, vel, quod iniuste eum diffamaverit.* Sed hic modus, ut dicunt Cai. Ledesm. Less. ap. Salm.[20] vix hodie sufficiens est apud rusticos et simplices. 2. Modus qui communiter aptissimus existimatur, est, quod si restitutio famae a-

(1) De rest. c. 4. punct. 9. §. 2. n. 129.
(2) 2. 2. d. 4. q. 6. d. 6. n. 146.
(3) Confessarius curet, ut huiusmodi famae compensationes, cum commode fieri possunt, ante absolutionem fiant, quia postea difficulter adimplebuntur; licet caeteroquin hae minus difficultatis habeant quam pecuniae restitutio. Hom. Ap. tr. 11. n. 18.
(4) L. 3. t. 3. p. 2. c. 7. (5) C. 11. d. 30. (6) L. c.
(7) D. 15. n. 15. (8) De 8. praec. c. 4. n. 100.
(9) L. 3. p. 2. n. 1242. (10) L. c. §. 1. n. 122.
(11) De 7. pr. c. 3. q. 1. (12) T. 4. p. 670. n. 5.
(13) De iust. et iure p. 3. c. 3. a. 3. sect. 4.
(14) N. 16. (15) De rest. c. 3. n. 301.
(16) Loc. c. (17) N. 102. (18) Ibid. n. 123.
(19) 2. 2. quaest. 62. a. 2. ad 2.
(20) Ibid. §. 2. n. 130.

lio modo facta potius noceat quam prosit, tunc melior est indirecte occasione oblata, serio et pluries honorabiliter loqui de laeso, vel illum honorifice tractare. Ita Salm. cum Caiet [1]. 3. Modus esset asserere: *Se falsum dixisse, errasse, se deceptum vel mentitum fuisse.* Et licet hunc modum adhiberi posse negant Sot. Cai. Bann. Sylv. etc. apud Salm. [2] putantes haec esse vera mendacia; probabiliter tamen Lugo [3] Sanchez[4] Wigandt [5] Less. [6] Ronc.[7] Mazz. [8] cum communi, ut asserit, et Salm. [9] cum Villal. Trull. Ledesm. Serr. Tap. Prad. Sayr. P. Nav. censent praedicta verba non esse mendacia, sed veras amphibologias; nam, ut s. Th.[10] ait: *Ipsa peccata falsitates et mendacia dicuntur in Scripturis, secundum Ps. 4. Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?* Et idem habetur in Ierem.[11] *A propheta usque ad sacerdotes cuncti faciunt mendacium*, id est peccatum. Pariter igitur qui peccavit, bene potest dicere, *se mentitum fuisse*, *sive errorem fecisse*. Hinc in nostro casu bene possumus, imo si opus sit, tenemur talibus verbis ambiguis uti; dum s. Th.[12] docet famam proximi omni modo possibili reparandam esse. Ita Salm. [14].

Unde resolves:

« 1. Confessarii est, uti et concionatorum, bene instruere suos, et monere de restitutione, ac fuga vitii tam communis.

993. » 2. Is qui bona fide vel probabili errore ductus, sine formali mendacio falsum de alio dixit, tenetur (intellecta postea materiali iniustitia) ad restitutionem, licet non tam stricte, quam qui infamavit per iniuriam formalem: hic enim tenetur restituere cum detrimento famae suae, etiam aequali, alter non item; sed tantum quatenus sine suo notabili incommodo potest. Molina Less. card. Lugo [15]. Similiter qui crimen narravit de uno, quod auditores ex errore intellexerunt de alio, licet non ex iustitia (siquidem non eius actio, sed error audientium causa fuit damni iniusti), tamen ex caritate tenetur ad restitutionem, cum possit grave damnum proximi sine suo detrimento praecavere. Bon. [16].»

994. Notandum tamen quod talis materialis detractor, si commode possit, tenetur statim ac advertit, famam restituere ex iustitia; pari modo quo incendens alterius domum sine culpa, tenetur ex iustitia ignem extinguere; alias damnum quod inde sequitur ipsi imputatur. Ita communiter Less.[17] Lugo [18] Laym. Trull. Bonac. Dic. etc. cum Salm. [19].

An autem, qui iniuste alium diffamavit crimen eius verum manifestando, teneatur integre damnum quod inde secutum est, restituere. Negat Sot. dicens teneri tantum ad partem; cum damnum proveniat non solum ex manifestatione, sed ex ipso crimine commisso; et hoc probabile putant Bonac. et Trull. apud Salm.[20]. Sed omnino oppositum tenendum cum Croix [21] et Salmant.[22] cum Laym. Lugo Mol. Dicast. etc. quia hic et nunc sua iniusta revelatio est causa vera et unica damni, dum sine ipsa damnum omnino abfuisset.

995. « 3. Qui detraxit alteri libello famoso, tenetur, ut efficax sit restitutio, eam facere contrariis scriptis vel publica revocatione. Sa Bon. [24].»

Notandum 1. quod *libellus infamatorius* tunc conficitur, quando profertur scriptura, etsi brevissima, continens infamiam occultam alicuius, ut publica fiat. Unde non esset talis, si confectus esset ad ingenium ostentandum, non autem malum publicandum; vel si infamia iam esset facta publica; vel si quis ob bonum publicum proferret defectum grassantem in communem per-

(1) D. n. 130. (2) De rest. c. 4. p. 9. §. 2. n. 131. (3) D. 15. sect. 2. n. 30. (4) Dec. l. 3. c. 6. n. 14. (5) Tr. 8. n. 104. (6) C. 11. n. 110. (7) C. 3. q. 2. r. 2. (8) Tr. 4. d. 2. q. 2. c. 1. §. 2. (9) Ib. n. 133. (10) 1. p. q. 17. a. 1. (11) C. 8. v. 10. (12) In 4. d. 15. q. 1. a. 4. q. 2. ad 1. (14) Cit. n. 133.

—Ego soleo hoc consilium dare, ut dicant: *ex capite meo hoc erui*, aequivocando, quia omnia verba e mente, pro qua accipitur caput, procedunt. H. A. tr. 11. n. 18. (15) D. 15. n. 4. (16) D. 44. (17) L. 2. c. 11. d. 22. (18) D. 15. n. 4. (19) De rest. c. 4. n. 120. et 121. (20) Cit. tr. et c. n. 125. (21) L. 3. p. 2. n. 1240. (22) Ibid. n. 126. (24) D. 2. de rest. q. 4. p. 9.

niciem; vel si quis iocosa non gravia conscriberet. Ita Salm. [1] cum Dic. Bonac. et aliis. Notandum 2. cum Molin. et Dicast. [2] auctorem libelli censeri, et poenis subiici etiam illum qui aliquod signum infamatorium appendit ad ianuam domus alicuius, quo publice eum infamet. Dicuntur autem libelli famosi etiam schedulae ad iudices delatae contra aliquem sine nomine accusantis, ob quas prohibetur iudicibus ad inquisitionem procedere [3]. Notandum 3. quoad poenam contra tales libellos conficientes, adesse excommunicationem ferendam [4] latam autem ipso facto, si libellus sit contra papam aut cardinalem: esset imo reservata, si libellus sit contra statum ordinum minorum, aut praedicatorum aut aliorum communicantium, ut Bonac. Mol. Dic. etc. apud Salmant. [5]. Non vero, si contra religiosum particularem.

996. « 4. Si ex laesione famae ortum etiam est alteri damnum fortunarum, ut si privatus est officio, excidit spe divitis matrimonii, amisit dotem, etc. tunc et fama debet restitui, et damnum illud compensari, ad arbitrium prudentum (Iuxta spei aestimationem, ut Less. Lugo cum Salm. [6]. Notandum vero quod ad obligationem restituendi damna omnino requiritur praevisio ipsorum, saltem in communi. Salmant. [7]. *Vide dicta n.* 643.). Et quidem obligatio restitutionis famae, cum sit pure personalis, non transit ad haeredes; obligatio autem compensationis dicti damni, cum habeat respectum ad bona infamatoris, transit ad haeredes. Laym. [8] cum Lugo Less. Bon. etc.»

997. Quaeres 1. quae excusent a restitutione famae.

« Respondetur, patere ex dictis *de restit. ex n.* 696. Et 1. Excusatus es a famae restitutione, si plane sis impotens (Qui autem nequit restituere totum tenetur quoad partem quam potest. Salm. [9]).

» 2. Si crimen occultum quod dixisti, vel simile, alia ratione fiat publicum (Lugo Less. Bon. et Salm. [10] vel si auditores non credant. Salm. [11]).

» 3. Si fama aliis modis iam recuperata sit, ut infamati purgatione, vitae probitate, testimonio prudentum. Lessius [12] (Ita etiam Salm. [13] cum Less. Dicast. Trull. Nav. et communi). Etsi tunc pro damno quod secutum est, debeat satisfieri. Card. Lugo [14].

998. » 4. Si prudenter iudicetur, iam dudum rem oblivione deletam. Quo casu maxima prudentia opus est: nam aliquando periculosius est retractare renovando memoriam. V. c. Lugo [15]. »

Quid agendum, si dubium sit an infamatio fuerit oblivioni data. Distinguunt dd. Si crimen de quo alter est infamatus fuerit verum, ait Less. [16] non esse facile revocandum ad memoriam, nisi evidens sit periculum quod infamia illa ex alia via ad memoriam redeat. Si vero crimen fuerit falsum, semper revocanda est infamatio, nisi constet de oblivione; ita Lessius [17] et Cai. ac Dic. apud Croix [18]. Hoc tamen advertunt procedere, si nullum periculum sit ut per retractationem criminis memoria renovetur; nam Lug. [19] et Holz. [20] dicunt, aliquando multo magis periculosum fore, quoad servandam famam proximi, detractionem retractare, memoriam renovando quae forte iam evanuerat, quam tacere. Hinc aiunt Cont Tourn. [21] Maz. [22] Holz. [23] et Salm. [24] cum Less. Nav. Mol. Val. Bon. Trull. et Dic. sufficere ad omittendam retractationem, quod oblivio probabiliter credatur. Deinde censent Les. et Salm. [25] cum Lugo et Bonac. crimen praesumendum oblitum, si per multum tempus nulla de illo mentio facta fuerit. Et in hoc insuper advertendum 1. quod ad resti-

(1) De rest. c. 4. punct. 5. n. 59. (2) Ibid. n. 49.
(3) In c. Inquisitionis. §. Tertiae de accusat.
(4) Ex c. Qui in alterius, caus. 5. quaest. 1.
(5) Ib. n. 41. (6) De rest. c. 4. punct. 9. §. 1. n. 124.
(7) Ibid. n. 118. et 124. (8) Loc. cit. c. 7. n. 4.
(9) Ib. §. 3. n. 134. (10) Ib. n. 139. (11) Ib. n. 134.
(12) L. 2. c. 11. d. 24. (13) Ibid. n. 137.
(14) D. 15. sect. 3. (15) D. 15. sect. 3. n. 35.
(16) L. 2. c. 11. n. 100. (17) Loc. cit.
(18) L. 3. p. 2. n. 1255. (19) D. 15. n. 35.
(20) De rest. c. 3. n. 604. (21) De iust. et iure, p. 3. c. 3. a. 3. sect. 5. v. Dico 4. (22) Ibid.
(23) Loc. cit. (24) De restit. c. 4. punct. 9. §. 3. n. 138. (25) Loc. cit.

tutionem famae requiritur moralis certitudo quod detractor fidem obtinuerit apud auditores; alias, ex regula generali, nullum damnum dubium est de necessitate restituendum, prout diximus *hoc lib.* 3. *n.* 562. *v. Secunda.* Nec raro de facto accidit, quod his detractionibus fides non praestetur; maxime si detractor loquatur ex ira vel alia passione, et detractio testimoniis aliorum aut aliter non firmetur. Advertendum 2. cum Lugo [1] quod retractatio per se affert infamiam retractanti, unde quando dubitatur de oblivione infamationis, non videtur quis teneri damnum certum pati, ad reparandum incertum damnum proximi. Et licet iniuria irrogata sit certa, et ideo possideat, attamen quia restitutio non debetur ob solam iniuriam, sed ob damnum vere illatum, ut diximus cum s. Thom. [2] non videtur esse obligatio resarciendi damnum dubium cum damno certo restituentis, nisi quando solum periculum infamiae alterius in aliquo casu pluris aestimaretur, quam infamia certa, sive damnum detractoris.

999. « 5. Si is cui detraxisti, tibi similiter detraxerit, nec velit restituere; quia tunc potes iure compensationis seu retentionis uti, dummodo infamia illata non redundet in alios. Ita probabiliter Tol. Less. Sylv. Mald. Diana [3] Mol. contra Cai. Tan. Lugo et Navar.»

Quaeritur igitur 1. An liceat compensare famam cum fama. Certum est 1. quod si alter tibi velit famam restituere, teneris tu pariter restituere famam ei ablatam. Certum est 2. quod si alter famam tibi iam abstulerit, non potes deinde in compensationem famam illi auferre; quia tunc non esset haec compensatio, sed vindicta, cum fama tua non reparetur per infamiam illius. Ita communiter dd. cum Salm. [4]. Sed quaestio vertitur an si alter nolit famam tibi restituere, possis tu compensationem facere, differendo restitutionem suae famae.

Prima sententia negat, quam tenent Nav. [5] Lugo [6] Spor. [7] cum P. Nav. Cai. Val. et Tann. Ratio quia compensatio tantum conceditur ad reparandum damnum illatum; in nostro autem casu, tu non restituendo alteri famam, non iam recuperas famam tuam ab illo ablatam, et ideo non datur compensatio, cum ipsa non reparet damnum illatum.

Secunda sententia vero communior (imo communissima, ut fatetur idem Spor.) et probabilior, quam probabilem vocat Lugo et tenent cum Busemb. ut supra Lessius [8] Laym. [9] Cont. Tournely [10] Mol. [11] Sylv. [12] Ronc. [13] Holzm. [14] Wigandt [15] Sot. [16] et Salm. [17] cum Sa Reb. Dic. Trull. Vill. etc. concedit compensationem. Ratio quia hoc casu non fit compensatio in reparatione proprii damni, cum utriusque partis damnum permaneat; sed fit in retentione debiti, eo quod potes tu retinere famam alterius, donec ille famam tibi restituat: ait enim Laym., regulam esse generalem: *quod non cogeris ius suum alteri reddere, si ille recuset tibi reddere tuum.* Licet ergo haec quomodocumque dicta compensatio non auferat damnum tibi ablatum, aufert tamen sive suspendit obligationem resarciendi famam alterius, usquedum ille tibi famam restituat.

Nec obstat dicere cum Lugo, quod si posses retinere famam alterius cum illius damno, posses etiam famam illi tollere, quod nemo certe admittit. Nam respondemus, aliud esse damnum inferre, aliud illud permittere; aliud enim est positive auferre famam proximi, aliud omittere famam ei restituere, et negative se habere; quia pro his duobus diversis actibus diversa occurrit ratio: tollere famam alterius qui te infamavit, utique tibi non licet, quia infamia illius non reparat damnum infamiae tuae; omittere autem famam alteri restituere, licitum est, si iustam causam habes omittendi; iusta causa

(1) D. n. 55. (2) D. n. 562. (3) T. 2. tr. 5. r. 30. (4) Tr. 13. c. 4. punct. 9. §. 3. n. 143. (5) C. 8. n. 47. (6) D. 15. n. 45. (7) De 8. praec. c. 4. n. 118. (8) L. 2. c. 11. n. 155. 2. c. 7. n. 4. (10) Loc. cit. v. Quaeres, in med. (11) D. 49. (12) 2. 2. q. 62. a. 2. (13) De 7. praec. c. 3. q. 3. r. 5. (14) De rest. c. 3. n. 604. (15) Tr. 8. ex. 5. n. 105 r. 4. (16) L. 4. de iust. q. 6. a. 5. ad 4. (17) Cit. n. 145

est hic, ut diximus, quia non teneris reddere ius alteri debitum donec ille ius debitum tibi reddat. Praeterea ablatio famae de se positive et principaliter tendit ad damnum proximi, et ideo est intrinsece mala; et quamvis id faceres ut alter sic moveatur ad restituendam famam tuam, hoc tamen non potest reddere licitam tuam detractionem, cum tale medium non sit per se aptum ad famam tuam reparandam. Non sic in omissione restitutionis, quia haec omissio non tendit de se ad malum proximo inferendum: sed tantum ad servandum te indemnem, ne obligeris famam restituere alteri qui famam tuam renuit restituere.

1000. Quaeritur 2. An, quando restitutio famae sit impossibilis, teneatur diffamator infamiam pecuniis compensare.

Prima sententia probabilis affirmat, quia, cum fama sit pretio aestimabilis, debet compensari pecunia, si aliter resarciri nequit. Ita Sylvius Led. Sot. Arag. Tap. Covarr. etc. apud. Salm. [1]. Et videtur clare hanc tenere s. Th. [2] qui dicit: *Vel si non possit famam restituere, debet ei aliter compensare, sicut et in aliis dictum est*, scilicet pecunia, ut in solutione ad 1. iam dixerat.

Secunda sententia tamen probabilior negat, quia iustitia tantum obligat ad reddendum ablatum vel aequivalens, sed pecunia non est id quod per detractionem ablatum est, nec aequivalens famae ablatae, cum fama sit ordinis superioris ad pecunias, et ideo quibuscumque pecuniis numquam satisfieri potest. Monent autem communiter dd. quod si infamator sit dives et infamatus pauper, tunc si nequit famam illi restituere, congruum est ut ille ex aequitate compenset infamiam cum aliqua pecunia, si alter libenter illam acceptat. *Vide dicta n.* 627.

1001. Quaer. 3. An infamatus, si alter famam sibi restituere nolit vel nequeat, possit pecuniis illius compensari. Alii negant, alii affirmant; ut Less. [3] Mol. Bon. Trull. Arag. Dian. Sed difficultas hic urget, quomodo possit fieri compensatio cum sola probabilitate debiti. Sed iam diximus in *tract. de consc.* quod a generali regula hunc casum specialiter dd. excipiunt apud Salm. [4] cum Less. Med. Arag. Led. etc. Et probabile hoc esse aiunt Salm. [5] dicentes, quod cum dd. doceant non posse fieri compensationem debiti probabiliter dubii, intelligunt loqui, quando ipsum debitum est dubium, non vero quando debitum est certum, et dubium tantum versatur circa modum satisfactionis; tunc enim licite potes uti probabili opinione, tibi satisfaciendo compensatione, vel aliter. Ita Salm. [6]. *Sed vide dicta lib. 1. n. 35. v. Hinc* [7] (*in nota*), ubi contrariae sententiae adhaesimus.

1002. « 6. Si non possis absque periculo vitae (Nisi alter ob tuam infamationem sit in eodem periculo vitae Salm. [8]. Tenet tamen Croix [9] cum Ills. metum gravissimi damni temporalis in bonis, etiam excusare a restitutione famae; hoc tantum potest admitti, si damnum bonorum sit respective maius, quam famae) vel si fama restituenda sit minoris valoris quam fama detractoris. Sic v. gr. praelatus non tenetur restituere vili homini, si aliter non potest quam cum amissione famae suae multo maioris momenti, sed sufficit tunc si infamatum laudet aut pecunia compenset. Vide card. Lugo [10] (Ita etiam Less. [11] et Salm. [12] cum Bann. Dic. Trull. etc. contra aliquos: quia aliter non servaretur aequalitas).

1003. » 7. Si infamatus sponte remiserit (modo tamen eius infamia non redundarit in alios, ut familiam, statum), sive expressa, sive tacita sit

(1) De restit. c. 4. punct. 9. §. 3. n. 141.
(2) 2. 2. q. 62. a. 2. ad 2. (3) L. 2. c. 11. n. 136.
(4) De restit. c. 1. punct. 19. §. 3. n. 321.
(5) Loc. c. c. 4. punct. 9. §. 3. n. 148. (6) L. c.
(7) Hoc non obstante adhaereo primae sententiae (scil. *negativae*); nam infamatus est creditor in materia famae, non autem bonorum: et si probabile est, imo probabilius non teneri detractorem pecuniis compensare, cum non potest famam reparare, semper evenit, quod infamatus (*tum*) compensatur ob creditum tantum probabile, non certum. Hom. Ap. tr. 11. n. 21. (8) L. c. n. 135. (9) N. 125?
(10) Loc. c. (11) L. 2. c. 11. n. 138.
(12) De restit. c. 4. punct. 9. §. 3. n. 136.

condonatio: tametsi nihilominus ex caritate damnum resarcire aliquando tenearis, si possis absque gravi incommodo. Card. Lugo [1]. Imo aliquando etiam sufficit condonatio praesumpta, sive interpretativa voluntas eius qui potest condonare, si nimirum ille sit ita affectus, ut si rogaretur, facile condonaret: tunc enim non est invitus, saltem quoad substantiam, etsi fama non restituatur. Vide c. Lugo [2].

» Quaeritur an restitutio famae licite condonetur.

» Resp. Licite fit in iis casibus in quibus seipsum licet infamare; in quibus autem, et quam graviter peccat se infamando, in iisdem, et tam graviter peccat condonando. Navar. Trull.[3] (Per se loquendo non est mortale infamare seipsum exceptis casibus apud Bus. ut infra; ita Holzm. [4] cum Laym. et communi, quia quisque est dominus suae famae. Est tamen veniale, si fit sine causa).

Unde resolves:

» 1. Condonans famae restitutionem peccat mortaliter: 1. si infamia redundet in alios. 2. Si inde sequatur scandalum. 3. Si sit vir valde utilis reip. et ex infamia fructus impediatur. 4. Si fama sit necessaria ad muneris gubernationem. Sot. Less. Trull. [5] qui tamen notant condonationem semper esse validam, quando fama non redundat in alios, secus quando redundat. Unde parentes non possunt condonare, quando redundat in filios, neque filii, quando in parentes. *Vide auct. cit.*

» 2. Ex eo vero praecise, quod infamatus vel contumelia affectus, conversans cum infamatore videatur remittere iniuriam, non censetur condonare restitutionem famae vel honoris, sicut nec alia debita per familiaritatem. Nav. [6] Trull. [7].»

Cap. II. Quid de praecepto nono et decimo

« Resp. Prohibent omnes internas concupiscentias et delectationes voluntarias illorum operum quae praeceptis secundae tabulae, praesertim sexto et septimo vetantur. Qua de re vide supra: et patebit ex dicendis de peccatis, infra *lib.* 5.»

Cap. III. Quid de praeceptis ecclesiae

« Resp. Etsi ea sint plurima, praecipue tamen toti christiano populo communia quinque numerantur. Ex quibus hic agendum restat de tertio, nempe de ieiunio, quia de 1. et 2. actum est in praec. 3. decal. De 4. et 5. infra lib. 6. de sacram. Contra porro hoc praeceptum ex solo contemptu peccari, propos. est proscripta ab Alex. VII. proposit. 23. »

Dubium I. Quid requiratur ad ieiunium ecclesiasticum et quanta eius obligatio.

1004. *De unica comestione.*
1005. *De abstinentia a carnibus, ovis et lacticiniis.*
1006. *An abstinentia a lacticiniis in quadragesima obliget sub gravi.*
1007. *Dub. 1. An haec abstinentia obliget etiam in dominicis quadragesimae.*
1008. *Quinam in quadragesima excusentur ad edendas carnes aut lacticinia.*
1009. *Dub. 2. An in ieiunio extra quadragesimam sit abstinendum a lacticiniis de iure communi. Dub. 3. An ubi viget consuetudo abstinendi. Dub. 4. An liceat edere biscoctos ovis confectos.*
1010. *Dub. 5. An liceat edere laridum, cui permittuntur ova.*
1011. *Dub. 6. Quorum animalium carnes vetentur in ieiuniis.*
1012. *Dub. 7. Quibus pueris possint ministrari carnes.*
1013. *An dispensati ad carnes teneantur ad unicam comestionem, et ad abstinendum a piscibus.*
1014. *Quid in mensa privata.*
1015. *Sancita circa hoc a nostro ss. p. Ben.* XIV. *1. De obligatione sub gravi. 2. De cibis in caenula adhibendis. 3. De hora prandii. 4. De epulis vetitis ad carnes dispensatis. 5. De dominicis quadragesimae. 6. De bulla cruciatae. 7. De ieiuniis extra quadragesimam. Quid, si quis sit dispensatus ad carnes ob debilitatem virium. An dispensatis ad carnes permittantur tantum carnes salubres.*
1016. *De hora debita refectionis. An antevertens notabiliter horam meridianam, graviter peccet.*
1017. *De divisione prandii etc. apud Busem.*
1018. *Quaer. 1. An liceat in ieiuniis sumere parum cibi ante potum.*
1019. *2. An electuaria frangant ieiunium.*
1020. *3. Per quantum temporis prandium non interrumpatur. 4. An quis, postquam surrexit a mensa, possit ad eam redire. 5. Quantum liceat protrahere prandium.*
1021. *An liceat sumere lac, iusculum et similia.*
1022. *Quaer. 1. An liceat potus vini. 2. An potus cervisiae ac limoniadis dictae* sorbetto.

(1) D. 15. s. 3. n. 28 (2) Loc. c.
(3) L. 7. c. 10. d. 38.
(4) T. 2. p. 303. n. 644.
(5) Loc. c. (6) C. 18. (7) D. 19.

1004. « Resp. Ieiunium ex praecepto ecclesiae, obligante sub mortali, requirit tres conditiones: Laym. [1].

» 1. Est unica tantum comestio de die in ordine ad nutritionem. Quae ita necessaria est conditio, ut secunda comestione pecces mortaliter, reliquis autem supra secundam, ad summum venialiter tantum. Laym. [2].

1005. » 2. Est abstinentia ab esu carnium, itemque ovorum et lacticiniorum, eo quod ex carne originem trahant, multumque nutriant. Unde intra quadragesimam iure communi prohibentur; extra eam permittuntur. Imo intra eam quibusdam locis consuetudo permittit, quae ubique notanda est. Bonac. [3] ex Sylv. Nav. Less. Az. Laym. [4] Fill. Fag. [5]. Adde, dispensatum quoad carnes, etiam lacticiniis et ovis vesci posse, non tamen vice versa: et cui est permissus esus carnium, etiam secunda refectio permissa videtur, ut contra Reg. Less. Nav. etc. probabiliter docent Az.[6] Fill.[7] Tolet. etc. (Sed haec opinio hodie non est amplius probabilis ex declaratione nostri ss. pontificis Bened. XIV. *Vide infra n.* 1013.). Confirmatque Bon. [8] si esus carnium sit permissus ob debilitatem naturae, et non propter nauseam, vel damnum tantum. Vide Less. Fill. Azor. etc. Ratio est quia de essentia ieiunii est abstinentia a carnibus.»

1006. Quaer. an abstinentia ab ovis et lacticiniis in diebus ieiunii obliget sub gravi. Damnata quidem fuit ab Alex. VII. *prop.* 32. quae dicebat: *Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget*. Unde certum est praedictam abstinentiam in quadragesima obligare, et quidem sub gravi ut communiter dd. apud Salm. [9].

1007. Sed dubitatur 1. an abstinentia a lacticiniis obliget etiam in dominicis quadragesimae. Negant Pasq. Fagund. Mendo Mach. Gom. Lamas etc. apud Salm.[10]. Ratio istorum, quia in c. *Denique* 6. *dist.* 4. prohibentur lacticinia solum in diebus ieiunii, ut refert ibi Glossa; dies autem dominici in quadragesima non sunt dies ieiunii; ergo non est in eis abstinendum a lacticiniis. Neque constat, ut dicunt, contrariam consuetudinem fidelium animo se obligandi sub culpa gravi fuisse introductam.

Quamvis praefata sententia non sane comprehendatur sub prop. relata Alex. VII. omnino tamen opposita est tuenda cum Viva [11] Sanch. [12] cum Cai. Cov. Medin. etc. Salm.[13]. Ratio quia ex citato c. *Denique*, universe praecipitur in diebus quadragesimalibus abstinentia a lacticiniis. Certum autem est, quod dies dominici, etiam quadragesimae dies sunt: quare prima sententia sat probabilis non videtur, cum plures eam improbabilem putent apud Sanch. [14].

1008. Notandum 1. cum Sanch. [15] et Salm. [16] Trull. Pasq. et Machad. quod pauperes, qui non habent aut non possunt invenire aliud ad se alendum, quam lacticinia, licite in quadragesima possunt ea comedere et praebere domesticis ac operariis suis. Idem dicit Sanch. de pauperibus mendicantibus. Et idem asserunt Sanch. [17] et Salm. [18] cum Trull. et Pasq. de iter agentibus, si in via non inveniant pisces ad emendum. Contradicunt tamen probabilius huic Diana [19] et Leand. ac Steph. apud

(1) L. 4. t. 8. c. 1. n. 13. (2) C. 1. n. 12. et 13. (3) D. [illegible] q. 1. p. 2. (4) L. c. (5) P. 4. l. 1. c. 2. (6) L. 7. c. 10. q. 3. (7) T. 27. c. 3. q. 4. (8) L. c. (9) Tr. 23. de 3. praec. c. 2. punct. 2. §. 2. n. 34.

(10) Loc. c. n. 33. (11) In d. prop. 32. n. 9. (12) Cons. l. 5. c. 1. d. 19. n. 30. (13) Dict. n. 35. et 36. (14) Dict. n. 3. (15) Ibid. n. 4. (16) Tr. 23. c. 2. p. 2. §. 2. n. 40. (17) N. 6 (18) Ibid. (19) P. 10. tr. 14. r. 29.

Croix [1] si hoc accideret tantum per unum diem; nisi, aiunt, sit persona, quae aliter non valeat commode refici.

Notandum 2. cum Sanch. [2] Holz. [3] Croix [4] cum Dian. Pasq. et Salm. [5] cum Vega et Angles, quod in longa inedia per plures dies, ubi aliud quam panis haberi non possit, liceret vesci non solum lacticiniis, sed etiam carnibus. Sanchez tamen refert, ab Angles et aliis non excusari pauperes, qui oleo carentes larido sibi herbas praepararent; sed hoc valde rigidum mihi videtur, si carentia esset per notabile tempus, puta per hebdomadam; unde saltem in tali necessitate probabiliorem censeo sententiam Laym. [6] Holzm. [7] et Elbel [8] cum Alense, qui laridi usum pauperibus concedunt. Circa esum autem laridi extra quadragesimam, vide dicenda *infra n.* 1010. *v. Dubitat.* 5.

Notandum 3. Plures dd. censere quod, qui in quadragesima per plures dies careret piscibus, posset licite iam lacticinia tunc comedere. Probabilius tamen dicit Ronc. [9] hoc tantum permittendum assuetis piscibus vesci, non vero rusticis, qui pane et herbis, aut leguminibus ordinarie aluntur, nisi tamen (ut recte notat Bus. *Dub.* 2. *n.* 2.) etiam istis cibis carerent ad sufficientiam. Cum autem tales tenues cibi parum sustentent, minime tenentur ii ad unicam comestionem, ut dicunt probabiliter Roncag. [10] Sanch. [11] cum Angles et aliis, ac Salm. [12]. Et idem recte docet Sanch. [13] cum communi, si quis non haberet mane prandium sufficiens ad se pro tota die sustentandum; vel si in die praecedenti inediam sit passus, ut Tamb. et Sanch. [14] cum s. Thom. etc.

1009. Dubitatur 2. An in diebus ieiunii extra quadragesimam teneamur sub gravi abstinere a lacticiniis de iure communi. Certum est in quadragesima teneri ad abstinendum, ex propos. proscripta supra relata. Dubium est, an teneamur extra quadragesimam.

Prima sententia affirmat, eamque tenent Cov. [15] Gom. [16], idque probant ex *can. Denique* 6. *dist.* 4. ubi Gregorius Magnus ad Augustinum anglorum episcopum sic scripsit: *Par autem est, ut quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quae sementinam carnis trahunt originem, ieiunemus, a lacte videlicet, caseo et ovis.* Ubi notandum quod verba, *par est*, non denotant hic consilium, sed praeceptum, ut explicat ibi Glossa, et tenent communiter dd. cum Diana [17] et Elbel [18]. Confirmatur ex *can. Rogationes* 3. *de consecr. dist.* 3. ubi in conc. aurelianensi dictum fuit quod in diebus rogationum (in quibus olim ieiunium servabatur) fideles *cibis quadragesimalibus utantur:* si ergo in quadragesima vetantur lacticinia, vetantur etiam in aliis diebus ieiunii. Hanc sententiam videtur etiam tenere d. Th. [19] qui loquens generaliter de ieiuniis sic ait: *Illos cibos ecclesia ieiunantibus interdixit, qui hominem ad venerea provocant. Huiusmodi autem sunt carnes animalium in terra nascentium et respirantium, et quae ab eis procedunt, sicut lacticinia ex gressibilibus, et ova ex avibus .... Et ideo ab his cibis praecipue ieiunantibus ecclesia statuit esse abstinendum.* Ergo s. doctor videtur sentire quod in cunctis ieiuniis sola consuetudo, ubi viget, derogat obligationi abstinendi a lacticiniis.

Secunda sententia vero communis quam sequimur et tenent Laym. [20] Sanchez [21] cum s. Ant. Navar. Palac. Henr. Bon. [22] Conc. [23] Salm. [24], cum conc. tol. an. 1583. Spor. [25] Viva [26] Holz. [27] Elbel [28] docet de iure communi non vetari lacticinia et ova: ratio, quia contrarium, extra quadragesimam, nullo iure pro-

(1) L. 3. p. 2. n. 1323. (2) N. 7. (3) De praec. eccl. c. 1. n. 4. v. Dices. (4) Dict. n. 1323. (5) Loc. c. §. 1. n. 19. (6) Tr. 8. c. 1. n. 5. (7) D. n. 4. (8) T. 2. p. 156. (9) Tr. 9. c. 2. q. 4. (10) Loc. c. (11) L. 5. c. 1. d. 15. n. 4. (12) Tr. 23. c. 2. punct. 7. §. 1. n. 133. (13) Ibid. n. 1. (14) N. 4. (15) Lib. 4. variar. result c. 20. n. 15. (16) In bulla claus. 7. n. 3.

(17) P. 3. tr. 6. r. 80. (18) T. 2. p. 155. n. 428. (19) 2. 2. q. 147. a. 8. in c. (20) L. 4. tr. 8. c. 1. n. 3. (21) Cons. l. 1. c. 1. dub. 20. n. 2. (22) de praec. eccl. d. ult. q. 1. p. 2. n. 2. (23) T. 5. p. 188. n. 5. (24) Tr. 23. c. 2. punct. 2. §. 2. n. 33. (25) De ieiun. sect. 2. n. 9. (26) In prop. 32. Alexandri VII. n. 10. (27) De pr. eccl. c. 1. n. 3. (28) T. 2. p. 155. n. 428.

batur: in citato enim *can. Denique* agebatur tantum de ieiunio quadragesimali, de quo erat quaesitum, ut patet ex Glossa, et ipso contextu canonis, ubi dicitur: *A quinquagesima propositum ieiunandi suscipiant;* et deinde: *huius sacri temporis, etc.* Et sic intelligunt Panorm. Fag. et alii communiter. Nec obstat illud *cit. can. Rogationes*, quia illud statutum fuit pro illa particulari ecclesia aurelianensi.

Nec obstat d. Th. *in l. c.* nam *ibid. ad* 3. clare docet abstinentiam a lacticiniis extra quadragesimam non praecipi, et ideo non pertinere ad essentiam ieiunii, dum ait: *Et ideo in quolibet ieiunio interdicitur esus carnium; in ieiunio autem quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova et lacticinia.* Nota tò *etiam*: ergo in ieiunio extra quadragesimam lacticinia non vetantur. Cur autem vetantur in quadragesima, plures rationes assignat s. doctor, tum quia tale ieiunium est solemnius; tum quia illud observatur ad imitationem Christi Domini; tum quia per ipsum disponimur ad redemptionis nostrae mysteria devote celebranda. Hinc Viva [1] supponit ut certum, quod dispensatus ad lacticinia tenetur ad ieiunium, cum non sit ob talem esum a ieiunio solutus.

Dubitatur 3. An ubi viget consuetudo abstinendi a lacticiniis in ieiuniis extra quadragesimam, talis consuetudo obliget sub gravi.

Prima sententia negat, quam tenent Sanch. [2] cum aliis, Villalob. [3] et probabilem vocat Tamb. [4] cum Portell. Salas Henr. etc. Haec sententia asserit, praefatam consuetudinem non obligare saltem sub gravi, etiam ubi viget, nisi constet esse introductam a populo scienter et animo se obligandi: nam alias censetur servata fuisse ex ignorantia, vel ex devotione sine obligatione. Ratio quia ad se obligandum ex consuetudine non sufficit credere aliquam esse obligationem, sed requiritur quod constet maiorem populi partem habuisse animum graviter se obligandi, ut dicunt Salm. [5] cum Suar. Pal. Bon. etc. Unde dicunt quod in dubio tunc iudicandum est pro libertate; nulla enim lex obligat nisi probetur ut certa, et nemo praesumitur in dubio certum onus sibi imposuisse.

Secunda sententia tamen communis, quam amplectimur, et docent s. Th. [6] Azor. [7] Less. [8] Laym. [9] Viva [10] Ronc. [11] Conc. [12] Salm. [13] Bon. [14] cum Nav. Sylvest. Valent. Fill. Reg. etc. communiter, tenet esse obligationem abstinendi a lacticiniis in locis ubi ab immemorabili talis viget consuetudo. Ratio quia in hoc casu possessio non stat pro libertate, sed pro obligatione consuetudinis; regula enim generalis est, ut pluries diximus, quod pro eo stat possessio pro quo stat praesumptio: una autem ex coniecturis quae faciunt praesumere consuetudinem introductam animo se obligandi, est quando consuetudo constanter et cum gravi incommodo a maiori parte populi observatur, ut dicunt Suar. [15] Pal. [16] Diana [17], utque diximus *de leg. n.* 107. *v.* 4. *Requiritur*, cum Salm. et Croix; quia non solet populus constanter convenire in observantiam alicuius consuetudinis graviter onerosae, nisi quando vere obligatum se sentit. Si ergo praesumptio stat pro consuetudine, quod animo se obligandi sit a populo introducta, pro ea quoque stat possessio.

Dubitatur 4. An in ieiuniis quadragesimae liceat comedere in quacumque quantitate panes biscoctos ovis confectos, vulgo *ciambelle*. Affirmat Pasqualigus [18], quia quantitas ovorum farinae immixta ita absorbetur in eiusmodi compositione, ut nullo modo censeatur cibus ex ovis. Sed omnino ne-

(1) In prop. 32. Alexandri VII. n. 8. (2) Cons. l. 5. c. 1. d. 21. n. 2. (3) Summa t. 1. tr. 23. diff. 9. n. 1. (4) Dec. l. 4. c. 5. §. 1. n. 22. (5) De leg. tr. 11. c. 6. punct. 3. §. 4. n. 28. (6) 2. 2. q. 147. a. 8. ad 3. (7) T. 1. l. 7. c. 10. q. 1. (8) L. 5. c. 2. n. 8. et 10. (9) Loc. c. n. 3. (10) In dict. prop. 42. n. 10. (11) De 3. praec. q. 2. c. 1. q. 3. (12) T. 5. p. 138. n. 5. (13) Tr. 23. c. 2. p. 2. §. 2. n. 34. (14) Loc. c p. 2. n. 2. (15) De leg. lib. 7. c. 18. n. 17. (16) T. 1. tr. 3. d. 3. punct. 2. §. 3. n. 13. (17) P. 3. tr. 6. r. 80. (18) Decis. 85. n. 3.

gandum cum Pal.[1] Conc.[2] et Salm.[3]. Ratio quia substantia ovorum non deperditur per hoc quod farinae miscetur, alias quilibet posset in diebus prohibitis comedere cibum album, vulgo *mangiar bianco*, confectum ex carne et farina. Dicunt tamen Salm.[4] quod dd. communiter admittunt sine ieiunii laesione posse edi tantum duos biscoctos, et citant Diana[5] Led.[6] Vill.[7] sed Diana id tantum admittit ratione consuetudinis: Ledesma vero et Vill. dicunt duos biscoctos posse edi sine peccato gravi. Hinc mihi probabilius dicendum videtur, huiusmodi cibi esum non excusari a peccato veniali, nisi saltem aliqualis causa accedat.

1010. Dubitatur 5. An, cui licitum sit edere lacticinia, liceat etiam edere laridum et sagimen. Affirmant Host. Abbas Sylv. et Glos. *in c. Presbyter* 5. *dist.* 82. apud Laym.[8] cum Fagund. ap. Bus. Ratio, quia dicunt laridum et sagimen revera non esse carnes, cum pinguedo crescat, etiam finito naturali augmento animalium; ideoque censent pinguedinem potius dicendam esse excrementum carnis, sicut est lac; quam veram carnem. Viva[9] id putat probabile cum Laym. et Azor. quos citat; sed Azor.[10] minime id asserit esse probabile, tantum non improbat. Laym. autem[11] dicit expresse praedictam sententiam non esse practice probabilem ob contrariam consuetudinem; quamvis concedat posse eam inservire 1. ad permittendum lacticinia pauperibus. 2. Ut esus laridi et sagiminis non facile damnetur de peccato gravi. 3. Ut permittatur ancillis illa coquere et etiam vesci, si nequeant resistere dominis hoc iubentibus. Tamb. autem[12] distinguit et dicit laridum sive pinguedinem nondum igne liquefactam omnino censendam esse carnem. Si vero illa sit liquefacta, et in *sagimen* reducta, dicit probabile esse cum Dian. Henr. etc. quod inter lacticinia numerari possit.

His omnibus igitur non obstantibus (quidquid sit de pauperibus et ancillis, ut supra dicit Laym.), omnino videtur non recedendum a sententia communi, quam docent Sanch.[13] Bon.[14] Conc.[15] Elbel[16] Ronc.[17] Milante[18] Salm.[19] cum Trull. Henr. Rodr. etc. Hi omnes dicunt laridum et sagimen veras esse carnes, cum vere de substantia carnis participent. Si vero adsit in aliquo loco diversa consuetudo, hanc servandam esse dicit Bus.

1011. Dubitatur 6. Quorum animalium carnes iudicentur vetitae in die ieiunii. S. Thom.[20] ait interdici carnes omnium animalium *in terra nascentium et respirantium*. Sed ad discernendum quae animalia reputanda sint carnes, quamvis non leve indicium sit attendere an illa diu extra aquam vivere soleant, magis tamen attendenda est communis aestimatio fidelium ac iudicium medicorum, si reputent carnes vel pisces; ita Less.[21] Conc.[22] Elbel[23] Holz.[24] et Bon.[25] cum Sylv. Nav. Azor. Valent. Laym. Fill. et Reg. Hinc dicunt Tambur.[26] Concina Bonac. Elbel Holz.[27] item Reg. et Gabr. ap. Croix[28] non vetari carnes limacum, testudinum, ranarum, locustarum et concharum. Ratio quia huiusmodi animalia saltem aequiparantur piscibus, cum vix habeant sanguinem, vel sanguinem frigidum, vel nutriuntur piscibus aut in aquis ad instar piscium. Idem aiunt Milante[29] et Tamb.[30] de viperis, quae similes sunt anguillis. Idem dicunt Elbel et Holzm.[31] de lutris, castoribus, fibris, et de anatibus cuiusdam generis. Aves tamen, ut Mil. et Conc.[32] licet aliquae nutriantur in aquis, habentur ut verae carnes, prout

(1) Tr. 30. d. 3. p. 2. n. 6. (2) T. 5. p. 190. n. 8. (3) Tr. 23. c. 2. p. 2. §. 2. n. 41. (4) Loc. c. (5) P. 1. tr. 9. r. 31. (6) 2. p. tr. 27. de abstin. c. 1. diff. 5. (7) T. 1. tr. 23. diff. 7. n. 3. (8) Tr. 8. c. 1. n. 5. (9) De 3. praec. dec. q. 10. a. 1. n. 2. (10) T. 1. l. 7. c. 10. q. ult. (11) L. c. (12) Dec. l. 4. c. 5. §. 1. ex n. 14. (13) Cons. l. 5. c. 1. d. 19. in fin. et dec. l. 4. c. 11. n. 48. (14) D. 4 q. 2. p. 6. n. 23. (15) T. 5. p. 159. n. 2.

(16) T. 2. p. 156. n. 430. (17) Tr. 9. c. 1. q. 3. (18) P. 266. (19) Tr. 23. c. 2. p. 2. §. 1. n. 15. (20) 2. 2. q. 147. a. 8. (21) L. 4. c. 2. n. 8. (22) T. 5. p. 159. n. 2. (23) T. 2. p. 155. n. 427. (24) T. 1. p. 333. n. 4. (25) De pr. eccl. d. ult. q. 1. p. 2. n. 1. (26) Dec. l. 4. c. 5. §. 1. n. 10 (27) Locc. cc. (28) L. 6. p. 2. n. 1266. (29) Pag. 265. (30) Dict. n. 12. (31) Locc. cc. (32) Locc. cc.

sunt fulicae, corvi marini et similes.

1012. Dubitatur 7. Quibus pueris licite possint ministrari carnes. Certum et commune est posse pueris usu rationis carentibus ante septennium, sicut et amentibus. Sanch. [1] Salm. [2] cum Panorm. Bon. Trull. etc. Idem dicitur de pueris qui adhuc post septennium ad usum rationis non pervenerint, ut Croix [3] cum communi. E converso nequeunt carnes ministrari pueris statim ac, completo septennio, usum rationis adepti fuerint, ut omnino tenendum cum Sanch. Laym. Bon. Pal. Salmant. etc. contra s. Ant. etc. *Vide dicta l.* 1. *n.* 155. *in fin. v. Quaer*. Dubium fit an possint dari carnes pueris qui ante septennium iam habent usum rationis. Affirmant Sancius Diana et Burgh. ap. Croix [4] et alii in pari casu allati *num.* 270. quorum sententia non videtur improbabilis ex doctrina d. Thom., quia ut dicunt, lex positiva tantum respicit communiter contingentia. Sed communius et probabilius negant Sanchez [5] Azor. [6] et Salm. [7] cum Suar. Bon. Vill. Trull. Fill. etc. Ratio quia ecclesia pro huiusmodi abstinentiae obligatione non quidem determinat tempus septennii, sed tempus quo pueri sunt capaces praecepti, et hoc sane evenit quando usu rationis iam sunt compotes facti. In dubio autem an aliquis puer pervenerit vel non ad usum rationis, possuntne ei carnes ministrari? Distinguendum: si puer attigerit septennium non possunt, quia tunc praesumptio stat pro usu rationis, et consequenter pro obligatione, ut recte dicunt Salmant. [8] cum aa. citatis. Secus dicendum si non attigerit; quia tunc praesumptio stat pro opposito, et ideo possessio stat pro libertate, ut Salmant. [9] Holzm. [10].

1013. Quoad eos autem qui in diebus ieiunii dispensantur ad carnes, attente oportet hic advertere, quae nuper sancita sunt a ss. nostro pontifice Benedicto XIV. in epistola encyclica, quae incipit *Non ambigimus*: ubi ss. pontifex, graviter dolens de perniciosa licentia plurimorum, hanc adeo invaluisse conqueritur, *ut nulla apostolici instituti* (verba sunt epistolae) *habita ratione, ieiuniorum tempore, palam et impune ab iisdem agitentur convivia, et epulae interdictae promiscue inferantur*. Hinc in praedicta epistola, et clarius in altera quae incipit *In suprema*, ita pontifex sancit: *Nos quibuscumque, quacumque occasione, sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, et de utriusque medici consilio* (*dummodo nulla certa et periculosa affectae valetudinis ratio intercedat, et aliter fieri necessario exigat*), *in quadragesima, aliisque anni temporibus et diebus, quibus carnium, ovorum et lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam, et licitas atque interdictas epulas minime esse apponendas, tenore praesentium declaramus et edicimus.*

1014. Hic ab aliquibus dubitatum fuit an dispensatus ad carnes licite possit aliquem pisciculum, sive cibum legalem, non in conviviis, neque cum scandalo, sed in privata mensa aliquando moderate comedere. Ad hoc dubium quidam modernus auctor [11] animadvertens relata verba ss. nostri pontificis, quae sub initio primae bullae praemittuntur ut supra: *Ut nulla apostolici instituti, sacratissimique praecepti habita ratione, ieiuniorum tempore, palam et impune ab iisdem agitentur convivia, et epulae interdictae promiscue inferantur*, sic respondet: *In conviviis igitur, lautisque mensis promiscue carnes ac legales cibos comedere prohibetur. At si privatae sint mensae, et nullum sit scandalum, dispensatos ad carnes, legales etiam cibos cum illis edere, si debita cum moderatione fiat, non ad satietatem, non immodice, non ad gulae dele-*

(1) Dec. l. 1. c. 12. n. 6. et 16. (2) Tr. 23. c. 2. punct. 2. §. 1. n. 20. (3) L. 3. p. 2. n. 1367. (4) L. 1. n. 676. (5) Loc. cit. n. 6.

(6) P. 1. l. 7. c. 17. alias 28. q. 2. (7) Cit. n. 23 (8) Loc. c. (9) De leg. c. 3. punct. 4. n. 52. (10) T. 1. p. 82. n. 402. (11) In add. ad Fel. Pot

etationem, sed ad stomachi appetentiam, minime censetur hac bulla prohibitam. Nonne et actus posset esse temperantiae, ut, si quis, ne comedat duo fercula carnis, unum carnis, legale alterum edat? Nec enim illa ss. pontifex vult esse vitanda, quae theologorum sensus probat, sed ea quae solum abusum redolent laxitatis. His tamen non obstantibus, attentis duabus bullis nostri ss. papae Bened. XIV., nempe bulla *Non ambigimus* et bulla *Libentissime*, praefata opinio non videtur probabilis; quia, licet in prima bulla fiat obiter mentio de conviviis, non ideo tamen infertur quod prohibitio fuerit facta tantum pro conviviis: nam imprimis bulla generaliter prohibet dispensatis ne piscibus vescantur; secundo, pontifex asserit hanc bullam emanasse ad instar alterius sui rescripti eodem anno editi, quo cum dispensasset generaliter ad carnes, expresse vetuit apponi promiscue licitas atque interdictas epulas: quis autem dicet, tunc pontificem prohibuisse dispensatis esum piscium tantum in conviviis? Deinde per alteram praedictam bullam *Libentissime*, et per insertam ibi constitutionem, *Si fraternitas*, videtur hoc dubium omnino ablatum: ibi enim pontifex praecepit medicis ne dent facultatem vescendi carnibus tempore vetito, nisi geminis adiectis conditionibus, scilicet *unicae in die comestionis, et non permiscendarum epularum.* Ergo dispensatis ad carnes, interdicti fuerunt generaliter pisces, tam in conviviis quam in mensa privata, cum licentiae medicorum non dentur ad carnes edendas tantum in conviviis, sed etiam in mensa privata. Tandem in praefata constitutione, *Si fraternitas*, ad *quaesitum* 4., solis dispensatis ad ova conceditur esus piscium, et negatur dispensatis ad carnes, nec ullam ibi papa mentionem facit de conviviis, sed generice loquitur. Praeterea praefatus auctor modernus [1] notat in praefata et sequenti epistola nostri ss. pontificis Benedicti XIV. non reprobari opinionem, quod extra quadragesimam non sit obligatio de iure communi, in diebus ieiuuii, abstinendi a lacticiniis, iuxta *n.* 1009. Et quidem valde probabiliter; nam licet in praefata epistola *In suprema*, ut supra, dicatur: *In quadragesima, aliisque anni temporibus et diebus, quibus carnium, ovorum et lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit etc.*, per haec tamen verba, assertive prolata, nulla apparet facta a pontifice de hoc peculiaris sanctio; et illa prohibitio lacticiniorum rationabiliter intelligitur asserta relative ad tempora quadragesimae, in quibus procul dubio eorum esus est vetitus.

1015. Insuper alia epistola edita die 10. iunii 1745. quae incipit, *Libentissime*, noster ss. pontifex declaravit 1. quod duo praedicta praecepta pro dispensatis ad carnes, scilicet de unica comestione in die facienda, et de non permiscendis epulis, obligant sub gravi. 2. Quod dispensati ad carnes in vespertina refectiuncula uti debeant *eo cibo, eaque portione, quibus utuntur ieiunantes rectae et meticulosae conscientiae.* 3. Quod iidem dispensati servare debent horam ieiunantibus praescriptam. 4. Quod pro dispensatis ad carnes epulae licitae sunt ipsae carnes, interdictae vero sunt pisces, adeo ut utrumque simul adhibere non possint. 5. Quod praeceptum de dictis epulis non miscendis quoque dies dominicos quadragesimales complectatur. 6. Quod lex non respiciat eos qui gaudent bulla *Cruciatae.* 7. Quod praedicta duo praecepta urgeant diebus ieiunii, etiam extra quadragesimam. Hic autem notandum quod dispensati ad carnes minime prohibentur secundam comestionem facere, si sint dispensati ob debilitatem virium, ut Salm. [2] cum Wigandt: et idem declaratur in epistola nostri summi pontificis verbis, ut supra: *Dummodo nulla certa et periculosa affectae valetudinis ratio intercedat, etc.* Scribit autem Angelus Franzoia [3], quod dispensatus ad carnes, si pulmentum vulgo *minestra*, carnium iure coctum come-

(1) Loc. c. (2) Tr. 23. c. 2. p. 2. §. 1. n. 26.

(3) L. 3. tr. 6. c. 3. animad. 2. v. At his.

dit, licite vesci potest non tantum lacticiniis et ovis, sed etiam piscibus. Ratio, ut puto, quia prohibitio pontificis non miscendi carnes et pisces stricte intelligenda est, nempe cum comeditur proprie ferculum carnium; sed ius carnium, magis quam edulii, condimenti rationem habet.

Quaeritur hic an dispensati ad carnes possint sine laesione ieiunii edere carnes non salubres, nempe porcinas et similes. Affirmant communissime dd. et quidem probabiliter, tum quia licentia ad carnes generaliter impertita non est restringenda ad solas salubres; tum quia alias dispensati pluribus subiicerentur scrupulis; non raro dubitando, quaenam carnes noceant vel prosint. Ita Lugo [1] Sanch.[2] Croix [3] Tamb.[4] et Salm. [5] cum Vill. Trull. Diana, etc. Verumtamen p. Conc. [6] adducit quoddam edictum Clementis XI. Romae publicatum die 24. feb. ann. 1703. et confirmatum ann. 1704. ubi dispensatis in quadragesima permittuntur tantum carnes salubres. Sed advertendum cum P. Viva [7] et Capellotto ac aliis apud eumdem Conc. Edictum illud non fuisse generale pro tota ecclesia, sed tantum pro statu romano, idque declaratum fuit a n. ss. p. Bened. XIV. prius in libro notificationum, ubi testatur huiusmodi edictum emanatum fuisse a Clemente tamquam episcopo Romae. Deinde expressius id declaravit in sua bulla de ieiunio, *Non ambigimus*, in qua loquens de praefato edicto (ubi, ut diximus, vetitum fuit dispensatis edere carnes insalubres, et insuper in eodem edicto simul praescriptum fuit dispensatos teneri ad unicam comestionem) dicit: *Nolumus tamen vos ignorare, cum huiusmodi necessitate, et servandam esse potissimum unicam comestionem, sicut alias hic Romae, ac nos ipsi hoc anno, urgentibus causis dispensantes, expresse praescripsimus*. Nota tò *sicut alias hic Romae*, ergo clare exprimit noster papa Benedictus decretum illud, ubi simul praescripta fuit quoad dispensatos unica comestio, et esus carnium tantum salubrium, fuisse particulare solum pro Roma. Noster autem pontifex tale decretum ampliavit quidem pro tota ecclesia quoad partem unicae comestionis, non vero quoad prohibitionem carnium insalubrium. Advertendum tamen quod in bulla *Libentissime*, eiusdem Benedicti XIV. dicitur quod, interveniente aliqua urgentissima necessitate dispensandi ad esum carnium cum universa quadam civitate aut gente, tunc tantum a sede apostolica *carnis, salubris tamen, edendae facultas concedetur*. Hoc enim aequum fuit sic disponere, et strictius procedere, cum ageretur de universo populo. Quod autem in praefata bulla disponendum sancitur pro universo populo, non habetur sancitum quoad dispensationem pro singulis personis. Sed loquendo in particulari de carne porcina, non videtur illa absolute posse dici insalubris, cum ipsa, ut scribit celebris medicus Hoffman, maximam habeat convenientiam cum sanguine humano. Refertque Riverius [8] id quod sentit Galenus de carne suilla, et ait: *Galenus humanae carnis similem esse asserit, et si bene coquatur, omnium ciborum potissime nutrire. Crassum et lentum habet succum, et ideo nutrimentum praebet firmum ac durabile, quod dissipari facile nequit*. Dicet aliquis, sed cur caro porcina vetita fuit hebraeis, nisi quia nociva? Respondetur, quod Palaestinae (regioni tam adustae) prohibita fuit illa, quia sues ibi magis quam alibi lepra laborant, ut scribit Calmet [9], sicut ibi etiam leporina caro interdicta fuit, quae certe inter nos non habetur ut noxia. Praeterea ait s. Thomas, quod carnes iudaeis vetitae aliae interdictae fuerunt ob nimiam humiditatem aut siccitatem, aliae quia reputabantur immundae, prout carnes porcinae, et de facto ratio a Moyse prolata de tali prohibitione haec quidem fuit, quia carnes

(1) De iust. d. 3. n. 139. (2) Dec. l. 4. c. 1. n. 59. (3) L. 3. p. 2. n. 1315. (4) Dec. l. 4. c. 5. §. 1. n. 8. (5) Tr. 23. de 3. praec. c. 2. punct. 2. §. 1. n. 21. (6) T. 3. p. 273. n. 6. (7) De ieiun. q. 10. a. 1. n. 4. (8) Inst. medic. l. 2. c. 17. (9) In Lev. 11. 8.

suillae immundae erant: *Horum carnibus non vescemini, quia immunda sunt. vobis* [1]. *Immunda autem appellantur, quia* (ut scribit Plutarchus) *nullum animal ita gaudet coeno ac sordidis locis.* Idem ait Natalis Alexander, et idem scripsit olim Tertullianus [2] carnes suillas vetitas esse hebraeis, ut eorum coerceretur ingluvies, et incontinentia refraenaretur.

1016. « 3. Conditio est certa hora refectionis, quae est circa meridiem, nisi aliud loci consuetudo ferat. Idque non mathematice computandum, sed moraliter. Dictam autem horam notabiliter sine iusta causa praevenire, mortale putant Navar. et quidam alii; sed probabilius docent esse veniale Tolet. et Fill. eo quod non violetur substantia, sed tantum circumstantia. Tolet. Less. [3] Vide Laym. [4].

» Dixi *notabiliter et sine causa:* quia praevenire ex iusta causa, v. gr. si iter faciendum, si hospites dimittendi, etc. et absque ea, per mediam horam tantum, nullum peccatum videtur esse. Dilatio in vesperam et licita est et laudabilis, si nihil ante sumas. »

Quaeritur an antevertens notabiliter sine causa horam meridianam graviter peccet. Primitus compertum est horam refectionis fuisse vespere post solis occasum. Deinde retroacta est ad horam nonam, nempe ad horam mediam inter meridiem et occasum. Verum a XIV. saeculo consuevit refectio fieri ad horam sextam, sive ad meridiem. Haec autem hora non mathematice, sed moraliter computanda est, ut docet d. Thomas [5] qui ait: *Ad ieiunium requiritur hora determinata, non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam aestimationem: sufficit enim quod sit circa horam nonam:* haec enim tunc erat hora refectionis. Quae autem dicenda est notabilis anticipatio? Alii dicunt si refectio anticipetur plus quam hora. Alii autem probabilius si tantum hora, ut Azor. [6] Conc. [7] Elbel [8] Holz. [9] quamvis apud plures religiosos, ut ait Elb. [10] cum Croix Spor. et Tamb. receptissima sit consuetudo anticipandi prandium per integram horam. Caeterum omnibus licitum est anticipare infra horam, etiam sine causa. An autem notabilis anticipatio sit mortalis.

Prima sententia probabilis affirmat cum Azor. [11] Sanch. [12] et Nav. Sylvest. Led. Covar. etc. apud Salm. [13] et hanc probabiliorem putat Conc. [14]. Ratio quia sicut datur praeceptum de unica comestione, sic etiam datur de comestionis tempore.

Secunda sententia vero communior et probabilior negat, eamque tenent cum Bus. Less. [15] Tol. [16] Bon. [17] Pal. [18] Laym. [19] Spor. [20] Elbel [21] Holzm. [22] Salm. [23] cum Innoc. Rich. Archidiac. Vill. Filliuc. et Rodr. Ratio quia hora non est de essentia ieiunii, ut ipsi contrarii fatentur, sed est circumstantia tantum accidentalis; unde, sicut in officio divino, licet hora recitationis sit praecepta, anticipatio tamen non est mortalis; ita nec etiam in ieiunio. Hinc non valet dicere quod esto horae determinatio non sit de essentia ieiunii, est tamen conditio ab ecclesia praescripta; nam respondetur quod haec conditio vel non obligat sub gravi, vel an obliget sub gravi saltem non constat, et ideo ad mortale non obligat. Neque officit, quod anticipando finis ieiunii frustretur; quia (ut bene respondet Elbel) maceratio quae mane habenda erat, compensatur postea, licet cum minori difficultate; sed haec diminutio non reputatur gravis, praeterea quod finis praecepti non cadit sub praecepto. Nemo autem dubitat quin huiusmodi notabilis anticipatio sit saltem venialis; a quo excusat quaelibet causa rationabilis nempe iter inchoandum, urgens negotium, debilitas complexionis, urbanitas et similia. Ita Elb. Holzm. Spo-

(1) Levit. 11. 8. (2) L. 2. contra Marcionem, c. 18. (3) D. 2. n. 13. (4) C. 3. n. 10. et seq. (5) 2. 2. q. 147. a. 7. ad 2. (6) T. 1. l. 7. c. 11. q. 4. (7) T. 3. p. 277. n. 6. (8) T. 2. p. 160. n. 444. (9) T. 1. p. 333. n. 6. (10) Loc. c. (11) Loc. c.

(12) Dec. l. 4. c. 11. n. 31. (13) Tr. 23. c. 2. punct. 4. n. 86. (14) L. c. n. 5. (15) L. 4. c. 2. n. 15. (16) L. 6. c. 2. (17) Q. 1. p. 4. n. 3. (18) P. 2. §. 3. n. 3. (19) L. 4. tr. 8. c. 1. n. 11. (20) De 3. pr. sect. 5. n. 25. (21) P. 160. n. 443 (22) T. 1. p. 333. n. 6. (23) Dict. c. 2. n. 87.

er[1] et Salmant.[2] cum Pal. Azor. Navarr. etc.[3].

Ex dictis resolves:

1017. « 1. Non solvitur ieiunium per divisionem prandii ob negotium incidens, vel si quid sumatur per modum medicinae, vel ob debilitatem, aliamve causam rationabilem, ut apud religiosos faciunt ministri, et lectores mensae, quia non nisi unicam refectionem intendunt. (Ita Caiet. Bon. Less. Pal. et Salmant.[4]. Et ita praescripsit s. Benedictus[5]. Et hinc Sanchez[6] Escob.[7] excusant famulos mensae ministrantes, si aliquid praegustent, aut ex reliquiis gulose sumant, tum ut melius serviant, tum ut famem sublevent; intellige, si cum illorum refectione licita moraliter uniatur. (Ut ait etiam Elb.[8] cum Lessio Tambur. Sporer[9] cum Azor. Nav. Diana et Croix[10]). Nec solvitur per sumptionem electuariorum, vel crebriorem haustum (ante quem modicum sumere, ne potus noceat, permittit Azorius Escob.[11]); et quidem toties quoties biberit, dummodo non in fraudem ieiunii, verbi gratia 5. vel 6. amygdalas, vel quid simile. Regin. etc. cum Diana[12] quia ordinatur potius ad alterationem corporis, vel digestionem ciborum, quam nutritionem.»

1018. Quaeritur 1. an liceat sine fractione ieiunii, sumere toties quoties libuerit aliquid cibi ante potum ne potus noceat. Affirmant Pasq. Fag. Diana et Leander apud Salm.[13] qui citat d. Th. Sylv. Sanchez Bonac. etc. Sed recte contradicunt Salm.[14] cum Caiet. Abul. etc. qui dicunt nequaquam d. Thomam, nec alios citatos a Leandro, id permittere toties quoties, sed tantum vix pro una vice, in quo consen-

(1) Locc. cc. (2) Loc. cit. n. 90.

(3) Hanc secundam sententiam negantem auctor retractavit, sed ipsi textui inserere omisit. Hinc vide quaest. reform. Quaer. 13. ubi s. Alphonsus ita loquitur: « An in die ieiunii notabiliter antevertens sine iusta causa horam meridianam graviter peccet. L. 3. n. 1016. v. Quaer. dictum fuit cum Less. Tol. Bon. Laym. Salm. Castr. etc. probabiliorem esse negativam sententiam. Sed re melius ad trutinam revocata, dicimus cum Azor. Sanchez Navarr. Sylvest. affirmativam omnino tenendam.» Rationem huius retractationis videre est in Hom. Ap. tr. 12. n. 21. ubi s. auctor reformatam sententiam inserens, totam quaestionem de hora refectionis modo sequenti solvit: «Tertia conditio demum ieiunii est hora refectionis. Haec hora olim erat hora post occasum solis. Deinde anteacta fuit ad horam nonae. Sed a saeculo 14. fuit anticipata ad horam sextae, nempe ad meridiem. Hinc dubitatum fuit an notabilis huius horae anticipatio in refectione sit gravis culpa. Affirmat prima sententia cum Azor. Sylv. Sanchez Nat. Alex. Antoine Franz. Cuniliati ac Navarr. Abul. Covar. et aliis apud Salm. et Conc. qui pro hac sententia refert adesse 24. auctores. Id probatur ex *can. Solent* 50. *dist.* 1. concilii cabillonensis, ubi dicitur: *Nullatenus ieiunare credendi sunt, qui ante manducaverint quam vespertinum celebratur officium.* Hinc clare educitur quod eo tempore (in quo refectio erat praescripta ad horam nonae) hora iam spectabat ad substantiam ieiunii. Proinde s. Thom. scripsit: *Cum ecclesia instituit certum tempus comedendi ieiunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, ieiunium solvit.* Alii vero negant hodie culpam esse gravem anticipationem refectionis, ut Lessius Toled. Bonac. Laym. et Salmant. cum plurimis, qui observari possunt apud nostrum opus morale. Dicunt isti, iuxta praesentem consuetudinem horam non pertinere ad substantiam ieiunii. Sed haec ratio (pace tot auctorum) minime suadet, nam ipsimet, ut sunt Laym. et Salmant. non negant olim praeceptum observandi horam fuisse grave, et quidem ad substantiam ieiunii pertinuisse. Hoc posito, donec non probetur hodierna consuetudo antiquo gravi praecepto derogasse, illud sine dubio possidet; sed haec consuetudo non probatur, vel saltem non est certa, stantibus tot auctoribus qui illam negant. Quapropter, licet quondam secundae sententiae adhaesi, re tamen melius animadversa, nunc illam minime probabilem censeo. Deinde dubitatur quaenam sit notabilis haec anticipatio vetita sub gravi; hora enim ieiunii moraliter mensuranda est, ut docet s. Thomas: *Ad ieiunium requiritur hora determinata non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam aestimationem, sufficit enim quod sit circa horam nonam.* Hinc alii dicunt anticipationem notabilem esse plus quam hora; idque asserunt Salmant. ab omnibus admitti: sed Natalis Alexand. reprobat. Alii vero communiter assignant, tanquam gravem, anticipationem unius integrae horae; ita Natalis Alexandrin. Sylvius Azorius Holzman Concina Antoine Cuniliati et Franzoia locis citatis. Aliqui autem auctores asserunt mendicantes habere privilegium a Leone x. anticipandi refectionem per duas horas in hyeme et per tres in aestate. Sed Franzoia et Natalis Alexand. dicunt de hoc privilegio documenta non ostendi, imo, inquisitione adhibita, non reperiri. Dicunt vero Azorius Sylvest. Palud. et Nav. posse excusare a culpa hanc anticipationem quamcumque rationabilem causam, nimirum negotii urgentis, debilis complexionis, necessitatis praedicandi, docendi vel legendi in mensa, incipiendi iter, inserviendi hospitibus, exercendi urbanitatem cum amicis; attamen mihi suasum non est quamcumque harum causarum satis esse ad excusandum a praecepto, quod etiam hodie est grave, sicut ostendimus. »

(4) Ibid. n. 51. (5) In reg. 28.
(6) T. 2. opusc. 1. 5. c. 1. dub. 34.
(7) T. 1. e. 6. c. 3. n. 29. (8) T. 2. p. 161. n. 448
(9) N. 13. (10) L. 3. p. 2. n. 1280.
(11) T. 1. e. 7. c. 3. n. 28. (12) P. 1. tr. 8. r. 2[illegible]
(13) Tr. 23. c. 2. punct. 3. §. 2. n. 66
(14) Ibid. n. 68.

tiunt ipsi Salm. et Conc. [1]. Alii vero ut Elbel [2] cum communissima, ut asserit Spor.[3] Laym.[4] Croix [5] id permittunt si non fiat frequenter [6].

1019. Quaeritur 2. an *electuaria* frangant ieiunium. Electuaria dicuntur ea quae ex electis rebus, puta ex saccharo et iunipero aut cedro conficiuntur, vulgo dicta *conserve*, ut Concina [7] et Elbel [8] cum d. Thom.[9] non autem intelliguntur potiones de *caffè* et herba *thè*, quae omnino ad libitum quidem permittuntur, ut bene aiunt Croix [10] Holz.[11] Milante [12] Elbel [13] cum communi. De praefatis autem electuariis sic docet d. Thom. [14] qui ait: *Electuaria, etiamsi aliquo modo nutriant, non principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum: unde non solvunt ieiunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio: nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.* Hanc doctrinam s. doctoris communiter sequuntur Holz.[15] Elbel [16] Spor.[17] et Salmant. [18] cum Caiet. Less. Nav. Laym. etc. An autem haec, ob solam delectationem sumpta ieiunium laedant. Negant Salm. [19] cum Abul. et Sylv. modo sumantur in parva quantitate· utuntur ratione d. Thomae, scilicet quod electuaria non sumuntur ad nutriendum, sed ad digestionem adiuvandam; sicut vinum, etiamsi vere nutriat et ad delectationem sumatur, tamen quia non est ad nutriendum institutum non frangit ieiunium. Sed oppositum tenendum cum Conc. [20] qui citat Leand. Fag. etc. ac Diana [21]. Ratio quia ideo electuaria licite sumuntur in parva quantitate, eo quod, cum assumuntur ut medicamentum, adest sufficiens causa excusans a veniali; cum autem sumuntur ad delectationem, deficit causa, et propterea nequeunt sumi sine culpa. Nec obstat ratio d. Th., ut supra opposita; quia cum dicat s. doctor non posse ea sumi per modum cibi, utique consequenter excludit posse sumi ad delectationem. Neque etiam valet paritas vini, nam vinum per se habet rationem potus, et non cibi, ut per se habent electuaria. Caeterum ad excusandum sufficit quaelibet rationabilis causa, licet non tam gravis, puta ad digestionem ciborum, ut ait s. Thomas, sive ad confortandum stomachum, ad tollendum foetorem oris, ad conservandam vocem, et similia; ita Spor.[22] et Elb.[23]. Et sic probabiliter excusantur ii qui aliquid sumunt ne vires deficiant, quando prandium differre debent ultra horam communem, ut docent Pal. [24] cum Az. Tol. Sa Nav. et Val. Less. ac Laym. apud Croix [25].

1020. Quaeritur 3. per quantum temporis prandium moraliter non interrumpatur, ita ut illud continuari possit. Tamb. [26] et Fill. apud Diana [27] dicunt, si nulla adsit causa, non interrumpi prandium per quadrans cum dimidio, etiamsi decreveris non amplius comedere: imo Elbel [28] concedit id etiam per semihoram. Per horam vero procul dubio interrumpitur prandium, ut Salm. [29]. Quando vero intercedit negotium Sanchez [30] cum aliis, et Viva [31] dicunt nec etiam per horam prandium interrumpi. Imo Ioan. Sanchez extendit adhuc ad duas horas; et quamvis hoc non admittant Salmant.[32], attamen Tamb.[33] cum Fag. et Lezan. Diana ap. Croix[34] absolute concedunt, et sane probabiliter, quando quis non sufficienter se refecit, ut ait Holzm.[35]. Imo Croix [36] cum Leand. Steph. et Pasq. adhuc pro-

(1) T. 5. p. 255. n. 3. (2) T. 2. p. 165. n. 446. (3) Sect. 5. n. 14. (4) L. 4. tr. 8. c. 1. n. 7. (5) L. 3. p. 2. n. 1293. (6) Ita etiam permittitur sumere parum cibi, v. gr. unciam, ad depellendam debilitatem, ut communiter.... Nonnulli hoc permittunt toties, quoties bibendum erit ne potus noceat; sed hoc, ut recte dicunt alii, vix potest permitti semel atque iterum in die. Hom. Ap. tr. 12. n. 11. (7) T. 5. p. 203. n. 8. (8) T. 2. p. 161. n. 447. (9) 2. 2. q. 147. a. 6. ad 3. (10) L. 3. p. 2. n. 1292. (11) T. 1. p. 337. n. 21. (12) In prop. ex. 23. p. 257. (13) P. 156 43. (14) Loc. cit.

(15) L. c. p. 338. r. 2. (16) P. 161. n. 447. (17) N. 14. (18) C. 2. n. 52. (19) L. cit. n. 53. (20) P. 203. n. 8. (21) Tr. 6. r. 93. n. 2. (22) D. n. 14. (23) L. c. (24) T. 7. tr. 1. d. 3. §. 2. n. 3. (25) L. 3. p. 2. n. 1282. (26) Dec. l. 4. c. 5. n. 16. (27) P. 1. tr. 9. r. 32. (28) T. 2. p. 158. n. 438. (29) Tr. 20. c. 21. n. 38. (30) Cons. l. 5. c. 1. d. 24. n. 1. (31) Q. 10. a. 2. n. 4. (32) Tr. 23. c. 2. punct. 3. §. 1. n. 49. (33) Dec. l. 4. c. 5. §. 2. n. 15. (34) Lib. 3. p. 2. n. 1279. (35) T. 1. p. 338. n. 22. (36) Loc. cit.

babiliter concedunt, quantumcumque fit sero, posse eum redire ad prandium: dummodo (addunt) retinuerit intentionem redeundi, et non sufficienter se refecerit. Sed casu quo aliquis non posset tolerare ieiunium sine magno incommodo, puto etiam sine illa intentione posse redire, quia ecclesia nunquam intendit obligare ad diem transigendum sine sufficienti refectione. Et hoc concedere videntur etiam ipsi Salm. [1] cum Less. Trull. et Fill.

Quaer. 4. an quis, postquam surrexit a mensa animo non amplius comedendi, possit iterum ad comedendum redire. Negat Nav. Sed affirmant Lessius [2] Ronc. [3] ac Bon. Trull. et Villal. apud Salm. [4] qui merito probabile putant, si convivae adhuc comedant, vel si in mensa apponatur aliud ferculum quod ille ignorabat apponendum; ut ait Sanch. [5] et Salm. [6] cum Vill., quia adhuc moraliter censetur idem prandium durare. Id autem quod dicunt Navarr. Sylv. et Pal. scilicet quod qui causa itineris mane ientaculum sumpserit, non tenetur ad ieiunandum si postea non proficiscatur; recte id negant Salmant. Less. Trull. et Fill. nisi quando per illam unicam comestionem non possit is reliquo die commode ieiunare; nam alias cum essentia non adhuc sit destructa, tenetur utique ieiunium servare.

Quaer. 5. quamdiu liceat protrahere prandium. Probabiliter respondet Tambur. [7] et Croix [8] cum Fag. licere usque ad duas horas; imo Elbel [9] cum Gobat concedit usque ad tres vel quatuor horas, saltem pro germanis, iuxta eorum morem; sed Croix merito dubitat an haec consuetudo sit approbata: nisi, ut ait, post duas circiter horas apponantur sola bellaria vel cibi leviores; maxime si postea vesperi omittatur refectiuncula; hocque ego nec approbo nec reprobo.

1021. « Excipe tamen 1. si quis sumeret lac, iusculum et similia, quae sive sorbeantur sive comedantur, non habent rationem potus, sed cibi, ac principaliter referuntur ad nutriendum (Est commune apud Salm. [10] cum Sanch. Trull. etc.). 2. Si quis poma, piros, vel etiam uvas in magna quantitate sumeret; quia habent rationem cibi. Dic. et alii 6. Diana [11] (Etiamsi solum succum deglutiat. Salm. [12]. Et idem de uva, ex communi. Salm. [13] contrá Pal. Et idem dicit Viva [14] de peponibus, vulgo *melloni d'acqua*, ut est communissima contra quemdam anonymum, qui improbabiliter contrarium scripsit). 3. Nisi quis in magna quantitate electuaria in fraudem ieiunii sumeret. Qui vero in potu valde excederet, contra temperantiam quidem, non tamen contra ieiunium peccaret, saltem mortaliter. Laym. [15]. »

1022. Quaeritur hic 1. An potus vini frangat ieiunium. Non dubitandum quod, ut testantur plures patres, s. Chrysost. s. Hieronym. s. Basilius etc., iuxta primam ecclesiae disciplinam antiqui christiani in ieiuniis omnino vino abstinebant. Sed nec etiam dubitandum quod hodierno tempore potio vini non est interdicta, si sumatur in comestione, vel extra ad sedandam sitim vel ad digestionem iuvandam; sic docet s. Th. [16]: *Non autem intendit ecclesia interdicere abstinentiam* (alias *sumptionem* iuxta Billuart) *potus.... licet aliquo modo nutriat.* Et patet *ex c. Denique* 6. *dist.* 4. ubi Gregorius Magnus sic ait: *Vinum quoque ita bibere permittitur ut ebrietatem omnino fugiamus.* Attamen dubium fit an vinum sumptum extra refectionem ad sedandam famem laedat praeceptum ieiunii.

Prima sententia affirmat, quam tenent Sylvest. [17] Natal. Alexand. [18]. Item s. Anton. Abul. Reg. etc. apud Salm. [19]. Et hanc videtur tenere d. Thom. [20] his verbis: *Qui potat extra horam unicae comestionis, non dicitur bis manduca-*

(1) Ibid. n. 50. (2) L. 4. c. 2. d. 2. (3) C. 1. q. 1. r. 1. (4) Cit. n. 50. (5) N. 5. (6) Ibid. (7) L. 4. c. 4. §. 2. n. 15. (8) L. 3. p. 2. n. 1283. (9) T. 2. p. 158. n. 437. (10) Tr. 23. c. 2. p. 3. §. 2. n. 57. (11) P. 9. t. 6. r. 14. (12) Ib. n. 62.

(13) Ibid. n. 65. (14) Q. 10. a. 1. n. 8. (15) Loc. c. n. 7. (16) 2. 2. q. 147. a. 6. ad 2. (17) V. ieiunium n. 9. (18) L. 4. a. 7. reg. 14. (19) De 3. praec. c. 2. punct. 3. §. 2. n. 55. (20) In 4. sent. d. 15. q. 3. a. 4.

re, et propter hoc nec statutum ecclesiae frangit: nisi in fraudem faciat, quia legem violat, qui in fraudem legis aliquid facit. Ratio igitur huius sententiae est, quia licet bibens vinum ad famem extinguendam non peccet frangendo ieiunium, peccat tamen frustrando finem ieiunii. Haec sententia est probabilis, sed probabilior est mihi sententia opposita quam tenent Sanch. [1] Navar. [2] Azor. [3] Ron. [4], qui hodie certam vocat, et Salm. [5] cum Less. Laym. Pal. Bonac. et aliis communiter. Ratio quia, ut ipse d. Th. [6] docet, *Statutum positivae legis non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadit in praecepto, sed est finis praecepti.* Si igitur modus virtutis seu finis praecepti non cadit sub praecepto, ergo non peccat contra praeceptum, qui modum virtutis seu finem praecepti non observat, quia utitur iure suo. Neque huic obstat dicere quod si hoc esset, non peccaret qui sine iusta causa laborem assumeret, ut posset ieiunium solvere; quod verum non est, ut dicemus in *dub. seq. n.* 1045. Sed respondetur aliud esse apponere impedimentum contra praeceptum, aliud contra finem praecepti: quando labor assumitur ad non ieiunandum, peccatur quidem contra ieiunii praeceptum, eo quod ecclesia, praecipiendo ieiunium praecipit simul non apponere impedimentum proximum ad ieiunandum; at in nostro casu potus vini ad sedandam famem non est contra praeceptum ieiunii, sed contra finem ieiunii qui non cadit sub praecepto, et ideo talis potus non est saltem culpa gravis et forte per se nec venialis, quia potu vini non omnino frustratur finis ieiunii, sicut frustratur per sumptionem cibi qui ab ecclesia vetatur.

Quaeritur 2. An frangat ieiunium potus cerevisiae ex hordeo et cerasis confectae, aut aquae mixtae saccharo et succo cinnamomi vel mali cedrini, vulgo dictae *limonata* sive *sorbetto*. Certe si cum parva quantitate aquae magna rerum harum quantitas misceatur, ieiunium frangitur: secus si parva quantitas cum magna quantitate aquae, quia tunc iudicantur isti veri potus, eo quod alia quae cum aqua miscentur ita liquefiunt, ut videantur propriam naturam amisisse. Ita communiter Wig. [7] Roncag. [8] Elbel [9] cum communissima, Conc. [10] Viva [11] Mazz. [12] Croix [13] cum Leand. et Steph. Tamb. [14] et Salm. [15]. Nec obstat dicere quod aqua mixta saccharo, cum congeletur, mutet naturam; quia mutatio naturae importat privationem prioris esse, ad quod redire non possit: sed aqua congelata liquefit statim ac ori admovetur, ergo naturam non mutat. Confirmatur; si gelu mutaret naturam, accideret quod in speciebus congelatis vini post consecrationem desineret ibi esse Christus, sed hoc est contra rubricam missalis [16] ubi praecipitur, ut si sanguis congeletur, debeat igne liquefieri et sumi. Instabis: si quis uvam manibus exprimat, et succum tamen deglutiat, quippe ieiunium frangit, unde non refert quod aqua illa liquefacta deglutiatur. Sed respondetur: Liquor intra uvas non est quidem in forma potabili, sed in forma cibi, et per masticationem deglutitur; sed aqua congelata non iam per masticationem deglutitur, sed ore immissa, cito per se ipsius oris calore liquefit, et ad pristinum statum redit, sicque naturam potus non amittit, et ut potus habetur.

1023. Quaeritur 3. An potio *chocolatis* frangat ieiunium.

Prima sententia, quam tuentur card. Branc. [17] Esc. [18] Hurt. [19] Holz. [20] Viva [21], item Machad. Avila Henriq. Quintanad. apud Guimenium, et probabilem putant Felix Potestas [22] et Tamb. [23] qui te-

(1) Cons. l. 5. c. 1. dub. 25. n. 3. (2) Sum. c. 21. n. 13. (3) L. 7. c. 10. q. 7. (4) Tr. 9. c. 1. q. 6. (5) Ibid. n. 56. (6) Eod. loc. cit. (7) Tr. 5. ex. 4. n. 97. (8) C. 1. q. 6. (9) T. 2. p. 156. n. 433. (10) T. 5. p. 204. n. 9. (11) Q. 10. a. 1. n. 8 (12) Tr. 2. d. 1. q. 4. c. 4. q. 4. §. 1. (13) L. 3. p. 2. n. 1292. (14) De pr. eccl. c. 5. n. 8. (15) Loc. c. n. 57. (16) C. 10. n. 11. (17) Diss. de chocol. (18) T. 12. p. 93. dub. 28. (19) P. 2. tr. 10. c. 5. n. 98. (20) T. 1. p. 357. n. 21. (21) De 3. pr. q. 10. a. 1. n. 8. (22) P. 307. n. 2877. (23) L. 4. c. 5. §. 2. n. 15

statur probabilem etiam censuisse c. de Lugo, negat ieiunium frangere, modo fiat usus illius ut est in Mexico, non autem si sumatur ad instar densae pultis, puta si misceatur aqua in maiori aut aequali quantitate. Fundamentum huius sententiae est, prout aliqui ex citatis aa. dicunt, quia ratio potus sumitur a materia praedominante quae hic est aqua. Et hoc modo sentiunt citati auctores hanc potionem posse sumi toties quoties libuerit; feruntque Hurt. et Illsung apud Holz. eam licitam declarasse s. Pium v. Gregorium XIII. et Paulum v.

Secunda sententia vero quam tenent Sanch.[1] Sylvius[2] Laym.[3] p. Conc.[4] Salm.[5] Dian.[6] Ronc.[7] Tamb.[8] et alii plures, docet frangere ieiunium. Ratio quia illa tantum potio habet rationem potus, quae inservit ad vehiculum alimenti, non vero quae ipsa alimentum est, ut est lac et iusculum; ita et chocolates. Alias, si quis pisces contunderet et in aqua mixtos sumeret, nec iste frangeret ieiunium. Hoc tamen non obstante, prima sententia probabilior mihi est, sub limitationibus tamen, ut infra dicam. Ratio quia potus chocolatis eo modo quo admittemus, licet non habeat rationem potus, cum non deserviat ad extinguendam sitim, ut certe sentio, et licet aliquo modo nutriat; habet tamen rationem medicinae, quatenus iuvat ad vehendum cibum, sive ad caput ac stomachum confortandum. Unde de hoc potu idem dici potest, quod diximus supra de electuariis *n.* 1019. cum d. Th.[9] qui ait: *Electuaria, etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum; unde non solvunt ieiunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio.* Sed hac ratione medicinae non licebit sumere chocolatem, nisi in parva quantitate, et cum aderit aliqua rationabilis causa, eo modo quo licitus est usus electuariorum. Hinc p. Milante[10] loquendo de electuariis, recte ait: *Ergo etiam ex fine in praesentiarum chocolatam ad consolidandum stomachum viri probi in moderata quantitate permittunt.* Accedit alia ratio extrinseca universalior et forte potior, nempe consuetudinis iam hodie communiter receptae, quae negari non potest, et quam etiam testantur Salm.[11] et Viva Tamb. Holz.[12] ac Felix Potest.[13] cum Ronc.[14] qui sic ait: *Dixi chocolatam frangere ieiunium; habeo tamen rationem extrinsecam qua certum mihi redditur, ieiunium non frangere: haec autem fundatur in universali consuetudine, quam sciunt et tolerant praelati ecclesiae, quae consuetudo legi derogavit.* Haec autem ratio consuetudinis (etsi in alio casu) confirmatur ex d. Th.[15] qui disserens de operariis et peregrinantibus, an excusentur a ieiuniis, ait excusandos esse si immineat necessitas, et deinde subdit: *Videtur tamen in talibus recurrendum esse ad superioris dispensationem, nisi forte ubi est consuetudo, quia ex hoc ipso quod praelati dissimulant, videntur annuere.* Cum vero ratione consuetudinis potus chocolatis admittitur, censeo cum Salm.[16] hanc consuetudinem non adesse, nisi pro uno tantum cyatho in diem, non toties quoties, ut alii dicunt.

Quaenam autem quantitas censeatur parva et iuxta usum hodie permitti possit. Sane improbabiliter Pasqual.[17] putat nimiam mediam unciam chocolatis, ut possit sumi pro parva materia, inepte dicens quod huiusmodi quantitas plus nutrit quam sex unciae alterius cibi: unde tantum admittit octavam vel sextam partem unciae; et huic opinioni videtur adhaerere p. Conc.[18] qui ait solum posse admitti aliquid pulveris chocolatis cum aqua ita admixtae, ut aqua sapida efficiatur, et stomacho attemperetur: caeterum non dubitat chocolatem posse sumi per modum medicinae ad instar electuarii. Con-

(1) Cons. l. 5. c. 1. dub. 23. n. 1. (2) 2. 2. q. 147. a. 6. (3) L. 4. tr. 8. c. 1. (4) T. 5. p. 307. n. 4. (5) Tr. 23. c. 2. punct. 3. §. 2. n. 60. (6) P. 4. tr. 4. r. 194. (7) Tr. 9. c. 1. q. 6. r. 3. (8) Dec. l. 4. c. 5. §. 2. n. 9. (9) 2. 2. q. 147. a. 6. ad 3. (10) In prop. Alex. VII. exer. 23. p. 25[illegible] (11) Loc. c. n. 62. (12) Locc. cc. (13) N. 287. (14) L. c. supra. (15) 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3. (16) Cit. n. 62. (17) Tr. de ieiun. (18) T. 5. p. 243. n. 5.

tra vero merito Salm.[1] reiiciunt Leand.[2] et Turrian. [3] qui permittunt potionem duarum unciarum chocolatis. Alii, ut Pinellus apud Salm. Felix Potestas ac auctor adnotation. ad Anacl. [4] permittunt unam unciam et dimidiam chocolatis cum dimidia sacchari. Rationabilius tamen card. Brancatius admittit potionem unius unciae chocolatis (cum quinque unciis aquae, ut ait) non frangere ieiunium; vel, ut admittunt Escobar [5] Salm. [6] Viva [7] et Renzius [8] cum Hurt. unam unciam chocolatis cum dimidia sacchari. Spectata autem hodierna consuetudine, p. Milante [9] sic scribit: *Dico in praesentiarum esse absolute licitam chocolatae potionem in moderata sexquiunciae quantitate* (idest unciae cum dimidia) *quia parvitas materiae ex consuetudine introducta et tolerata ab ecclesia omnino excusat a culpa. Dixi ex tolerantia ecclesiae, quia ex laudata permissione hodie chocolata in praefata quantitate sumpta communalis potus semel dumtaxat in die permissus evasit.* Et quidem valde probabiliter, dum communis usus fert ut mihi constat, non minus quam unciam cum dimidia chocolatis in ordinariis cyathis solere immitti. Dicit autem Viva quod tunc chocolates habet rationem potus quando uncia chocolatis et media sacchari miscentur septem unciis aquae. Sed hoc videtur contra communem usum, neque hoc congruit ei quod dicit ipse Viva et quod proferunt Leander Diana Escob. Potestas etc. nempe tunc chocolatem non habere rationem potus cum illa aequat quantitatem aquae. Unde melius videtur sufficere quod praefata permissa quantitas sumatur cum aqua, quae de more solet in usualibus cyathis adhiberi.

1024. « 2. Ieiunium non solvitur per collatiunculam vespertinam, etsi haec non ad somnum sed ad nutritionem ordinetur: quia consuetudo permittit. Addo *vespertinam:* quia sine causa non licet illam sumere mane vel meridie: ex iusta tamen causa licet utrumque: ut si fiat ratione debilitatis, negotiorum, studiorum; sine ea erit veniale tantum, cum non violetur substantia ieiunii (Ita Viva [10] et Salm.[11] cum Less. Tol. Sanch. Cai. Fill. et communi. Dicunt Fagund. et Leand. quod venatio sufficit pro causa iusta tempus commutandi).

» Quoad eius quantitatem, communiter designatur quarta vel quinta pars integrae coenae; ut contra Dian.[12] Tur. etc. docet Reg. [13] cum Laym.[14] Fill. [15] dicens, ita decisum esse in celebri academia theologorum, qui omnes in quartam partem consenserunt. Idem probat Escob. [16] siquidem coena ordinaria duarum librarum pondus non excedet, quia talis in reliquis praeceptis modica censetur, ac proinde tanto quis magis minusve peccat, quanto magis vel minus transgreditur. Adde, quibusdam locis ex consuetudine plus permitti saecularibus quam religiosis, nobilibus quam plebeis, et in frigidis regionibus, quam in aliis, ut notat Layman [17] et Bon.[18]. Plus item quibusdam in locis in vigilia Nativitatis Domini, et alibi in Coena Domini, permitti ex consuetudine dicunt Med. Caiet. [19] et Sanch.[20] Escob.[21]. Quod Bon. non improbat, ubi ea consuetudo est recepta.

» Quoad qualitatem, in ea prohibentur cibi ob nutritionem communiter ordinati, quique inter fercula fere apponuntur. Permittuntur autem leviores, ut fructus, aliave ex saccharo et melle confecta; et pro more regionis parum butyri et casei, ut in regionibus septentrionalibus, ob fructuum inopiam. Laym. [22].»

1025. In serotina igitur refectione duo spectanda sunt, quantitas et qualitas cibi. Sed hic ante omnia animadvertendum praecipue in his attendendum esse consuetudinem locorum, ut

(1) Ibid n. 63. (2) Q. 5. §. 4. (3) Sum. p. 1. c. 256. dub. 37. (4) De pr. eccl. d. 2. q. 1. n. 6. (5) Loc. c (6) Cit. n. 63. (7) Ut supra. (8) De praec. eccl. c. 2. q. 18. (9) Loc. c. p. 256. (10) O. 10 a. 3. n. 5. (11) Tr. 23. c. 2. punct. 3 §. 3. n. 82. (12) 1. p. tr. 4. r. 117. (13) C. 2. l. 6. n. 185. (14) C. 1. n. 9. (15) T. 2. tr. 27. p. 2. c. 2. q. 7. n. 33. (16) T. 1. e. 13. c. 3. n. 61. (17) L. 4. t. 8. c. 1. (18) L. c. (19) N. 34. (20) In op. (21) T. 1. e. 9. c. 3. (22) L. c. n. 9.

bene advertunt Cai.[1] et alii passim: certum enim est quod ubi agitur de consuetudine, tam circa ieiunium, quam circa omnes alias ecclesiae leges, quibus nemo negat per consuetudinem derogari posse, auctoritas doctorum recentiorum, licet pauciorum, qui soli de posteriori moderna consuetudine testari possunt, pluris facienda est, et sine dubio praeferenda auctoritati, etsi communiori aa. antiquorum, qui nihil de consuetudine imposterum introducenda scire poterant. Cum autem auctores de aliqua consuetudine testantur, id non temere et sine sufficienti fundamento asseruisse credendum est. His positis, omnibus patet, quod antiquitus, praeter unicam comestionem, nulla alia refectio cibi permittebatur. Tractu temporis introductum fuit aliquid parum sumere fructuum, herbarum, aut dulciarium ad medicinam, ne potus noceret, ut testantur d. Anton. et Cai. de suo tempore. Postmodum consuetudo obtinuit, etiam ad nutriendum sumere aliquid panis et fructuum, usque ad tres vel quatuor uncias, ut aliqui dd. dicebant; vel usque ad sex, ut alii putabant. Recentiorum autem, quoad quantitatem pertinet, alii, ut Holzm.[2] cum Laym. Fill. Reg. Spor.[3] Wigandt.[4] Croix[5] cum Bus. et Elbel[6] cum Henno Anacl.[7] et aliis dicunt ex consuetudine permitti ieiunantibus quartam partem coenae; sed haec regula non multum mihi arridet; nam vel potest esse nimis indulgens, et ideo reprobant eam Salm.[8] et Diana[9] cum aliis, vel saltem est valde obscura, scrupulisque obnoxia. Melius igitur alii communiter asserunt permitti in collatiuncula octo uncias cibi: ita Pal.[10] Ronc.[11] qui asserit sic ferre hodie praxim timoratorum. Viva[12] Tamb.[13] Elbel[14] Fel. Potest.[15] Mazz.[16] Diana[17], qui ait hanc sententiam ab omnibus admittendam, et Salm.[18] cum Vill. Turr. Pasq. Led. Trull. Leand. etc. communiter, qui dicunt sic hodie tenere communem piorum usum, et sic practicari ab eodem suorum discalceatorum ordine, sicut apud ipsos Salmant. testatur Fagund. ex Suar. Idem confirmat p. Milante[19] qui auctor, licet rigidarum sententiarum fautor sit, tamen non dubitat sic asserere: *Ut coenula ista innoxia sit debet esse modica, ita ut octo unciarum pondus ordinarie haud excedat quantitas illa quae pro refectione sumitur; ita quidem universim viri qua pietate, qua doctrina pollentes, docent et ad praxim deducunt. Dixi* ordinarie, *quia iusta ex causa poterit esse maioris ponderis, quando videlicet aliquis maiori eget nutrimento.* Quod ultimum etiam communiter dd. admittunt. Quapropter cum censeant Salm.[20] cum Sanch. Viva[21] Elbel[22] Sporer[23] et Vivald. Tamb. Leand. ac Diana apud Croix[24] duas uncias in refectiuncula non reputari excessum gravem; consequenter tenere debent, eum a culpa excusari qui maiori indiget nutrimento, et per duas tantum uncias coenulam excedit. Caeterum, quantitas octo unciarum ita hodie usu recepta est, ut indistincte permittatur etiam iis qui cum illa ad satietatem reficiuntur; ut dicunt Sporer[25] Croix[26] cum Vill. Fag. et Bon. Tamb.[27] Elbel[28] et Holzm.[29] cum communi.

In vigilia autem Nativitatis Domini ex consuetudine permittitur quantitas duplo maior, ut dicunt Viva[30] Holz.[31] Mazz.[32] Ronc.[33]. Imo Sanch.[34] cum Metin. Elbel[35] Pal.[36] et Salm.[37] cum Mol. Barb. Led. Fag. etc. dicunt in ea nocte posse sumi quantumlibet de fructibus, herbis et dulciariis, non autem de pane; quia hanc asserunt esse con-

(1) 2. 2. q. 147. n. 6. §. 2. (2) T. 1. p. 358. n. 23. (3) T. 1. p. 293. n. 26. (4) Tr. 5. ex. 4. n. 99. r. 5. (5) L. 3. p. 2. n. 1299. (6) T. 2. p. 175. n. 481. (7) P. 387. n. 27. (8) Tr. 23. c. 2. p. 3. §. 3. n. 71. (9) P. 1. tr. 9. r. 1. (10) T. 7. tr. 1. d. 3. §. 2. n. 7. (11) De 3. praec. c. 1. q. 5. r. 1. (12) Eod. tit. q. 10. a. 3. n. 1. (13) Dec. l. 4. c. 5. §. 3. n. 1. (14) T. 2. p. 180. n. 493. (15) De pr. eccl. n. 2886. (16) Tr. 2. d. 1. q. 4. c. 4. §. 5. (17) P. 1. tr. 9. r. 1. (18) Ibid. n. 72. (19) In propos. Alexand. VII. exerc. 23. p. 258. (20) Cit. n. 72. (21) N. 5 (22) T. 2. p. 180. n. 494. (23) §. 3. n. 2. (24) L. 3. p. 2. n. 1300. (25) Ad 3. praec. de ieiun. n. 27. (26) N. 1299. (27) §. 3. n. 1. (28) T. 1. p. 180. n. 491. (29) T. 1. p. 359. n. 24 (30) A. 3. n. 2. (31) N. 25. (32) Ibid. (33) L. c. r. 2. (34) Cons. l. 5. c. 1. dub. 26. r. (35) P. 181. n. 496. (36) §. 2. n. 7. (37) L. c. r. 73

suetudinem ecclesiae ab omnibus receptam. Hanc tamen consuetudinem Mazzotta apud nos negat adesse; et ego cum Pasq. [1] et Renz. [2] saltem de illa dubito. Duplicem autem refectiunculam Sanch. Azor. Dian. Tamb. etc. apud Croix [3] Mazz. et Ronc. [4] admittunt etiamsi vigilia Nativitatis adveniat in sabbato quatuor temporum, hoc est etiamsi festum Nativitatis accidat in die lunae; quia id conceditur ratione laetitiae et solemnitatis. Probabilius tamen advertit Sanch. [5] quod si quis in meridie anteverteret refetiunculam, non posset excedere octo uncias, quia tunc non adhuc festum incoepit. In vigilia autem Paschatis, aut Pentecostes, dicunt Viva et Salm., non permitti duplicem coenulam, sed tantum posse sumi ex consuetudine decem vel undecim uncias cum Leand. Pasq. et Quintan.; sed de hac consuetudine apud nos etiam dubito.

1026. Quoad qualitatem vero cibi in coenula sumendi, hodie commune est posse comedi panem, fructus, oleas, herbas et dulciaria, ut dicunt Viva [6] Salm. [7] cum Laym. Navar. Azor. Pal. etc. communiter Caeterum Spor. [8] Elbel [9] cum March. Tamb. et Burghaber, dicunt quod spectata moderna consuetudine, tuta est sententia quod in collatione vespertina non est attendenda qualitas ciborum, sed tantum quantitas; adeo ut ex omnibus cibis qui die ieiunii sumi possunt in prandio, etiam piscibus, leguminibus, ovis etc. adhuc liceat sumere in coena. His videtur se adiungere Bonac. [10] dicens: *Ex quo patet in secunda refectiuncula magis servandam esse quantitatem*, *quam cibi qualitatem*.

1027. Huic opinioni non universe acquiescendum est; nam dubitatur 1. An in coenula liceat sumere ova, cui haec sint permissa. Affirmat Sporer [11] cum Pasq. et Vivald. apud Croix [12]. Sed hoc omnino negandum, ut dicunt Viva [13] Potestas [14] Mazz. [15] Ronc. [16] et Tamb. [17] cum Sanch. Fill. et Diana. Ratio quia ova sunt maximae substantiae, et ideo a consuetudine communiter reiiciuntur. Tantum permittunt Busemb. ut supra, Laym. [18] Holz. [19] et Elbel [20] pro regionibus frigidioribus sumere parum casei vel butyri. Verumtamen Viva Potestas Tamb. [21] et Mazz. [22] id indiscriminatim permittunt. Hocque probabiliter apud nos admittitur et in usum deducitur a pluribus perdoctis iunioribus, et praesertim a doctissimo meo magistro ac illustrissimo episcopo d. Iulio Torni, pro eis qui iam dispensati sunt ad lacticinia; modo non sumatur plus quam una uncia casei, vel ad summum una cum dimidia. Idem ait Palaus [23] de biscoctis cum ovis vel butyro confectis, modo eorum non sumatur plus quam una vel altera uncia.

Hic notandum, quod nuper per quemdam confessarium supplicatus fuit ss. pontifex Bened XIV., ut explicaret an revera liceret in serotina collatiuncula parum casei sumere iis qui in quadragesima et vigiliis sunt dispensati ad lacticinia. Pontifex supplicationem transmisit ad s. poenitentiariam, quae sic rescripsit: *Sacra poenitentiaria optime conscia mentis sanctitatis suae ex speciali auctoritate eiusdem respondet non licere;* rationem afferens quod illud *ieiunantes*, expressum in bulla *Libentissime* praefati nostri pontificis Benedicti XIV. (ubi dictum fuit dispensatos ad carnes, vel ad lacticinia, *opus habere eo cibo eaque uti portione quibus utuntur omnes ieiunantes rectae et meticulosae conscientiae*) intelligitur de rigorose ieiunantibus quadragesimali ieiunio, in quo tam carnes, quam ova et lacticinia vetantur.

Deinde dubium subortum fuit, an s. poenitentiaria illud, *Optime conscia mentis etc.* dixerit ex sua interpreta-

(1) Dec. 92. n. 2. (2) T. 2. p. 589. q. 6. (3) N. 1501. (4) Locc. cc. (5) Loc. c. n. 6. (6) Q. 10. a. 1. n. 8. (7) Tr. 23. c. 2. punct. 3. §. 3. n. 77. (8) T. 1. ad 3. pr. n. 32. (9) T. 2. p. 176. n. 483. (10) De praec. eccl. d. ult. q. 1. p. 3. n. 3. (11) Ut supra t. 1. p. 284. n. 32.

(12) L. 3. p. 2. n. 1303. (13) Q. 10. a. 3. n. 5. (14) De praec. eccl. n. 2886. (15) Tr. 2. d. 1. q. 4. c. 4. §. 3. (16) L. c. (17) T. 4. c. 5. §. 3. n. 5. (18) L. 4. tr. 8. c. 1. n. 9. (19) T. 1 p. 339. n. 23. (20) T. 2. p. 176. n. 483. (21) Locc. cc. (22) Ibid. (23) §. 2. n. 6.

tione, vel ex proprio oraculo pontificis. Idcirco idem confessarius item papam supplicavit, ut ipsemet mentem suam explicaret. Venit responsum (quod ego ipse authenticum observavi, et nunc apud me est) in quo sic dicitur: *Sacra poenitentiaria de mandato ss. Domini, qui suis ipsis oculis retroscriptam epistolam dignatus est legere, respondet vera esse, et pro veris habenda quae constat ab eadem poenitentiaria fuisse rescripta. Datum Romae in poen. die* 23. *iulii* 1756.

Sed super hoc aliud dubium aliquibus factum fuit, an huiusmodi declaratio pontificis indigeat universali promulgatione, ut fideles obliget. Dubitatio orta fuit ex eo quod dicunt dd., nimirum quod interpretationes, sive declarationes, etiam authenticae, factae scilicet ab ipso legislatore vel a successore aut eius superiore, indigent promulgatione, ut vim legis habeant. Attamen dicimus distinguendam esse declarationem pure talem, a declaratione non pure tali, sive ab interpretatione. *Declaratio pure talis* est illa quae clare a principio inest in ipsa lege, id est cum sensus declaratus totus iam in lege continebatur, v. gr. si lex loquatur de filio, et dubitetur an de filio legitimo vel spurio; si legislator declarat intelligi de legitimo, iam sensus clare in lege inest in principio. *Declaratio* autem *non pure talis* sive interpretatio est illa, cuius sensus non clare est in lege imbibitus, sed infertur ex aliquo argumento, puta quod nomine patris veniat etiam avus, nomine mortis naturalis veniat etiam civilis et similibus.

Hinc dicimus cum sententia communi, quam tradunt Castrop. [1] cum Suar. Vasq. Salas etc. [2] Holz. [3] Spor. [4] La Croix [5] Salm. [6] quod declaratio *pure talis* illius sensus qui clare iam inest in lege, non indiget promulgatione, sed obligat omnes qui declarationem illam iam sciunt: cum ipsa non sit nova lex, sed a principio in lege sit imbibita. Declaratio contra *non pure talis*, sive interpretatio alicuius sensus obscuri vel ambigui, qui dubius est an insit vel ne in ipsa lege, sed ex argumento infertur, huiusmodi declaratio ut obliget indiget promulgatione. Ut recte aiunt Pal. [7] et Suar. [8] quod declarationes omnes quae non fiunt a legislatore, sed ab eius successore aut superiore, semper indigent nova promulgatione ut obligent; ratio quia successori aut superiori non est tam aperta mens primi legislatoris, sicut ipsi legislatori nota est; ideoque, ut illi aliquid declarent, etiamsi explicarent aliquem sensum iam in lege existentem, semper opus habent recurrere ad argumenta et interpretationes; et propterea semper videntur aliquid novi constituere. Saltem (ut ait p. Suar. [9]) huiusmodi declarationes, prout sunt responsa declarativa pontificum, obstringunt ad illam interpretationem tuendam, sive ad servandum antiquum ius secundum illam interpretationem. Verumtamen idem Suar. [10] sic addit: *Ut authentica sit interpretatio oportet ut habeat legis conditiones, ut sit iusta, sufficienter promulgata etc. Unde consequenter fit ut haec lex interpretativa alterius exposita sit dubiis, ita ut aliae interpretationes necessariae sint.*

His positis, concluditur in nostro casu, quod cum sensus explicatus a pontifice legis ipsiusmet conditore (nempe verbum *ieiunantes* accipiendum esse pro rigorose ieiunantibus), iam totus insit in lege, totum enim quod significet abstinentiam tam a carne quam a lacticiniis, iam in verbo *ieiunantes* continetur: propterea haec declaratio non indiget promulgatione; tum quia explicatus est sensus iam in lege imbibitus, tum quia ab ipso legislatore declaratus est.

Sed post haec scripta regnans pontifex Clemens XIII. per bullam quae incipit *Appetente* sub die 20. dec. 1759. in hoc puncto omnia sustulit dubia,

(1) T. 3. d. 5. p. 3. §. 3. n. 3. (2) Cit. ibid.
(3) T. 1. de lege, p. 112. n. 543.
(4) Suppl. eod. t. c. 1. p. 47. n. 330.
(5) Loc. cit. n. 824.
(6) Tr. 11. de leg. c. 3. punct. 2. §. 2. n. 30.
(7) L. c. §. 1. n. 2. (8) De leg. l. 6. c. 1. n. 3.
(9) De leg. l. 4. c. 14. n. 3.
(10) Eod. tit. l. 6. c. 1. n. 3.

dicens: *Nova in infringendis ieiunii legibus, vel opinionum commenta, vel a vera ieiunii vi et natura abhorrentes consuetudines quae humani pravitate ingenii sint invectae, ea omnia radicitus convellenda curetis. In quibus profecto abusum illum censemus omnino numerandum, cum nonnulli, quibus ob iustas et legitimas causas ab abstinentia carnium dispensatum fuerit, licere sibi putant potiones lacte permixtas sumere: contra quam praedictus praedecessor noster censuit tam dispensatos a carnium abstinentia, quam quovis modo ieiunantes, unica excepta comestione, in omnibus aequiparandos iis esse, quibuscum nulla est dispensatio, ac propterea tantummodo ad unicam comestionem posse carnem, vel quae ex carne trahunt originem, adhibere.* Quaenam autem sint quae ex carne originem trahunt habetur in *cap. Denique* 16. *dist.* 4. ubi dicitur: *Quae trahunt originem sementinam a carnibus, ut sunt ova et lacticinia.* Itaque dispensatis non permittitur in collatiuncula alius cibus nisi ille qui permittitur non dispensatis.

1028. Dubitatur 2. An in coenula permittantur pisces. Hic plures concurrunt doctorum sententiae. Id absolute negant Salm. [1] cum Sanch. Led. et Pal. ex communi, ut asserunt, etiamsi pisces sint parvi et siccati, quia, ut aiunt, nullibi est haec consuetudo. Attamen Laym. [2] cum Azor. concedit pisciculum sale coctum, Tamb. autem [3] tenet pisces sale coctos, sive parvos sive magnos, hodie vetitos non esse; et asserit Viva [4] putans hanc consuetudinem iam introductam esse. Imo Spor. [5] et Elbel [6] et Vivald. March. Pasqual. ac Burgh. apud Croix [7] dicunt iuxta hodiernam consuetudinem licitum esse vesci piscibus, prout in prandio, modo quantitas debita servetur. Caeterum Bon. [8] et Viva [9] ac Mazzot. [10] probabiliter aiunt hodie ex consuetudine iam apud nos recepta (quam mihi confirmarunt alii docti et probi iuniores) posse sumi in coenula exiguam partem, v. gr. duas vel tres uncias piscis maioris. Hancque consuetudinem confirmat et approbat ut licitam M. Milante [11] qui sic ait: *Nec scrupulosus quidem theologus inficiare audet* (licitum esse vesci pisciculis recentibus), *praesertim quia viri prudentes ac docti immo regularium communitates eisdem vesci in antipaschali ieiunio consueverunt. Ut ingenue meam in re proferam sententiam, attenta praesenti disciplina, sine ullo scrupulo posse etiam magnos pisces in eadem quantitate permitti existimo .... Unde, sicut hodie in prandio licet grandes pisces comedere, licet pariter in coenula cum debito moderamine manducare.*

1209. Dubit. 3. Utrum liceat sumere octo uncias panis cocti cum aqua et oleo.

Prima sententia affirmat, quam tenent Diana [12] Spor. [13] cum Bassaeo ac Bonac. [14] citans Azor. [15] sed (non bene, nam Azor. nihil aliud admittit, nisi aliquid panis, ne alii cibi soli noceant) item Elbel [16] qui probabilissimam vocat, et Laym. [17] dicit non carere aliqua probabilitate. Ratio, ut dicunt, tum quia, si panis et liquor seiunctim sumi possunt, cur non una simul? tum quia, licet panis crescat pondere, non tamen acquirit rationem maioris substantiae quoad nutritionem, sed solum rationem temperamenti quoad cibum vehendum.

Secunda sententia vero tenenda negat, eamque docent Pal. [18] Laym. [19] Filliuc. [20] Ronc. [21] Croix [22] Tamb. [23] qui oppositam non audet vocare probabilem, item Salm. [24] cum Trull. Vill. et Reg. idemque sentit Viva [25] qui asserit hanc esse communem, et contrariam non esse sequendam, ut communiter reiectam. Ratio 1. quia, esto panis coctus

(1) Tr. 23. c. 2. p. 3. §. 3. n. 80. (2) Cit. n. 9. (3) Loc. c. §. 3. n. 3. (4) D. a 3. n. 3. (5) Loc. cit. p. 284. n. 32. (6) P. 176. n. 483. (7) L. 3. p. 2. n. 1302. (8) Dist. ult. q. 2. p. 3. n. 3. (9) D. n. 3. (10) Tr. 2. d. 1. q. 4. c. 4. §. 3. (11) In propos. Alex. VII. exerc. 23. (12) P. 10. tr. 14. r. 58. (13) Tom. 1. p. 284. n. 32.

(14) D. ult. q. 1. p. 3. n. 3. (15) L. 7. c. 8. q. 7. (16) T. 2. p. 181. n. 499. (17) L. 4. tr. 8. c. 1. n. 9. (18) Tr. 30. d. 3. p. 2. n. 6. (19) Loc. c. (20) Tr. 27. p. 2. c. 2. n. 30. (21) C. 1. q. 5. r. 2. (22) L. 3. p. 2. n. 1303. (23) Dec. l. 4. c. 5. §. 3. n. 2. (24) Tr. 23. c. 2. punct. 3. §. 3. n. 77 (25) Q. 10. a. 3. n. 4.

in aqua naturam non mutaret, tamen huiusmodi ferculum minime est consuetudine receptum. Ratio 2. quia revera panis per decoctionem et fermentationem cum aqua, aliam naturam acquirit, et ita fit quid unum panis et aqua ut evadat una substantia maior, et ab invicem separari nequeant. Tantum ipse censeo admitti posse cum Tamb.[1] ut quis actu quo se reficit, infundens panem in aqua aut vino, statim ori admoveat; quia tunc non intervenit fermentatio, et liquor deservit ad vehiculum cibi. Nec improbo quod aiunt Salm.[2], nempe 5. uncias (aut saltem 4., ut ait Roncaglia) panis cocti non excedere notabiliter debitam quantitatem.

Probabiliter autem licitum est in coenula edere iusculum ex herbis coctis cum aqua et aceto aut oleo aut vino decocto, ut dicunt Pal.[3] Diana[4] cum Lay. Leand. Viva[5] cum Bonac. et Tambur. Mazzot.[6] ac Salm.[7] cum Nav. et Azor. nec dissentit Wigandt[8] si adsit aliqua causa, alias ait esse veniale. Bene autem advertit Viva[9] oleum et acetum computanda esse in pondus; et ratio est quia oleum et acetum revera non habent rationem potus. Admittunt autem Salm.[10] octo uncias ex leguminibus igne tostis: negant vero posse sumi legumina cocta cum aqua, quia (ut dicunt) in hoc adversatur consuetudo; sed id concedunt Escob.[11] Sporer[12] et Elbel[13]. Caeterum, quod dictum est supra de pane decocto, fortius videtur posse dici de leguminibus quae minoris sunt nutrimenti quam panis.

« 3. In confessione non sufficit dicere, non servavi aut fregi ieiunium, sed addendum utrum refectione multiplici an esu carnium. Et si hoc, utrum semel an saepius quantitatem notabilem sumpserit: quia probabile satis est etiam in hac materia, parvitatem a mortali excusare, ut docent Bon.[14] et Tan.[15] v. gr. si coquus aut aegroti minister parum carnis praegustet, Escob.[16] Sanchez[17] (Mediam unciam carnis, ait Pasq. esse materiam parvam, sed merito reiicitur a Salmant.[18] qui dicunt materiam parvam esse tantum octavam partem unciae, ut aiunt etiam Ronc. et Diana ap. Croix[19]) vel ex aliis cibis quartam tantum partem collationis serotinae, sive unam vel duas uncias sumat: hanc enim esse materiam parvam, cum Turrian. et Leon. docet Diana[20] esse probabile. Si autem saepius eodem die parum sumeret, peccaret graviter; quia materiae illae coalescerent in unam magnam, ut contra Salas docet Diana[21]. Accedit auctoritas pontificia damnans opinionem oppositam. (V. prop. 29. inter proscriptas ab Alex. VII.). Denique, si sit in quadragesima, addendum utrum fregeris esu ovorum aut lacticiniorum. Tametsi enim Diana[22] citans multos doctores, dicat, certum esse quod sit mortale, si non ex iure positivo, saltem ex consuetudine, in omnibus fere mundi partibus recepta, vesci ovis et lacticiniis in quadragesima: probabile tamen est et tutum (saltem in Germaniae partibus) esse tantum veniale. Laym.[23] Fag.[24] etc. tum quia, licet consuetudo habeat, ea tamen non semper sub peccato, praesertim mortali, obligat. Vide Fill.[25] Bonac.[26] tum quia ecclesia non tam graviter ad hoc obligat, ut patet tum ex verbis ipsis, tum ex faciliore dispensatione in his, quam in carnibus. (Sed hodie hoc est improbabile ex prop. 32. damnata ab Alex. VII. relata supra *n.* 1007.). Ob quam causam etiam laridi et adipis usum facilius concedi posse pauperibus docet Laym.[27] imo ait, ne divitem propter eum usum continuo damnandum esse peccati mortalis, praesertim cum Sylv.[28] et alii dicant, ei, cui ovorum et lacticiniorum usus permissus est, et-

(1) Loc. c. (2) Ibid. (3) P. 2. §. 2. n. 6. (4) P. 10. tr. 14. r. 58. (5) Q. 10. a. 5. n. 5. (6) Loc. supra cit. (7) Cit. n. 77. (8) Tr. 5. ex. 4. n. 99. r. 3. (9) L. c. (10) L. c. (11) Tom. 12. l. 45. dub. 54. n. 293. et 294. (12) Loc. c. n. 32. (13) N. 483. (14) T. 2. d. ult. p. 1. q. 2. (15) T. 3. d. 3. q. 3. dub. 5. (16) Loc. cit. n. 54. (17) In opusc. t. 2. l. 5. c. 1. dub. 12. n. 10. (18) Tr. 23. c. 2. punct. 2. §. 1. n. 17. (19) N. 1305. (20) P. 5. t. 5. r. 11. et p. 8. t. 7. r. 54. (21) P. 3. tr. 6. r. 43. (22) T. 9. r. 54. et t. 6. misc. r. 82. (23) C. 1. n. 3. (24) L. 1. c. 2. (25) T. 27. c. 3. (26) N. 2. (27) L. 4. t. 8. c. 1. n. 5. (28) V. Ieiunium.

iam laridi et sagiminis permissum videri, idque non improbat Azor. [1]. Vide Laym. hic, Fag. [2] qui dicit, pinguedinem inter carnes non computari. Vide Diana [3]. Verum in his videndum ubique, quid recepta piorum consuetudo ferat, a qua non temere recedendum. Azor. [4] (*Vide dicta n. 1010.*).

» Dixi: *si sit in quadragesima*; quia extra eam licite vescitur ovis qui debet ieiunare, v. gr. ob iubilaeum, Henr. etc. vel ex poenitentia sacramentali, Fag.; vel ex voto aut in vigilia. Vide Diana [5] (*Vide dicta n. 1009.*).»

1030. Quaeritur 1. Utrum qui in die ieiunii culpabiliter bis comedit in notabili quantitate, peccet graviter, si iterum comedat.

Affirmat *prima sententia*, quam tenent Wigandt [6] Sylv. [7] Elb. [8] cum Med. etc. Henno: item Maior, ac Montesin. apud Salm. [9]. Ratio quia sicut praeceptum abstinendi a carnibus est negativum, ita ut qui eas quoties comedit toties peccet, prout omnes asserunt cum Salm. [10] Suar. Diana etc. communiter, contra Palud. Tab. etc.; sic est illud per quod praecipitur abstinentia a secunda comestione.

Negat vero *secunda sententia* communis et probabilior, quam tenent cum Bus. *n* 1004. Sanch. [11] Holzm. [12] Anac. [13] Mazzotta [14] Roncag. [15] cum Azor. Suar. Fag. Palaus [16] cum Caiet. Val. Sa Tol. Laym. Henr. etc. Salm. [17] cum Bonac. Trull. Fag. et Bass. Ratio 1. ut alii dicunt, quia praeceptum ieiunii est positivum, cum praecipiat principaliter per se unicam comestionem, unde non obligat semper et ad semper; et proinde qui semel illud fregit, non peccat saltem graviter iterum comedendo; sed haec ratio non convincit: nam si hoc esset praeceptum mere positivum, peccaret qui prorsus nihil per diem comederet. Ratio 2. potior est, quia essentia ieiunii consistit in unica comestione, ut clare videtur docere d. Thom. [18] dicens: *Ecclesiae moderatione statutum est ut semel in die a ieiunantibus comedatur*. Quapropter, destructa essentia ieiunii, cessat praeceptum. Dispar autem est ratio praecepti abstinendi a carnibus, ibi enim essentia praecepti consistit in unica comestione, quia facta secunda comestione iam ieiunium solutum est; ideoque bis comedens non tenetur deinde ieiunare, cum amplius ieiunium servare non possit. Adde quod hoc praeceptum communiter sic dd. interpretantur; et hoc solum redderet probabiliorem sententiam nostram. Dixi autem *saltem graviter*, nam Less. [19] Fill. [20] et Croix [21] cum communissima (contra Pal. Anacl. et Salm. [22]) dicunt id esse veniale, eo quod est contra finem legis qui est carnis mortificatio, et quidem probabilius, quia contraire fini legis est quaedam inordinatio quae ab omni culpa non videtur excusari.

Quaeritur 2. Utrum, qui inculpabiliter bis comedit in die, teneatur abstinere a tertia refectione. Negant Bon. [23] Holzm. [24] Laym. [25] Pal. [26] Elbel [27] et Sporer [28] quia, ut dicunt, adhuc in casu inadvertentiae iam destructa est essentia ieiunii. Sed affirmant Az. Val. Sa Nav. etc. apud Bon. [29]. Ratio quia is qui ieiunium inadvertenter fregit, materialiter tantum fregit et non formaliter; unde cum primum advertit ad ieiunii legem, tenetur illam servare, ne formaliter laedat. Utraque sententia est probabilis, sed iuxta dicta in praeced. quaest. prima videtur probabilior [30].

Quaeritur hic 3. an liceat cauponibus in die ieiunii indiscriminatim ministrare omnibus cibos et carnes. Affirmat Vi-

(1) L. 7. c. 10. q. ult. (2) P. 4. l. 1. c. 2. n. 20. (3) P. 1. t. 9. r. 21. (4) L. 7. c. 10. q. ult. (5) P. 1. c. 9. r. 5. et 6. (6) Tr. 5. ex. 4. n. 101. resp. 5. (7) V. Ieiunium, n. 22. (8) T. 2. p. 154. n. 426. (9) De 5. praec. c. 2. punct. 1. n. 7. (10) Ibid. punct. 2. §. 1. n. 29. (11) Dec. l. 4. c. 1. n. 42. et 45. (12) T. 1. pag. 355. n. 8 (13) P. 386. n. 20. (14) Tr. 2. d. 1. q. 4. c. 4. §. 2. (15) De 5. praec. c. 1. q. 2. r. 2. (16) T. 7. tr. 1. d. 5. p. 2. §. 2. n. 8. (17) Loc. c. punct. 5. §. 1. n. 47. (18) 2. 2. q. 147. a. 6. (19) L. 4. c. 2. n. 17. (20) T. 2. tr. 27. n. 24. (21) L. 3. p. 2. n. 1265. (22) Locc. cc. (23) De praec. eccl. d. ult. q. 1. p. 3. n. 8. (24) Loc. c. p. 535. (25) C. 1. n. 13. (26) P. 2. §. 2. n. 9. (27) Loc. cit. (28) T. 1. p. 285. n. 59. (29) Loc. c. (30) Contra vero in Hom. Ap. tr. 12. n. 20. ait: Sed probabilius mihi videtur oppositum...ne solvat ieiunium formaliter.

va [1] cum communi, etiamsi dubitent an aliquis petens excusetur, quin eum interrogent; quia in dubio nemo praesumitur malus. Imo etiamsi certo sciant eum non excusari, concedunt tabernariis Sanch. [2] cum Navar. Tol. Mol. etc. apud Viva [3] posse adhuc invitare ad prandium; quia, ut dicunt, illa invitatio intelligitur conditionata, hoc est, *si vultis comedere, comedite apud me.* Ad carnes vero dicit Viva non posse invitare hospites, nisi expresse sub dicta conditione nuper annuntiata. Sed haec duo ultima non admittimus, nisi permissive, et accedat gravis causa excusans a peccato scandali, prout diximus *l.* 2. *n.* 80.

DUBIUM II. Quae causae excusent a ieiunio.

1031. *Quatuor sunt causae excusantes a ieiunio: 1. dispensatio; 2. impotentia; 3. labor: 4. pietas. Vide omnia quae de his dicit Bus.*
1032. 1. *Causa est dispensatio; possunt enim a ieiunio dispensare, 1. papa; 2. episcopi; 3. parochi; 4. praelati de quibus singulatim agitur.*
1033. 2. *Causa est* impotentia. *Quinam excusentur de* impotentia physica. *Resp.* 1. *infirmi; 2. pauperes.*
1034. *Quinam excusentur de* impotentia morali. *Resp. Excusantur 1. Qui laborant dolore capitis, vel qui nequeunt dormire: an autem hi teneantur mane sumere coenulam. 2. Milites. 3. An uxores timentes indignationem a viris, et an viri non potentes reddere debitum.*
1035. 4. *Adolescentes.*
1036. 5. *Senes. Dub.* 1. *An sexagenarii robusti teneantur ieiunare.*
1037. *Dub.* 2. *An foeminae quinquagenariae.*
1038. *Dub.* 3. *Quid de senibus habentibus votum ieiunandi.*
1039. *Dub.* 4. *An religiosi sexagenarii teneantur ad ieiunia regulae.*
1040. *Dub.* 5. *An ieiunium subrogatum voto castitatis, obliget sexagenarios.*
1041. 3. *Causa est* labor. *Quae sint artes per se laboriosae. An excusentur tonsores et sartores. An pictores, scribae et horologiarii. An molitores, argentarii et sculptores.*
1042. *Qu.* 1. *An excusentur artifices divites.*
1043. *Qu.* 2. *An excusentur artifices qui possunt ieiunare sine gravi incommodo.*
1044. *Qu.* 3. *An excusentur ipsi in diebus, in quibus non laborant.*
1045. *Qu.* 4. *An excusentur, qui assumunt laborem in fraudem ieiunii.*
1046. *Qu.* 5. *An qui laborant sine iusta causa. Et an qui laborant ob rarum lucrum.*
1047. *De itinerantibus. Dub.* 1. *Quale iter sufficiat ad excusandum. Dub.* 2. *An excusentur iter facientes equis vel rhedis.*
1048. 4. *Causa est* pietas. *An ideo opera pietatis possint sponte suscipi.*
1049. 1. *Quando excusentur inservientes infirmis. 2. Quando peregrinantes ad loca sacra. 3. Quando concionatores. 4. Quando cantores. 5. Quando lectores. 6. Quando advocati, iudices, medici et alii professores. 7. Quando confessarii.*
1050. *An absentes a patria teneantur ad ieiunium in illa praeceptum. Et an ad ieiunium loci ubi sunt. Remissive ad l.* 1. *n.* 156.

1031. « Resp. Hae sequentes: 1. Superioris *dispensatio;* qua tamen non est opus, si necessitas sit evidens, sed in dubio tantum; idque sive ad esum carnium, sive ad secundam refectionem. Talis autem superior est episcopus et parochus, etiam praesente episcopo, quando legitima consuetudo sic habet. Imo Sylv. et Sanchez [4] absolute affirmant, posse dispensare praesente episcopo: quia, inquit, ad episcopum non recurritur in minimis, ut usus habet; quod episcopi sciunt et non contradicunt. Verum id totum pendet ab usu et consuetudine, sine qua non licebit. Vide Trull. [5]. Item praelatus, et in eius absentia vicarius illius; ut habet Sanchez [6] respectu suorum religiosorum. Non tamen confessarius, licet privilegiatus, si non sit parochus: quia non habet iurisdictionem in foro externo. Sanch. [7] contra Pal. Unde tantum potest iudicare de iustitia causae. (Vel adesse causam ad non ieiunandum. Viva [8]). Causa autem valida ad dispensandum erit vel vera, vel quae talis putatur; sufficit enim credulitas inculpata. Item cum quis bona fide putat se a ieiunio excusari, etsi causa insufficiens sit, tantum venialiter peccare docet Caiet. At si vere bona fide putet se plane excusari, nullo modo peccare videtur.

» 2. Causa est *impotentia*, qua excusantur qui sine notabili damno non possunt ieiunare: ut sunt iuniores usque ad annum 21. completum; quibus tamen post septimum annum carnes dari non debent. Item debiles, infirmi, convalescentes, praegnantes, lactantes etc. (Etiamsi lactantes sint robustae, ut Viva [9] Salm. [10] communiter. Idem Tam-

(1) Q. 10. a. 4. n. 7 (2) L. 7. (3) Ibid. (4) De matr. l. 8. d. 9. n. 27. et in opusc. t. 2. l. 5. c. 1. d. 5. n. 18. (5) L. 2. c. 3. d. 7. (6) L. • (7) L. c. (8) D. n. 5. (9) Q. 10. a. 4. n. 5. (10) Tr. 23. c. 2. punct. 7. §. 1. n. 128.

bur. dicit de muliere mox conceptura, si ieiunium ei nocere probabiliter possit. Hinc probabilis metus gravis mali, ut ait Viva [1] aut gravis incommodi, ut dicit Croix [2] cum Bonacina Tamburin. et Pasqual. excusat a ieiunio). Ratio est, quia hi omnes egent alimento multiplicato: uti et senes communiter sexagenarii, nisi evidenter constet posse ieiunare sine damno. In dubio autem an possint, non tenentur cum periculo tentare fortunam: quia cum de aetate constet, et robur sit dubium, non est expectandum donec deficiat; tunc enim irrecuperabilis est defectus. Granad. [3] Escob. Laym. [4] Tan. [5] Fill. [6] et caeteri communiter, contra Navarr. Sa Sanch. [7] item Diana [8] etc. qui absolute, sine omni restrictione, sexagenarios omnes a ieiunio liberant. Quam sententiam Trull. tamquam communiorem et magis conformem tempori et imbecillitati humanae, ut ait, sequitur (cum Molf. Ortiz. etc. [9]) praesertim cum a scrupulis, quibus exponit contraria, liberat. Quidam insuper id extendunt ad eos qui pro toto vitae tempore certis diebus voverunt ieiunium; adduntque esse probabile quod sufficiat, si ann. 60. sit inchoatus, eo quod is in favorabilibus habeatur pro completo. Diana [10] ex Naldo et Sanc. [11], item [12] ex Trull. et aliis 6. Eademque aetate, uti et ante annum 21. regulares non teneri ad ieiunia sui ordinis, probabile affirmat Diana [13] ex aliis 4. qui etiam probabile censet excusari foeminas quinquagenarias [14], ex aliis 4. Denique pauperes qui non habent alium cibum praeter prohibitum, vel non sufficientem pro unica refectione. Vide Sanch. [15] qui ex Navar. Gabr. Ang. excusat eos qui laborant tertiana vel quartana, item qui ex vacuitate stomachi notabilem capitis dolorem vel vertiginem patiuntur, vel tota nocte calefieri aut dormire non possunt. Neque hos teneri mane sumere collatiunculam et vesperi coenam, notat Diana [16] ex Fill. et aliis 3. quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum.

» 3. Causa est *labor*, vel officium, quocum ieiunium non possit consistere, qualis est agricolarum et multorum opificum, ut fabrorum, pistorum, sutorum etc. (etsi de sutoribus neget Angles: cuius sententiam Sanch. dicit esse veram, si non suant, sed tantum scindant corium et materiam praeparent); non tamen pictorum, sartorum, quorum labor exiguus est. Excusat etiam Laym. [17] figulos, argentarios, ferrarios, lignarios, fullones, coementarios, coriarios et textores. Dian. [18] et Gord. [19] versantes praelum typographicum, non tamen typorum compositores: fossores autem, ferrarios et similes, etiam in die uno vel altero, quo non laborant, excusat Azor. etc. cum. Dian. [20]. Similiter excusatur qui pedibus facit iter per magnam diei partem, ut ait Sanch. [21]. Vide Fill. [22]. Ratio horum omnium est, quia communiter horum vires non sufficiunt ad huiusmodi labores cum ieiunio.

» Dixi *pedibus;* quia multi non excusant equites; longa tamen aequitatio ad plures dies, ut docet Fill. [23] merito excusat. Qui etiam concedit ob labores praecedentes et subsequentes, posse aliquem excusari, si probabiliter debilitatus vel debilitandus putetur, ita ut officio rite fungi nequeat. Vide Bon [24]. Ex eodem capite doctores excusant coniugem, si debitum reddere non possit quando ieiunat; uti et uxorem, quae ob maciem non possit cum ieiunio se viro gratam praestare. Bon. [25]. Atque universim loquendo, nemo tenetur opus ad quod obligatur, omittere ob praeceptum ieiunii, ait Caiet. Quod intellige, nisi ista obligatio sit valde levis, et rationabiliter postponenda obligationi ieiunii.

(1) Art. 4. n. 2. (2) L. 3. p. 2. n. 1524. (3) T. 2. d. 6. tr. 3. p. 1. d. 6. sect. 5. n. 39. (4) L. 4. tr. 8. c. 3. (5) 2. 2. dub. 3. q. 3. d. 5. (6) T. 2. tr. 27. p. 2. c. 6. (7) De matr. t. 2. l. 7. d. 32. n. 17. et p. 2. consil. l. 5. c. 1. d. 4. n. 7. (8) P. 1. tr. 9. r. 20. (9) [illegible] c. 2. d. 7. n. 5.

(10) P. 5. t. 14. r. 83. (11) N. 6. (12) P. 9. t. 7. r. 73. (13) Ibid. (14) P. 9. t. 7. r. 95. (15) In opusc. (16) P. 1. t. 9. r. 51. (17) L. 4. t. 8. c. 3. (18) P. 4. t. 4. r. 138. (19) T. 2. l. 6. q. 18. c. 6. (20) P. 1. t. 9. r. 9. (21) In opusc. l. c. (22) N. 119. (23) Tr. 38. c. 6. (24) Dist. ult. q. 4. n. 11. (25) L. c.

» 4. Est *pietas*, vel maius bonum. Unde excusantur qui cum ieiunio non possunt vacare operibus melioribus, v. gr. concionatores, praeceptores ordinarii, confessarii, cantores, et quotquot opera caritatis et misericordiae tam corporalia, quam spiritualia exercent, etiam ob mercedem, si ea cum ieiunio peragere non possunt. Fill. [1] Azor. [2] Fern. Navarr. Sylvest. Fagund. etc. Atque hi quidem omnes intelligunt, et fere addunt, quando eorum labores cum ieiunio non possunt consistere. Diana autem (absolute loquendo [3]) praedicatores, qui diebus quadragesimalibus (intelligo omnibus) concionantur, putat a ieiunio excusandos; quia, inquit, summopere laborant: non item eos qui dominicis tantum concionantur, nisi sint debiles. Sanch. tamen [4] Trull. [5] putant a ieiunio quadragesimae communiter et regulariter excusari eos qui ter vel quater in hebdomada concionantur cum fervore. Lectores vero Diana [6] cum Fagund. [7] censet non omnes excusandos, sed eos tantum quorum labor est improbus; vel qui ita sunt debiles, ut satisfacere non possint. Idem fere sentit Sanch. licet [8] putet lectores eos qui quotidie quatuor lectiones legunt (ut in societate faciunt praeceptores grammaticae) satisfacere, si media quadragesima, sive ter in hebdomada ieiunent, eo quod sit magnus labor, et paucis annis sic fatigentur, ut progredi non possint; sic ille. Verum praestat, ut superiores, ad tollendum scrupulum, cum talibus dispensent; ut monet idem Sanchez [9]. Nam in omnibus istis regula certa et universalis statui non potest alia, quam quod lex ecclesiae non obliget cum magna difficultate, ut notat Laym. [10].

» 5. *Caritas*, vel etiam urbanitas secundum quosdam, excusat etiam a veniali eum qui die ieiunii rogatus ab amico, modicum cibi sumit, Med. Fab. Fill. Dian. [11] vel qui ad excitandum infirmorum appetitum, comedit parum, etiam carnis. Sanch. Diana [12].»

1032. Quatuor igitur sunt causae excusantes a ieiunio: 1. Dispensatio. 2. Impotentia. 3. Labor. 4. Pietas. De his seorsim hic et accurate censeo disserendum, cum sint res omnes pertinentes ad praxim et scitu necessariae. Sedulo curavi super hoc puncto quamplures auctores observare, et hic recensere, eo quod doctorum auctoritas in hoc redundat in probabilitatem intrinsecam, cum agatur de re quae valde pendet ab aestimatione sapientum. Et quia plures infra in singulis sententiis eosdem aa. saepe citare mihi opus erit, ideo, ne citationes iterum semper repetam, loca doctorum de hoc puncto agentium, quos observavi, hic congero. Hi sunt Sanch. [13] Laym. [14] Les. [15] Azor. [16] Petroc. Esc. Pal. [17] Bon. [18] p. Concin. [19] Spor. [20] Rönc. [21] Salm. [22] Wig. [23] Holz. [24] Abelly [25] Viva [26] Anac. [27] Croix [28] Tambur. [29] Elb. [30] Maz. [31] Fel. Pot. [32] Renz. [33].

1. Causa est *dispensatio;* circa quam quaeritur quisnam possit in ieiunio dispensare. Resp. 1. Papa habet potestatem dispensandi a ieiuniis in universam ecclesiam, et quidem valide etiam sine iusta causa, quamvis non licite. Quomodo autem peccet dispensando sine causa: plures censent peccare graviter, ut p. Concina [34] et Sotus Covar. Cordub. Tap. etc. apud. Salm. [35] qui id putant probabile, quia hoc esset contra bonum commune, ad quod leges ordinantur. Sed satis probabiliter dicunt peccare tantum venialiter Sanchez [36] Laym. [37] et Salm. [38] cum Basil.

(1) T. 2. tr. 27. p. 2. c. 6. n. 24. (2) P. 1. l. 7. c. 28. (3) P. 1. t. 9. r. 9. (4) Cons. p. 2. l. 5. c. 1. d. 13. n. 6. 7. et 8. (5) L. 3. c. 3. d. 7. (6) L. c. (7) P. 4. l. 1. c. 8. n. 19. (8) L. c. (9) L. c. (10) N. 2. c. 2. (11) P. 2. t. 9. r. 29. (12) P. 5. t. 5. r. 32. (13) Cons. l. 5. c. 1. (14) L. 4. tr. 8. c. 2. (15) L. 4. c. 2. (16) L. 7. c. 17. (17) Tr. 30. d. 3. p. 2. §. 5. (18) De pr. eccl. d. ult. q. 1. p. ult. (19) De pr. eccl. diss. 2. (20) Append. ad 3. pr. sect. 4. §. 1. (21) Tr. 9. de ieiun. c. 2. (22) De 3. praec. tr. 23. c. 2. punct. 7. per totum. (23) Tr. 5. c. 4 (24) T. 1. p. 3. de praec. eccl. tr. 1. c. 3. (25) Tr. 2. c. 5. (26) De 3. praec. q. 10. a. 5. (27) Dec. l. 4. c. 5. §. 7. (28) L. 3. p. 2. ex n. 1308. (29) L. 4. c. 5. §. 7. (30) Conf. 18. (31) De 3. praec. d. 1. q. 4. §. 4. (32) De praec. eccl. (33) De praec. eccl. (34) P. 330. n. 2. (35) De leg. c. 5. punct. 6. §. 1. n. 65. (36) De matr. l. 8. d. 18. n. 7. (37) L. 1. tr. 4. c. 22. n. 13. (38) Loc. cit. n. 68.

Pal. Salas Vill. etc. modo tamen scandalum, vel aliud damnum absit. Ratio quia hoc quod non omnes conformentur in observantia legum humanarum non videtur tam gravis deordinatio, ut damnetur de mortali.

2. Episcopi possunt etiam dispensare cum subditis suis pro casibus occurrentibus, sed nonnisi ex iusta causa; alias dispensatio erit nulla. Si vero causa non videatur omnino sufficiens ad dispensandum, vel dubitetur an sufficiat, poterit episcopus partim dispensare, et partim commutare ieiunium in aliud pium opus, ut aiunt Ronc. [1] et Viva [2] cum Tamb. Potest etiam episcopus ob aliquam specialem causam dispensare pro una vice in lege universalis ieiunii, aut commutare, cum eius officium sit saluti suarum ovium invigilare, et scandala infirmorum tollere, puta si periculum sit alicubi ieiunium non observari, ita Laym. [3] Az. [4] et Salm. [5] cum Cai. Armill. Tab. Trull. Sed summ. pont. Bened. xiv. in bulla *Prodiit iam dudum* §. 10. dixit sententiam oppositam, nimirum non posse episcopos pro universo grege dispensare in lege ieiunii, esse non modo communiorem cum Raynaud. Merat. Diana Mon. Leand. et Ferrar. sed etiam magis rationi consentaneam [6]. Et sic ait ipse respondisse quibusdam episcopis rogantibus an possent vigiliam s. Mathiae occurrentis in ultimo die bacchanalium ad praecedens sabbatum transferre. Hinc ipse Benedictus licentiam eis impertivit, ut pro illo anno praedictam vigiliam anticiparent. Vicarii autem episcoporum non possunt dispensare, nisi ex speciali facultate ipsis concessa, ut ait Viva [7] neque possunt dispensare abbatissae aliaeque superiores monialium, cum ipsae nullam habeant iurisdictionem spiritualem; possunt tamen in aliquo casu declarare, moniales subditas ad ieiunium non teneri. Ita Concina cum aliis passim. *Vide dicenda l. 4. num.* 53. *et* 61.

3. Parochi, licet dubitetur inter dd. an ex vi iuris communis possint dispensare in ieiuniis, iure tamen consuetudinis certe id possunt ex iusta causa cum suis subditis particularibus, non vero pro tota parochia. Ita ex communi sententia, quam tenent Laym. [8] Less [9] Conc. [10] Elbel [11] Sanch. [12] Holz. [13] (quamvis hic permittat tantum ad unum vel alterum diem, sed alii absolute loquuntur) item Salm. [14] cum Cai. Suar. Sylvest. etc. Ratio quia hoc expedit ad suave regimen ecclesiae; nimis enim grave foret ex locis remotis adire episcopos ad obtinendam dispensationem, cuius necessitas occurrit in diem. *Vide lib.* 1. *n.* 190. *et l.* 4. *num.* 288. Imo valde probabiliter potest parochus in iis dispensare, etiam praesente episcopo; quamvis enim parochi de iure hanc iurisdictionem non habeant, habent tamen, ut dictum est, ex consuetudine, quae satis potest iurisdictionem tribuere [15]; ita Sanch. Concina et Salm. [16] cum Lop. Azor. et aliis supra relatis. Id possunt etiam vicarii parochorum, qui exercent actus parochiales iurisdictionem exigentes, nisi parochi expresse repugnent, ut Salmant. cum Sanch. Pal. Pasqualig. etc.

4. Possunt etiam dispensare cum suis subditis, et adhuc cum semetipsis, omnes praelati religiosorum etiam inferiores, atque vicarii superiorum localium: ita Conc. [17] et Elbel [18] cum aliis communiter. Ratio quia regulares superiores veram habent iurisdictionem spiritualem in subditos suos, ut eis provideant in illis quae ad ipsorum bonum regimen pertinent [19].

Hic autem maxime advertenda est de omnibus huiusmodi facultatem dispensandi habentibus doctrina commu-

(1) C. 2. reg. in praxi 4. (2) N. 4. (3) C. 3. n. 5. (4) C. 18. q. 5. (5) De 3. pr. c. 2. p. 7. §. 4. n. 161. (6) Ad dispensandum cum integra communitate circa qualitatem ciborum, sedi apostolicae reservatum est, ut declaravit Benedictus xiv. in bulla *Non ambigimus*. Hom. Ap. tr. 12. n. 22. (7) Art. 5. n. 5. (8) C. 3. n. 8. (9) N. 45. (10) P. 331. n. 4.

(11) N. 504. (12) De matr. l. 8. d. 9. n. 27. (13) P. 436. n. 19. (14) Ibid. n. 155. (15) Ex c. Cum contingat de foro compet. (16) Loc. c. (17) Pag. 331. n. 5. (18) N. 503. (19) Sed omnes isti superiores nominati, excepto papa, nequeunt dispensare nisi ex iusta causa, secus dispensatio est irrita. Hom Ap. tr. 12. n. 22.

nis, quam tradit d. Thom. [1] nimirum: *Si causa sit evidens, per seipsum licite potest homo statuti observantiam praeterire, praesertim consuetudine interveniente, vel si non posset de facili recursus ad superiorem haberi. Si vero causa sit dubia, debet aliquis ad superiorem recurrere: qui habet potestatem in talibus dispensandi.*

1033. 2. Causa est *impotentia*, sive physica sive moralis. Ex impotentia *physica* excusantur 1. Infirmi, quibus ieiunium timetur posse notabile damnum afferre; hinc dicunt Elbel [2] et Viva [3] quod si quis sibi persuadeat ex experientia, vel ex probabili ratione, ieiunium graviter nociturum, non tenetur ieiunare. Sed ideo etiam excusantur qui laborant febri tertiana vel quartana, vel qui ab ea immediate convaluerunt. Holzm. [4]. Idem debiles qui una vice alimentum sufficiens non possunt sumere; ut Sanch. [5] cum Sylvest. et Angles ac Holzm. [6] cum Laym. Item praegnantes et lactantes, quibus aliquando permittunt etiam carnes, si puer sit infirmus, aut ei immineat periculum infirmitatis, vel si mater sit debilis, ut Ronc. [7] et Holzm. [8]. Imo praegnantes [9] peccarent, si pluries ieiunarent; secus si unum vel alterum ieiunium aliqua mulier robusta ferre vellet, ut Petrocorens. [10] cum Nav.

2. Excusantur pauperes qui non habent prandium perfectum pro unica congrua refectione. Ita communiter Lessius [11] Sanch. [12] Elbel [13] Spor. [14] Holz. [15] et alii ex d. Th. [16] qui ait: *Excusari videntur illi qui frustatim eleemosynas mendicant, qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat.* Hinc valde probabiliter dicunt Sanch. [17] cum Angles Salm. [18] et Ronc. [19] (contra Mazzotta) quod si quis non haberet nisi panem et legumina aut herbas, non teneretur ad unicam refectionem: licet enim esset is ad huiusmodi obsonia assuetus, tamen ideo se sufficienter sustentat, quia pluries in die, et pluries in magna quantitate se reficere solet iis cibis qui sunt modicae nutritionis.

1034. Impotentia autem *moralis* etiam excusat a ieiunio: et haec est quando ieiunium non sine gravi incommodo sive sine magna difficultate extrinseca, quae magno incommodo aequiparatur, sustineri potest, ut dicunt Abelly [20] Viva [21] Tamb. [22] et Croix [23] cum Bon. etc. Hinc 1. non tenentur ieiunare ii quibus ieiunium affert gravem capitis dolorem, ut dicunt Holz. [24] Elb. [25] et Sanch. [26] cum Abul. Navar. et Gabr. Excusantur 2. ii qui ieiunando non possunt noctu calefieri, vel per notabile tempus somnum capere, ut communiter docent dd. ut Sanch. [27] et Salmant. [28] Pal. [29] Spor. [30] Holzm. [31] Less. [32] Laym. [33] etc. An autem isti teneantur eo casu mane sumere collatiunculam, ut sero possint comedere, et sic servare ieiunium. Affirmant Ronc. [34] Conc. [35] Salm. [36] et Croix [37] cum Sanch. [38]. Ratio quia ille qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media non difficilia. Sed valde probabiliter id negant Elbel [39] Tambur. [40] Fill. [41] Viva [42] cum Fagund. Dian. [43]. Item Lop. Sanctius et Loth. apud Croix. Ratio, ut alii dicunt, quia nemo tenetur ordinem pervertere, sed potest communi aliorum consuetudini se uniformare. At haec ratio debilis est, nam refectionem ad vesperam transferre, revera non est ordinem pervertere, sed illum perfectius servare, cum haec fuerit antiqua disciplina. Ratio potior est quia dilatio comestionis usque ad vesperam revera medium est non solum extraordinarium, sed grave afferens incommodum, cum in eo non leve perferatur incommodum, qua ratione derogatum est antiquae disciplinae quae olim tam rigorose fuit observata.

(1) 2. 2. q. 147. a. 4. (2) N. 327. (3) A. 5. n. 2. (4) n. 14. (5) Dub. 14. n. 11. (6) N. 14. (7) C. 2. n. 1. (8) N. 18. (9) Aut lactantes. Hom. Ap. tr. 12 n. 23. (10) T. 2. p. 198. (11) C. 2. n. 40. (12) Dub. 14. (13) N. 307. (14) N. 55. (15) N. 13. (16) 2. 2. q. 147. a. 4. ad 4. (17) Dub. 14. n. 3. (18) Tr. 23. c. 2. punct. 7. §. 1. n. 132 (19) Q. 4. c. 1. (20) P. 412. n. 2. (21) N. 3. (22) N. 14. (23) N. 1324. (24) N. 14. (25) N. 507. (26) Dub. 14. n. 10. (27) Ibid. (28) Ibid. n. 125. (29) N. 9. (30) N. 33. (31) N. 14. (32) N. 40. (33) N. 3. (34) C. 1. reg. prax. 4. (35) P. 310. n. 41. (36) C. 2. p. 3. §. 3. n. 83. (37) N. 1325. (38) Dub. 27. n. 4. (39) N. 507. (40) §. 7. n. 14. (41) T. 2. tr. 27. c. 6. n. 130. (42) A. 3. n. 3. (43) P. 1. tr. 9. r. 31

3. Excusantur milites, sive sint in castris sive in hospitiis, ut dicunt communiter Concina [1] Ronc. [2] et Salm. [3] cum Leand. Pasqualig. et aliis. Ratio, tum quia ipsi magnos labores perferunt, tum quia statis horis non possunt comedere, nec congruum habent cibum pro ieiunio.

4. Excusantur uxores, quae alias ieiunando magnam paterentur indignationem a viris, ut Less. [4] Azor. [5] Viva [6] Sanch. [7] Salm. [8] Holz. [9] et Spor. [10] cum Caiet. Sylvest. Nav. Laym. etc. modo ieiunium a viro non prohibeatur in contemptum religionis vel praecepti ecclesiae. Pariter Sanch. [11] Viva [12] et Tamb. [13] excusant a ieiunio puellam petentem nuptias, si timeat ieiunando notabiliter deformari. Sed recte ait Croix [14] hoc practice vix esse probabile, cum vix accidat ex ieiuniis ordinariis ecclesiae hanc notabilem deformitatem causari. Bene autem excusantur viri, si ieiunando non possent uxoribus debitum reddere, quia praeceptum iustitiae debet praevalere praecepto humano ieiunii. Ita Sanch. [15] cum Caiet. Arm. Navar. Sa Val. Laym. [16] Holz. [17] Tamb. [18] et Salm. [19] cum Less. etc. Idem sentit Concin. [20], sed censet teneri virum prius precibus hortari coniugem, ut a petendo desistat; si tamen hoc omitteret, non putarem eum peccare, saltem mortaliter. Si autem vir servans ecclesiae ieiunia, et alia moderata ex devotione, redderetur minus potens ad debitum reddendum, non teneretur ab eis abstinere; quia non tenetur cum spirituali iactura illa omittere ut potentiorem se reddat, uti dicunt Sanch. [21] cum Gabr. Soto Sylvest. Angles etc. ac Croix [22] cum Corneio et Steph. Non autem excusantur coniuges a ieiunio, si cum illo debitum petere non possint, ut Croix [23] et Tambur. [24] qui tamen [25] probabiliter excusat coniugem advertentem in altero, nisi petat, periculum incontinentiae, gravem suspicionem concipere quod ipse adulteratus fuerit, vel aliam diligat [26].

1035. 5. Excusantur universe adolescentes usque ad annum 21. completum, ut docet d. Th. [27] cum aliis communiter: hi enim indigent maiori et crebriori cibo, tam ad augmentum naturae, quam ad vires solidandas. Sentit autem Durandus [28] quod si aliquis adolescens esset robustus, et in ipso natura iam attigerit terminum augmenti, is teneretur ad ieiunia; sed haec opinio est contra communem, et contra d. Th. [29] qui prorsus deobligat iuvenes ante finem tertii septennii, et tantum subdit: *Conveniens tamen est ut etiam in hoc tempore ad ieiunandum se exerceant*. An vero aliquis adolescens complens 21. annum, v. gr. hora tertia vel nona, teneatur eo die ieiunare. Negant Escob. [30] Spor. [31] et Trull. Diana etc. ap. Salm. [32] quia, ut hi dicunt, praeceptum ieiunii respicit totum diem integrum, tamquam unicum obiectum praecepti. Sed probabilius affirmant Conc. [33] Sanch. [34] et Salm. [35] cum Bon. etc. Ratio quia praeceptum obligat statim ac tempus obligationis advenit; prout qui perveniens ad locum ubi tenetur ad ieiunium, obligatur ieiunare statim ac pervenit.

1036. 6. Excusantur senes, sed de his dubitatur 1. an sexagenarii indistincte sint ab obligatione ieiunii immunes. Communiter dd. docent sexagenarios excusari in dubio de validitate virium, nisi oppositum constet, ita Bon. [36] Less. [37] Laym. [38] Sanch. [39] Abelly [40] Sporer [41] cum Navarr. Tol. etc. Ratio quia in istis praesumptio in dubio stat pro imbecillitate virium, ut a ieiunio

(1) Pag. 23. n. 2. (2) C. 2. reg. prax. (3) C. 2. punct. 7. §. 2. n. 141. (4) N. 44. (5) C. 18. q. 7. (6) A. 6. n. 6. (7) De matr. l. 9. d. 3. n. 13. et 26. (8) Ibid. §. 1. n. 127. (9) N. 16. (10) N. 65. (11) L. c. de matr. n. 12. (12) Art. 2. n. 5. (13) N. 45. (14) N. 1326. (15) Loc. cit. n. 10. (16) N. 4. (17) N. 16. (18) N. 37. (19) Cit. n. 127. (20) P. 317. n. 14. (21) N. 5 (22) N. 1338 (23) L. c (24) N. 40.

(25) N. 41. (26) Clarius in Hom. Ap. tr. 12. n. 24.: nisi casus esset quod vir abstinendo a petitione nequiret amovere ab uxore periculum incontinentiae aut suspicionem quod ipse aliam diligat.
(27) 2. 2. q. 147. a. 4. (28) In 4. dist. 15. q. 10. art. 4. (29) Loc. cit. (30) Pag. 108. n. 364 (31) Pag. 286. n. 41. (32) Loc. cit. p. 6. n. 120. (33) P. 289. n. 3. (34) De matr. l. 2. d. 24. n. 23. (35) L. c. (36) P. ult. n. 4. (37) N. 41. (38) N. 2. (39) D. 4. n. 7. (40) N. 2. (41) N. 30.

excusari censeantur. Sed dubium fit an teneatur ieiunare, si quis certe robustus inveniatur.

Prima sententia affirmat, eamque tenent Fill. [1] Elbel [2] Bon. [3] cum Valent. Abul. Rodr. Reg. Laym. [4] cum Navar. Cai. Tol. Sa etc. Ratio, quia illi qui in ea aetate vires validas habent, non reputantur ut senes. Haec quidem est probabilis, sed non minus probabilis est *sententia opposita*, quam tenent Sanchez [5] Escob. [6] Holz. [7] Ronc. [8] qui eam tutam vocat, Viva [9] cum Trull. Molf. etc. Salm.[10] cum Villal. Leand. etc. et probabilem putant Azor. [11] Pal. [12] cum Sa et Angles Elbel [13] ac Mazz. Ratio tum quia sic fert universalis consuetudo, ut testantur communius dd. apud Roncag.; tum quia alias esset res multis scrupulis obnoxia, examinare an aliquis sexagenarius sit vel ne sufficienter robustus ad ieiunium sustinendum. Sed ratio potior est, quia huiusmodi senes, tam ob virium imbecillitatem, quam ob defectum caloris, nequeunt simul alimentum sufficiens sumere, egentque cibo frequentiori, et licet nonnulli in tali aetate robusti videantur, eorum tamen robur est de facili illusivum et inconstans, cum negari non possit in huiusmodi senibus vires deficere et prolabi in interitum, ita ut si in morbum incidant, difficulter perfecte convalescant, unde Galenus [14] sic dixit: *Senibus simili ratione iis qui ex morbo convalescunt, in victu esse curandum.* Hinc commune adagium prodiit: *Senectus ipsa morbus est.*

Nec obstat dicere cum Elbel quod senes ante sexagenarium annum certe tenentur ad ieiunium: unde cum dubium accedat an deinde ob aetatem excusentur, possidet praeceptum. Nam respondetur 1. quod cum dubitatur an lex comprehendat aliquem casum aut subiectum, non obligat; quia tunc prorsus perinde est ac si dubitetur an existat lex vel non pro illo casu aut subiecto: et ideo possidet libertas, ut docent Sanch.[15] Pal.[16] cum Salas Salm [17] et Tamb.[18]. An vero sexagenarii comprehendantur a lege vel non, est quidem dubium, imo valde probabiliter negatur, ut ostendimus: unde hoc casu, non lex, sed libertas possidet. Respondetur 2. quod, etiamsi eo casu possessio staret pro lege, sexagenarii nec etiam tenentur ad ieiunium: quia cum senes ad eam aetatem perveniunt, duabus ipsi obligationibus obstringuntur, una servandi praeceptum ecclesiae, altera tuendi valetudinem; unde sicut in dubio prudens timor gravis incommodi excusat a recitatione officii, ut communiter dicunt Holz.[19] Viva [20] Salm.[21] cum Sanch. Pelliz. Trull. et aliis ac ipse Elbel [22] ita excusat etiam sexagenarios a praecepto ieiunii; praeceptum enim naturale servandi sanitatem praeponderat praecepto ecclesiastico ieiunii, cum in talibus senibus adhuc robustis, ut ait Palaus [23] semper adest periculum moraliter certum gravis nocumenti aut diminutionis virium, quae semel amissae nunquam recuperantur.

An autem annus sexagesimus debeat esse completus, ad excusandum. Affirmant Spor. et Elbel [24]. Sed alii dicunt sufficere ut sit inchoatus. Viva [25] Mazzot. [26] Diana [27] cum Naldo; et probabile putat Pal.[28] cum Sa Angl. et Lamas. Ratio quia communiter dicitur sexagenarius qui annum 60. inchoavit.

1037. Dubitatur 2. An excusentur a ieiunio foeminae quinquagenariae.

Prima sententia affirmat, quam tenent Escob.[29] Renz.[30] et Narb. Machad. ac Pelliz. ap. Diana [31] et hanc approbat etiam Sanchez, qui licet *in tr. de matrim.* in dubium revocaverit, in opusculo tamen consiliorum [32] cum Caiet.

(1) Tr. 27. c. 6. q. 4. n. 112. (2) N. 458. (3) P. ult. n. 4. (4) N. 2. (5) De matr. l. 7. d. 22. n. 17. (6) P. 108. n. 367. (7) N. 17. (8) Q. 4. r. 1. (9) A. 6. n. 8. (10) Tr. 23. c. 2. p. 7. §. 1. n. 130. (11) C. 17. q. 4. (12) §. 5. n. 6. (13) P. 166. n. 458. (14) L. 5. de sanit. tuenda. (15) Dec. l. 1. c. 10. n. 33. (16) T. 1. tr. 1. d. 3. p. 7. n. 2. (17) De leg. c. 2. punct. 6. n. 110.

(18) Dec. lib. 1. c. 3. §. 7. verb. Leges, n. 1. (19) T. 1. p. 451. n. 486. (20) De 1. praec. q. 3. a. 6. n. 3. (21) De hor. canon. c. 3. punct. 6 §. 1. n. 36. (22) Tom. 2. pag. 556. n. 443. (23) L. c. n. 8. (24) Locc. cc. (25) A. 6. n. 8. (26) Tr. 2. d. 1. q. 4. c. 4. §. 4. (27) P. 6. tr. 14 r. 83. (28) §. 5. n. 6. (29) P. 109. n. 5. 2. (30) P. 593. q. 4. (31) P. 9. tr. 7. r. 75. (32) Tub. 4. n. 6

et aliis eam absolute docet, et probabilem putant Viva[1] et Mazzott. Ratio istorum, quia in foeminis antecedit senectus, ita ut quinquagenariae nequeant amplius generare.

Secunda sententia vero, quam tenent Laym.[2] Salm.[3] Tamb.[4] Croix[5] Holz.[6] Elb.[7] Anac.[8], negat quinquagenarias excusari, nisi adsit specialis circumstantia infirmitatis vel debilitatis; quia experientia constat quod foeminae sine detrimento valetudinis facilius ieiunant, cum ipsae minori indigeant cibo. Primam sententiam non audeo improbare, sed neque audeo probabilem dicere, dum video illam à Laym. Tamb. Elbel et La Croix cum aliis omnino reiici, et Dianam dubitare de sua probabilitate.

1038. Dubitatur 3. An qui voverit ieiunare, puta semel in hebdomada, *toto vitae suae tempore,* teneatur ad ieiunium in aetate sexagenaria.

Prima sententia, quam tenent Sanchez[9] Bon.[10] Renz.[11] Pal.[12] Escob.[13] et Tamb.[14] cum Fag. ac Diana, negat, nisi quis expresse voluerit se obligare ad ieiunandum post sexagesimum annum. Ratio istorum, quia votum, cum sit lex particularis, non obligat nisi adinstar legis ecclesiasticae.

Secunda sententia tamen verior quam tenent Laym.[15] Spor.[16] Anacl.[17] Holz.[18] Elbel[19] et Ronc.[20] affirmat teneri, nisi adveniat specialis ratio debilitatis. Ratio quia votum, quamvis obliget adinstar praecepti ecclesiastici quoad modum, non tamen quoad personas, unde sicut adolescens ante 21. annum potest se obligare ad ieiunandum, ita et senes post annum sexagesimum; et satis praesumitur ad id voluisse se obstringere qui vovit ieiunium *usque ad mortem*, sive *toto vitae suae tempore*. Secus autem dicendum cum Anacl. et Elbel, si quis voveat sine tali expressione, et non advertat ad aetatem sexagenariam; tunc enim non tenetur, quia eo casu vel censetur se obligasse adinstar praecepti ecclesiastici, iuxta primam sententiam: vel quia tunc supervenit notabilis mutatio ad quam si advertisset, non intendisset se obligare, iuxta dicta *hoc libro* 3. *n.* 226.

1039. Dubitatur 4. An religiosi sexagenarii excusentur a ieiuniis regulae. Affirmant Sporer[21] Holzm.[22] Tamb.[23] item Rodr. Pasq. et Sanctius ap. Salmant.[24] quia pariter dicunt praeceptum regulae obligare adinstar praecepti ecclesiastici. Sed negant Azor.[25] Elbel[26] Roncag.[27] et Salm.[28] cum Bordon. etc. Ego distinguendum puto, et dico non excusari si in regula quam religiosi profitentur, expresse promittatur observantia *usque ad mortem*. Secus si promissio fit sine illa clausula *usque ad mortem*, iuxta id quod diximus in praecedenti dubio. Et huius sententiae videntur quidem esse Salm., cum asserant in eorum regula (secundum quam loquuntur) observantiam *usque ad mortem* promitti.

1040. Dubitatur 5. An ieiunium subrogatum voto castitatis obliget voventem post 60. annum. Negat Tambur.[29] cum aliis, quia in illa aetate, ut ait, ipsa senectus, utpote magnis infirmitatibus obnoxia, aequivalenter est morbus a ieiunio excusans. Affirmat vero La Croix[30] dicens quod sicut senes tenerentur in ea aetate ad castitatem, sic tenentur ad ieiunium illius vice impositum. Sed haec ratio non convincit, nam nimis probat: probaret enim quod si vovens gravi laboraret morbo, adhuc teneretur ad ieiunium. Quapropter, cum senectus morbo aequiparetur et aerumnis subiiciatur, non omnino improbabilis videtur prima sententia; sed cum res sit valde dubia, putarem hunc teneri ad impetrandam dispensationem, pro qua aetas illa est quidem sufficiens causa.

(1) Art. 6. n. 8. (2) C. 3. (3) Tr. 23. c. 2. punct. 7. §. 1. n. 131. (4) §. 7. n. 5. (5) N. 1318. (6) Pag. 336. n. 17. (7) Pag. 84. n. 507. (8) P. 593. n. 64. (9) Dec. l. 4. c. 11. n. 54. (10) P. ult. n. 4. (11) T. 2. p. 594. q. 6. (12) §. 5. n. 8. (13) L. 94. n. 379. (14) §. 7. n. 9.

(15) N. 3. (16) N. 51. (17) N. 78. (18) N. 26. (19) N. 528. (20) C. 2. q. 4. r. 1. (21) P. 237. n. 51. (22) P. 340. n. 26. (23) De iure abb. d. 12. q. 5. n. 7. (24) Tr. 23. c. 2. punct. 7. §. 1. n. 132. (25) Q. 3. (26) P. 167. n. 460. (27) Q. 4. r. 1. (28) Cit. n. 132. (29) §. 7. ex n. 10. (30) N. 1520

1041. 3. Causa est *labor*. Ante omnia hic est advertenda propos. 30. damnata ab Alex. VII. quae dicebat: *Omnes officiales qui in republica corporaliter laborant sunt excusati ab obligatione ieiunii; nec debent se certificare si labor sit compatibilis cum ieiunio.* Merito pontifex praefatam propositionem damnavit, quia secundum eam omnes laborantes, sive ob officium sive ob recreationem, sive labor esset compatibilis sive non, cum ieiunio, essent excusati, quod falsum est. Ideo igitur fuit illa proscripta, quia nimis generaliter loquebatur. Caeterum omnes artes quae exerceri non possunt nisi cum ingenti corporis agitatione, a ieiunio excusant, eo quod in eis multi spiritus consumuntur. Huiusmodi artes laboriosas exercere, et a ieiunio excusari, ex communi sententia dicuntur fossores, agricolae, lapidicinae, figuli, textores, lanarii, fullones, baiuli, aurigae, nautae remigantes, fabri lignarii, ferrarii, et murarii, ita communiter Salm.[1] Conc.[2] Elb.[3] et alii. Iis merito adduntur cursores cum Sanchez[4] Wig.[5] Ronc.[6] Sporer[7]. Sutores, qui calceos conficiunt, non vero qui coria scindunt, Sanchez[8] Salm.[9] Elbel[10] Azor.[11] Pal.[12] Wigandt[13] et Sporer[14]. Item furnarii, Salmant.[15] Holz.[16] Pal.[17]. Pistores Azor.[18] Elbel[19] Pal.[20] Holzm.[21]. Coqui plures dapes et multis personis praeparantes, si fere per diem laborent, ut Salm. et Spor.[22] Ronc.[23] et Tamb.[24]. Secus si pauca fercula parent, vel tantum praesideant inferioribus ministris. Typographi praelum versantes, non vero typos componentes. Conc.[25] Salm.[26] Holz.[27] Elb.[28]. Famuli qui vehementer tota die incumbunt maioribus laboribus, ut Laym.[29] et Spor.[30], non vero ancillae lanam aut linum nentes, aut similia levia servitia domus exhibentes, ut Tamb.[31]. Secantes lapides percursantes urbem ad vendendas merces, Croix[32], ornantes templa scalas circumferendo, Tamb.[33] qui autem bene advertit omnes hos laborantes non excusari a ieiunio nisi laborent saltem per maiorem diei partem, non vero si per duas vel tres horas.

Barbitonsores communiter non excusantur, ut docent Less.[34] Laym.[35] et Salm.[36] etc. cum communi. Excipe, nisi aliquis artem suam sine refectione exercere non valeret propter laboris molestiam, vel propter complexionis debilitatem, ut dicunt Pal.[37] Sanch.[38] Mazz.[39] Conc.[40] et Led. Fag. ac Leand. ap. Salm.[41] ex Less.[42]. Item Palaus[43] et Led. ac Angles ap. Sanch.[44] excusant etiam sartores; sed hoc non admittendum, nisi ipsi peculiari debilitate laborent, ut ait Conc.[45], vel nisi aliquando deberent extraordinario labore etiam per magnam noctis partem suere, ut evenire posset, si aliqua festivitas immineret, et non possent necessarias vestes conficere, ut dicunt Ronc.[46] et Salmant.[47]. Pictores et scribae sive notarii non excusantur, ut verius docent Salmant.[48] Tamb.[49] Viva[50] et Elbel[51] cum comm., ut asserit (contra Henr. Mach. Leand. et Pasq. ap. Salm.[52]), nisi labor sit talis ut non posset exerceri cum ieiunio sine magna difficultate. Neque horologiarii, ut ait idem Elbel; sed excipe eos qui magna horologia conficiunt, ad quae construenda magnis viribus opus est.

Alii absolute excusant molitores, argentarios et sculptores; at Conc.[53] hos non excusat, nisi ob debilitatem personae. Sed melius puto dicendum, in his attendi debere qualitatem laboris, an sit gravis, et cum ieiunio incompatibilis: regula enim communiter recepta est cum Less.[54] quod qui sine ma-

(1) Tr. 23. c. 2. punct. 7. §. 2. n. 136.
(2) P. 320. n. 2. (3) N. 508. (4) Dub. 10. n. 6.
(5) N. 92. (6) C. 2. reg. 2. in prax. (7) N. 58.
(8) D. dub. 10. n. 7. (9) Cit. n. 136. (10) N. 508.
(11) Q. 8. (12) N. 10. (13) N. 92. (14) N. 58.
(15) L. c. (16) N. 15. (17) N. 8. (18) Q. 8.
(19) N. 508. (20) N. 8. (21) N. 15. (22) L. c.
(23) Reg. 2. in prax. (24) N. 27. (25) P. 322. n. 7.
(26) Ibid. (27) N. 15. (28) N. 508. (29) N. 5.
(30) N. 58. (31) §. 7. n. 25. (32) N. 1330.
(33) §. 7. n. 30. (34) C. 2. n. 43. (35) C. 3. n. 3.
(36) Tr. 23. c. 2. p. 7. §. 2. n. 139. (37) P. 2. §. 5. n. 10. (38) C. 1. dub. 7. n. 8. (39) Ibid.
(40) P. 321. n. 6. (41) Loc. c. (42) D. n. 43.
(43) N. 10. (44) Dub. 6. n. 7. (45) P. 371. n. 6.
(46) Reg. in prax. 2. (47) Cit. n. 139. in fin.
(48) Ibid. n. 140. (49) N. 23. (50) A. 6. n. 4.
(51) N. 508. (52) Ibid. (53) P. 326. n. 6. (54) N. 43.

gno incommodo nequit aliquam artem, etsi per se non laboriosam, exercere, vel propter debilitatem personae, vel propter aliam peculiarem circumstantiam, is non tenetur ad ieiunium.

1042. Hic quaeritur 1. An artifices divites, qui ex officio exercent artes laboriosas, peccent si in die ieiunii laborem assumunt.

Prima sententia probabilis affirmat, quam tenent s. Antonin.[1] Conc. [2] cum Gabr. Durando et Armill. et hanc clare tenet etiam s. Thomas [3] qui sic ait: *Si operis labor commode differri possit aut diminui absque detrimento corporalis salutis et exterioris status, qui requiritur ad conservationem corporalis vel spiritualis vitae; non sunt propter hoc ecclesiae ieiunia praetermittenda.*

Verum *secunda sententia* communis, quam tenent Sylvest. [4] Nav. [5] Salm. [6] Viva [7] Less.[8] Ronc. [9] Elbel [10] Sanch. [11] cum Tol. Led. Met. et alii innumeri, dicit hos non peccare, quamvis non indigeant pro sui vel suorum sustentatione. Probatur 1. ex decreto sive oraculo vivae vocis prolato ab Eugenio IV. ann. 1440. ut testantur omnes aa. citati, utque habetur in *Compend. privilegiorum Fratr. Minor.*[12]. In illo enim sic fertur pontifex declarasse: *Artifices laboriosas artes exercitantes, et rustici sive divites sint sive pauperes, non tenentur ieiunare sub praecepto peccati mortalis. Et quod absolvi possunt, et induci ad eleemosynas, et alia bona opera facienda.* Alicui huiusmodi declaratio visa est apocrypha, dicens 1. inepta videri verba illa, *sub praecepto peccati mortalis;* ergone declarat pontifex teneri sub veniali? et cur? Sed respondetur, quia facile huiusmodi divites possunt venialiter peccare, assumendo laborem propter cupiditatem lucri, iuxta dicta *n.* 885. Et ob hanc causam rationabiliter monet pontifex eos inducendos esse ad alia bona opera facienda. 2. Inepta etiam videri alia verba illa, *et quod absolvi possunt*: Si non peccant, a qua culpa absolvi debent? Sed hoc clare intelligitur; eo quod forte ii tamquam indispositi a confessariis dimittebantur, propterea Eugenius declaravit bene eos absolvi posse, non quidem a transgressione ieiunii, sed ab aliis peccatis confessis. Caeterum, usquedum mihi non constabit falsitas huius declarationis, numquam audebo eam apocrypham dicere, postquam tot classici auctores communiter pro vera illam habent, et super ea suam sententiam fundant. Ratio autem huius sententiae mihi videtur esse, quia valde interest reipublicae ne causa ieiunii operarii intermittant exercere artes, quibus ex suo officio incumbunt; si enim in diebus ieiunii tantum pauperes laborare possent sine ieiunii obligatione, plures, quibus non est opus actualiter laborare ad se sustentandum, laborem intermitterent, quod certe verteret in notabile reipublicae detrimentum.

1043. Quaeritur 2. An artifices, qui laborando sine gravi incommodo ieiunare valent, teneantur ad ieiunium.

Prima sententia negat, quam tenent Tamb.[13] et Leand. et Pasq. ap. Conc.[14]. Ratio, tum quia consuetudo communiter a ieiunio eximit omnes qui laboriosas artes exercent; leges autem non respiciunt quod raro et per accidens evenit, sed quod communiter, et per se contingit; tum quia ab Eugenio IV. in praefata declaratione omnes hi fuerunt dispensati.

Secunda sententia vero quam tenent Bonac.[15] Conc.[16] Viva[17] Reg.[18] affirmat teneri, modo tamen sit manifestum quod ipsi ieiunando grave non subeant incommodum; cum ex una parte lex universe obliget omnes qui valent cum levi incommodo ieiunare: et ex altera satis non constat Eugenium voluisse cum eis dispensare. Secus vero dicendum si dubium sit an ieiunando grave perferant incommodum; quia ex communiter contingentibus in dubio prae-

(1) 2. p. t. 6. c. 11. §. 8. (2) P. 319. n. 1. (3) 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3. (4) V. ieiunium, n. 4. (5) C. 21. n. 16. (6) Tr. 23. c. 2. p. 7. §. 2. n. 134. (7) In prop. 30. Alex. VII. (8) N. 42 (9) C. 2. reg. in. prax. 2. (10) N. 518. (11) Dub. 7. n. 4 (12) V. ieiunium, n. 2. (13) §. 7. n. 18. (14) P. 320. n. 3. (15) P. ult. n. 8. (16) L. c. (17) In propos. 30. damn. ab Alex. VII. (18) L. 4. c. 16. n. 216.

sumitur ieiunium non esse compatibile cum artibus laboriosis. Haec secunda sententia, speculative loquendo, videtur probabilior; sed in praxi vix reperietur unus qui ex huiusmodi labore non graviter relaxetur.

1044. Quaeritur 3. An excusentur a ieiunio exercentes artes laboriosas in diebus quibus vacant a labore. Commune est inter dd. quod ii qui uno vel altero die non laborant non tenentur ieiunare. Ita Sanch. [1] Bonac. [2] Azor. [3] Roncagl. [4] Elbel [5] Tamb. [6] Croix [7] cum Mendo et Diana. Ratio quia in primo die excusantur, ad reficiendam lassitudinem propter laborem assumptum in die praecedenti: in altero, ad servandas vires propter labores in subsequenti die assumendos. Sed quid, si in illis duobus diebus posset aliquis sine gravi incommodo ieiunare? Bonac. [8] Ledesma et Med. apud Viva [9] affirmant teneri, nisi experti iam fuerint ex praecedenti labore se laxatos manere vel minus aptos reddi ad laborem pro die sequenti. E contrario Elbel [10] Sanch. [11] cum Victoria etc. Diana [12] cum Fag. et Hurtado absolute excusant, quia ipse labor lassitudinem infert. At ego sentio cum Viva [13] pariter distinguendum, ut in praecedenti quaestione, nempe quod si manifeste ipsi grave incommodum ex ieiunio non sustinerent, tenerentur ieiunare. Secus si non manifeste; in dubio enim excusantur, quia ex communiter contingentibus praesumptio stat pro necessitate alimenti, ut vel reficiantur a labore exercito, vel idonei reddantur ad laborem exercendum.

1045. Quaeritur 4. An qui laborem assumit ut eximatur a ieiunio, excusetur a culpa. Non videtur dubitandum quod hic postquam graviter est defatigatus, etiam malo fine, et etiamsi praeviderit defatigationem illam fore incompossibilem cum ieiunio, ad illud non tenetur, ut communissime docent Laym. [14] p. Conc. [15] Sporer [16] cum Med. ac Diana et Sylvest. Palud. Sanch. Pal. Fill. et Pasqual. (qui asserit communem esse sententiam) ap. Croix [17]. Ratio quia iam ille est factus moraliter impotens ad ieiunandum. An autem iste apponendo impedimentum peccet contra ieiunii praeceptum. Negant Salmant. [18] cum Pasq. Sanctio et Rocaful. apud Croix [19]. Ratio, ut dicunt, quia tunc ille utitur iure suo, quo potest se extrahere ab obligatione legis, sicut se eximit ab obligatione ieiunii qui egreditur e sua patria, ubi aderat obligatio ieiunandi, ut alium locum adeat in quo tale praeceptum non adest. Sed omnino affirmandum cum sententia communi, quam tenent Sanch. [20] Azor. [21] p. Conc. [22] Mazzot. [23] et Diana [24] qui ait ab hac sententia non recedendum, quidquid prius alibi dixerit; item Viva [25] et Croix [26] qui dicunt contrariam sententiam communiter reiici. Ratio, quia licet is non peccet contra praeceptum ieiunii, omittendo ieiunium post defatigationem, peccet tamen, quia operatur in fraudem praecepti; omnis enim lex obligat, ne quid fiat data opera, ut lex eludatur; ex d. Thom. *Vide n. seq.*

1046. Quaeritur 5. an peccent contra legem ieiunii qui sine iusta causa laborem assumunt, quamvis non in fraudem praecepti. Negant Ronc. [27] Bonac. Led. Med. Leand. Pasq. et alii ap. Croix [28]. Sed oppositum pariter omnino tenendum, ut censent Laym. [29] Sanch. [30] Palaus [31] cum Nav. Cai. Tol. Abul. Fil. etc. communiter, item Croix [32] cum Sanchez Diana, ac aliis; et hanc clare docet s. Thom. [33] qui loquens de eo qui *occupat se talibus, quibus ab eundo ad ecclesiam impeditur* (nempe ad sacrum audiendum), damnat de peccato omissionis; et rationem adducit: *Qui enim vult aliquid cum quo aliud simul esse*

(1) Dub. 7. n. 10. (2) P. ult. n. 8. (3) C. 17. q. 8. (4) C. 2. reg. in prax. 2. (5) P. 189. n. 518. (6) §. 7. n. 24. (7) N. 1333. (8) Loc. c. (9) In d. prop. 30. Alex. VII. n. 9. (10) P. 189. n. 518. (11) Dub. 7. n. 10. (12) P. 1. tr. 9. r. 9. (13) Loc. c. (14) L. 4. tr. 8. c. 3. n. 5. (15) T. 5. p. 508. n. 2. (16) N. 61. (17) L. 3. p. 2. n. 1334. (18) De leg. c. 2. punct. 10. n. 164. (19) Loc. cit.

(20) Consil. l. 5. c. 1. dub. 7. n. 13. (21) T. 1. l. 7. c. 17. n. 9. (22) T. 5. pag. 140. n. 2. (23) Tr. 2. d. 1. q. 1. c. 4. (24) P. 3. tr. 14. r. 11. (25) Q. 10. a. 6. n. 7. (26) Loc. c. (27) Tr. 9. c. 2. reg. 1. (28) L. 3. p. 2. n. 1334. (29) L. 4. tr. 8. c. 3. n. 5. (30) Cons. l. 5. c. 1. d. 7. n. 1. (31) Tr. 30. d. 3. p. 2. §. 5. n. 10. (32) Loc. c. (33) 1. 2. q. 71. a. 5.

non potest, ex consequenti vult illo carere. Nec obstat dicere quod, si quis obligatus ad sacrum audiendum, alio pergat ubi non adest tale praeceptum, eo fine ut eximatur, vel praevidens sic eximi ab obligatione missae non peccat. Nam bene respondet Mazz.[1] quod hic talis, alio eundo, omnino eximitur a debito sacri audiendi, sed qui opus assumit ad se liberandum, vel praevidens se liberatum iri a ieiunio, adhuc remanet ad illud obligatus, licet postea propter laborem assumptum a ieiunio excusetur. Notat autem Sanchez[2] cum Victor. et aliis, quod si quis non ad recreationem, sed ad finem utilem, licet non necessarium, assumit laborem, non peccat contra praeceptum ieiunii si postea non ieiunet. Et idem ait[3] de itinerante ex aliqua causa honesta, etsi non necessaria, puta ad visendos propinquos, vel patriam, ad venandum, ad ludendum pila; tunc enim semel vel iterum excusat. Sed his non universe acquiesco; praesertim, si sola delectationis causa, iter, sive alius labor suscipiatur, ut bene aiunt Abel.[4] et Sporer[5]. Caeterum probabiliter Elb.[6] Sporer[7] cum Laym. et Sanch.[8] cum Cai. Nav. Angles et aliis communiter, excusant a culpa eos qui, licet ex proprio officio non laborent, tamen laborem aliquem magnum assumunt ob rarum lucrum, sicut probabiliter non peccant, qui ob huiusmodi causam laborant in die festivo, ut ait idem Sanch., utque diximus *de* 3. *praecept. n.* 301. *et n.* 332. *cum aliis*.

1047. Ratione pariter laboris excusantur a ieiunio iter facientes pedestre per maiorem diei partem, ut probabiliter docent Sanchez[9] Less.[10] Holzm.[11] Pal.[12] et alii communiter. Sicque pariter excusantur muliones et agasones pedestres mulas aut asinos ducentes, ut Salm.[13] cum Sanch. Pal. Tol. Lay. etc. Hoc tamen intelligitur 1. nisi persona, completo itinere, et alia refectione non sumpta in notabili quantitate, iam postea satis se reficiat: tunc enim nequit secundam comestionem facere, nisi die sequenti iter prosequi deberet. Intelligitur 2. nisi iter commode differri possit, ut docet d. Thom.[14] dicens: *Si peregrinatio commode differri possit....non sunt propter hoc ecclesiae ieiunia praetermittenda*. Et eum sequuntur Less.[15] et Laym.[16] cum Sylv. Tol. et Medin. Quando autem, incoepto itinere, ieiunii dies intercurrit, non tenetur itinerans ab illo desistere ut ieiunet, uti docent Sanchez[17] cum Abul. Laym.[18] et Sporer[19] cum aliis comm.

Sed dubitatur 1. Quale iter, communiter loquendo, sufficiat ad excusandum. Pasqual. apud Croix[20] dicit satis esse iter septem milliarium, id est duarum leucarum et mediae (leuca enim importat hic spatium trium milliarium, sive unam horam itineris). Sed haec opinio ab aliis non recipitur, qui probabiliter dicunt requiri ad excusandum saltem iter quatuor vel quinque leucarum, ut Salm.[21] Pal.[22] Viva[23] cum Trull. et Diana; quamvis La Croix cum Bonac. Fill. etc. requirat iter ad minus quinque leucarum, id est 15. milliarium. Si tamen via esset tam ardua, aut tempus tam asperum, aut si itinerans esset adeo debilis, vel itineri non assuetus, ut non posset ieiunare sine magna difficultate; ob has causas aliquando posset eum excusare a ieiunio iter etiam sex milliarium, vel minus; ita Sanch.[24] Salm.[25] Ronc.[26] et Croix[27]. Sic pariter Tamb.[28] recte excusat famulos pedestres comitantes dominum, qui per totum diem equitaret per urbem. Et sic adhuc probabiliter quidam doctus excusabat famulos qui iugiter per diem inserviunt, ambulantes ad emendum, ad comitandum, ad litteras ferendas et similia.

Dubitatur 2. an iter facientes equis

(1) Loc. c. (2) Cons. l. 5. c. 1. dub. 7. n. 16. (3) N. 17. (4) P. 412. n. 3. (5) N. 61. (6) P. 191. n. 526. (7) N. 60. (8) Dub. 7. n. 2. (9) Dub. 10. n. 2. (10) C. 2. n. 45. (11) P. 535. num. 15. (12) §. 5. n. 10. (13) Tr. 23. c. 2. n. 7. §. 2. n. 137. (14) 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3.

(15) N. 43. (16) N. 5. (17) Dub. 11. n. 5. (18) C. 3. n. 5. (19) N. 66. (20) N. 1344. (21) Cit. n. 137. (22) §. 5. n. 10. (23) A. 6. n. 4. (24) Dub. 10. n. 5. (25) Loc. cit. (26) Reg. 2. in praxi. (27) Loc. cit. (28) §. 7. n. 23. in fine.

vel rhedis excusentur a ieiunio. Damnata quidem fuit prop. 31. ab Alex. VII. quae dicebat: *Excusantur absolute a praecepto ieiunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.* Caeterum communiter dd. excusant qui sic itinerantur per plures dies, ut Salm. [1] Sanch. [2] Ronc. [3] Laym. [4] et Viva [5] cum Trull. (Viva tamen et Laym. requirunt, ut tale iter sit saltem per octo dies; sed hoc videtur nimis rigorosum). Bene autem advertit Viva quod huiusmodi itinerantes non excusantur, si constet eos sine magno incommodo posse ieiunare. Praeterea, recte dicunt Croix Ronc. [6] et Salm. [7] cum Sanchez Azor. Tol. Trull. etc. posse aliquando excusare iter etiam unius diei, si agendum esset cum magna defatigatione, ut evenit cursoribus; vel si equitans sit debilis, aut tempus sit asperum, vel iter arduum aut extraordinarium. Iter autem octo vel decem leucarum putant non esse extraordinarium Salm. cum Sanch. Tol. Trull. Lastra Corella etc. contra Machad. Dianam Leand. etc. [8]. Merito autem hic notat Viva [9] cum Sanch. [10] quod itinerantes, si non habeant cibos quadragesimales sufficientes ad sustentandum, potius debent refici lacticiniis, adhuc in quadragesima, et servare ieiunium, quam aliis legalibus cibis levioribus vesci et ieiunium frangere, quia observantia ieiunii praestat abstinentiae a lacticiniis.

1048. 4. Causa excusans est *pietas.* Communiter docent dd. propter huiusmodi causam pietatis posse hominem ieiunium omittere, scil. ob peragendam aliam piam caritatis aut religionis operam, quae sit maioris boni quam ieiunium. Ita Salm. [11] cum aliis passim ex d. Th. [12] qui sic ait: *Si autem immineat necessitas statim peregrinandi, et magnas diaetas faciendi, vel etiam multum laborandi, vel propter conservationem vitae corporalis, vel propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem, et simul cum hoc non possint ecclesiae ieiunia observari, non obligatur homo ad ieiunandum; quia non videtur fuisse intentio ecclesiae statuentis ieiunia, ut per hoc impediret alias pias et magis necessarias causas.* Subdit tamen s. doctor: *Videtur tamen in talibus recurrendum esse ad superioris dispensationem, nisi forte ubi est ita consuetum; quia ex hoc ipso quod praelati dissimulant, videntur annuere.* Sed facile s. Th. dispensationem hanc potius requirit ad maiorem cautelam, vel de convenientia, non vero de necessitate, cum mox prius iam dixerit ut supra, *propter huiusmodi causas pietatis non obligatur homo ad ieiunandum.*

Sed dubium fit an huiusmodi opera a ieiunio excusantia possint suscipi sponte, et non ex officio vel obedientia. Negant Sylvest. Navarr. Caiet. et alii apud Salm. [13]. Sed probabilius affirmant Sanch. [14] et Salm. [15] cum Arm. Gabr. Pal. et Villal. Idque expresse docet d. Th. [16] qui dicit: *Si enim sit tanta abstinentia, quod homo ab operibus utilioribus impediatur, quamvis ad ea de necessitate non teneatur, indiscretum est ieiunium, etsi non sit illicitum.* Modo, intelligitur (ut infra explicabimus), opera illa ex iusta causa assumantur, et differri non possint.

1049. Hinc 1. excusantur qui pluribus infirmis cum magno labore inserviunt in hospitalibus aut monasteriis, ut dicunt Pal. [17] Bon. [18] et Salm. [19] cum Led. etc.

2. Excusantur peregrinantes ad loca sacra, modo 1. ipsi vero zelo peregrinationem suscipiant in magnum Dei honorem, aut magnam aedificationem communem, nempe si sint personae gravis auctoritatis, ut ait Caiet. apud Laym. [20] vel si peregrinatio vertat in magnam ipsius peregrini spiritualem utilitatem, ut dicunt Sanch. [21] Holzm. [22]

(1) Tr. 23. c. 2. p. 7. §. 2. n. 138. (2) Dub. 10. n. 5. (3) C. 2. reg. 2. in praxi. (4) N. 3. (5) A. 6. n. 4. (6) Locc. cc. (7) Ib. n. 137. et 138. (8) Ibid. (9) D. a. 6. n. 11. (10) Dub. 32. (11) Tr. 23. c. 2. p. 7. §. 3. n. 142 (12) 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3. (13) Cit. n. 142. (14) Dub. 17. n. 2. (15) Loc. c. (16) In 4. d. 15. q. 3. a. 1. (17) §. 4. n. 11. (18) P. ult. n. 13. (19) Tr. 23. c. 2. p. 7. §. 3. n. 143. (20) N. 5 (21) Dub. 11. n. 8. (22) P. 336. n. 16.

et Salm.[1] cum Sylvestro Abul. Palao Vill. etc. contra Ledesm. Palac. et Met. ap. Sanch.[2] qui excusant a ieiunio etiam eos qui simplicis devotionis causa peregrinationem suscipiunt. Sed haec opinio non videtur satis tuta, semper ac ipsi commode peregrinationem differre possunt, ut docet d. Th.[3] qui ait: *Si peregrinatio et operis labor commode differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis..... vel spiritualis vitae, non sunt propter hoc ecclesiae ieiunia praetermittenda.* Et sic alii communiter, ut Lessius [4] Laym.[5] Holzm. et Salm. [6]. Quando vero peregrinatio iam suscepta fuerit, et interim dies ieiunii occurrat, non est obligatio intermittendi eam, ut ieiunium servetur, prout communiter inquiunt Sanch. et Salm.[7] cum Abul. Spor.[8] et Laym.[9] qui ait id ut certum tenendum.

3. Excusantur concionatores, qui praedicant quotidie sive frequenter in quadragesima, ut ex communi sententia dicunt p. Wigandt [10] Tolet. [11] et Salm.[12] cum Nav. Cai. Tolet. Trull. etc. quia actio concionandi est valde laboriosa, tum propter studium ad id necessarium, tum propter corporis agitationem. Et hoc maxime locum habebit pro missionariis, qui diebus missionis cum vehementi agitatione concionantur. Caeterum decet quidem concionatores omnes, qui non solum verbo, sed etiam exemplo debent praedicare, ut quantum fieri potest, ad aedificationem populorum, ieiunia satagant observare, ut faciunt qui perfectionis amantiores sunt. An vero excusentur, qui tantum ter vel quater in hebdomada conciones habent; affirmant absolute Sanc.[13] Ronc.[14] Tamb.[15] et Henr. Trull. ac Pasq. apud Salm.[16]. Idem sentiunt Busemb. ut supra, Elbel [17] et Viva [18] modo tamen, ut isti dicunt, cum magno fervore concionentur. Sed melius aiunt Holzm. [19] et Salm. [20] in hoc standum esse iudicio prudentum, nempe si concionatores isti ob corporis agitationem, et applicationem mentis ita debiles evadant, ut nequeant ieiunium perferre, tunc possunt excusari. Et hoc valet etiamsi ipsi concionentur causa lucri, ut dicunt Spor. [21] Tamb. [22] Sanchez [23] cum Nav. et Angl. (contra Cai. Led. et Arm.) et Salm.[24] Less. Bon. etc. Ratio quia huiusmodi lucrum, cum sit iustum stipendium talis laboris, licite intenditur; et aliunde ex tali intentione non impeditur utilitas audientium.

4. Excusantur cantores sive musici, qui ieiunium observando vocem amitterent nec possent suum officium exercere, ut dicunt Anac.[25] Sporer [26] Elbel [27] et Less. [28] cum Sylvest., Nav. et Tamb.

5. Excusantur lectores scientiarum qui magno studio et labore indigent; non vero qui dictant lectiones iam prius ordinatas et saepius repetitas; ita communiter Ronc.[29] Elb. [30] et Salm.[31] cum Less. Nav. Cai. Tol. Azor. etc. Asserunt Salm. contrarium sentire Sanc.[32]. Sed non bene, nam hic auctor non loquitur de lectoribus, sed de scholasticis qui propter studium non possent ieiunare, et dicit cum Angles, hos potius debere omittere studium, etiam per totam quadragesimam, quam ieiunium, contra Az.[33] et Pal.[34] qui censent scholasticos excusari, si per quinque horas utilibus studiis vacant. An autem excusentur a ieiunio lectores grammaticae. Negant Salm.[35]. Sed affirmat Sanch. [36] si in die quatuor legant lectiones: sive si doceant per quinque horas, ut ait Azorius; Palaus autem et alii ap. Croix [37] dicunt magistros grammaticae qui per quatuor horas docent, non teneri ieiunare plusquam tribus diebus in hebdomada.

6. Excusantur advocati, qui cum ie-

(1) Ibid. n. 144. (2) Loc. c. (3) Eod. loco supra cit. a. 4. ad 3. (4) C. 2. n. 44. (5) D. n. 5. (6) Locc. cc. (7) Locc. cc. (8) N. 66. (9) D. n. 5. (10) Ex. 4. n. 92. (11) L. 6. c. 4. n. 6. (12) Ibid. n. 149. (13) Dub. 13. n. 6. (14) C. 2. reg. prax. 3. (15) §. 7. n. 26. (16) Tr. 23. c. 2. p. 7. §. 3. n. 149. (17) P. 169. n. 464. (18) A. 6. n. 4. (19) P. 335. n. 15. (20) L. c. (21) N. 63. (22) N. 26. (23) Dub. 15. n. 3. (24) Cit. n. 149. (25) N. 65. (26) N. 63. (27) N. 511. (28) N. 45. (29) C. 2. reg. prax. 5 (30) N. 464. (31) Loc. c. n. 147. (32) Dub. 15 n. 7. (33) Q. 8. (34) N. 11. (35) Ibid. n. 148 (36) N. 7. (37) N. 1346.

iunio non possent satisfacere suis clientibus, propter studium quo indigent, ita Ronc.[1] Holzm.[2] Elbel[3]. Idem aiunt Salm.[4] de iudicibus qui egent studio ad sententias ferendas. Idem dicunt Sporer[5] Holzm. et Elbel[6] cum Bonac. de medicis et confessariis, qui magno indigent studio, ut suis infirmis aut poenitentibus satisfaciant: hi enim, licet non egeant maiori cibo, cum labor sit mentis, opus tamen habent cibo frequentiori, ut in eis reparetur spirituum consummatio.

7. Confessarii causa confessionum excipiendarum communiter non excusantur; nisi extraordinarium laborem subeant, nempe si confessiones audiant fere per totum diem, puta per septem vel octo horas; ita Palaus[7] Salm.[8] et Ronc.[9]. Sed melius Sanch.[10] Spor.[11] Viva[12] et Diana[13] cum Fag. ad eos excusandos, ultra laborem extraordinarium, requirunt ut ipsi sint ita debiles, ut cum ieiunio non possent satisfacere frequentiae poenitentium; et idem sentit Tamb.[14] ubi insuper notat quod praedicti professores, nempe lectores, cantores, advocati, medici et confessarii, non per se, sed tantum per accidens a ieiunio excusari possunt, nimirum si ratione alicuius gravis circumstantiae suis officiis ieiunando non possint satisfacere. Et hoc maxime advertendum in hac materia, nam ubi labor per se excusat, in dubio praesumptio stat pro exemptione ieiunii; e converso, ubi labor non per se, sed per accidens, nempe ob aliquam circumstantiam debilitatis personae vel gravitatem laboris excusat, in dubio praesumptio stat pro obligatione ieiunii.

Hic autem ultimo animadvertenda est quaedam doctrina, quam tradunt Sporer[15] et Laym.[16] cum Nav. Sylv. Cai. et Tol. quod si quis non habeat causam absolute sufficientem ad eum excusandum a ieiunio quadragesimali, et aliqua ratio ipsi probabilis et iusta appareat, qua tantum bis vel ter in hebdomada ieiunet, non est urgendus ad ieiunandum, etiamsi causa illa non omnino sufficiat, sed relinquendus in sua bona fide, ne ipse forte deinde omnia ieiunia culpabiliter omittat.

1050. An autem peregrinus teneatur ad ieiunium quod servatur in loco ubi reperitur non permanenter, sed per aliquod tempus aut transeunter. Et quid si ibi non servetur ieiunium quod servatur in patria. *V. l. 1. n. 156. v. Hic refert.*

(1) Reg. 3. prax. (2) N. 15. (3) N. 464. (4) Tr. 23. c. 2. p. 7. §. 2. n. 140. (5) N. 59. (6) Locc. cc. (7) N. 11. (8) Ibid. §. 3. n. 150. (9) C. 2. reg. prax. 3. (10) Dub. 13. n. 11. (11) Num. 59. (12) Art. 6. n. 4. (13) P. 1. tr. 9. r. 10. (14) §. 7. n. 25. (15) Num. 67. (16) C. 3. n. 6.

LIBER QUARTUS

DE PRAECEPTIS PARTICULARIBUS CERTO HOMINUM STATUI PROPRIIS

« Cum omnes fideles sicut praecepta decalogi, ita etiam alia praecepta quae pertinent ad statum et officium uniuscuiusque, teneantur scire sub peccato mortali; ita ut ipsa eorum ignorantia vincibilis, licet non sequatur transgressio, sit peccatum mortale (Sylv. Sayr. Sanch. Bald.[17]): hinc post praecepta omnibus communia agendum de propriis certorum statuum in particulari.»

Cap. I. De statu religioso

Dubium I. Quid sit natura status religiosi.

1. *Quid status religionis. Et qui sint religiosi.*
2. *An religiosus promotus ad cardinalatum, vel episcopatum, maneat obstrictus votis.*
3. *An teneatur ad observantiam suae regulae.*
4. *An promotus ad parochiam teneatur ad habitum et regulam.*

1. « Resp. Status religionis est fidelium ad divinae caritatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuae pau-

(17) T. 1. l. 1. d. 9. n. 8. et 9.

pertatis, castitatis et obedientiae, stabilis in communi vivendi modus, ab ecclesia approbatus.

» Dixi *ab ecclesia;* quia, etsi olim episcopi religiones approbare poterant: postea tamen in concilio lateranensi sub Innoc. III. statutum est ne nova religio inducatur, nisi approbata a papa. Ratio est quia, cum religio sit communitas sacra, in qua debet esse spiritualis iurisdictio, haec autem a papa proveniat, decens est ut talis communitas ab eodem approbetur. Laym.[1].»

Unde resolvuntur casus.

« 1. Ad essentiam religionis non requiruntur vota solemnia. Ratio est, quia qui in societate Iesu vota simplicia edunt, sunt veri religiosi, uti definivit Greg. XIII. in bulla, *Ascendente Domino*. Laym. [2].

» 2. Non sunt religiosi ii ordines militares qui coniugalem castitatem tantum vovent: sunt tamen vere religiosi milites s. Ioannis et teutonici, eorumque similes, cum tria vota substantialia habeant. Similiter ex fratribus et sororibus tertiariis sive ordinis s. Francisci, sive aliorum, tantum sunt religiosi qui in religione approbata, secundum certam regulam tria vota substantialia emittunt. Contra autem ii non sunt, qui, licet tria ista emittant, et communiter vel seorsim habitent, regulam tamen a sede apostolica approbatam non profitentur. Laym. [3]

» 3. Religiosi non sunt, qui, edito voto perpetuae paupertatis et castitatis, obedientiam vovent confessario aut episcopo. Ratio est quia tali voto non subiiciuntur iurisdictioni spirituali, quae a Deo, medio eius vicario, provenire debet [4].

» 4. Etsi papa in votis solemnibus religionis dispensare possit ut quis desinat esse religiosus: non potest dispensare tamen ut quis manens religiosus substantialibus votis non teneatur; quia ad essentiam religionis illa spectant. Laym. [5] ex Nav. etc.

2. » 5. Religiosus promotus ad cardinalatum vel episcopatum, obstrictus manet votis essentialibus suae religionis, etsi quoad aliquos effectus paupertatis et obedientiae exemptus censeatur. Deinde, etsi iugo regulae absolutus sit quoad culpam et poenam, tamen ex obligatione moralis honestatis, ea servare debet quae eum decent et cum eius munere consistunt. Hinc quoad habitum, sui ordinis colorem deferre debet, etsi quoad figuram episcopis saecularibus se conformare possit, ut Clemens VIII. concessit apud Sanch. [6]. Imo si episcopatum resignet vel ob culpam deponatur, absque degradatione, tamen non tenetur ad regularem observantiam redire quia retinet eminentiam episcopalem, ob quam ab obedientia regulari exemptus fuit [7] ex s. Th. Rodr. Sanch. etc. Secus est in cardinali religioso qui non est episcopus; hic enim, relicto cardinalatu, nihil retinet ex dignitate cardinalitia; ideoque, si papa eius renuntiationem acceptarit, tenetur redire ad obedientiam regularem sui ordinis. Pal. de Lugo [8].»

Quaeritur igitur 1. An religiosus assumptus ad episcopatum maneat absolutus a votis (Intellige a votis *obedientiae* et *paupertatis*; nam voto castitatis remanet quidem obstrictus ratione ordinis).

Prima sententia affirmat cum Vasq. Sot. Med. Angles; et signanter quoad votum paupertatis, tenent Palac. Tamb. Diana et probabile putant Sanch. Villal. cum Salm. [9] probantque ex *c. unic. statutum caus.* 18. *quaest.* 1. ubi dicitur: *Monachus, quem canonica electio a iugo regulae monasticae professionis absolvit, et sacra ordinatio de monacho episcopum facit.* Ex hoc igitur dicunt liberari a voto obedientiae. Sequitur textus: *Velut legitimus haeres paternam sibi haereditatem postea iure vendicandi potestatem habet.* Si enim dicunt, potest ut legitimus haeres sibi vindicare haereditatem paternam, ergo potest illius verum dominium acqui-

(1) L. 4. t. 5. c. 1. (2) L. cit. n. 4. (3) L. c.
(4) Ib. n. 7. (5) L. cit. n. 8. (6) 6. mor. c. 6.
(7) Ibid. (8) Resp. mor. l. 5. d. 12.
(9) Tr. 15. de stat. rel. c. 5. p. 2. n. 50. et 52.

rere, dum vindicare solis dominis competit. Et sic etiam liberatur a voto paupertatis.

Secunda sententia, quam sequimur, et tenent cum Bus. Less.[1] Palaus[2] Sanchez[3] Suarez[4] Laym.[5] et Salm.[6] cum Bon. Lezan. etc. ac Spor.[7] cum communi, negat episcopos religiosos absolvi a votis, nisi in quantum ipsorum observantia repugnet muneri episcopali. Ratio, tum quia religiosus factus episcopus remanet religiosus, ut omnes fatentur, utque obligatio deferendi habitum[8] ostendit; ergo manet obstrictus votis quae sunt de essentia religionis; iuxta dicta *de voto n.* 244. *v. Quaeritur:* tum quia vota personalia comitantur personam, in quantum sunt compatibilia cum suo statu. Et hanc sententiam expresse tenet s. Th.[9] dicens: *Religiosus qui fit episcopus, sicut non absolvitur a voto continentiae, ita nec a voto paupertatis, quia nihil debet habere tanquam proprium .... Similiter etiam non absolvitur a voto obedientiae, sed per accidens obedire non tenetur, si superiorem non habet; sicu nec abbas monasterii, qui tamen non est a voto obedientiae absolutus.* Et alibi[10] sic explicat textum in *c. statutum*, ut supra oppositum : *Proprium autem* (episcopi regulares) *nullo modo habere possunt: non enim paternam haereditatem vendicant quasi propriam*, *sed quasi ecclesiae debitam.* Et deinde subdit: *Testamentum* (episcopus) *nullo modo facere potest*, *quia sola ei dispensatio committitur rerum ecclesiasticarum, quae morte finitur.* Eodem modo praefatum textum explicat Glossa[11] sic dicens: *Sed obiicitur : si haereditatem vindicat*, *ergo potest habere proprium, cum tamen remaneat monachus*, *quod esse non debet. Sed dicitur sibi, id est ecclesiae suae.* Et idem videtur expresse sancitum in ipso canone citato, ubi in fine dicitur: *Postquam enim episcopus ordinatur ad altare, ad quod sanctificatur ac titulatur*, *secundum sacros canones quod acquirere poterit*, *restituat.* Ex quo Salm.[12] cum s. Th. inferunt 1. episcopum regularem non posse de ullis bonis testari. Inferunt 2. cum s. Bon. Sanch. Nav. et Lez. quod praedicti episcopi regulares possunt quidem ut alii episcopi disponere de bonis ecclesiae ad moderatam ipsorum sustentationem, sed non ad alia; nam superflua debent in eleemosynas et pia opera erogare; nisi aliquid ipsi acquisierint parcius vivendo: praesumitur enim tunc ecclesia concedere quod de eo libere ipsi disponant; ita Salm.[13] cum Nav. Less. Mol. Sanch. etc.

3. Quaer. 2. Utrum episcopus regularis teneatur ad observantiam suae regulae. Resp. cum Bus. et Salmant.[14] et[15] Cai. Val. Bon. Pal. Sanch. Sot. Suar. Less. contra alios, probabilius esse quod ipsi sub nulla culpa sint ad regulam obligati, sed solum ex honestatis debito, quod autem debitum ne sub levi quidem obligat, ut docent[16] Less. Sot. Pal. Sanch. etc. Ratio, quia episcopus regularis absolute a iugo regulae liberatur, ut ex *d. c. unic.* ubi dicitur: *Monachus, quem canonica electio a iugo regulae monasticae professionis absolvit, etc.*

Ab aliis autem votis propriis alicuius religionis episcopus regularis omnino liberatur, ut Salm.[17] cum Sanc. Pal. etc.

Nota, quod abbates, propriam dioecesim habentes cum iurisdictione episcopali, sunt in omnibus episcopis similes. Communiter Salm.[18] cum Pal. Sanch. etc.

4. « 6. Religiosus ad parochiam promotus, cum votis adstrictus maneat, tenetur deferre habitum religionis, regulamque observare in omnibus quae cum suo munere consistere possunt. Idque non tantum secundum moralem honestatem, sed sub obligatione gravis culpae, si ad eam regula obliget (Ita probabilius Salm.[19] cum Sanch. Pell.

(1) D. c. 40. n. 113. (2) T. 3. tr. 16. d. 4. p. 14. n. 4. (3) L. 6. dec. c. 6. n. 2. (4) De rel. t. 4. tr. 8. l. 3. c. 17. n. 1. (5) L. 4. tr. 5. c. 2. n. 9. (6) L. c. n. 31. (7) T. 3. de statu rel. p. 87. n. 165. (8) Ex c. Clerici, officia 15. de vita et hon. cler.

(9) 2. 2. q. 88. a. 11. ad 4. (10) Q. 185. a. 8. ad 3. (11) V. Legitimus. (12) Ib. n. 32. (13) Eod. n. 32. (14) De stat. rel. c. 5. punct. 2. n. 35. (15) Ibid. (16) Ibid. (17) Ibid. ex n. 35. (18) Ibid. n. 29. (19) Loc. cit. n. 40.

Bon. etc. contra Suar. et Pal. dicentes teneri ad vota, sed non ad observantiam regulae). Ita Laym.[1] qui addit, etsi parochus religiosus in iis quae ad regulam spectant subiectus maneat superiori: iam tamen consuetudine multis locis observari, ut non tantum in pertinentibus ad disciplinam ecclesiasticam, sed etiam in plerisque aliis, ab obedientia praelati eximatur et episcopo subiiciatur. Vide Sanch.[2].

DUBIUM II. Quae requirantur ad valorem professionis religiosae.

5. *Quae conditiones requirantur ad professionem religiosam.* 1. *Aptitudo voventis. Quid de aetate et exploratione puellarum suscipientium habitum religiosum.*
6. 2. *Requiritur consensus praelati ordinis.*
7. 3. *Ut professio sit spontanea.*
8. *Quomodo et quando professus possit reclamare de nullitate suae professionis.*

5. « Resp. Ad valorem eius tres requiruntur conditiones: 1. Est qualitas seu aptitudo voventis, scil. ut, iuxta Trident.[3] decimum sextum aetatis annum expleverit, annumque integrum cum religioso habitu steterit in probatione, nullumque habeat impedimentum quod per statuta a pontifice confirmata, in isto ordine substantiale esse censeatur. Azor.[4] Rodriq.[5].

Quoad moniales, Tridentinum statuit quod puellae non suscipiant habitum regularem ante 12. annum completum: unde nequeunt antea suscipere, ut tenet Alex.[6] cum Tamb. Rodr. Naldo (contra Sanch.[7] Vill. etc.), et affert declar. s. c. Exploranda autem est voluntas puellarum ante susceptionem habitus et ante professionem ab episcopo, vel, eo impedito, a vicario vel alio deputato. Si utraque exploratio omitteretur esset culpa gravis, sed valeret professio, ut de Alex.[8] cum Sanchez Barb. cum declaratione s. c. et Salm.[9] qui notant explorationem hanc ex consuetudine fieri, et semel et tantum ante professionem intra 15. dies. Episcopus autem explorare potest et debet voluntatem puellarum etiam in monasteriis exemptis, ut Salm.[10].

6. » 2. Conditio est consensus, et acceptatio expressa vel tacita praelati ordinis, per hanc enim religioni incorporari debet. (Error circa substantiam tam ex parte profitentis quam admittentis, vitiat professionem, Salm.[11]). Idque ordinarie, non tantum cum consilio, sed etiam cum consensu capituli, aut certe maioris aut principalioris partis, secundum cuiuscumque ordinis statuta. Nav. Less.[12].

7. » 3. Ut professio sponte facta sit, non cogente gravi metu, qualis esset incarceratio, alimentorum subtractio, eo quod in professionem consentire noluerit. Itemque metus reverentialis, non quidem se solo, sed accedente precum, blanditiarum et imperii saepius repetita importunitate, aut gravi offensione, aut diu continuata indignatione consanguineorum, adiunctis etiam minis de subsidiis negandis, si ex religione egrediatur; haec enim vel singula, vel certe simul iuncta, considerata conditione hominis rudis, timidi, et metum iustum incutere possunt, et professionem irritare, ut docet Laym. cum aliis[13] Less.[14] (*Vide dicenda de matrim. lib. 6. n. 1055.* Professio enim et matrimonium aequiparantur; ac Salmant.[15]).

Unde resolvuntur sequentes casus:

8. » 1. Is qui professionem irritam edidit, ex defectu alicuius conditionis ex iam dictis, nisi eam postmodum tacite vel expresse ratificaverit, egredi e religione et uxorem ducere potest: licet, ob vitationem scandali causam egressus dicere debeat, et si ad forum externum causa deveniat, defectum professionis probare; hoc autem fieri debet intra quinquennium a die professionis; post illud enim non auditur, iuxta Trid.[16] quia praesumitur eam interea ratificasse.

» 2. Quod si tamen sciret illam iuris praesumptionem falsam esse, eo quod vel ignorans impedimentum, vel me-

(1) L. 4. t. 5. c. 1. n. 11. et 12. (2) L. 6. mor. c. 6. n. 36. (3) Sess. 25. c. 13. de regularibus. (4) T. 1. l. 12. c. 2. q. 6. et 7. (5) T. 2. c. 6. (6) Conf. mon. c. 2. §. 1. q. 10. (7) L. 4. dec. c. 18. n. 33. (8) Loc. c. (9) De privil. tr. 18. c. 3. punct. 1. §. 2. n. 14. (10) Ibid. (11) Tr. 15. de stat. rel. c. 4. p. 3. n. 27. (12) C. 41. d. 7 (13) L. 4. tr. 5. c. 3. (14) L. 2. c. 43. dist. 7. (15) Loc. c. n. 26. (16) C. 19. sess. ead.

tu gravi, aliave iusta causa impeditus reclamare intra quinquennium non potuerit; vel impedimentum sit essentiale ac perpetuum, aut saltem ultra quinquennium duret, eo elapso potest reclamare, debetque audiri in iudicio, saltem extraordinario, vel in integrum restitui, ut contra Bon.[1] docent Navarr. Sanch.[2] Less.[3] Azor.[4] Diana[5] Barb.[6] qui plures alios citat: et nisi aliud quid impediat, fugere potest, ut docet Lay. Qui addit, si fuga sine gravi scandalo vel incommodo tentari non posset, monendum a confessario, ut professionem tacite ratificet: quod fiet, si professorum habitum proprium deferat, actusque iis proprios exerceat, cum intentione, quod professus talis ordinis esse velit. Vide auct. cit. et Diana[7] qui ex Trid.[8] probat episcopum de nullitate professionis sine interventione superioris regularis sententiam ferre non posse; et si faciet, fore nullam. (Ita Salm.[9] comm. Dubius de sua professione nequit reclamare. Salm.[10] cum Pel. et Lez. quia religio possidet: intellige, si dubium superveniat. Nec creditur reclamanti, nisi probet ficte consensisse[11] Salm.[12].»

Hic addenda quae nuper sancita sunt a Bened. XIV. in sua bulla quae incipit: *Si datam hominibus*. Ibi statuitur 1. omnia quae decreta sunt de viris religiosis, comprehendere etiam foeminas, ubi eadem causa militat. 2. Causa nullitatis professionis agnoscendas esse a praelato regulari tempore motae litis, et simul ab ordinario; pro monialibus vero non exemptis a solo ordinario, et pro exemptis simul ab ordinario et a praelato cui regimen monasterii commissum est. 3. Non posse praelatum eiicere professum, nisi cognita causa per ipsum et ordinarium ut supra, casu quo agnoverit postea impedimentum, etiamsi de eo subditum interrogaverit, nullam alias professionem fore protestatus, et ille occultaverit. 4. Posse causam nullitatis agi etiam, elapso quinquennio, si intra illud professus serio reclamaverit. 5. Cognitionem causae ad sedem apostolicam pertinere, si professio emissa fuerit extra novitiatum. 6. Apostatas repelli a iudicio, nisi habitum religionis reassumpserint. 7. Non posse professum praetendere annullationem suae professionis ratione vis aut metus illati, si intra quinquennium non reclamaverit, tametsi allegaret vim et metum semper durasse. Concedi tamen huic restitutionem in integrum dandam tantum per sedem apostolicam, praevio processu confecto a suo praelato et ordinario, cum assistentia defensoris professionis qui debet etiam Romae assistere. 8. Post primam sententiam professum non posse egredi a religione, sed debere expectare secundam, post appellationem faciendam a defensore[13].

DUBIUM III. Ad quid teneatur religiosus vi suae professionis.

9. *De obligatione religiosi tendendi ad perfectionem.*
10. *Quando religiosus peccet graviter contra hanc obligationem.*
11. *An peccet graviter, si intendat servare sola mandata obligantia sub gravi.*
12. *An quilibet christianus graviter peccet, si proponat committere omnia venialia.*
13. *An praelatus aliquando peccet graviter, negligendo corrigere defectus leves subditorum.*

9. « Resp. Religiosus vi suae professionis tenetur ad progrediendum aliquo modo in via perfectionis, quia ex vi professionis tenetur velle servare suum statum, qui est perfectionis, sive tendentium ad perfectionem (licet secundum se non sit praecepti, sed consilii); hoc autem est intrinsece velle tendere ad perfectionem, s. Th.[14] Lay.[15] Suar.[16] Bard.[17].

Unde resolves:

» 1. Religiosus non tenetur actu esse perfectus, sed tantum studere perfectioni. Bard. etc.[18].

» 2. Tenetur tendere ad perfectio-

(1) De claus. d. 4. q. 2. p. 16. (2) D. 32. n. 22. (3) L. 2. c. 41. d. 7. (4) L. 12. c. 4. q. ult. (5) P. 3. t. 2. r. 53. (6) In Trid. s. 25. c. 19. n. 8. (7) P. 8. t. 7. r. 51. (8) S. 25. c. 19. (9) De st. rel. tr. 15. c. 5. p. 1. §. 1. n. 15. (10) Ib. n. 8. (11) Ex c. Si quis 2. de reg. (12) Ib. n. 9.
(13) Nota hic obiter quamdam doctrinam sequentem in corpore omissam: Religiosus iniuste denegans suffragium novitio peccat, et tenetur ad restitutionem. ut dicunt Spor. *dec. tr.* 5. *c.* 1. *n.* 139. Lugo *d.* 9. *n.* 54. et Holzm. *t.* 1. *p.* 614. *n.* 471. cum aliis communissime; nisi adsit gravis causa reprobandi, nempe infirmitatis, malae indolis, defectus talentorum et similium, ita ut putetur futurus gravis religioni. S. Alph. in indice rer. (14) 2. 2. q. 186. a. 1. et 2. et q. 184. a. 5. (15) L. 3. tr. 5. c. 2. n. 1. (16) De rel. t. 4. l. 1. c. 4. (17) De consid. d. 7. c. 6. § 3. (18) L. c.

nem 1. Per media essentialia. 2. Per vota. 3. Per auxilia secundaria, non contemnendo ea. Laym.[1]. 4. Tenetur aliquibus mediis uti, et, si omnia media abiiciat, non est in statu salutis. Suar. Laym.[2] dicens, si nullum perfectionis studium adhibeat, sed omnia monita et regulas negligat, eo quod sub mortali non obligent, peccare mortaliter. 5. Tenetur ad aliqua opera bona super erogatoria, sive specialiter non praecepta nec promissa: quia alias, moraliter loquendo, non potest habere debitam intentionem salutis. Suar.[3].

» 3. Tenetur tendere ad perfectionem per media suae religionis, non per alia: hoc est, servando suas regulas. Sanch.[4]. Hinc peccat, 1. per contemptum regulae, hoc est, si nolit subiici[5]. 2. Si tantum velit servare, quae sub mortali obligant; quia contemnit perfectionem[6]. 3. Per actum directe contrarium, hoc est, nolendo perfectionem; quod esse mortale docent Sanch.[7] Pelliz. et Bard.[8].

» 4. Si quis non tantum intendat non esse sollicitus in observatione regulae, sed etiam nunquam servare, etiamsi facile possit, est mortale, vel proxima dispositio ad illud, vixque potest fieri sine contemptu formali. Suar.[9].

» 5. Si ex remissione animi et sine ullo iusto titulo, per directam intentionem, velit aliquam regulam non servare, erit saltem levis contemptus et peccatum veniale. Suar.[10].

» 6. Frequenter et ex consuetudine violare regulam, esse mortale dicit Sanchez[11] tum quia perturbat religiosam disciplinam; tum quia secundum quosdam est contemptus interpretativus, seu saltem probabilissimum eius periculum: tenetur autem sub mortali ita vivere, ut non sit graviter perniciosus religioni, inducendo alios malo exemplo ad regulae laxitatem, Sanchez[12] Laym.[13]; tum quia constituit se in eo statu, ut tanquam incorrigibilis sit expellendus: tenetur autem quisque ratione votorum quibus se religioni addixit, ita se gerere, ut sit tolerabilis et non mereatur expelli; at qui nullum conatum perfectionis adhibendo, regulas sine discrimine transgreditur, reddit se intolerabilem, ut debeat expelli, aut si toleretur plurimum nocet: ergo per accidens et indirecte agit contra professionem, peccatque mortaliter. Sanch.[14]. *Vide auctor. cit.*

» 7. Religiosus societatis Iesu peccat mortaliter, si non adhibet diligentiam in cavendis defectibus, ob quos se dimittendum vel eiiciendum praevidet: et licet ita dimissus sit liber in conscientia, si tamen sit dimissus ob fraudem, vel peccata in eum finem commissa, irrita est dimissio, utpote obtenta per dolum dantem ipsi causam (sicut in matrimonio et caeteris contractibus) unde subiacet poenis apostatarum. Bon.[15].

» 8, Scholasticus societatis Iesu, qui pravis moribus de industria dimissionem extorsit, vel falsis allegationibus impetravit, non est liber a votis. Les.[16] Sanch.[17] Laym.[18].»

10. Pro maiore huius puncti intelligentia quaeritur: Quandonam religiosus, contra obligationem hanc tendendi ad perfectionem graviter peccet. Respond. 1. Peccat graviter quando regulas, etsi ad culpam venialem tantum vel nullam obligantes, ex contemptu transgreditur; est commune cum s. Thoma[19] Salmantic.[20] etc. Tunc autem religiosus censetur regulas praetermittere ex contemptu, quando illas transgreditur animo non subiacendi illis, vel praelatorum praeceptis. Ita Busemb. *supra num.* 3. cum Sanchez et Less.[21] Salmanticens.[22] cum Lezan. Item, si eas omittat servare tanquam inanes, non vero, si omittat ex concupiscentia ductus, vel quia putat illas sibi non esse necessarias ad salutem, vel si iudicet eas non praecipi

(1) Loc. c. c. 9. n. 13. (2) Loc. c. (3) Loc. c. (4) Lib. 6. c. 5. n. 1. et 2. (5) Ibid. n. 6. (6) Ib. n 7. (7) N. 10. (8) L. c. (9) Loc. c. n. 24. (10) Loc. c. (11) L. 6. mor. c. 4. n. 18. et 20. (12) N. 18. (13) C. 9. n. 13. (14) C. 4. n. 18. (15) De claus. q. 1. p. 12. §. 1. (16) L. 2. c. 41. d. 15. (17) L. 6. c. 9. n. 99. (18) L. 5. t. 5. c. 9. n. 13. (19) 2. 2. quaest. 186. a. 2. et 9 (20) De stat. rel. tr. 15. c. 1. punct. 2. n. 20. (21) L. 2. c. 41. n. 76. (22) Cit. n. 20

sub gravi. Ita s. Thom. [1] Sanch. [2] Salmant. [3] cum Pal. Ant. a Spirit. s. Ideo transgredi regulas in rebus parvae materiae, etiam ex consuetudine, veniale non excedit, ut Salm. [4] cum Lez. Azor. Garcia et de Alexandro [5] cum s. Th. [6]. Sed vix unquam transgressio a veniali excusabitur, etiamsi regula ad nullam culpam obligaret, ut recte notat de Alexandro [7] et Laym. [8] cum Vasq. Sanchez et Val. ex d. Thom. [9] qui ait: *Qui tamen possent venialiter vel mortaliter peccare ex negligentia vel libidine seu contemptu*. E converso dicit Layman [10] cum aa. cit. quod si quis aliquam transgreditur regulam ex bono fine, puta regulam silentii, loquendo ut socium moestum soletur, nullo modo peccat.

Resp. 2. Peccat mortaliter religiosus qui firmiter statuit non tendere ad perfectionem, vel nullo modo de ea curare. Sanch. [11] Salm. [12] cum Pelliz. Lez. Anton. a Spir. s. et de Alex. [13].

Resp. 3. Peccat graviter ratione scandali, si suo exemplo alios inducat ad regulae relaxationem. Salmant.[14] cum Sanch. Sylv. Lez. Pell. Sed hoc intelligendum si materia sit gravis, ut notant Salm.[15] cum Anton. a Spir. s. Et hic expedit perpendere verba Sanch. [16] qui sic docet: ***Religiosus tenetur sub mortali taliter vivere**, **ut non sit graviter suae religioni perniciosus**, **inducendo alios suo pravo exemplo ad nimis relaxandam regulam**, **ut esset**, **si nollet unquam servare silentium**, **nec orare**, **nec modeste incedere, et ingrederetur omnium religiosorum cubicula**, **et similia religionis statuta transgrederetur**.*

11. His positis, quaeritur 1. An peccet graviter religiosus qui intendit servare tantum mandata obligantia sub gravi, alia vero statuat omnia transgredi vel de iis non curare.

Prima sententia probabiliter affirmat, quia ipsum propositum non curandi de regulis, etsi praecipientibus tantum sub levi, est virtualis de iis contemptus. Ita Croix [17] Elb.[18] item Lez. Sylv. Barb. Escob. etc. ap. Salm. [19].

Secunda sententia tamen communior et probabilior negat talem peccare graviter. Ita Sanch. [20] Salm. [21] cum Azor. Pal. Val. Suar. Peyrin. Pelliz. etc. Et idem expresse docet s. Th. [22] qui tunc damnat de mortali religiosum, cum vel transgreditur regulam ex contemptu (intelligitur quidem formali); vel agit contra regulam, aut praelati expressum praeceptum, obligans, ut intelligitur, sub gravi. Ratio, quia eo ipso quod religiosus velit servare praecepta quae respectu ipsius obligant sub gravi, cum ista de se et respectu aliorum sint mera consilia, volens ea servare, iam tendit ad perfectionem.

Hoc tamen intellige, quod sic ille excusabitur a mortali, ratione huius praecisae obligationis quam habet tendendi ad perfectionem; nam difficillime excusabitur quidem ex aliis capitibus, nempe ratione periculi transgrediendi vota, vel grave damnum religioni inferendi quoad regularem disciplinam etc., quae omnia (ut docet Sanchez [23]) est moraliter impossibile evitari ab eo qui propositum habet transgrediendi vel negligendi omnia statuta sub gravi non obligantia.

12. Quaeritur autem hic obiter 2. an quilibet christianus graviter peccet si proponat committere omnia venialia. Affirmant Sanch.[24] et Bon. quia, ut docet s. Th., venialia de se disponunt ad mortale. Negant vero probabilius Pal. et Anton. a Spir. s. apud Salm. [25] (secluso tamen contemptu, vel periculo proximo labendi in mortale, habito respectu ad praeteritam experientiam). Ratio quia revera tale propositum tantum remote conducit ad mortale.

13. Quaeritur 3. An praelatus aliquando, defectus leves subditorum corrigere negligens, ipse graviter peccet. Affirmative tenendum (contra Lorca)

(1) 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3. (2) Dec. lib. 6. c. 5. n. 1. (3) Loc. cit. (4) Ibid. (5) Conf. mon. c. 1. §. 2. q. 11. (6) 2. 2. q. 186. a. 5. ad 3. (7) D. c. 1. §. 2. q. 1. (8) L. 4. tr. 5. c. 9. n. 8. (9) L. c. a. 9. ad 1. (10) Ib. (11) D. c. 5. n. 10.

(12) Ib. n. 21. (13) C. 1. §. 1. q. 111. (14) D. n. 21. (15) Ib. (16) Dec. l. 6. c. 4. n. 17. (17) L. 4. ex n. 57. (18) T. 2. p. 612. n. 592. (19) Tr. 15. c. 1. p. 2. n. 23. (20) L. 6. c. 5. n. 9. et c. 4. n. 18. (21) Loc. c. n. 24. (22) D. q. 186. a. 9. in corp. (23) L. c. (24) D. c. 5. n. 4. (25) Ib. n. 29.

cum Lugo Trull. Peyr. Diana et de Alexandro [1] communiter, casu quo defectus plures sint, et tales (v. gr. circa silentium, ieiunia etc.) ut disciplinam valeant relaxare. Ratio quia licet quisque religiosus non deficiat in re gravi levem regulam transgrediendo; superior tamen negligens impedire, cum possit, observantiae relaxationem, deficit in re gravi. Et ideo tenetur defectus subditorum in damnum totius communitatis vergentes non solum corrigere, sed etiam inquirere, ut corrigat, prout docet s. Thom. [2] sine tamen nimia sollicitudine, ut notat Alex. [3]. Expedit autem, ut aliquando corrigere dissimulet, si defectus scandalum non afferant, vel si praevideat subditum ex correctione peiorem fieri, vel si tempus opportunius sit expectandum. Et hic advertendum quod, si oportet ad corrigendum, superior potest subditum etiam verberare et conviciis increpare ex d. Th. [4] modo non agat ex ira, nec coram saecularibus aut novitiis. Et sicut superior tenetur corrigere, sic de transgressionibus aliorum tenetur ipsum admonere qui officium zelatoris habet. Alex. [5] cum Suar. etc.

DUBIUM IV. Ad quid religiosus obligetur vi votorum.

14. *Ad quid obligetur religiosus ex voto* paupertatis. *An manuscripta, reliquiae et picturae sint propriae religiosorum.*
15. *An possint habere peculium.*
16. *Quae non repugnant voto paupertatis.*
17. *An et quomodo peccet religiosus accipiens vel absumens sine consensu superioris.*
18. *An excuset a mortali licentia praesumpta.*
19. *An peccet religiosus absumens bona in alium usum, quam ei sunt data.*
20. *An possit renunciare vel non acceptare sibi debita.*
21. *An facere donationes remuneratorias.*
22. *An testari.*
23. *An aliis largiri, quod sibi subtraxit ex sibi concessis ad usum.*
24. *Quaenam quantitas in religioso sit gravis.*
25. *An peccet graviter, si accipiat parva usque ad magnam quantitatem.*
26. *An impotens restituere teneatur sibi subtrahere ex rebus datis ad usum.*
27. *An peccet mutuans res ad usum concessas.*
28. *An abscondens res, ne superior de eis disponat.*
29. *Quid si praelatus det licentiam ad expendendum ad usus turpes aut vanos.*
30. *An haec licentia sit de se invalida.*
31. *An subditus, obtenta licentia generali, peccet contra paupertatem, et teneatur restituere, tam ipse, quam accipiens, si expendat in usus turpes.*
32. *An superior possit dare licentiam aliquid ludo exponendi.*
33. *An excuset licentia petita, et iniuste negata.*
34. *An accipiens aliquid a religioso sine licentia, possit aliquando id retinere.*
35. *An votum paupertatis possit per consuetudinem abrogari.*
36. *An abbatissa possit libere bona monasterii administrare. An instituere beneficia, et ea auferre; necnon conferre capellanias etc.*
37. *De voto* castitatis; *hic etiam agitur de* clausura *religiosorum.*
38. *Ad quid obligetur religiosus ex voto* obedientiae. *Et an teneatur subditus obedire sub gravi, si praelatus non iubeat in virtute obedientiae, vel sub poena gravi.*
39. *An teneatur ad ea quae indirecte pertinent ad regulam.*
40. *An ad ea quae sunt contra, vel supra regulam. An teneatur assistere morbo contagioso infectis.*
41. *Quid, si regula obliget sub peccato.*
42. *Quid si non sub peccato.*
43. *An obligentur religiosi ad nova statuta capitulorum.*
44. *An teneatur obedire praelatis regulam reformantibus.*
45. *An praelati possint praecipere sub peccato actus internos.*
46. *An religiosus non obediendo dupliciter peccet.*
47. *An teneatur obedire, si dubitat, utrum res praecepta sit licita. Quid, si habeat opinionem probabilem, quod non teneatur.*
48. *An religiosus valide voveat sine licentia praelati.*
49. *An teneatur obedire praelato iubenti revelare secretum commissum.*
50. *An religiosus teneatur ad vota in professione emissa, etiamsi superveniat aliqua notabilis circumstantia non praevisa. An valeat licentia impetrata a praelato inferiori, si a maiori fuerit prius denegata.*
51. *Moniales quibus superioribus teneantur obedire.*
52. *An abbatissa possit ipsis praecipere, obligando in conscientia.*
53. *An cum ipsis dispensare in regulis et votis.*
54. *An irritare vota emissa cum suo consensu.*
55. *An vota novitiarum.*
56. *Plura notanda circa obedientiam monialium debitam episcopo.*
57. *An moniales in actu visitationis teneantur revelare transgressiones aliarum episcopo interroganti.*
58. *De confessariis monialium remissive.*
59. *Plura notanda de electione abbatissae.*
60. *De privilegiis regularium et monialium. An moniales gaudeant privilegiis religiosorum eiusdem ordinis.*
61. *Et 1. An abbatissae possint dispensare in ieiuniis, officio etc. 2. An moniales possint absolvi ab episcopo. 3. An omnes regulares possint divina peragere tempore interdicti.*

(1) Conf. mon. c. 11. §. 1. q. 1.
(2) 2. 2. q. 33. a. 2. ad 4.
(3) L. c. q. 15.
(4) 2. 2. q. 72. a. 2. ad 2
(5) C. 11. §. 2. q. 8.

14. « Resp. 1. Religiosus ex voto *paupertatis* obligatur ut nihil habeat proprium. Nomine *proprii* autem intelliguntur bona temporalia pretio aestimabilia, quorum dominium, vel certe facultatem disponendi liberam et independentem in perpetuum abdicavit [1].

» Dicitur 1. *Bona temporalia*, quia retinet religiosus dominium bonorum spiritualium, honoris, famae, et similium. Item ius eligendi, praesentandi, conferendi regulare beneficium, etc. s. Thom. [2] Sanch. [3] Less. [4] Laym. [5].»

Quaeritur hic an manuscripta sint propria religiosorum. Negat Henn. cum aliis apud Cont. Tourn. [6] tum quia, ut ait, manuscripta saepe sunt pretiosiora libris impressis, tum quia sicut picturae et quaelibet arte facta a religiosis, etsi postulent multum ingenii, religioni cedunt, ita et manuscripta. Sed probabilius affirmant communissime Lugo [7] Sporer [8] et Salm. [9] cum Pelliz. Diana etc. tum quia manuscripta sunt quid spirituale, cum sint partus ingenii, quamvis alieno studio elaborata; tum quia pertinent ad scientiam, quae non cadit sub voto paupertatis; tum quia talis est communis consuetudo. Hinc (ut dicemus *n. seq. vers. Ita respectu*) ex brevi Benedicti XIII. religiosi promoti ad episcopatum debent omnia bona suis superioribus resignare, praeter manuscripta. Et insuper Clemens VIII. apud Spor.[10] expresse declaravit quod religiosi possunt ad suum arbitrium sua manuscripta alienare, etiam sine licentia. Idem sentit Contin. Tourn.[11] dummodo (excipit cum aliis) non sit aliter definitum in ordinis constitutionibus. Idem, quod de manuscriptis, dicunt Salm.[12] de reliquiis. Quoad picturas vero; si religiosus eas elaboravit animo retinendi, illae sunt monasterii. Idem dicendum, si religiosus sit conversus, quia tales conversi ad hoc tantum recipiuntur, ut artes externas exercitent; excipitur, si conversus eas faciat die festivo, per unam aut alteram horam in die elaborando: ita Salm.[13]. Si autem religiosus sit chorista, distinguunt iidem Salm.[14] et Spor. cum Bonac. Pell. et Diana apud Croix [15] et dicunt quod si tabulae, tela, colores etc. tradantur ei a monasterio, tunc picturae ad monasterium pertinent: secus, si illa praestentur ab aliis.

« Dicitur 2. *dominium vel facultatem disponendi*, propter religiosos societatis Iesu, qui post emissa vota retinent, et acquirere possunt dominium radicale bonorum temporalium, non tamen habent ius actuale de iis pro suo arbitrio disponendi vel utendi, in cuius abdicatione essentia religiosae paupertatis consistit. Sanch. Laym. [16].

» Dicitur 3. *independentem*, quia religiosus, etiam professus, potest habere peculium dependens et revocabile ad nutum superioris, quod nomine proprii non comprehenditur. Laym. [17].»

15. An religiosis licitum sit habere peculium ex superioris licentia. Est hic distinguendum ius antiquum a iure novo concilii tridentini. De iure antiquo alii, ut Gerson Theodor. Felin. Tap. etc. ap. Sanch. [18] negant licitum esse ullum peculium habere. Ratio tum quia hoc est contra ius naturale, nempe contra votum paupertatis religiosae, cum ex administratione peculii religiosus iacturam facit praecipuarum utilitatum paupertatis; tum quia est contra ius positivum ab ecclesia in concil. lateranensi statutum in *cap. Monachi*, *de statu monach.* ubi sancitum fuit: *Monachi non pretio recipiantur, nec peculium permittantur habere.* Alii vero probabilius tenent id non esse vetitum ex iure antiquo, ut censent Sylvest.[19] Nav.[20] Pal.[21] Sanch.[22] Salm.[23] qui dicunt hanc esse

(1) Ex c. Non dicatis 11. caus. 12. q. 1. et c. Monachi 2. de stat. mon. (2) 2. 2. q. 186. a. 7. (3) L. 7. c. 18. (4) L. 2. c. 4. d. 5. (5) L. 4. t. 5. c. 7. (6) De praecip. statuum obl. p. 2. c. 2. a. 2. in med. n. 9. (7) D. 3. n. 230. (8) T. 3. de statu rel. p. 97. n. 149. (9) De iust. et iur. tr. 12. c. 2. p. 12. §. 4. n. 193.

(10) Loc. c. (11) Loc. c. (12) Ibid. n. 194. (13) Loc. c. n. 197. et 198. (14) Ib. (15) L. 4. n. 232. (16) L. c. n. 3. (17) C. 7. n. 12. (18) Dec. l. 7. c. 22. n. 4. (19) V. Abbas, n. 3. (20) Com. 2. n. 14 (21) T. 3. tr. 16. d. 3. p. 7. n. 2. (22) L. c. n. 5. (23) Tr. 12. c. 2. p. 12. §. 4. n. 200.

receptam sententiam, et Felix Potest. [1] ait esse communem cum s. Ant. Suar. etc. ac b. Humberto [2] et b. Iordano [3]. Ratio, quia hoc neque est contra ius naturale, cum licet id adversetur fini paupertatis, non tamen est contra paupertatis votum, quod solum religiosos obligat ne rebus ut propriis utantur: neque est contra ius positivum, cum ex ipso potius contrarium appareat; nam in *c. fin. Insinuante*, *Qui clerici vel voventes*, approbatur professio facta sub conditione vivendi in propria domo, ibique retinendi administrationem bonorum in sui sustentationem. Ex quo infertur retentionem peculii non esse contra votum paupertatis, neque contra statum religiosum. Nec obstat textus oppositus in *d. cap. Monachi;* etenim, ne dicantur canones inter se contradici, probabiliter ait p. Milante [4] nomine peculii ibi intelligi appropriationem fundorum, quae tunc temporis monachi ex massa communi sibi abdicaverant, ut probat ex Petro Blessensi et Thomassino; idque solum vetitum fuisse ostendit a conc. lateranensi.

Sed maius dubium est, an peculia sint vetita ex iure novo.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Pal. [5] Suar. [6] Pont. [7] Scholast. [8] Laym. [9] Holz. [10] et Salm. [11] cum Vasq. Valent. etc. Idem enixe tuetur p. Concina [12], qui erudite quidem loquitur, sed plus quam par est invehit contra religiosos, quodcumque minimum peculium habentes; hos enim vocat (ut refert p. Carratinus in alio libro contra Concinam edito) filios irae, filios perditionis, infames violatores paupertatis; ac perinde dicit eos esse in aeternae damnationis periculo, et superiores gravissimi peccati reos esse, nisi studeant vitam communem, ubi collapsa est, restaurare, nec posse regulares in iis conventibus bona conscientia manere, ubi non viget vita communis, sed transire debere ad monasteria vitam communem observantia, sive proprii sive alterius ordinis, si aditus pateat; item iuvenes religionem ingredientes, ubi vita communis obsolevit, se exponere periculo aeternae salutis: graviterque peccare superiores eos acceptantes, et qui consilio aut favore illos inducunt ad ingrediendum, uti etiam parentes filios ab ingressu pro viribus non avertentes; quia (ut ait), ubi vita communis sublata est, religio non est religio, nec status perfectionis, sed confusionis et damnationis. Ita doctus praefatus auctor, sed nimis severus iudex. At veniamus ad quaestionem; haec prima sententia probatur ex decreto Trid. [13] ubi sic dicitur: *Nemini igitur regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum, seu conventuum ad solos officiales eorumdem, ad nutum superioris amovibiles, pertineat. Mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit; nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur. Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio activa et passiva voce privatus sit, atque etiam iuxta suae regulae et ordinis constitutiones puniatur.*

Secunda sententia vero, quam tenent Nav. [14] Sa [15] Sanch. [16] Barb. [17] Cabass. [18] de Alexand. [19] cum Pelliz. Rodr. Peyrin. Vill. etc. et p. Milante cum aliis,

(1) De 1. pr. n. 1082. (2) C. 18. in reg. s. Aug. (3) L. 3. de vitiis fratrum, c. 13. (4) In lib. cui tit. Vindiciae regul. (5) D. disp. 3. p. 7. n. 5. (6) T. 3. de relig. tr. 8. c. 14. n. 8. (7) Q. 9. (8) C. 4. (9) L. 4. tr. 5. c. 7. n. 13. (10) T. 1. de praec. part. p. 405. n. 616. (11) Tr. 12. c. 2. p. 12. §. 4. n. 202. (12) In op. de disc. apostol. monast. diss. theol. (13) Sess. 25. c. 2. de regul. (14) Comment. 2. n. 15. (15) V. Religio, n. 48 (16) L. c. n. 11. (17) In c. l. Trid. (18) T. 1. l. 1. c. 22. (19) Conf. monial. c. 4. §. 2. q. 1. et 4.

dicit concilium nihil novi statuisse, quam quod de iure communi statutum erat. Praecipit quidem concilium (ut aiunt), nullum religiosum posse habere peculium cum dominio utili, ita ut illud sine licentia praelati distrahere possit, vel saltem nulli licere sine iusta causa habere, sed non prohibuit ut superior ex iusta causa possit usum peculii religioso concedere dependenter a suo arbitrio, sicut et usum aliarum rerum monasterii ipsi concedere potest.

His tamen non obstantibus, prima sententia probabilior videtur, spectata sanctione concilii. Ducor primo ex illis verbis: *Nemini liceat bona immobilia vel mobilia... etiam nomine conventus possidere.* Ergo non licet qualecumque peculium tenere, nec etiam ex consensu superioris; non enim aliter poterit monachus dici bona habere *nomine conventus*, nisi ea concedantur ipsi a praelato qui vices conventus repraesentat. Quod autem dicitur, hoc intelligi *sine iusta causa*, id omnino gratis videtur asseri; tanto magis cum ibi subdatur, quod *bona statim superiori tradantur, conventuique incorporentur;* quod verbum *incorporentur* denotat bona illa fieri communia, et ad usum totius conventus destinari. Item moveor ex verbis illis: *Administratio bonorum ad solos officiales pertineat; mobilium vero usum ita superiores permittant, ut nihil quod sit necessarium eis denegetur.* Ergo quoad stabilia omnis administratio religiosis interdicitur: et quoad mobilia, tantum *necessarium* (non vero quod ad delectamentum, licet honestum, deserviat) statuitur non denegari: quo verbo excluditur administratio etiam mobilium ad usus indeterminatos. Idque confirmatur ex tò: *Ne deinceps liceat etc.* quibus verbis videtur concilium novum ius statuisse, unde Laym. [1] infert: *Propositum* (concilii) *fuisse, huiusmodi stabiles reditus, seu annuas pecuniarias portiones omnino interdicere.*

Ita respectu ad decretum concilii: sed ratione consuetudinis quae hodie fere in omnibus religionibus, saltem non reformatis, introducta est, puto cum eiisdem fautoribus primae sententiae, ut Sanch. [2] Laym. [3] Lessius [4] Pal. [5] Pontio [6] Salm. [7]. Item p. Milante cum Nav. Barb. Suar. Az. Cab. Sylv. Wigand. Beia Luca Rodr. Mirandola Cord. de Alex. Lop. Conrad. Passer. Led. et Mastrio etc. rigorem concilii hodie temperatum esse, et licere singulis religiosis ex consensu superioris peculium habere, ut sibi provideant ad usus necessarios vel honestos; modo sint parati bona a se abdicare ad superioris nutum, semper ac illis sufficienter subveniatur; nam alias non tenerentur peculium dimittere, dicunt Salm. cum Sanch. Less. etc. [8]. Libet hic adnotare responsum datum a card. Bellarmino (ut refert p. Milante [9]), qui cum rogatus fuisset a cardinali Gesualdo archiepiscopo neapolitano, an moniales, non obstante contraria consuetudine, teneantur exacte vitam communem servare, sic respondit: *Si consuetudo inobservantiae est legitime praescripta, videntur posse excusari illae quae religionem sic relaxatam invenerunt; nam talis religio sic relaxata, in qua tantum servantur omnia substantialia, est vera et bona religio; ergo potest eligi, et qui in ea vivunt sunt in statu perfectionis.* Praefatam autem administrationem peculii ad nutum superioris, dicunt Pal. Salm. Pontius et Sanch. licitam esse ratione consuetudinis, non solum de bonis mobilibus, sed etiam de immobilibus. Idque videtur confirmatum ex quodam brevi edito a Bened. XIII. ann. 1724. incipiente: *Postulat humilitati nostrae* (ac in extensum relato ab eod. p. Milante) [10], in quo pontifex, loquens de religiosis promotis ad aliquam dignitatem, praecipit *ut omnia bona mobilia seu immobilia, cuiuscumque generis, quae eos tempore suae promotionis penes se vel alios habere contigerit, exceptis duntaxat scriptis propriis etc., superiori lo-*

(1) L. c. n. 13. (2) N. 11. et 14. (3) N. 13. (4) N. 32. (5) N. 6. (6) Loc. c.

(7) Tr. 12. c. 2. p. 12. §. 4. n. 204. (8) Locc. cc. (9) Cit. l. p. 245. (10) P. 196.

cali resignare teneantur. Ergo pontifex, licet expresse hic non approbet, saltem praesupponit tamquam licitum peculium sive mobilium, sive immobilium, quod religiosi penes se habent.

Hoc quoad peculium bonorum etiam immobilium; sed quoad peculium mobilium, illud expresse approbatum habetur a Clemente VIII. qui (ut refert p. Milante) anno 1602. per suum breve cardinali Gesualdo declarandum iniunxit (en verba brevis), *quod liceat abbatissae cuiuslibet monasterii permittere monialibus, ut unaquaeque earum ex subventionibus quae eisdem monialibus dantur, aliquid expendere possit, absque eo quod per manus officialium erogetur, sine onere aliam de eis rationem reddendi; summa autem haec erit scuti unius quolibet mense pro minutis causis etc.* Praecepit tamen ibidem pontifex *ut imposterum neque ad habitum, neque ad professionem aliqua recipiatur, nisi sub integra reformatione vitae communis.* Sed cum rursus ab hoc ultimo moniales reclamassent, idem Clemens aliud edidit decretum, quo sic declaravit: *Moniales vero quae imposterum admittentur in iis monasteriis, in quibus subventiones retinentur, nullatenus invitae cogantur ad vitam communem.* Ergo ex hoc decreto pontificis vita communis non pertinet ad essentiam voti paupertatis, et peculia ex consuetudine rite permittuntur. Id ipsum confirmatur pro religiosis ex alio brevi Innocent. XII. edito ann. 1691. approbante constitutiones ordinis s. Mariae de Mercede, iam prius approbatas a novem aliis pontificibus; in iis autem constitutionibus [1] sic statutum erat: *Sancimus, ne quis fratrum professorum aliquid proprium habeat, neque pecunias neque vasa argentea etc. neque illa expendat absque sui praelati licentia ... Attendant autem fratres nostri, quod singulis annis semel omnia quae in usu retinent, commendatoribus suis exponant, et realiter exhibeant, eorum dispositioni relinquendo, et specialem licentiam utendi eis accipiant a praelato.* Ergo cum licentia bene poterant retinere et expendere.

Caeterum (ut proferam quid ego sentio super hac re), licet praefatam secundam sententiam probabilem censeam, imo probabiliorem, ratione consuetudinis universaliter introductae; attamen in praxi omnes praelati tamquam certum sibi persuadeant, quod si usum peculii in monasteriis de novo introducant, vix nomen paupertatis ibi supererit, et ex hoc innumera mala communitati quoad observantiam supervenient. Quapropter, etiamsi ipsi a peccato gravi excusari possunt, usum peculii concedendo, respectu voti paupertatis; non tamen excusabuntur ob regulae relaxationem, cui hac concessione proculdubio operam dabunt.

Omnes autem conveniunt quod in iis conventibus, in quibus non observatur vita communis ob paupertatem vel incuriam superiorum subministrandi subditis necessaria, possint concedi peculia ad nutum praelatorum. Ratio, quia Trid. tunc praecipit religiosis vitam communem, cum a conventu *nihil* (eis), *quod sit necessarium, denegetur.* Ita Potest. Fagn. de Alexand. [2] communiter.

Hinc infertur 1. cum Pell. Val. Lop. et Potest. [3] in dicto casu non peccare (saltem graviter) religiosum qui peculium retinet non in communi deposito, sed in sua cella cum licentia praelati dependenter ab eius arbitrio; quia tunc substantia paupertatis iam servatur.

Infertur 2. non posse regulares vitam communem recusare, si superiores illam erigere velint, ut de Alex. [4] cum Suar. Less. Nav. et Potest. [5] cum communi. Ratio quia licet vitam communem non servare, non sit contra votum paupertatis; est tamen contra votum, vitam communem respuere, quia est habere bona independenter a voluntate superiorum. Dicunt tamen Less. et Peyr. cum de Alex. [6] quod religiosus non tenetur tradere peculium suum praelato, qui velit illud in usum

(1) Dist. 3. c. de voto paupert. (2) Loc. c.

(3) N. 1078. (4) C. 4. §. 2. q. 2.
(5) N. 1078. (6) L. c. q. 111.

monasterii convertere, nisi ei constet quod praelatus suis necessitatibus sufficienter aliunde providebit.

Infertur 3. quod si religioso relinquatur legatum cum conditione, ut illud possideat independenter ab arbitrio superiorum, tunc certe peccabit religiosus contra votum paupertatis si sic retineat; sed legatum valebit in favorem monasterii, quia illa conditio tanquam turpis reiicitur. Ita de Alex. [1] cum Graff. et aliis communiter.

16. « 1. Non repugnat voto paupertatis, quod religiosi habeant bona in communi, etiam immobilia [2]. Vide Salmant. [3]. Potest tamen papa iusta urgente causa, dicta bona in aliud opus pium transferre. Salm. [4] cum Pal. Lugo et Less. Imo sine consensu papae non possunt se obligare communitati, quod ea numquam sint acquisituri, quia praeiudicarent immunitati ecclesiasticae: c. Lugo [5] neque possunt fructus seu reditus a donatore destinatos ad ea emenda, applicare ad usus alios, v. gr. solvenda debita etc. [6].

» 2. Non repugnat paupertati, si religiosis detur villa vel alius locus administrandus nomine monasterii, idque in monasterii commodum. Imo nec repugnat, si detur in commodum vel incommodum ipsiusmet religiosi aliquod ecclesiasticum beneficium. Quo casu competit ei administratio redituum, quos ad sui sustentationem, piasque causas applicare potest iuxta canonum concessionem: quod reliquum est, pertinet ad ecclesiam vel beneficium cui servit: ac consequenter donationes de reditibus beneficii factae ab eo in usus non pios invalidae sunt et contra iustitiam, neque accipientes possunt tuta conscientia retinere. Suar. [7] Mol. etc. communiter. Ratio est quia non habet dominium dictorum redituum. C. Lugo [8]. Nihilominus Wading. apud Diana [9] probabile censet quod, etsi illicitae, validae tamen sint istae donationes; idemque multo magis de donationibus episcoporum regularium censet cum eodem Diana [10] et contra Sanch. Suar. etc. Ad monasterium vero omnia alia pertinent, quae aliunde quam ex beneficio acquiruntur nisi ex consuetudine cedant ecclesiae. Nav. Azor. [11] Mol. Laym. [12]. Vide Trid. [13].

» 3. Non tantum iure antiquo, sed etiam post Tridentinum, probabile est religioso in monasterio, vel iuxta illud manenti annuatim assignari posse reditum, ut ex eo vivat suo commodo et incommodo, revocabiliter tamen ad nutum praelati: similiter monialibus victum praeberi posse, ita ut ipse sibi labore manuum vestes comparent. Ita contra Azor. Less. et Mol. docent Sanchez [14] Tan. Laym. [15] qui addit, talem consuetudinem, ubi viget, non damnandam; probat tamen tolli debere, si commode possit, monetque, non sine urgentissima causa introducendam.

17. » 4. Peccat contra paupertatem religiosus, si quid seu domi seu foris, etiam ex iis quae ad victum et vestitum pertinent, sine superioris consensu expresso, tacito, vel praesumpto, accipiat, retineat, absumat, permutet, alteri donet, vel accommodet. Ita Less. [16] Sanch. [17] Suar. [18] Laym. [19] Azor. [20].

» Dixi 1. *sine consensu tacito:* quia si praelatus sciat subditum aliquid accipere, retinere vel expendere, et non prohibet, cum facile possit, tacite consentire et approbare videtur. Unde Sanchez [21] ait, si in aliqua religione consuetudo viget aliqua recipiendi vel expendendi sine licentia, id excusari per tacitam licentiam praelati, qui id tolerando consuetudinem rationabilem declarat (Salm. [22] cum Pal. Pel. Fag. Boss. etc.). Et si praelatus subdito donet, vel donari permittat imagines, rosaria etc., sciens non indigere iis omnibus ad proprium usum, tacite facultatem conce-

(1) Ib. q. 5. (2) Extrav. Exiit, de verb. signif. et Trid. sess. 25. c. 3. de regul. (3) Tr. 12. c. 2. p. 12. n. 164. (4) Dict. n. 164. (5) Resp. mor. l. 3. d. 8. (6) Ibid. d. 10. (7) T. 4. de rel. l. 5. (8) De iust. t. 4. d. 4. s. 1. (9) P. 8. t. 6. r. 133. (10) L. c. r. 132. (11) T. 1. l. 12. c. 10. q. 6. et 7.

(12) Loc. cit. (13) Sess. 25. c. 2. de regular. (14) Lib. 7. mor. c. 22. (15) Lib. 4. c. 7. (16) L. 2. c. 41. d. 8. et d. 9. n. 79. (17) 7. mor. c. 19. n. 53. et c. 21. n. 32. (18) De rel. l. 8. c. 11. (19) L. 4. t. 5. c. 7. (20) T. 3. l. 12. c. 12. (21) 6. mor. c. 19. (22) De rest. c. 6. p. 5. n. 25.

dere censetur donandi aliis, ut notat Laym. Monet tamen Less. talem consensum non praesumendum, nisi in rebus parvis, crebro occurrentibus.

» Dixi 2. *vel praesumpto;* hic enim locum habet cum res urget, superiorque non est praesens. Ad hunc autem, ut vult Sanch. et Bon., non sufficit quod superior libenter concedet, si peteres (alioquin omnes donationes a praelatis permitti solitae licerent sine venia: quod cederet in eversionem disciplinae regularis), sed requiritur ut ipse censeatur concedere, quamvis non petas, et nolit in iis circumstantiis te petere. Addunt tamen Suar. et Less. excusari a mortali, si praesumatur affectus superioris libenter rem concessuri, si rogaretur. Ratio est quia tunc censetur rem habere ex voluntate superioris saltem virtuali quae in illo affectu latet; ideoque, si superior tantum sit invitus quoad modum, venialiter quidem peccari, non tamen contra paupertatem, docent Suar. Sanch. Laym. [1].»

18. Quaeritur igitur an liceat religioso res alienare, vel accipere ex licentia praesumpta. Affirmant dd. communiter, si licentia praesumatur de praesenti; ex voluntate actuali vel virtuali superioris. Imo Lugo [2] et Salm. [3] dicunt sufficere ad non peccandum, saltem graviter, contra votum paupertatis, ut superior non habeat hic et nunc voluntatem omnino repugnantem quoad substantiam, licet sit invitus quoad modum. Hinc infertur excusari saltem a mortali (ut aiunt Less. [4] et Salm. [5] cum aliis communiter) religiosum qui noverit superiorem erga ipsum ita esse affectum, ut si hic sciret, libenter licentiam concederet vel saltem non graviter repugnaret. Idem dicunt Salm. [6] et Lugo [7] si datio vel acceptio cederet in utilitatem monasterii. Item si superior non possit facile adiri, et urgeat causa aliquid accipiendi vel alienandi ut Cont. Tourn. [8] Less. et Salm. [9] ac Holzm. [10] cum communi. Advertunt tamen Elbel [11] et Lugo [12] cum Suarez et Sanch. quod religiosus post talem acceptionem tenetur, si commode potest, rem praelato manifestare, ut deinde licite possit eam retinere. Idem ait Elbel [13] si superior de facili soleat licentiam concedere pro quibusdam rebus, maxime esculentis et poculentis; sed in monasteriis bene ordinatis non solent passim tales licentiae concedi, ut ait Lessius [14] nisi pro rebus minimis et crebro occurrentibus.

Haec docent praefati aa. quando agitur de licentia praesumpta de praesenti. Sed magna quaestio est an peccet religiosus contra votum paupertatis, quando aliquid accipit aut dat, ex licentia interpretativa, sive praesumpta de futuro, scil. praesumendo quod superior annueret, si rogaretur.

Prima sententia quam tenent Holz. [15] Elbel [16] Pal. [17] cum Nav. Azor. Suar. Val. et P. Nav. item Tolet. et Rosell. apud Sanch. [18] et Pelliz. Rodr. ac Bassaeus apud Salm. [19] negat talem religiosum peccare, saltem mortaliter. Hocque dicunt procedere Holzm. Elbel Sanch. et Pal. [20] cum Suar. Nav. etc. non solum si ille certe, sed etiam si probabiliter crederet superiorem licentiam concessurum; nisi (bene excipit Sanch.) in aliqua communitate observanti vigeat praeceptum, ut licentiae expresse petantur. Hanc sententiam docet etiam d. Th. [21] qui ait: *Si vero non habet dispensationem* (religiosus a praelato) *commissam, quia nihil proprium habet, tunc non potest facere eleemosynam sine licentia abbatis, vel expresse habita, vel probabiliter praesumpta.* Idemque tradit alibi [22] dicens: *Non esse proprietarium religiosum qui donat aliquid ponens spem in ratihabitione praelati.* Ratio quia, ad non peccandum contra votum pauper-

(1) L. 5. tr. 5. c. 7. (2) D. 3. n. 125. (3) Loc. cit. p. 6. §. 1. n. 71. (4) Lib. 2. c. 41. n. 79. (5) Cit. l. n. 71. (6) Ibid. (7) N. 126. (8) De pr. stat. oblig. p. 2. c. 2. a. 2. v. Quae vero. (9) Locc. cc. (10) T. 1. de pr. part. p. 483. n. 603. (11) T. 2. pag. 638 n. 644. (12) N. 123.

(13) P. 631. n. 640. (14) L. c. (15) P. 482. n. 599. (16) P. 631. n. 639. (17) Tr. 16. d. 3. p. 23. n. 8. (18) Dec. lib. 7. c. 19. n. 13. (19) De rest. tr. 13. c. 6. punct. 6. §. 1. n. 67. (20) Locc. cc. (21) 2. 2. q. 32. a. 8. ad 1. (22) 4. d. 25. q. 2. a. 3.

tatis ea sufficit licentia, quae efficit ut acceptio non fiat nomine proprio, sed cum dependentia a voluntate superioris. Idque confirmatur ex *l.* 46. §. 7. *de Furto* (cuius verba retulimus *l.* 3. *n.* 700. *v. Quaeritur hic*), ubi dicitur non esse reus furti, qui aliquid accipit probabiliter credens dominum consensurum, si peteret. Sicut igitur talis accipiens ex praesumpto consensu domini futuro non laedit iustitiam, ita religiosus non laedit votum paupertatis, quia accipiendo ex praesumpta ratihabitione superioris, iam dependenter accipit.

Secunda sententia vero tenet, religiosum accipientem, vel dantem ex tali licentia interpretativa, peccare contra votum, et hanc sequuntur Sanchez [1] Less. [2] Lugo [3] Salm. [4] cum Bon. Vill. et Garcia. Ratio quia aliud dicendum (ut aiunt) quando licentia requiritur ad honestatem actus, aliud quando requiritur ad eius valorem: quando enim licentia requiritur ad honestatem, sufficit licentia superioris interpretativa, sive ratihabitio de futuro; quando vero consensus superioris requiritur ad valorem actus, tunc omnino requiritur voluntas superioris actualis vel saltem virtualis, nec sufficit eius voluntas praesumpta de futuro: sicut non sufficit, ut quis confessiones excipiat, vel ut carnes comedat in diebus vetitis, eo quod superiores licentiam concederent si peteretur. Nec officit paritas furti; respondet enim Lugo [5] quod ibi bene sufficit ad excusandum accipientem, ut rem accipiat non invito domino; sed ad valorem actus dandi vel accipiendi requiritur in religioso licentia superioris de praesenti, cum tales actus a religioso exerciti non sint validi, nisi dependenter a praelati voluntate.

Sed his non obstantibus probabilior mihi videtur prima sententia, et pace tantorum dd. huius secundae sententiae, puto eos non attigisse punctum quaestionis, in qua agitur non de valore, sed de honestate actionis. Confundunt enim adversarii valorem actus cum honestate illius; nam ratio ipsorum probat quidem actum religiosi non esse validum, nisi postquam praelatus illum ratum habuerit; quia certum est (ut diximus *de contr. lib.* 3. *n.* 769. *v. Sed dubitatur*), quod ad valorem contractuum non sufficit voluntas interpretativa, sed requiritur voluntas contrahentium actualis, aut saltem virtualis de praesenti: et ideo recte dicitur sacerdos non posse valide absolvere, nec alius edere carnes in diebus vetitis, nisi habeant concessionem superiorum, saltem praesumptam de praesenti, eo quod revera nec sacerdos valide absolvit sine iurisdictione de praesenti collata, nec alius licite vescitur carnibus die vetito, nisi iam per dispensationem sit a lege absolutus. Non autem probat ratio allata actum religiosi accipientis ex licentia interpretativa esse illicitum et contra votum paupertatis; ad agendum enim contra votum requiritur ut ipsi contrarii fatentur, quod religiosus agat nomine proprio, et independenter a voluntate superioris. Non autem agit nomine proprio, et independenter, qui accipit ex consensu praelati prudenter interpretato, quia tunc vere cum dependentia agit.

Nec obstat 1. dicere quod, cum actus sit invalidus, ideo est illicitus; prout sacerdos ideo illicite absolvit cum facultate episcopi praesumpta de futuro, quia invalide absolvit. Sed dispar est ratio casus huius a casu nostro; nam ibi honestas actionis pendet ab ipsius validitate; sed hic honestas acceptionis non pendet ab eius valore, sed pendet a non agendo nomine proprio et independenter; hoc solum enim laedit paupertatis votum; et sic in nostro casu bene poterit esse licitus actus accipiendi hic et nunc, cum fiat dependenter a consensu praesumpto superioris, quamvis hic et nunc invalidus sit, et erit, si superior non annuet: sicut aliquis in bona fide contrahens matrimonium cum impedimento, licite quidem

(1) Dec. l. 7. c. 19. n. 18.

(2) L. 2. c. 41. n. 79. (3) D. 3. n. 124.

(4) De rest. c. 6. p. 6. §. 1. n. 70. (5) N. 127.

contrahit, quamvis invalide. Nec obstat 2. dicere quod, si nostra sententia in praxim deduceretur, locus daretur relaxationi; vix enim esset casus quo non posset subditus facile praesumere concessionem licentiae, si peteret, saltem a praelatis maioribus, si inferior negaret. Sed respondetur primo, advertendum in huiusmodi acceptionibus ex licentia praesumpta ut plurimum accipientes non excusari a culpa veniali, cum praelati plerumque sint inviti quoad modum, si non ad substantiam. Praeterea advertendum huiusmodi licentias non esse facile praesumendas, nisi habeatur certitudo vel saltem certa probabilitas de ipsarum concessione, dum recte notat Cont. Tourn. [1] in illis summopere cavendum ne praesumantur quae praesumi non debent; imo nec semper quae sub oculis praelati fiunt, ab eo tacite approbata esse censenda; plerumque enim superioris aegre coguntur plura tolerare quae vident fieri contra eius voluntatem. Praeterea licentiae, quae a praelatis inferioribus negantur, vix praesumi possunt concedi a maioribus dum ipsi, ad iustum regimen servandum communitatis, vix concedunt quae ab inferioribus denegantur. Ideo ipsi in talibus licentiis praesumendi sunt inviti etiam quoad substantiam; nam, si res sint parvi momenti, cum praelati maiores non se ingerant in huiusmodi levioribus causis, non adest prudens praesumptio de ipsarum concessione: si autem res sint magni momenti, quoad eas (ut ait Holz. [2]) non suffragatur licentia praesumpta, alias daretur ansa ad res etiam maioris momenti sine expressa licentia accipiendas et retinendas, quod cederet in grave detrimentum religiosae paupertatis.

19. « 5. Contra votum paupertatis peccas, si quid ex rebus in usum tuum concessis, in alium usum expendas, aut culpabiliter amittas, vel destruas lata culpa. Ratio est quia in iis tantum habes usum facti, idque precario, quandiu superiori videbitur; estque actus dominii, posse rem arbitratu suo destruere. Sanch. [3] Laym. [4] Less. [5].»

20. Notandum 1. quod religiosus, licet non possit donare, nec remittere sibi debita, ex communi cum Salm. [6] nec renuntiare legata sibi relicta, sive mercedes suis laboribus debitas, quia horum ius immediate monasterium acquirit, ut dicunt Sanch. [7] et de Alex. [8] potest tamen religiosus non acceptare munera; nam votum paupertatis obligat ad non alienandum acquisita, non vero ad acquirendum quae nondum acquisivit. Ita Sanch. [9] Salm. [10] cum Lugo et Pelliz. Hinc volentem dare centum tibi religioso, bene potes rogare, ut det de tuo consanguineo vel amico; Salm. [11] cum Lugo Trull. Sanchez etc. et Cont. Tourn. [12] qui addit, religiosum nolentem sine iusta causa acceptare quod sibi offertur, peccare contra caritatem, impediendo bonum suae religionis, non vero contra iustitiam.

21. Notandum 2. quod religiosus sine licentia potest facere donationes remuneratorias ex bonis sibi concessis ad usum, quia tales donationes sunt quasi debiti solutiones. Salmant. [13] cum Rodr. et Vill. Immo potest plus donare quam accepit, usque ad excessum quartae partis, ut Salmant. [14] quia postulat gratitudo, ut semper plus reddatur, quam sit acceptum, prout dicunt Sanchez Barb. Navar. Diana etc. ex s. Th. apud Salm. [15].

22. Notandum 3. quod licet religiosus non possit testari ullo modo, ut est commune cum de Alex. [16] si tamen petat licentiam donandi aliquid post suam mortem, et praelatus id promittat exequi, dicit de Alex. [17] tunc teneri praelatum stare promissis. Sicuti si dominus aliquid promittit servo, tenetur servare, ut docent Less. et Mol. cum Sanchez [18].

23. Quaeritur hic 1. an religiosus possit sine licentia donare quae parcius

(1) Loc. c. v. Haud tamen. (2) N. 602. (3) C. 19. (4) N. 6. (5) N. 79. (6) Tr. 13. de rest. c. 6. punct. 3. n. 21. (7) L. 7. c. 12. n. 55. (8) C. 4. §. 2. q. 7.

(9) Dec. c. 19. n. 75. (10) Ib. n. 23. (11) Ib. (12) Ibid. n. 10. (13) L. c. n. 24. (14) Ib. (15) D. c. 6. p. 7. n. 92. (16) Conf. mon. c. 4. §. 1. q. 2. (17) §. 3. q. 1. (18) L. 7. c. 9. n. 13

vivendo sibi subtrahit ex rebus sibi concessis ad usum. Affirmant Val. Rodriq. Arag. Sylv. Diana etc. apud Salmant. [1]. At licet id probabile putant Salm. modo sit de rebus quae usu consumuntur, cum in iis usus et dominium minime distinguantur, probabilius tamen respondendum esse dicunt, quod si religioso ad suam sustentationem certe quantitas ita assignetur, ut nec monasterium teneatur aliud ei praestare, nec ipse rationem reddere; tunc sive is intra claustra commoretur sive extra, quidquid sibi de illa portione subtraxerit, poterit ad suum beneplacitum erogare, modo eroget ad honestum usum. Secus vero si nulla certa quantitas ei assignetur, sed omnia necessaria a monasterio subministrentur; quia tunc non praesumitur, sicut in primo casu, praelatus licentiam concedere. Ita Sanch. [2] Salmant. [3] cum Abul. Pal. Garc. Molina Villal. ac Holzm. [4] cum aliis communiter [5].

Ab auctoribus autem communiter permittitur religiosis qui cum debita licentia vivunt extra conventum, eleemosynas moderate facere ex iis quae a monasterio vel ab aliis eis subministrantur ad victum. Item permittitur religiosis elargiri, cui velint, suas pitantias quae limitate eis praebentur, ut ova, carnes etc.; ita Sylv. s. Anton. Arag. etc. cum de Alex. [6] nisi superior expresse id vetaverit. Praeterea permittitur eis succurrere pauperi magna paupertate laboranti ex bonis monasterii, quando aditus superiori non patet: item permittitur leves donationes facere amicis et consanguineis in signum gratitudinis vel debitae amicitiae, vel ad conciliandum aliorum amorem erga religionem. Ita Salmant. [7] et Croix [8] cum Suar. et Pal. Permittit etiam Bordon. [9] religiosis, dare aliquid esculenti vel poculenti pauperibus, quia in his praelatus praesumitur consentiens.

24. Quaeritur 2. quaenam quantitas requiratur ut religiosus eam expendens sine licentia peccet graviter. Ex Nav. Azor. Graff. etc. Pal. [10] Sanch. [11] assignant pro materia gravi quatuor argenteos. Plus vero pro conventibus pinguibus; et adhuc plus, si res non sit ex pecuniis, sed ex vestibus, libris et similibus, card. de Lugo [12] pro conventibus mediocriter opulentis assignat 7. vel 8. argenteos, si accipiantur a religioso ex destinatis ad eius usum; et plus, si res subripiatur ad usum proprium, et remaneat in communitate. Si vero res subripiatur ex rebus communibus monasterii et detur extraneis, putat sex argenteos esse materiam gravem. Plus tamen requirunt Ledesma et Ceneda apud eumdem Lugo [13]; nam censent non esse mortale accipere 8. vel 9. argenteos ex rebus quae usu non consumuntur; modo id non plus quam semel aut bis fiat in anno. Alii, ut Sot. et Rodr. apud Salm. [14] (et Arag. putat probabile) dicunt requiri ad materiam gravem duos aureos. Alii demum quoad gravitatem materiae putant ut Reb. Fag. etc. ap. Croix [15] idem dicendum esse de furtis religiosorum quod dicitur de furtis filiorum, iuxta dicta *de 7. praec. l.* 3. *n.* 543. Et consentiunt Holzm. [16] ac Elbel [17] cum Henn. et aliis, dicentes quod religiosi furantes materiam communiter gravem, nisi furtum redundet in grave damnum monasterii, peccabunt quidem contra votum paupertatis, sed non contra iustitiam; unde non erunt obstricti ad restitutionem. Sed probabilius id negandum, scilicet requiri in religiosis ad peccandum graviter ut eam subripiant quantitatem, quae requiritur in filiis; ita Lugo [18] et Sanch. [19]. Ratio, tum quia filii censentur quasi in spe dominii bonorum parentum, non

(1) Loc. cit. punct. 3. n. 26. (2) Dec. l. 7. c. 19. n. 100. et 101. (3) Loc. c. (4) N. 615. (5) Bona accipere a religioso est peccatum papae reservatum (sine censura), et qui donum excedens decem scuta acciperet, ne posset quidem a sacra poenitentiaria absolvi, nisi facta prius restitutione doni. Hom. Ap. tr. 13. n. 8. (6) C. 4. §. 4. q. 5.

(7) Tr. 13. c. 1. punct. 3. n. 31. (8) L. 4. n. 123. (9) De paup. rel. c. 20. n. 32. (10) Tr. 16. d. 3. p. 20. n. 3. (11) L. 7. c. 20. n. 3. (12) De iust. d. 3. n. 173. (13) N. 170. (14) Tr. 13. c. 6. punct. 5. n. 46. (15) L. 4. n. 133. (16) N. 595. (17) P. 633. n. 646. (18) D. 3. n. 172. (19) Dec. l. 7. c. 20. n. 3.

autem sic religiosi, qui non possunt monasterio succedere; tum quia parentes in furtis filiorum sunt inviti respectu ad detrimentum temporale, sed praelati in furtis religiosorum sunt inviti etiam respectu ad eorum detrimentum spirituale; unde facilius praesumuntur inviti praelati quoad furta religiosorum, quam parentes quoad furta filiorum; tanto magis quia filii bene sunt capaces possidendi, non autem religiosi qui voto paupertatis obstringuntur.

Cum autem donatur res religioso eiusdem conventus, certe plus requiritur, ut censent Salm. [1] cum Suar. Hinc dicit [2] Coriolanus, quod ex rebus ad usum concessis donatio 12. regalium tunc non esset materia gravis. Ledes. extendit ad viginti argenteos: immo Lugo Sanchez Pell. Rodr. et Anton. a Sp. s. apud Salm. [3] aiunt quod, si res non sit pecunia, nec etiam valor 5. aureorum tunc non erit gravis materia. Si vero accipiatur aliquid ab extraneis ad aliis praestandum, adhuc plus requiritur; tunc enim Garcia cum Palao Leand. Diana etc. apud Salmant. [4] assignant pro materia gravi valorem maiorem 60. argenteis. Regulariter autem non peccat graviter religiosus clam accipiens, ex gr. librum ad usum temporalem, etiam diuturnum, sed non in perpetuum; quia tunc praelatus non censetur invitus quoad substantiam, sed tantum quoad modum. Ita Salm. [5] cum Suar. Azor. Pel. Vill. etc.

25. Quaer. 3. an religiosus res paulatim accipiens sine licentia, peccet graviter, si furtula ad magnam quantitatem perveniant, et teneatur ad restitutionem. Negant Nav. Toll. Fill. Gran. Rodr. Diana etc. atque probabile vocat Pelliz. consentitque in aliquo Lugo, iudicans raro contingere quod religiosus, modica accipiendo sine animo perveniendi ad magna, graviter peccet, quia praelati contra talem numquam graviter offenduntur. Attamen verius affirmant Salm. [6] cum Sanch. Bon. Vill. Garc. etc. quamvis maiorem requirant quantitatem pro materia gravi. Bene tamen admittunt [7] cum aliis, haec furtula non coalescere, si inter ea intercedat magna interpolatio: haec autem, ut magna reputetur, Sanchez requirit spatium anni; sed Salm.[8] cum Filliuc Diana Garc. et Anton. a Sp. s. putant sufficere spatium mensis. *Vide dicta de Furto l.* 3. *n.* 530. Admittunt item Salmant. [9] cum Sanch. Pal. Bonac. Lugo Pelliz. etc. non esse mortale subripere comestibilia per plures vices, etiamsi perveniant ad magnam quantitatem (modo a religioso non reserventur, ut Salm. [10] et modo damnificatio conventus non sit nimia, et in re extraordinaria et pretiosiore, ut notat de Alex.[11] cum Suarez). Ratio quia praesumitur tunc adesse tacita licentia praelatorum.

26. Quaer. 4. an religiosus impotens ad restituendum aliquod debitum suo monasterio, teneatur sibi subtrahere aliquid ex rebus sibi datis ad usum. Affirmant Lugo Bon. etc. Negant vero Pell. Fag. Leone etc. et probabile putant Salm.[12] quia minime praesumitur velle praelatus obligare subditum cum tanto incommodo; et vere est probabile, si res datae sint ad usum necessariae.

27. Quaer. 5. an peccet religiosus si ad mutuum det sine licentia res sibi ad usum concessas. Affirma, sed non graviter, si tutus sit de restitutione, ut tenent Laym. Sanch. Peyr. quos supra sequuntur Diana [13] et de Alex. [14].

28. « 6. Item peccas si quid abscondas, ut illud liberae dispositioni superioris subducas. Nec procuratores, oeconomi, administratores, praelati inferiores quidquam possunt expendere, contra quam regula ordinis, voluntas superiorum vel consuetudo postulat. Ratio est quia non sunt domini bonorum communium, sed tantum administratores. Laym. [15] ex s. Thom.

29. 7. » Si praelatus permittat sub-

(1) Loc. c. n. 47. (2) Ibid. (3) Loc. c. (4) Cit. n. 47. (5) Ibid n. 49. (6) De rest. c. 6. punct. 5. n. 55. (7) N. 54.

(8) D. n. 54. (9) Ibid. n. 58. (10) Ibid. n. 57. (11) C. 4. §. 1. q. 5. (12) De rest. c. 6. p. 9. n. 105 (13) R. 14. (14) C. 4. §. 1. q. 9. (15) N. 8.

dito, ut bona ex quacunque causa aut titulo provenientia, in usus vanos, turpes, aut illicitos expendat, aut superflua, pretiosa et statum suum dedecentia penes se habeat, peccat et praelatus et subditus contra votum paupertatis; estque talis donatio, seu alienatio irrita et restitutioni obnoxia, Nav. Sylv. Val. Molin.[1] Azor. Less.[2] Sanch. Laym. quia praelatus non potest dare veniam maiorem, quam ipse habet: ipse autem, cum non sit dominus, non potest bona suo arbitrio et inutiliter expendere, sed tantum in religionis necessitatem et utilitatem. Vide Lugo[3].

30. Super hoc puncto 1. quaestio est an licentia a praelato data religioso expendendi aliquid expresse ad usus illicitos, de se invalida sit. Affirmant cum Bus. hic Nav. Pal. Sanchez apud Croix[4] et hoc absolute tenent Salm.[5] cum communi, ut asserunt. Ratio quia praelatus non est dominus, sed simplex administrator bonorum monasterii. Recte tamen concedunt Salmant.[6] cum Pal. Suar. Azor. etc. validam esse licentiam datam retinendi superflua sine notabili excessu; quia aliter res magnis scrupulis esset obnoxia. At contra Lugo[7] cum Azor. Tab. et s. Ant. Sylv. Turrecr. Fab. etc. apud Croix[8] tenent licentiam esse validam, quamvis illicitam: si enim, inquiunt isti, superior licentiam daret ad emenda superflua, quis dicet emptionem esse invalidam? Idem censent Elbel[9] et Holzm.[10] cum Ills. dicentes religiosum, qui habet superflua ex licentia, peccare quidem contra paupertatem, cum votum paupertatis obliget, non solum ad accipiendum cum licentia, sed etiam ad non habendum superflua; sed non peccare contra iustitiam, nec esse proprietarium, quando habet cum licentia, quae nullo iure habetur esse invalida, nisi vertat in grave damnum monasterii. Hanc sententiam non audeo omnino reprobare propter auctoritatem tantorum dd.. Sed prima sententia mihi omnino arridet; nam ut aiunt Less.[11] Salm.[12] Roncag.[13] et alii plurimi, superior non est dominus, nec aliam habet facultatem super bona monasterii, nisi in quantum canones et religio ei concedunt: sed non potest dici concedere ipsi facultatem dandi licentiam ad usus illicitos, vel superfluos, neque sacros canones, cum ex iis contrarium eruatur, ut habetur ex iure can.[14] ubi expresse prohibentur omnia superflua, neque religionem, quae numquam censetur id concedere in exitium spirituale suorum filiorum.

31. 2. Quaestio est an, cum praelatus dat licentiam generalem religioso ad expendendam aliquam summam ad suum libitum, si iste illam eroget in usus turpes aut vanos, peccet contra votum paupertatis, et teneatur ed restitutionem tam ipse quam accipiens.

Prima sententia affirmat. Ratio quia neque superior intendit tunc licentiam dare ad usus illicitos, neque ipse superior posset hanc licentiam concedere, cum is sit merus administrator. Ita Sylv. Pal. Mol. Sanch. etc. ap. Croix[15]. Et hanc probabiliorem putant Salm.[16] et Lugo vocat communem[17].

Iuxta autem hanc sententiam, dicunt Sanch. Pell. Mol. Reb. etc. cum Salm.[18] quod ille qui male accepit rem a religioso, iam bene satisfacit, si ipsi religioso rem restituit, quia ponit rem in eodem statu in quo invenit: modo ipse (excipiunt Salm.[19] cum cit. dd.) non timeat religiosum re illa abusurum.

Secunda sententia tamen contradicit, et hanc tenent de Alex.[20] cum Bord. Suar. Bann. Lopez. Hurt. Med. Pelliz. Reb. Salas etc. ap. Salmant.[21] probabilemque hanc vocant Lugo[22] Dian. Sayr. Mach. etc., et huic adhaeret Croix[23] dicens non obstare quod superior non sit dominus; nam respondet cum Rebel. saltem monasterium esse dominum, ut

(1) T. 2. d. 276. (2) D. 9. (3) De iust. d. 3. s. 7. n. 121. (4) L. 4. n. 114. (5) Ibid. p 6. §. 2. n. 82. (6) Ib. n. 83. (7) De iust. d. 3. n. 137. (8) Loc. c. (9) N. 666. (10) N 604. (11) L. 2. c. 41. n. 78 (12) Tr. 13. c. 6 6. n. 85.

(13) Cons. 25. n. 4. (14) Clement. 1. Ne in agro de statu monach. lib. 3. t. 10. (15) L. 4. n. 113 (16) Cit. n. 85. (17) Cit. d. 3. (18) Ib. p. 9. n. 106 (19) Ibid. (20) Conf. mon. c. 4. §. 4. q. 9. (21) Tr. 13. c. 6. p. 9. §. 2 n. 84. (22) D. 3. n 142. (23) Loc. c.

possit disponere de bonis suis ad omnes usus: et saepe praesumi monasterium consentire quod subditi expendant in quibusvis usibus maluerint id quod generaliter est eis concessum ad expendendum, ne periclitetur fama subditi aut superioris, ut dicit Reb. Deinde dicit Lugo quod, licet superior sit simplex administrator, nullo iure tamen scitur suam potestatem esse restrictam ad solos usus licitos concedendos. Et, ut dicunt Bann. Lop. Reb. et Salas ap. Lugo [1] (et hoc ipse non putat improbabile) non est censendum quod superior dans licentiam eam limitet tantum ad usus licitos; quia ipse dando licentiam generalem, vult et potest tollere impedimentum quod subditus habet ex licentiae defectu ad expendendum. Pari modo ac si pontifex dispenset cum consanguineis ad matrimonium, non solum dispensat ad actum coniugii, sed tollit malitiam incestus, etiam quoad copulam illicitam (ut tenent Lugo [2] et Sanch. [3] cum Met. Gutt. Manuel Led. Lamas etc. modo episcopus cui commissa est dispensatio, iam dispensarit, ut verius dicit Sanchez [4] contra Maior. et Gall. ap. Croix). Item si papa dispenset ad carnes in quadragesima cum aliquo, si iste comedet carnes nocivas, peccabit utique ex intemperantia, sed non contra praeceptum ieiunii quod per dispensationem iam sublatum est. (Sed quoad hoc obstat decretum Clem. XI. relatum *in tract. de ieiunio lib.* 3. *n.* 1015. *v. Quaer. hic*). Ita loquitur Lugo [5] cum aliis, ut supra. Sed his non obstantibus, quamvis hanc sententiam non audeam reprobare, primam amplector; cum non satis mihi probetur quod superior hanc facultatem habeat dandi licentiam, neque specialem, neque generalem ad usus illicitos, prout dixi mox in 1. *qu. n.* 30. aut quod monasterium in huiusmodi licentias consentiat in tantum detrimentum animarum suorum subditorum.

Concedunt vero Salm. [6] cum Pal. et aliis, excusari a restitutione eum qui pro usu turpi rem accepit a religioso, quando honor religionis vel religiosi alias periclitaretur; aut si v. gr. cum mulier ob turpem causam aliquid accepit a religioso, iste mutet animum, et intendat donare gratis, quia mulier est pauper, vel ne damnum in fama patiatur; tunc enim iam in usum honestum impenderet. Et hinc quando mulier talem consensum religiosi rationabiliter praesumere potest, saltem ex hoc capite facile excusabitur. Ita Salmant. [7].

32.3. Quaestio est an possit superior licentiam subdito praebere, ut aliquam summam ludo exponat. Certum est quod potest si summa sit modica; in quo casu subditus potest uti licentia etiam tacita sive praesumpta. Les. Mol. Azor. etc. cum Salm. [8]. Quoad quantitatem autem, alii dicunt posse religiosum exponere quantum posset liberaliter donare; alii dicunt 4. vel 5. aureos pro centum quotannis ad usum sibi concessis. Ludus autem debet esse licitus, non illicitus, prout est ludus alearum, taxillorum, et omnes ludi mere fortuiti, ex Trid. [9]. Caeterum in aliqua religione permittitur ex consuetudine ludere modicam summam chartis lusoriis, ut Salm. [10] cum Peyr. Dic. etc. *Vide dicta de ludo l.* 3. *n.* 873.

Dubium est an possit superior valide dare licentiam particularem exponendi ludo magnam summam. Affirmant Less. [11] cum Hurt. Salas et Amic. apud Salm. [12]; quia quaecumque licentia ad ineundum contractum, per se quidem iustum, de se valida est. Sed negant verius Salm. [13] cum Sanch. Ledesm. Dic. Vill. quia, ut dicunt, simplex administrator, qualis est superior conventus, non potest licentiam concedere tales ineundi contractus proprios tantum dominorum qui pro suo arbitrio res suas prodigere possunt. Quid vero dicendum, si licentia sit generaliter data? Haec quaestio com-

(1) N. 142. (2) N. 133. (3) De matr. l. 7. d. 67. n. 8. (4) N. 9. (5) N. 133. (6) De rest. c. 6. p. 6. §. 2. n. 86. (7) Loc. c.

(8) Ibid. punct. 8. n. 94. (9) Sess. 22. c. 1. (10) Ibid. n. 95. (11) L. 2. c. 26. n. 56. (12) L. c. n. 96. (13) Ibid.

prehenditur sub quaestione 2. ut supra iam allata, quam relegere potes. An vero religiosus possit ludo plus lucrari quam perdere: *v. dicta l.* 3. *n.* 874.

33. 4. Quaestio est an licentia petita, sed indebite negata, excuset a transgressione voti paupertatis. Resp. non excusare, nisi periculum gravis damni sit in mora; tunc enim praesumitur adesse consensus superioris maioris; et si iste tunc etiam licentiam neget, potest aliquando prudenter iudicari, legem sive votum in tanto discrimine non obligare. Ita probabiliter Palaus [1] Holzm. [2] cum communi ac de Alex. [3]. Et hoc bene congruit doctrinae d. Th. [4] qui loquens de lege ait: *Si vero sit subitum periculum non patiens tantam moram, ut ad superiorem recurri possit, ipsa necessitas dispensationem habet annexam, quia necessitas non subditur legi.* Idem dicendum de voto, quod est quaedam lex particularis, et cuius obligatio non urget, tali periculo imminente. Sed notat Holzman cum Palao quod licentia negata tum excuset, cum est debita tam ex parte religiosi, quam praelati, non autem si solum ex parte praelati, ita ut subditus non habeat ius ad concessionem licentiae.

34. 5. Quaestio est an valeat religiosus ex licentia dare aliquid alicui, quem si scivisset superior, licentiam non concessisset. Respondent Mol. [5] et Alex. [6] tunc videndum, in quanam dispositione sit superior; nam si praesumitur quod ipse licentiam omnino revocaret, tunc licentia non valet; secus autem dicendum, si praesumitur praelatus non velle revocare, licet ab initio licentiam negasset si rem scivisset. In dubio autem praesumitur pro validitate actus, id est licentiae datae; intellige, si non possit superior adiri.

35. 6. Quaestio est an votum paupertatis possit per consuetudinem abrogari. Negant communiter dd. quoad substantiam, affirmant vero quoad modum. Talis autem consuetudo iusta praesumitur, quando ipsa passim practicatur a religiosis etiam timoratis et scientibus ac non contradicentibus praelatis, cum facile contradicere possint. Ita de Alex. [7].

36. 7. Quaestio est circa moniales, an abbatissa habeat bonorum sui monasterii administrationem. Resp. Habet quidem, si non obest regula aut consuetudo. Caeterum non potest concedere licentiam donationes immoderatas faciendi, ut Alex. [8] cum Sanch. Sed bene ipsa potest elargiri in eleemosynas bona superflua, etiam sine consensu aliarum; potest, sed non tenetur superflua in eleemosynas dispensare, si ea applicet in augendo ecclesiam vel habitationem vel reditus monasterii, ut monasterium plures moniales alere possit, vel ut melius servetur vita communis, prout tenet Alex. [9] contra alios. Superior autem in dispensando bona suis subditis debet respicere necessitates, non dignitates personarum neque proprium commodum, ut Peyr. cum Alex. [10].

Potest abbatissa in rebus modicis contractus per se inire, sed in gravioribus requiritur consensus capituli [11], praesertim si recipiantur pecuniae ad mutuum, quae postea non applicentur in utilitatem monasterii; aliter enim monasterium non remanet obligatum, ut Tap. Bard. Alex.[12]. Interveniente tamen consensu abbatissae et capituli, saltem quoad maiorem partem vocalium, monasterium debet stare contractui [13]. An autem valeat remissio debiti aut renuntiatio legati facta ab abbatissa et capitulo. Affirmant probabiliter, iusta causa intercedente, Sanchez Lugo etc. apud Alex. Sed non minus probabiliter ipse Alex.[14] cum Bon. Mol. etc. Negant, quia non possunt moniales laedere monasterium, quod iam acquisivit ius ad rem. Et ideo dicunt non posse abbatissam et capitulum alienare bona immobilia monasterii (sive mobilia pretiosa, quae ser-

(1) D. 3. p. 23. n. 10. (2) P. 484. n. 610. (3) C. 4. §. 3. q. 6. (4) 1. 2. q. 96. a. 6. (5) Disp. 209. (6) Ib. q. 7. (7) C. 4. §. 1. q. 16. (8) C. 11. §. 1. q. 11. (9) L. c. q. 23. (10) Q. 13.

(11) Ex c. Ea noscitur 6. De his quae fiunt a prael.
(12) C. 11. §. 1. q. 16.
(13) Ex c. Cum dilectus 2 de ordin. cogn.
(14) C. 11. §. 1. q. 17.

vari possunt): neque ea locare ultra triennium: neque transigere super bonis iam monasterio incorporatis, nisi res sit litigiosa vel praeiudicialis: neque illa oppignorare, nisi urgeat necessitas et non sit tempus adeundi s. congregationem: neque super iis imponere censum, sive hypothecam: Alex. [1] cum Nav. Quart. et aliis, neque recipere pecunias ad cambium cum solutione lucri cessantis, ex decr. s. c. [2] neque alienare greges vel boves ad culturam agrorum monasterii necessarios; bene vero fructus gregum. Alex. Suar.[3].

Excipitur tamen si res non excedat valorem 25. scutorum monetae romanae, et alienatio sit in evidentem utilitatem monasterii; vel si res sit monasterio inutilis. V. alia apud Alex. [4].

Potest etiam abbatissa instituere beneficia et capellanias conferre, quoad titulum tantum et possessionem; non autem quoad potestatem ecclesiasticam, ut Gonz. Felin. etc. cum Alex. [5]. Ita etiam, licet non possit ipsa clericos suos suspendere, potest tamen ab eis auferre titulum et possessionem beneficiorum; qua ablatione posita, censetur papa auferre etiam ius spirituale. Ita Alex. cum Pasq. Potest etiam abbatissa cum iusta causa amovere capellanum, adhuc invito patrono. V. Alex.[6].

37. « Resp. 2. Religiosus voto castitatis obligatur ut abstineat se ab omni voluntaria delectatione venerea, interna et externa: proindeque si quis contra castitatem peccat, duo peccata admittit, luxuriae et sacrilegii. Less. et Laym. [7] (Et probabilissime peccat etiam contra bonum commune, si periculum sit quod per suum peccatum religio infametur. Salm. [8] cum Pell. Diana etc.). »

Ad maiorem autem tutelam castitatis introducta est clausura, non solum monialium, sed etiam religiosorum, qui non possunt e monasterio egredi sine licentia superioris. Ita ex constit. Clementis VIII. quae incipit, *Nullus etc.* [9] ubi sic habetur: *Nullus e conventu egredi audeat, nisi ex causa et cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata a superiore; qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eumdem saepius. Licentiae vero generales exeundi nulli concedantur.* Sed hic quaeritur quale peccatum sit egredi sine licentia. Communiter dd. ut ait Spor. [10] cum Pelliz. Lezana etc. dicunt, ex genere suo id esse mortale, quia consuetudo omnium religionum fert ut tales egressus tamquam graves culpae semper puniantur. Censent tamen rationabiliter Anacl. [11] et Spor.[12] cum Navarr. Bard. Miranda, Pell. et communi (contra Suarez) non peccare graviter religiosum semel vel iterum exeuntem de die sine licentia, nisi hoc agat ex contemptu vel cum scandalo; secus vero dicendum de nocturno et furtivo egressu. Quoad excommunicationem autem ob violationem clausurae regularium vel monialium, (*vide dicenda de censur. l. 7. n.* 220.

38. « Resp. 3. Religiosus, ex voto *obedientiae* obligatur ad omnia quae superior praecipit, secundum regulas et constitutiones ordinis, sive directe et expresse, sive indirecte et implicite. Et quidem, si praecipiat in virtute sanctae obedientiae, in nomine domini nostri Iesu Christi, vel simili forma, tenetur obedire sub mortali, quia intendit obligare quantum potest: sub veniali autem, si alia forma utatur: vel sub nullo; quod consuetudo in societ. Iesu approbavit. Vide s. Thom.[13] Sylv. Sanch.[14] Less.[15] Laym.[16] (Notandum, quod nisi praelatus mandatum explicet, v. gr. dicens: iubeo, praecipio etc. subditus non tenetur obedire; ita Salmant.[17] cum Suar. Pelliz. etc. Et, dicente praelato: *iubeo, praecipio etc.* nec etiam tenetur subditus obedire sub gravi, ut docet Sanch.[18] cum Med. Vasq. Suar. et de Alex.[19] nisi addatur: *In no-*

(1) C. 11. §. 1. q. 14. (2) Ibid. (3) Ibid. (4) C. 11. §. 1. q. 18. et 19. (5) C. 11. §. 1. q. 8. (6) Ibid. (7) C. 7. (8) De statu rel. c. 6. punct. 3. §. 1. n. 26. (9) Ap. Cherub. in suo bull. n. 60. (10) T. 3. p. 100. n. 158. (11) Tit. 35. de statu monach. n. 69. (12) Loc. c. (13) 2. 2. q. 104. (14) L. 6. mor. c. 1. (15) L. 2. c. 4. d. 4. (16) C. 9. (17) Tr. 15. c. 6. p. 4. n. 47. (18) Dec. l. 6. c. 4. n. 26. (19) Conf. mon. c. 6. §. 5. q. 14.

mine domini Iesu Christi, vel *in virtute obedientiae:* vel nisi addatur poena excommunicationis, non solum ferendae, sed etiam latae sententiae, ut dicunt Navarr. Vasq. et alii cum Alexandro [1].

39. « Porro, quae indirecte pertinent ad regulam, Sylv. et quidam alii ampliant ad illa quae faciunt ad pleniorem eius observationem. Sanch. tamen arctat ad res valde necessarias, sine quibus regula commode servari nequit, alioqui enim superior quasvis corporis macerationes praecipere posset: ordinantur enim ad pleniorem observationem regulae. Laym. [2] Less. [3].

Unde resolves:

40. » 1. Non tenetur subditus obedire in iis quae sunt vel contra regulam (nisi superior in ea possit dispensare, et legitima causa dispensandi subsit) (Hinc constare debet, praelatum dispensasse sine causa, ut non tenearis obedire, prout Salm. [4] cum Pell. Peyr. et communi) vel supra regulam, ut essent magnae macerationes (nisi in poenam, vel ad obligationem votorum necessariae), vel ut acceptet episcopatum. (Ita Salm. cum communi [5] vel ut acceptet beneficium curatum, aut simplex. Salm. [6] vel ut eat ad infideles cum manifesto periculo vitae, aut servitutis. Salm. [7] cum aliis. Tenetur tamen acceptare munus intra ordinem, si praelatus praecipiat, communiter Salm. [8] etiamsi praecesserit pactum in contrarium, quia pactum reiicitur tanquam turpe, ut de Alex. [9] cum s. Th.) Dian. [10] et alii sex; vel infra regulam scilicet vana (nisi praecipiat ex causa quae sit secundum regulam, v. g. ut obedientia exerceatur); nec refert quod regulae iubeant in omnibus obedire; id enim non de obligatione voti, sed de obedientiae perfectione intelligitur. Ita Suarez Sanch. [11] et Laym.»

An autem religiosus teneatur obedire praelato praecipienti quod assistat infirmis infectis morbo contagioso. Respon. Affirmative, si infirmi sunt religiosi eiusdem sui monasterii vel ordinis, quia hoc pertinet ad bonum commune ipsius communitatis, ut ipsi inter se invicem sibi subveniant. Secus, si infirmi sunt extranei; nisi deesset qui ipsis sacramenta necessaria ministraret, quia tunc debent postponere vitam temporalem saluti spirituali proximorum. Ita Sanch. [12] Pal. [13] Elb. [14] et Spor. [15] cum Cai. Lez. Rodr. et comm.

41. « 2. Si regula ordinis sub peccato obliget, eius transgressio est contra votum et sacrilega. Ratio est quia talis regula non est minus praeceptiva quam vox superioris; et subditus promittens observationem regulae, eo modo quo ipsa intendit, se obligare censetur; proindeque carthusianus v. gr. carnes edens, vel franciscanus feria sexta non ieiunans, et contra obedientiam et contra temperantiam peccat. S. Th. [16] Valent. Sanch. [17] Vasq. Rodr. Laym. [18] Escob. etc.

42. » 3. Si regula sub peccato non obligat, transgressor illius non peccat contra votum obedientiae. Ratio est quia talis regula non continet proprie praeceptum, sed tantum est ordinatio seu monitum obligans tantum ad poenam, si imponatur. S. Th. Laym. [19]. Hinc nec transgressio illius, ex rationabili causa et bono fine, seu ex motivo virtutis facta, v. g. si extra tempora loquatur cum socio ut moestum consoletur, est peccatum: erit tamen veniale, si ex negligentia, torpore animi, aliove inordinato affectu fiat (Ita s. Th. [20] Sanch. [21] et Laym. [22] cum Vasq. et Val.): quem ut plurimum concurrere, adeoque raro omni culpa vacare, putant Valent. Sanch. et Suar. qui addunt quod si quis frequenter et quasi per consuetudinem regulam transgrediatur, religiosam disciplinam graviter perturbet, eaque ex causa in periculo expulsionis se constituat, pec-

(1) Ibid. (2) L. 4. tr. 5. c. 9. (3) L. 2. c. 4. d. 9. (4) De stat. relig. c. 6. punct. 7. n. 72. (5) D. c. 6. n. 77. (6) Ib. n. 78. (7) Ib. n. 73. (8) Ibid. n. 79. (9) C. 6. §. 1. qu. 10. (10) P. 6. t. 9. res. 53. (11) 6. mor. c. 2.

(12) Dec. l. 6. c. 2. n. 57. (13) Tr. 15. d. 4. p. 4. n. 7. (14) T. 2. p. 625. n. 624. (15) T. 5. p. 101. n. 165. (16) In 2. d. 44. q. 2. a. 3. (17) 6. mor. c. 1. et 4. (18) Loc. cit. n. 6. (19) Loc. cit. (20) 2. 2. q. 186. a. 9. ad 1. (21) L. 6. c. 4. n. 14. (22) L. 4. tr. 5. c. 9. n. 8.

cet mortaliter. Layman [1] Sanchez [2].

43. » 4. Etsi capitulares novum statutum condere possint, quo ipsi, aliique postmodum professionem edituri obligentur; ante tamen professi, qui in illud non consenserunt, eo non obligantur, si ad regulam ordinis non directe nec indirecte spectet, Laym.[3] nisi tamen statutum fiat in capitulo generali, vel saltem provinciali (iuxta cuiusque ordinis institutum), concurrente maiore parte suffragiorum, et non sit regulae difforme. Vide Escob. [4]. Ratio est quia, quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari [5]. Addunt Layman et Sanchez ex Sylv. et Azor. [6] Less. [7] nec pontificem posse religiosos cogere ad arctiorem vivendi rationem, quam instituti prima forma postulat; quia obligatio obediendi, etiam pontifici, provenit ex voto quod factum fuit secundum proprium regulae institutum. Si tamen regulae reformatio necessarium medium esset ad ordinis conservationem, ad eam praelatus cum capitulo, multoque magis pontifex illos cogere potest, quando ad hoc se implicite quisque obligasse censetur. Sylv. Less. Sanch. Laym. [8].»

44. Quaeritur an religiosi teneantur obedire praelatis reformantibus regulam collapsam. Certum est quod, postquam regula per legitimam consuetudinem relaxata est, quamvis primi religiosi peccarint, secundi tamen non tenentur eam observare, ut fuse probant Salm.[9] et docent Sanch. [10] ac de Alexand.[11] cum Cai. Turrec. Palac. etc. Sed dubium est, si regula reformetur a capitulo generali, an professi teneantur obedire. Affirmant de Alex. [12] et Salm. [13] cum Corduba Pell. Suar. (citantque etiam Laym. Vasq. Az. et Sanchez, sed non bene; nam Laym. est pro secunda sententia, ut infra, et citat pro se Vasq. Azor. et Sanch.). Ratio huius primae sententiae est quia religiosi regulam profitentes, eam ut primitus institutam profitentur; unde saltem parati esse debent ad illam servandam, quando de ea instauranda tractatur. Excipiunt tamen, nisi religiosus tempore professionis expresse intenderit non se amplius obligare, quam ad illam regulam sic relaxatam. Alii vero ut Palaus [14] Laym. [15] cum aliis ut supra, ac Sporer [16] dicunt non minus probabiliter (ut loquitur Cont. Tour. [17]), et forte probabilius, religiosos ad id non teneri, nisi reformatio appareat medium necessarium ad ordinis conservationem, nempe si cum praesenti observantia paucissimi ad perfectionem religiosam pervenire studeant, vel si cum scandalo saecularium vivant, ut expediret potius religionem dissolvi, quam ita continuari. Ratio, quia is qui professionem emittit, potius censetur iuxta praesentem statum regulam profiteri, quam iuxta pristinum institutum. Ait autem Laym. [18] cum Less. et Sanchez posse praelatum ob aliquam publicam necessitatem ad tempus imponere aliquam austeritatem, puta ieiunium etc. Imo addunt Sanch. Sylv. Vega Vasq. et Salmant.[19] praelatos posse edere nova statuta, quando essent necessaria, ut vota essentialia et alia religionis statuta serventur.

45. « 5. Etsi consuetum non sit nec consultum ut praelati sub peccato praecipiant actus internos: probabile tamen est fieri posse, ut docent Laym. Suar. etc. Ratio est, quia verisimile est quod aliqui religiosi ad id se obligare intendant, cum se quasi holocaustum Deo tradant.»

46. Quaer. hic quot peccata committit religiosus contra obedientiae praeceptum agens. Sotus Led. Laym. Tamb. etc. apud Salm.[20] dicunt unum peccatum committere contra votum obedientiae, quia tantum ex voto tenetur obedire. Contradicunt tamen probabilius

(1) L. 5. c. 9. (2) N. 18. (3) L. c. n. 10. (4) De leg. e. 1. c. 12. n. 15. (5) Juxta reg. iur. 29. in 6. (6) T. 1. l. 13. c. 11. q. 19. (7) L. 2. c. 41. n. 22. (8) Locc. cc. (9) De stat. relig. c. 6 p. 7. n. 80. et de leg. c. 6. p. 4. §. 2. n. 39. (10) L. 6. c. 2. n. 26. (11) Conf. mon. c. 1. §. 2. q. 3. (12) Ibid. q. 4. (13) Tr. 15. c. 6. punct. 7. n. 81. (14) Tr. 16. d. 4. q. 4. n. 11. (15) L. 4. tr. 5. c. 9. n. 13. (16) T. 3. p. 101. n. 161. (17) De praec. statuum oblig. p. 2. c. 2. a. 3. v. Quaeres 3. (18) Loc. c (19) Tr. 15. c. 6. p. 7. n. 82. (20) Loc. cit. p. 10. n. 100.

Salm. [1] cum Suarez Pell. Pal. etc. qui tenent committere duo peccata, unum contra religionem ratione voti, aliud contra virtutem obedientiae quam de se debet religiosus praelato suo ratione promissionis, et traditionis factae de seipso in professione, ob quam per se etiam sine voto, teneatur legitimo superiori obedire.

47. « Quaeres an subditus teneatur obedire, si dubitet, utrum sit res licita, quam praelatus iubet, vel iusta sit causa imperandi.

» Resp. 1. communiter teneri, quia tunc melior est conditio superioris qui est in possessione potestatis praecipiendi: in dubio autem nemo spoliandus est iure quod habet. Nec dicas, subditum etiam esse in possessione libertatis, cum habeat debitum parendi.

» Resp. 2. Non teneri si grave damnum obediendo timeat. Ratio est quia in dubio favendum est reo, eique de cuius damno agitur; etsi enim subditus non sit in possessione libertatis, est tamen in possessione iuris quo potest se a periculosis rebus conservare. Lessius, Sanch. [2] aliique. »

Quaer. 1. Utrum subditus dubitans an res praecepta sit licita nec ne, possit et teneatur obedire. Videtur negare Adrianus apud Less. [3] dicens: *Nullus dubitans de actu, an sit mortalis an non, licite obedit, ipso sic dubitante.* Idemque tenere Vasq. et Rodriq. refert Pal. Sed communis et certa est sententia opposita, quod subditus, licet dubio perseverante non possit obedire, cum omnino sit illicitum operari cum dubio practico (quod tantum ait Less. intelligere Adrianum, et facile idem intelligunt Vasq. et Rodr.): tenetur tamen eo casu dubium deponere, et sic potest et debet obedire: Glossa in c. *Ad aures* 6. *de Temp. Ord. v. Obedientia*, ubi dicit: *Si vero dubium sit praeceptum, propter bonum obedientiae* (subditus) *excusatur a peccato, licet in veritate sit malum.* Az. [4] qui ait hanc sententiam esse *omnium communi consensione receptam.* Cai. [5] Less. [6] Sylvius [7] Cab. [8] Cont. Tourn. [9] Anacl. [10] Pal. [11] Spor. [12] Holz. [13] Elbel [14] Salm. [15] Sanch. [16] cum s. Bonav. s. Ant. Innoc. Hostiens. Abb. Pal. Soto Nav. Tol. Mol. Val. Sa Sylv. Ang. Arm. et innumeris aliis. Probatur 1. ex Deut. [17] ubi sic habetur: *Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris .... facies quodcumque dixerint, qui praesunt loco, quem elegerit Dominus.* Item ex iure can. [18] ubi dicitur subditus *posse obedire, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei praeceptum certum est, vel utrum sit, certum non est.* Tò *posse* autem non quidem denotat libertatem, sed honestatem operandi, nempe non laedi praeceptum de cuius transgressione subditus dubitat. Idem confirmat s. Bernard. [19] dicens: *Quidquid vice Dei praecepit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si praecipiat Deus.* Ipse enim Christus Dominus dixit: *Qui vos audit me audit* [20]. Et apostolus [21]: *Obedite praepositis vestris, et subiacete eis.* Item in constit. societ. Iesu sic s. Ignatius praescripsit: *Obediendum in omnibus, ubi peccatum non cernitur*, id est (ut in *declarationibus*) *in quibus nullum manifestum est peccatum.* Sic pariter habetur in *reg. ff. minorum cap.* 10. apud Elbel: *Obediendum in omnibus quae non sunt contraria animae et regulae.* Idem docuit b. Humbertus [22]: *Nisi aperte sit malum quod praecipitur, accipiendum est, ac si a Deo praeciperetur.* Idem b. Dionysius carthus. [23] scripsit: *In dubiis, an sit contra praeceptum Dei, standum est praecepto praelati; quia, etsi sit contra Deum, attamen propter obedientiae bonum non peccat subditus.*

(1) Ibid. n. 110. (2) 6. mor. c. 4. (3) L. 2. c. 41. n. 76. (4) T. 1. l. 2. c. 19. q. 9. (5) 2. 2. q. 169. a. 2. ad 4. dub. 2. (6) L. 2. c. 41. n. 73. (7) Q. 19. a. 5. (8) T. iur. l. 1. c. 21. n. 17. (9) Loc. c. de statu et obl. relig. a. 3. q. 5. r. 2. (10) De cons. p. 27. n. 34. (11) P. 1. d. 3. punct. 15. n. 3. (12) T. 3. de statu relig. p. 101. n. 161. (13) De pr. part. t. 1. p. 479. n. 590. (14) T. 2. p. 620 n. 612. (15) Tr. 15. c. 6. p. 6. n. 67. (16) Dec. l. 6. c. 3. n. 3. (17) C. 17. v. 8. et 10. (18) C. Si quid culpatur caus. 23. q. 1. (19) De pr. et disp. c. 12. (20) Luc. 10. 16. (21) Hebr. 13. v. 17. (22) In l. de erud. rel. c. 1. (23) In 2. dist. 39. q. 3.

Et idem docuit prius s. Bonav. [1]. Probatur 2. ratione, quia superior est in possessione praecipiendi; unde ab ea non est expoliandus, nisi constet quod res praecepta sit illicita. Confirmatur, quia, si in cunctis dubiis de bonitate actionis praeceptae possent subditi se eximere a iugo obedientiae, utique nulla communitas bene regi et consistere valeret. Hinc d. Bernardus [2] merito obiurgat religiosos, praecepta superiorum discutientes, dicens: *Porro imperfecti cordis et infirmae prorsus voluntatis indicium est, haerere ad singula quae iniunguntur, et exigere de quibusque rationem; quoniam expedit profecto magis omnino non fuisse, quam nostros permanere; nam qui voluerunt sui esse, utique sicut dii scientes bonum et malum, facti sunt non solum sui, sed etiam diaboli.* Neque hic currit regula pro subdito quod in dubio melior sit conditio possidentis; nam cum ipse iam se subiecerit potestati praelati, in dubio possessio stat pro superiore habente ius praecipiendi.

Hinc infertur 1. quod si diversae adsint opiniones probabiles circa rem praeceptam, quod sit licita vel non, subditus tenetur obedire, ut communiter docent Sanch. [3] Azor. [4] et Salm. [5] cum Valent. Pelliz. Lez. Vill. Sal. Cordub. et Prado (contra Less. Diana Sancium ac Pal. qui [6] probabilem vocat eorum sententiam, sed fatetur contrariam esse communem aitque semper in praxi consulendam). Nec obstat dicere quod superior non habet ius imperandi quod illicitum est, et ideo cum praecipit rem probabiliter illicitam, probabiliter nequit eam praecipere; ergo probabiliter nec tenetur subditus tunc obedire. Nam argumentum hoc claudicat ex duplici capite: valeret enim argumentum, si praelatus rem illam praeciperet ut probabiliter illicitam; sed nos dicimus quod eo casu rem illam praecipit, non ut probabiliter illicitam sed ut probabiliter licitam: et ideo licite imperat, ac proinde subditus tenetur obedire. Praeterea, quamvis tunc sit probabile quod praelatus non possit rem illam praecipere, cum sit probabiliter illicita; non ideo est probabile quod subditus non teneatur obedire; esto enim superior non habeat ius praecipiendi id quod certe iniustum est, habet tamen ius praecipiendi id quod probabiliter est iustum, vel quod certum non est esse iniustum, idcirco subditus tenetur ei obedire in omni re quae vel est probabiliter iusta, vel quae non constat esse iniusta. Hinc recte deducitur quod subditus tenetur obedire praelato, etiamsi res praecepta probabilius ei videatur illicita (quidquid dicant Salm. [7] cum ipsi iidem [8] contrariam aperte asseruerint dicendo, praelatum habere ius imperandi quod vel est probabiliter iustum, vel quod non est certe iniustum). Ratio quia ius possessionis quod habet superior, praevalet omni opinioni contrariae quae non habet rationes convincentes, fundantes certitudinem moralem, iuxta dicta *de conscientia* cum Lugo Pal. Ronc. Spor. et aliis, utque tenent in praesenti casu Bus. et Layman [9] cum Vasquez Corduba ac Miranda; et idem docet Sanch. [10] qui non dubitavit se retractare a diversa opinione quam olim tenuerat [11].

Infertur 2. quod subditus etiamsi habeat unicam opinionem probabilem, quod res praecepta sit illicita, et nulla sibi appareat probabilitas de illius honestate, adhuc tenetur obedire, ut dicunt idem Pal. [12] et Sanch. [13] cum Suar. Sylvest. Ang. Val. Tab. Sayr. Salas Rosell. et Corduba. Ratio quia dum non constat de turpitudine actionis, praelatus habet ius praecipiendi omnia quae ipsi licita videntur, quamvis subdito illicita appareant, cum praelatus (ut diximus) non est expoliandus suo iure imperandi, nisi constet quod res praecepta sit illicita; idque patet ex iure can. [14] ubi sancitum fuit, quod con-

(1) In spec. disc. c. 4. (2) L. de gratia et arb. (3) L. c. n. 6. et l. 1. c. 3. n. 6. (4) Loc. cit. (5) Tr. 15. c. 6. punct. 6. n. 67. (6) Tr. 1. dist. 2. p. 6. n. 5. (7) Loc. c. n. 70. (8) Ibid. n. 67. (9) L. 1. tr. 1. c. 5. §. 2. n. 11. (10) L. 6. c. 3. n. 6. et l. 1. c. 10. n. 9. (11) De matrim l. 2. d. 41. n. 10. (12) Loc. c. punct. 1. n. 54 (13) D. c. 3. n. 6. (14) C. Inquisitioni, de sent. ex

ius habens tantum probabilitatem, non autem certitudinem, de nullitate sui matrimonii, tenetur reddere debitum alteri qui adhuc possidet ius petendi. Hoc autem quod dictum est de dubio honestatis rei praeceptae, dicendum etiam est in dubio an praeceptum excedat potestatem praelati, vel an sit supra regulam, ut docent Sanch. [1] et Salmant. [2] cum Azor. Valent. Cord. Vill. Salas etc.

Limitant vero communiter dd. praefatam sententiam, et dicunt subditum non teneri obedire 1. si res sit valde difficilis et molesta; quia tunc difficultas operis simul cum opinione probabili quod res praecepta sit illicita, vel quod praeceptum excedat potestatem superioris, praevalet illius possessioni. Ita Bus. et Less. [3] Pal. [4] ac Salm. [5] cum Soto Lop. Med. Hurtad. Prad. Pelliz. et communi. Limitant 2. Quando subditus obediendo exponeret se vel alterum periculo gravis incommodi subeundi in vita, fama, honore, aut bonis: Ita Lessius [6] Sanch. [7] Pal. [8] Holz. [9] Cont. Tournely [10] Elb. [11] et Salm. [12] cum Sot. Bann. Hurt. Led. Prado Rodr. et Pell. Ratio quia subditus non tenetur tunc se privare iure suo certo quod possidet circa talia bona magni momenti, ne superior privetur sua possessione, quae in eo casu est aliquo modo incerta.

Sed dubitatur 1. an subditus teneatur obedire quando probabiliter opinatur praeceptum non esse impositum, vel esse abrogatum. Resp. negative, ut communiter docent Sanch. [13] et Salm. [14] cum Hurt. Prad. etc. Imo dicendum, quod in dubio de impositione praecepti, nulla est obligatio parendi, nisi constet illud fuisse impositum.

Dubitatur 2. An teneatur subditus parere, si dubium vertat, utrum qui praecipit sit legitimus superior. Negant Vasq. Salas Diana etc. apud Salmant. [15] quia (ut dicunt) eo casu dubitatur etiam de possessione superioris Sed verius dicendum cum Less. [16] Cabass. [17] Cont. Tourn. [18] Sanch. [19] et Salmant. [20] quod subditus tenetur tunc obedire, si communiter ille habetur ut superior; quia stante tali communi aestimatione ex una parte, et probabilitate quod ipse legitimus sit superior ex alia, supplet ecclesia iurisdictionem [21]. Eo igitur casu non erit tantum probabile, sed certum quod ille sit superior. Secus, si communiter non habeatur ut talis, quia (ut ait Cabass. [22]. tunc in dubio melior est conditio subditi suam libertatem possidentis.

48. Quaer. 2. An religiosus valide voveat sine sui superioris licentia. Negant Palud. Val. Ang. Rosell. quia religiosus per votum obedientiae privavit se voluntate. Sed verius Nav. Cai. Sot. cum de Alex. [23] et aliis dicunt bene posse religiosum vovere quae non repugnant regulae aut praecepto praelati, neque obsequio illi debito. Quare possunt emittere vota personalia, vel circa res praeceptas, et etiam non praeceptas a regula, si a regula vetitae non sunt. Potest tamen superior prohibere subditis, ne voveant, ipso inconsulto, ut apud Alex. [24] aiunt Suar. et Bart. a s. Fausto; qui autem probabiliter dicit valere aliter vota emissa, non obstante hoc praecepto, quandoquidem materia sit Deo grata, quamvis modus Deo non placeat.

49. Quaeritur 3. An religiosus teneatur obedire praelato praecipienti revelare secretum sibi commissum. Resp. tenetur, si aliter damnum eveniret monasterio, aut alii tertio, sive ipsi praelato; quia tunc, etiam sine praecepto, de se urget manifestandi obligatio, quae per secreti commissionem minime impeditur. Ita docet s. Th. [25] s. Anton. Nav. Reg. etc. Secus vero, si absit damnum praedictum, quia tunc urget fidem servandi naturalis obligatio

(1) L. 6. c. 3. n. 3. (2) Tr. 15. c. 6. p. 6. n. 67. (3) L. 2. c. 41. n. 73. (4) D. 3. punct. 14. n. 16. (5) Ibid. n. 68. (6) N. 76. (7) N. 24. (8) N. 16. (9) Pag. 479. n. 590. (10) De act. hum. et cons. c. 7. a. 4. (11) T. 1. de cons. n. 60. (12) Ibid. n. 69. (13) Dec. l. 6. c. 5. n. 7. (14) Tr. 15. c. 6. punct. 6. n. 63. (15) Loc. cit. n. 64. (16) C. 41. n. 76. (17) L. 1. c. 31. n. 17. (18) Hic c. 2. a. 3. v. Quaer. 5. (19) L. 6. c. 3. n. 29. (20) Ib. n. 65. (21) Ex l. Barbarius, ff. de off. praet. (22) Loc. c. (23) Conf. mon. c. 6. §. 1. q. 4. (24) Loc. c. (25) 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2.

quae per praeceptum praelati auferri nequit, ut s. Th. [1]. En verba s. doctoris: *Quandoque enim sunt talia quae homo manifestare tenetur, puta si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicuius personae, quod quis propalare tenetur, vel testificando vel denuntiando ...... Quandoque vero sunt talia quae quis prodere non tenetur; unde potest obligari ex hoc, quod sibi sub secreto committuntur, et tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex praecepto superioris.* An autem possit religiosus revelare secretum commissum ad vitandum damnum proprium. Negat de Alex. [2] cum Soto Sylvest. etc. Sed probabiliter affirmant communius Less. Laym. Lugo Spor. Roncaglia et alii plures, quos retulimus *l.* 3. *n.* 971. *v. An autem.*

50. Hic operae pretium est videre, circa obligationem omnium votorum istorum, an religiosus, superveniente aliqua circumstantia notabili non praevisa, teneatur ad vota in professione emissa. Loquendo de votis simplicibus (*in tr. de voto l.* 3. *n.* 226.) diximus satis quidem probabilem esse sententiam, non esse obligationem implendi votum, si notabilis circumstantia superveniat, qua praevisa quis votum non emisisset; excepto voto simplici castitatis et religionis; nam licet Bonac. [3] et Led. Leand. ac Quintan. apud Salm. [4] sentiant non teneri ad praefata vota eum qui illa emiserit agitatus stimulis carnis, cum evidenti periculo incontinentiae, stante experientia lapsuum, si postea perseverent stimuli et pericula, quia (ut inquiunt) eo casu talia vota non sunt de meliori bono: attamen melius dicunt Sanch. [5] Pont. [6] Salm. [7] cum Suar. Laym. Pal. Moya Diana etc. praefatam sententiam non esse practice probabilem, quia alias vix ullus esset casus quo praedicta vota firma remanerent, cum vix ullus inveniretur, qui vel ob suam igneam complexionem, fragilitatem expertam, pravam consuetudinem, vel ob daemonis suggestiones non ageretur stimulis carnis, et facile sibi persuaderet non esse talibus votis obstrictum. Loquendo autem de votis solemnibus emissis in professione religiosa, vel in susceptione sacrorum ordinum, omnino tenendum cum communi dd. quod nullo modo vota praedicta irritari possunt ob quamcumque notabilem circumstantiam supervenientem, etiam non praevisam, modo non sit circumstantia versans circa substantiam votorum. Ita Spor. [8] Ronc.[9] Sanch.[10] Laym.[11] Bon.[12] Holz.[13] Pichler [14]. Et idem dicunt loquendo speciatim de solemni voto castitatis, Sanchez [15] cum Val. et Salmant. [16]. Ratio quia religiosus vel sacerdos in tali casu non consideratur ut persona particularis, cui melius tunc conveniat non esse voto obstrictum, sed ut pars et membrum communitatis ecclesiae, cui praestat postponere suum bonum privatum bono communi; nam alias innumera inconvenientia, scandala et perturbationes cum ingenti damno christianae reipublicae procul dubio sequerentur.

Et idem omnino dicendum, ob eamdem rationem boni communis, pro votis quae emittuntur a viris, aut mulieribus oblatis in aliquibus congregationibus; maxime si addatur iuramentum perseverantiae, prout fit in ven. congregatione patrum missionis s. Vincentii a Paulo, et in nostra minima congregatione ss. Redemptoris: quia (ut diximus *l.* 3. *n.* 236. *vers. Notandum)* hic intervenit contractus onerosus utrinque obligatorius; nulla enim circumstantia superveniens, etiam non praevisa, potest contractus onerosos irritos reddere; unde sicut congregatio nequit oblatum dimittere ob circumstantias supervenientes (exceptis circumstan-

(1) Ibid. (2) Conf. mon. p. 124. q. 9. (3) T. 2. d. 4. q. 2. p. 1. n. 26. (4) Tr. 15. c. 6. punct. 3. §. 2. n. 32. (5) Dec. l. 4. c. 8. n. 9. et de matr. l. 7. d. 11. n. 8. (6) De matr. l. 6. c. 12. n. 2. (7) De stat. relig. c. 6. punct. 3. §. 2. n. 35.

(8) De voto c. 3. n. 6. (9) De vot. c. 2. q. 3. r. 3. (10) De matr. lib. 10. d. 9. n. 18. (11) Lib. 4. tr. 4 c. 7. n. 5. (12) Q. 2. p. 3. §. 2. n. 5. (13) De voto n. 411. (14) L. 3. decr. tit. 34. n. 5 (15) Dec. l. 4. c. 8. n. 10. (16) Tr. 17. de voto c. 1. p. 2. §. 2. n. 44.

tiis criminum) ita nec oblatus potest congregationem relinquere.

Quaeritur hic an valeat licentia ab inferiori praelato concessa, quae a maiori fuerit denegata. Probabiliter affirmant Holzm. [1] et Croix *lib. 4. n.* 116. cum Pelliz. Ratio quia superior maior, denegando licentiam, minime reddit irritam potestatem inferioris. Secus vero dicendum puto, si praelatus maior positive prohibeat subdito exequi rem petitam, quia tunc inferior nequit dispensare in mandato superioris. Quid, si praelatus maior interdicat inferiori concedere licentiam pro aliqua re? Probabiliter adhuc dicunt aa. supra citati, quod si inferior licentiam concedit, valide concedit (quamvis illicite), secus si superior huiusmodi licentiam irritam declarasset. Item advertatur hic quod habetur in Trident. [2]: *Nec liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad superiores suos accedendi; nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint.*

51. Circa autem obedientiam *monialium* praenotandum quod moniales ratione voti tenentur obedire; 1. Summo pontifici. 2. episcopo loci, si non sunt exemptae, si vero sint exemptae, praelato ordinis, eodem modo quo sui religiosi illi obediunt. Etiam tamen exemptae tenentur obedire episcopo in iis in quibus ille se gerit tamquam delegatus sedis apostolicae, prout in observantia clausurae. 3. Tenentur obedire abbatissae in iis quae ad regulam pertinent. Sed de hac obedientia, quam moniales debent episcopo et abbatissae, alia necessaria adnotare et discutere opus est.

52. Quoad obedientiam debitam abbatissae, 1. Magna illa quaestio hic occurrit an abbatissa possit praecipere monialibus in virtute obedientiae, obligando in conscientia.

Prima sententia negat cum Soto Caram. etc. quia, ut dicunt, abbatissa non est capax iurisdictionis spiritualis exercendae, sed tantum ipsa praecipere valet, quae spectant ad oeconomicam monasterii gubernationem.

Secunda sententia tamen affirmat, quam tenent Pasq.[3] et undecim alii aa. apud ipsum; et his adhaeret de Alex.[4]. Ratio quia per votum obedientiae obligantur moniales ad obediendum omnibus suis legitimis superioribus. Legitima autem et vera superior dicenda est abbatissa in suo monasterio; cum enim pontifex religionem approbat, approbat pariter inter moniales ordinem superioritatis et subiectionis: aliter quomodo monasterium et observantia regulae servari potest? Quare, licet abbatissa iurisdictionem non possit exercere, ut certum est et commune; potest tamen, saltem tanquam ministra, exigere obedientiam per votum promissam circa res quae a regula sunt praeceptae, vel quae ad profectum monialium iuxta regulam conveniunt. Et secunda sententia mihi videtur absolute probabilior, cum talis obedientia videatur absolute esse necessaria ad observantiam regulae sustinendam; talis enim est in monasteriis observantibus praxis universalis.

53. 2. Quaestio occurrit an possit abbatissa dispensare cum suis monialibus in regulis aut votis. Certum est quod abbatissa non potest auctoritativo modo dispensare quoad observantias religionis, nempe quoad ieiunia frangenda, ad edendas carnes, etc. contra regulam; sed bene potest dispensare ex commissione praelati, ut notant Lez. Tamb. cum Alex. [5] vel potest ipsa de se declarare aliquando, ieiunium, vel aliud praeceptum non obligare. Circa vota autem monialium, pariter certum est non posse abbatissam in illis dispensare vel commutare uti potest cum eis dispensare episcopus vel praelatus regularis, si sint exemptae; sed conveniunt communiter dd. quod abbatissa, ratione potestatis dominativae, quam ob votum obedientiae habet supra suas subditas, sicut habent parentes super filios, possit ir-

(1) T. 1. p. 484. n. 610.
(2) Sess. 25. de regul. c. 4.
(3) In Lauret. p. 1. n. 761.
(4) C. 6. §. 2. q. 7.
(5) C. 11. §. 1. q. 4

ritare earum vota sive de re supererogatoria sive de re circa regulas, ut docent Nav. Sot. Tamb. Sylv. cum Alex.[1]. Et hoc etiamsi votum fuerit transeundi ad strictiorem religionem, ut tenent Pasq. et adhaeret Alex.[2] contra Less. Pelliz. etc.

54. Dubitatur autem an possit abbatissa irritare votum monialis emissum cum suo consensu. Negat Rich. sed affirmant communiter Sylv. et Armill. quibus adhaereo cum Tamb. Pasq. Alex. et Salm. modo adsit iusta causa; alias si sine causa, peccabit, sed probabiliter non plus quam venialiter. *Vide dicta de voto l. 3. n. 239. v. Certum.*

55. Vota novitiarum non potest abbatissa irritare, sed tantum suspendere eorum executionem, si probationi officiant, ut Less. et Sylv. Si vero vota emissa fuerint a novitia, dum adhuc erat sub potestate parentum, tunc dicit Alex.[3] posse abbatissam ea irritare, cum ipsa tunc succedat in eamdem potestatem dominativam erga novitiam.

56. Quoad autem obedientiam a monialibus episcopo debitam, plura alia adnotare oportet. Notandum 1. quod moniales non tenentur obedire episcopo circa electionem officialium monasterii, cum haec omnino ad moniales spectet, ex decreto s. c. apud Pasq.[4]. Et praedictae officiales possunt ad nutum eligentium amoveri, ut statuit Trident.[5]. Notandum 2. quod episcopus potest abbatissam ab officio suspendere casu quo ipsa episcopum non praemoneat de professione facienda a novitia, ex Trull.[6]. Notandum 3. quod episcopus potest numerum monialium statuere, ut omnes admissae commode sustentari possint. Et hoc etiam in monasteriis exemptis: in his tamen debent intervenire etiam praelati ordinis. Ita Salm.[7] ex Trid.[8] et const. s. Pii v. et aliis declar. s. c.

Notandum 4. quod episcopus singulis annis tenetur visitare monasteria monialium sibi subiecta per seipsum, vel vicarium cum suo speciali mandato. Monasteria autem pontifici immediate subiecta etiam ab episcopo sunt visitanda, sed auctoritate apostolica; exempta vero visitantur a praelato ordinis[9]. Sed quoad observantiam clausurae etiam monasteria exempta visitari debent ab episcopo, tamquam sedis apost. delegato, ita ut nullo modo possit episcopus impediri ex decr. s. c. ap. Barb.[10]. Et praesumentes impedire, post tres monitiones, excommunicationem ipso facto incurrunt[11]. V. Alex.[12].

57. Notandum 5. quod in actu visitationis moniales ab episcopo interrogatae, vel a praelato ordinis, tenentur veritatem aperire circa observantias regulae, ut de Alex.[13] cum Texeda: etiamsi transgressiones sint leves; quia ordinarie ab istis incipit totius regulae relaxatio. Excusant tamen Lez. et Alex.[14] moniales a manifestando veritatem: 1. Si crimen sit emendatum: ex quo inferunt non teneri aperire alterius crimen ab annis plurimis (puta tribus, ut censet Mascard.) commissum, quia iam emendatum censetur. Et ob eamdem rationem, ordinarie ad denuntiationem semper est praemittenda correctio; *sed de hoc vide dicenda infra ex n.* 240. 2. Excusantur moniales, si crimen sit occultum, et nulla praecesserit infamia vel indicium evidens. 3. Si constet praelatum nullum remedium fore adhibiturum; vel si sciant moniales crimen iam denuntiasse alias, a quibus ipsae illud audierunt, quia ad opus inutile nemo tenetur. 4. Si manifestatio vergat in damnum proprium. 5. Si crimen cognitum sit sub secreto naturali; excipitur tamen si crimen sit causa communis damni. *Sed haec vide fusius discutienda infra ex n.* 247.

58. Quoad confessarios monialium ab episcopo approbandos, *vide de sacram. poen. l. 6. n.* 576. Sed hic libet alia utilia adnotare, 1. quoad electionem abbatissae. 2. Quoad privilegia monialium et regularium.

(1) L. c. q. 5. (2) Ibid. (3) L. c. q. 7.
(4) In Lauret. n. 770. (5) Sess. 25. de reg. c. 2.
(6) Loc. cit. c. 17. (7) Tr. 18. de priv. c. 3. punct. 1. §. 2. n. 14. (8) Sess. 25. c. 3.

(9) Ex Clement. Attendentes, de statu monach.
(10) De offic. episc. alleg. 102. n. 7.
(11) Ex d. Clem. (12) C. 6. §. 4. q. 3.
(13) L. c. q. 5. (14) Ibid.

I. De electione abbatissae

59. Notandum 1. quod ex Trident. [1] debet eligi abbatissa non minor 40. annis, et quae 8. annis post professionem laudabiliter vixerit, alias electio est nulla, ut ex declar. s. c. apud Alex. [2]. Imo alias, aliqui dicunt, moniales privari facultate eligendi pro illa vice; sed probabilius putat oppositum Passer. Casu tamen quo desit in monasterio quae talem aetatem habeat, ex eodem Trid. potest eligi monialis habens 30. annos, et 5. professionis: vel alia ex alieno monasterio eiusdem ordinis; et etiam alieni ordinis; sed hoc nonnisi cum assensu s. c. ut notat Pasq. [3]. Si vero adest iam in monasterio monialis 40. annorum (nisi ista sit vere inhabilis), nequit eligi alia etsi habilior, sine dispensatione s. c. ut Alex. [4] ex decr. s. c. Et hic notandum, quod, sicut abbatissae, sic et procurator monasterii debet in quocumque triennio mutari, ex alio decr. s. c. ap. Alex. [5].

Not. 2. quod non possunt eligi in abbatissas illegitimae, infames, neque corruptae, ut viduae, ex decl. s. c. nisi corruptio fuerit occulta. Vide Alex. [6]. Item neque caecae aut surdae [7]. Idem de muta dicunt dd. apud Alex. [8].

Not. 3. quod ad electionem abbatissae non admittuntur conversae, sed tantum choristae professae. Suar. Lez. Tamb. Alex. [9].

Not. 4. quod, si qua monialis est in lecto infirma, eius votum etiam est recipiendum vel per scriptum sigillo munitum, vel per duas moniales a praesidente electionis deputatas. Ita de Alex. [10] ex decr. s. c.

Not. 5. quod si electio ob discordiam non compleatur, non potest praelatus praesidens dare suum suffragium, ut ex pluribus decr. s. c., sed bene potest praefigere tempus ad electionem, quo elapso, ipse abbatissam deputabit. Ita pluries declaravit s. c. ap. Alex. [11].

Not. 6. quod monialis, quae iam suam dedit vocem, nequit amplius illam revocare, commun. dd. Cum autem electio fit per scrutinium, praecipit Trid. [12] quod vota secrete praestentur notario et 4. vel 5. aliis assistentibus; alias electio est nulla, ut dicunt Garc. Zeroll. et de Alex. etiamsi aliter fiat ex ignorantia, ut Tamb. et Rich. ex decret. s. c. Ad electionem autem sufficit maior pars votorum, ut Mirand. Rodriq. etc. cum communi apud Alex. [13] contra Tamb. et alios, qui requirunt duas tertias partes.

Not. 7. quod in electione abbatissae, ut praecipit Trid. [14] praelati qui praesident debent esse extra claustra. Putant tamen Pasq. Mirand. et de Alex. [15] quod urgente iusta causa, (puta, si timeantur rixae, etc. ut ait Miranda [16]) possunt tunc praelati claustra introire. Proinde hic notandum quod in monasteriis non exemptis, vel sedi apostolicae submissis praesidet episcopus: in exemptis vero praelatus regularis una cum episcopo, ex constit. Gregorii xv. Tunc tamen episcopus tantum assistit, sed vota non excipit. Alexandr. ex decret. sacr. congr. [17]. Facta autem electione, nisi aliud obstet, debet in eodem loco electio confirmari a praelato praesidente, scil. ab episcopo, vel a praelato regulari in monasteriis exemptis, vel a sede apostolica, si monasterium illi sit immediate subiectum. V. Alex. [18]. Et haec confirmatio potest fieri etiam a praelato absente, et adhuc etiam extra dioecesim degente, ut tenet Pasq. contra Tamb. nisi adsit oppositio, apud Alex. [19] item, abbatissa nequit officium exercere ante confirmationem. Ipsa debet etiam benedici in ecclesia exteriori ab episcopo vel praelato regulari intra annum, alias privatur officio; talis autem benedictio potest alteri committi, etiam simplici sacerdoti. Pasq. et Alex. [20]. Sed in his omnibus, ut notant Tamb. Az. etc. cum Alex. [21] attendenda est monasteriorum consuetudo.

(1) Sess. 25. de reg. c. 7. (2) Conf. mon. c. 9 §. 1. q. 1. (3) In Lauret. n. 680. (4) L. c. q. 2 (5) C. 6. §. 2. q. 13. (6) D. c. 9. a. 1. q. 5. (7) Ex c. Hinc, §. Caecus, dist. 49. etc. Constitutionem 2. de verb. signif. in 6. (8) Q. 6. (9) C. 9. §. 2. q. 1.

(10) Ibid. q. 2. (11) Q. 3. (12) Loc. cit. (13) Q. 6. (14) Eod. l. (15) C. 9. §. 2. q. 7 (16) De mon. q. 2. a. 15. (17) Q. 8. (18) C. 9. §. 4. q. 1. (19) Q. 5. (20) Q. 8. (21) Ibid.

Not. 8. quod abbatissae possunt eligi per triennium, vel per singulos annos, sed non ultra triennium, alias electio est nulla. Et insuper abbatissa triennalis debet per triennium vacare [1]. Neque in vicariam eligi potest, si forte nova abbatissa deficiat, quia praecipit pontifex, ut abbatissa anterior *per triennium omni prorsus careat auctoritate*. Vide Alex. [2]. Dicit autem Alex. [3] cum Rodr. quod in collegiis oblatarum bene potest eligi superior perpetua, quia tantum de veris monialibus professis loquuntur bullae.

Alia hic addere expedit.

II. De privilegiis monialium et religiosorum

60. Hic praenotandum quoad privilegia regularium, quod omnes ordines regulares communicant in privilegiis aliorum ordinum, sive mendicantium sive non, ut constare ex privilegiis concessis asserunt Salmant. [4] cum Lez. Tamb. Miranda Pelliz. Rodr. et comm.

Hinc notandum 1. quod moniales gaudent iisdem privilegiis (de quibus sunt capaces) religiosorum eiusdem ordinis: ita de Alex. [5] cum s. Anton. Pal. Rodriq. Tambur. etc. contra Sanchez Barb. et alios. Ratio quia, cum ipsae vivant sub eadem regula, sunt pars ordinis, et ideo ordinis privilegiis merito gaudere debent. Et hoc, etiamsi in privilegio exprimatur concessio fieri *viris aut masculis;* et etiamsi moniales sint episcopo subiectae, ut tenent Salmant.[6] cum Suar. Pelliz. Pal. Bon. Bordon. et Alex. [7] qui notat cum aliis gaudere etiam privilegiis aliorum ordinum suo ordini communicatis.

61. Ex hoc infertur 1. cum Lez. Pasq. et Alex. [8] abbatissam posse dispensare in ieiuniis, officio etc. iuxta privilegia sui ordinis praelatis concessa; quia, licet ipsa non possit per se dispensare defectu auctoritatis spiritualis, potest hoc tamen praelati commissione quae praesumitur ei facta, statim ac fuit electa in abbatissam. Infertur 2. moniales episcopo subiectas bene posse uti privilegio, v. gr. recipiendi absolutionem etc. a proprio episcopo, quando cuicumque regulari privilegium est concessum; secus tamen, si facultas absolvendi non est regularibus concessa, sed tantum praelato illius ordinis; ita Alex. cum Cespedes [9]. Infertur 3. cum Salmant. [10] et Viva Roncag. Rodr. Alex. [11] (quidquid dicant Nav. Barb. etc. apud Alex.) omnes regulares utriusque sexus tempore interdicti generalis posse in suis monasteriis divina peragere, prout officia recitare, missas celebrare, etc submissa tamen voce, ianuis clausis, sine campanis, et exclusis nominatim interdictis, vel qui causam interdicto dederunt ut concessum fuit in cap. *Alma Mater* 24. *in* 6. *de sent. exc.* Item posse eucharistiam suscipere, missas audire, ut Salmant. [12] cum Pal. Laym. Henr. Sayr. Item suscipere extremam unctionem, ut Salm. [13] cum Pal. Avil. Henr. etc. Et ad haec regulares ex privilegio possunt admittere omnes monasterii famulos, procuratores, operarios, ut concessit Alex. IV. Et idem concessit Eug. IV. pro beatis et tertiariis: exceptis tamen semper specialiter interdictis, etc. ut supra, Salm.[14] Alex.[15]. Et possunt etiam publice celebrare in pluribus festis, ut paschatis, pentecostes, nat. Domini, assumpt. b. v. Mariae: item ss. sacramenti et octavae, concept. annunt. et nat. b. V. sanctorum titularium ecclesiae, et sanctorum proprii ordinis: item in festis circumcisionis, epiph., ss. Trinitatis, apostolorum, s. Ioan. Baptistae, s. Luciae, s. Marci, omnium sanctorum, omnium defunctorum; vide Salm. [16]. Nec obstat dicere quod Trid.[17] praeceperit, interdicta etiam a regularibus in eorum ecclesiis servari: nam probabiliter respondet Alex. [18] cum Peyrin. Sorb. etc. mentem Trid. fuisse tantum compescere aliquos fratres, qui vi quorumdam privilegiorum praetendebant nullo modo inter-

(1) Ex const. Greg. XIII. Exposcit etc. (2) C. 9. §. 5. q. 2. (3) Q. 4. (4) Tr. 18. de priv. c. 1. punct. 7. §. 1. n. 90. (5) Conf. mon. c. 10. q. 1. (6) Loc. c. n. 92. (7) C. 10. q. 2. (8) Q. 5. (9) C. 10. q. 4. (10) Tr. 10. de censur. c. 6. punct. 5. n. 54. 57. 53. et 65. (11) C. 1. q. 6. (12) Ibid. punct. 4. n. 48. (13) Ibid. (14) Ibid. punct. 5. n. 66. (15) Q. 7. (16) Loc. c. n. 61 62. et 64. (17) Sess. 25. de ref. c. 12. (18) D. c. 10. q. 8. et 10.

dicta ab ordinariis emanata servare; non autem abrogare privilegium religiosis et etiam clericis in *d. c. Alma Mater*, ad commune bonum concessum, ut supra, tempore interdicti.

62. Notandum 2. quod in ecclesiis monialium non possunt sepeliri personae laicales; nisi ibi habeant ius sepulturae, vel nisi obtineatur concessio a s. c. ut ex pluribus declar. s. c. apud Alexand. [1], et tunc officia defuncti peragenda sunt vel a confessario monialium, vel a regularibus eiusdem ordinis, si sint exemptae, non autem a clero, ut Barb. Lez. etc. cum Alex. [2].

63. Notandum 3. circa *divinum officium* plura privilegia regularibus fuisse indulta. Clemens VII. concessit monialibus clarissis privilegium, uti refert Alex. [3] (at Salm. [4] dicunt hoc privilegium concessum fuisse universis monialibus) quod possint satisfacere per *officium laicarum*, si iudicio praelati vel confessarii vel abbatissae non sint satis instructae ad officium chori. Idem Clemens concessit omnibus regularibus infirmis, vel eis qui infirmis inserviunt, satisfacere per 7. vel 6. psalmos a superiore assignandos, cum 7. *Pater* et 2. *Credo*. Item Innocentius IV. per bullam 10. concessit monialibus s. Clarae, et inde aliis per communicationem, satisfacere cum officio laicarum, si non dicant horas canonicas, ex quacumque rationabili causa, nempe si monialis sit scrupulosa, si sit extraordinarie defatigata vel occupata in utilibus ministeriis. Ita Salmant. [5] Alex. [6]. Et notant 1. Salm. [7] hoc privilegio uti posse per se sine licentia superiorum. Notant 2. Salmant. [8] cum Pelliz. quod si moniales forte culpabiliter omittant dicere officium laicale, non peccant graviter, quia tunc se habent ut laicae, quae ad talem recitationem non tenentur sub mortali. Notant 3. eodem privilegio uti posse omnes religiosos qui communicationem habent privilegiorum, quia ex communi sententia, sicut moniales privilegiis religiosorum uti valent, sic e converso. Et pro causa eis sufficiet si concionentur in quadragesima (etsi non quotidie) cum magno labore; si confluat multitudo poenitentium: si laxati sint ex itinere vel concione: item si sint lectores aut studentes, qui pro maiore parte diei vacent studio s. scripturae, aut ss. canonum, aut theologiae scholasticae vel moralis. Ita Salmant. [9] cum Pasq. etc.

64. Item Martinus V. concessit monachis s. Hieronymi, ut qui sine taedio officium non valent dicere ob infirmitatem, etiam postquam convaluerint, satisfaciant recitando id quod suis confessariis visum fuerit. Item Leo X. concedit fratribus minoribus officia prolixiora anticipare, et breviora reservare pro diebus in quibus minus occupantur in concionibus et confessionibus, aut studio, ut putant Salm. [10] cum Rodr. Tamb. Pelliz. etc. contra tamen Lezan. Item Leo X. concessit regularibus privilegium recitandi officium privatum mentaliter: et licet Alex. [11] cum Pell. Les. Tamb. Lugo etc. apud Salm. [12] teneant hoc privilegium fuisse revocatum a Gregor. XV. et Urbano VIII. qui revocarunt omnia privilegia vivae vocis oraculo concessa, prout tale fuit hoc privilegium ut communiter dd. asserunt; attamen probabilius contradicunt Salm. [13] cum Nav. Hurt. Henr. Villal. Tamb. [14] Rodr. Leand. etc., quia, ut aiunt, praedicta revocatio respexit tantum privilegia oretenus concessa ante s. Pium V. non autem hoc, quod a s. Pio confirmatum fuit per bullam quam referunt Pell. et Peyr. Addunt, quia privilegium Leonis fuit declaratio iuris communis in *cap. Dolentes* 9. *de Cel. Miss.* ut idem Lezana concedit. At oracula vivae vocis, quae sunt declarationes iuris communis, vel bullarum, tunc minime revocata fuerunt, ut fere omnes dicunt, prout testantur Salm. [15]. Id autem quod obiicit Peyrin.,

(1) C. 9. q. 10. (2) Q. 11. (3) C. 10. q. 13.
(4) Tr. 16. de horis can. c. 3. punct. 7. n. 61. et 62.
(5) Loc. cit. n. 62. (6) Q. 13. (7) Ibid.
(8) Ibid. n. 61. (9) Ibid. n. 56. 57. et 63.
(10) Tr. 16. de horis can. c. 3. punct. 7. n. 59.
(11) C. 10. q. 16. (12) Ibid. n. 52.
(13) Loc. c. n. 53. (14) De sacr. miss.
(15) Cit. num. 53.

nempe quod dictum privilegium ad summum concessum fuit pro ea parte, quae secreto dicitur in officio publico, vel in missa, ut exprimunt verba privilegii relata a Salm. [1] minime obstat; nam ibi in fine sic additur : *Et quod eodem modo possit facere, qui solum dicit officium per se : cum prolatio verbalis sit praecipue, ut ab aliis intelligatur.* Ergo (recte arguunt Salm. [2]) recitatio privata, ubi nihil dicitur ut ab aliis intelligatur, potest ex hoc privilegio tota mentaliter fieri.

Sedulo hic notandum quoad omnia privilegia religiosorum, quod superior potest ex iusta causa aliquando limitare privilegia subditorum, quia haec semper concessa intelliguntur, ut non praeiudicent potestati dominativae, quam ob votum obedientiae superior super subditos habet. Poterit etiam abbatissa moderari poenitentiam a praelato moniali impositam, si adsit iusta causa, et accessus ad superiorem non pateat. Ita Alex. [3]. Ultimo notandum quod ex bulla Pauli V. [4] omnes regulares professi (sicut et ordinarii locorum) gaudent indulgentiis concessis cuicumque ordini religioso, ut notat Alex. [5].

Dubium V. Qui possint vel teneantur ingredi religionem.

65. *Quibus non liceat religionem ingredi.*
66. *In qua necessitate parentum prohibeatur filiis religiosos fieri.*
67. *Quando filii iam professi teneantur a religione egredi ad subveniendum parentibus.*
68. *An peccent filii religionem ingredientes, invitis aut insciis parentibus.*
69. *Quando prohibeatur parentibus religionem intrare ob necessitatem filiorum.*
70. *An liceat relinquere fratres aut sorores in necessitate.*
71. *An debitis gravati possint religionem ingredi. Quid, si iam sint professi.*
72. *Voventes religionem, quando teneantur vel excusentur ingredi.*
73. *Quando liceat ad aliam religionem laxiorem vel strictiorem transire.*
74. *An parochi possint religionem ingredi, episcopo contradicente.*
75. *An episcopus possit impedire clericos a religione.*
76. *An et quando episcopi possint deserere ecclesias suas aut permutare.*
77. *An peccent graviter parentes, avertendo filios a religione.*
78. *An et quomodo aliquis vocatus ad religionem peccet, si vocationem suam negligat adimplere.*

65. « Resp. 1. Omnes illi et soli possunt ingredi religionem, qui sunt sui iuris nec aliis obstricti: qui vero aliis obstricti sunt, non possunt sine eorum consensu. Less. [6].

» Unde 1. non possunt ingredi religionem impuberes, quia subsunt parentibus vel tutoribus, quoad vitae dispositionem. 2. Nec filii, si parentes sine illis se alere nequeant. Laym. [7]. *Vide lib. 3. tr. 3. c. 2. dub. 1. n.* 335 3. Nec servi sine consensu dominorum. 4. Nec qui decepit virginem sub promissione matrimonii. 5. Nec is qui non est solvendo creditoribus, modo in saeculo manendo possit intra paucos annos solvere. S. Th. tamen Sylv. Fumus [8] et alii putant, illum posse bona praesentia cedere creditoribus: quia persona hominis liberi non est pro pecunia obligata. 6. Nec episcopus, sine consensu papae, cui iuramento se obstrinxit; praeterquam quod sit obstrictus suae ecclesiae, sicut maritus uxori. 7. Nec coniuges post matrimonium consummatum, nisi vir per vim consummasset ante expletos 2. menses; qui eis a iure conceduntur, aut nisi alter coniugum commisisset adulterium: tunc enim innocens ingredi posset.»

66. Notandum hic 1. quod si filius profiteatur religionem, relinquendo parentes in necessitate, professio, hoc non obstante, bene valida est. Notandum 2. quod si filius in saeculo manens nullo modo necessitati parentum possit subvenire, licite religionem ingredi potest. Notandum 3. quod si filius in saeculo manere non possit sine gravi periculo labendi in aliquod grave peccatum, licite etiam ingreditur religionem, quacumque necessitate laborent parentes, quia temporali vitae parentum praeferri quidem debet spiritualis salus filii. Ita s. Th. [9] qui ait : *Aut iste qui habet propositum intrandi religionem, videt in saeculo non posse vi-*

(1) L. c. n. 51. (2) Ibid. n. 54.
(3) C. 11. §. 1. q. 28 (4) §. 8.
(5) C. 10. q. 18. (6) L. 2. c. 41. d. 5.
(7) L. 4. t. 5. c. 4. n. 1. (8) V. Religio.
(9) Quodlibet 10. a. 9.

vere sine peccato mortali, vel non de facili; si timet sibi periculum peccati mortalis, cum magis teneatur saluti animae suae providere, quam corporali necessitati parentum, non tenetur in saeculo remanere. Sanctum doctorem sequuntur Sanchez [1] Pal. [2] et Salmant. [3] cum Lezana Garcia Peyrino etc. Intellige tamen (ut bene advertunt Salm.[4]) si periculum sii proximum, et tale ut a filio, manendo in saeculo, moraliter vitari non possit.

Sed nunc quaeritur, quaenam necessitas parentum prohibeat filios religionem ingredi. Et e converso quaenam necessitas filiorum prohibeat parentes religiosos fieri. Sic respondet et docet s. Th. [5] loquendo de filiis: *Parentibus in necessitate existentibus, ita quod eis commode aliter subveniri non possit, non licet filiis religionem intrare.* Secus autem dicit, si parentes *filiorum obsequio non multum indigeant.* Hinc dicunt Sanchez [6] Less. [7] Salm. [8] cum Suar. Peyr. Pal. Bon. et communi, quod filius nequit ingredi religionem, relinquendo parentes in necessitate sive extrema sive gravi (non autem communi), etiamsi filius votum religionis emiserit. Secus autem si necessitas sit communis, aut si illi tantum aliqualem patiantur status diminutionem, ut videtur docere s. Th. [9] dicens: *Si sine eius obsequio parentes nullo modo vivere possunt, sic tenetur eis servire, et alia opera perfectionis praetermittere. Si vero sine eius obsequio possunt aliqualiter sustentari non honorifice, propter hoc non tenetur opera perfectionis dimittere.*

67. Hoc dicendum de filiis nondum in religione professis; sed magna quaestio est, an, parentibus egestate pressis, filius iam professus teneatur egredi, ut eis subveniat. In necessitate extrema, certum est teneri; dicunt tamen Salm.[10] quod hoc non procedit si filius e claustro possit subvenire, quin egrediatur; nec si patris necessitas non sit evidens, et praelatus licentiam neget, iudicans necessitatem non esse talem, quia in dubio standum est iudicio superioris. At dubium maius est, si necessitas parentum sit evidens, sed tantum gravis. Adest triplex sententia.

Prima dicit teneri filium egredi, quia per votum non extinguitur obligatio naturalis filii erga parentes. Ita Henr. de Pandao Cord. etc. apud Salm. [11].

Secunda sententia distinguit et dicit quod si necessitas parentum antecedit professionem, filius tenetur egredi, quia obligatio iam contracta non extinguitur per professionem; secus si professionem subsequitur. Ita valde probabiliter Elbel [12] cum Less. etc. Tolet. [13] et Navarr. Suarez Sylvest. etc. apud Salm. [14].

Tertia sententia probabilior docet in tali casu non teneri nec posse filium egredi sine licentia, sive necessitas parentum praecedat professionem, sive non. Et probatur ex d. Th. [15] qui ait: *Ille vero qui iam est in religione professus, reputatur iam quasi mortuus mundo; unde non debet, occasione substentationis parentum, exire e claustro.* Tenetur tamen, salva sui praelati obedientia et suae religionis statu, media adhibere, quibus eius parentibus subveniatur. Probatur inde ratione, quia sicut filius coniugatus non tenetur relinquere uxorem, et adire parentes ut eos alat, sive necessitas matrimonium praecedat sive non; quia iam statum suscepit, in quo tenetur magis adhaerere uxori, quam parentibus: sic neque religiosus tenetur claustrum deserere ad subveniendum parentibus. Ita cum Bus. *de 4. praec. vide l.* 3. *n.* 335. *in fin. n.* 5. s. Th.[16] Sanch.[17] cum Cai. s. Anton. Arm. Tab. Bon.[18] Salm.[19] cum Fag. Bord. Rodr. etc.

Nota hic obiter decretum ss. n. p Benedicti XIV. incipiens *Pontificia*, editum die 27. maii 1745. ubi praeci-

(1) Dec. l. 4. c. 20. n. 11. (2) Tr. 16. d. 1. p. 7. §. 5. n. 7. (3) Tr. 15. de statu relig. c. 3. p. 3. §. 2. n. 50. (4) L. c. (5) 2. 2. q. 189. a. 6. (6) Dec. l. 4. c. 20. (7) L. 2. c. 41. n. 54. (8) Loc. c. n. 53. (9) Quodlibet 10. a. 9. (10) De 4. praecepto c. unic. punct. 4 §. 2. n. 41.

(11) Ibid. n. 12. (12) De 4. praec. n. 552 (13) Summ. l. 5. c. 1. n. 9. (14) Ibid. n. 13 (15) 2. 2. q. 101. a. 4. ad 4. (16) L. c. et Quodlib. 3. a. 16. ac Quodlib. 10. a. 9. (17) Dec. l. 4. c. 20. n. 17. (18) De 4. praec. p. 5. n. 7 (19) Ibid. n. 14.

pitur, quod regulares extra claustra degentes (sicut et in civilibus) sint subiecti ordinario, qui eos etiam corrigere debet.

68. Quaeritur inde, an peccent filii religionem ingredientes invitis aut insciis parentibus. Dixit Lutherus, ut refert Bellarm. [1] peccare filios intrando in religionem sine parentum consensu; cum teneantur ipsis in omnibus obedire. Sed hoc reprobatum fuit a conc. toletano x. [2] ubi omnino concessum fuit filiis religionem suscipere sine genitorum licentia, modo annos pubertatis compleverint: *Parentibus* (verba concilii) *filios religioni tradere, non amplius quam usque ad decimum quartum eorum aetatis annum licentia poterit esse. Postea vero, an cum voluntate parentum, an suae devotionis sit solitarium votum, erit filiis licitum religionis assumere cultum.* Idem sancitum fuit per conc. tiburtinum [3]. Idem docuerunt s. Amb. s. Hieronym. s. Aug. s. Bern. s. Thom. et alii cum s. Ioan. Chrysost. qui generaliter loquendo scripsit: *Cum spiritualem* (salutem) *impediunt parentes, nec cognoscendi quidem sunt.* Hinc communiter docent dd. non teneri filium religionem omittere, causa vitandi scandala parentum. Ita s. Th. [4] Pal. [5] cum Suar. Vasq. etc. Spor. [6] cum Val. Salmant. [7] cum Cano Led. Hurt. etc. Quamvis autem praefati aa. advertant debere filium eo casu aliquantulum expectare, donec parentes moneantur de eorum obligatione; imo si ipse facile et tuto possit ipsorum consensum obtinere, par esse ut non discedat sine parentum benedictione; hoc tamen intelligendum, ut mox videbimus, nisi probabile sit periculum quod parentes iniuste illi impediant executionem suae vocationis. Ideo ut plurimum in praxi filii excusantur, si insciis parentibus domum relinquant.

Certum est quod circa status electionem non tenemur genitoribus parere, ut docet communis sententia dd. cum s. Th. [8] qui ait: *Non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire, de matrimonio contrahendo vel virginitate servanda, aut aliquo alio huiusmodi.* Dubium igitur fit an filius teneatur in his consulere parentes, ut ab ipsis rectum consilium accipiat. Quoad statum coniugalem Sanch. [9] cum Con. et aliis, censet teneri filium parentes consulere, quia in tali negotio ipsi maiorem experientiam quam iuvenes habent. Sed adhuc circa matrimonia Castrop. Henriq. et Salm. cum aliis, auctoritati s. Thomae innixi (*Vide de matr. l. 6. n. 849. v. Tertia sententia*) excusant a culpa gravi filium, insciis parentibus, matrimonium contrahentem. Quidquid tamen sit de hoc, recte dicit p. Pinamontius [10] quod circa electionem status religiosi nec tenentur nec expedit quod filii consilium genitorum expectent; quia in hoc non tantum ipsi nullam experientiam habent, sed etiam quia parentes ob proprium commodum mutantur in hostes, ut ait s. Th. [11] loquens de vocatione religiosa: *Frequenter amici carnales aversantur profectui spirituali.* Etenim frequentius parentes malunt filios perire cum eis, quam salvari sine eis, ut dicit s. Bern. [12] unde exclamat: *O durum patrem, o saevam matrem! O parentes crudeles et impios! non parentes, sed peremptores; quorum dolor salus pignoris! quorum consolatio mors filii est.* Hinc sic advertit Porrecta apud s. Th. [13]: *Si Deus vult animam ad se vocatam oblivisci patrem et domum patris, suggerit utique per hoc quod vocatus ab ipso ad religionem, non debet suorum carnalium consilium interponere vocationis executioni.* Et s. Cyrillus apud eumdem s. Th. [14] explicans illud: *Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei* [15] inquit: *Aspicit retro, qui dilationem quaerit cum propinquis conferendi.* Ideo s. Th. [16] absolute vocatos animadvertit, ut diligenter caveant ne de sua vocatione consilium a

(1) Controversiar. t. 1. de monach. c. 36. n. 1. (2) C. ult. (3) Can. 24. (4) 4. d. 38. q. 2. a. 4. (5) De carit. d. 6. p. 16. n. 6. (6) De scand. c. 1 n. 31. (7) Tr. 21. c. 8. punct. 5. §. 3. n. 87

(8) 2. 2. q. 104. a. 5. (9) De matr. l. 4. d. 23. n. 10. (10) Aur. lib. cui tit. *Vocazione vittoriosa*, c. 3. (11) 2. 2. q. 189. a. 10. (12) Ep. 111. (13) L. c. (14) Ibid. (15) Luc. 9. 62. (16) Op. 17. c. 9.

parentibus accipiant: *Ab hoc consilio primo quidem amovendi sunt carnis propinqui, dicitur enim: Causam tuam tracta cum amico tuo. Propinqui enim carnis in hoc negotio amici non sunt, sed inimici, iuxta sententiam Domini: Inimici hominis domestici eius.* Ex his omnibus concluditur, non solum non peccare filios religionem assumentes, parentibus inconsultis; sed ordinarie loquendo, valde errare si participes eos faciant de sua vocatione, ob periculum cui se exponunt, se ab illa averti; et hoc utique confirmatur ab exemplo tot sanctorum, quorum discessus, parentibus insciis aut invitis, Deus etiam miraculis approbavit et benedixit. Idemque sentit doctus p. Elbel [1] dicens: *Si filius se sentiat a Deo vocatum ad statum religiosum, et advertat parentes id aegre laturos, atque ex affectu carnali ac futilibus motivis se opposituros, non tenetur eos consulere, quia consultius aget rem eis celando, iuxta illud Matth.* 8. *ubi Christus Dominus discipulum reprehendit nolentem eum illico sequi ob patrem prius sepeliendum.* An autem peccent graviter parentes avertentes filios a religione, *vide infra n.* 77.

69. E converso docet s. Th. [2] non licere parentibus religionem intrare, non solum cum filios in necessitate gravi relinquere deberent, sed etiam si omnino praetermittere deberent eorum curam, *id est, non praeviso* (sunt verba s. d.) *qualiter educari possint.* Hoc tamen intelligitur, ut dicunt Salm. [3] cum Suar. Pal. Pelliz. de filiis non emancipatis, quos parentes nequeunt in saeculo relinquere, quin eis provideant de necessariis tam ad substentationem quam ad instructionem morum. Secus autem de filiis emancipatis, quos parentes, ordinarie loquendo, nec alere nec instruere amplius tenentur, nisi filii per accidens gravi necessitate laborent.

70. Fratres autem et sorores non licet deserere in necessitate extrema, sed licet in gravi; quamvis ratione caritatis posset quis differre et etiam omittere statum religionis ad subveniendum fratribus graviter indigentibus. Si vero votum habeat religionis, in tali casu non posset differre per longum tempus, sine dispensatione. Ita Salm. [4] cum Sanch. Suarez Pal. Azor. Pelliz. Bonac.

71. Quaeritur inde an debitor aere alieno gravatus possit religionem ingredi. Adsunt tres sententiae.

Prima sententia cum Gers. Pal. Val. Suar. Reg. Mol. Bon. etc. apud Salm. [5] et Holz. [6] absolute negat, quia hoc esset contra naturale praeceptum iustitiae, lucrum spirituale quaerere cum damno creditoris, cui debitor ex iustitia solvere tenetur.

Secunda sententia, quam tenent Sanchez [7] cum Maior Nav. Azor. et Salm. [8] distinguit et dicit quod si debitor in saeculo manens brevi tempore probabiliter, et sine magna difficultate acquirere sua industria possit quod debet, vel notabilem debiti partem, ut solvat; tunc tenetur expectare. Secus si diu expectare deberet, vel si sine notabili difficultate satisfacere non posset. Quale autem tempus censendum sit breve. Mai. putat triennium: Sanch. autem cum Nav. biennium.

Tertia sententia vero absolute docet debitorem statim posse religionem ingredi, bona sua creditori cedendo. Hanc tenent s. Th. [9] et eum sequuntur s. Anton. Sylv. Caiet. Palud. Tabien. Ang. Armill. Arag. etc. apud Sanch. [10] ac probabilem putat Sa. Et hoc, etiamsi solutio promissa fuerit cum iuramento, ut notant [11] s. Anton. Sylv. Tab. et Sa. Ratio s. Th. haec est: *Propter pecuniam persona liberi hominis secundum iura civilia non obligatur, sed solum res: quia persona liberi hominis superat omnem aestimationem pecuniae: unde licite potest, exhibitis rebus suis, religionem intrare; nec tenetur in saeculo manere ut*

(1) De 4. praec. n. 338. (2) 2. 2. q. 186. a. 6. (3) Tr. 15. de statu rel. c. 3. punct. 3. §. 2. n. 52. (4) Ib. n. 54. (5) De rest. c. 1. p. 18. §. 1. n. 289.

(6) De rest. n. 518. (7) Dec. l. 4. c. 19. n. 8. (8) Loc. c. n. 290. (9) 2. 2. q. 189. a. 6. ad 3. (10) L. c. n. 7. (11) Ibid.

procuret unde debitum reddat. Rationem hanc reiicit Sanch. cum Med. [1] dicens non esse verum quod persona debitoris non sit creditoribus obligata; alias, ait, inique debitor carens bonis in carcerem a iudice detruderetur. Sed respondetur quod obligatio personalis quae inest debitori non iam est ratione personae, sed ratione bonorum, ut docet s. Th. [2] et prout certum asserunt Salm. [3]. Unde, supposito quod debitor in saeculo maneat, et liber potensque sit bona acquirere, bene remanet sua persona obstricta ad bona acquirenda, cum possit sine magno sui detrimento; et tunc remanet obligata persona debitoris, non iam directe ratione sui, sed indirecte ratione bonorum ad quae acquirenda potens est, cum teneatur tunc non solum dare quae habet, sed etiam procurare possibilitatem solvendi, dum potest acquirere sine magno damno suae libertatis. Secus tamen dicendum supposito quod velit saeculum relinquere, et Deo se totum dicare in religione, ubi impotens redditur ad solvendum; tunc enim liberam habet personam, ut de ea in Dei obsequium disponere possit: et quoad debitum solvendum sufficit si omnia sua bona creditoribus cedat. Alias, si in saeculo manere teneretur, esset directe et per se obligata persona debitoris ob pecuniam debitam, quod absolute negatur, quia libertas hominis omnem aestimationem pecuniae excedit, ut loquitur supra s. Th. Adde (et sic respondetur rationi primae sententiae) quod praeceptum naturale non obligat quando debitor nequit satisfacere, nisi cum tanto detrimento suae libertatis, et cum onere subeundi, in saeculo manendo, periculum aeternae salutis; nemo enim in contractu cum hoc onere praesumitur velle se obligare. Et sicut quis non tenetur in saeculo manere ad servandam promissionem matrimonii (nisi per eam copulam extorserit), ita nec etiam qui debitum contraxit. Et hoc etiamsi debitum sit ex delicto, ut tenent Salm. cum aliis [4] quia pariter iste debitor non est obstrictus cum tanto onere, ut religionis meliori statu privari debeat. Hae tres sententiae sunt omnes probabiles, sed probabilior mihi videtur secunda; modo ex illa brevi mansione in saeculo non immineat probabile periculum incidendi in peccata vel amittendi vocationem ad religionem. Conveniunt autem dd. ad dicendum quod praedicta quaestio currit, cum debita sunt certa: et si incerta sint, proculdubio statim debitor religionem ingredi potest; quia cum obligatio elargiendi debita incerta pauperibus non sit ex iustitia et iure naturali, sed ex pietate et iure ecclesiastico, ut probant Salm. [5] cum Less. Vasq. Bann. Vill. Led. etc. contra alios, ideo bene talis debitor potest omissa restitutione, religionem petere, cum nihil sit tam pium, quam se suaque omnia Deo in religionem dicare. Ita Sanch. [6] Lugo Suar. Pal. etc. cum Salm. [7].

Advertendum tamen quod haec locum habent de iure naturali. At Sixtus v. per bullam datam anno 1587. reddit inhabiles ad religionem debitores qui dilapidaverunt sua bona, vel qui deponere debent rationes, antequam debita solverint aut rationes reddiderint; et licet Clemens VIII. inhabilitatem abstulerit, reliquit tamen prohibitionem. Hoc vero intelligendum, ait Croix [8] cum Sanchez et Ills. de iis qui aliter non possunt satisfacere, nisi in saeculo manendo, et a quibus sperari potest solutio; item si magna sint debita, superantia facultates proprias, cum dicatur in bulla, *ingenti aere alieno* gravatis. Praeterea dicit Croix cum Sanch. et Dic. hoc non procedere pro monialibus, nec pro equitibus ordinum militarium, quia hi in odiosis non comprehenduntur nomine religiosorum: insuper neque pro iis qui gravantur debitis tantum incertis; nec pro iis qui sine culpa gravi inciderunt in impotentiam; nam bulla est tantum

(1) D. 7. (2) Loc. c.
(3) Dict. c. 1. punct. 12. n. 224.
(4) Tr. 13. c. 1. p. 18. §. 1. n. 29?
(5) Loc. c. p. 11. §. 3. n. 211. (6) Loc. c. n. 4.
(7) Dict. c. 1. punct. 18. n. 287.
(8) L. 3. p. 2. n. 444.

pro dilapidatoribus, ut notat Croix [1] cum Dic. nec pro debitoribus ratione donationis, Croix cum Sanch. Praeceptum autem de reddendis rationibus, intelligitur de rationibus valde litigiosis, intricatis, fraudulentis, daturis causam litibus. Croix cum Dic. et Ills.

Si vero quis debitis gravatus iam religionem professus fuerit, valet professio, ut Croix [2]. Nec praelatus tenetur tunc de iustitia licentiam ei dare ad laborandum, ut satisfaciat. Croix [3] cum Lugo et Nav. Tenetur tamen ex caritate, si nullum inconveniens obstaret.

72. « Resp. 2. Qui vovit religionem, tenetur ingredi secundum sequentes regulas:

» 1. Non tenetur, imo nec potest licite ingredi ordinem in quo collapsa est disciplina regularis: (Intellige quoad observantias principaliores, ut Salm.[4]) idque ob periculum perversionis. Layman [5].

» 2. Qui vovit laxiorem licite ingreditur strictiorem; non tamen contra, quia minus praestaret quam promisit. Quod si tamen profiteatur in laxiore, valida est professio, et liberatur a voto strictiorem ingrediendi. Ratio est quia votum solemne, quo fit personae traditio et religioni ius in personam acquiritur, derogat priori voto simplici, per quod nullum tale ius religioni strictiori erat acquisitum. Laym. [6] ex s. Thom. etc.

» 3. Is qui vovit experiri religionem strictiorem, potest id commutare in votum profitendi et perseverandi in laxiore. Ratio est quia hoc melius est. Laym. [7] ex Sanch. etc. »

Communiter dd. dicunt quod si quis voverit religionem ingredi, non tenetur eam quaerere extra propriam nationem vel provinciam: vide Salm. [8] foemina vero quae vovit religionem, non tenetur quaerere monasterium extra patriam, longe a suis, ut aiunt Pal.[9] Sanch.[10] Tolet.[11] et Salm.[12] cum Garc. etc. Ratio quia regulariter non censentur foeminae religionem voventes ad id se obligare, cum hoc gravem et novam involvat difficultatem; ob quam Tolet. et Garc.[13] excusant etiam viros votum religionis habentes.

Quaer. 1. An is qui voverit religionem, et semel legitime repellatur ab ea, teneatur iterum ingredi, si monasterium postmodum velit eum admittere.

Prima sententia affirmat, eamque tenent Laym.[14] Bonac.[15] et Sanch.[16] cum Abul. Ratio quia votum non est factum in favorem religionis, sed in Dei obsequium; unde licet illa cedat iuri suo nolendo eum admittere, non ideo tamen vovens liberatur a sua obligatione.

Secunda sententia vero negat, quam tenent Pal.[17] Less.[18] Suar.[19] et Salm.[20] cum Arag. Pell. Garc. Dian. et Barth. a s. Fausto. Ratio quia tale votum, quamvis emissum in honorem Dei, censetur tamen factum sub conditione; *si non repellar;* ergo, conditione non impleta, extinguitur obligatio. Huic obiicit Bon. nullam conditionem reddere votum conditionale, nisi explicite apponatur. Sed haec obiectio non videtur subsistere; non raro enim in promissionibus conditio implicite apposita promittentes deobligat iuxta dicta *l.* 3. *n.* 720. *v. Notandum.* Caeterum in hac quaestione probabilius mihi videtur dicendum quod si talis vovens habet probabilem spem se fore imposterum recipiendum, non liberatur a voto; secus si nulla probabilis spes appareat.

Quaer. 2. An qui simpliciter religionem voverit peccet mortaliter, si post ingressum sine causa ab illa egreditur.

Prima sententia negat, et hanc tenent Bonac.[21] et Sotus Cai. Arag. etc. ap. Sanch.[22] et probabilem vocant Salm.[23]. Ratio quia qui vovet religionem censetur eam vovere sub conditione probationis a iure concessae; ius autem u-

(1) Ibid. (2) D. n. 444. (3) N. 450. (4) De stat. rel. c. 2. punct. 1. n. 3. (5) L. 4. t. 5. c. 6. n. 5. (6) Loc. cit. (7) Loc. cit. (8) Tr. 15. c. 2. punct. 1. n. 8. (9) D. 1. tr. 16. p. 3. n. 6. (10) Dec. lib. 4. c. 16. n. 46. (11) L. 4. c. 17. n. 12. (12) Loc. c. (13) Ibid.

(14) L. 2. tr. 5. c. 6. n. 4. (15) T. 2. d. 4. q. 2. p. 5. §. 6. n. 11. (16) Dec. l. 4. c. 16. n. 71. (17) D. 1. p. 3. n. 10. (18) L. 2. c. 11. n. 44. (19) C. 2. n. 7. et 10. (20) Ib. n. 41. (21) De voto d. 4. q. 2. p. 5. §. 6. n. 22. (22) L. 4. c. 16. n. 90. (23) De statu rel. c. 2. p. 2. n. 23.

niverse concedit ingredientibus ut possint sine ulla causa pro libito religionem deserere [1].

Secunda sententia vero probabilior, quam tenent Sanch. [2] Pal. [3] Suar. [4] et Salm. [5] cum Pell. Garç. Miranda et aliis, docet hunc a mortali non excusari. Ratio quia votum religionis non tantum obligat ad suscipiendum habitum religiosum, sed etiam ad Deo toto vitae tempore obsequendum; unde obstringit etiam ad profitendum, nisi iusta adsit causa egressus, puta si ille inveniat religionem suis viribus imparem, ut ait Sanch. Ad textum oppositum autem respondetur, illum loqui de iis qui religionem ingrediuntur tantum ad experiendum, nullo tamen praemisso voto. Secus vero dicendum cum Azor.[6] et aliis cit. apud Sanch. ut supra, si vovens non habuerit animum profitendi, sed tantum experiendi. Idque expresse tradit d. Thom. [7] qui sic docet: *Si ergo vovens intendit se obligare, non solum ad ingressum religionis, sed etiam ad perpetuo remanendum, tenetur perpetuo remanere: si autem intendit se obligare ad ingressum religionis causa experiendi cum libertate remanendi vel non remanendi, manifestum est quod remanere non tenetur. Si vero in vovendo simpliciter de ingressu religionis cogitavit, absque hoc quod cogitaret de libertate exitus, vel perpetuitate remanendi, videtur obligari ad ingressum religionis secundum formam iuris communis, quae est ut ingredientibus detur annus probationis; unde non tenetur perpetuo in religione permanere.* Recte autem [8] advertit: *Quod ille qui intrat ut statim exeat non videtur satisfacere voto suo, quia ipse in vovendo hoc non intendit, et ideo tenetur mutare propositum, ut saltem velit experiri an ei expediat in religione remanere: non autem tenetur ad perpetuo remanendum.*

Quaer. 3. An si quis habeat votum profitendi, et religionem ingrediatur, animo perpetuo manendi, sed a religione eiiciatur, quia iudicatur ineptus ob inscitiam, aegritudinem et similia, liberetur a voto. Supponendum ut certum cum Sanchez [9] et Salm.[10] quod si is remisse se gesserit, tenetur mediocrem adhibere diligentiam ut se corrigat, aliter a voto non fit immunis. Difficultas est, quando iam diligentiam adhibuerit et repellatur, an maneat liber a voto.

Prima sententia affirmat, quam tenent Pal.[11] Suar.[12] et Garc. ap. Salm.[13] qui probabilem putant. Ratio quia is qui promisit profiteri, non censetur se ad aliud obligasse, quam ad media ordinaria apponenda, quae iam apposuit, nec per ipsum stat quominus profiteatur.

Secunda sententia vero probabilior negat, et hanc tenent Sanch.[14] Laym.[15] Bon.[16] Salm.[17] cum Pell. Ratio quia hic tenetur procurare votum illud implere usque dum apparet probabilis spes implendi, idque non extraordinarium, sed ordinarium est medium adhibere; unde, si ab illa religione eiicitur, tenetur mediocrem diligentiam apponendo aliam religionem quaerere.

Quaer. 4. An qui voverit profiteri, possit a religione exire ex causa non iam urgenti, sed iusta, nempe quia talem vitam expertus sit incommodam.

Prima sententia affrmat, et hanc tenet Diana[18] citans Sot. Reg. Led. Arag. etc. eo quod tale votum intelligitur emissum sub hac conditione, si talis status conveniens sibi videtur.

Secunda sententia tamen vera, quam tenent Sanch.[19] Laym.[20] Bon.[21] et Salmant.[22] cum Cai. Azor. Val. etc. docet hunc teneri ad profitendum etiam cum incommodo; modo non sit tale ut intolerabile videatur. Ratio quia is ita videtur se voluisse obstringere ut non possit egredi, si ratio vivendi esset tolerabilis; nam e converso, si difficulta-

(1) Ex c. 1. de regular. in 6. (2) Loc. cit. (3) Tr. 16. d. 1. p. 4. n. 2. (4) L. 4. c. 3. n. 2. (5) Ibid. n 24. (6) L. 11. c. 12. (7) 2. 2. q. 189. a. 4. (8) Ad 3. (9) L. 4. c. 16. n. 108. (10) Tr. 15. c. 2. p. 2. n. 25. (11) D. 1. p. 4. n. 10.

(12) L. 4. c. 4. n. 14. (13) Ibid. n. 26. (14) Loc. c. n. 82. (15) L. 4. tr. 5. c. 6. n. 13. (16) T. 3. d. 4. s. 2. p. 5. §. 6. n. 22. (17) L. c. (18) P. 2. tr. 17. r. 10. (19) L. 4. c. 16. n. 81. (20) C. 6. n. 13. (21) D. 4. p. 5. §. 6. n. 22. (22) Loc. c. n. 28.

tem valde gravem experiretur, non tenetur permanere, cum non videatur se voluisse obligare ad id quod sibi est moraliter impossibile. Et hanc eamdem nostram sententiam tenent Less. [1] et Pal. [2] qui non bene citantur a Salm. pro prima sententia.

Per quantum autem temporis is qui votum habet religionis, differendo illud exequi, peccet graviter. *Vide dicta l.* 3. *n.* 221. *v. Quaer.*

73. « 4. Professo licentiam transeundi ad ordinem laxiorem episcopus vel praelatus ordinis exemptus cum consensu capituli dispensative ex iusta causa dare potest. Laym. [3] Less. [4] Sanch. [5].

» 5. Professus ad ordinem strictiorem, petita (licet non concessa) praelati sui licentia, ex iusta causa transire potest. Quod addo, quia huiusmodi transitus sine causa temere fieri non debet. Quod si fiat, spectanda est austeritas circa silentium et solitudinem, idque non tantum secundum institutum regulae, sed etiam secundum observationem praesentem. Probatur *ex c. Licet de Regularibus*. Vide Layman Less. Sanch. [6].

Ex dictis resolvuntur hi casus:

» 1. Canonici regulares ad monachos transire possunt, non contra, cum religio monachorum austerior sit. Lay. [7].

» 2. Professus regulam strictiorem, si ea non servetur in suo monasterio aliove eiusdem ordinis, nec sit spes reformationis, potest transire ad ordinem laxiorem in quo regula servetur: ita ut considerato praesenti statu, ducat vitam strictiorem. Lay.[8] ex Sanch. Rodr. etc.»

Bene potest religiosus, ex suo ordine ad alium strictiorem transire, petita licentia a suo praelato, quamvis negata; ita s. Thom. [9] et dd. communiter ex *c. Licet* 18. *de Reg.* ubi Innocent. III. sic praescribit: *Postquam* (monachus) *a praelato suo transeundi licentiam postulaverit.... libere potest sanctioris vitae propositum adimplere, non obstante proterva indiscreti contradictione praelati.* Debet tamen subditus praelati responsum expectare usque ad tempus quo superior valeat examinare an debeat vel ne licentiam impertire. Contra vero, re perpensa, tenetur praelatus licentiam concedere, statim ac videt nihil obstare. *Praelatus* (addit pontifex) *subdito sine difficultate et pravitate qualibet debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum impedire divinitus inspiratum.* Hinc communiter tradunt Suar. [10] Sylv. [11] Pell. [12] Pal. [13] Lez.[14] Mirand.[15] Salm.[16] etc. quod praelatus graviter peccaret si sine iusta causa licentiam denegaret, quia gravem irrogaret subdito iniustitiam, eum a perfectiori statu retrahendo, idque confirmatur ex verbis Innocentii relatis, ubi dicitur proterva contradictio praelati qui iniuste licentiam denegat. *Non obstante proterva indiscreti contradictione praelati.*

Diximus iniuste nam tres sunt iustae causae ex quibus superior valet denegare licentiam, iuxta verba eiusdem pontificis in *cit. cap. Licet.* Et 1. Si subditus *ex temeritate vel levitate* vellet transire, puta si duceretur ex ira alicuius offensionis acceptae aut ex fine consequendi aliquod temporale commodum. In dubio tamen negativo praesumitur recto animo procedere, ut dicunt Suar.[17] et Bon.[18]. In dubio autem positivo standum iudicio superioris tam subditi, quam praelati conventus, nempe generalis vel provincialis, ut praecipit pontifex in *eodem c. Licet.* 2. Si transitus redundet in *iacturam sui ordinis: quoniam communis utilitas* (verba textus) *privatae utilitati praefertur.* Sed pro huiusmodi *iactura* porro non reputatur illa, quam perferret ordo ex privatione exempli illius boni religiosi; nam si talis sufficeret iactura, nemini transire ad arctiorem ordinem liceret. Nomine *iacturae* intelligunt Salmant.[19] cum Portell. etc. si v. gr. mo-

(1) L. 2. c. 41. n. 46. (2) D. 1. p. 4. n. 9. (3) L. c. (4) L. 2. c. 41. n. 103. (5) 6. mor. c. 7. (6) Locc. cc. (7) Loc. c. (8) L. 4. tr. 5. c. 6. n. 10. (9) 2. 2. q. 189. a. 8. (10) T. 4. de relig. tr. 8. l. 3. c. 10. n. 17. (11) V. Religio 4. q. 1. n. 5.

(12) Tr. 3. c. 5. n. 139. (13) Disp. 4. p. 26. §. 3. n. 1. (14) T. 1. c. 22. n. 13. (15) T. 1. q. 31. a. 6 (16) Tr. 15. c. 5. punct. 3. §. 2. n. 68. (17) L. c. c. 9. n. 2. (18) Q. 2. p. 9. §. 5. (19) Tr. 15. c. 5. p. 3. §. 2. n. 61.

nachus ille esset doctor, vel arte peritissimus, ita ut ex eius deficientia religio notabile reciperet damnum. 3. Si ex transitu ordo gravem pateretur *iniuriam* sive dedecus, ita ut deinde ab aliis notabiliter despiceretur, vide Salmant. [1]. Hoc dedecus ordinarie abesse censeo, si pateat alterum ordinem certe in regulae perfectione praecellere.

Addendum, non licere monacho hunc transitum intentare, si altera religio quam optat, nollet eum recipere, iuxta praeceptum Urbani VIII. (ut in Bullar.) qui dixit: *Non permittatur transire, nisi constiterit eam religionem paratam esse eum recipere.* Sufficit autem, si nullum obstet impedimentum, licentia praelati conventus a quo petitur transitus, ut Sylv. [2] Peyr. [3] et Salm. [4]. Utrum autem transitus sine petitione licentiae non solum sit illicitus, sed etiam invalidus. Affirmant Less. [5] Az. [6] Sanch. [7] etc. At valde probabiliter negant Suar. [8] Sylvest. [9] et Salm. [10] cum Bon. Pelliz. etc., quia nullum ius habetur irritans hunc transitum, et contra ipse transitus de iure naturae valet, cum sit commutatio in melius.

74. Hic plures utiles quaestiones adnectere oportet. Quaer. 1. An parochus possit licite religionem ingredi contradicente episcopo. Omnino affirmandum ex c. *Duae sunt leges*, *caus.* 19. *quaest.* 2. ubi habetur: *Si quis clericorum in ecclesia sua sub episcopo populum* (scilic. *proprium*, ut explicat Glossa) *retinet, et seculariter vivit; si afflatus Spiritu sancto in aliquo monasterio, vel regulari canonica salvari se voluerit... etiam episcopo contradicente eat liber nostra auctoritate*: sic Urbanus II. ad Rufinum. Rationem autem huius sanctionis dat d. Th. [11] dicens: *Obligatio voti perpetui praefertur omni alii obligationi; obligari autem voto perpetuo et solemni ad vacandum divinis obsequiis, competit proprie episcopis et religiosis. Presbyteri autem curati et archidiaconi non obligantur voto perpetuo et solemni ad curam animarum retinendam, sicut ad hoc obligantur episcopi; unde episcopi non possunt deserere praesulatum absque auctoritate rom. pontificis, ut extrav. de regul. etc. c. Licet. Archidiaconi autem et presbyteri curati possunt libere abrenuntiare episcopo curam eis commissam absque speciali licentia papae.* Deinde s. Th. [12] affert textum d. Hieronymi ad Vigilantium, sic dicentis: *Tu dicis, si omnes se clauserint, quis saeculares homines lucrifaciet: quis peccantes ad virtutes poterit exhortari, etc.* Respondet s. Hieronymus: *Rara est virtus, nec a pluribus appetitur.* Haec omnia uti certa enuntiat n. ss. p. Benedict. XIV. in sua bulla quae incipit: *Ex quo dilectus*, edita die 14. ianuarii 1747. attamen non dubitat idem pontifex, quin parochus omnino teneatur, *non tam officio* (verba bullae) *et honestate, quam naturalis legis praecepto*, certiorem facere episcopum de suo suscepto consilio, antequam religionem ingrediatur, ne grex sine custode deseratur: si vero episcopus deinde dissentiat, *presbyterum non adstringet* (ait pontifex), *quominus religionem ingredi valeat.* Insuper decernit [13] beneficium non vacare nisi post professionem, et interim parochum fructus illius lucrari, ac si legitimo impedimento detineretur. Et idem statuit de omnibus aliis beneficiariis, iuxta opinionem traditam a Suar. [14] et Sanch. [15] etc.

75. Quaer. 2. Quid dicendum de clericis aut aliis beneficiariis non curatis. Respondeo: Quamvis isti ex officio et honestate teneantur suos episcopos certiorare de suo religionem ingrediendi proposito; non peccant tamen, ut declarat n. ss. Bened. XIV. in bulla mox citata, si id omittant ob metum reverentialem, ne forte ab eius desiderii implemento revocentur. Certum autem est non posse episcopos impedire suos clericos ne religionem ingrediantur, ut habetur in *can. Clerici caus.* 19. *quaest.* 1. ubi ex concil. tolet. IV. dicitur: *Clerici*

(1) Cit. n. 61. (2) V. Religio, 4. q. 3. (3) Q. 1. c. 24. (4) Ibid. n. 63. (5) C. 41. n. 101. (6) C. 14. q. 6. (7) Dec. c. 7. n. 95. (8) L. 3. c. 10. n. 22. (9) L. c. q. 1. (10) Ibid. n. 67. (11) 2. 2. q. 189. a. 7. (12) Ad 2. d. a. 8. (13) Ibid. (14) De relig. l. 5. c. 16. n. 12. (15) Dec. l. 7. c. 4. n. 7.

qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab episcopo in monasteria elargiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum qui ad contemplationis desiderium transire nituntur. Hunc et consimiles canones laudat et approbat praefatus n. pontifex; necnon affirmat id non tantum intelligi de religionibus vitae contemplativae, sed etiam activae.

Declarat tamen quod episcopus bene posset revocare suum clericum a religione, si eius ingressus gravi detrimento esset ecclesiae cui erat addictus, his verbis: *Quod vero ius certis in casibus certisque de causis competit superiori ordinis laxioris, ut suum subditum regularem ad strictiorem ordinem digressum, etiam post solemnem professionem in eo emissam, repetere et revocare valeat. Idem similiter certis in casibus, iustisque exigentibus causis, episcopo competit, ut suum clericum saecularem ordini regulari adscriptum repetere possit. Hoc tradit clarissimus canonum doctor* Innoc. IV. *ad saepe citatum c. Licet, de Regul. cuius haec sunt verba:* Clericus potest transire ad religionem, non petita licentia, etiamsi contradicatur; crederemus tamen quod posset eum repetere, si ex transitu suo prima ecclesia gravem sustineret iacturam.... *Satis itaque provisum est etiam episcopo qui factum clerici sui ad regularia claustra se invito digressi impugnare velit.* Caeterum, cum accidisset casus quod archidiaconus quidam ad societatem Iesu transisset, et em. card. Quirinus, conquerens quod se invito hoc fecisset, integro libello typis edito contendebat ut papa declararet clericos non posse sine episcopi licentia religionem ingredi; noster pontifex respondit, uti in simili casu d. Gregorius [1] cuidam alii episcopo responderat, tales clericos nedum a suo proposito non esse impediendos, sed potius ad perseverantiam hortandos et confirmandos.

76. Quaer. 3. Quibus casibus liceat episcopis ad religionem transire. Iam supra dictum est ex d. Th. [2] quod episcopi nequeunt deserere ecclesiam assumptam ob votum perpetuum eam non relinquendi, nisi auctoritate papae et ex iusta causa, ut etiam exprimitur in *d. c. Licet.* Iustae autem causae, ut episcopus possit ecclesiae suae renuntiare (ut docet idem angelicus, et habetur in *c. Nisi de Renunt.*) sunt: 1. ob defectum proprium, scilicet si sit simoniacus, irregularis, vel indoctus, senex, infirmus; 2. ob defectum subditorum, si in eis non possit proficere; 3. ob scandalum aliorum, non vero si scandalum oriatur ex malitia aliquorum volentium iustitiam conculcare. Quapropter dicendum quod episcopi sine aliqua ex praedictis causis nequeunt ecclesiis renuntiare, etiam ad finem religionem ingrediendi. Et ita nec etiam possunt ecclesias permutare, uti expresse habetur ex *can.* 15. *concilii nicaeni* 1. Et idem habetur in *can.* 5. *concilii chalced. et in ep.* 2. *ad Anastasium.* Rationem affert s. Hieronymus [3] qui memorans de praedicto *can.* 15. *Nicaeni*, ait: *Ne virginis pauperculae societate contempta, ditioris adulterae quaerat amplexus.* Merito igitur ait Cabass. [4] has translationes vetitas fuisse, quia vitio cupiditatis adscribuntur, cum nemo reperiatur, qui a ditiore episcopatu ad pauperiorem transeat. An autem translatio episcoporum vetetur de iure divino. *Vide infra n.* 104.

77. Hic autem oportet ad trutinam adducere duas alias quaestiones summopere quoad praxim scitu utiles.

Quaer. 4. an peccent graviter parentes qui avertunt filios a statu religioso sine iusta causa. Si avertunt iniuriose per minas aut vim vel fraudem, nullus excusat eos a peccato mortali. Si vero aversio fit tantum precibus vel promissionibus, censet p. Suar. [5] hoc ex genere suo non esse peccatum grave; quia (ut ait) ex una parte ibi non intervenit iniuria, licet enim filius grave

(1) Epist. 35. l. 12.
(2) In cit. q. 189. a. 7. et q. 185. a. 4.
(3) Epist. 83. ad Oceanum.
(4) Hist. concil.
(5) De rel. l. 5. c. 9. n. 9.

damnum patiatur, non tamen patitur involuntarie, sed libere consentiens; ex altera filius non inducitur ad malum, sed tantum abstrahitur a bono ad salutem non necessario. Sed omnino tenendum cum communi dd. sententia, hos parentes peccare graviter qui sive fraude aut vi sive precibus, promissionibus aut alio modo filios a religione distrahunt. Ita Nav. [1] cum s. Ant. Palud. Sylvest. Ang. Tab. et communi; item Molin. [2] Cont. Tourn. [3] Abelly [4] Salm. [5] Anacl. [6] Spor. [7] Elbel [8] Maz. [9] Conc. [10] cum Soto P. Nav. Arag. Sayr. et Led. item apud Leand. [11] Trull. Miranda Fagund. Bord. et Dic. Et plures horum aa. damnant de mortali, non solum parentes, sed etiam extraneos qui alios avertunt a statu religioso. Ratio quia hoc non potest esse sine gravi damno illius qui a religione distrahitur, ut fatetur ipse Suarez; unde sive id fiat vi aut fraude sive precibus aut alio modo, non potest a peccato gravi excusari. Et idem Suar. videtur tandem in nostram sententiam descendere, dum [12] sic concludit: *Licet verum sit id non esse tam grave peccatum, est tamen sine dubio peccatum multum repugnans ordini caritatis et respectui Dei a cuius maiori obsequio homo separatur.* Si igitur tale peccatum multum repugnat ordini caritatis, quis dicet illud non esse grave? Haec autem ratio comprehendit non solum parentes sed etiam extraneos. Sed parentes avertentes filios a religione puto duplici peccato gravi delinquere; nam praeter peccatum contra caritatem, ut vidimus, committunt alterum peccatum contra pietatem, dum ipsi ex officio eorum proprio educationis tenentur sub gravi incumbere spirituali profectui suorum filiorum, ut bene advertit Bon. [13] non tamen propterea nego quod plures parentes excusari possunt a mortali, saltem per aliquod breve tempus, ratione ignorantiae vel inadvertentiae quae de facili eis inesse potest ob vehementem carnis affectionem erga filios.

78. Quaer. 5. An et quomodo aliquis a Deo vocatus ad religionem peccet si vocationem suam negligat adimplere. Respondemus, quod negligere vocationem religiosam, per se non est peccatum; divina enim consilia per se non obligant ad culpam. Id tamen ratione periculi aeternae salutis, cui vocatus se committit, electionem status faciens non iuxta divinum beneplacitum, non potest ab aliqua culpa excusari. Et quidem, si quis crederet quod in saeculo manens damnationem incurreret, tum ob suam fragilitatem quam inter saeculi occasiones expertus est, tum ob carentiam auxiliorum quae in religione haberet; non potest excusari a peccato gravi, cum in grave discrimen salutis suae se iniiciat. Ita Less. [14] qui prius dicit, eum qui nondum voto se obstrinxerit, non peccare, si non ingrediatur religionem ad quam est vocatus: sic tamen subdit: *Si conscientia dictet tibi* (*quod saepe accidit*) *te desertum iri a Deo, nisi divinae vocationi obtemperes: te periturum, si manseris in saeculo, etc. tunc peccatum est non sequi divinam vocationem.*

Utrum autem sit in malo statu conscientia eorum qui certi moraliter iam facti de vocatione Dei ad religionem, nituntur sibi suadere, manendo in saeculo, vel in illud redeundo, salutem suam aeque facile facere posse. Non videtur dubitandum quod isti magno discrimini salutis se exponunt. Nam Habert [15] loquens de eo qui non suscipit statum a Deo sibi destinatum, sic ait: *Non sine magnis difficultatibus poterit saluti suae consulere: manebitque in corpore ecclesiae velut membrum in corpore humano suis sedibus motum, quod servire potest, sed aegre admodum, et cum quadam deformitate.* Deinde recte concludit: *Licet, absolute loquendo, salvari possit, difficile tamen ingredietur*

(1) Man. c. 14. n. 44. (2) T. 3. tr. 4. d. 51. §. Secunda vero. (3) De 4. dec. praec. a. 1. sect. 2. v. Gravis hic. (4) P. 344. (5) De 4. pr. c. unic. p. 2. n. 29. (6) Eod. tit. p. 319. n. 19. (7) T. 1. p. 291. n. 21. (8) T. 2. p. 195. n. 558.

(9) T. 1. p. 483. (10) T. 4. p. 222. n. 11. (11) D. 6. q. 17. (12) Loc. cit. (13) De 4. pr. d. 6. q. un. p. 5. n. 2. (14) De stat. vit. elig. q. 8. n. 94. (15) T. 7. de sacr. ord. p. 3. c. 1. §. 2.

viam humilitatis et poenitentiae, qua sola ipsi patet ingressus ad vitam. Ideo s. Gregorius [1] scribens ad Mauritium imperatorem, qui per suum edictum prohibuerat ne milites fierent religiosi, scripsit hanc legem esse iniquam, cum pluribus coelum clauderet: *Nam plerique sunt* (en verba et ratio s. doct.) *qui, nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt.* Ratio autem huius periculi est, quia qui in saeculo manet contra Dei vocationem, non habebit congrua gratiae auxilia quae in religione Deus ipsi praeparavit: et ideo illis destitutus, difficulter saeculi tentationibus resistet, et sic succumbens damnationem incurret. Praeterea, si alter qui vocato ad religionem dissuadet ingressum, vel suadet egressum, etiam sine vi aut fraude, peccat mortaliter, ut vidimus supra in quaestione praecedenti docere communiter doctores, eo quod induceret vocatum ad subeundum grave damnum, licet is omnino sponte illud patiatur: si ergo qui alteri consulit ut damnum sibi inferat, non excusatur a peccato mortali; nescio quomodo poterit excusari ille ipse qui sibi tale damnum infert.

Caeterum, nolo in hoc puncto absolutum iudicium proferre: sapientibus illud remitto. Interim Deum instanter rogemus ut ab hoc discrimine per suam misericordiam nos prorsus avertat; cum innumeris in eventibus funestis legamus in historiis tragice executas minas quas proferunt scripturae in huiusmodi divinae vocationis desertores. In Isaia enim habetur: *Vae filii desertores, ut faceretis consilium, et non ex me; et ordiremini telam, et non per spiritum meum* [2]. In Iob: *Deus inultum abire non patitur: ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius* [3]. In proverbiorum autem libro id expressius legitur [4] ubi singula verba animadvertenda: *En proferam vobis spiritum meum* (ecce divina vocatio)... *quia vocavi et renuistis .... Despexistis omne consilium meum.... Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis id quod timebatis advenerit. Cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit* (tempestas nempe tentationum et periculorum quibus saeculum abundat); *quando venerit super vos tribulatio et angustia, tunc invocabunt me et non exaudiam. Mane consurgent et non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam ....., nec acquieverint consilio meo* (nota quod loquitur Deus, non de praecepto, sed de disciplina et consilio), *et detraxerint universae correptioni meae* (hic improperantur qui parvipendentes vocationem, dicunt,in omni statu se aeque secure salutem consequi posse). *Comedent igitur fructus vitae suae, suisque consiliis saturabuntur* (en punitio eligentium statum non secundum divinum, sed proprium consilium). *Aversio parvulorum interficiet eos et prosperitas stultorum perdet illos* (ruent isti ad quamcumque levem saeculi tentationem, et ipsa saeculi bona servient eisdem ad perditionem). Hinc s. Bernardus sic alloquitur vocatos ad religionem: *Periclitatur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, caritas in saeculo nequam; fugite de medio Babylonis, et salvate animas vestras.* Ex his omnibus velim ut sedulo perpendant ii qui vocationem religiosam negligunt, an merito expavescere debeant, utrum existant necne in malo statu.

Sed dices, omnesne igitur tenentur religionem ingredi ut salventur? Respondeo et distinguo; si loqueris de non vocatis, utique non tenentur: quia Deus in saeculo praestabit eis auxilia opportuna ad salutem. Si vero loqueris de vocatis, dico teneri, quia Deus negabit ipsis auxilia quae in religione eis parata habebit, et quibus destituti, licet auxiliis ordinariis salvari possent, de facto tamen difficulter salutem adipiscentur, cum proferat s. Cyprianus: *Ordine suo, non arbitrio nostro, virtus Spiritus sancti ministratur.*

(1) Lib. 7. ep. 11.
(2) C. 30. v. 1.
(3) C. 24. v. 12.
(4) C. 1. v. 24.

DUBIUM VI. Ad quid teneantur religiosi eiecti et fugitivi.

79. « Suppono religiosum iustas ob causas e religione expelli posse: 1. Si in gravi vel pernicioso crimine existens, notorie incorrigibilis appareat; in quo tamen casu moniales perpetuo potius carceri mancipandas, quam eiiciendas, putat Sanch.[1]. 2. Si ob criminis infamiam, sine gravi ordinis damno, tolerari nequeat. 3. Si in admissione reticuerit impedimentum, vel essentiale vel saltem admodum grave, v. g. lepram etc. ut docent Nav. Sa[2] Sanch.[3]. Ratio est quia in re admodum gravi decepit, ita ut fraus dederit causam admissioni: vide Diana[4] qui docet, quod, licet hactenus ex communi sententia Sanch. Suar. Azor. Rodr. etc. religiosi propter delictum aliquod grave, etiam semel perpetratum, potuerint expelli, iam tamen propter declarationem Urbani VIII. editam anno 1624. per nulla privilegia possunt expelli e religione (excepta societ. Iesu), nisi sint incorrigibiles: tales autem non censeantur, nisi unius anni ieiunio et poenitentia in carcere sint probati.

» Hoc supposito, resp. 1. Professus ex religione ob culpam eiectus manet religiosus, votisque adstrictus. Laym.[5] ex communi.

Unde resolvuntur hi casus:

80. » 1. Eiectus rerum quas acquírit, usum et administrationem tantum sibi vindicare potest, non autem dominium, neque illud acquiritur monasterio, cuius non est membrum amplius, sed ecclesiae, in qua beneficium habet; vel papae, si beneficium non habet, et exemptus est. Quod si non sit exemptus, episcopo loci. Laym.[6] ex Mol. et Less.

» Dixi, *eiectus;* quia fugitivos et apostatas, iis exceptis quae ex beneficio ecclesiastico acceptata sunt, monasterio acquirere verius est, si illud dominii in communi capax sit; sin minus, sedi apostolicae. Ratio est quia monasterium, instar servorum, eos vindicare et reducere poterat. Laym.[7] ex Az. Sylv. etc.

81. » 2. Eiectus per culpam, non omnino solutus est voto obedientiae, etsi eius executio magna ex parte cesset: quia caret superiore a quo dirigatur; debet tamen illud servare in praeparatione animi, si recipiatur. Laym.[8] ex Nav. et Less.

» 3. Idem a reliquis monasticis observantiis et regulis, ut a ieiuniis, vigiliis, delectu ciborum et similibus liber est. Laym.[9] Sa[10] Nav. et alii (Cum Bon. Lez. Pal. et Salm.[11]: nec tenetur ad officium divinum, nisi sit in sacris, ut Salm.[12]. Idem dicitur de damnato ad triremes. Idem dicunt[13] Lez. Bon. Sot. etc. de perpetuo degente cum licentia extra monasterium: sed probabilius hoc negant Pal. Suar. Nav. cum Salm.[14]) contra Less. Sanch. etc. Ratio est quia talium observatio non comitatur simpliciter professionem votorum substantialium, sed statum regularem e quo ille est expulsus.

» 4. Etsi non sit improbabile, quod docent Nav. et Az. probatque Rodr. eiectum tuto manere extra suum ordinem, nec teneri receptionem petere, eo quod iustae sententiae suae eiectionis se conformare possit: contrarium tamen communius est et probabilius. Ratio est quia, cum sit obligatus votis, tenetur se qualificare, ut vota sua convenienter professioni exequi possit. (Ideo tenetur se corrigere. Salmant.[15]). Quae ratio magis probat, si ordo ipsum revocet. Laym.[16] ex Sylv. Sanchez et Less.

» 5. Eiectus potest tuto in saeculo manere, si in monasterio non recipiatur, nisi religionem laxiorem inire malit: quia aliam non vovit, neque per ipsum

(1) L. 6. mor. c. 9. (2) V. Religio, n. 34. (3) 6. mor. c. 4. n. 56. (4) P. 9. t. 9. r. 57. (5) L. 4. t. 5. c. 13. (6) Loc. c. (7) Loc. c. (8) Loc. c. (9) L. 4. t. 5. c. 13. (10) N. 40.

(11) De stat. rel. c. 5. punct. 4. §. 2. n. 94. (12) De hor. can. c. 2. punct. 2. n. 10. (13) Ibid. (14) Loc. c. (15) De statu rel. c. 5. punct. 4 §. 3. n. 102. (16) Loc. c. n. 6.

(ut suppono) iam stat quominus in sua recipiatur. Ita Rodr. Laym. [1] etc., qui addit praelatos posse aliquem sub conditione eiicere, ut vel aliam religionem intret vel ad suam revertatur; imo etiam ordinarii locorum eiectos ad hoc cogere possunt. Ratio est quod tales non sine periculo et scandalo aliorum in saeculo vivant. Vide Layman [2].

82. » Respond. 2. Praelati ordinum fugitivos et apostatas requirere tenentur, si absque gravi ordinis damno possint, et non omnino incorregibiles videantur. Ita Sanch. [3]. Ratio prioris partis est quia iure divino et naturali tenentur praelati prospicere eorum saluti. Ratio posterioris est quia si ob iustam causam possint eiici, ob eamdem etiam, postquam malitiose exierunt, poterunt non recipi. Laym. [4] Sanchez etc. Dixi, *fugitivos et apostatas :* quia per sententiam iustam eiectos, etsi se correxerint, necessario recipiendos negant Sanch. [5] et Az. [6]. Affirmant Nav. Mol. [7] Less. [8]. Utrique probabiliter.

» Quaeres, an professus in uno monasterio possit cogi ut se transferat ad aliud.

» Resp. posse, si plura monasteria faciunt unum corpus sub uno capite; secus si singula subsint suis superioribus sub episcopo vel immediate sub papa. Ratio est quia non vovit obedientiam nisi in hoc conventu [9]. Laym. [10]. Vide etiam Sanch. [11].»

Cap. II. De statu clericorum

« Clerici generaliter dicuntur illi qui sacris ordinibus, vel prima saltem tonsura sunt initiati. Ad quorum statum cum multa pertineant, de quibus alibi agendum, hic agemus de beneficiis ecclesiasticis, horis canonicis et aliis paucis. »

Dubium I. De beneficiis ecclesiasticis.

Art. I. Quid et quotuplex beneficium ecclesiasticum.

83. *Quid est beneficium.*
84. *Quotuplex est.*

83. « Resp. 1. Beneficium ecclesiasticum est ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiae, propter officium aliquod spirituale, auctoritate ecclesiae constitutum. Ita Lay. [12] Les. [13].

» Dicitur 1. *ius perpetuum* : ad excludendam vicariam et commendam temporalem: quae non sunt beneficia, de quibus canones loquuntur.

» Dicitur 2. *ius perpetuum:* quia in beneficio duo iura a se mutuo separabilia distinguuntur: 1. Est ius seu potestas exercendi muneris spiritualis, estque simpliciter spirituale. Alterum est ius percipiendi reditus ecclesiasticos: quod etsi secundum se sit temporale, quatenus tamen fundatur in officio spirituali, eique annexum est, spiritualitatem aliquam participat.

» Dicitur 3. *auctoritate ecclesiae etc.* quia solius praelati est officia in ecclesia instituere, eisque proventus ecclesiasticos annectere: ipsiusque est respicere, quot et qualibus ministris ecclesia egeat.

84. » Resp. 2. Beneficium dividitur 1. in saeculare, quod pro saecularibus, et regulare, quod pro regularibus est institutum. Unde sine dispensatione nec saeculare regulari, nec contra conferri potest. Porro omne beneficium praesumitur esse saeculare, nisi probetur esse regulare, vel ex prima sui institutione, vel per possessionem pacificam 40. annorum, per eam enim ex saeculari fit regulare, et contra.

» 2. Beneficium aliud est duplex, aliud simplex. Duplex dicitur, quod est cum administratione, ut papatus, episcopatus, et omnia quae dicuntur dignitates, hoc est, quae habent praeeminentiam, cum iurisdictione in foro externo, ut praepositura, decanatus, archidiaconatus, abbatia sive saecularis sive regularis, prioratus claustralis. Item personatus, qui est eminentia in ecclesia sine iurisdictione, v. gr. locus honorificus in choro, in processionibus,

(1) Loc. c. (2) Loc. c. n. 8. et 9. (3) Loc. c. (4) Loc. c. n. 7. (5) Loc. c. (6) L. 12. c. 17. (7) T. 1. d. 140. (8) Lib. 2. c. 41. d. 15. (9) De religiosis fugitivis dicit s. Alph. Hom. Ap. tr. 13. n. 4. ipsos teneri tam ad vota quam ad regulam, deferre habitum, et quidquid acquirunt, monasterio acquirere. Eiecti vero, ait, obstricti remanent voto castitatis. (10) Loc. c. n. 10. (11) L. 6. mor. c. 42. (12) L. 4. t. 2. c. 1. (13) L. 2. c. 34. d. 1.

suffragiis ferendis, ut cantoria et similes. Item beneficia quae dicuntur officia, habentque administrationem rerum ecclesiasticarum sine iurisdictione, ut custos, thesaurarius, primicerius, archipresbyter. Denique duplicia dicuntur beneficia curata; haec enim omnia duplici onere et cura constricta censentur, cum praeter recitationem precum omnibus communem, habeant aliquam administrationem et eminentiam. Simplicia dicuntur quae tantum sunt instituta ad officia divina obeunda, neque administrationem vel eminentiam singularem habent; ut canonicatus sive saeculares sive regulares, capellaniae. Vide Laym. [1] et Less. [2].»

ART. II. Quomodo acquirantur et conferantur beneficia.

85. « Resp. 1. Beneficia ecclesiastica uno ex tribus modis communiter acquiruntur: 1. Per *electionem*, v. gr. canonicorum; vel etiam postulationem (quae est electio eius qui non erat de capitulo, vel de iure non erat capax), et confirmationem superioris, si electum vel postulatum idoneum esse intelligat. 2. Per *praesentationem* patroni praeviam, et institutionem subsecutam a praelato ecclesiae factam, si praesentatus sit idoneus. Etsi vero patronus praesentato ius ad rem conferat, ita ut beneficium alteri conferri nequeat, ius tamen in re, et collatio beneficii per institutionem datur. 3. Per *collationem liberam*, quando beneficium solo iure praelati datur, nec patronatus iuri subest. Unde etiam beneficia ex modo conferendi dividuntur in electiva, patronata et libera.

86. » Resp. 2. In qualibet dioecesi episcopus est proprius collator beneficiorum, nisi ex legitima praescriptione hoc ius alteri competat: supremus autem et universalis collator omnium beneficiorum non patronatorum est papa. Less. [3]. Ratio prioris est, quia episcopus in sua dioecesi est moderator sacrorum: ergo ipsius est officia sacra conferre. Ratio posterioris est, quia papa est supremus dispensator bonorum ecclesiasticorum, et ordinarius ordinariorum. Potest autem papa tribus modis beneficia conferre; 1. Iure praeventionis. 2. Iure concursus. 3. Iure devolutionis, *de quibus vide* Less. [4] qui notat, iure praeventionis et concursus ad vitandas lites rarius papam uti, imo per concordata Germaniae inter sedem apostolicam et Fridericum imperatorem, per constitutionem Nicolai v. quae incipit, *Ad sacra etc.*, alterni tantum menses papae collationi reservantur, scilicet ianuarius, martius etc.; reliqui vero ordinariis collatoribus relinquuntur. Imo, si per tres menses, a die notae vacationis, in loco beneficii nulla dispositio vel gratia papae appareat, ordinarius conferre potest. Similiter, mortuo papa, quamdiu sedes vacat. Less. [5] Laym. [6]. Quod si autem pontifex et ordinarius eodem die idem be-

(1) C. 4. n. 4. (2) L. 2. c. 34. d. 2 (3) L. 2. c. 34. d. 10 (4) L. c. (5) L. c. (6) C. 10.

neficium diversis contulerint, et neutrius collationis prioritas appareat, praeferendus est qui invenitur in possessione, quia pro eo ius praesumit. Si neuter est in possessione, praefertur provisus a pontifice, ob dignitatem provisoris. Barb. et Bard. [1]. Denique, si ultima nocte mensis episcopalis beneficium coeperit vacare, in dubio utrum ante an post mediam noctem, qua incipit mensis papalis, si nemo sit in possessione, nec ulla provisio, praesumptio iuris est pro ordinario. Gonz. Barbos. Bard. [2].

87. » Quaeres 1. Quid et quotuplex sit ius patronatus.

» Resp. 1. Esse potestatem praesentandi ad beneficium ecclesiasticum vacans. Resp. 2. Esse duplex, scilicet ius patronatus ecclesiastici, quod alicui competit, quia ex bonis ecclesiasticis; et ius patronatus laici, quod alicui competit, quia ex bonis patrimonialibus ecclesiam fundavit vel dotavit vel erexit. Laym. [3].

88. » Quaeres 2. Quando patronus teneatur praesentare, beneficio vacante. Respond. Si patronatus sit laicus, teneri intra 4. menses [4]. Si ecclesiasticus intra 6. [5] (Si mixtus, etiam intra 6. ut Salm. [6]) intra quos nisi fiat praesentatio, beneficium fit liberum, eiusque dispositio pro ea vice devolvitur ad eum, cuius est instituere praesentatum.»

89. Quaeritur hic an currat tempus praesentationis, quando vertitur lis super iure patronatus. Nega, si lis sit inter episcopum et patronum, vel inter ipsos praesentatos. Secus, si lis sit inter patronos, verbi gratia si non conveniunt in praesentando; vel si contenditur, cui competat ius praesentandi. Salm. [7] cum Azor. Zer. etc. [8]. Notant tamen Salm. [9] cum Barb. episcopum tempus designatum posse per alios 6. menses prorogare, sed non amplius [10].

90. » Quaeres 3. Quid faciendum, si multi praesententur.

» Respond. 1. Si patronus qui antea praesentavit Petrum, praesentet postea Paulum, velitque hunc praeferri, poterit praelatus instituere utrum maluerit, si patronatus sit laicus: quia tunc praesentatio secunda non facit irritam primam, nec contra. Si tamen patronatus sit ecclesiasticus, prior tempore erit potior iure [11]. Resp. 2. Si ex duobus patronis, alter Petrum, alter Ioannem praesentet, potest collator conferre utri maluerit. (Sed praeferre debet digniorem, etsi a minore parte patronorum praesentatum [12]. *V. alia inf. ex n. seq.*) Imo iuxta Sylv. episcopus tunc tertio conferre potest, eo quod patroni non conveniant. Resp. 3. Si multi patroni inter se sint discordes, is instituendus in quem plures conveniunt. Vide Less. [13] Laym. [14].»

91. Hic oportet plures quaestiones discutere scitu maxime necessarias circa collationem beneficiorum.

Quaer. 1. An sit obligatio eligendi digniores ad beneficia. Certum est 1. nullo modo excusari a peccato mortali eos qui promovent minus dignos ad episcopatus et cardinalatus. Habetur hoc ex Trid.[15] ubi declaratur: *Omnes vero et singulos qui ad promotionem praeficiendorum, quodcumque ius, quacumque ratione a sede apostolica habent, aut alioquin operam suam praestant..... in primis meminerint nihil se ad Dei gloriam et populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos pastores et ecclesiae gubernandae idoneos promoveri studeant; eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, et ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed, eorum exigentibus meritis, praefici diligenter curaverint.* Ex quo patet peccare quidem graviter pontifices et reges, qui ad praefatas dignitates non digniores promovent. Ratio quia cum beneficia seu dignitates prae-

(1) D. 6. c. 6. §. 10. ex c. Si a sede 31. de praeb. in 6. tit. 4. l. 3. (2) D. 6. c. 6. §. 11. (3) L. 4. tr. 2. c. 13. n. 2. et 4. (4) Ex c. Si laicus, unic. l. 3. tit. 19. in 6. (5) Ibid. (6) Tr. 28. de benef. eccl. c. un. p. [illegible] 5. n. 275. (7) Ibid. n. 277.
(8) Ex c. Quoniam 3. de iure patron. (9) Ibid.
(10) Ex c. 2. de conces. praeb. lib. 3. tit. 8.
(11) Ex c. Cum autem 24. de iure patronatus.
(12) Ex c. Quoniam 3. de iure patr. (13) L. cit. d. 8.
(14) Loc. c. (15) Sess. 24. c. 1. de ref.

dictae sint instituta ad commune bonum ecclesiae, multum ipsi detrahunt, qui praetermittunt eligere magis idoneos ad ecclesiarum regimen. Confirmatur ex proposit. 47. damn. ab Innocent. XI. quae dicebat: *Cum dicit concilium tridentinum alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et ecclesiae magis utiles iudicaverint, ad ecclesias promovent, concilium vel primo videtur per hoc* digniores, *non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos: vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.*

92. Certum est 2. quod episcopi ad beneficia curata pariter tenentur digniores eligere. Ratio est eadem quae supra declarata est, cum ad parochos etiam pertineat salus animarum. Et hoc pariter constat ex Trid. [1] ubi dicitur: *Ex hisque episcopus eum eligat, quem caeteris magis idoneum iudicaverit.* Ex verbis autem Tridentini primo loco relatis *quos ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint,* recte inferunt cum s. Th. [2] Salm. [3] cum Soto Caiet. etc. quod maior dignitas eligendorum non accipienda est absolute, sed respective ad utilitatem ecclesiae et fidelium. Caeteris autem paribus, dicunt Salmant. [4] cum Barb. Hurt. etc. censendum esse digniorem 1. Qui est senior. 2. Qui de suis bonis fundavit ecclesiam. 3. Sacerdos in concursu non sacerdotis. 4. Originarius respectu extranei. 5. Graduatus in aliqua scientia. 6. Qui praeditus est maiori sanctitate aut prudentia praeferendus est ei qui sola scientia praeeminet. 7. Potens et nobilis, quia haec solent non parum conducere ad ecclesiae bonum. 8. Pauper praeferendus est diviti. Ultimo notant Passer. Leur. et Sigism. apud Croix [5] quod si quis sit probabiliter dignior, sed dubie minus dignus altero qui est certe dignus, potest hic certe dignus praeferri.

93. Dubitatur 1. an peccent mortaliter episcopi eligentes minus dignos ad beneficia simplicia omissis dignioribus. Adest duplex sententia.

Prima sententia probabilis negat, quia cum beneficia non sint instituta (saltem primario) in bonum singulorum, sed in utilitatem communitatis, modicum ei damnum infertur, si illa conferantur dignis, praetermissis dignioribus. Ita tenent Nav. [6] Sa [7] Sotus [8] Elbel [9] Sanch. [10] cum Salon. Gabr. Ales. et Abul. item Dic. Hurt. Vega et Diana apud Salmant. [11] et probabilem putant Salm. [12] et Card. [13]. Ad textum autem qui adducitur ab adversariis in c. *un. Ut eccles. beneficii sine dim. conferantur lib.* 3. *tit.* 12. ubi dicitur: *Debuisti beneficium in persona magis idonea dispensare*, respondent cum Lugo [14] ibi reprehendi a pontifice episcopum, non quia non dispensavit digniori, sed quia dispensavit non idoneo, ut colligitur, iudicio Lugonis, ex eiusdem canonis initio. Ad alios textus vero qui opponuntur respondent in illis non haberi praeceptum, sed tantum instructionem. Non desunt qui asserunt nullum esse peccatum eligere ad beneficia simplicia etiam minus dignos, ut P. Nav. Led. Gutt. Garc. Nav. et Diana apud Card. [15] qui adhuc probabile putat; sed puto in hoc non recedendum a comm. sententia quae saltem a veniali id non excusat: quinimo recte Sanch. [16] et Cont. Tournely [17] cum communi, damnat de mortali eligere minus dignum ad canonicatus, quibus annexum est munus poenitentiariae, vel concionandi aut docendi.

Secunda sententia tamen communior et probabilior docet sub gravi obligatione etiam ad beneficia simplicia eligendos esse digniores. Ratio 1. quia, ut ait s. Th. [18], *Praelatus ecclesiasticus non est dominus* (beneficiorum), *ut ea pos-*

(1) C. 18. sess. 24. (2) 2. 2. q. 63. art. 2 (3) Tr. 28. de ben. eccl. c. un. punct. 8. §. 5. n. 507 (4) Loc. c. (5) L. 4. n. 594. (6) L. 2. de rest. c. 2. n. 172. (7) Verb. Beneficium, n. 42. (8) L. 3. de iust. q. 6. a. 2. (9) T. 2. p. 507 a. 2.

(10) Cons. l. 2. c. 1. dub. 2. n. 20. (11) Loc. c. n. 512. (12) Ibid. n. 524. (13) In dict. prop. 47. damn. ab Innoc. XI. n. 9. (14) De iust. d. 35. n. 11. (15) D. n. 9. (16) N. 21. (17) De benefic. c. 2. a. 1. sect. 2. (18) 2. 2. q. 63. a. 2. ad 1.

sit dare pro libito, sed dispensator, etc. Unde peccat qui aliis beneficia distribuit, quam dignioribus, qui ad illa ius fortius habent; si enim verum est (ut dd. communiter fatentur), quod beneficia non solum sint instituta in bonum commune, sed etiam (licet minus principaliter) in praemia meritorum, patet inde ad illa maius habere ius qui commune bonum magis promovent; saltem beneficia sunt bona communia, et ut talia etiam debentur iis qui meritis praestant. Ratio 2. potior mihi et Lugoni (qui praedictae primae rationi minime acquiescit) ea est, quia ipsa utilitas ecclesiae, ob quam sunt beneficia instituta, postulat de se, ut digniores promoveantur, alioquin clerici parum incumberent ad digniores se reddendos, et sic valde deficeret ecclesiae utilitas; hoc autem damnum non leve, sed satis notabile videtur. Ita Less. [1] Lugo [2] Pal. [3] Holzm. [4] Croix [5] Viva [6] Ronc. [7] qui, spectata ratione, putat contrariam carere probabilitate, item Salm. [8] cum s. Anton. Cai. Azor. Fill. Garcia, et aliis plurimis.

94. Limitant tamen dd. et dicunt non esse peccatum mortale, 1. Si praetermittatur dignior non passim, sed semel vel bis, ut Lugo [9] Nav. Az. et Fill. apud Croix [10] item Less. [11] cum Ales. Soto Sa Gabr. Angel. P. Nav. et Arag. loquendo de beneficiis mere simplicibus, ut capellaniis et etiam canonicatibus, non autem de iis quibus annexa est iurisdictio vel functio magni momenti, ut supra; ratio quia tunc parum damni infertur ecclesiae. Hoc tamen nullo modo admittendum in beneficiis curatis, pro quibus damnum ecclesiae, communiter loquendo, esset notabile. Imo Vasq. Cov. et Cai. tenent hoc esse mortale etiam in omnibus beneficiis simplicibus, quia etiam violaretur in re gravi iustitia distributiva. E converso, ait Less. cum aliis [12] quod dignior in his beneficiis non habet tale ius strictum ut illud violare sit mortale, cum violatio iustitiae distributivae, ut asserit cum Soto, non sit semper mortale, nisi redundet etiam in violationem iustitiae commutativae.

95. Limitant 2. Si excessus dignitatis sit parvus, quia tunc damnum leve censetur. Ita Less. [13] Lugo [14] qui vocat commune, Nav. Sot. Gers. Petrus Nav. et Sylvest. Sanchez [15] cum Arag. Pal. Prado etc., et in hoc casu dicunt electionem non excedere culpam venialem, etiamsi electores praestiterint iuramentum eligendi digniores, ut Salm. cum Soto Sanch. Pal. et Lugo [16] qui hoc admittit in his duabus et sequenti limitatione. Haec tamen limitatio nequaquam admittenda est quoad beneficia curata.

96. Limitant 3. Si beneficia sint parvi momenti, ut Lugo [17] communiter cum Nav. Sylv. Gers. Arag. Salon. Viva [18]. Item Less. Reg. Reb. Mald. ap. Croix [19]. Item Sotus Valent. Bann. Rodr. apud Diana [20]. Limitant 4. Si ex lege fundationis debeat eligi aliquis de aliqua familia, collegio, vel oppido, ut Cont. Tournely [21] cum Sylvio. Limitant 5. Si praevidetur dignior brevi dimissurus beneficium, ut Holzm. [22] cum Pichler.

97. Dub. 2. an patroni teneantur sub mortali praesentare digniores ad benecia. Distinguendum inter beneficia curata et simplicia. Si sint curata, certum est 1. quod patroni episcopatuum, ut sunt reges, ad id tenentur ex Trident. [23] ut supra, qui hoc declaravit de omnibus promoventibus, ut vidimus [24]. Certum est 2. quod si patroni sunt ecclesiastici, tenentur etiam digniores praesentare, ut sancivit concilium [25]. Sed dubium est si patroni sint laici.

Prima sententia quam tenent Pal. [26] ac Garcias P. Nav. et alii apud Salm. [27]

(1) L. 2. c. 33. dub. 14. (2) De iust. d. 35. num. 10. (3) Tr. 13. disp. 2. p. 11. n. 8. (4) T. 1. p. 432. n. 419. (5) L. 4. n. 588. (6) In prop. 47. Inn. XI. n. 6. et 9. (7) De benef. c. 5. q. 8. (8) De benef. eccl. c. un. punct. 8. §. 5. n. 314. (9) L. c. n. 21. (10) D. n. 588. (11) Loc. c. n. 66. (12) N. 65. (13) N. 64.

(14) N. 21. (15) D. dub. 2. n. 326. (16) N. 25. (17) Ex n. 21. (18) L. c. n. 6. (19) N. 588. (20) P. 5. tr. 5. r. 13. (21) L. c. (22) P. 432. n. 421. (23) C. 1. sess. 24. de ref. (24) N. 91. (25) C. 18. dict. sess. 24. (26) Tr. 13. disp. 2. p. 7. n. 6. (27) De beneficiis eccles. c. unic. punct. 8. §. 2. n. 281.

negat teneri ad praesentandos digniores, sive beneficium sit simplex sive curatum. Probant ex Trid. [1] ubi dicitur: *Quod si iurispatronatus laicorum fuerit, debeat qui a patrono praesentatus erit, ab eisdem deputatis examinari et non nisi idoneus repertus fuerit, admitti.* Ergo concilium, ait Pal. non aliud onus imponit laico, quam idoneum praesentare. Confirmat ex *can. Monasterium* 33. *caus.* 16. *quaest.* 7. ubi dicitur: *Liceat illi presbytero cui voluerit pro sacro officio illius dioecesis cum consensu episcopi, ne malus existat, commendare.* In quibus verbis *ne malus*, commentat Glossa: *Sufficit aliquem non malum esse;* ut notat etiam Glossa *in cap. Licet*, 15. *cas.* 8. *q.* 1.

Sed omnino tenendum cum *secunda sententia*, quod in beneficiis curatis teneatur sub gravi patronus adhuc laicus praesentare digniorem. Hoc mihi certum videtur, quia in his beneficiis eadem utique ratio currit quae in episcopatibus, pro quibus iam declaravit Tridentinum, ut supra vidimus a quibuscumque patronis promovendos esse digniores. Idque videtur clare confirmari ex *prop. dam.* 47. ut supra (ut bene advertit Croix [2]), quae intelligenda est ex verbis, *quando fit concursus*, non solum de episcopatibus, in quibus non fit concursus, sed etiam de beneficiis curatis, quae per concursum conferuntur. Si vero beneficia sint simplicia, prout probabile est, episcopos non teneri sub gravi ea dignioribus conferre, ita probabile etiam est ad hoc non teneri patronos; sed quia probabilius est, ut diximus, illa dignioribus conferenda esse; ita etiam probabilius censemus patronos teneri sub gravi digniores praesentare. Ratio potissima, ut bene ait Sanch. [3] quia alias evenirent eadem inconvenientia quae sequuntur ex hoc quod electores non eligant digniorem, prout supra animadvertimus, cum episcopus non possit alioquin repellere praesentatum, si sit idoneus, etiamsi dignior omittatur. Nostram sententiam tenent Sanc. [4] Croix [5] Viva [6] et Salm. cum Molin. Ban. Vasq. Az. Less. et eamdem tenet Lugo [7] quamvis excipiat capellanias quas quis pro libito in aliqua capella suae familiae instituit, contra Molina Azor. et Vasq. apud Viva [8] quia hoc concedunt tantum fundatoribus non autem successoribus.

98. Dub. 3. an resignantes beneficia etiam debeant digniorem quaerere. In hoc plures diversae adsunt sententiae.

Prima negat cum Sanch. [9] Less. [10] cum Cai. Pal. [11] item Az. Hurt. Mercad. Salon. apud Salm. [12] et Lugo [13] vocat communem cum Malder. Sa et Diana et ipse Lugo cum Vasq. probabilem vocat. Ratio quia resignans sive commutans beneficium non est dispensator boni communis, sed boni sui; unde non peccat contra iustitiam distributivam; nec peccat episcopus tunc conferens beneficium resignatario idoneo, quia tunc non tenetur digniorem quaerere; decreta enim de eligendo digniore loquuntur de collatione per vacationem, non autem per resignationem. Sentit tamen Less. [14] quod si offeratur resignanti persona multo dignior, tenebitur ex caritate erga commune bonum illum praeferre.

Secunda sententia omnino opposita absolute affirmat teneri resignantem quaerere digniorem. Hanc tenent Sotus [15] Viva [16] Cont. Tour. [17] item Vasq. et Palac. apud Salm. [18]. Ratio quia resignans, licet non peccaret tamquam collator beneficii, peccaret tamen, quia esset causa illicitae collationis: cum alioquin collator, qui certe non tenetur acceptare huiusmodi resignationem, non excusaretur a peccato, si eam acceptaret in aliquem qui vix est dignus dum aliunde de facili inveniri posset magis idoneus cui beneficium conferatur; unde peccat etiam resignans, cooperando peccato collatoris.

(1) D. c. 18. (2) N. 583. (3) D. lib. 2. c. 1. dub. 5. n. 3. (4) Loc. cit. (5) N. 584. (6) Loc. cit. q. 4. (7) Dict. dub. 35. n. 39. (8) Op. de benef. q. 4. a. 2. n. 5. (9) Consil. l. 2. c. 1. dub. 7. n. 4. (10) L. 2. c. 34. n. 61.

(11) Tract. 13. disp. 2. p. 11. §. 2. n. 11. (12) De benef. eccl. c. unic. p. 8. §. 6. n. 330. (13) Dict. d. 35. n. 49. (14) Loc. cit. (15) De iust. l. 3. q. 6. a. 2. (16) Loc. c. n. 13. (17) Ibid. (18) Loc. cit. n. 329.

Tertia sententia, quam tenent Nav. [1] et Salm. [2] cum Vasq. tum tantum admittit posse resignationem fieri non digniori, cum resignatarius sit aeque dignus ac resignans, quia tunc nullum ecclesiae damnum irrogatur.

99. Sed de his omnibus sententiis aequior mihi videtur sententia doctissimi Lugonis, nempe quod tota ratio culpae in hoc puncto sumenda est a ratione damni quod ecclesiae obveniret. Ratio quia, cum finis intrinsecus principalis institutionis beneficiorum sit bonum commune, ut compertum est apud omnes (iuxta dicta *n.* 93. et *l.* 3. *n.* 492.), ecclesia illa conferendo, sub hoc onere confert, ut casu quo beneficiarii velint ea a se abdicare, nonnisi in bonum commune resignent; finis autem hic intrinsecus non potest negligi sine culpa. Hinc recte infert huiusmodi resignationes praesertim in beneficiis curatis, et praecipue in episcopatibus, raro esse licitas; tum quia raro fiunt sine gravi boni communis detrimento; tum quia istae electiones non fiunt cum ea diligenti inquisitione meritorum, qua conferuntur beneficia praefata per vacationem; item quia ut plurimum fiunt cum retentione pensionis quae in damnum pauperumvergit; tandem quia saepe fiunt a senibus in adolescentes, ex quo deinde provenit quod ubi digniores in beneficiis post resignantium mortem electi fuissent, sint tantum electi minus digni: omnia autem haec utique vergunt in grave damnum commune. Si autem ex circumstantiis censeri posset in aliquo casu nullum aut modicum detrimentum ecclesiae inferri ob resignationem factam in aliquem minus dignum alio qui inveniri posset; tunc bene ait Lugo excusari posse resignantem et collatorem a culpa, saltem gravi. Et huic sententiae adhaeret etiam Croix [3].

100. Quaer. 2. An ad praelaturas regulares eligendi sint etiam digniores.

Prima sententia negat cum Hurt. Rodr. et Valer. apud Salm. [4] nisi agatur de generalatu aut praelatura perpetua; quoad tamen praelaturas amovibiles, dicunt non esse obligationem eligendi digniores; tum quia in religione iam adsunt regulae, quapropter sufficit ut iuxta eas subditi regantur, quod bene potest praestare praelatus dignus quin dignior existat; tum quia, si hic damnum aliquod afferret, facile amoveri potest. Huicque sententiae adhaeret Lugo [5] casu quo subditi essent adeo observantes, ut praelatus non dignior, sed dignus, possit sine ullo periculo eis praefici.

101. Sed omnino affirmandum cum *sententia communi*, ut asserit idem Lugo, et hanc tenent Sotus [6] Nav. [7] Card. [8] qui id praenotat ut certum, Viva [9] Roncag. [10] Sanch. [11] et etiam habent tamquam certum Croix [12] Salm. [13] cum Vasq. Peyrin. Villal. Fernand. et aliis. Ratio quia eadem valet ratio in praelatis regularibus, quam in episcopis, incumbendi bono communitatis et subditorum; erga quos praelati sunt quasi episcopi. Nec penitus valet dicere quod, cum adsint regulae, sufficiet quod praelatus attendat dumtaxat ad ipsarum observantiam retinendam; nam haec observantia difficillime vigebit, si minus digni eligantur; quia minus digni facile tepescunt et indigni evadunt, aut saltem minus diligenter observantiae incumbunt, et deinde ex imperfecta observantia facile ac cito regularum relaxatio succedet cum damno irreparabili; nam experientia constat quod ubi in aliqua religione abusus aliquis vel semel intruditur, difficillime postmodum avertitur. Et huius gravissimi damni profecto sunt causa praelati minus diligentes, et ii qui tales praelatos eligunt. Utinam huiusmodi detrimentum ex hoc capite derivatum in pluribus monasteriis saepe non lugeretur! Ideo numquam auderem absolvere religiosum, qui minus dignum praelatum eligere vellet. Atque recte

(1) L. 2. de rest. c. 2. n. 175. (2) Ibid. n. 331.
(3) L. 4. n. 586. (4) De benefic. eccles. c. un. p. 8. §. 6. n. 332. (5) D. 35. n. 56.
(6) L. 3. q. 6. a. 2. concl. 9.
(7) L. 2. c. 2. n. 159. (8) L. cit. n. 5.
(9) In dict. prop. 47. n. 10. (10) C. 5. q. 7.
(11) Dub. 2. n. 27. (12) L. 4. n. 582. et 589.
(13) Ibid. n. 333.

Salm. cum Anton. de Spirit. sanct. hanc doctrinam extendunt ad electionem diffinitorum, consiliariorum, procuratoris generalis et similium.

102. Quaer. 3. An electio digni in beneficiis, omisso digniori, sit valida. Si beneficium est simplex, certum est valere ex communi dd. Vide Salm. [1]. Dubium est, si sit curatum. Negant probabiliter Pal. [2] Sanch[3]. et Salm. [4] cum Gonzal. Arag. Hurt. etc. Ratio, quia in Trid. [5] circa beneficia parochialia, postquam praecipitur eligere digniores sic additur: *Provisiones, seu institutiones, praeter supradictas formas factae, subreptitiae esse censeantur:* inter autem has formas (dicunt), quaenam magis praecipua forma est, quam ut dignior eligatur, prout expresse concilium iubet? Confirmant ex bulla s. Pii v. anno 1566. quae incipit: *In conferendis*, ubi declarantur nullae omnes collationes factae praeter formam Tridentini, praesertim in examine; et insuper conceditur appellatio digniori praeterito.

103. Affirmant vero probabilius collationem valere Lugo [6] cum Garcia Ugolin. Fill. Vasq. Mol. Gutt. Led. et idem tenent Holz. [7] cum Anacl. et Angel., Croix [8] cum Gonz. Leur. et Lott. Ratio quia *forma* revera non significat nisi modum seu ritum externum in huiusmodi collationibus a concilio praescriptum, nempe edictum, concursum, examen etc. Quod autem alter dignior iudicetur ab episcopo, non pertinet ad formam, sed ad internum episcopi iudicium, a quo non debet pendere validitas collationis; nam alias, si episcopus elegerit eum quem minus dignum iudicaverit, etiamsi ille revera sit dignior, electio erit nulla. Praeterea s. Pius in sua bulla praescripsit appellationem interpositam non impedire, quominus electio per ordinarium primo loco facta interim executioni mandetur, et provisus, causa pendente, ab eadem ecclesia *non amoveatur.* Ergo (bene arguit Lugo) electio facta erit valida donec iudex appellationis eam revocet; alioquin etiam appellatione non facta, electio nulla dicenda esset. Omnes autem conveniunt in dicendo quod difficillime poterit in eo casu iudicari pro appellante, cum maior dignitas electi non tantum pendeat a scientia, sed etiam ab aliis requisitis prudentiae, integritatis, aptitudinis etc. Et ideo praesumptio semper est pro electione ordinarii, nisi evidenter iniusta et dolosa probetur, ut aiunt Lugo [9] et Salm. [10].

104. Quaer. 4. An obligatio eligendi digniores ad beneficia curata, praesertim ad episcopatus, ita urgeat, ut debeat episcopus dignior ab una ecclesia ad alteram maiorem transferri. Haec quaestio tota pendet ab alia, nimirum, an translatio episcoporum sit prohibita iure divino vel humano. Quapropter hanc discutere oportet.

Prima sententia tenet translationem episcoporum esse tantum vetitam de iure ecclesiastico, ut disponunt Leo I.[11] Gelasius[12] etc. Ratio quia alias, si esset vetita de iure divino non sufficeret quaelibet utilis et honesta causa ad dispensandum; sed in *cap. Nisi* 10. *de renunt.* pontifex loquens de renuntiatione episcopatus, expresse dixit: *Ut si propter aliquam causam utilem et honestam in huiusmodi proposito perseveres, de licentia nostra cedas.* Ex quo infertur, papam sine causa valide dispensare, et cum aliqua causa etiam licite. Ita mordicus tuetur Suar.[13] cum Hostiens. et Maior. ac sequuntur Barbos. etc. apud Salm. [14].

Secunda sententia vero communior et mihi longe probabilior, docet episcopos teneri iure divino permanere in suis episcopatibus; ideo nec licite nec valide posse papam cum eis dispensare sine valde gravi causa. Probatur ex *cap. Inter corporalia* 2. *de transl. Ep.* ubi expresse declaravit Innocentius III. quod sicut Deus dissolu-

(1) De benef. eccl. c. unic. p. 8. §. 7. n. 342.
(2) L. c. p. 11. §. 3. n. 3.
(3) L. 1. c. 1. dub. 6.
(4) Ibid. n. 343.
(5) Cit. c. 18.
(6) Dist. 35. n. 71.
(7) P. 432. n. 422.
(8) Lib. 4. n. 627.
(9) Loc. c.
(10) De benef. eccl. c. unic. p. 8. §. 7. n. 347.
(11) Ep. 82.
(12) Ep. 6.
(13) De rel. l. 1. c. 16
(14) Ibid. n. 9 n. 379. et 380.

tionem carnalis coniugii sibi reservavit, sic etiam coniugii spiritualis inter episcopum et ecclesiam, et addit: *Non enim humana sed potius divina potestate coniugium spirituale dissolvitur, cum per translationem... auctoritate romani pontificis (quem constat esse vicarium Iesu Christi) ab ecclesia removetur.* Ratio autem huius naturalis indissolutionis est quia alias innumerabilia inconvenientia evenirent: praesertim quia episcopi multum deficerent in dilectione suarum ecclesiarum, et ipsae ecclesiae parum bene regerentur, si saepe mutarentur episcopi. Ita Vasquez [1] Cai. [2] Sanch. [3] cum Salon. et Sot. item Ban. Arag. cum Salm. qui [4] recte addunt cum Carthusiano Soto Hurtado etc. episcopis esse etiam vetitum suas deserere ecclesias, propter votum quod ipsi emittunt, dum ecclesiis praeficiuntur, curam habendi ovium ipsarum; quod votum perpetuum est et in eo solus papa dispensare potest, ut docet s. Th. [5] qui ait: *Presbyteri autem curati non obligantur voto perpetuo et solemni ad curam animarum, sicut obligantur episcopi. Unde episcopi praesulatum non possunt deserere absque auctoritate romani pontificis.*

105. Advertendum hic vero quod, licet episcopatus comparetur matrimonio carnali, non tamen id ita verum est, ut non possit dissolvi hoc coniugium spirituale per dispensationem pontificis, iusta et valde gravi causa interveniente, ut omnes fatentur; vide Salmant. [6]. Et ita respondetur ad textum oppositum a p. Suarez. Causae autem iustae communiter a dd. censentur esse, nimirum magna utilitas ecclesiae universalis vel particularis, vel ab alio non supplebilis, vel necessitas episcopi, propter infirmitatem aut aeris malitiam: vel quia in sua dioecesi ob plebis iniquitatem, aut ob aliam causam non potest bene suum munus exercere. Ita Salm. [7] Sanch. [8] cum Soto et Vasquez. Hinc respondetur ad quaesitum, quod si translatio sit vetita tantum de iure ecclesiastico, iuxta primam sententiam, minor sufficit causa ad translationem, et adest obligatio eligendi episcopum digniorem, etiam ex iis qui aliis ecclesiis praesunt. Si vero translatio sit vetita de iure divino, iuxta nostram sententiam, nulla erit obligatio eligendi digniorem ex episcopis qui actualem curam habent suarum ecclesiarum, et si episcopus nolit transferri, ad id nequit papa eum cogere: nisi interveniat causa valde urgens, quo casu potest etiam cogi episcopus ut ad aliam ecclesiam se transferat, ut dicit Sanch.[9] cum Arag. Et idem censent Salm.[10] cum Hurtado de translatione parochi.

106. Quaeritur 5. An qui eligunt ad beneficia dignum, omisso digniore, teneantur restituere damnum illatum ipsi aut ecclesiae.

Prima sententia, quam tenent Cai.[11] Sylv. [12] Vasq.[13] et Salm. [14] cum Bann. Salon. Aragon. Tapia et Lop. ait teneri compensare damnum digniori omisso: quia, ut dicunt, sicut si aliqua bona essent a fundatoribus relicta, ut distribuerentur magis benemeritis, aut indigentibus aut propinquis, isti ius strictum quidem haberent ad illa bona; ita ius habent digniores ad beneficia quae hac lege universali instituuntur, ut sint non solum stipendia laborum, sed etiam praemia meritorum. Alii vero ut Salm.[15] cum Ban. et Salon. putant damnum resarciendum non solum digniori, sed etiam ecclesiae; quia hoc confertur electori ius eligendi ab ecclesia, ut eligat meliores; unde dicunt teneri electorem ex iustitia commutativa ad compensationem damni quod ipsi ecclesiae obveniat ob electionem minus digni.

107. *Secunda sententia* vero non minus probabilis, quam tuentur Nav.[16] Less.[17] Sanch.[18] Pal.[19] Lugo[20] Tol.[21] Croix[22] et

(1) In 3. p. 3. d. 241. (2) 2. 2. q. 184. a. 6. (3) Cons. l. 2. c. 1. dub. 3. (4) Tr. 28. c. un. p. 8. §. 9. n. 384. (5) 2. 2. q. 185. a. 4. et clarius q. 189. a. 7. (6) Ibid. n. 382. (7) Ibid. n. 388. (8) Loc. c. (9) Dict. dub. 3. n. 2. (10) Tr. 28. c. unic. p. 8. §. 8. n. 390. (11) 2. 2. q. 62. a. 4. (12) V. restit. 5. q. ult. (13) De benef. dub. 17. n. 117. (14) Ibid. n. 359. (15) Ibid. n. 367. (16) Man. c. 17. n. 69. (17) L. 2. c. 34. dub. 15. (18) L. 2. c. 1. d. 45. n. 15. (19) Tr. 13. disp. 2. p. 11. §. 4. n. 5. (20) D. 35. n. 83. (21) L. 5. c. 4. n. 4. (22) L. 4. n. 351.

Canus cum Adrian. Penna Cov. etc. apud Salmant.[1] qui probabilem vocant, docet electorem neque ecclesiae neque digniori teneri aliquid restituere; non digniori, quia tunc digniores haberent ius strictum ad beneficia, quando principaliter, ut supra diximus, fundatores habuissent rationem meritorum; non vero quando minus principaliter, ut est in casu nostro, cum beneficia primario, prout omnes concedunt, imo etiam unice, prout tenet Lugo, sunt instituta in bonum commune, ut ecclesiae inserviatur a bonis ministris; et licet secundario essent etiam instituta in praemia meritorum, ex hac tamen iustitia nullum ius rigorosum ad illa acquirunt nec digni nec digniores. Neque sub alio pacto seu lege intelligit ecclesia electores obligare; neque ipsi intendunt se obligare sub onere restitutionis ad amplius quam ad ministros non indignos eligendos. Unde neque ecclesiae tenentur aliquid restituere, ut pro certo vel fere certo habent Pal. Mol. et Sanch.[2] cum Soto et Arag. Secus vero si eligatur indignus, quia tunc tam ab electo, quam ab electore, deberetur ecclesiae restitutio damni. Utraque sententia est valde probabilis; sed reddit mihi probabiliorem secundam sententiam id quod diximus *l.* 1. *n.* 35. *et l.* 3. *n.* 927., nempe quod nullus legitimus possessor sui ad restitutionem tenetur, qui pro se probabilem habet opinionem.

108. Sic etiam resolvitur illa alia quaestio, quam retulimus *l.* 3. *n.* 585. scil. an qui suadet episcopo conferre beneficium simplex aut curatum digno, praetermisso digniore, teneatur ad restitutionem damni. Affirmant Salmant.[3] consequenter ad sententiam quam ipsi tenent, ut supra; sed nos consequenter ad secundam sententiam cui mox supra adhaesimus, dicimus cum Laym. Nav. Sa Less. Val. Fill. et aliis apud Salm.[4] qui probabile censent, eum qui episcopo sine vi aut fraude suadet beneficium conferre minus digno, ad nullam restitutionem teneri. Secus vero si vi vel fraude impediret beneficium conferri digniori; tunc enim certe tenetur damnum ipsi illatum restituere, cum quisque ius habeat, ne vi vel fraude impediatur a consecutione iusti boni, ut dictum est *l.* 3. *n.* 582. Secus etiam, si beneficium conferendum esset per concursum, ut in sequenti quaestione dicetur. An autem teneatur ad restitutionem is qui non vi vel fraude, sed tantum ex odio impediret aliquem dignum a consecutione beneficii. Probabilius negatur. *Vide dicta l.* 3. *n.* 584.

109. Quaer. 6. An quando beneficia conferuntur per concursum, eligens dignum, omisso digniore teneatur huic damnum restituere.

Prima sententia communis affirmat, quam tenent Pal.[5] Cont. Tourn.[6] Holz.[7] Sanchez[8] cum Mol. et Metin. Croix[9] Lugo[10] cum P. Nav. Less. Cai. Sylvest. Vasq. etc. qui vocavit verissimam sententiam. Ratio quia eo ipso quo dignior admittitur ad concursum, acquirit ius ad rem, cum in communi aestimatione adsit tunc pactum implicitum in edicto inter episcopum et oppositores, ut dignior praeferatur. Quod procedit in omni praemio quod promittitur vocatis per concursum ad luctam, ad iactum etc. Imo ait Lugo quod, cum in edicto dicatur, quod cuique servabitur ius suum, digniores ex pacto explicito ad beneficium ius acquirunt. Tanto magis quia in concursu ad beneficia curata datur ex Tridentino appellatio digniori, si praetermittatur; ergo dicit Pal.[11] quod digniores habent ius strictum ad beneficia. Excipiunt tamen Ronc.[12] cum Garcia Lugo[13] et Sanch.[14] si excessus dignitatis sit parvus.

Secunda sententia tamen negat obligationem restitutionis, ut tenent Sot.[15] Navarr.[16] item Led. Henr. et alii apud Sanch.[17] qui probabilem censent. Ratio istorum, quia praedictum pactum

(1) Ibid. n. 354. (2) N. 10. (3) Tr. de ben. eccl. c. unic. p. 8. §. 8. n. 371. (4) Tr. de rest. c. 1. p. 4. n. 106. (5) D. p. 11. §. 4. n. 6. (6) De ben. c. 2. a. 1. sect. 2. (7) P. 432. n. 419.

(8) L. 2. c. 1. dub. 46. (9) L. 4. n. 628. (10) D. 35 (11) Loc. c. (12) C. 5. q. 2. (13) N. 21. (14) N. 5. (15) L. 4. de iust. q. 6. a. 5 (16) C. 17. in summ. n. 74. (17) L. c. n. 1.

quod supponitur, vel habetur in edicto non est pactum rigorosum obligans iuxta leges iustitiae commutativae, sed est tantum promissio obligans dumtaxat ex fidelitate; imo potius est explicatio obligationis quam per se habet episcopus ex iustitia distributiva quae non obligat ad restitutionem. Proculdubio sub gravi debentur, ut aiunt, praemia promissa concurrentibus ad luctam etc. ut supra, quia illa principaliter sunt instituta ut praemia meritorum; sed idem non currit de beneficiis quae unice vel principaliter instituuntur in bonum commune. His non obstantibus, non audeo recedere a prima sententia communi et multo probabiliori. Sed hanc secundam nec etiam audeo dicere improbabilem, quia revera non videtur constare quod inter episcopum et oppositores intercedat pactum illud obligans rigorose ex iustitia commutativa; et non constando de tali pacto non videtur constare de tali obligatione.

110. Quaer. 7. an dignus se opponens per concursum digniori peccet mortaliter, et teneatur ad restituendum illi damnum, si beneficium obtineat. Nulli dubium quod si concurrat indignus cum digno, peccet concurrendo, et acceptando beneficium tenetur resarcire damnum ecclesiae, illudque resignare; vide Sanch. [1] et Salm. [2]. Si vero concurrat dignus cum digniore, duo dubia occurrunt.

Dubium 1. est, an iste concurrendo peccet graviter.

Prima sententia negat, et hanc tenent Less. [3] Cai. [4] Azor. [5] Salm. [6] cum Soto Bann. Led. etc. item Vasq. et Cov. apud Lugo [7]. Ratio, tum quia non pertinet ad ipsum merita discutere, sed ad electores; ideo si ipse beneficium petit, petit sub conditione, si dignior videatur; tum quia hoc est secundum mentem ecclesiae, ut omnes digni concurrant; alias, si non liceret dignis se opponere dignioribus, pauci concurrerent, et forte digniores a scrupulo territi se retraherent, idque in grave damnum ecclesiae utique vergeret.

Secunda sententia vero quam tenent Sanch. [8] Pal. [9] Nav. [10] ac Lugo [11] cum Turr., dicit quod si talis concurrat gratia honoris, ut ad alios concursus gradum sibi faciat, et postea desistat petere ut eligatur, certe non peccat. Secus si praetendat electionem, aperte cognoscens alterum esse digniorem. Ratio quia, licet episcopus non peccet ipsum eligendo ex errore inculpabili, peccat tamen ille cooperando ad talem electionem, saltem materialiter iniustam, maxime quia iniustitia illa vergeret in damnum dignioris qui ius habet ad sui electionem. Haec sententia, speculative loquendo, apparet probabilior; attamen in praxi numquam videtur locum habere posse; nullo enim casu is qui est dignus, poterit esse certus quod episcopus bona fide eum eligendo, non habeat aliquod rationabile motivum, ipsi concurrenti occultum, excludendi alterum quem ille putat digniorem. Hoc innuit ipse Lugo [12].

Dubium 2. est an hic dignus, manifeste cognoscens alterum se digniorem, peccet acceptando beneficium et teneatur damnum illi resarcire.

Prima sententia affirmat, quam tenent Nav. [13] Pal. [14] item Sylvius et Tanner apud Salm. [15]. Ratio quia ipse acceptando beneficium concurrit ad iniustam electionem in damnum alterius.

Secunda sententia tamen quam tenent Sanch. [16] Sot. [17] Diana [18] cum Tur. etc. ac Salm. [19] dicit eum nec peccare nec teneri ad restitutionem. Ratio cur non peccet, quia ex una parte, ut ait d. Th. [20] loquens de assumptione ad episcopatum, ille qui debet assumere *tenetur assumere meliorem quoad regimen ecclesiae;* pro eo vero qui assumitur, dicit quod *non requiritur ut repu-*

(1) Cons. l. 2. c. 1. dub. 4. n. 9. (2) De benef. eccl. c. unic. p. 8. §. 8. n. 573. (3) L. 2. c. 34. n. 70 (4) 2. 2. q. 185. a. 3. (5) 2. p. lib. 6. c. 15. q. 14. (6) Ibid. n. 574. (7) D. 35. n. 88. (8) C. 1. d. 48. n. 4. (9) D. 2. p. 11. §. 5. n. 1.

(10) De orat. misc. 45. n. 89. et 97. (11) D. 35. n. 91. (12) N. 89. (13) L. 2. de rest. c. 2. n. 173. (14) D. §. 5. n. 1. (15) Tr. 28. c. unic. p. 8. §. 8. n. 573. (16) C. 1. dub. 15. n. 2. (17) De iust. l. 5. q. 6. a. 2. (18) T. 2. tr. 5. misc. r. 110. (19) L. c. n. 574. (20) 2. 2. q. 185. a. 3.

tet se aliis meliorem, sed sufficit quod nihil in se inveniat. per quod illicitum ei reddatur assumere praelationis officium. Ex alia parte non peccat cooperando peccato collatoris, cum per ipsam collationem iam episcopus peccatum consummaverit, et per accidens se habet quod ipse acceptet vel non; iuxta dicta in simili casu *l.* 3. *n.* 492. *quaer.* 8. *v. sed admissa.* Prout enim (ait Sanch.), si pater et extraneus sint in extrema necessitate, extraneus recipiendo panem a filio, licet filius peccet panem ei praebendo, ipse tamen non peccat acceptando; ita in casu nostro. Ratio autem cur iste neque tenetur ad restitutionem, est, quia cum beneficium iam est ei collatum, alter dignior nullum ius amplius ad illud habet, eo quod desinit tunc beneficium esse inter bona communia; prout, si res duobus vendita tradatur secundo emptori, non tenetur iste rem emptam primo emptori restituere, cum per traditionem adeptus sit illius dominium, et extinctum sit ius ad rem primi emptoris. Licet autem in nostro casu concedatur digniori appellatio, collatio tamen in utroque foro valida est, et electus non potest a beneficio acquisito amoveri, nisi per sententiam iudicis collatio invalidetur, ut diximus *n.* 102. Et haec sententia mihi probabilior videtur; tanto magis quia sicut dignus electus potest licite beneficium petere, iuxta dicta in praecedenti dubio; sic etiam potest acceptare; eo quod numquam potest esse certus collationem fuisse iniustam. Hinc ait probabiliter Lessius [1] quod si certe existimes episcopum non iudicio, sed favore te praetulisse, hoc tibi non imputabitur, si beneficium tibi non sollicitanti fuerit oblatum, vel si bona fide sollicitasti; videtur enim ecclesia ratas habere has collationes in favorem concurrentium, ne ipsi deinde perpetuo scrupulis angantur, ut eruitur ex Trid. [2] ubi praecipitur beneficia conferre *dignis, aliter facta collatio omnino irritetur.* Ergo collationes dignis factas pro assumptis iam ratas habet. Caeterum bene ait Sanch. [3] quod *communiter oppositores* excusantur a peccato, quia nullus se reputat minus dignum, et bona fide existimare valet, quod si alius excedit in uno, ipse excedat in alio.

111. Quaer. 8. An examinatores teneantur episcopo denuntiare digniores.

Prima sententia negat cum Lugo [4] Pal. [5] Croix [6] et Barb. Garc. etc. apud Salm. [7]. Et probant ex Trid. [8] ubi dicitur: *Peracto deinde examine, renuntientur quotcumque ab his idonei iudicati fuerint, aetate, moribus, doctrina etc.; ex hisque episcopus eum eligat, quem caeteris magis idoneum iudicaverit.* Ergo, ut dicunt, ex verbis concilii colligitur quod solum ad examinatores pertinet denuntiare idoneos, ita ut episcopus invalide eligeret eum quem ipsi reprobarent; sed contra ad episcopum unice pertinet iudicare quis eorum sit dignior. Hoc confirmat Lugo ex declaratione s. c. concilii quam refert, ubi dicitur: *S. congregatio declaravit non pertinere ad examinatores sed solum ad episcopum iudicare, quis ex concurrentibus ad parochialem vacantem sit magis idoneus.* Et in conc. trident. [9] tantum habetur, ut examinatores peracto examine renuntient episcopo quotcumque ab his idonei iudicati fuerint. Haec sententia est quidem probabilis, sed probabilior mihi est

Secunda sententia opposita quam tenent communius Nav. [10] Ronc. [11] et Salmant. [12] cum Az. Led. Med. Vill. Lop. Dian. Tap. etc. Ratio quia ideo et praecipue concilium praescripsit concursum et examinatores, ut episcopus facilius et tutius digniorem agnoscere ac eligere valeret; unde quamvis ex verbis concilii non inferatur obligatio examinatorum denuntiandi digniorem, infertur tamen ex mente concilii. Nec obstat declaratio allata s. c. ut supra, quia ibi nil aliud decernitur nisi quod

(1) D. n. 70. (2) Sess. 7. c. 3. de ref. (3) Loc. c. n. 3. (4) D. 35. n. 66. (5) L. c. §. 4. n. 9. (6) L. 4. n. 626. (7) De benef eccl c. un. p. 8. §. 7. n. 537. et 538. (8) Cit. c. 18. sess. 24. (9) Loc. cit. (10) Lib. 2. de rest. c. 2. n. 187. (11) C. 5. q. 9 r. 1. (12) Cit. c. unic. n. 539.

ad episcopum pertinet iudicare de maiori dignitate oppositorum, et hoc est certum; sed ibi non excluduntur examinatores teneri ad exponendum episcopo, quem ipsi censeant magis idoneum, ut mens concilii servetur. Demum hic notandum quod examinatores debent praestare iuramentum de fidelitate in eorum officio, ut praecipitur in Trid. [1] alioquin concursus est nullus, ut declaravit sacr. congr. conc. die 2. decembris 1628.

Art. III. Quae intentio et qualitates requirantur ad beneficium accipiendum.

112. « Resp. 1. Ut beneficium aliquod valide et licite obtineatur, requiritur ut sit persona capax et habilis, hoc est ut sit clericus, non illegitimus (cum quo tamen episcopus dispensare potest ad ordines minores et beneficium simplex cui ordo maior non est annexus), non irregularis, non excommunicatus, non improbus aut facinorosus, ut habeat scientiam competentem ad munus beneficio annexum, et aetatem legitimam, nisi dispensetur, scil. pro beneficio simplici annos 14. (sufficere tamen 14. inchoatum, docet Dian.[2] ex Azor. et aliis 5.) (Cum Gonz. Pal. Fill. Barb. et Salm.[3] communiter.) Pro eo quod subdiaconatum requirit, vigesimum primum. Pro eo quod diaconatum, vigesimum secundum. Pro eo quod sacerdotium, vigesimum quartum inchoatum [4]. (Ut probabiliter Less. et Azor. apud Salm.[5]. Quae aetas sufficit, si ordinem suscipiat intra annum, iuxta Trid.[6]. Nota quod, aetate deficiente, etiam quoad unam horam, provisio beneficii est nulla: est commune cum Sanc. Pal. Az. et Salm.[7]) Colligitur ex Trid.[8]. In his tamen et similibus casibus multi excusantur vel quia illud ius ubique non est receptum, vel quia bona fide tres annos fuerunt in possessione, quae veluti usucapionem et dominium parit. Less.[9].

113. » Resp. 2. Qui recipit beneficium quodcumque habens annexum ordinem sacrum, tenetur habere voluntatem saltem conditionatam clericandi, et sacrum ordinem accipiendi intra tempus a iure requisitum. Laym.[10] Less.[11]. Ratio est, quia suscipiens officium cui obligatio est annexa, omni modo se habilitare tenetur. Imo, si curatum seu parochiale est, habetque intentionem sacerdotium intra annum non suscipiendi, sed parochiam dimittendi, non tantum mortaliter peccat, sed etiam ipso iure est privatus, et ad fructuum restitutionem tenetur, ut patet *ex cap. Commissa* 35. *de elect. in* 6. Quod si tamen, mutata voluntate, ante finem anni sacerdos fiat, fructus retinere potest; (Idem docent Nav. Less. Sanch. etc. cum Salm.[12]. Et sic tenendum contra Soto et Tol. ut probatur *ex dict. cap. Commissa*, ubi dicitur *quod recipiens beneficium curatum animo non suscipiendi sacerdotium, tenetur fructus restituere, nisi voluntate mutata promotus fuerit. Vide omnia verba textus citati infra n.* 114.) Imo et episcopus dispensare potest, ut, vicario substituto, studiis per septennium vacet.

» Dixi 1. *habens annexum ordinem sacrum:* quia, si is non sit annexus, et beneficium sit simplex, licet illud acceptet animo fructus lucrandi, et deinde uxorem ducendi, non nisi venialiter peccat, si alias officio suo satisfaciat, ut docent Laym.[13] Sanch.[14]. Ratio est quia illa perversio ordinis non videtur gravis, nec ullo iure vetatur, ideoque ad nullam fructuum restitutionem tenetur. Unde Garcias [15] talem ab omni culpa excusat.

» Dixi 2. *voluntatem saltem conditionatam:* quia, si ex iusta causa postmo-

(1) Sess. 24. c. 18. de ref. (2) P. 3. tr. 6. r. 64.
(3) De benef. eccl. c. unic. p. 7. §. 1. n. 160.
(4) Pro beneficio curato habeat annos 25. inceptos.... pro episcopatu denique requiritur aetas 30. annorum completorum. Hom. Ap. tr. 13. n. 42.
(5) Ibid. n. 157. (6) Sess. 23. c. 12. de ref.
(7) Ibid. n. 162. (8) Sess. 22. de ref. c. 4.
(9) Dub. 20. (10) C. 14. (11) L. 2. c. 34. dist. 26.
(12) De benef. eccl. p. 7. §. 5. n. 190. (13) C. 14.
(14) L. 7. de matr. dist. 45. (15) P. 3. c. 4. n. 42.

dum status clericalis minus illi convenire videatur, potest animum mutare, etiamsi beneficium sit curatum, v. gr., si primogenitus familiae, aut frater unicus sine liberis decedat; si optimum matrimonium ad conservationem familiae nobilis vel ad lites graves sopiendas necessarium offeratur. Ratio est, quia non est mens ecclesiae, ita ad ecclesiasticum statum obligare, ut haec et similia bona impediantur. Laym.[1].

Quaer. hic 1. Quomodo peccet qui recipit beneficium simplex, animo deinde uxorem ducendi, beneficio dimisso. Certum est peccare graviter si beneficium habeat annexum ordinem sacrum, ut communiter docent Bus. ut supra, et Sanch.[2] Pal.[3] Salm.[4] cum Soto Tol. etc. Si vero ordinem sacrum annexum non habeat, tres sunt sententiae.

Prima, quam tenent Less.[5] Tol.[6] et Salm.[7] cum Sot. et Gutt., dicit adhuc peccare mortaliter, quia similis intentio est perversio ordinis naturalis et divini, statuentis beneficia recipienda esse tantum ad obsequium Deo praestandum.

Secunda sententia, quam sequuntur Pal.[8] et Garc. ap. Bus. supra, censet talem ne leviter quidem peccare, quia nullum apparet praeceptum hoc prohibens.

Tertia sententia media, quam tuentur cum Bus. Sanch.[9] et Laym.[10] cum Nav. et Vasq. tenet hunc quidem non excusari ab aliqua culpa, cum talis animus aliquam involvat inordinationem, sed non peccare graviter, cum huiusmodi inordinatio non sit tanta ut damnari debeat de mortali; nullo enim iure constat ipsam esse gravem. Nullum autem praeceptum (ut recte docent s. Antonin. et p. Concin. quorum verba retulimus *l.* 3. *n.* 547. *v. Caeterum*) est hominibus sub gravi imponendum, nisi evidens ratio id suadeat. Et ex hoc principio, tradito prius etiam a d. Th.[11] praefata tertia sententia probabilior mihi redditur.

114. Quaer. 2. An peccet graviter et teneatur restituere fructus, qui recipit beneficium curatum cum animo dubio vel conditionato suscipiendi sacerdotium intra annum. Affirmant Concin.[12] Sotus et Azor. apud Salm.[13], quia lex exigit veram intentionem suscipiendi, etc. Sic enim habetur in *cap. Commissa de elect. in* 6.: *Caeterum, si promoveri ad sacerdotium non intendens, parochialem receperis ecclesiam, ut fructus ex ea per annum recipias, ipsam postea dimissurus (nisi voluntate mutata promotus fueris), teneris ad restitutionem fructuum eorumdem, cum eos receperis fraudulenter.* Negant vero Nav. Barb. Garc. Graff.[14] apud Salm.[15] quia textus loquitur de eo qui accipit fraudulenter beneficium; non autem dicunt accipere fraudulenter, qui cum animo dubio aut conditionali accipit. Verumtamen alii opinantur, ut Bus. Less.[16] Sanch.[17] Pal.[18] et Salm.[19] qui citant Lop. Man. Bard. etc., accipientem cum dubio peccare mortaliter et teneri ad fructus perceptos restituendos, quia dubitans revera non habet intentionem; non vero accipientem sub conditione, quia hic veram habet intentionem, quamvis conditionatam. Sed prima sententia est mihi probabilior, quia intentio, ut non sit fraudulenta, debet esse determinata absolute ab ordinem suscipiendum.

ART. IV. An liceat habere plura beneficia. Et quinam beneficiarii teneantur ad residentiam.

(1) Loc. c. (2) L. 7. de matrim. d. 45. n. 14. (3) Tr. 13. dub. 4. d. 7. n. 14. (4) Loc. c. n. 200. (5) L. 2. c. 34. n. 132. (6) L. 5. c. 5. (7) Ib. n. 199. (8) L. c. (9) L. c. n. 19. (10) L. 4. tr. 2. c. 14. n. 11.

(11) Quodl. 9. a. 15. (12) T. 10. p. 152. (13) De benef. eccl. c. unic. p. 7. §. 3. n. 185. (14) Ibid. (15) N. 186. (16) L. 2. c. 34. n. 131. et 15[illegible] (17) D. c. 45. n. 10. (18) N. 5. (19) Ib. n. 18[illegible]

115. « Resp. Plura beneficia possidere non est res simpliciter intrinsece mala nec omnino indifferens, sed speciem mali prae se ferens, imo ordinarie illicita et naturali iuri repugnans (si talia sint, quorum unum ad honestam sustentationem sufficiat), nisi iusta causa ex circumstantia cohonestetur. Ita fere Laym. [1] ex s. Th. Less. Azor. etc. comm. Quia, ut docet Trident. [2] pluralitas huiusmodi magnam inordinationem involvit, dum minuitur cultus divinus, ecclesia operariis, fundator pia intentione, pauperes utiliores ecclesiae futuri sustentatione privantur. Hinc beneficia distinguuntur in incompatibilia primi generis, in quibus, accepta pacifica possessione secundi, vacat prius, qualia sunt plura beneficia curata; item plures dignitates personatus, duo beneficia uniformia sub eodem tecto: et in incompatibilia secundi generis, quae etsi sine peccato citra dispensationem obtineri nequeant, primum tamen altero obtento, non vacat: qualia sunt beneficia reliqua residentiam postulantia; v. g. canonicatus duo diversarum ecclesiarum, in quibus recepta est constitutio Trident. [3] ut non liceat ultra tres menses canonicis ab ecclesia abesse. Unde Layman [4] docet canonicatus in cathedralibus ecclesiis Germaniae, qui ex immemorabili consuetudine requirunt tantum residentiam medii anni vel 3. mensium, inter compatibilia beneficia numerandos. (*V. n.* 116. *v. Notandum*).

» Dixi, *nisi iusta causa cohonestetur;* quia qui per dispensationem plura beneficia obtinuit, nisi iusta causa subsit, in conscientia non erit tutus, sed tenebitur alterum resignare, ut docet Less. [5].

» Porro iusta causa dispensandi erit evidens necessitas et utilitas ecclesiae, et quandoque etiam praerogativae et merita personae, v. gr. insignis nobilitas, dignitas, scientia, auctoritas, virtus etc. modo caveatur ne beneficiorum coacervatio, facta etiam ob praerogativam personae, ad privatum tantum et non ad commune bonum referatur. Imo sine dispensatione plura beneficia sequentibus casibus haberi possunt:

» 1. Si utrumque adeo sit tenue, ut neutrum sufficiat ad sustentationem, modo utrumque sit simplex nec residentiam requirat (Secus igitur si beneficia residentiam requirant, licet sint tenuia. Croix [6] cum communi).

» 2. Quando parochia est annexa canonicatui eique accessoria; tunc enim utrumque per modum unius possidetur, ita tamen ut teneatur vicarium perpetuum in ecclesia alere.

» 3. Quando beneficia legitime sunt unita.

» 4. Quando alius idoneus et dignus non reperitur.

(1) L. 4. t. 2. c. 8. n. 1.
(2) Sess. 24. de ref. c. 17.
(3) Ibid. c. 12.
(4) C. 8. n. 6.
(5) L. 2. c. 34. n. 151.
(6) L. 4. n. 918.

» 5. Quando unum beneficium habetur in titulum, alterum in commendam non perpetuam, sed ad aliquot menses, donec de idoneo provideatur. Ita Regin. ex Sylv.

116. Beneficia alia sunt *simplicia*, prout sunt ea quae instituuntur tantum ad preces Deo persolvendas, et ad altaris servitium, nimirum canonicatus, capellaniae auctoritate pontificia vel episcopali erectae, praestimonia quae dantur clericis ad studia prosequenda et similia. Alia sunt *duplicia*, scilicet quae habent aliquam iurisdictionem, praeeminentiam, vel administrationem, ut sunt dignitates etc. ut infra. Item alia beneficia sunt compatibilia, alia incompatibilia. Et horum alia sunt incompatibilia *primi generis*, prout sunt beneficia curata vel uniformia sub eodem tecto, nempe quae ad easdem functiones concurrunt eodem loco et tempore; item dignitates, personatus et officia. *Dignitates* sunt quibus est annexa aliqua iurisdictio supra clerum aut populum, ut sunt episcopatus, abbatiae, decanatus, praepositurae, archipresbyteratus, archidiaconatus. *Personatus* autem sunt qui habent praeeminentiam aliquam supra clerum, sed sine iurisdictione, ut sunt munera primicerii, praecentoris sive cantoris et sacristae primarii. *Officia* demum sunt munera thesaurarii, praeceptoris, custodis seu sacristae inferioris, oeconomi etc., quorum aliquibus est annexa quaedam administratio, sine tamen iurisdictione aut praeeminentia. Alia vero sunt incompatibilia *secundi generis*, ut sunt canonicatus, et omnia quae residentiam requirunt.

Notandum autem quod si quis obtinet duo beneficia incompatibilia, obtento secundo, vacat ipso iure primum; et si ille utrumque retinere praesumat, ipso pariter iure utroque beneficio privatur. Haec certa sunt quoad beneficia incompatibilia primi generis, ex Trid. *sess*. 7. *c*. 2. *et sess*. 24. *c*. 17. *de ref*., item ex *c. De multa* 28. *tit*. 3. *de praeb. Extrav. Execrabilis*, *de praeb. et dignit. cap*. 9. *Litteras*, *de concess. praeb*., ac *Clement. cap. unic. eodem tit*. Sed dubium fit, an idem procedat in beneficiis incompatibilibus secundi generis, nempe quod, obtento secundo, vacet primum. Affirmant Cont. Sporerii [1] Salm.[2] cum Gonz. Az. et Garcia, ac Fagn.[3] ex declarat. s. c.; idemque dicunt Salm. probari ex locis citatis Tridentini. Sed negat Bus. ut supra *n. anteced*. 115. ac Holz. [4] cum aliis; et idem sentit Nav. [5] dicens quod si constaret s. c. declarasse quod Tridentinum ita sit intelligendum, talis declaratio a pontifice fuisset confirmata, et tunc sic foret tenendum: sed quia id non constat et alias ex verbis concilii id non videtur efficaciter probari, non est quod ad primam sententiam nos adstringat. Revera enim concilium in priori loco citato, nempe *sess*. 7. *c*. 2., loquitur quidem de praesumentibus retinere duo beneficia quomodocumque incompatibilia, scil. quae residentiam requirunt, et eos dicit ipso iure privari utroque beneficio, sed nullum facit verbum de vacatione primi ob consecutionem secundi. In posteriori autem loco, nempe *sess*. 24. *c*. 17., ubi praescribit vacare primum beneficium, obtento secundo, loquitur tantum de beneficiis curatis, nimirum episcopalibus et parochialibus. Hoc tamen non obstante propter praelaudatam declarat. s. c. cum ipsa a pluribus referatur, et praesertim a Fagnano, qui huiusmodi declarationum fuit diligens inquisitor, placet nobis potius primae sententiae adhaerere, sed secundam non improbamus. Notat Laym.[6] quod habens personatum cum cura in ecclesia, bene potest etiam habere ibidem canonicatum, cui parochialis ecclesia annexa est, et quam per vicarium administrare debet[7].

Praeterea notandum cum Salm.[8] et Abell. [9] quod in aliquo casu evidentis necessitatis, sive utilitatis ecclesiae pos-

(1) T. 3. de statu cleric. p. 76. n. 48. ad n. 9.
(2) Tr. 28. de ben. eccl. c. un. p. 16. §. 5. n. 664.
(3) In c. De multa de praebend.
(4) T. 1, p. 431. n. 415.
(5) Lib. 3. cons. 24. de praeb.
(6) L. 4. t. 2. c. 8. n. 4.
(7) Ex c. Super eo 6 de praebend. in 6.
(8) Ibid. n. 666.
(11) App. de statu cler. p. 448. n. 2.

set papa dispensare ut aliquis obtineat plura huiusmodi beneficia incompatibilia, etiam curata, prout Gregorius M. fertur praefecisse Martinum, Paulinum et alios duobus episcopatibus. Idque patet ex Trid. [1]. Diximus *casu evidentis necessitatis vel utilitatis*, nam alias habens plura huiusmodi beneficia, etiam cum dispensatione pontificis, non erit tutus in conscientia, ut recte dicunt Salm.[2] cum Bellarm. Panorm. Wig. et Tolet.

117. Hic autem magna vertitur quaestio an pluralitas beneficiorum sit vetita non solum de iure canonico, sed etiam naturali.

Prima sententia negat cum Innoc. [3], item Filliuc. Lugo apud Salm. [4] et Val. Led. Tusch. Rebuff. etc. apud Croix [5]. Quia, ut dicunt, si hoc esset contra ius naturae, papa non dispensaret ita frequenter in hac pluralitate, ut videmus esse in consuetudine.

Secunda sententia vero, quam tenent Cont. Tourn.[6] et Azor. Panorm. ac Hostiens. apud Salm. [7] absolute affirmat tam de beneficiis duplicibus, quam simplicibus. Ratio tum quia nequit unus duabus ecclesiis satis bene deservire, tum quia intentio fundatorum talis est, ut plures sint qui ecclesiis inserviant; et ideo pluralitatem beneficiorum dicunt fuisse expresse damnatam ex Trident. [8] ubi sic sancitum fuit: *Cum ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat clericorum, sancte sacris canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus ecclesiis adscribi. Verum quoniam multi improbae cupiditatis affectu seipsos, non Deum decipientes, ea quae bene constituta sunt, variis artibus illudere, et plura simul beneficia obtinere non erubescunt, sancta synodus debitam regendis ecclesiis disciplinam restituere cupiens, praesenti decreto, quod in quibuscumque personis quocumque titulo, etiamsi cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, statuit ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam eius cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Haecque non modo ad cathedrales ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia, tam saecularia quam regularia quaecumque, etiam commendata pertineant, cuiuscumque tituli ac qualitatis existant.*

Tertia sententia autem communis et tenenda (etsi olim primam probabilem censui) docet pluralitatem beneficiorum sive duplicium sive simplicium, modo unum sufficiat ad congruam sustentationem, secundum se esse contra ius naturale ob rationes mox allatas, et alia plura inconvenientia quae oriuntur a pluralitate beneficiorum, enumerata a Ioann. XXII. [9], ita ut plura beneficia nec etiam cum dispensatione pontificis valeant retineri sine peccato mortali; sed non taliter quod id non possit ex aliquibus circumstantiis cohonestari. Ita s. Th. [10] quem sequuntur Less. [11] Laym. [12] Pal. [13] Azor. [14] Abel.[15] Holzm.[16] Salm. [17] qui nostram sententiam ut certam habent cum aliis communiter, item Bellarm. ap. Cont. Tournely [18] qui ait dispensationem pontificis neminem tutum reddere, nisi adsit urgentissima causa et ecclesiae necessaria.

118. Causae autem cohonestantes pluralitatem beneficiorum, ex communi dd. sententia, sunt 1. *Necessitas ecclesiae*, nempe si desint alii ministri idonei, ita Conc. [19] Anacl. [20] et Salm. [21] et alii ex d. Th. qui docet [22] tunc posse alicui conferri plura beneficia, *si sit necessitas in pluribus ecclesiis eius obsequio, et ipse possit plus deservire ec-*

(1) Sess. 7. c. 5. (2) Loc. c. (3) In c. Finali, de cler. non resid. n. 1. et in c. Cum iam dudum 18. de praeb. (4) De benef. eccl. c. unic. p. 16. §. 5. n. 656. et 657 (5) L. 4. n. 902. (6) De benef. c. 4. a. 2. (7) Ibid. n. 655. (8) Sess. 24. de ref. c 17 (9) Extrav. Execrabilis; de praeb. et dign.

(10) Quodlib. 9. a. 15. (11) L. 2. c. 34. n. 137. (12) L. 4. tr. 2. c. 8. n. 2. (13) Tr. 13. d. 6. p. 4. n. 26. (14) 2. p. l. 6. c. 12. q. 7. (15) App. de statu cler. a. 3. q. 4. n. 4. (16) T. 1. p. 431. n. 417. (17) De ben. eccl. c. un. p. 16. §. 5. n. 658. et 659. (18) L. c. (19) T. 10. p. 171. n. 7. (20) P. 417. n. 16. (21) Ibid. n. 661. (22) Cit. a. 15.

clesiae, *vel tantundem absens, quam alius praesens,* verba s. doctoris. 2. *Utilitas ecclesiae*, nempe si unus solus, licet absens, magis censetur profuturus sua auctoritate, doctrina et prudentia, quam alter sua praesentia. Ita Holz. [1] Conc. [2] et Anacl. [3] cum Pirhing. Hinc aiunt Holzm. et Anacl. hac de causa conferri aliquando filiis principum plures episcopatus, etiam ante aetatem, ut ecclesiae contra haereticos potentius defendantur. 3. *Evidens meritorum praerogativa*, scilicet si aliquis praestaret doctrina, consilio, instructione, aut scriptione. Ita Laym. [4] Anaclet. [5] et Holzm. [6] *ex c. fin. De multa, de praeb.* ubi dicitur: *Nullus plures dignitates aut personatus habere praesumat, etiamsi curam non habeant animarum; circa sublimes tamen et litteratas personas, quae maioribus sunt beneficiis honorandae, cum ratio postulaverit, per sedem apostolicam poterit dispensari.* Et hoc est conforme doctrinae apostoli [7] qui ait: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore* (id est *munerum largitione*, ut explicat s. Hieronym. *c.* 15. *Matth.*) *digni habeantur; maxime qui laborant in verbo et doctrina.*

Quaeritur autem circa beneficia simplicia, an si quis habens unum beneficium, iam sufficiens ad suam congruam sustentationem, accipiat secundum sine causa cohonestante, primum ipso iure vacet. Negant Holzm. [8] item Gonzales et Flaminius apud Salm. [9] dicentes hunc beneficio non privari, sed esse cogendum per sententiam iudicis, ut alterum dimittat. Sed melius et communius affirmant Barb. [10] Fagnan. [11] et Salm. [12] cum Garcia ex quadam declar. s. c. quam iidem Fagn. et Garcias referunt, hoc enim conformius videtur verbis aut saltem menti Tridentini.

119. « Quaeres an et quomodo clerici teneantur ad residentiam.

» Resp. 1. Episcopos, parochos, eosque qui curatum beneficium habent, iure divino teneri. Nec sufficit si per alios administrent, nisi maius bonum urgeat, quia contra rationem est, ut hic officium et fructus, alter onus habeat. Bon. [13].

» Resp. 2. Ita teneri ad residentiam, ut si episcopi intra annum ultra tres, et parochi ultra duos menses absque legitima causa per episcopum cognita et approbata, absint, mortaliter peccent, et fructus non faciant suos. Ita Trident. [14]. Vide Bonac. [15]. Notat autem Diana [16] ex Bard. supradicta etiam habere locum in superioribus, sive praelatis regularibus; ideoque eos teneri tempore pestis etiam cum periculo suis assistere.

» Resp. 3. Qui in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis obtinent dignitates, canonicatus, praebendas, vel portiones. (Item omnes mansionarii, et caeteri qui habent in collegiatis beneficium perpetuum cum servitio annexo in choro, ut dicunt Salm. [17] contra Az. qui eos excusant, si alii sint qui ecclesiae inserviant) si intra annum ultra 3. menses absint, primo anno media parte fructuum, secundo vero anno omnibus fructibus quos illo anno lucrati sunt, privandos. Quae tamen poena est sententiae ferendae non latae: ut constat ex Trident. [18].

» Resp. 4. Causas a residentia excusantes esse, 1. Lectionem theologiae vel iuris canonici; neque ad hoc licentiam praelati, aut episcopi requiri; requiri autem ad lectiones litterarum humanarum et philosophiae, nisi contrarium habeat consuetudo. 2. Studium theologiae vel iuris canonici; id enim per 5. annos etiam excusat. 3. Obsequium papae vel episcopi, ad ecclesiae utilitatem. 4. Licentiam legitimam ex quavis alia iusta causa. 5. Honestam consuetudinem, ubi dispositio concilii non est recepta. Vide Bon. [19].

» Resp. 5. Qui absque iusta causa abest, peccat mortaliter, non tamen tene-

(1) T. 1. p. 451. n. 418. (2) L. c. (3) N. 17. (4) L. 4. tr. 2. c. 3. n. 2. (5) Loc. cit. n. 18. (6) D. n. 418. (7) 1. Tim. 5. 17. (8) T. 1. p. 451. n. 415. (9) Tr. 28. c. un. p. 16. §. 5. n. 669. (10) De pot. episc. all. 62. n. 3. (11) In c. De multa 28. de praeb. (12) Cit. n. 669. (13) Tr. 1. d. 5. de obl. ben. p. 1. (14) Sess. 23. de ref. c. 1. (15) Loc. c. (16) P. 9. t. 7. r. 53. (17) Tr. 28. c. unic. p. 6. §. 6. n. 142. ex declar. s. c. (18) Sess. 24. c. 12. de ref. (19) Loc. c.

tur ad restitutionem fructuum, si officio satisfecerit, nisi ad eam condemnetur, vel nisi id aliquo iure sit expressum.

» Resp. 6. Eos qui ex legitima causa absunt, non lucrari distributiones, iuxta Trid. nisi tamen absint ad curanda negotia ecclesiae, ex commissione capituli, vel omnino involuntarie, ob morbum, captivitatem, iniustam excommunicationem etc. Vide Less.[1].»

120. Plura hic scitu et ad praxim necessaria sunt ad trutinam vocanda circa hanc materiam *residentiae*, cuius nomine intelligitur commoratio in loco beneficii, ad obsequia ecclesiastica personaliter reddenda. Unde bene infert Sylvester quod ii qui in loco beneficii degunt, sed debita officia non praestant, non reputantur residere, ut infra melius explicatur. Ut certum autem sciendum quod olim de iure communi omnia beneficia simplicia residentiam exigebant[2]. Sed hodie ex generali totius ecclesiae consuetudine ipsa talem residentiam non requirunt, cum sufficiat per vicarium servitium praestare, nisi fundatores aliud expresserint. Ita communiter Cont. Tourn.[3] Holzm.[4] Barb.[5] cum Sanch. Azor. Reg. et Sporer[6] qui de hoc refert decretum s. c. Tantum hodie ad residentiam obligantur omnes pastores curam animarum habentes, et omnes canonici sive praebendati etc. cathedralium sive collegiatarum, de quibus infra postea agemus.

121. Quaeritur 1. An omnes curam animarum habentes teneantur ad residentiam de iure divino. Negant Ambrosius Catharinus, Valerius etc. apud Salmant.[7] qui dicunt teneri tantum de iure positivo. Sed omnino tenendum ad id obligari de iure divino, ut communiter cum Busemb. docent Less.[8] Cont. Tourn.[9] Petrocor.[10] Anaclet.[11] Roncaglia[12] Spor.[13] cum Nav. Fagn. Garc. Barb. et Salm.[14] cum aliis innumeris. Et probatur ex concil. trident.[15] ubi, licet hoc non fuerit expresse definitum, fuit vero tanquam certum suppositum, his verbis: *Cum praecepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in caetera pastoralia munia incumbere; quae omnia ab iis nequaquam praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, etc.; declarat s. synodus, omnes cathedralibus ecclesiis.... praefectos, etiamsi s. rom. ecclesiae cardinales sint, obligari ad personalem in sua ecclesia vel dioecesi residentiam, ubi iniuncto sibi officio defungi teneantur, etc.* Si ergo de iure divino est ut pastores oves agnoscant et pascant exemplo, de iure etiam divino est consequenter ut resideant ubi oves morantur; alias ea nequaquam ab iis praestari et impleri possunt, qui *gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt.* Idque clare declaravit Benedictus XIV. in sua bulla, *Ubi primum* edita 3. dec. 1740.: postquam enim dixit ibi teneri pastores de iure divino suis ovibus assistere, ut eas pascant verbo et exemplo, mox subdit: *Itaque in statione vestra, maneatis oportet, et personalem in ecclesia vestra vel dioecesi, servetis residentiam, ad quam ex vi muneris vestri* (nota) *obligati estis.* Hinc bene aiunt Contin. Tourn.[16] et Croix[17] cum Lugo, non posse pontificem in hoc dispensare, sed tantum posse aliquo casu declarare, quod ius divinum non obliget, iustis intervenientibus causis, *de quibus vide infra n. 125.*

122. Hinc autem notandum 1. ab eodem concilio[18] concessum esse episco-

(1) Lib. 2. c. 34. dub. 29. (2) Ex can. Clericus, dist. 91. et cap. Ex parte 8. de cler. non resid. (3) De beneficiis c. 4. a. 1. v. Sed contraria. (4) De praec. partic. p. 433. n. 425. (5) In Trid. sess. 24. c. 17. n. 18. (6) T. 3. de statu cleric. p. 75. n. 22. (7) Tr. 28. de benef. eccl. c. un. p. 6. §. 1. n. 91. (8) L. 2. c. 34. n. 153. (9) L. c. v. Dico 2. (10) T. 4. p. 503. (11) De benef. pag. 414. n. 68. (12) Eod. tit. c. 2. q. 3. r. 2. (13) L. c. p. 73. n. 23. (14) L. c. n. 92. et 94. (15) Sess. 23. c. 1. de ref. (16) Ibid. obi. 2. (17) L. 4. n. 863. (18) Dict. c. 1.

pis per duos vel tres menses abesse a suis ecclesiis, his verbis: *Quoniam qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt: sacrosancta synodus vult illud absentiae spatium singulis annis, sive continuum sive interruptum, extra praedictas causas, nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere.* Unde opinantur Roncag. [1] Elbel [2] et Anaclet. [3] cum Barbos. et Sot. et aliis, sufficere pro tali absentia excusanda causam etiam relaxandi animum, vel consanguineos aut amicos invisendi. Attamen Palaus [4] Vasq. [5] et Mazzott. [6] cum aliis, dicunt praefatas causas non sufficere, nisi forte ad mensem, qui revera bene satis est ad animum relaxandum; dum e converso concilium iudicium pro sufficientia causae aequae (id est proportionatae ad talem absentiam) remittit conscientiis episcoporum, et sedulo monet ne salutis periculo ob hoc se committant: sic enim immediate ad relata verba subditur: *Et haberi rationem ut id aequa ex causa fiat et absque ullo gregis detrimento: quod an ita sit, abscedentium conscientiae relinquit, quam sperat religiosam et timoratam fore, cum Deo corda pateant, cuius opus non fraudulenter agere, suo periculo tenentur.* Notandum autem quod concilium [7] monet episcopos, ne absint a suis ecclesiis cathedralibus tempore adventus, quadragesimae, nativitatis, ac resurrectionis Domini, necnon pentecostes, et festi corporis Christi. An vero causae supra allatae sufficiant ad excusandam absentiam episcoporum pro tribus mensibus a Tridentino concessis, vel causae maiores his requirantur. Perpende id quod in duplici loco de hoc puncto dixit noster ss. p. Benedict. XIV. Nam in uno videtur causam absolute gravem requirere ad excusandum; in altero vero solas causas futiles excludit. En verba pontificis in bulla quae incipit *Grave etc.* edita die 15. aug. 1741.: scribens ibi ad episcopos hibernos, et conquerens quod aliqui ipsorum vix per mensem in suis dioecesibus residebant, deinde sic ait: *Episcopi sane residendi debito satis nequaquam faciunt, qui per alium a se substitutum seu vicarium ecclesiam regunt, nisi foret ad breve tempus, et gravi de causa id fieret.* In alia autem bulla quae incipit: *Ad universae*, edita die 3. septembris 1746. declarans qualis sit causa aequa requisita a Tridentino, pro trimestri absentia episcoporum, dicit: *Animi levitas, oblectationum cupiditas, aliaeque futiles causae penitus excluduntur.*

Insuper quoad hanc episcoporum residentiam plura alia hic sedulo oportet adnotare quae habentur in Bulla *Ad universae*, mox supra citata. In ea ante omnia confirmantur et praecipiuntur servari in virtute sanctae obedientiae decreta hac de re edita per Pium IV. et Gregorium XIII. Clementem VIII. et praesertim innovantur decreta Urbani VIII. ubi praescriptum fuerat: 1. Quod in curia possunt episcopi manere Romae per mensem (qui tamen ex concessione Benedicti XIII. prorogari potest per alios 40. dies a vicario pontificis). 2. Quod episcopi accedentes ad limina apostolorum iuxta tempora statuta abesse possunt per quatuor menses, et per septem, si ipsorum ecclesiae sint ultra mare vel montes positae. 3. Quod si episcopi occupari debeant in conciliis provincialibus aut congregationibus ecclesiasticorum, vel in officiis reipublicae quae ipsorum episcopatibus sint adiuncta, possunt abesse pro tempore ad ea necessario. 4. Quod episcopi non possunt trimestrem absentiam a Tridentino concessam coniungere cum eo tempore quo ipsi commorari debent; sive cum eo quod ipsis conceditur ad sacra limina visitanda; sive cum eo quo propter aëris insalubritatem ipsis extra dioecesim degere permittitur; nec possunt trimestre unius anni coniungere cum trimestri anni sequentis.

(1) C. 2. q. 3. r. 2. (2) P. 526. n. 560. (3) P. 415. n. 73. (4) D. 5. p. 4. n. 1. (5) Op. de benef. c. 4. §. 2. n. 147. (6) T. 4. d. 2. q. 1. c. 2. §. 1. (7) Ibid.

Deinde idem Benedict. XIV. in praefata bulla renovat poenas episcopis non residentibus impositas a Tridentino [1]. Item innovat poenam amissionis facultatis testandi et disponendi, si quae transgressoribus eiusmodi competat, a Pio IV. impositam; necnon poenam inhabilitatis ad maiores dignitates et ecclesias obtinendas indictam a Clemente VIII.; quibus addit privationem omnium privilegiorum, quae transgressoribus tanquam pontificio solio assistentibus concessa fuerint. Praeterea declarat quinam comprehendantur nomine *transgressorum*, his verbis: *Decernentes, sub transgressorum nomine comprehendi non solum eos qui praeter tres menses a concilio toleratos, absque legitima causa et expressa romani pontificis licentia extra proprias dioeceses commorantur; sed eos etiam qui huiusmodi licentiam falsis simulatisve causis dolose extorquere non dubitaverint, vel, ea semel rite recteque obtenta, praescriptos in eadem limites ac praefinitum tempus praetergressi fuerint.* Vide alia infra, quae in hac bulla sanciuntur.

123. Notandum 2. quod sic pariter non excusantur a gravi culpa et a restitutione fructuum parochi non residentes, ut declaravit idem Tridentinum [2]. Et hi tenentur residere, quantumcumque modicum sit beneficium, ut dicunt Salmant. [3] cum Barbos. et Reg. [4]. Statuit autem idem Tridentin. [5] parochos non posse discedere a suis ecclesiis ultra bimestre, nisi ex gravi causa et cum licentia episcopi in scriptis, nec infra bimestre, nisi idem ipsorum episcopus causam et vicarium substitutum approbaverit. Verba concilii: *Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, et poenas de curatis inferioribus ... Sacrosancta synodus declarat et decernit: ita tamen ut quandocumque eos, causa prius per episcopum cognita et probata, abesse contigerit, vicarium idoneum, ab ipso ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam, in scriptis gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant.*

Hic autem dubitatur 1. an praefata licentia in scriptis omnino requiratur, ita ut non valeat, si oretenus habeatur. Negant Less. [6] et alii apud Bonac. [7] dicentes scripturam requiri tantum pro foro externo, non autem ad valorem concessionis: affirmant vero Sanch. [8] Palaus [9] et Nav. apud Bonac. [10]: nam esto de iure naturae scriptura non sit necessaria ad valorem concessionis, hic tamen est necessaria, cum a Trident. licentia in scriptis pro forma expostuletur. At cum hoc non constet, non puto improbabilem opinionem Lessii, quam tenet etiam Viva [11] et probabilem censet Croix [12], imo Coninchius et Reg. [13] dicunt sufficere licentiam tacitam, saltem si talia concurrant signa ut constet episcopum actu consentire. Dicit autem Mazzotta sufficere etiam licentiam praesumptam: sed ait Croix [14] hanc licentiam praesumptam sive interpretativam a nullo admitti. *Vide dicta n. 18. v. Secunda.* Imo s. c. conc. (ut notat p. Zacharia apud Croix [15] declaravit talem licentiam oportere esse expressam.

Dubitatur 2. an parochus habens iustam discedendi causam, possit per dictos duos menses abesse sine licentia episcopi.

Prima sententia affirmat, eamque tenent Nav. [16] Cabass. [17] item Bon. Rodr. Lop. etc apud Salm. [18] probabilemque putant Less. [19] Croix [20] Azor. [21] et Pal. [22] cum Sa Zerol. etc. Ratio, quia (ut dicunt) hoc iam permissum erat ante concilium, ut patet ex *cap. Praesentium, quaest. 1.* ubi sacerdos qui causa infirmitatis aberat a sua ecclesia per bimestre, ultra tamen tempus ei ab episco-

(1) Sess. 6. c. 1. et sess. 23. c. 1. (2) Dict. sess. 23. c. 1. (3) Tr. 28. c. un. p. 6. §. 3. n. 109. (4) Ex c. Conquerente, de cler. non res. (5) L. c. (6) L. 2. c. 34. n. 158. (7) De ben. d. 3. p. 5. n. 17. (8) Dec. l. 6. c. 16. n. 31. (9) Tr. 13. d. 5. n. 8. (10) L. c. (11) Op. 5. q. 3. a. 3. n. 7. (12) L. 3. p. 1. n. 739. (13) Loc. cit. (14) D. n. 739. (15) Ib. (15) D. n. 739. (16) Man. c. 25. n. 12. (17) Th. l. l. 5. c. 1. n. 4. (18) Tr. 28. c. u. p. 6. §. 3. n. 116. (19) L. 2. c. 34. n. 159. (20) L. 3. p. 1. n. 142. (21) P. 2. l. 7. c. 4. q. 10. (22) Tr. 13. d. 5. n. 3.

po praefixum, et ideo fuerat a suo episcopo remotus, praecipitur a pontifice in locum suum restitui. Ad absentiam autem duorum mensium quaelibet causa honesta sufficit, ut patet ex verbis Tridentini supra relatis; ergo licentia et approbatio episcopi non requiritur pro tali absentia, sed tantum pro absentia ultra bimestre, pro qua episcopus debet causae gravitatem approbare.

Secunda sententia tamen quam sequimur, negat, eamque tenent Barbos. [1] Elbel [2] qui oppositam vocat vix probabilem, Roncag. [3] Holzm. [4] et Salm. [5] cum Vasquez Garc. Gom. Fill. etc. ex quadam declaratione s. c. apud Garciam. Ratio quia, licet ex concilio non exigatur gravis causa ad discedendum per bimestre, absolute tamen requiritur ut causa ab episcopo agnoscatur et probetur ex illis verbis, *quandocumque eos abesse contigerit, causa prius per episcopum cognita et probata*. Tanto magis quod parochus a concilio prohibetur discedere, nisi prius ab episcopo approbetur vicarius qui relinquitur. Dicit tamen Anacl. [6] in hoc servandum esse usum dioecesum; et an rigor iste sit usu receptus, ait Less. [7] *credo tamen non esse usu receptum*. Si autem episcopus iam causam et vicarium approbaverit, nulla alia licentia requiritur ad discedendum, ut patet ex verbis concilii supra relatis *n.* 123.

Caeterum licite poterit parochus abesse per breve tempus sine licentia, si aliqua occurrat necessitas quae moram non patiatur episcopum adeundi, modo idoneum vicarium relinquat, ut recte aiunt Spor. [8] Elbel [9] cum communi et Anacl. [10] qui hoc ut certum habet; et approbavit s. c. concil. ut notat p. Zachar. apud Croix[11]. Debet vero episcopum certiorare de suo discessu et causa, ut ille causam agnoscat, et licentiam saltem postea praebeat, nisi brevi fiat reditus. Elbel cum Garcia Sporer [12] cum Fag. Abb. Anacl. etc.

Item ex parvitate materiae poterit parochus excusari saltem a mortali si discedat per modicum tempus, ut communiter dicunt dd., modo non relinquat infirmos in articulo mortis. Quantum autem sit hoc modicum tempus. S. c. concilii apud Garciam, ut referunt Salm. [13] sic declaravit: *Parochum non posse abesse absque licentia per hebdomadam, etiam relicto vicario idoneo ab ordinario approbato*. Verumtamen communiter admittunt Holzm. [14] Roncagl. [15] et Spor. [16] cum Barb. et Anacl. non peccare graviter parochum qui absit sine licentia per sex vel septem dies, relicto tamen vicario idoneo; immo Cont. Tour.[17] Cabas. [18] Sanch.[19] et Reg. Valer. ap. Salm.[20] id extendunt usque ad 15. et 30. dies. Verum per synodum romanam sub Benedict. XIII.[21] vetitum fuit parochis discedere a cura ultra biduum sine episcopi vel vicarii generalis licentia in scriptis: sed per aliquos viros probos tamquam certum mihi fuit affirmatum, praefatam synodum non fuisse in nostro regno receptam. Caeterum non acquiesco opinioni quam tenet La Croix [22] qui ait non peccare graviter parochum, si absit per bimestre sine licentia, sed cum causa et sine gravi damno ovium: quia (ut ait) id non est per se malum, alioquin concilium numquam admisisset absentiam per bimestre etiam praevia licentia: quod autem non petatur eo casu licentia, censet non esse materiam gravem. Imo affert [23] Nav. Garc. Bonac. Barbos. et alios, qui excusant parochum a mortali, etiamsi abesset sine causa, quia talis absentia per se censetur modica; unde Nav. Azor. Castrop. Bon. et alii apud Croix [24] eum tali casu non obligant ad restitutionem fructuum. Quidquid tamen sit de his, bene poterit episcopus prohibere ne parochi omnino

(1) De pot. episc. alleg. 53. n. 96. (2) T. 2. pag. 527. n. 362. (3) De benef. c. 2. q. 4. r. 2. (4) T. 1. p. 455. n. 427. (5) Loc. cit. n. 117. (6) Pag. 416. n. 77. (7) D. n. 159. (8) T. 3. p. 74. n.30. (9) P.534.n.379. (10) P.416.n.78. (11) Lib. 3. p. 1. ad n. 740. (12) Locc. cc.

(13) Tr.18. c. un. p. 6. §. 3. n.113. (14) P. 455. n. 427. (15) Q. 3. r. 2. (16) N. 31. p. 74. (17) De benef. c. 4. a. 1. (18) L. 5. c. 1. n. 4. (19) De matr. l. 7. d. 71. n. 11. (20) Ib. n. 115 (21) Tit. 15. c. 6. (22) L. 3. p. 1. n. 741. (23) Ibid (24) N. 743.

discedant a suis ecclesiis, esto nequeat eos obstringere per excommunicationem, ne per biduum quidem absint, ut dicunt Salm. [1] Ronc. [2] Bon. [3], decreto s. c. apud Garc. et Barbos.

124. Quaeritur 2. Quo in loco beneficiarii teneantur residere. Papa tenetur residere Romae, prout etiam cardinales; ita Ronc. [4] Salm. [5]. Episcopos autem alii dicunt teneri ad residendum in sua cathedrali, nec satis esse si resideant in dioecesi, ut Salm. [6] Fagnan.[7] Ronc. [8] cum Barb. et Spor. [9] *ex c. Placuit, ut nemini, caus.* 7. *quaest.* 1. ubi ex concilio carthag.[10] sic statutum fuit: *Placuit ut nemini sit facultas, relicta principali cathedra, ad aliquam ecclesiam in dioecesi constitutam se conferre, vel in re propria diutius quam oporteat constitutum, curam vel frequentationem propriae cathedrae negligere*. Si vero episcopus habeat duas cathedrales, potest ubi mavult residere, ut Salmant.[11]. ex bulla Urbani VIII. Alii tamen verius, ut Holzm.[12] Cabass.[13] eisque adhaeret Bonac.[14] dicunt posse residere episcopum in quocumque loco suae dioecesis; et de hoc videtur non posse dubitari, cum in Tridentino expresse dicantur episcopi *obligari ad personalem in sua ecclesia vel dioecesi residentiam.* Idemque declaravit n. p. in bulla quae incipit, *Ubi primum*, edita 3. decemb. 1740. dicens: *Personalem in ecclesia vestra vel dioecesi servetis residentiam.*

Parochi autem debent habitare in domo suae ecclesiae, si ibi adest; si vero non adest, debent residere in alia domo quae sit intra limites parochiae, saltem moraliter, nempe quae sit ita propinqua ecclesiae parochiali, ut commode possit ei inservire, et quo parochiani facile queant ad ipsum recurrere pro sacramentis suscipiendis; ita Palaus[15] Bon.[16] et Salm.[17] cum Navar. Bard. Hurt. et Garcia; hinc recte dicunt Bon. et Salm.[18] nequaquam residentem censeri parochum qui habitaret procul a sua ecclesia per tria aut quatuor milliaria; imo etiam per duo, ut non irrationabiliter sentit Croix [19] Imo[20] addit cum Luca, Leurenio, Lotterio etc. non satis residere parochum, etiamsi habitet intra fines parochiae, si oves non facile ad eum accedere possint. Parochus vero qui haberet duas parochias perpetuo unitas, quarum nulla sit dignior aut frequentior, aut existens in civitate, hic poterit habitare in ea qua velit: ut Salm.[21] cum Navar. Pal. Hurt. Bard. et Garcia, qui refert haec fuisse decisa ex variis declarationibus s. c.

125. Quaer. 3. Quae sunt causae excusantes episcopos et parochos a residentia. Quatuor ex Trident.[22] assignantur causae, nempe *christiana caritas*, *urgens necessitas*, *debita obedientia*, *et evidens ecclesiae aut reip. utilitas.* Has tamen causas decernit concilium, quoad episcopos excusandos pertinet, approbandas esse in scriptis vel a pontifice, vel a metropolitano, vel eo absente a suffraganeo episcopo antiquiore residente, qui metropolitani absentiam probare debebit. Sed nunc semper ad papam recurrendum, ut *n.* 122. *in fine.* Quoad parochos vero, causae approbari debent a suis ordinariis, ut iam supra diximus. Sed de praefatis causis sigillatim agendum.

Et 1. Ratione *christianae caritatis* excusantur pastores animarum, si abesse debeant ad componendas inimicitias, praesertim personarum potentium; ut Ronc.[23] Barb.[24] Holzm.[25] Elbel[26] Cont. Tourn.[27] Salm.[28] cum Soto Vasq. etc. Vel ad opitulandum alteri ecclesiae quae indigeat eorum praedicatione, ut liberetur ab haeresi vel aliis gravibus flagitiis. Pal.[29], item Ronc. Holz. et Elb.[30]

(1) Tr. 28. c. un. p. 6. §. 3. n. 113. (2) Q. 4. r. 2. (3) D. 5. p. 3. n. 8. (4) De benef. c. 2. q. 3. r. 2. (5) Ib. §. 1. n. 96. et 97. (6) Ib. n. 98. (7) In c. 34. de cler. non resid. (8) L. c. (9) P. 73. n. 25. (10) Can. 5. (11) Cit. n. 98. (12) T. 1. p. 433. n. 426. (13) Th. I. l. 5. c. 1. n. 2. (14) T. 1. d. 5. p. 3. n. 5. (15) Tract. 13. d. 5. p. 2. n. 1. (16) De benef. d. 5. p. 1. n. 4. (17) Tr. 28. c. un. p. 6. §. 3. n. 110. (18) Locc. cc. (19) L. 3. c. 1. n. 745. (20) Ibid. (21) Ibid. (22) Sess. 23. p. 1. de ref. (23) C. 2. q. 4. (24) All. 53. (25) P. 434. n. 428. (26) T. 1. p. 527. n. 565. (27) Loc. c. n. 1. (28) Tr. 28. c. unic. p. 6. §. 2. n. 101. (29) Tr. 13. d. 5. p. 4. n. 4. (30) Locc. cc.

modo, advertit Pal. cum Tol. et Barb., non fiat cum notabili detrimento propriae ecclesiae.

2. Ratione *urgentis necessitatis* excusantur pastores, quando eis imminet periculum extrinsecum mortis ab inimicis (vel gravis damni in bonis, ut ait Petrocor.[1]) dummodo praesentia pastoris non sit necessaria ad salutem subditorum; nempe ad confirmandos eos in fide, vel ad sacramenta eis ministranda, et alias sufficienter ipsis per vicarios provideatur, ut docent communiter dd. cum s. Thom.[2] cuius verba retulimus *l.* 3. *n.* 360. *v. Dubitatur* 3. Dicit autem Ronc.[3] cum Fagnan.[4] ex decr. s. c. quod si aliquis parochus gravem haberet inimicitiam, posset discedere per sex menses, constituto idoneo vicario et licentia obtenta; quae posset prorogari, si inimicitia perduraret; sed transacto anno debet parochus induci omnino ad resignandam vel permutandam ecclesiam. Insuper animadvertendum quod talis absentia tum tantum permittitur, cum periculum est particulare ipsius pastoris, non vero quando est commune totius populi, prout accidit tempore pestis, ut docent communiter Fagn.[5] Cont. Tournely[6] Ronc.[7] Spor.[8] et Elbel[9] et sic referunt Fagn. et Sporer declarasse s. c. anno 1576. die 11. octobris, instante s. Carolo Borromaeo. Et idem dicendum ait Spor. de tempore incursionis hostium.

Sic pariter excusantur pastores a residentia ob periculum intrinsecum infirmitatis, puta si eis oporteat abesse a suis ecclesiis propter insalubritatem aeris, ut communiter docent Cai.[10] Petroc.[11] Cont. Tourn.[12] Holz.[13] Salm.[14] et Lay.[15] modo tamen, ut bene advertunt Cont. Tour. et Salm.[16] cum Bell. Vasq. Hurtado, infirmitas non sit perpetua, et absentia non sit ovibus graviter nocitura, nam tunc deberet pastor vel residere vel curam resignare. Hic autem advertendae sunt regulae quas super hac causa infirmitatis praescripsit Benedict. XIV. in bulla, *Ad universae*, supra relata; et quas mandavit servari ab iis ad quos spectat; in ea sic loquitur: *Qui vero licentiam abessendi petierint ratione infirmitatis extra dioecesim contractae, dum vacatione a concilio indulta uterentur, asserentes ea de causa regressum ad propriam dioecesim sibi prohiberi, exponere debebunt contractae infirmitatis qualitatem, et super ea testimonium medici iuramento firmatum exhibere. Atque ubi petita licentia ipsis indulgeatur, ea semper ad certum ac definitum tempus concedi debebit, adiecta quoque clausula, si tamdiu infirmitas duraverit.*

Ab iis autem qui huiusmodi licentiam postulaverint, eo quod aeris mutatione opus sibi esse dicant ad convalescendum ex morbis quos in suis ecclesiis residendo contraxerunt, exprimendum erit in precibus, quo morbi genere et quam graviter laborent, ac proferendum testimonium medici, qui iureiurando testetur, utile ac necessarium oratori esse ut in aliam regionem atque aerem per aliquod tempus se transferat. Nec illud silentio praetereundum, an scilicet orator, antequam morbo corriperetur, trimestri licentia a concilio permissa usus fuerit: si enim id nondum fecerit, et tempus a concilio indultum sufficiens ipsi non reputetur, poterit eidem concedi ut per quatuor menses in quibus tamen conciliares menses comprehendantur, a residentia absens permaneat: at si praedictos conciliares menses, remoto omni dolo et fraude, iam extra dioecesim transegerit tantum temporis ipsi indulgeatur, quantum ad confirmandam ipsius valetudinem vere necessarium esse prudenter iudicabitur.

Qui tandem licentiam commorandi extra dioecesim postulabit propter malignitatem aeris quem in sua dioecesi aliquo anni tempore insalubrem esse affirmet; is videat etiam atque etiam quid agat: et quidem pro veritate exponat

(1) L. c. (2) 2. 2. q. 185. a. 5. (3) C. 2. q. 4. (4) C. Clericos, de cler. non resid. n. 25. et 26. (5) L. c. n. 38. (6) Ibid. n. 2. (7) C. 2. qu. 4. (8) P. 74. n. 32. (9) T. 1. p. 529. n. 170.

(10) 2. 2. q. 185. a. 5. (11) De ben. t. 4. p. 505. (12) Loc. supra cit. (13) P. 435. n. 428. (14) Tr. 23. c. un. p. 6. §. 2. n. 102. (15) L. 2 tr. 2. c. 6. n. 5. ex c. Praesentium 7. q. 1. et c. A audientiam, de cler. non res (16) Locc. cc

quibus anni mensibus perniciosus sit regionis aer: item an eadem coeli temperies totam comprehendat dioecesim, ita ut nullus intra eius tractum locus existat in quo suspectum illud tempus absque salutis detrimento transigere valeat; postremo, an conciliaribus mensibus usus fuerit. Etenim si nondum eos sibi sumpserit, non aegre obtinebit indultum abessendi per quatuor menses (quatenus periculum ab aere tamdiu durare censeatur), in quibus tamen tres illi a concilio permissi numerandi erunt: si autem huiusmodi concilii indulgentia iam usus fuerit, frustra novum indultum praedicta de causa ab apostolica sede postulabit: sibique imputare debebit, quod, cum sciret certo anni tempore in sua dioecesi aerem insalubrem fore, concessos vacationis menses in tempus illud non reservaverit. In omnibus autem absentiae indultis quae ratione aeris insalubris inposterum concedentur, hanc clausulam adiici volumus: dummodo intra dioecesim aliquis locus non adsit in quo aer salubris sit, et in quo episcopus commorari possit.

3. Ratione *debitae obedientiae* excusantur episcopi vel parochi, si absunt ut obediant pontifici, vel suis ordinariis ob bonum ecclesiae vel reipublicae, ut dicunt Elbel [1] Salm. [2] et Holz. [3] vel ob quamcumque aliam gravem causam, ut ait Cont. Tourn. [4] dummodo absentia sit ad breve tempus; nam alias requiritur absoluta necessitas boni communis, ut Salm. [5] cum Cai. Gonz. Soto Vasq. etc.

An autem episcopus possit retinere parochum, ut sit suus vicarius, visitator, aut secretarius. Affirmant Navarr. Sylv. Oxeda et alii apud Salm. [6]. Sed melius id negant Bon. [7] Cont. Tourn. [8] Ronc. [9] Salm. [10] cum Gonz. Garcia etc. ac Viva [11] qui refert s. congregationem sic declarasse: *Episcopus non potest uti opera parochi in visitatione vel in alio servitio suae dioecesis, nisi pro tempore illi permisso duorum mensium.* Excipit Pal. [12] cum Vasq. Azor. et Barb. si talis sit indigentia, ut non sit alius qui huiusmodi legitime praestare possit.

4. Ratione *evidentis ecclesiae aut reip. utilitatis* excusantur pastores, si absunt causa assistendi synodis provincialibus vel dioecesanis; vel ut defendant se vel suos, aut ecclesiam apud curiam regiam in gravi negotio, ut dicunt Salm. [13] cum Soto et Vasq. Ronc. [14] et Bonac. [15] (contra Nav.) cum quadam decisione rotae rom. ex c. *Ex parte* 13. *de cler. non res.*, ubi dicitur: *Quod si, non absentando in fraudem, praepositurae tuae iura fideliter prosequeris, ex hoc censeri debeas residens.* Hoc tamen intelligendum (bene advertit Ronc. [16]), modo non sit alius, qui aeque utiliter id implere possit. Insuper praescribit Benedict. XIV. in bulla supra cit. quod in huiusmodi litibus pro ecclesia vel clero tuendo episcopus exponere debebit gravitatem litis et causas per quas necessaria creditur eius assistentia; et an mensibus conciliaribus usus fuerit: nam si nondum usus sit, rescribi debebit, ut iis ad hunc effectum utatur: si vero usus fuerit, concedatur illi licentia, ut absit non usque ad exitum causae, sed quamdiu necesse erit ad advocatos et iudices instruendos. Si autem lis pertineat ad suam familiam, alia licentia ipsi non concedetur, nisi pro mensibus conciliaribus.

Nullo autem modo poterunt abesse, etiam cum licentia pontificis, ad fungendum officio proregis, consiliarii etc. nisi id exigat bonum commune, ut dicunt Az. Sotus Bardi Diana etc. ap. Salm. [17]. Sed melius id intelligendum, ut docent Vasq. Barb. Garcia et Molf. apud Bon. [18] si non sint alii qui aeque utiliter et fideliter talia officia exercere valeant.

126. Quaeritur 4. Quando et quomodo episcopi ac parochi teneantur ad restitutionem fructuum suorum beneficiorum. Ante omnia advertere oportet

(1) P. 527. n. 363. (2) Tr. 23. c. unic. p. 6. §. 2. n. 103. (3) P. 433. n. 428. (4) De benef. c. 4. a. 1. n. 3. (5) Ibid. (6) De benef. eccl. c. un. p. 6. §. 4. n. 121.

(8) Loc. cit. (9) C. 2. q. 4. (10) Ibid. n. 122. (11) Op. 3. q. 3. a. 2. n. 8. (12) D. 5. p. 4. n. 9. (13) Ibid. §. 2. n. 103. (14) C. 2. q. 4. (15) D. 5. p. 5. n. 12 (16) Loc. c. (7) Cit. n. 103. (18) D. 5. p. 5. n. 9.

quae super hoc puncto statuit Tridentinum, nam [1] sic praescripsit: *Si quis a patriarchali, metropolitana, aut cathedrali sibi quocumque titulo commissa..... rationalibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam dioecesim morando abfuerit, quartae partis fructuum unius anni fabricae ecclesiae, et pauperibus loci per superiorem ecclesiasticum applicandorum poenam ipso iure incurrat. Quod si per alios sex menses in huiusmodi absentia perseveraverit; aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat.* Deinde [2] declaravit, episcopum ultra tres menses et sine iusta causa absentem a sua ecclesia, *Praeter alias poenas adversus non residentes sub Paolo* III. *impositas et innovatas, ac peccati mortalis reatum, eum pro rata temporis absentiae non facere fructus suos, alia etiam declaratione non secuta, sed teneri per superiorem ecclesiasticum illos fabricae ecclesiarum, vel pauperibus loci erogare, prohibita quacumque compositione.* Deinde respectu parochorum haec subdit: *Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum et poenas, de curatis inferioribus, etc. sacrosancta synodus declarat et decernit.*

127. Sed dubitatur 1. an pastores animarum teneantur ad restitutionem fructuum si absint sine licentia, sed cum iusta causa, Negat Viva [3] et dicit quod si causa absentiae sit evidenter iusta, non tenentur restituere fructus, nisi post sententiam iudicis, modo per alios suis ovibus sufficienter providerint. Ratio quia talis restitutio non debetur, nisi quando violatur ius naturale contractus, quod hic non violatur; non vero quando laeditur solum ius positivum; tunc enim requiritur sententia ut poena incurratur. Sed quoad episcopos aliter hodie dicendum ex bulla supra relata n. ss. p. Benedict. XIV. *Ad universae*, ubi sancitur quod si episcopus ultra menses conciliares absit *sine licentia expressa romani pontificis*, habetur ut transgressor, et fructus non facit suos, et alias incurrit poenas in transgressores impositas. *Vide n.* 122.

Dubitatur 2. an restituendi sint fructus, si absentia sit inculpabilis, quia scilicet facta fuit bona fide, et cum existimatione causae excusantis a residentia. Negant Viva [4] et Garcia apud Bonac. [5]. Ratio, quia obligatio restitutionis vel est de iure positivo tamquam poena, et haec non debetur nisi post sententiam; vel est de iure naturali, et ex benignitate ecclesiae praesumitur nolle ipsam damnare ad talem restitutionem beneficiarium, qui inculpabiliter suae obligationi non satisfacit; prout beneficiarius inculpabiliter omittens recitationem officii probabilius non tenètur restituere fructus beneficii, ut communissime docent dd. (*vide dicta libro* 3. *n.* 665.) esto plures auctores sentiant beneficiarios de iure naturali ad officium teneri; sed huic opinioni minime acquiesco; nam ut certum habendum puto, quod haec obligatio non est de iure positivo, sed de iure naturali et divino, cum de iure naturali divino teneantur pastores residere, ut ex Tridentino probavimus supra *n.* 121. Posito igitur quod pastores teneantur de iure naturali ad residentiam, ad eam quidem non alia ratione tenentur, quam contractus initi inter ipsos et ecclesiam, ex quo dantur eis fructus beneficiorum sub conditione residentiae; qua non impleta, etiam sine culpa, nullo modo pastores tales fructus acquirunt. Praesumptio autem illa quod ecclesia fructus remittat illis, qui sine culpa non resident, valde dubia est; imo potius praesumitur ecclesia oppositum velle ne pateat via ad eludendam hanc residentiam tam rigorose ab ipsa ecclesia requisitam: tanto magis quod n. p. Benedict. XIV. in citata bulla *Ad universae*, expresse declaravit haberi tamquam transgressores, et fructus non facere suos, episcopos qui *sine legitima causa* a suis ecclesiis absunt. Nec obstat paritas allata beneficiariorum inculpabiliter omittentium officium, nam (ut diximus *l.* 3

(1) Sess. 6. c. 1. de ref. (2) Sess. 23. c. 1.
(3) Op. 3. q. 3. a. 3. n. 7.
(4) Dict. art. 3. n. 9.
(5) D. 5. p. 4. n. 10.

d. n. 665. et dicemus *infra n.* 145. *Q.* 4.) communiter dd. docent, prout fatetur Covarruvias contrariae sententiae fautor quod beneficiarii non iam tenentur ad restitutionem fructuum de iure naturali, sed positivo ex concilio lateranensi v. et ex bulla s. Pii v. ubi talis restitutio omittentibus praecipitur.

Dubitatur 3. an teneantur restituere fructus pastores qui inutiliter in suis ecclesiis resident. Negant Garc. et Led. apud Viva [1] quia (ut dicunt) absentia est rigorose explicanda, unde semper ac non absunt, possunt fructus lucrari, satisfaciendo per alios suis obligationibus. Sed verius affirmat Viva [2] tum quia restitutio fructuum revera, ut diximus, ab his non tantum debetur de iure positivo ratione poenae, sed etiam de iure naturali ratione contractus, sive conditionis residentiae in contractu appositae non impletae, quae conditio quidem non potest intelligi de sola residentia corporali: tum quia, etiamsi restitutio fructuum non deberetur de iure naturali, sed ex sola lege poenali Tridentini, adhuc pastores inutiliter residentes tenerentur fructus restituere; dum concilium [3] postquam declaravit ipsos obligari ad personalem residentiam, addit: *Ubi iniuncto sibi officio defungi teneantur.* Atque in bulla *Grave* Benedicti xiv. declaratur residentia non esse vera, nisi sit formalis.

Hinc communiter dicunt dd. ut Salmant. [4] cum Vasq. Barbos. et Garc. ex declarat. s. c. quod parochus non reputatur residere, si per se ipsum non exerceat principaliora munera, nempe administrationem verbi divini, sacramentorum etc. Et quoad episcopos, ait Sporer [5] quod licet ipsi regulariter, iuxta consuetudinem, non teneantur per se praedicare et sacramenta ministrare, debent tamen personaliter invigilare ut per alios id praestent, et insuper gregem bono exemplo instruere, ac pauperibus subvenire. Dictum est *regulariter*, nam puto saltem aliquando episcopos teneri ad concionandum, dum ipsi (ut declarat Tridentinum [6]) de iure divino tenentur oves suas verbi divini praedicatione pascere. Hocque per idem concilium [7] declaratur: *Omnes episcopos et praelatos teneri per seipsos, si legitime impediti non fuerint ad praedicandum.... Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtae subiaceat ultioni.* Circa autem obligationem parochorum concionandi et sacramenta ministrandi, *vide dicta l.* 3. *n.* 269. *v. Hic obiter, et n.* 358.

Sentit autem Hurtadus [8] contra Sancium, non esse tutum in conscientia parochum, qui degens in parochia, per duos menses sacramenta per seipsum non ministraret, nisi in beneficio constitutus esset alius vicarius perpetuus, ut dicunt Salm. [9] cum Gonzal. Barbosa et Garc. Censet tamen Viva [10] cum Sancio esse valde probabile quod episcopus vel parochus absens cum iusta causa, et tanto magis inutiliter residens in sua ecclesia per tres menses vel duos, ipsis respective a Trident. concessos, non teneatur ad restitutionem fructuum. Idque non omnino improbabile videtur, cum ex concilio [11] praefatum spatium non reputetur gravis materia; nam pro trimestri episcoporum absentia utitur verbo illo *aliquantisper*, et pro bimestri parochorum gravem non requirit causam. Dicunt vero Bon. et Barb. ap. Croix [12] quod parochi qui tantum habitu sunt curati, possunt totam curam sacellanis committere. Curati autem etiam actu peccant mortaliter, si semper per alios ministrent, cum ipsi commode possint; secus, si aliquando ministrent per se, praesertim sacramentum poenitentiae; et alias per sacellanos.

Dubitatur 4. an episcopus vel parochus non residens teneatur ad integram restitutionem fructuum tempori absentiae respondentium. Affirmat Navar. apud Bonac. [13] quia (ut ait) Tridentinum indefinite absentes privat eos fru-

(1) Cit. opusc. 3. qu. 3. a. 3. n. 8. (2) Loc. c.
(3) Cit. sess. 23. c. 1. (4) Tr. 28. c. unic. p. 6. §. 3. n. 144. (5) T. 3. p. 73. n. 27.
(6) D. c. 1. sess. 23. (7) Sess. 5. c. 2. de ref.
(8) Lib. 3. de resid. paroch. resp. 9.
(9) Cit. num. 114. (10) Cit. a. 3. n. 9.
(11) Dict. c. 1. (12) L. 3. p. 1. n. 752.
(13) De benef. d. 5. p. 4. n. 5.

ctibus; propositio enim indefinita aequivalet universali. Negant vero probabiliter Bon. [1] Barbos. [2] Croix [3] et Viva [4] cum Vasq. et communi, ut asserit; idemque ait Viva de omnibus aliis beneficiariis ad residentiam obstrictis. Ac eiusdem sententiae, ait Bonac. debere esse omnes dd. qui excusant ab integra restitutione fructuum beneficiatos omittentes recitationem horarum, ut retulimus *l.* 3. *n.* 673. *v. Quaeritur* 10. Ratio quia fructus non solum dantur pastoribus pro oneribus residentiae, sed etiam pro recitatione divini officii et aliis muneribus, unde concilium tridentinum, cum oppositum non expresserit, benigne interpretandum velle quod praefati pastores teneantur restituere fructus tantum residentiae respondentes, iuxta rationem naturalem, quae dictat quod si quis duplici onere gravatur, non est privandus integra mercede, cum unum adimplet.

128. Quaeritur 5. Quibus restitui debent fructus a non residentibus. Hic notanda est differentia inter restitutionem faciendam a beneficiario ob omissionem horarum et ob omissionem residentiae. Illa enim potest fieri quibusque pauperibus et in fabricam domus beneficii; sive in emendis aut meliorandis agris beneficii; quia omnia haec veniunt nomine *fabricae beneficii*, ut dicitur in bulla s. Pii v. *Vide dicta lib.* 3. *n.* 672. Ob omissionem autem residentiae restitutio debet omnino erogari vel *in fabricam ecclesiae*, vel *in pauperes illius loci*, ut sancitur in Trid. [5] Vide Bon. [6] et Viva [7]. Nec satisfacit pastor non residens, applicando restitutionem in missis vel aliis suffragiis pro animabus purgatorii illius loci, quia revera animae defunctorum non possunt amplius dici pauperes loci illius.

Dicit autem Viva [8] cum Less. et communi, ut asserit, quod bene posset beneficiarius sibi restitutionem applicare, casu quo ipse vere esset pauper, cum non debeat inferioris esse conditionis quam alii pauperes; modo id non faciat in fraudem, nempe si non resideat eo animo, ut postea applicet deinde sibi fructus ratione paupertatis; fraus enim nulli debet patrocinari, ut diximus *lib.* 3. *n.* 672. et sic dicit Viva [9] qui tamen excipit, si forte beneficiarius in gravem necessitatem postea incideret, et poenitentia ductus proponeret se emendare in futurum. Insuper Viva [10] et Bon. [11] cum Suar. Nav. Az. Men. etc. communiter docent quod si pauperes donarent beneficiario fructus restituendos post ipsorum traditionem, tunc bene posset ille retinere; secus vero si donarent ante traditionem, quia tunc donatio est nulla: pauperes enim nullum ius certum et firmum habent ad illos fructus, sed tantum vagum et incertum, cum sit in potestate beneficiarii eligere pauperes quos velit.

129. Hinc ultimo plura adnotare oportet circa residentiam canonicorum in loco beneficii. Ante omnia animadvertenda sunt verba Tridentini quae circa id habentur [12]: *Praeterea obtinentibus in eisdem cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus,.... non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus quae longius servitii tempus requirunt. Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia, contra eos, iuxta sacrorum canonum constitutiones, procedatur.* Insuper ex diplomate n. ss. p. Benedicti XIV. (quod retulimus *l.* 3 *num.* 675. *vers. Dubitatur* 3.) habetur quod canonici choro non interessentes, sive non canentes psallentesve, non solum amittunt distributiones, ut iam statutum erat in eod. concilio [13] (cuius verba retulimus *eod. l. c.*), sed etiam fru-

(1) L. c. (2) De pot. ep. p. 3. al. 43. n. 10. (3) L. 3. p. 1. n. 737. (4) Op. 3. q. 3. a. 3. n. 3. et 4. (5) Sess. 23. c. 1. de ref. (6) Q. 5. p. 4. (7) Op. 3. q. 3. a. 4. n. 1. (8) L. c. (9) N. 4. (10) N. 5. (11) De hor. can. d. 1. q. 5. p. 4. n. 10. (12) Sess. 24. c. 12. de ref. (13) Can. 12.

ctus omnes praebendarum, cum non faciant suos. Si ergo non faciunt fructus suos non canentes, tanto magis non faciunt non residentes. Praeterquam quod id clare eruitur ex eodem Trid.[1] (quidquid dicat Bon.[2]), dum ibi dicitur quod canonicus non residens ultra tres menses, *privetur dimidia parte fructuum*, *quos ratione etiam praebendae ac residentiae* (nota) *fecit suos*. Ergo si canonicus *ratione residentiae* facit fructus suos, non residendo suos non facit. Dicit autem Bonacina (et hoc valde probabile est[3] cum Macigno), ex quadam declar. s. c. canonicos non privari fructibus, si tantum per paucos dies ultra tres menses absint, huiusmodi enim transgressio non videtur talis ut praedictam gravem poenam privationis medietatis fructuum mereatur.

Canonici autem tribus mensibus in quibus absunt, non lucrantur distributiones, sed bene lucrantur fructus praebendae: modo (ut bene ait Concina[4] cum Garcia) reliquo tempore anni resederint, et chorum frequentaverint, contra Palaum[5] et Bon.[6] qui dicunt canonicos absentes maiori anni parte non ideo carere privilegio trium mensium ipsis concesso, quia privilegium non datum est residentibus, sed obligatis ad residendum; alias canonici non possent eo privilegio frui, nisi prius per novem menses iam resedissent, quod certe non esset iuxta usum receptum, dum in qualibet anni parte tres menses privilegii accipere solent. Sed huic opinioni non acquiesco, quia concilium praebendatos ultra tres menses absentes, absolute illos privat fructibus praebendae: atque etiam eos damnat ad restituendam medietatem fructuum quos ratione residentiae fecerant suos; quapropter ipsi ex concilio post absentiam trium mensium privantur omnino praefato privilegio. An autem canonicus qui inutiliter prodigit tres menses a Trid. concessos, teneatur restituere fructus beneficii; affirmant Palud. et Nav. apud Conc.[7] sed probabilius negant[8] Sanch. Pelliz. et Leand. Ratio quia concilium absolute concedit canonicis per tres menses abesse, nulla speciali causa requisita. Bene autem possunt canonici coniungere tempus trimestre concessum cum trimestri anni sequentis, ut dicunt Pell. et Leand. nisi (excipit Concina[9]) scandalum obveniat, aut cultus divinus minuatur. Praeterea refert[10] Concina, sacram c. apud Leand. declarasse, quod non possint confici praefati tres menses ex horis quibus canonici residentes absunt a choro; item declarasse non posse canonicos computare punctaturas pro tribus mensibus ipsis concessis, ita ut nihil teneantur restituere, si omnes punctaturae anni non excederent quartam partem integrae residentiae. Caeterum, regulariter absentes a choro ex iusta causa lucrantur et fructus et distributiones; ita communiter Bonac.[11] Salm.[12] Conc.[13] etc. Quidquid sit, ut alii negant, de distributionibus quae ex absentia reliquorum canonicorum ipsis deberentur. Advertatur hic quod ex decr. s. c. conc. apud Iordanum Pax[14], canonici nequeunt in mensibus conciliariis abesse dioecesi, nisi de licentia episcopi.

130. Causae autem excusantes canonicos ab assistentia chori tres sunt, ut constituit Bonifacius VIII. *in cap. unic. de cleric. non resid. in* 6., nempe *infirmitas*, *rationabilis corporis necessitas*, *et evidens ecclesiae utilitas*. Et hic expedit praenotare quod ille qui non residet propter has tres causas in praefato textu expressas, non privatur neque fructibus praebendae, neque distributionibus, ut patet ex *eodem cap. citato*. Quibus addenda est quarta causa (ut censet Pichler[15]), nempe consuetudo introducta post Tridentinum, nam concilium antegressas abolevit. Qui autem non residet propter causas diversas a tribus praedictis, sed etiam iustas, puta ob studium, visi-

(1) Loco mox supra citato. (2) T. 1. d. 5. de onere benef. ad resid. p. 4. n. 16. (3) Loc. cit. (4) T. 2. p. 535. n. 32. (5) Tr. 7. d. 3. p. 9. n. 10. (6) De hor. canon. d. 2, q. 5. p. 4 n. 24. et 25.

(7) P. 535. n. 32. (8) Ibid. (9) P. 535. n. 33. (10) Ibid. (11) Dist. 2. q. 7. p. 1. (12) Tr. 16 c. 4. p. 2. n. 11. (13) T. 5. p. 522. n. 2. (14) Elucubr. lib. 10. t. 40. n. 73. (15) In Candit. abrev. l. 3. t. 4. n. 8.

tationem et alias de quibus infra fiet sermo (ubi semper requiritur licentia episcopi vel praelati), is lucratur quidem fructus, sed non distributiones, ut Anacl.[1] ac Holzm. cum aliis communiter. 1. Igitur excusat *infirmitas*, non quidem levis, sed tantum gravis, vel quae gravis fieri potest per accessum ad ecclesiam, ut communiter dicunt Palaus[2], Bon.[3] Concina[4] et Salm.[5] cum Pell. etc. Excusantur autem etiam ii qui propria culpa infirmitatem contraxerint, ut pariter cum communi docent Pal.[6] Bon.[7] Concina[8] cum Nav. Sanch. et Salm.[9] cum Garc. Covarr. et Pell. quia ius indistincte excusat infirmos. Et hoc, etiamsi quis data opera in morbum se coniecerit, ut absit a choro, prout probabiliter dicunt Palaus, Salmant.[10] et probabilem putat Concina[11] cum Bon. Ratio quia lex ad infirmitatem, non autem ad intentionem respicit; et hoc etiamsi iste ante infirmitatem consueverat abesse a choro, ut probabile putant Nav.[12] item Conc.[13] et Salm.[14] cum P. Nav. et Pal. qui id vocat satis probabile (contra Bon.[15] cum Covar. Az. etc.), et merito, quia infirmitas hic et nunc de se excusat. Nec officit quod ille nec vellet assistere, si esset sanus; nam leges non puniunt nisi culpabilem absentiam. Secus vero aiunt Sanch.[16] Pal.[17] Salm.[18] et Concina[19] cum communi, ut asserit, si canonicus sine legitima causa absit, et infirmetur, quia tunc pro toto tempore absentiae reputatur culpabiliter absens. Contra hanc sententiam, quam audio vocari communem, nolo iudicium ferre; sed durum mihi videtur, ut si quis, licet sine causa, alio accedat, et ibi contrahat perpetuum morbum, perpetuo debeat distributionibus et fructibus praebendae privari.

Dubitatur 1. an excusentur absolute septuagenarii ab assistentia chori. Affirmant Leander et alii; sed verius negat p. Conc.[20] si ipsi robusti sint et ad alia peragenda negotia ordinarie egrediuntur. Secus si sint debiles, et minus apti ad longum iter faciendum, ita ut commode interesse nequeant, ut ait Bon.[21] cum Azor. Men. et aliis. Unde probabiliter dicunt Salm.[22] quod huiusmodi senes regulariter non teneantur ad chorum, non autem quod numquam.

Dubitatur 2. an excusentur caeci et surdi, et lucrentur distributiones si absunt a choro. Affirmant Barb. Pelliz. Diana etc. apud Salm.[23]. Idque inferunt ex *l.* 1. *c. Qui morb. etc.* ubi dicitur: *Qui utriusque oculi aciem amisit, levamen sentit munerum personalium.* Sed melius negant Sanch.[24] et Salm.[25] cum Suar. P. Nav. et Cov. quia chorus istis non nocet, et ipsi assistendo saltem auctoritatem praebent. Excusarem autem caecum qui sine notabili incommodo non posset ad ecclesiam accedere.

2. Excusat *rationabilis corporis necessitas*, sub qua intelligitur timor cuiuscumque gravis damni in vita, honore aut bonis. Unde non privantur distributionibus, qui domi morantur ad medicinam sumendam, ad venam scindendam, vel proficiscuntur ad balnea, aut locum salubrioris aëris: item qui ab hostibus capiuntur, aut qui patiuntur iniustum exilium, aut detinentur per vim aut ob timorem gravis nocumenti ab inimicis; ita Bon.[26] Salm.[27] et Conc.[28] cum commun. Idem probabilius dicendum de absente ob metum belli, vel pestis grassantis in loco beneficii, ut tenent Bon.[29] Pal.[30] et Salm.[31] cum Vasq. Pell. Covarr. Garc. etc. contra Conc.[32] Barb. etc. qui concedunt posse quidem talem percipere fructus praebendae, non vero distributiones.

Cum autem quis abest a choro ob excommunicationem, amittit distribu-

(1) L. 3. tit. 4. n. 154. et 163. (2) D. 3. p. 9. §. 1. n. 2. (3) Q. 5. p. 1. n. 13. (4) T. 2. p. 522. n. 2. (5) Ibid. p. 3. §. 1. n. 15. (6) N. 3. (7) N. 7. (8) N. 3. (9) De horis can. c. 4. p. 3. §. 1. n. 16. (10) Locc. cc. (11) Num. 4. (12) L. 2. de rest. c. 11. n. 238. (13) L. c. n. 5. (14) Ib. n. 17. (15) P. 1. n. 10. (16) Cons. l. 2. c. 2. dub. 90. n. 5. (17) N. 6. (18) Ibid. n. 18. (19) P. 526. n. 6. (20) T. 2. p. 526. n. 8. (21) P. 2. n. 6. (22) Ib. §. 1. n. 91. (23) Cit. n. 18. (24) Cons. l. 2. c. 2. dub. 90. (25) Loc. c. (26) Q. 5. p. 2. ex n. 7. (27) Tr. 16. c. 4. p. 3. §. 2. n. 19. (28) T. 2. p. 526. n. 9. (29) N. 7. et 8. (30) Tr. 7. d. 3. p. 9. § 2. n. 2. (31) Ibid. (32) Loc. c.

tiones, si iuste sit excommunicatus; secus si iniuste, et curet ab excommunicatione absolvi. Concina [1] et Salmant.[2]. Idem de canonico suspenso probabilius esse censet Concina [3]. Si vero quis sit iuste excommunicatus, etiamsi choro assistat putat p. Concina [4] cum Abb. Palud. Innoc. Nav. Suar. Tolet. Fill. Sylv. et communi, ut asserit, hunc amittere tam distributiones, quam fructus beneficii; sed probabiliter id negant Sanch. [5] Bon. [6] Pal. [7] cum Coninck Vasq. et Glos. [8] ac Salm. [9] cum P. Nav. Pelliz. etc. et dicunt quod licet iste peccaret assistendo, et merito deberet privari a iudice distributionibus et fructibus; nullibi tamen constat hanc privationem ipso iure impositam esse. Qui autem esset iuste excommunicatus, et resipiscens absolutionem peteret, non amitteret distributiones, si iniuste absolutio ei negaretur, cum tunc per ipsum non fiat quominus assistat. Ita Palaus [10] cum Suar. Vasquez Sylvest. Armil. Sa Henr. Sayr. Lop. etc. communiter.

Quando autem ecclesia est interdicta, canonici non assistentes non ideo amittunt distributiones, dummodo non dederint causam interdicto. Conc.[11]. Secus est in cessatione divinorum officiorum, tunc enim etiam non dantes causam cessationi privantur distributionibus, ut Conc.[12] Pal.[13] et Bon.[14] cum Suar. et Sayr. ex c. *Si canonici v. Scituri, de Off. Ordin. in* 6. ubi statuitur quod ii qui causam dederunt cessationi, debent restituere canonicis omne interesse quod ipsi amittunt ex omissa assistentia divinis officiis. Sic pariter quando ecclesia est polluta, non privantur distributionibus illi, qui causam pollutioni non dederunt. Ita Palaus [15] Conc. [16] cum Suar. Bon. Sayr. Trull. Henr. et communi.

Quaeritur autem hic an canonici irregulares assistentes amittant distributiones et fructus praebendae. Si irregularitas est incursa post collationem beneficii, certum est et commune quod neutrum amittunt: ita Conc. [17]. Sed dubium fit, quando irregularitas incursa estante collationem. Haec quaestio omnino pendet ab alia, an collatio praebendae facta clerico irregulari sit per se invalida. Negant Palaus [18] Elbel [19] Ronc.[20] et Salm.[21] cum Sylvest. Felin. Leand. Laym. Less. Suar. Conc. Hurt. etc. hanc sententiam probabilem putant. Hi dicunt collationem istam illicitam quidem esse et nullam in foro externo, sed validam in conscientia. Ratio quia cum nulla irregularitas incurratur nisi in iure sit expressa, tanto minus incurritur eius effectus, qualis est inhabilitas ad beneficia obtinenda; hic autem effectus nullibi in iure reperitur expressus. Affirmant vero probabilius Conc.[22] Cont. Tour.[23] Holz.[24] Bon.[25] cum aliis: et hanc sententiam ipsi Salmant. fatentur esse communem. Probatur 1. *ex c.* 2. *de cler. pugn. in duello*, ubi dicitur dispensari posse cum clerico irregulari, ut beneficium possideat; ergo sine dispensatione ipse est inhabilis ad recipienda beneficia. Probatur 2. et fortius ex Trid.[26] ubi concilium loquens de praebendatis, sic ait: *Ne aliis in posterum fiat provisio, nisi iis qui iam aetatem et caeteras habilitates integre habere dignoscantur, aliter irrita sit provisio.* Respondent Salm.[27] et Ronc. ad praefatum textum (quem ipsi Salm. [28] fatentur difficilem esse solutione) et dicunt tò *caeteras habilitates* intelligi de habilitatibus ex iure naturali, non autem positivo: sed haec responsio non satisfacit; nam concilium, cum indistincte et integre habilitates requirat, sane intelligendum est de omnibus habilitatibus, tam de iure naturali, quam positivo necessa-

(1) P. 527. n. 10. (2) Ibid. n. 21. (3) N. 12. (4) N. 11. (5) De matrim. lib. 3. d. 51. n. 12. (6) P. 2. §. 2. (7) P. 9. §. 2. n. 4. (8) In c. Pastorali, §. Verum, de appell. (9) Cit. n. 21. (10) P. 9. §. 2. n. 4. (11) L. c. n. 12. (12) L. c. (13) N. 11. (14) P. 1. §. 5. (15) P. 9. §. 2. n. 10. (16) D. n. 12. (17) T. 2. p. 527. n. 12. (18) De cens. tr. 29. d. 6. p. 5. n. 7. (19) T. 2. p. 457. n. 158. (20) De cens. c. 1. q. 5. r. 1. (21) Tr. 10. c. 7. punct. 2. n. 34. (22) L. c. (23) De irregul. p. 1. c. 3. v. Gravis hic. (24) T. 1. p. 411. n. 320. (25) De irreg. d. 5. p. 4. n. 6. (26) Sess. 22. c. 4. de reform. (27) Tr. 10. c. 7. p. 2. n. 40. (28) Ibid. n. 39.

riis; idque videtur expresse ibidem declarari, cum dicatur, *qui iam aetatem etc.* id est aetatem requisitam ad ordines recipiendos, ut concilium praeceperat, quae quidem habilitas certe est de iure positivo. Hinc probabilius p. Concina [1] sentit clericos qui post irregularitatem praebendas recipiunt, privari ipso iure etiam in conscientia distributionibus et fructibus beneficii.

3. Excusat *ecclesiae utilitas*, modo utilitas sit gravis iudicio episcopi vel capituli, et sit ecclesiae propriae vel universalis, aut totius dioecesis, non vero alterius ecclesiae vel particularis, ut Conc. [2] et Salm. [3]. An autem qui propter utilitatem ecclesiae abest a loco beneficii, lucretur distributiones: negant aliqui ex *cap. Cum non deceat, de elect. in* 6. ubi clerici ad sedem apostolicam accedentes ob negotium suarum ecclesiarum distributionibus privantur. Sed probabilius affirmant Salmant. [4] cum Pal. Pelliz. etc. idque satis probabile putat Concina [5] *ex c. unic. de Cler. non resid. in* 6. ubi absolute conceditur privilegium absentibus in utilitatem evidentem ecclesiae. Alter autem textus intelligitur de solo casu quo praebendatus accedit ad sedem apostolicam ob instructionem electionis.

Item ex hac ratione excusatur canonicus qui mittitur (nam unus tantum mitti potest) ab episcopo ad visitanda limina apostolorum, ut communiter omnes cum Concina [6]. Idem dicitur de canonico comitante suum episcopum ad eadem limina, ex decreto Sixti v. apud Concina, qui [7] ait episcopum limina visitantem posse etiam duos canonicos secum ducere. Idem dicitur de canonico misso ad concilium provinciale tamquam theologo, canonista, aut procuratore, ut probabilius sentiunt Concina [8] et Salm. [9] cum Pal. Pell. etc. Idem si mittatur canonicus a capitulo ad pontificem aut principem tanquam legatus pro agendis negotiis ecclesiae. Concina [10]. Idem si eligatur vicarius capitularis sede vacante, ut communiter docent dd. quia hic incumbit totius dioecesis utilitati. Secus si eligatur vicarius episcopi, quia tunc episcopo, non ecclesiae inservit. Is enim lucratur quidem fructus praebendae, sed non distributiones. Pal.[11] Salmant. [12] Conc. [13].

131. Minime autem privatur distributionibus canonicus poenitentiarius, qui tempore officii confessiones excipit, ex Trid.[14] ubi dicitur: *Poenitentiarius aliquis cum unione praebendae proxime vacaturae ab episcopo instituatur, qui magister sit vel doctor aut licentiatus in theologia vel iure canonico, et annorum 40.; seu alius qui aptior pro loci qualitate reperiatur; qui dum confessiones in ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur.* Sed hic dubitatur an lucretur distributiones poenitentiarius qui tempore officii manet in confessionario expectans poenitentes accessuros. Negat Barbosa [15] cum Garc. Ugolin. Sal. et Moneta, qui referunt decisum, non habendum esse pro praesente in choro poenitentiarium qui residet in confessionario pro tempore quo non audit confessiones, etiam ut opportunius confessiones audiat. Sed verius Salm.[16] cum Barb. Bonac. Pell. Ronc.[17] et Conc. cum Pal. et Leand. affirmant, si poenitentes soleant accedere, et poenitentiarius eo animo se detineat ut promptiorem illis se exhibeat, ex decl. s. c. relata a Barb. [18] pro ecclesia abulensi, ubi mandatur poenitentiario assistere in confessionario, ne poenitentes perquirere eum cogantur, et ob verecundiam eius inquisitionis confessiones omittant. Et idem dicitur de canonico subrogato poenitentiario, modo subrogatio non fiat in fraudem; et de aliis qui poenitentiarium adiuvant de mandato superioris in magno concursu: Conc. [19] et Castropal. [20]. Praeterea ad-

(1) L. c. (2) T. 2. p. 528. n. 14. (3) Tr. 16. c. 4. p. 3. §. 3. n. 23. (4) L. c. n. 24. (5) N. 15. (6) N. 16. (7) Ibid. (8) Pag. 529. n. 17. (9) De hor. can. c. 4. p. 3. §. 3. n. 25. (10) Ibid. (11) P. 9. §. 7. n. 2. (12) Ibid. p. 4. n. 34.

(13) P. 529. n. 18. et 24. (14) Sess. 24. c. 8. de reform. (15) De potest. episc. alleg. 63. n. 30. (16) Ibid. n. 31. (17) Tr. 5. c. 2. q. 6. r. 1. (18) In conc. Trid. sess. 24. c. 8. (19) Ibid. (20) Loc. cit. n. 3. c. 4.

dunt Barbosa[1] Castr.[2] et Bonac.[3] cum Sal. et Garcia ex alia declarat. s. c. in *una Gienen. 4. sept.* 1591. poenitentiarium censeri praesentem etiam processionibus, orationibus et exequiis defunctorum quae fiunt tempore quo ipse confessiones audit. Quod autem dicunt de poenitentiario, dicunt etiam de canonico curato, qui tempore officii opera sui muneris exercet. Pal.[4] Salm.[5] cum Barbos. Garc. Gutt. et Concina[6] qui sentit idem procedere, etiamsi ecclesia de qua is curam habet, sit diversa ab ecclesia ubi est canonicus; dummodo illa sit intra propriam dioecesim; sed huic contradicit Bonac.[7]. Non amittit autem distributiones is qui abest ad tuenda iura sui beneficii: secus vero si defendat ius suum ad beneficium adversus alterum. Concina[8].

Sic pariter lucratur distributiones canonicus theologus qui tempore officii legit aut concionatur, ut communiter docent omnes; et etiamsi in aliis horis ipsius diei (non vero praecedentis) se pararet ad legendum vel concionandum, ut Roncag.[9] cum communi, ex concessione Greg. XIII. et Concina[10] cum communiori ex decl. s. c. apud Garciam qui contradicit.

Sentiunt autem Conc.[11] Pal.[12] Ronc.[13] et Salm.[14] cum Garcia Pell. etc. contra Barb. et Zechium apud Pal. quod canonici examinatores, dum absunt a choro (nisi alia sit alicubi consuetudo) non lucrentur distributiones. Idem aiunt de canonicis destinatis ab episcopo ad visitanda hospitalia et ecclesias dioecesis, quia hi non occupantur in servitium propriae ecclesiae. Episcopus autem potest duos canonicos in suo servitio occupare[15] qui lucrantur fructus praebendae, sed non distributiones; ut Ronc.[16] et Salm.[17] ex decl. s. c. Dicit tamen p. Conc.[18] quod canonici assistentes episcopo solemniter celebranti lucrantur etiam distributiones. Canonici autem absentes a choro tempore officii, ut capitula celebrent, amittunt tam distributiones quam fructus praebendae, quia tempore officii vel missae choralis ipsis vetitum est capitula celebrare, nisi urgeat grave negotium, quod moram non patiatur. Conc.[19].

132. Ultimo notandum quod praebendati docentes in scholis publicis (non autem privatis) sacram scripturam, licet non lucrentur distributiones, acquirunt tamen fructus suorum beneficiorum, ex Trid.[20]. Idem dicitur in *cap. fin. de Magistris*, de docentibus theologiam. Idque communiter extendunt dd. ad docentes ius canonicum, ut Palaus[21] Roncag.[22] Conc.[23] et Salmant.[24] cum Sanch. Fill. Garcia qui de hoc affert declarationem s. c. Idem dicunt de docentibus grammaticam Pal.[25] Conc.[26] Ronc.[27], et Salm.[28] necnon Salmant.[29] idem sentiunt de docentibus logicam et philosophiam, quia (ut aiunt) omnia haec sunt necessario praemittenda ad theologiam addiscendam.

An autem parochi docentes sacram scripturam, theologiam, aut ius canonicum eodem privilegio gaudeant. Negat p. Concina[30] quia in Tridentino parochus absolute vetatur abesse ultra duos menses. Sed probabiliter admittunt Palaus[31] Salm.[32] et Ronc.[33] cum Gonz. Barb. etc. Ratio quia in *cit. cap. fin. de Magistris* indistincte omnibus facultatem theologicam docentibus conceditur privilegium sive exemptio a residentia: hocque privilegium non habetur in Tridentino, quod ibi clare (ut oportebat) sit revocatum: verba autem textus praefati haec sunt: *Docentes vero in theologica facultate, dum in scholis docuerint, et studentes in ipsa integre per annos quinque, percipiant de licentia* (nempe *generali, concessa auctoritate huius constitutionis*, ut explicat

(1) In Trid. sess. 24. c. 8. n. 29. (2) N. 2. (3) T. 1. de hor. can. d. 2. q. 3. p. 3. §. 5. n. 3. (4) P. 9. §. 3. n. 8. (5) Tr. 16. c. 4. p. 3. §. 3. n. 26. (6) P. 532. n. 22. (7) D. 1. q. 5. p. 3. §. 6. n. 5. (8) Ibid. (9) C. 2. q. 6. r. 2. (10) P. 531. n. 21. (11) P. 532. n. 22. (12) P. 9. §. 7. n. 1. (13) R. 3. (14) Ibid. p. 4. n. 34. (15) C. De caetero et c. Ad audientiam, de cler. non res. (16) Loc. cit.

(17) De benef. eccl. c. unic. p. 6. §. 4. n. 125. (18) N. 23. (19) Ibid. (20) Sess. 5. c. 1. de ref. (21) P. 9. §. 9. n. 1. (22) De ben. c. 2. q. 6. r. 3. (23) T. 2. p. 533. n. 24. (24) Ib. n. 129. et 130. (25) N. 3. (26) N. 26. (27) L. c. (28) Tr. 16. c. 4. p. 4. n. 37. (29) Ibid. (30) N. 23. (31) N. 4. (32) Dict. n. 37. et tr. 28. c. unic p. 6. §. 4. n. 130. (33) Loc. c.

ibi Glossa) *sedis apostolicae proventus praebendarum et beneficiorum suorum, non obstante aliqua contraria consuetudine aut statuto; cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes.* Ratio quia id redundat in bonum totius dioecesis, immo universalis ecclesiae.

Idem privilegium sane conceditur praebendatis studentibus in universitate ex Trid. [1] *et ex cit. c. fin. de Magist. et cap.* 11. *de Privil. in* 6. *ac cap. Tuae, de Cler. non resid.* modo ipsi studiis operam dent saltem per maiorem anni partem, ut ait Conc. [2] et Pal. [3] cum Bonac. Barbos. etc. et modo habeant de hoc licentiam (quae vero non requiritur pro docentibus), ut dicunt Palaus [4] Ronc. [5] Conc. [6] ex Salm. [7] cum Barb. et Garc. ex bulla Pii IV. *Ad aures*, edita 24. novemb. 1564. Haec autem licentia illis suffragatur pro quinquennio si audiant sacros canones; pro septennio vero si audiant sacram scripturam seu theologiam. Salm. [8] cum Garc. et Barb. An autem parochi studentes theologiae excusentur a residentia post duos menses ipsis a Trid. concessos. Affirmant Nav. Tolet. Less. etc. apud Palaum [9] idque probabile putant Pal. [10] et Salm. [11] quia in *cit. cap. fin. de Magistris* eodem privilegio gaudent docentes, quo studentes. Sed probabilius negant Conc. [12] Ronc. [13] Pal. [14] Salm. [15] cum Gonzal. Barbos. Garcia etc. Ratio, tum quia Tridentinum declaravit non posse parochos ultra duos menses abesse nisi ex gravi causa; et s. c. apud Garc. declaravit huiusmodi causam studiorum nequaquam esse gravem; tum quia privilegium praefatum concessum est tantum addiscentibus, unde non concedendum parochis qui iam edocti supponuntur. Dicunt vero Salm. [16] ex decl. s. c. quod si a papa detur alicui licentia ut absit causa studiorum, haec non valet nisi consensus ordinarii accedat. Et sic pariter referunt declarasse Pium IV. de his qui studiis in curia romana assistunt. Hic autem obiter notandum quod in *c. fin. de Cler. vel Mon.* prohibentur *archidiaconi, decani, plebani, praepositi, cantores et alii clerici personatus habentes, necnon presbyteri* studere iuri civili vel medicinae sub poena excommunicationis latae sententiae, si infra duos menses a tali studio non destiterint. (Dicit tamen Bonac. [17] cum communi, hoc non intelligi de studio privato; nec si audiatur lector domi, ut probabile putat cum Tol. Calderin. etc. neque intelligi de docentibus, ut sentiunt Sanch. [18] et idem Bon. cum Tab. et aliis). Unde tales studentes privantur fructibus suarum praebendarum, ut dicunt Palaus [19] Salm. [20] cum Bonac. et Barbosa.

Diximus autem praefatos magistros aut scholares excusatos, lucrari quidem fructus beneficiorum, non vero distributiones: si tamen beneficium constaret ex solis distributionibus, has etiam lucrari dicit Conc. [21] cum communi ex decl. s. c. apud Garciam (contra Bon.), quia tunc distributiones succedunt loco fructuum. Et idem ait Concina [22] de dispensatis a choro, quando beneficium tantum ex distributionibus conflatur. Excipit tamen Conc. contra alios, si sint distributiones minutae pro anniversariis, quia testatores nolunt has dari nisi assistentibus.

Art. V. Quibus modis beneficia amittuntur.

133. «Resp. 1. Beneficia quatuor modis amittuntur: 1. Per mortem beneficiati. 2. Ex dispositione iuris; idque vel propter alterius beneficii incompossibilis consecutionem, vel per professionem religiosam, vel per contractum matrimonii, vel per commissionem criminis (v. gr. haeresis, schisma-

(1) Loc. cit. (2) N. 27. (3) N. 5. (4) P. 9. §. 9. n. 7. (5) Q. 6. r. 3. (6) N. 28. (7) Tr. 28. c. un. p. 6. §. 4. n. 130. (8) Loc. c. (9) N. 9. (10) Ibid. (11) Tr. 16. c. 4. p. 4. n. 59. (12) P. 534. n. 29. (13) Q. 6. r. 3. (14) N. 9.

(15) L. c. (16) Tr. 28. c. un. p. 6. §. 4. n. 128. (17) De censur. d. 2. qu. 4. p. 6. n. 4. (18) L. 6. c. 8. n. 9. (19) Loc. c. p. 9. n. 6. (20) Tr. 16. c. 4. p. 4. n. 53. (21) P. 535. n. 27 (22) P. 536. n. 35.

tis, sodomiae saepius exercitae), cui ammissio beneficii ipso facto est annexa, ut vide apud Less. [1]. 3. Per sententiam iudicis. 4. Per liberam resignationem de qua

134. » Resp. 2. Resignatio est spontanea proprii beneficii dimissio, facta coram legitimo superiore id acceptante. Estque duplex, scilicet tacita, quae fit ex iuris dispositione; ut dum quis religionem profitetur; et expressa, quae rursus est duplex, scilicet pura, quae fit sine conditione et pacto apposito, coram ordinario qui beneficium cuilibet alteri conferre potest: et conditionata seu in favorem: eaque vel est simplex in favorem, ut quando fit absque reservatione; vel est qualificata, quando scilicet fit reservato sibi iure regressus, vel pensione vel fructibus aliquibus, quae ob simoniam iuris humani nonnisi in pontificis manibus fieri potest. Et quamvis verius sit, etiam resignationem simplicem in pontificis manibus faciendam, cum alioqui periculum sit ne beneficiorum resignationes speciem quamdam haereditariae successionis acquirant; quod iura canonica detestantur: probabile tamen est in manu ordinarii fieri posse, eo quod permutatio in eius manibus fieri possit (Sed omnino contradicunt Salmant. [2] cum communi. *Vide dicta de simon. l.* 3. *n.* 81.) Idque a fortiori verum est si fiat sine modo obligatorio, quamvis addita deprecatione, ut personae certae conferatur. Idque observari potest ubi non est recepta bulla Pii v. quamlibet personae successurae designationem prohibens, quam citat Laym. [3].

135. » Porro ut resignatio conditionata valida sit requiritur 1. Ut beneficium sit resignantis, cum resignatio sit iuris sui dimissio. 2. Ut fiat libere. 3. Ut fiat in manibus eius qui potest admittere, scilicet pontificis, ordinarii, collatoris, vel institutoris, iuxta dicta. 4. Ut acceptetur a praelato in cuius manibus fit, quia sine acceptatione ius suum resignans non perdit. 5. Ut conferatur illi, in cuius favorem, cum clausula consueta, *non aliter, nec alias*, est resignatum. 6. Ut is cui confertur, acceptet; alias enim resignans non perdit beneficium, propter clausulam *non aliter*. 7. Requiritur consensus patroni vel electorum, prout beneficium est patronatum vel electivum. 8. Si resignans sit infirmus, ut a resignatione supervivat 20. dies, alias enim per obitum vacare censebitur. 9. Ut si resignatio fiat in curia romana, intra 6. menses a supplicatione oblata computandos in loco beneficii publicetur: sin autem extra curiam intra mensem: alioqui, si contingat resignantem mori antequam resignatarius ceperit possessionem, beneficium vacare censebitur. Lessius et Laym. [4].

136. » Resp. 3. Permutatio beneficiorum quae est quaedam species conditionalis resignationis, fit cum duo beneficiati unum vel plura sua beneficia pontifici non reservata, in manus ordinarii alteriusve episcopali auctoritate praediti resignant, cum conditione ut postea vicissim alteri alterius beneficium conferat. Quod quandoque episcopus instituere potest, si necessitas ita exigat; vocatis tamen iis quorum interest, scilicet patrono et collatore inferiore. Ad hanc autem omnia requiruntur quae ad resignationem in favorem. Vide Less. [5] Laym. [6] Bon. [7] (*Vide l.* 3. *n.* 72.).

» Quaeres 1. An licitae sint permutationes coram ordinariis, in mensibus reservatis per concordata Germaniae. Resp. affirmative, quia per reservationem concordatorum non censetur pontifex voluisse conditionem ordinariorum Germaniae deteriorem facere, quam episcoporum extra Germaniam, coram quibus id simpliciter licet.

» Quaeres 2. An licitum sit permutare beneficia, compensata fructuum aequalitate.

» Resp. 1. non licere, si beneficium copiosius, non separatis proventibus a

(1) L. 2. c. 34. d. 34. (2) De simon. c. 3. p. 4. n. 52. (3) L. 4. t. 2. c. 17. (4) C. 17.

(5) C. 34. d. 35. et 36. (6) C. 17. (7) De sim. d. 1. q. 4. §. 12.

titulo, permutetur cum tenui. Ratio est quia excessus ille, eo ipso quo manet annexus titulo, est debitus titulo, ideoque pro eo nihil exigi potest, quin etiam exigatur pro titulo.

» Resp. 2. posse peti compensationem ob huiusmodi permutationem a pontifice pro incommodo temporali quod alter subit, spoliando se proventibus sui beneficii, ideoque talis compensatio non est pretium beneficii aut proventuum annexorum, sed conditio, ut se indemnem servet, sine qua conditione nollet se spoliare.

» Resp. 3. Iura proventuum posse separari a titulis, et primo nudos titulos, deinde alio contractu iura proventuum, utpote temporalia, permutari, compensato excessu opulentioris; idque auctoritate solius papae. Vide Lessium [1] Bonac. [2] (*Vide l.* 3. *n.* 75. *et* 76.).

» Quaeres 3. An licite permutetur beneficium hac lege, ut expensae litis vel bullarum refundantur per recipientem. Resp. Videri permutationem simoniacam, si impensae sint causa impulsiva permutationis, sine qua actus non fuerit futurus. Idem de simili resignatione affirmarem. Less. [3] Bon. [4]. »

ART. VI. Quid et quotuplex sit pensio.

137. « Resp. Pensio est ius percipiendi fructus ex alieno beneficio. Estque triplex: 1. *Temporalis* quae datur propter ministerium temporale, v. gr. cantori, aedituo, patrono et defensori ecclesiae. 2. *Spiritualis* quae fundatur in titulo mere spirituali, ut quae datur concionatori, coadiutori episcopi, parocho etc. 3. *Media* quae fundatur in statu spirituali, non tamen officio spirituali: ut quae datur clerico pauperi vel parocho seni ad sustentationem, vel quae datur causa resignationis et litis componendae. Duae posteriores dicuntur clericales, quia clericis; prima laicalis, quia laicis tantum datur.

138. » Porro circa pensiones Laym. [5] et Less. [6] docent haec: 1. Etsi eam designare proprium sit papae, id tamen etiam episcopum posse in causis specialibus et necessariis: v. gr. propter paupertatem et senium resignantis, vel litis compositionem, vel propter adaequandos fructus, in permutatione beneficiorum. (*Vide l.* 3. *n.* 73.). 2. Debere esse moderatam, ita ut beneficiato relinquatur sufficiens sustentatio; talis autem plerumque censetur tertia pars fructuum (Cum Salm. [7]) 3. Ad pensionem non requiri consensum patroni, ut quidam volunt, quia id nullo iure statutum est, neque ullum fit praeiudicium per impositionem pensionis, cum is fructus non percipiat ex beneficio, sed tantum habeat ius instituendi et praesentandi, quod ei non adimitur. 4. Pensionarius post constitutionem Pii v. ubi ea est recepta, tenetur recitare officium b. V. nec facit fructus suos si omittat. (Intelligitur de pensione quam quis ut clericus percipit. V. Salm. [8]. Item ad tale onus non obligantur qui dicunt officium maius, vel qui fiunt equites ordinis militaris, cum satisfaciant recitando preces a religione praeceptas. Ita Azor. Pal. Bon. Led. cum Salm. [9]). 5. Pensionem extingui morte pensionarii, sicut ususfructus morte usufructuarii. Posset tamen papa facere perpetuam, ex plenitudine potestatis. De venditione et redemptione pensionis vide Layman [10] et Less. [11] Bon. [12]. »

139. Quaeritur an pensionarius possit de reditibus pensionis pro libito disponere. Affirmant Vasq. Azor. Covarr. etc. apud Salm. [13] quia pensio, ut dicunt, est portio iam extracta ex fructibus beneficii. Et pro hac sententia adest decisio rotae romanae, quam affert Azor. [14] in qua definitum fuit: *Pensiones decursas et non solutas non computari inter spolia* (sicut computantur fructus beneficiorum), *sed transire ad haeredes; quia pensio non est beneficium*

(1) L. c. (2) L. cit. §. 12. n. 11. (3) L. c. (4) Loc. cit. n. 6. (5) C. 18. (6) C. 35. (7) De benef. c. unic. p. 4. §. 1. n. 46. (8) Ibid. §. 3. n. 64.

(9) Cit. n. 64. et de hor. can. c. 2. p. 3. §. 1. n. 28. (10) C. 18. (11) L. 2. c. 25. d. 22. (12) Loc. c. §. 13. (13) De benef. eccl. c. unic. p. 4. §. 3. n. 63. (14) P. 2. l. 7. c. 9. q. 12.

sed consistit in mera temporalitate. Negant vero Nav. Mol. Garcia, quia pensio eisdem regulis beneficiorum metiri debet, cum illis aequiparetur. Verum Salm. [1] distinguunt, et affirmant de pensione laicali, negant de ecclesiastica. Hae tres sententiae omnes sunt probabiles. *Vide l. 3. n. 491. qu. 6.*

Dubium II. De horis canonicis.

Art. I. Qui obligentur ad horas.

140. *Quinam clerici teneantur ad officium. Qualem partem officii teneantur dicere subdiaconi ea die qua ordinantur. Et an subdiaconus, qui officium recitavit ante ordinationem, teneatur repetere.*
141. *An teneantur ad horas canonicas omnes religiosi et moniales.*
142. *An religiosi non constituti in sacris, et moniales non dicentes officium in choro, teneantur recitare privatim. Dub. 1. An teneantur ad officium religiosi eiecti. 2. An profugi. 3. An ad triremes damnati. An degentes extra claustra.*
143. *Not. 1. An et quando religiosi teneantur recitare in choro. Quid si sint occupati. 2. An peccent graviter praelati negligentes officium recitare in choro. An teneantur episcopi recitare in choro. 3. An teneantur supplere omissa, qui plura non percipiunt, ut choro inserviant. An ad peccandum graviter in choro sufficiat omissio minoris partis, quam in officio privato.*
144. *De obligatione beneficiariorum circa officium. An beneficiarius ordinatus per metum gravem teneatur ad officium. Vide alia ap. Bus.*
145. *Qu. 1. Quot peccata committat sacerdos beneficiatus officium omittens. 2. An beneficiarius graviter peccet omittendo officium, si velit fructus restituere.*

140. « Resp. Clerici maiorum ordinum etiam suspensi, excommunicati, degradati, tenentur tum iure ecclesiastico, tum generali consuetudine ecclesiae.

» Dixi *maiorum ordinum;* quia minorum non tantum non ad horas, sed neque ad psalmum *Miserere* tenentur, quem, vel simile quid, cum episcopus primam tonsuram conferens iniungit, non videtur obligare, nisi ut vel tantum fiat aliquoties vel per modum consilii. Less. [2].

Unde resolvuntur hi casus:

» 1. Tenetur ad horas qui cum dispensatione papae duxit uxorem; nisi in hoc ipso sit dispensatus: quia dispensatio, utpote odiosa, stricte est explicanda, et ipse caracterem retinet. Bon. et Azor. [3] contra alios.

» 2. Clericus incipit obligari a puncto subdiaconatus suscepti: et quidem ad horas respondentes horae, qua ordinatur. Bon. [4] ex communi.»

Hinc dicit Croix [5] cum Azor. et Stoz teneri subdiaconum die quo ordinatur ad horam quae tunc dicenda esset in choro. Unde, si ordinatur hora undecima, ait Croix cum Bonart. probabile esse teneri tantum ad vesperas, cum eo tempore regulariter aliae horae iam persolutae sint in choro. Sed huic opinioni non acquiesco, quia verius ordinatus tenetur ad horam quae respondet ad horam in qua contrahit obligationem; quapropter regulariter tenetur recitare ab hora sexta, ut recte ait p. Conc. [6] cui adhaerent Pal. et Gobatus.

An autem subdiaconus qui recitaverit partem illam ante ordinationem, suae obligationi satisfecerit. Negant Continuat. Tourn. [7] et Croix [8] cum Bonac. Pal. etc. tum quia debito nequit satisfieri antequam contrahatur, tum quia ecclesia exigit officium a subdiaconis, ut nomine eius illud persolvant; at qui non est adhuc subdiaconus nequit nomine ecclesiae officium recitare. Affirmant vero Tambur. [9] et Lugo Trull. et Gob. apud Dian. [10] et probabile putant Croix [11] et Viva [12] quia bene potest debitum illud anticipate solvi quod certo moraliter est contrahendum.

Prima sententia videtur probabilior, quia ecclesia exigit officium a subdiacono, ut nomine eius illud persolvat; at qui non est subdiaconus, neque ab ecclesia ut publicus minister destinatus, non potest nomine ecclesiae recitare, neque orationem publicam efficere. Sed huic posset responderi quod sacerdos excommunicatus nec etiam potest orare nomine ecclesiae, neque orationem publicam facere, et hic utique tenetur officium recitare, et recitando

(1) Ibid. (2) L. 2. c. 37. d. 9. n. 47.
(3) L. 10. c. 5. (4) Tr. de horis q. 1. punct. 5.
(5) Lib. 4. n. 1187. (6) T 2. p. 397. n. 5.
(7) De virt. relig. c. 3. de hor. can. a. 1. concl. 1.
(8) L. 4. n. 1187. (9) Dec. l. 2. c. 5. n. 9.
(10) P. 6. tr. 6. r. 38. (11) L. c. (12) Q. 3. a. 1. n. 8.

bene satisfacit; ergo ad satisfaciendum non est opus ut recitans nomine ecclesiae oret: unde adhuc probabilem puto *secundam sententiam.*

141. « Resp. 2. Omnes religiosi professi ad chorum destinati, utriusque sexus, obligantur ad horas: idque ex antiqua et recepta consuetudine; quam tamen quidam, ut Aragon. putant non obligare tam stricte, ut peccent mortaliter si bis terve omittant. Et de monialibus dubitant Cai. Med. Arm. Diana [1]. Imo eas (atque adeo omnes religiosos sacris non initiatos) non teneri sub onere peccati absolute, sed nimis laxe, docet Petrus March. apud Dian. [2] contra aliorum communem et veram sententiam, quae docet, teneri secundum suas regulas et consuetudines. Bon. [3] ex Azor. Less. Malder.

Unde resolves:

» 1. Non tenentur ad horas 1. novitii, 2. conversi, 3. religiosi societatis Iesu, 4. militantes, hospitalarii et caeteri choro non destinati. Trull. [4].

» 2. Is qui ex una religione transit in aliam in qua non est haec consuetudo, non tenetur, quia consuetudo non obligat ubi non est recepta. Ita Suarez et Laym. Idem dic de religioso eiecto, vel qui dispensationem obtinuit perpetuo vivendi extra monasterium, quia etsi maneat religiosus, non tamen regularis. Ita probabiliter Sotus Sanchez Bon. [5] etc. contra Suar.»

Hic confert aliqua praenotare de institutione divini officii. Horae canonicae, ut fertur, saltem quoad substantiam, institutae fuerunt tempore apostolorum, ut indicatur *Actor. c.* 2. v. 42. ubi narratur quod fideles erant *perseverantes in fractione panis et orationibus*; id est *in psalmis*, *hymnis et canticis spiritualibus cantantes et psallentes*, *iuxta Apost. ad Eph.* [6]. Idque clarius significavit Clemens papa I. *l.* 8. *Constit. apost. can.* 34. ubi suis clericis sic praecepit: *Precationes facite mane, hora tertia, sexta et nona et vespere atque ad galli cantum.* Gelasius autem I. ut ferunt Azor. et Fill. publicam legem constituit qua clerici septies in die preces canonicas persolvere cogerentur. Quod vero pertinet ad breviarii formam, refert Radulphus ineunte saeculo XIII. in aede pontificia illud breviatum fuisse, et ideo *Breviarium* appellari. Vide alia apud Thomassin. [7].

142. Primo loco oportet hic plura adnotare de obligatione religiosorum recitandi officium et deinde de recitatione in choro. Ante omnia illa magna quaestio occurrit, an religiosi non constituti in sacris et moniales teneantur sub gravi recitare quotidie officium, saltem private.

Prima sententia negat, et hanc tenent Bordon. [8] Arm. [9] Sa [10], item Marchant Martin. a s. Ios. Castrop. Anton. a Spirit. s. Io. Med. ap. Salm. [11] et probabilem putat Less. [12] d. Thom. [13]. Ratio quia licet in hoc adsit consuetudo, non tamen constat, ut dicunt Cai. Led. Palac. etc. ap. Sanch. [14] eam fuisse introductam a religiosis cum animo graviter se obligandi.

Secunda sententia censet non peccare graviter religiosos et moniales, quae aliquoties tantum et non frequenter officium omittunt.

Tertia sententia vero communis quam sequimur, et tenent Less. [15] Sanch. [16] Anacl. [17] Salm. [18] et p. Conc. [19] cum s. Anton. Gonet. Pal. Tamb. Diana Vasq. ac aliis, item Laym. [20] qui contrariam reiicit; et Reg. apud Tamb. [21] vocat temerariam ac Diana prorsus improbandam, refertque Cont. Tour. [22] p. Mutium Vitelleschi praepositum generalem societatis Iesu anno 1625. prohibuisse ne quis suorum opinionem illam doceret ut probabilem; et eamdem reprobatam fuisse ab universitatibus hispalensi, conimbricensi etc. necnon iussu pontifi-

(1) Tr. 12. res. 17. (2) P. 9. tr. 6. res. 7. (3) Q. 2. p. 2. n. 5. (4) L. 1. c. 7. d. 12. §. 1. n. 5. (5) D. 1. q. 2. p. 3. n. 4. (6) C. 5. v. 19. (7) Disc. eccl. p. 4. l. 1. c. 40. (8) Cons. r. 30. (9) V. Horae. (10) Eod. verb. n. 1. (11) Tr. 16. de hor. canon. c. 2. punct. 2. n. 13. et seqq.

(12) Res. cas. post. p. 2. (13) V. Horae, cas. 14. (14) Cons. 7. c. 2. d. 3. n. 4. (15) L. 2. c. 37. n. 47. (16) Cons. l. 7. c. 2. dub. 3. (17) P. 190. n. 18. (18) Loc. c. n. 19. (19) T. 2. p. 399. ex n. 3. (20) Tr. 1. c. 4. n. 1. et 2. (21) L. 2. c. 5. dec. §. 1. n. 13. (22) Loc. c. concl. 3.

cis ipsam erasam fuisse a libro Emmanuelis Sa. Nostra autem sententia docet quod ipsi tenentur sub gravi officium quotidie recitare, ex consuetudine iam praescripta. Nec valet dicere quod non constet ipsam introductam fuisse a religiosis animo se obligandi sub gravi; nam ex regula generali, pro eo stat possessio pro quo stat praesumptio: cum autem consuetudo haec universe a religiosis et monialibus cum magno incommodo constanter observata fuerit, et praelati graviter semper reprehenderint eam non servantes; id sufficientem praebet praesumptionem, quod ipsi recitantes talem consuetudinem vere introduxerint animo se obligandi: si igitur praesumptio stat pro obligatione, pro ea stat quidem etiam possessio. *Vide dicta in simili casu de abstinentia a lacticiniis l.* 3. *n.* 1009. *v. Dubitatur* 3. Concedunt autem communiter dd. 1. quod praelati, etiam inferiores, possint ex causa, puta studiorum et simili, dispensare sicut in aliis observantiis cum suis subditis, ut non recitent officium. Ita Salm. [1] cum Less. Garc. Vill. Tamb. Concedunt 2. quod si in aliqua religione constaret non esse talem consuetudinem, talis obligatio in illa non esset. Salm. [2] cum Bon. Cai. Sanch. etc. De privilegiis autem religiosorum circa divinum officium, *vide dicta n.* 63.

Dubitatur 1. an religiosi eiecti per sententiam, teneantur ad officium. Affirmant Cabass. [3] Conc. [4] Anacl. [5] cum Azor. et Nav., quia ipsi retinent statum, et adhuc religiosi reputantur. Sed non improbabiliter negant cum Bus. Sanch. [6] Less. [7] cum Soto et Laym. [8] qui hanc tutam vocat sententiam. Ratio quia in eis iam extinta est essentia status religiosi, cum non amplius teneantur ad vota, ut supponit Sanchez tanquam certum; nec sit in potestate eorum ad religionem redire.

Dubitatur 2. an religiosi profugi obligentur ad officium. Negat Bon. [9] et probabile putat Tamb. [10] quia (ut dicunt) isti constituuntur in statu cui non convenit recitatio horarum. Sed melius Less. [11] et Conc. [12] docent teneri. Ratio quia sicut ipsi non amittunt statum religiosum, ita ab illius oneribus non eximuntur.

Dubitatur 3. an religiosi ad triremes damnati teneantur horas recitare. Affirmat Laym. [13] cum Nav. Rodr. Suar. Azor. saltem pro diebus quibus non remigant; quia hi manent religiosi. Sed communius negat Cabass. [14] qui tamen ait teneri clericos constitutos in sacris, sed de utrisque negant Spor. [15] Less. [16] Sot. [17] Sanch. [18] Conc. [19] et Salm. [20] cum Pelliz. Diana etc. Ratio, tum quia talis recitatio videretur cedere in dedecus ordinis religiosi, si in illa damnatorum turba statum suum ostenderent, tum quia in eo tam miserabili statu non videntur ipsi hoc onere gravandi. Religiosi autem ex licentia degentes extra claustra, ad officium tenentur, ut Concina [21] cum Suar. (contra Bonac. [22] etc. ap. Busemb.) sicut etiam in carcere detenti, ut Sporer [23].

143. Hic autem plura opus est adiicere quae pertinent ad recitationem religiosorum in choro. Notandum 1. quod nullus religiosus aut monialis in particulari tenetur sub gravi horas dicere in choro; ut communiter docent Conc. [24] Anacl. [25] Viva [26] et Salm. [27] cum Suar. Pal. Bonac. Pell. Tamb. etc. modo tamen chorus non tollatur, ut bene advertunt Viva et alii. Paucitas autem religiosorum excusat totam communitatem a choro. Ideo nisi adsint ad minus quatuor expediti, non est obligatio chori, ut dicunt Wigan. [28] Tamb. [29] Holz. [30] Ronc. [31] Salm. [32] cum Pell. Bordon. etc.

(1) Tr. 16. c. 2. p. 2. n. 20. (2) Ibid. in fin. (3) Th. I. l. 1. c. 21. n. 18. (4) T. 2. p. 403. n. 16. (5) P. 191. n. 23. (6) De matr. l. 8. d. 8. n. 11. (7) L. 2. c. 37. n. 50. (8) L. 4. tr. 1. c. 4. n. 2. (9) De hor. can. d. 1. q. 11. p. 2. n. 6. (10) L. c. (11) L. 2. c. 37. n. 50. (12) P. 403. n. 15. (13) C. 4. n. 2. (14) Lib. 1. c. 21. n. 18. (15) P. 60. n. 9. (16) Lib. 2. c. 37. n. 45. (17) L. 19. q. 5. a. 3. (18) De matr. l. 8. d. 8. n. 11. (19) T. 2. p. 403. n. 17. (20) Ibid. p. 1. n. 4. (21) P. 403. n. 15. (22) P. 2. n. 4. (23) L. c. (24) T. 2. p. 377. n. 4. (25) P. 191. n. 21. (26) De 1. pr. q. 3. a. 1. n. 6. (27) Tr. 16. c. 1. p. 1. n. 5. (28) De hor. can. tr. 10. ex. 5. n. 84. r. 2. (29) Dec. l. 2. c. 5. §. 1. n. 12. (30) T. 1. p. 448. n. 471. (31) De hor. can. p. 144. q. 1. (32) Ibid. n. 6.

Diximus *expediti*, nam si sint infirmi vel legitime occupati, nec etiam si quatuor sint ad chorum obligantur. Probabiliter autem putant Viva [1] Salm. [2] cum Pell. et Anton. a Sp. s. (contra Wigandt) sufficere ad satisfaciendum choro, ut soli novitii intersint, quia ipsi in favorabilibus reputantur ut religiosi. Hic obiter nota cum Conc.[3] quod ex iusta causa licet religiosis aliquando recitare horas in sacristia [4].

Notandum 2. quod graviter peccant praelati qui ex negligentia permittunt ut omittatur recitari pars notabilis in choro, uti communiter docent Suar. [5] Concina [6] Salm. [7] cum Pal. Pelliz. etc. contra Bordon. et alios, quorum sententia non videtur mihi probabilis; quia si non dubitatur de praecepto dicendi horas in choro, nec dubitari debet violari praeceptum si pars notabilis officii omittatur. Episcopi tenentur invigilare ut officium a canonicis in choro persolvatur et rite. Caeterum, per se loquendo, non tenentur episcopi choro interesse ne festis quidem diebus; tum quia haec est consuetudo, tum quia ipsi gravioribus negotiis vacare debent. Ita Viva [8] cum Val. Fill. et Bon. ex d. Th. qui [9] sic docet: *Praelati non debent cantibus insistere ne per hoc a maioribus retrahantur.*

Notandum 3. quod in choro non tenentur omissa supplere ii qui, dum alii cantant, parant aut transferunt libros, perquirunt psalmos, pulsant organa aut campanas, vel alia choro necessaria peragunt; tunc enim per socios suppletur, quod ipsi forte non satis percipiunt. Ita communiter cum Bus. infra *n.* 155. Azor. [10] Salm. [11] Anacl.[12] Laym. [13] cum Sot. Sylvest. et Henr. ac Croix [14] cum Valent. Reg. Escob. et Gobat. contra Pal. [15] Bonac. [16] cum Nav. Vasq. Sa Fill. etc. qui dicunt hos satisfacere quidem assistentiae chori quoad distributiones lucrandas, sed teneri ad supplendum, si non attenderint ad ea quae interim sunt recitata; et idem sentit Holzm.[17] qui tamen excusat si modica sit materia, puta quae ad integrum psalmum non pertingat. Sed satis probabilis est prima sententia, eo quod, dum aliquis occupatur in rebus ad officii celebritatem pertinentibus, totus chorus pro eo supplet; prout qui missae inservit, censetur eam audire, dum in re necessaria paranda attendit, ut dicunt Tolet. et Rodr. apud Laym.[18] qui notat idem docere Sotum Nav. Arag. et Rodr. de eo qui choro alternatim respondet organum pulsando, quin versiculum suae partis proferat: sed huic non acquiesco, cum recte doceat Bon.[19] cum Molf. officium tunc integre non recitari, quia organum verba non profert. Probabiliter vero satisfacit qui, dum alii recitant, tussit vel excreat, etiamsi integer psalmus interim dicatur, ut ait Croix[20] cum Sanch. et Gob. Item probabiliter [21] Sanch. Escob. et Diana excusant eum qui in choro perlegit lectionem, ne erret, alioquin erraturus; haec enim causa satis excusat ab illa levi omissione.

Sentiunt autem Salm. [22] cum Suar. Pelliz. etc. in omissione recitationis in choro minorem officii partem sufficere ad peccandum graviter, quam in recitatione privata. Sed probabiliter id negant Bon.[23] et Holzm.[24] cum Tamb. et Babenst. qui dicunt illam tantum esse omissionem gravem in choro, quae gravis est in officio privato.

Notandum 4. quod ex bulla s. Pii v. *A nobis*, omnes qui utuntur breviario romano deobligantur recitare in choro officium b. v. Mariae, defunctorum et psalmos poenitentiales; praecipitur vero ibidem servari consuetudinem haec officia recitandi in locis ubi viget. Haec autem obligatio extra chorum

(1) D. n. 6. (2) Ibid. (3) P. 337. n. 3.
(4) An devote audientes horas dum musici cantant satisfaciant. Affirmant aliqui apud Pelliz. c. 8. *n.* 42.; sed omnino negandum cum Croix *l.* 4. *n.* 1299. et Mazzotta *tr.* 2. *disp.* 1. *q.* 2. c. 1. Id notatur hic, quia omissum erat in corpore. *S. Alphonsus in indice rerum.* (5) De relig. lib. 4. c. 10. n. 3.
(6) T. 2. p. 385. n. 19. (7) Ibid. p. 3. n. 14.
(8) De rest. q. 7. a. 9. n. 14. vers. Dico tertio.
(9) 2. 2. q. 91. a. 2. ad 3. (10) L. 10. c. 13. q. 2.
(11) Tr. 16. c. 1. p. 3. n. 19. (12) P. 197. n. 52.
(13) C. 5. n. 7. (14) L. 4. n. 1300. (15) P. 4. n. 7.
(16) P. 2. §. 1. n. 13. (17) P. 448. n. 471.
(18) Loc. c. (19) Loc. c. (20) D. n. 1300.
(21) Ibid. (22) Ibid. n. 17. (23) P. 1. n. 5
(24) P. 448. n. 471.

non afficit singulos privatos, sed tantum communitatem; ut recte aiunt Conc. [1] et Holzm. [2] cum aliis.

144. « Resp. 3. Beneficiati, quotquot habent ius in re et plenum dominium beneficii, si fructus percipiant vel percepturi sint, tenentur ad horas, Less. et Laym. [3] ex communi, et concilio later. sub Leone x. Ratio est quia beneficium datur propter officium.

Unde resolves:

» 1. Non tenentur ante acceptam possessionem, nec si sine sua culpa fructus nullos percipiant, nec percepturi sint, Laym. [4], quia non habent beneficium secundum omnem effectum. (Hoc certum est. *Vide dicta de rest. l.* 3. *n.* 664.) Videntur tamen pro ratione fructuum teneri ad aliquoties legendum. Trull. [5].

» 2. Tenetur is qui etsi (sive sine sive cum sua culpa) non recipiat omnes suos fructus, recipit tamen tantam partem quae sufficit ad sustentationem. Bon. [6].

» Tenentur ii qui primo aut etiam secundo anno non percipiunt fructus, eo quod assignentur fabricae vel praedecessori mortuo: quia etiam ipsi mortui fruentur eodem privilegio, et sic pro tota vita satisfaciunt fabricae. Bon. [7] Laym. [8] Suar. Regin. etc. Contraria tamen sententia non est improbabilis. (Et probabilem vocant Salm. [9] cum Fill. Bon. Villal.) Et negat Less. cum. Cai. se talem damnaturum, eo quod vel resignare, vel mori ante possit, et sic non frui anno gratiae. Laym. [10] Pal. Trull. [11].

» 4. Tenentur et ii qui habent beneficium tenue, octo v. gr. vel decem aureorum; quia iura omnibus indistincte obligationem horarum imponunt, sicut iis qui sunt in maioribus ordinibus. Ita probabiliter Sylv. Az. Suar. Pal. Bon. [12] et communis contra Sot. Less. Rodr. et Dian. [13] Mald. qui dicunt, si habet beneficium tam tenue, ut tertiam partem mediocris sustentationis alicuius clerici non adaequet, non teneri. Vide Dian. [14] Escob. [15] quorum sententiam non damno. (*Vide dicta l.* 3. *n.* 674.) Vide Trull. [16] qui notat, eum qui habet plura beneficia tenuia, ex quibus competentiam habeat, teneri ad horas.

» 5. Non excusatur qui primis annis parum recipit, eo quod fructus expendat in substitutum; quia horarum onus beneficio annexum est et personale, cum quo sponte acceptatur. Bon. [17] ex Az. Vasq. Fill. etc.

» 6. Si filius a patre coactus ad statum ecclesiasticum, percipiat ipse fructus, tenetur ad horas: secus si percipiat pater; hic vero ad restitutionem obligatur. Laym. [18] ex Less. [19].»

Idem tenent Cont. Tour. [20] et Conc. [21] modo metus sit gravis; quo cessante (ait Tourn.) tenetur iste clericus quamprimum beneficium renunciare.

Quaeritur autem hic an qui per metum iniuste incussum ordinem sacrum suscepit, teneatur officium recitare. Affirmant Conc. [22] cum s. Anton. Sylv. Ledes. Comit. et aliis, quia metus non tollit voluntarium. Sed probabilius negant Cont. Tourn. [23] cum Suar. et Henr. a s. Ign. Sanch. [24] Pal. [25] cum Nav. et Sa Salm. [26] cum Bon. Azor. Dic. etc. Ratio quia licet metus non tollat voluntarium, ecclesia tamen rationabiliter non censetur velle obligare ad onus officii, nisi eos qui omnino sponte ordinem suscipiunt. Et ideo tales per metum gravem ordinati nec etiam ad castitatem tenentur, ut dicunt Salm. [27] cum aa. cit. utque diximus *de voto lib.* 3. *n.* 197. *vers. Sed quaestio*, et dicemus *l.* 6. *n.* 811.

« 7. Probabile est eum qui non residet ex legitima licentia vel dispensatione, ideoque fructus non recipit, non teneri ad horas; quia obligatio haec est propter sustentationem datam. Trull. [28] ex Sanch. etc.

(1) P. 385. n. 21. (2) P. 450. n. 474. (3) L. 4. tr. 2. c. 4. n. 1. (4) L. 4. tr. 2. c. 5. n. 3. et 4. (5) Loc. c. (6) D. 1. q. 6. p. 3. (7) P. 4. n. 22. (8) C. 5. (9) De hor. can. c. 2. p. 3. §. 4. n. 45. (10) Loc. cit. (11) Dub. 13. §. 3. (12) D. 1. q. 2. p. 4. n. 17. (13) R. 9. (14) Loc. cit.

(15) Tr. 5. e. 6. c. 13. (16) L. 1. c. 7. dist. 12. §. 3. (17) L. c. (18) C. 5. n. 2. (19) L. 2. c. 34. d. 31. (20) De hor. can. a. 1. q. 7. (21) T. 2. p. 440. (22) P. 397. n. 4. (23) Ibid. (24) De matr. l. 7. d. 29. n. 7. (25) Tr. 7. d. 2. p. 1. §. 1. n. 1. (26) Tr. 8. c. 6. p. 1. n. 50. (27) Cit. n. 46 (28) L. 1. c. 7. d. 13. §. 3.

» 8. Non tenentur qui habent praestimonia quae solent dari adolescentibus in subsidium studiorum, eo quod non sint proprie dicta beneficia. Ita Med. Garc. et Less. contra Nav. Sot. et Rodr. Tamen recte monet Laym.[1] considerandam rationem praestimoniorum: si enim dentur in titulum perpetuum, et habeant annexum aliquod obsequium spirituale, quod per laicum expediri nequit, esse beneficia ecclesiastica, proindeque obligare ad horas; secus si consistant in solo temporali obsequio. Similiter non tenentur pensionarii, cum pensiones non sint proprie dicta beneficia, ut *dub. praec.* videri potest. Quod limitat Escob.[2] ex Palao, si fruantur pensione ob saecularia obsequia: secus si titulo clericali (*Vide num.* 138.). Denique neque tenetur coadiutor, si non administrat; quia obligatio tenet proprietarium. Pal. Escob.[3]. Vide Laym.[4] (Est commune cum Salm. [5]).

» 9. Etsi habens plura beneficia satisfaciat unica recitatione horarum, tenetur tamen tot facere commemorationes quot sunt beneficia seu patroni beneficiorum; quia par est omnino ratio, Bon. Trull. [6].»

145. Quaeritur 1. An qui tenetur ad recitationem officii titulo beneficii et titulo ordinis sacri, omittendo illud, committat duo peccata. Tria hic ut certa supponenda: Certum est 1. quod iste peccat utique contra religionem ratione ordinis sacri, propter quem ecclesia eum obligat ex motivo religionis ad horas recitandas. Certum est 2. quod beneficiarius omittens officium semper peccat contra religionem, etiamsi non habeat ordinem sacrum, et etiamsi velit fructus restituere, ut dicemus mox infra in *quaest. seq.* Certum est 3. quod talis beneficiarius si omittat officium et nolit restituere fructus, peccabit non solum contra religionem, sed etiam contra iustitiam, quia officium negligendo non potuit fructus acquirere, ut dicunt Salm.[7] iuxta sententiam, quam tenent ut veram Sotus Suarez Azor. etc. ac Croix[8] (quidquid dicant alii[9]). Id enim patet ex concilio lateran. relato *lib.* 3. *n.* 663. ubi dicitur: *Qui officium non dixerit fructus suos non faciat.* Sed difficultas est, an beneficiarius volens fructus restituere, peccet contra iustitiam, etiamsi officium omittat animo restituendi fructus.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Laym.[10] Sanch.[11] Bon.[12] et Less.[13] Ratio quia licet beneficium principaliter detur pro sustentatione beneficiarii, attamen datur cum pacto recitandi officium; morale enim axioma est, beneficium propter officium conferri; unde beneficiarius omittendo officium peccat contra iustitiam, quia pactum non servat.

Secunda sententia vere probabilior, quam tenent Pal.[14] cum Henr. et Garc. Anacl.[15] Holzm.[16] Diana[17] cum Salas et Homobon. Salm.[18] cum Sal. Anton. a Spir. s. et Trull. tenet peccare quidem beneficiarium contra religionem, cum ecclesia, imponendo illi onus officii, imponit ex motivo religionis, non autem contra iustitiam, nam ut posset dici beneficiarium peccare contra iustitiam, probandum esset pactum inter beneficiatum et fundatorem, vel ecclesiam. Sed hoc pactum neque habetur respectu fundatorum, ut recte dicunt Filliuc.[19] et Holzm.[20] alias (ut ait idem Holzm.[21] cum Less.[22]) non potuisset ecclesia eximere beneficiarios non recitantes primo semestri ab obligatione restitutionis; neque habetur pactum respectu ecclesiae, cum illud nullo iure aut ratione probetur. Donec igitur de hoc pacto non constet, nequit dici beneficiarium omittentem officium cum intentione restituendi fructus peccare contra iustitiam. Nec obstat, beneficium dari propter officium; nam bene respondet Palaus, quod beneficium non datur

(1) C. 5. n. 6. (2) T. 5. e. 6. c. 4. (3) L. c. (4) C. 5. n. 9. (5) Tr. 16. c. 2. p. 3. §. 1. n. 29. (6) L. c. n. 27. (7) Tr. 16. c. 2. p. 3. §. 1. n. 32. (8) L. 4. n. 1216. (9) Ibid. (10) L. 4. tr. 1. c. 4. n. 5. (11) De matrim. l. 9. d. 15. n. 6. (12) D. 1. q. 5. p. 1. n. 4. (13) L. 2. c. 37. n. 52. (14) D. 2. p. 5. n. 3. (15) Pag. 192. n. 30. (16) Pag. 441. n. 457. (17) P. 2. tr. 12. r. 22. (18) Tr. cit. n. 32. (19) Tr. 23. n. 157. (20) L. c. (21) P. 445. n. 462 [illegible] (22) L. 2. c. 34 n. 1[illegible]

ab ecclesia sub obligatione iustitiae, sed religionis, cum obligatio officii non oriatur ex beneficio, sed ex praecepto ecclesiae ratione beneficii imposito ex motivo religionis.

Sed dices: si nullum intercedit pactum cum beneficiario, qua ratione ipse peccabit contra iustitiam, si fructus non restituet, uti supra tanquam certum suppositum est? Respondetur: Peccabit contra iustitiam non ratione pacti initi, sed ratione conditionis non impletae: bene enim potuit ecclesia beneficiariis imponere pensum officii ob motivum religionis, vel sub conditione non faciendi fructus suos, si non recitaverint, vel sub poena negativa non acquirendi fructus, si officium omiserint, iuxta dicta *l.* 3. *n.* 665. et ut tenent Viva[1] et Lugo[2] Holzm.[3] quod valde probabile putat Azor.[4] Ideo enim (ait Holzmann) beneficiarii non recitantes ante sententiam tenentur ad fructuum restitutionem, quia haec, licet sit poena, non est tamen poena positiva aut privativa, scil. quae privet fructibus acquisitis, et ad quam sententia requiratur, sed est poena negativa, nempe quae negat posse acquiri fructus a non recitantibus, prout si ecclesia dicat, non concedo tibi fructus nisi officium recitaveris (hoc tamen intelligitur, si culpabiliter officium omittatur; secus vero, si sine culpa gravi, docet Lugo[5] utque diximus *l.* 3. *n.* 665. cum Less. Sanch. Concina et communiori). Unde concluditur, respondendo ad quaesitum, quod si sacerdos beneficiarius omittit officium nolens fructus restituere, peccat contra religionem et contra iustitiam, cum retineat alienum, quod acquirere non poterat omittendo officium: si vero omittit volens fructus restituere, tunc peccat tantum contra religionem, non vero contra iustitiam, quia tunc alienum non retinet.

Quaeritur 2. An beneficiarius omittens officium peccet graviter, si alias habeat animum restituendi fructus beneficii. Affirmandum utique cum Lug.[6]. Ratio quia datur duplex praeceptum, unum antiquum quo obligantur beneficiati ad officium; hic enim fuit finis primarius ecclesiae in institutione beneficiorum, scilicet servitium ecclesiae praestandum; aliud novum, ut omittens officium, fructus restituat. Beneficiatus igitur, etsi fructus restituat non liberatur obligatione recitationis; quare qui officium omittit sex primis mensibus a receptione beneficii, non tenetur fructus restituere, sed utique graviter peccat, ut declaravit s. Pius v. in bulla relata *lib.* 3. *n.* 663.

Art. II. Quanta sit haec obligatio.

146. *Quae culpa sit omittere officium, vel partem eius notabilem.*
147. *Quae sit parva materia in omissione officii.*
148. *An omissio horarum sit unum vel plura peccata.*
149. *Quot peccata committit qui officium in mare proiiciens redditur impotens ad recitandum.*
150. *Utrum dubitans an aliquid omiserit, teneatur id recitare.*
151. *Quando beneficiarii officium omittentes teneantur restituere fructus.*
152. *Quibus sit applicanda fructuum restitutio.*
153. *Quando possit beneficiarius a restitutione excusari titulo pecuniae expensae.*

146. « Resp. 1. Est tanta ut peccet mortaliter quisquis habens hoc onus, horas, vel notabilem earum partem omittit. Ita communiter omnes, contra Angelum[7] et Richardum: qui dicunt non esse mortale, nisi quis habeat consuetudinem omittendi: quam sententiam Lessius non audet dicere probabilem quod sit contra torrentem doctorum. Ratio est quia violat praeceptum in re gravi pertinente ad virtutem religionis. (Et haec est omnino tenenda cum communi: vide Salm.[8]. Verius autem est, hanc obligationem magis provenire ex recepta consuetudine, quam ex iure positivo. Ita Salmant.[9] cum Less. Pal. Suar. etc.).

Ex dictis resolvuntur hi casus:

» 1. Non est mortale omittere unum psalmum, lectionem, vel quid simile, ut habet communis contra Nav. nec tertiam partem parvae horae, contra Azor. et Mald., quia non censetur pars

(1) Ibid, (2) Resp. mor. l. 5. dub. 6. n. 6. (3) L. D. p. 443. n. 462. (4) P. 2. l. 10. c. 14. q. 7.
(5) L. c. (6) Resp. mor. l. 5. d. 6. n. 2. (7) V. Horae. (8) De hor. can. c. 2. p. 1. n. 3. (9) L. c.

notabilis. Talem autem dicit Palaus [1] esse in matutino, quod est aequale uni parvae horae. Sanch. [2] dicit tres lectiones cum responsoriis in feriali officio esse materiam parvam. In parvis horis dicunt Fern. Fill. et Laym. dimidium esse notabilem quantitatem. Vide Escob. [3] qui docet unam parvam horam non esse partem notabilem, respectu totius officii, quod per modum unius est praeceptum. Verum hoc merito reiicitur ab aliis.

» 2. Est mortale si omittas vel unam integram ex horis, quae sunt septem: matutinum cum laudibus, prima, tertia, sexta, nona, vesperae et completorium: vel dimidiam etiam ex brevioribus, docent Fern. Regin. Suar. Layman contra Bon. et Less.: vel ex matutino 9. lectiones cum responsoriis, ut Sanch.[4]: aut partem aequivalentem horae uni minimae, ut Suar. [5] et Gavantus: vel, ut alii, unum nocturnum. Vide Bon. [6] Dian. [7].»

147. Quaeritur 1. quaenam sit parva materia in omissione officii. Azor. Nav. Vill. etc. apud Conc. [8] tenent peccare mortaliter qui omittit dimidiam, vel, ut alii dicunt, tertiam partem horae etiam parvae, quia talis pars respectu illius horae iam est notabilis materia. Sed probabilius id negant Lessius [9] Bon.[10] Cont. Tourn.[11] cum Suar. Pontas Van Roy, item Pal. Garc. Trul. Pell. Led. etc. ap. Conc.[12]. Ratio quia, licet illa pars sit notabilis respectu horae parvae, est tamen levis in se, et respectu totius officii; unde circa gravitatem materiae, totius officii quantitas respicienda est; non autem cuiuslibet horae. Verius enim est praeceptum officii non esse septuplex ex septem horis dicendis, sed unum praecipiens unicum officium constans septem partibus, ut patet ex *c. Dolentes* 9. *de celebr. miss.* ubi praecipitur sub uno praecepto officium recitari his verbis: *Praecipientes in virtute obedientiae, ut divinum officium, nocturnum pariter et diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter et devote.* Propter quod Pal.[13] Bon.[14] Ronc.[15] Spor.[16] Tamb.[17] Elbel [18] Holzm.[19] Salm. [20] cum Trul. Pell. Leand. etc. Croix [21] cum Lay. et Fill. probabiliter dicunt esse levem materiam omittere minus quam integram horam parvam. Sic etiam Elb.[22] et Croix[23] cum March. Pell. Tamb. et aliis, ratione parvitatis materiae, probabiliter dicunt non peccare graviter qui omitteret totas vesperas sabbati sancti. Caeterum, ut recte aiunt Bus. ut supra et Mazzotta (contra Sot. Escob. Phil. etc. apud Salm. [24]) improbabilis est opinio quod una parva hora, prout tertia, sexta etc. sit levis materia.

Ita etiam tenendum peccare graviter qui omittit unum nocturnum integrum, ut bene censent Wig. [25] Holzm. [26] Elbel [27] Croix [28] et Conc. [29] cum communi; contra Leand. Vercell. etc. apud Conc. qui putat etiam esse gravem materiam omittere tres lectiones cum responsoriis, sed probabiliter huic contradicunt Sanch.[30] et Diana[31]. Intellige, si lectiones cum responsoriis sint tales, ut parvam horam non adaequent. Unde bene concludunt Sanch.[32] Pal.[33] Less.[34] Bon.[35] et Salm.[36] cum Trull. Pell. etc. illam universe censeri parvam materiam quae non pertingit ad quantitatem unius integrae horae. Imo Salm.[37] admittunt in officio longiori, puta dominicae, adhuc maiorem materiam posse esse levem; sed huic non acquiesco: nam sic etiam omissio horae parvae respectu totius officii dominicalis posset dici parva materia, quod minime est admittendum, cum hora etiam parva ex communi dd. sensu videatur materia absolute gravis respectu cuius-

(1) L. 1. p. 5. (2) Op. mor. lib. 1. c. 4. n. 18. (3) L. cit. c. 13. n. 107. (4) 1. mor. c. 4. n. 8. (5) De rel. l. 5. c. 25. (6) D. 1. q. 1. p. 1. (7) P. 2. t. 12. r. 26. et 41. (8) T. 2. p. 447. n. 4. (9) L. 2. c. 37. n. 52. (10) D. 1. q. 5. p. 1. n. 2. (11) De hor. can. c. 3. a. 5. Dico 2. (12) L. c. (13) D. 2. p. 5. n. 1. (14) D. 1. q. 5. p. 1. n. 6. (15) Q. 5. r. 2. (16) T. 3. p. 73. n. 94.

(17) C. 5. §. 2. n. 11. (18) T. 2. p. 537. n. 397. (19) T. 1. p. 441. n. 455. (20) Tr. 16. c. 3. p. 4. n. 23. (21) L. 4. n. 1220. (22) Loc. cit. (23) N. 1204. (24) Cit. n. 23. (25) P. 423. (26) P. 441. n. 455. (27) P. 539. n. 397. (28) L. 4. n. 1202. (29) P. 408. n. 5. (30) L. 1. dec. c. 19. n. 7. (31) P. 2. tr. 12. r. 41. (32) Dub. 11. n. 2. (33) P. 5. n. 2. (34) C. 37. n. 57. (35) P. 1. n. 2. (36) D. n. 23. (37) Ibid.

cumque officii. Necnon bene addunt Holz. et Croix censeri gravem omissionem, si de hora parva aliquid nimis modicum diceretur.

148. « 3. Sive omissio horarum (abstrahendo a multiplicatione actuum voluntatis) sit unum numero peccatum, ut vult Bon., sive sint plura formaliter, ut docet Less., sive unum multiplex, ut Suarez, sive unum pluribus aequivalens, ut Fill. loquitur: probabile tamen est in confessione explicandum quot horae sint omissae, eo quod sit circumstantia tenens se ex parte obiecti, et constituens actum in ratione sua individuali. Bonac. [1] Less. Suarez Fill. »

Hic igitur quaeritur 1. Quot peccata committat qui totum omittit officium. Alii dicunt committere septem peccata; quia pro singulis horis diversum adest praeceptum; hancque opinionem probabilem putant Salm. [2]. Sed verius dicendum unum tantum peccatum committere. Ita communiter Less. [3] Sanchez [4] Pal. [5] Bon. [6] Ronc. [7] Cont. Tournely [8] Conc. [9] Elb. [10]. Idemque expresse docet s. Ant. [11] qui de hoc veram rationem assignat dicens: *Qui omittit omnes horas unius diei, non propterea committere septem peccata mortalia, sed unum, et tanto gravius quanto plus de officio omittit; quia totum officium unius diei cadit sub uno praecepto.* Bene tamen advertit Elbel [12] quod si quis omitteret plures horas ex intentionibus moraliter interruptis, tunc plura committeret peccata.

149. Quaeritur 2. Quot committat peccata qui officium in mare proiiciens redditur impotens ad recitandum. Haec quidem quaestio pendet ab alia, an omissio volita in causa sit in sese peccatum.

Prima sententia in ea quaestione negat, eamque tenent Laym. [13] Azor. [14] item apud Salm. [15] s. Bonav. Pal. Vasquez Fill. Cov. Sayr. Gran. etc. Ratio quia talis omissio dum accidit non est voluntaria in se, sed in causa, ideo tantum in causa erit peccatum. Unde iuxta hanc sententiam talis committit unum peccatum tantum, nempe cum proiicit breviarium.

Secunda sententia tamen verior affirmat, et hanc tenet s. Th. [16] qui ait: *Si autem actus praecedens fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur a peccato sequenti, quod scil. redditur voluntarium ex voluntate praecedentis actus, in quantum scil. aliquis dans operam rei illicitae incidit in sequens peccatum.* Et eum sequuntur Caiet. [17] Nav. [18] Sanchez [19] Pal. [20] et Salm. [21] cum Abul. Sot. Med. Lop. Vill. et aliis. Ratio quia licet ad omissionem peccaminosam requiratur ut adsit voluntarium, sufficit tamen voluntarium in causa, ut patet ex Gloss. *in c. Mulieres, de sent. excomm.* ubi dicitur quod si quis voluntarie se inebriat praevidens occisurum clericum, incurrit excommunicationem secuta occisione. Ergo occisio illa est vere peccatum, alias sine peccato externo non posset occisor excommunicationem contrahere. Propterea quoad casum nostrum respondetur, proiicientem officium tot peccata committere, quot sunt omissiones quas praevidet, nisi poeniteat primi peccati, nam alioquin perseverat voluntarium positum in causa. Ita Sanch. [22] Cont. Tourn. [23] et Elbel [24] cum communissima. *Vide dicenda l. 5. n. 49.*

150. Quaeritur 3. Utrum, si quis dubitat an aliquid omiserit de officio, teneatur id recitare. Resp. Scrupulosi non sunt obligandi ad repetendum, quia in his ut plurimum dubia non sunt vera dubia, sed inanes apprehensiones. Quoad alios vero distinguendum: Si dubium est mere negativum utique

(1) L. c. n. 9. (2) Tr. 16. c. 3. p. 4. n. 22. (3) C. 37. n. 53. (4) C. 2. dub. 12. n. 2. (5) D. 2. p. 5. n. 1. (6) Q. 5. p. 1. n. 8. (7) P. 154. q. 5. r. 3. (8) De hor. can. c. 3. a. 4. (9) Pag. 483. n. 18. (10) Pag. 540. n. 398. (11) 3. p. tit. 13. c. 4. (12) L. c. (13) Tr. 2. c. 3. n. 5. (14) T. 1. l. 4. c. 3. qu. 4. p. 4.

(15) Tr. 20. de princ. mor. c. 10. p. 3. §. 2. n. 2?. (16) 1. 2. q. 76. a. 3. ad 3. et q. 77. a. 7. et 2. 2. q. 150. a. 4. (17) Ibid. (18) Man. c. 16. n. 8. (19) De matr. l. 9. d. 45. n. 27. (20) Tr. 2. d. 1. p. 3. n. 6. (21) Ibid. n. 26. (22) Cons. l. 7 c. 2. dub. 51. (23) De hor. canon. c. 3. a. 2 (24) Pag. 556. n. 42.

tenentur, quia in dubio possessio stat pro praecepto, ita Pal. [1] Salm. [2] et alii communiter. Si vero dubium est positivum, ita ut probabiliter iudices dixisse, non teneris repetere, prout docent communissime Palaus [3] Sanchez [4] Cont. Tourn. [5] et Salm. [6] cum Pelliz. Trull. Diana etc. Item Laym. Lugo Roncag. et Viva, quos adduximus *l.* 1. *n.* 29. Item dicit Croix [7] cum Sanchez [8] Laym. et Illsung. male facere qui habens coniecturam quod aliquam partem dixerit, eam repetit, quia viam scrupulis aperit; et docet Nav. (apud Concin. [9] sic dicens: *Non solum non tenetur repetere id quod probabiliter credit se dixisse, verum etiam male ageret id faciendo, eo quod habitum concipiendi scrupulos superfluos sibi quaereret.*

Unde docent Sanch. [10] cum Nav. Mai. et Angles, Croix [11] cum Az. Suar. Fill. Bon. Tamb., ac Salm. [12] cum Ang. Trull. et Pell. quod bene excusaris a repetendo, si non memineris dixisse aliquid, et habens iustam coniecturam credendi quod dixeris; puta (ut aiunt Sanch. cum aliis citatis et Salm. [13] cum Nav. Suarez Bardi etc.) si recordaris te incoepisse psalmum, lectionem, vel horam, et postea non data opera distractus, vel non interruptus te invenias in fine horae, legendo vel memoriter recitando ea in quibus ordinarie non soles errare; et hoc locum habere dicunt Gobat. et Tamb. apud Croix [14] etiamsi habeas rationem probabilem omissionis, quia praesumptio quod soleas perficere quod incoepisti, efficit ut nihil tenearis repetere, nisi sis moraliter certus quod non dixeris. Si vero dubites an totam horam dixeris vel non, censent Salm. [15] quod si saepius tali dubio labores non teneris repetere, quia tunc facile praesumitur tale dubium oriri a scrupulis; secus si raro. Caeterum bene ait Croix [16] cum Nav. Az. Suar. Bon. etc. quod si ordinarie non soleas dicere horam posteriorem nisi post priorem, prudenter potes credere te nihil omisisse.

151. « Resp. 2. Tanta est obligatio, ut inducat ei onus restitutionis fructuum, pro rata omissionis officii, qui titulo beneficii ad horas tenetur, si elapsis sex mensibus post adeptam possessionem (is enim, etsi graviter peccet omittendo, non tamen tenetur ad restitutionem) culpabiliter officium non recitaverit. Patet ex concil. lateranensi sub Leone x. Sed quia dubium fuit utrum hoc concilium esset receptum, Pius v. bullam edidit quae est apud Navarr. [17] qua hoc decretum confirmat, ac declarat sic, ut qui uno die totum officium omiserit, teneatur restituere omnes fructus illi diei respondentes: v. gr., qui accipit annue 365. florenos, teneatur pro uno die restituere unum florenum; qui autem omiserit matutinum tantum, mediam partem fructuum unius diei; qui reliquas horas, etiam mediam partem: qui vero unam ex illis, sextam partem: eaque restitutio facienda est vel fabricae, vel pauperibus, Laym. Fill. Bon. [18] etc. contra de la Crux et Lop. apud Dian. [19] qui dicunt, si beneficiatus intra annum per 8. vel 10. dies tantum omittat, non teneri ad restitutionem, eo quod sit servus liberalissimi Domini, qui multo minus, quam domini temporales, ad pauca attendat. (*Vide dicta l.* 3. *n.* 663.).

Unde resolves:

» 1. Clerici maiorum ordinum, qui solo titulo ordinis, et quotquot alio titulo quam beneficii, ad horas tenentur, non obligantur ad dictam restitutionem, quia nullos percipiunt fructus propter onus recitandi officium. Bon. [20].

» 2. Nec ii obligantur qui ex naturali oblivione, iusto impedimento, bona fide, invincibili ignorantia, aut aliter absque culpa omiserunt. Ratio est quia in conscientia non debetur poena ubi non est culpa. Less. Suar. Bon. [21] (Ita etiam Viva cum Sanch. *V. l.* 3. *n.* 665.).

(1) D. 2. p. 6. n. 1. (2) De hor. can. c. 3. p. 3. n. 12. (3) L. c. (4) Cons. l. 7. c. 2. dub. 34. n. 3.
(5) De horis canon. sect. 6. v. Sed quid.
(6) Dict. n. 18. (7) L. 4. n. 1258.
(8) Loc cit. (9) T. 2. p. 503. n. 12.
(10) Loc. cit. (11) D. n. 1255. (12) Loc. cit.
(13) Tr. 20. c. 7. p. 1. n. 7. (14) N. 1255.
(15) Dict. n. 7. (16) Dict. n. 1255. (17) C. 25.
(18) D. 1. q. 5. p. 2. (19) P. 2. t. 12. res. 34.
(20) L. cit. n. 2. n. 3. (21) N. 4.

» 3. Valde probabile est quod qui alia onera habent quam precum; v. gr. pastores, episcopi etc. omittentes horas, possint retinere maiorem partem fructuum istius diei, ratione dictorum onerum; sufficiatque dare tertiam partem vel quartam fructuum; eo quod tantum obligentur ad restitutionem fructuum respondentium oneri divini officii. Nav. Fill. Bon. [1] Diana [2] citans alios multos. (Ita etiam probabiliter tenet Croix [3] cum Sanch. et Gob. *Vide dicta l.* 3. *n.* 673.).

» 4. Si talis pastor habeat tenues reditus ad sustentationem, videtur ad nihil obligandus; cum ob alia onera illi debeatur sustentatio. Laym. [4]. Imo Dian. [5] Mald. [6] dicunt eum qui habet beneficium valde tenue, v. gr. cuius reditus tertiam partem mediocris sustentationis non adaequent, non teneri ob horas aliquoties neglectas, ad restitutionem. (Et est probabile cum Less. Sanch. Pell. Led. Rodr. *V. l.* 3. *n.* 674.).

152. » 5. Restitutio haec fieri potest vel pauperibus amicis, vel aliis, vel ipsi etiam beneficiato, si pauper est. Item impendi potest in fabricam domus vel meliorandos agros beneficii; quia haec nomine fabricae etiam intelliguntur apud Suar. et Bonac. (*Vide dicta l.* 3.*n.*672.). Denique aliquando compensari potest, offerendo suffragia pro defunctis, aliisque precibus, ut vide Bon. [7]. (Idem dicunt Salm. [8]. *Sed vide dicta l.* 3. *n.* 667. *et* 672. *ubi huic non acquievimus*) et sic etiam per alium, seu per officium, aut preces ab alio ad tuam intentionem recitatas, et a te defunctis applicatas, satisfieri posse, docet Quintan. [9]. Nec continuo damnandum, qui ordinarie recitare solitus, semel, v. g. vel bis in anno omisit, etsi nihil restituat, docent Sot. Med. Fill. [10]. (Sed hoc non videtur posse sustineri, ut merito dicunt Salm. [11] cum s. Pius in sua bulla dicat: *Ut qui omnes horas uno vel pluribus diebus intermiserit*).

(1) P. 3. (2) P. 2. t. 12. r. 8. (3) L. 4. n. 1214. (4) L. 4. tr. 2. c. 5. (5) Pag. 2. tr. 12. resp. 9. (6) Tr. 10. c. 2. dub. 3. (7) Loc. cit. p. 4. (8) Tr. 16. c. 2. n. 60. (9) T. 8. sect. 6. (10) C. 10. n. 316. et 517. (11) D. c. 2. n. 55.

» 6. Qui pecuniam quam ob neglectas horas tenetur restituere sive erogare in usus pios, impendit in alios quam vel in pauperes vel fabricam beneficii, non satisfacit (secundum ius commune, ubi concilium lateranense, vel bulla Pii v. est recepta) obligationi suae; nisi aliud ferat consuetudo vel statutum alicubi receptum; quia diserte praecipitur restitui pauperibus vel fabricae beneficii. Vide Bon. [12]. (*V. l.* 3. *n.* 672.).

153. » 7. Posse aliquando beneficiatum excusari a restitutione ob horas neglectas, titulo pecuniae expensae; intellige post omissionem horarum (Nam si ante omissionem, non excusatur, cum damnata sit propos. 33. ab Alex. VII. dicens: *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit*); etsi non isto intuitu, in pauperes vel alios usus pios, censet Dian. [13] ex Laym. [14] esse probabile, tum quod quidam auctores ita sentiant; tum quod videatur esse virtualis intentio omnium dantium eleemosynas, satisfacere per illas omnibus obligationibus quas suis peccatis contraxerunt: tum quod leges ecclesiasticae benigne debent explicari (Et probabile est iuxta sententiam quam tenent Sanch. [15] Lugo [16] Laym. [17] Salmant. [18] cum Pelliz. et Croix [19] cum Suar. Gob. et aliis. *Vide dicta l.* 3. *n.* 700. *v. Limitant*). Addunt Io. de Salas [20] et Vasq.: si canonicus grossam, seu corpus sui canonicatus vere et absolute lucretur, prius quam omittat officium, non teneri ad restitutionem propter omissionem sequentem, eo quod poena non sit ut fructus iam suos factos restituat, sed ut fructus non faciat suos. Sic illi apud Dian. [21].

» 8. Ubi bulla Pii v. non est recepta, potest videri probabile, beneficiatum ad dictam restitutionem non obligari, ut habet Sylv. [22].

(12) Qu. 2. p. 2. et 4. (13) P. 3. r. 57. (14) L. 3. t. 2. c. 12. n. 9. (15) Cons. l. 2. c. 3. dub. 121. (16) D. 4. n. 46. (17) L. 2. tr. 2. c. 12. n. 9. (18) Tr. 16. c. 2. p. 4. n. 63. (19) L. 4. n. 1215. (20) De leg. d. 15. sess. 2. n. 27. (21) P. 2. t. 12. r. 8. (22) V. Clericus.

Art. III. Quae excusent a recitatione horarum.

154. *Quomodo excuset* infirmitas. *Not.* 1. *An excuset gravis molestia.* 2. *An excuset convalescentia.* 3. *Quid in dubio, an infirmitas sufficiat ad excusandum.* 4. *Quid si dubites an possis recitare partem.*

155. *An excusentur laborantes febri tertiana vel quartana.*

156. *Quomodo excuset* iustum impedimentum. *Et an ideo excusentur concionatores, confessarii, peragentes necessaria in choro.* (*Vide de hoc dicta n.* 143. *v. Not.* 3.).

157. *Quomodo excuset* caecitas et carentia breviarii.

158. *An impotens recitare totum officium teneatur ad partem. Quid, si non habeas officium proprium. An tenearis recitare cum socio, si nequis solus. An beneficiarius teneatur conducere socium, si non possit solus recitare.*

159. *Quomodo excuset* dispensatio.

154. » Resp. Haec sequentia: 1. *Infirmitas* gravis, v. gr. dolor notabilis capitis, ita ut sine incommodo vel incremento morbi legi non possit: dixi *gravis*, quia levis, v. gr. dolor stomachi aut pectoris, vel etiam aliquando febris tertiana aut quartana non excusat, cum toto die non affligat. (Vel maiore diei parte, ut Sanchez Trull. Tambur. Pell. etc. cum Salm. [1]). Ita Nav. Fill. Laym. Bon. [2]. Porro totaliter excusatus non tenetur, ut quidam volunt, audire alium legentem, nec alium substituere. (Nec alias preces; est commune apud Salm.[3]) ut habent Fill. et Sa [4]. Si tamen commode potest et solet legere cum socio, tenetur, ut habent Les. et Bon. Vide Dian. [5] (Ita verius tenendum cum Sanch. Spor. Croix etc. contra alios. *Vide inf. n.* 158. *vers.* Item).»

Plura hic sunt notanda scitu necessaria. Notandum 1. ratione infirmitatis excusari ab officio non solum qui gravi laborant morbo, sed etiam qui non possunt recitare nisi cum gravi incommodo, aut probabili talis incommodi periculo. Unde satis excusantur qui prudenter credunt vel timent ob officii recitationem eis fore proventuram notabilem gravedinem capitis, vel cruditatem stomachi aut virium lassitudinem, vel si credant febrim tardius esse remittendam. Ita Sanch. [6] Holz. [7] Anacl. [8] Conc. [9] et Salm. [10] cum Trull. et Pelliz. *ex c. Clericus* 3. *dist.* 91. ubi dicitur, quod excusat ab officio *inaequalitas corporis*, quod non significat morbum gravem, ut bene advertit Croix [11]. Et hoc probabiliter admittitur, etiamsi infirmus per magnam diei partem aliquem legeret librum ad animum solandum, ut dicunt Sanchez [12] Holzm.[13] Spor.[14] Elb.[15] et Salm.[16] cum Trull. Pell. Diana etc. Ratio quia licet iste posset legere librum recreationis, non tamen sequitur quod possit et teneatur officium recitare, ad quod alia quidem maior attentio requiritur, quae maiorem affert difficultatem.

Notandum 2. non solum actu aegrotantes, sed etiam convalescentes ex gravi morbo excusari ab officio per aliquot dies ad arbitrium prudentis, donec vires reficiantur. Ita communiter Cont. Tour.[17] Conc.[18] Elbel [19] et alii aa. supra cit. Et hoc admittendum, etiamsi isti missam celebrarent, ut Salm. [20] cum aliis.

Notandum 3. quod in dubio an infirmitas sufficiat vel ne ad excusandum, potest se committere iudicio medici [21] aut iudicio superioris acquiescere, qui in tali dubio etiam dispensare potest; vel denique potest se remittere iudicio probabili viri prudentis. Ita Sotus Sylv. Sanch. Tamb. etc. cum Salmant. [22]. Et etiam stare potest iudicio proprio, si tale iudicium ipsemet prudenter ferre possit, ut probabiliter ait Gobat. apud Croix [23].

Sed quid, si his praemissis, adhuc dubium perseveret? Respond., si dubium sit quod recitatio graviter laederet, tunc certe non tenetur, immo nequit recitare, quia praeferendum est ius naturale servandae valetudinis praecepto ecclesiae, ut dicunt Viva [24] et Salmant.[25] cum aliis; nisi id faceret amo-

(1) De horis canon. c. 3. p. 6. §. 1. n. 35.
(2) D. 1. q. 6. p. 1. (3) Ib. n. 33. (4) V. Horae.
(5) P. 2. t. 12. r. 45. (6) C. 2. dub. 45. n. 4.
(7) T. 1. p. 450. n. 477. (8) De hor. can. n. 77.
(9) T. 2. p. 507. n. 25. (10) De hor. can. c. 3. p. 6. §. 1. n. 35. (11) L. 4. n. 1224. (12) L. c. n. 4.
(13) P. 450. n. 477. (14) N. 158. (15) P. 564. n. 462.
(16) L. c. (17) De hor. can. c. 3. a. 6. v. Quaer. 1.
(18) P. 497. n. 5. (19) P. 564. n. 561. (20) D. n. 35.
(21) Ex c. Fraternitatis 6. de frig. et mal.
(22) De hor. can. c. 3. p. 6. §. 1. n. 36. (23) N. 1225.
(24) De 1. praec. q. 3. a. 6. n. 3. (25) Cit. n. 36.

re virtutis, secluso periculo mortis, iuxta *dicta l.* 3. *n.* 371. cum Lugo Salm. Vill. etc. Si vero dubium tantum sit an indispositio pertingat ad excusandum, ut supra; tunc, cum lex recitationis possideat et dubium sit de exemptione, utique lex est implenda. Hoc tamen currit quando sit purum dubium; secus si sit probabile iudicium: ita Cont. Tourn. [1] Roncagl. [2] Elbel [3] Anacl. [4] Holzm. [5] Viva [6] et Salm. [7] cum Sanch. Pell. Trull. et Diana.

Notandum 4. quod si quis ob suam infirmitatem certus est non posse totum officium recitare, et dubitat an possit partem, probabiliter ad nihil tenetur, ut docent Laym. [8] Sanch. [9] cum Nav. Viva [10] Ronc. [11] item Suar. Sanch. Card. et alii apud Croix [12], nam rationabiliter iste a toto officio excusatur, ne valde scrupulis angatur, nesciens quousque possit et teneatur recitare; haec enim anxietas magnum illi incommodum afferret; maxime si ex recitatione verisimiliter crederet contrahere capitis gravedinem, virium lassitudinem, aut tardiorem febris remissionem.

155. Quaer. hic an excusentur ab officio laborantes febri tertiana vel quartana. Absolute excusat Leand.; sed verius dicunt Spor. [13] et Conc. [14] cum Navarr. Azor. Bon. et Trull. in hoc spectandas esse circumstantias; quando enim infirmus posset recitare sine gravi incommodo diebus quibus est immunis ab infirmitate, non apparet causa cur excusetur. An autem talis infirmus teneatur horas anticipare vel postponere. Negant Canus [15] atque Henr. et alii apud Salm. [16] et probabile id putant Sanchez [17] Less. [18] et Viva [19]. Ratio, tum quia quaelibet hora suo correspondet tempori, extra quod non currit obligatio; tum quia anticipatio vel postpositio est privilegium favoris, quo nemo tenetur. Sed melius affirmant Conc. [20] Cont. Tourn. [21] Less. [22] Croix [23] Ronc. [24] et Salm. [25] cum Trull. Sanchez Azor. Vill. et Pell. Ratio quia officium praecipitur recitari intra latitudinem totius diei, unde cum praeceptum iam urgeat, tenetur infirmus illud implere tempore quo potest: sicut si in die festo non potes circa meridiem missam audire, teneris anticipare, ut ait Conc., recte enim regulam assignat Bus. *l.* 1. *n.* 157. quod, cum quis manente vi praecepti est impediendus tenetur praevenire. Hinc merito Salm. [26] contrariam opinionem laxam vocant. Verumtamen valde probabile est cum Holzm. [27] Spor. [28] et Elbel [29] quod ille qui non potest recitare matutinum die sequenti, non tenetur in praecedenti anticipare; tunc enim est obligatio anticipandi officium, quando obligatio praecepti iam est incoepta; quod autem matutinum possit dici praecedenti die, non est ex praecepto, sed ex privilegio a consuetudine introducta; quo nemo tenetur uti.

156. « 2. *Iustum impedimentum*, v. gr. metus proditionis inter haereticos. Item gravis vel repentina occupatio, vel opera caritatis maioris momenti quam horae, quae sine scandalo vel gravi incommodo tuo vel alterius omitti non possint. Quo modo, etsi concionatores vel confessarii aliquando excusari possint, idque ex benigna ecclesiae intentione, ut docent Sylvest. Suar. et Laym. etc., tenentur tamen anticipare si possint, v. gr. si mane praevideas te tota die confessionibus occupandum quae differri non possint. Ita ex Suar. et Azor. Bonac. [30] etc. communiter.

Excusantur ab horis, qui occupantur tota die in officiis religionis aut caritatis, quae sine scandalo aut magno detrimento propriò vel alieno omitti non possunt, ita communissime Sal-

(1) L. c. (2) C. 6. q. 2. (3) T. 2. p. 556. n. 445. (4) N. 77. (5) P. 461. n. 480. (6) L. c. (7) L. c. (8) L. 4. tr. 1. c. 6. n. 2. (9) C. 2. dub. 47. n. 4. (10) In propos. 54. Innoc. IX. (11) C. 6. q. 2. (12) N. 1223. (13) T. 3. p. 84. n. 195. (14) T. 2. p. 496. n. 2. et 4. (15) In prael. de poenit. p. 5. dub. 31. (16) De hor. can. c. 5. p. 6. §. 2. n. 49.

(17) Dub. 55. n. 6. (18) C. 37. n. 43. (19) Q. 3. a. 6. n. 4. (20) P. 502. n. 10. (21) De hor. canon. sect. 7. v. Quaer. 2. (22) Loc. cit (23) L. 4. n. 1226. (24) P. 157. q. 3. v. Caeterum (25) Ibid. n. 50. (26) Loc. c. (27) P. 451. n. 478. v. Confirmatur. (28) T. 3. p. 86. n. 172. (29) P. 457. n. 444. (30) L. c. p. 2. n. 1. et 2.

mant.[1] Ronc.[2] Elbel[3] Wig.[4] Holzm.[5] et Sporer[6] cum Sylv. Nav. Tolet. etc. Hinc excusantur concionatores, si nequeunt omittere concionem sine scandalo, aut nota, ut dicunt Laym.[7] Salmant.[8] Viva[9] et Wig.[10]. Item excusantur confessarii qui per totum diem confessiones excipiunt quas differre non possint, ut Conc.[11] Laym. Wigandt et Salm.[12] Item qui occupantur in sedandis iurgiis aut assistendis infirmis. Sanchez[13] Ronc.[14]. Item qui ex officio attendere debent publicis thesibus. Sanchez Salm. et Ronc. Item habentes publicam lectionem ad cathedram aut lauream acquirendam, si occupatio esset totius diei, nec possit differri sine damno proprio, aut aliorum. Wigandt[15] Conc.[16] cum Suar. Item scholares qui debeant in aliquo die actum defendere. Sanch.[17] Super autem hac materia advertenda est propos. 21. damnata ab Alexand. VII. quae dicebat: *Habens capellaniam collativam, vel quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suae obligationi, si officium per alium recitet.* Bene autem advertunt Laym.[18] Ronc. et Wigandt[19] quod si omnes isti sine magna difficultate possint recitationem anticipare vel postponere, ad id utique tenentur, unde bene concludit p. Wig., quod rarissime accidit casus quod tales officium sine culpa omittere poterunt.

« Ex hoc capite dicunt etiam aliqui, non teneri te repetere quod neglexisti (nec recitando nec audiendo); dum thurificando ad *magnificat* vel *benedictus*, vel libros necessarios circumferendo, vel lectionem mox cantandam praevidendo, vel alia in choro necessaria peragendo occupatus fuisti, quia chorus totus pro eo qui in re ad officii celebritatem pertinente occupatur, videtur supplere et non tantum suo, sed etiam aliorum ministrantium nomine recitare, aut canere. Ita Laym.[20] Henr. Sylv. Azor. Sot. Molf. Nald. Arag. Regin. citati a Diana[21]. Idem de eo qui choro, organis musicis, alternis versibus respondet, dicunt Nav. Sanch. Arag. et Rodr. apud Laym.[22] scilicet eum non esse obligatum ut etiam voce proferat; sed negat Escob.[23]. Vide Trull.[24] (*Vide dicta de his n.* 143. *vers.* Notandum 3.).

157. » 3. *Caecitas* Bonac.[25] etc. communiter.

» 4. *Carentia breviarii* inculpata. Quod si tamen memoriter possis dicere, vel totum officium vel unam horam, teneris. Si vero tantum scias psalmos vel lectiones vel capitula, dicunt Fill.[26] Nav. et Suar., item Esc.[27] probabile esse, non teneri: quia psalmi, ut sic, non sunt hora canonica ad quam tenetur clericus. Idem dicunt Garc.[28] Mald.[29] et Io. Sancius[30] citati a Diana, eo quod lectiones et capitula sint pars, licet minor, maxime principalis, ita ut absque illis non sit officium canonicum. Idem concedit Sanch.[31] in matutino festi duplicis vel semiduplicis. Vide Bonac.[32] Dian.[33]. Verum haec probare non ausim; sed potius, quod docet Bonac.[34] impeditum ex aliqua dictarum causarum, si possit dicere partem notabilem, ad id teneri, alias ad nihil. Denique si quis careret breviario quo uti solet, v. gr. romano, tenetur legere aliud quod habere potest, quia per utrumvis impletur substantia praecepti. Cresp. Escob. Diana[35].»

158. Hinc primo advertenda est propos. 54. damnata ab Innocentio XI. quae dicebat: *Qui non potest recitare matutinum et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.* Hinc certum est quod is qui caret breviario, et nihil aliud scit memoriter quam laudes aut completorium, illud sub gravi tenetur recitare, ut contra aliquos docent com- c. 6. n. 7.

(1) Tr. 16. c. 3. p. 6. §. 1. n. 37. (2) C. 6. q. 3. (3) T. 2. p. 557. n. 444. (4) Pag. 432. n. 96. (5) T. 1. p. 450. n. 477. (6) T. 3. p. 85. n. 161. (7) L. 4. tr. 1. c. 6. n. 1. (8) Cit. n. 37. (9) Q. 3. a. 6. n. 6. (10) L. c. (11) T. 2. p. 500. n. 5. (12) Ibid. (13) Dub. 52. (14) Tr. 5. q. 2. (15) L. c. (16) P. 498. n. 2. (17) D. dub. 52. (18) C. 6. n. 1. (19) Locc. cc. (20) L. 4. tr. 1. c. 6. n. 7. (21) P. 2. t. 12. res. 3. (22) L. c. (23) T. 5. e. 6. (24) D 16. (25) P. 2. n. 4. (26) T. 2. tr. 23. c. 9. n. 178. (27) E. 6. a. 149. (28) De benef. l. 1. p. 2. c. 1. n. 221. (29) In 2. 2. t. 10. c. 2. d. 5. (30) In select. d. 15. n. 1. (31) L. 1. c. 19. (32) P. 2. n. 6. (33) P. 2. tr. 12. r. 30. et 43. (34) D. 1. a. 6. p. 2. (35) P. 9. t. 9. r. 25

muniter Sporer [1] Pal. [2] cum Nav. Suar. Valent. etc. Wigandt [3] et Croix [4] cum Sanch. Bon. et Carden. Unde secus tenetur recitare partem, quam scit memoriter, non vero tenetur memoriae mandare quod nescit. Conc. [5]. Dicunt autem Palaus [6] cum Torre et Sanctio ac Filliuc. Garcia Tamburin. etc. apud Sporer [7] quod si haberes psalmos, sed non lectiones matutini, nihil teneris dicere, quia tunc deficit forma praescripta a s. Pio v. At merito Busemb. *ut supra*, id non approbat, et Sporer [8] ait omnino in praxi amplectendam sententiam contrariam quam tenent Croix [9] et Bon. Gob. ac Leand. ap. ipsum Sporer. Ratio quia cum possis notabilem partem officii recitare, non est cur ab ea excusaris. Unde Busemb. cum Bon. Holz.[10] cum Ills. et Croix[11] cum Laym. ac Fill. recte hanc regulam assignant, quod si potes recitare quantum est parva hora, teneris sub gravi eam dicere, si vero minus, ne sub veniali quidem aliquid recitare obligaris, quia talis modica pars, seorsim sumpta, non censetur aestimabilis ad finem a lege intentum.

Praeterea, si haberes officium commune et non proprium illius diei, teneris ex communi horas recitare, ut verius sentit Croix[12] cum Spor. et Gob. contra aliquos. Idem tenent Conc.[13] et Wigan. [14] si careres breviario romano, et haberes aliud, puta benedictinum aut simile, teneris ex illo recitare. Ratio quia duplex est praeceptum officii, unum universale de horis persolvendis, aliud de servanda formula cuiuscumque diei; unde si non potes servare unum, teneris ad aliud. Huic vero contradicunt Salm. [15] dicentes non teneri, quia (ut aiunt), praeceptum officii est indivisibile, id est illud recitandi et recitandi sub una formula; idque inferunt ex verbis bullae s. Pii v. ubi dicitur: *nisi hac sola forma satisfacere posse.* Hoc tamen non obstante, prima opinio ut magis pia et rationabilis mihi sequenda videtur. Certum est autem quod religiosus factus episcopus bene potest uti breviario suae dioecesis. Concina [16].

Item qui non potest solus recitare, tenetur adhibere socium gratuitum si potest sine magno incommodo, ut verius censent cum Bus. *ut supra n.* 154. Sanch.[17] Ronc.[18] Holz.[19] Spor.[20] Croix[21] cum Bon. et Suar. Salm.[22] Conc.[23] cum Navar. Azor. Less. Pal. Laym. Valent. etc. (contra Leand. Io. Sanch. Diana etc. apud eumdem Conc.) Ratio quia quodcumque praeceptum impleri debet, quod mediis ordinariis impleri potest. Diximus *gratuitum*, quia non tenetur socium adhibere stipendio soluto, ut dicunt Salm. [24] et Bon. [25] cum Suar. Nav. Vill. etc.

An autem beneficiarius teneatur socium conducere ex fructibus beneficii. Affirmant Bonac. [26] cum Suar. Layman Molf. etc. Cont. Tourn. [27] Holz. [28] Palaus [29] et consentit Sporer [30] si beneficium sit pingue. Ratio quia fructus beneficii dantur propter officium; unde beneficiarius debet illos erogare ut officium persolvat. Sed contradicunt Gobat. Tamb. Diana etc. apud eumdem Sporer qui merito id probabile putat. Ratio quia (ut diximus *l.* 3. *n.* 665. cum Less. Innoc. Panorm. Sylv. Pal. etc.) obligatio horarum probabilius non est de iure naturali seu ex iustitia, sed de iure positivo ecclesiae illam praecipientis ex motivo religionis (ut diximus supra *n.* 145. *vers. Quaer.* 1.), fructusque beneficii non dantur pro mercede recitationis, sed pro sustentatione beneficiarii. Quapropter ipse non tenetur officium persolvere medio extraordinario, quale esset conductio socii, tanto magis quia concilium later. (ut videre

(1) T. 3. p. 87. n. 177. (2) P. 6. n. 11. (3) P. 431. n. 90. (4) L. 4. n. 1230. (5) P. 494. n. 6. (6) D. 6. n. 7. (7) L. c. (8) D. n. 177. (9) N. 1220. (10) P. 451. n. 459. (11) L. c. (12) L. 4. n. 1221. (13) P. 89. n. 3. (14) Tr. 10. x. 5. n. 88. (15) De hor. can. c. 1. p. 4. n. 28. (16) P. 392. n. 9. (17) C. 2. dub. 48. (18) C. 6. q. 4. (19) P. 451. n. 478. (20) Num. 181. (21) L. 4. n. 1231. (22) Tr. 16. c. 3. p. 6. §. 2. n. 44. (23) T. 2. p. 493. n. 3. (24) C. 3. n. 42. (25) P. 2. n. 8. (26) D. 1. q. 6. p. 2. n. 7. (27) De hor. can. sect. 7. v. Hic quaedam. (28) P. 451. n. 478. (29) P. 6. n. 14. (30) T. 3. p. 88. n. 183.

potes *d. l.* 3. *n.* 665.) absolute excusat ab onere officii *legitime impeditos*. Utraque sententia est probabilis; hinc dico quod si talis beneficiarius omisit officium, eo quod non adhibuit socium, et in bona fide fructus perceperit, potest eos retinere, quia melior est conditio possidentis. Secus, si ille non adhuc perceperit, sed innixus probabilitati huius secundae sententiae velit percipere: quia non potest inchoari possessio cuiuscumque rei, nisi cum certitudine iuris, ut pluries diximus. *Vide l.* 3. *n.* 669. *et* 761. *v. Quaer.* 2. Propterea dico quod si hic velit percipere fructus tenetur socium adhibere.

159. « 5. *Dispensatio* quam sine causa solus papa dat valide, cum causa episcopi. Et sic subdiaconum qui ex dispensatione pontificia ducit uxorem, hoc ipso liberari ab onere horarum, contra Bon. et Az. docent Sanch.[1] Dian.[2].»

Papa potest dispensare in officio, etiam cum beneficiario, ut recte ait Croix[3] asserens esse commune. Probabilius enim, ut diximus mox supra cum Sylv. Less. Panorm., onus officii non est de iure naturali, sed de praecepto ecclesiae; et ideo potest papa adhuc sine causa valide dispensare. Episcopus autem non potest dispensare nisi cum causa, et cum aliquo particulari, necnon ad breve tempus, ut dicunt Wigandt[4] Holz.[5] Conc.[6] et Croix[7] qui cum Tamb. inquit sic esse usu receptum. Causa autem dispensandi est, si dubitatur de morali impotentia clerici, ut Croix[8] ex d. Thom.[9] Dicit autem Gobatus apud Croix, idem posse vicarium generalem; sed hoc intelligendum si habeat speciale mandatum ab episcopo, iuxta dicta *l.* 3. *n* 1032.

Art IV. Quomodo recitandae sint horae.

160. « Resp. In recitatione horarum sequentes circumstantiae sunt servandae: 1. ut recitentur *iuxta praescriptum breviarii romani*, iussu Pii v. editi, saltem publice. Excipe religiosos qui habent peculiare breviarium ordinis, et ecclesias quae 200. annis ante institutionem breviarii per Pium v. peculiare habuerunt: eae enim sine consensu episcopi illud mutare non possunt. Privatim tamen omnibus etiam regularibus probabile est, licere ex consuetudine uti romano, ut docent Les.[10] Rodr. et Sa[11] Bon.[12]. Adde quod qui eo utitur, ne in choro quidem obligetur

(1) De matrim. l. 8. (2) P. 8. tr. 3. r. 34. (3) Lib. 4. n. 1233. (4) Tr. 10. ex 5. n. 94. (5) P. 451. n. 477. (6) P. 398. n. 6. (7) Ibid. (8) L. c. (9) 2. 2. q. 147. a. 4. (10) C. 37. d. 12. (11) V. Horae. (12) D. 1. q. 3. p. 1.

ad psalmos poenitentiales, graduales, officium defunctorum, excepto die animarum. Officium tamen b. V. in choro recitari debet, ubi est consuetudo. Ita Fill. et Bon. ex bulla Pii V. et Clem. VIII. Item tenetur ad litanias diebus rogationum, tum quia sunt pars officii eo die, tum quia peculiaris de ea re est constitutio. Ita Bon.[1] ex Fil., etsi contrarium probabile esse dicat Diana [2] ex Vasq.: item Escob. [3] Quod si ex inadvertentia vel necessitate, v. g. quia lectiones de festo nullas habes, officium mutes, ita ut dicas de feria quando erat dicendum de sancto, vel contra, nullum erit peccatum, nec obligatio repetendi, licet consultum sit repetere ea quae ad proprium officium pertinent: si vero studio idem mutes, aliud sentiendum videtur, cum ratio non sit eadem. Quamquam, quod eo casu venialiter tantum pecces, nec tenearis repetere vel restituere quidquam, eo quod substantia praecepti sit impleta, probabile esse censent Esc.[4] Dian.[5] item Cai. Sylv. Binsfeld. Az. Valent. Less. Fill. etc. citati a Bon. [6] et Dian. [7] contra alios multos, quos citat et sequitur Barb. Laym. vero [8] cum Suar. limitat, nisi per fraudem, ut si multo longius in multo brevius, v. g. paschale, mutetur (licet Caram. apud Dian. [9] contra communem sentiat, etiam sic praeceptum impleri, et venialiter tantum peccari); aut idem pro libito toto anno dicatur; quia est gravis inordinatio. V. Trull.[10] qui docet, eum qui per errorem legit hodie de sancto qui cras v. g. colitur, posse cras legere de sancto qui hodie celebratur, ne is hoc anno omittatur; imo ita faciendum esse vult Quintan.[11] Verum contrarium rectius tenet Villalob. eo quod praestat semel quam bis errare; idque multis bene confirmat c. Lugo[12]. Similiter eum qui per errorem vel oblivionem in festo duplici vel semiduplici non recitavit de proprio, posse de eo legere primo die non impedito 9. lectionum officio, docet idem Quintan.[13] esse probabile. Verum et hoc merito reiicit c. Lugo [14] et ipse Quintan. contrariam sententiam agnoscit probabiliorem. Denique qui in aliquibus horis erravit, legendo v. g. de feria quando erat de festo, vel contra, agnoscens errorem non debet eum continuare, sed reliquas horas legere iuxta officium eo die currens, ut in his saltem conformet se toti ecclesiae vel communitati cuius est pars, et observet legem quantum potest. C. Lugo [15]»

161. Quaer. hic 1. An sit obligatio sub gravi recitandi litanias in diebus s. Marci et rogationum.

Prima sententia communior affirmat, eamque tenent Glossa [16] Pal. [17] Bon. [18] Cont. Tour. [19] Conc. [20] Viva [21] Spor. [22] Croix [23] Mazz.[24] Holz.[25] et Salm.[26] cum Suar. Bon. Trull. Leand. etc. Ratio quia in rubrica[27] sic dicitur: *Qui non intersunt processioni litaniarum, dicant illas privatim post matutinum cum suis precibus et orationibus.* Verbum autem *dicant* importat grave praeceptum, quando materia est gravis (qualis sine dubio est materia litaniarum), ut docet Sanch.[28] idque confirmatur ex declarat. s. c. (apud Gavant.[29]) qua dictum fuit, eos qui interfuerunt processioni at non cecinerunt, teneri litanias repetere vel dicere privatim.

Secunda sententia vero negat, quam tenent Diana [30] cum Vasq. Graff. et Homob. item Machad. Pelliz. Molfes. Ant. a Spir. s. Philib. Tancredi et Marchant. ap. Salm.[31] qui probabilem putant, sicut censet etiam Mazzott. [32] Ratio istorum quia nullibi adest de hoc praecisum praeceptum obligans sub gravi. Nec obstare dicunt rubricam allatam, nam verbum *dicant*, inquiunt non continere praeceptum, ut tenet Cai.[33], qui

(1) L. c. (2) P. 2. t. 12. r. 42. (3) T. 5. e. 6. (4) Ibid. c. 5. (5) P. 3. t. 12. r. 3. (6) D. 1. q. 1. p. 1. n. 17. (7) L. c. (8) L. 4. t. 1. c. 4. n. 4. (9) P. 7. t. 11. r. 16. (10) D. 14. n. 11. (11) T. 8. sing. 10. (12) Resp. m. l. 5. d. 8. (13) T. 9. s. 9. (14) Loc. c. (15) Loc. c. (16) C. 3. de consecr. dist. 3. (17) D. 2. p. 2. n. 13. (18) Q. 3. p. 1. n. 13. (19) De hor can. sect. 3.

(20) T. 2. p. 387. n. 23. (21) Q. 1. a. 2. n. 2. (22) T. 3. p. 74. n. 95. (23) L. 4. n. 1290. (24) T. 1. p. 301. (25) P. 450. n. 475. (26) De hor. can. c. 1. p. 5. §. 3. n. 23. (27) Post fer. 2. Dom. 5. post Pasch. (28) Dec. l. 6 c. 4. n. 24. (29) Rubr. brev. sect. 6. c. 16. (30) P. 4. tr. 4. r. 243. (31) L. c. (32) L. c. (33) 2. 2. q. 166. a. 9. in solut. ad 2.

dicit: *De modo vero loquendi, puta, quia lex utitur imperativo modo, quod non inducit vinculum praecepti; modus enim huiusmodi imperium grammatice denotat, non iuridice.* Vel censent saltem non inducere praeceptum grave, ut docet Nav.[1] dicens: *Leges autem canonicae quae non habent praeceptiva vel prohibitiva, sed solum ordinativa vel constitutiva, etiamsi sint imperativi modi, qualia sunt illa* faciant, dicant etc. *quae secundum communem intellectum non significant praeceptum.* Et hoc videtur esse iuxta doctrinam d. Thomae, qui[2] dicit: *Nec in lege ecclesiae omnes ordinationes obligant ad mortale.* Et idem dicunt Sa[3] et Sayr.[4] ideo hanc secundam sententiam improbabilem dicere non audeo; sed prima mihi magis arridet, quia (ut asserunt Cont. Tourn.[5] et Anacl.[6]) ubique viget consuetudo recitandi litanias, quae est optima legum interpres.

Quaer. 2. An sit obligatio gravis recitandi officium defunctorum. Negant aliqui, quorum opinionem putant probabilem Mazzot.[7] et Gob. ac Tamb. ap. Croix [8]. Sed verius affirmandum cum sententia communi, quam tenent Continuator Tournely [9] Concina [10] Pal. [11] Bonacina [12] Viva [13] Sporer [14] Holzm. [15] cum Anacl. Stoz etc. Salmant. [16] cum Anton. a Spir. s. et Pelliz. qui ait oppositam opinionem non esse practice probabilem, at Croix [17] cum Suar. et Diana, dicit non esse satis tutam. Ratio quia haec obligatio iam introducta est ex consuetudine quae cum universe et constanter cum gravi incommodo observetur, non est ab ea recedendum, iuxta dicta *l.* 3. *n.* 1009. *v. dub.* 3. Et ob hanc rationem Diana [18] licet oppositam sententiam conatus sit patrocinari, tandem dixit non audere a communi sententia recedere.

Quaer. 3. An sit peccatum mortale, officium diei in aliud brevius permutare. Ante omnia notanda est prop. 34. damnata ab Alex. VII. quae dicebat: *In die palmarum recitans officium paschale satisfacit praecepto.* Et sic pariter excluditur officium pentecostes, ut bene aiunt Salm.[19] et alii communiter. E converso, qui ex inadvertentia dicit unum officium pro alio, nihil tenetur repetere, ut communiter docent Bus. *ut supra n.* 160. Less.[20] Anacl.[21] Viva[22] Cont. Tourn. [23] Conc. [24] Laym.[25] cum Sylv. Cai. Az. et Less. Abelly [26] Croix [27] et Salm.[28] cum Vil. Trull. etc. Ratio quia non praesumitur ecclesia velle aliquem uno die bis ad tantum onus obligari. Dicit autem Lay.[29] consilium esse (non vero obligationem) subiungere propria officii omissi. Imo rationabiliter advertit Tourn.[30] cum eod. Laym. Bon. etc. quod si dictum fuerit officium notabiliter brevius, puta officium sancti loco dominicae, debet fieri compensatio, recitando novem psalmos ex primo nocturno. Circa vero quaesitum quatuor sunt sententiae:

Prima sententia absolute negat esse peccatum mortale, hancque tenent Lessius [31] Cai.[32] Sylvest. [33] Az.[34] item Vill. Dian. Anton. a Spir. s. etc. ap. Salm.[35]. Ratio quia ad implendum praeceptum officii sufficit ut in substantia impleatur, idque fit cum septem horae dicuntur. Et hanc sententiam probabilem putant Salm.[36] et Card. ac Gob. ap. Croix[37]. Et hisce olim adhaesi; sed nunc verius censeo cum Ronc.[38] eam sustineri non posse, quia cum recitatur officium notabiliter brevius, tum illud non impletur neque in eius forma neque in substantia aequivalenti; iuxta secundam sententiam quam mox afferemus.

Secunda sententia igitur, quam tuentur Bon.[39] cum Suar. et Fill. Laym. [40]

(1) Man. c. 23. n. 49. (2) 2. 2. q. 86. a. 9. ad 2. (3) V. Lex n. 6. (4) L. 3. c. 7. n. 16. (5) L. c. (6) P. 194. n. 36. (7) Tr. 2. d. 1. q. 2. §. 3. (8) L. 4. n. 1289. (9) De hor. can. c. 3. a. 2. q. 9. (10) P. 387. n. 23. (11) L. c. n. 13. (12) N. 12. (13) Q. 3. a. 2. (14) P. 74. n. 95. (15) P. 450. n. 475. (16) Tr. 16. c. 1. p. 3. §. 3. n. 22. (17) Loc. c. (18) P. 4. tr. 4. r. 243. (19) Tr. cit. c. 3. p. 4. n. 19. (20) L. 2. c. 37. n. 77.

(21) P. 190. n. 62. (22) A. 2. n. 6. (23) L. c. q. 4. (24) T. 2. p. 481. n. 13. (25) L. 4. tr. 1. c. 5. n. 5. (26) Append. p. 456. n. 2. (27) L. 4. n. 1251. (28) Ibid. n. 21. (29) D. n. 5. (30) L. c. (31) L. 2. c. 37. n. 77. (32) V. Horae. c. 2. (33) Eod. v. n. 15. (34) P. 1. l. 10. c. 10. q. 2. (35) De hor. can. c. 3. p. 4. n. 18. (36) Ibid. (37) L. 4. n. 1250. (38) C. 3. q. 6. (39) Q. 3. p. 1. n. 18. (40) L. 4. tr. 1. c. 5. n. 4. et 5.

(quem male citant Salm. pro prima sententia) Anacl. [1] et probabilem putant Pal. [2] ac Holzm. [3] tenet non peccare graviter qui mutat officium in aequale vel fere aequale. Ratio quia, ut dicitur in *l. Fin. ff. Mandati: Forma reipsa servatur, si per aequivalens id fiat.* Hinc dicunt aa. citati quod pontifex in assignanda forma specifica pro recitatione breviarii potius respexit ad quantitatem tanquam formam substantialem, quam ad qualitatem officii, quae est forma accidentalis, sive modus recitandi. Dicitur non *peccare graviter :* nam mutans officium, adhuc in aequale, sine causa, nequit excusari a veniali. Causa autem excusans potest esse, v. gr. necessitas studendi, concionandi, docendi, itinerandi, ut dicunt Viva [4] et Sanch. Nav. ac Tamb. apud Croix [5].

Tertia sententia, quam tenent Pal. [6] Conc. [7] Cont. Tourn. [8] Holz. [9] Salm. [10] cum Reg. Suar. Bell. Garc. Trull. Rodr. Fill. Led. Machad. etc. docet esse mortale officium mutare, etiam in aequale, etsi semel. Ratio quia s. Pius v. in sua bulla, *A nobis*, praecipit officium recitandum in specie, et in individuo sub forma unicuique diei assignata, dum dixit: *Hoc nostrum breviarium praecipimus observare quoscumque, qui horas canonicas dicere debent, ad dicendum ex huius romani breviarii praescripto et ratione omnino teneri, neminemque nisi hac sola formula satisfacere posse.* Unde dicunt auctores huius sententiae, praeceptum officii non esse de recitando in genere, sed secundum formam praescriptam, nimirum tali die, de tali sancto, de tali dominica, etc. quod ad substantiam pertinet.

Quarta sententia demum, quam tenent Sporer [11] Ronc. [12] Viva [13] Elbel [14] Tamb. [15] et probabilem putat Laym. [16] cum aliis apud Salm. [17] docet peccare graviter, qui frequenter officium mutat, venialiter vero qui mutat raro, puta ter vel quater in anno; modo mutatio non fiat in officium notabiliter brevius atque sine causa; nam ex aliqua rationabili causa, nempe studii, itineris, infirmae valetudinis, magnae defatigationis, vel specialis devotionis erga aliquem sanctum, nec etiam erit veniale, ut dicunt Viva [18] et Nav. Carden ac Tamb. ap. Croix [19] Rationem autem cur frequens mutatio officii sit mortale, alii dicunt esse quia talis mutatio videtur virtualis contemptus ritus officii. Sed haec ratio non convincit; nam verius negatur cum d. Thom. [20] (quem sequuntur Sanch. [21] et alii) quod frequentia transgressionum involvat contemptum legis: sic enim ait s. doctor : *Dicendum quod tunc aliquis transgreditur ex contemptu, quando voluntas eius renuit subiici ordinationi legis vel regulae, et ex hoc procedit ad faciendum contra legem; quando autem e converso propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, non peccat ex contemptu ; etiamsi frequenter peccatum iteret.* Ratio aptior est, quia ipsa frequens officii mutatio (ut ait Laymann) evaderet gravis perversio ordinis, nam licet quaelibet variatio seorsim sumpta sit venialis ratione parvitatis materiae, omnes tamen intra annum coalescunt et graviter perturbant ordinem breviarii praecepti pro totius anni officiis, quae simul sumptae unum complexum faciunt. Ex his sententiis (ut meum proferam iudicium) prima, pace tantorum dd. qui eam tuentur, vix (ut dixi) sustineri potest; secunda et tertia satis probabiles videntur, sed quartam aequiorem puto.

Iuxta autem omnes praefatas sententias, probabiliter excusant a mutatione officii sequentes causae, videlicet: 1. Si alio pergis, potes recitare officium illius loci, ut dicunt Laym. [22] Holzm. [23]

(1) P. 190. n. 61. (2) D. 2. p. 2. n. 17. (3) P. 445. v. Sed petes. (4) Q. 3. a. 3. n. 4. (5) L. 4. n. 1252. (6) D. 2. p. 2. n. 18. (7) T. 2. p. 480. n. 11. (8) L. c. q. 7. v. Dices. (9) P. 444. n. 466. (10) L. c. n. 20. (11) P. 78. n. 624. (12) C. 3. q. 6. (13) Q. 1. a. 2. n. 4. (14) P. 556. n. 433. (15) C. 5. §. 2. n. 20. (16) C. 5. n. 4. (17) Tr. etc. cit. n. 21. (18) L. c. (19) L. 4. n. 1251. (20) 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3. (21) Dec. l. 1. c. 5. n. 8. (22) L. 4. tr. 1. c. 8. n. 3. (23) P. 445. n. 466. v. Diximus.

cum Stoz et Bon. ac Tamb. apud Croix[1] Excipit vero Holzm. cum Pal. Tamb. Cherub. etc. religiosos, quia isti tenentur ad breviarium sui ordinis ex vi professionis, cuius vinculo obligantur quocumque ierint. Probabiliter autem dicit Croix[2] cum Suar. Quintan. et Gobat. quod si sis alicubi tanquam advena, potes recitare officia tuae patriae. Additque Gob.[3] quod si mutes domicilium potes compensare officia omissa in priori loco. 2. Capellanus episcopi potest illi se conformare in officio. Holz.[4] cum communi ex decr. s. c. rituum ann. 1605. Idque magis firmatur ex Clem. *Dignum de cel. miss.* ubi commensalibus et domesticis cardinalium et episcoporum indulgetur uti officio et breviario quo hi utuntur. Idem dicitur de capellano monialium, qui cum possit legere missam de sancto ordinis, ita etiam potest de eo dicere officium; rubrica enim monet officium cum missa concordandum. Holzm.[5] et Croix[6] cum Gob. Stoz Tamb. Quintanad. Idem probabiliter dicunt Laym.[7] et Gobat. apud Croix [8] de eo qui obit exercitia apud religiosos. 3. Beneficiatus potest recitare sub ritu primae classis cum octava officium sui tituli, ut Lugo[9] et Holz.[10] cum Tamb. Gob. Clericato etc. beneficiarius autem qui habet duo beneficia, debet recitare officium loci ubi residet. Conc.[11]. 4. Si recites cum socio, cuius ritui potes te conformare ex causa, ut dicunt alii: sed etiam sine causa, ut sentiunt Viva [12] cum Quintanad. et Henr. Ronc.[13] cum Portell. ac Dian.[14] Et hoc satis probabile mihi videtur, modo officium permutetur in aequale vel quasi; iuxta enim secundam sententiam circa permutationem officii, quam supra probabilem diximus, quaelibet rationabilis causa sufficit ad mutandum officium in aequale; satis autem rationabilis causa hic ipsa societas videtur, dum Clemens Rom. [15] (apud Bon.[16]) admonet fideles, ut *Saltem duo vel tres orent*, iuxta illud Matth.[17]: *Ubi... sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

Quaeritur 4. An possis te conformare cum clerico privilegiato in officio breviori. Absolute negat p. Concin. [18]. Affirmant vero, adhuc nulla accedente causa, Roncag. [19] Stoz apud Holzm. [20] Dian.[21] cum Portell. Tamb.[22] cum Henr. et aliis; item Trull. Rodriq. et Leand. ap. Conc.[23]. Ratio istorum, quia in correlativis eadem est habenda ratio; unde privilegium unius extenditur ad alium [24]. Praeterea, cum quisque licite possit in officio socium adhibere, si non posset officium illud brevius cum socio recitare, videretur privilegium aliquo modo iuri suo derogare. Alii autem dicunt, ut Croix[25] Holz.[26] Spor.[27] et Gob.[28] tunc posse socium conformari cum privilegiato saltem semel vel iterum, quando iste ob aliquam rationabilem causam, puta infirmitatem, debilitatem visus et similem, difficulter posset suo privilegio uti, nisi iuvetur a socio. Verumtamen harum opinionum neutra mihi satisfacit; ratio enim correlativorum, ut supra, non convincit, cum ipsa quidem valeat pro correlativis necessariis, ut sunt viri et uxores, non vero pro voluntariis, nimirum pro sociis, qui pro eorum libitu socii evadunt. Ratio autem sola infirmitatis seu difficultatis privilegiati in recitando non videtur sufficiens ut possit excusare socium ad officium permutandum in aliud notabiliter brevius.

Quaeritur 5. An qui hodie ex errore recitavit de sancto, omisso proprio illius diei, possit alia die de officio praetermisso recitare. Dicunt Pell.[29] Quintan.[30] et Salm.[31] melius facere se conformando cum communi ritu ecclesiae, sed probabiliter posse etiam recitare de officio omisso. Attamen Lugo [32] et Vil-

(1) L. 4. n. 1253. (2) N. 1244. (3) Ibid. (4) Loc. c. (5) Loc. c. (6) N. 1254. (7) Loc. c. (8) N. 1253. (9) Resp. mor. l. 5. dub. 8. n. 10. (10) Loc. c. (11) P. 392. n. 10. (12) Q. 3. a. 2. n. 8. (13) C. 5. q. 5. (14) P. 2. tr. 12. r. 35. (15) Lib. 4. Const. c. 34. (16) P. 2. §. 1. n. 7.

(17) C. 18. v. 20. (18) P. 393. n. 12. (19) L. c. (20) P. 445. v. Diximus. (21) P. 2. tr. 12. r. 35. (22) D. n. 27. (23) L. c. (24) Ex l. fin. de Acceptis. (25) N. 1256. (26) Loc. c. (27) P. 79. n. 123. (28) De hor. can. n. 911. (29) Tr. 5. c. 8. n. 74. (30) Sing. 9. n. 3. (31) Tr. 16. c. 3. p. 4. n. 21. (32) Respons. mor. l. 5. dub. 8. n. 2.

lal.[1] cum Busemb. ut supra, tenent omnino recitandum officium diei currentis. Ratio quia ecclesia tum solum praescribit officium transferri, cum est impeditum a dominica vel officio maiori. Haec quidem sententia est probabilior, sed prima non videtur improbabilis cum Felice Potest.[2] et Tamb.[3]. Ratio quia, sicut rite transfertur officium de sancto ob impedimentum diei ad alium diem non impeditum, ita videtur rationabiliter posse officium transferri ob impedimentum morale, quale censetur error vel ignorantia, ne sanctus in illo anno suo honore privetur.

Si autem advertas errasse postquam multum processeris in officio indebito, puta si dixeris matutinum; tunc potes vel prosequi, vel reliquum recitare de officio debito, ut dicunt Less. [4] Ronc.[5] et Salm. [6] cum Vill. Quintan. Trull. etc. Sed puto cum Croix [7] et Tamb. [8] melius esse recitare de proprio, ne errorem prosequaris.

Si vero oblitus es aliquam partem horae, sufficit illam recitare, quin aliud repetas, ut recte dicit Croix [9] cum Nav. Vasq. Sanch. Bon. Fill. Abelly etc. Secus tamen probabilius censent Armilla et alii [10] (contra Vasq.) totam horam esse repetendam, si omiseris partem notabilem ex culpa, quia est obligatio (saltem sub levi) ut orationem continuatam secundum ritum praescriptum facias; *sed vide infra n.* 168.

162. « 2. *Pronuntiatio vocalis* exterior; ea enim est de substantia praecepti. Et si quidem cum socio legis (quod recte fit, et est conforme primae institutioni ecclesiae, ac publico orandi ritui, estque licitum, etiamsi is ad horas non obligetur, nec interius attendat, Bonac.[11]) ea pronuntiatio adhibenda est, ut ab eo exaudiri possis, eumque audire vicissim. Sa tamen [12] putat satisfieri, etsi quaedam non percipias quae a socio dicuntur: neque ideo aliquid scrupulose repetendum esse. Si vero solus legas, ita legendas esse, ut audire te ipsum possis, docent Regin. et Suar. Sed probabile est id non requiri, cum ecclesia id non praecipiat, ut docent Az. [13] Bonac. et Diana [14], admittitque Fill. [15] pro scrupulosis. Si plures duobus recitent officium simul, non debet unus unum, alter alterum, tertius tertium versum recitare, sed alternatim, facto duplici tantum choro, sive plures sint ex una parte sive pauciores, quia sic habet usus et praxis ecclesiae; secus est de lectionibus quarum primus primam, secundus secundam, tertius tertiam recitat, imo alicubi consuetudo permittit, ut omnes ab uno recitentur, aliis audientibus. Bonac.[16] ex Suar. Azor. et Laymann, addens etiam satisfacere eum qui lectiones vel orationes vel capitula vel responsoria tantum audit et non recitat. Vide Bon.[17] Trul.[18].»

Communis est sententia, ut tradunt cum Busemb. mox supra Salm. [19] cum Suar. Pell. et Croix [20] cum Bon. Fill. Reg. Stoz Tamb. etc. bene satisfacere qui audit a socio lectiones, responsoria, capitula et orationes ac antiphonas, ut bene addit Croix [21] cum aa. citatis. Et probabiliter sentiunt Pelliz. et Anton. a Spir. s. apud Salm.[22] contra Croix [23] cum Gobat. et Diana ac Mazz. adhuc satisfacere eum qui solus dicit psalmos et lectiones audit; vel qui partem psalmorum dicit solus et partem cum socio, quia satis communicat in ea parte quam audit, et cui ex recepto usu iam satisfit per auditum.

163. Quaeritur autem 1. An recitans officium debeat se audire, ut satisfaciat. Affirmant Pal.[24] Suar.[25] item Pelliz. Reg. et Ant. a Spir. s. ap. Salm. [26] quia (ut dicunt) ad hoc ut oratio sit vocalis debet voce proferri; verba autem quae tantum inter dentes modulantur, non sunt vox, sed potius inchoatio vocis. Sed satis probabiliter dicunt satis-

(1) P. 1. tr. 22. n. 3. (2) P. 53. n. 448. (3) C. 5. §. 2. n. 29. (4) L. 2. c. 37. n. 77. (5) P. 155. q. 6. (6) Cit. n. 21. (7) L. 4. n. 1255. (8) D. §. 2. n. 31. (9) L. 4. n. 1311. (10) Ibid. (11) Q. 3. p. 2. §. 1. (12) V. Horae. (13) P. 1. l. 10. c. 11. q. 4. (14) Res. 11. (15) Tr. 23. c. 3. n. 117. (16) In disp. 1. q. 5. part. 2. §. 1. (17) Loc. c. (18) D. 16. n. 17. (19) De hor. can. c. 3. p. 1. n. 6. (20) L. 4. n. 1298. (21) Loc. c. (22) Loc. c. (23) Loc. ut supra. (24) P. 3. n. 6. (25) L. 4. de rel. c. 7. n. 6. (26) Ibid. n. 5.

facere Laym. [1] Azor. [2] Spor. [3] Cont. Tourn. [4] Diana [5] Salm. [6] cum Rodr. Trull. Leand. etc. et idem docet doctissimus Sylvius[7] cuius doctrinam noster ss. p. Bened. XIV. in multis locis suarum bullarum magni aestimat; hic auctor sic suam sententiam profert et probat: *Sufficit etiam si te non audias, quia nullo iure probatur recitantem horas teneri ad se audiendum, cum praeceptum obliget ad dicendum, non ad audiendum horas*. Quod autem sic recitans iam vocaliter oret, hanc rationem subdit: *Quia oratio potest ore et voce fieri etiamsi non audiatur ab ipso recitante, et ex se sit sonus quidam formatus ex allisione aëris ad dentes et labia.* Ratio igitur est quia ad satisfaciendum horis non praecipitur auditio, sed tantum recitatio sive pronuntiatio verborum quae dicitur vocalis; ut autem pronuntiatio haec vocalis dicatur, et a mentali distinguatur, non certe requiritur elatio sive formatio vocis, alias non satisfaceret qui recitaret absque vocis sonitu, sed sufficit quod formetur aliquis sonitus verborum, licet modicus et vix sensibilis sit (recitando *a fiato*, ut vulgo dicitur), prout communiter recitant qui privatim officium persolvunt, et sicut dicenda sunt secreta missae. Hic autem levis sonitus, quando verba proferunt (ut bene ait Sylvius) ex se semper fit, cum prolatio non possit fieri quin per linguam et labia fiat aëris compressio, ex qua necessario aliqualis sonitus formatur. Per accidens vero se habet quod sonitus ille audiatur vel non.

An autem satisfaciant choro qui submisse recitant psalmos, alteram partem audiendo. Loquendo de choro in generali, probabiliter satisfaciunt, ut docent Suar. [8] Sanch. [9] Less. [10] Soto [11] Bonac. [12] et Salm. [13] cum Fill. Arag. Trull. Villal. Philib. etc. Ratio, quia non requiritur ut recitantes in uno choro audiant voces omnium recitantium in altero (quod supponitur ut certum in *Quaest. 2. seq. in fin.*), cum una pars unum corpus cum altera constituat, et invicem communicent. Secus vero dicendum de canonicis, qui si non canunt, amittunt tam distributiones quam fructus praebendae, iuxta dicta *l. 3. n.* 675. *v. Dub. 4.*

Quaeritur 2. An si recites officium in choro vel cum sociis, tenearis repetere ea quae non satis percipis. Communiter omnes dicunt quod si propter strepitum aliorum non audis, bene satisfacis officio. Dubium est an satisfacias si non audis propter culpam chori vel socii.

Prima sententia negat, eamque tenent Bon. [14] Croix [15] et Pal. [16] qui ait te lucrari quidem distributiones chori, sed teneri ad repetendum; modo (ut dicit Bonac.) pars non audita sit notabilis, secus si modica. Ratio quia audiens non potest communicare in iis quae non percipit.

Secunda sententia vero affirmat, et hanc tenent Spor.[17] Sabinus [18] Tamb.[19] Fel. Pot.[20] et Salm.[21] cum Trull. Dian. Pasq. et Pelliz. item Sa et Maior. apud Laym.[22] qui non reprobant, et probabilem putat Elbel [23] cum Pell. et Gob. Idem censent Ronc.[24] et Trull. loquens de recitatione in choro. Hi censent bene te satisfacere, si attendis quantum potes, et ob defectum chori vel socii non percipis quae dicunt. Favet non parum s. Ant. qui [25] sic docet: *Si quis lectionem vel aliud quod in choro legitur, non intelligat propter legentis ineptitudinem, non peccat, dummodo conetur intelligere saltem verba.* Ratio quia tunc per societatem ipsam, et simul per illam tuam applicationem censeris moraliter communicare orationi, dum intendis Deo exhibere omnes laudes et preces, quas chorus vel socius profert.

(1) C. 5. n. 8. (2) P. 1. l. 10. c. 11. q. 4. (3) P. 76. n. 110. (4) De horis can. c. 3. a. 4. (5) P. 7. tr. 11. r. 16. (6) Cit. n. 5. (7) In res. v. Horae, n. 3. (8) T. 2. lib. 4. c. 12. n. 8. (9) Const. t. 2. l. 7. c. 2. dub. 14. n. 2. (10) L. 2. c. 39. n. 184. (11) De iust. l. 10. q. 5. art. 4. (12) D. 1. q. 3. p. 2. §. 1. n. 16. (13) Tr. 16. c. 1. p. 3. n. 25. (14) D. 1. q. 3. p. 2. §. 1. n. 9. (15) L. 4. n. 1294. (16) D. 3. p. 4. n. 6. (17) T. 3. n. 107. (18) In luce mor. p. 2. tr. 54. n. 26. (19) L. 2. c. 5. §. 4. n. 12. (20) T. 1. q. 2. c. 3. n. 444 (21) Tr. 16. c. 1. p. 3. n. 24. (22) C. 5. n. [illegible] (23) P. 558. n. 447. (24) P. 155. q. 8. (25) 2. p. tit. 9. c. 12.

Haecque opinio videtur satis probabilis; praeceptum enim hoc officii ex benignitate ecclesiae benigne est interpretandum; tum e converso valde erit anxietatibus obnoxium, quod socii in officio semper solliciti esse debeant, ad quamnam quantitatem pervenerit omissio auditus ut teneantur vel non repetere. Certum autem est cum Holzm. et Ronc. cum Az. et Reg. quod non oportet in choro audire omnes, sed sufficit unum audire, et sufficit audire in confuso saltem partem alterius chori, licet distincte nequeas audire, ut Salmant. [1] qui testantur hoc docere fere dd. omnes. Sic pariter est certum ut docet Innoc. IV. [2] quod *si in choro omittas aliquod dicere verbum* (intellige non ultro), *non peccas; chorus enim supplet.*

Quaer. 3. An satisfaciat officio surdus qui ex obligatione choro assistit, et suam recitat partem. Affirmant Suarez [3] Escob. [4] Ronc. [5] et Sa ac Rocafull. apud Diana [6] qui probabile putat. Ratio quia hic ex una parte tenetur choro assistere, ex alia autem non stat per ipsum quin audiat; unde sufficit ut praestet assistentiam quam potest, partem suam recitando; conditio enim quam aliquis ponere tenetur, censetur impleri quando per eum non deest quominus impleatur; et durum est talem ad duplex officium obligare. Magis tamen mihi placet sententia opposita cum Palao [7] Sanchez [8] Salm. [9] et Elb. [10] qui dicunt surdum lucrari quidem distributiones, sed teneri ad repetendum non audita. Nec verum est quod ille sic obligabitur ad duplex officium, nam tenetur tantum ad supplendam partem non auditam. Ultra quam quod bene potest eodem tempore satisfacere, submisse dicendo partem alterius chori. Secus vero dicunt Salm. [11] Elb. [12] Tambur. [13] cum Suar. de surdastro qui possit aliquoties audire, et praestet attentionem quam potest. Et hoc probabile est, saltem si advertat in breviario quae in confuso audit, ita ut bene percipiat quae dicuntur.

164. « 3. *Pronuntiatio integra*, sine syncope et abbreviatione verborum et syllabarum, absque praecipitantia. Bonac. [14]. Ex hoc tamen defectu in publico facilius peccari potest mortaliter, ratione scandali et severioris praecepti ecclesiae, quam in privato. Azor. et Fill. [15] Esc. Diana [16] qui addit 1. eum qui cum tali qui ultimas syllabas abscindit, recitat officium, satisfacere suo officio nec teneri repetere. Quando in cantu, propter nimiam celeritatem et abscissionem syllabarum (vel alia de causa) audientes non possunt verba percipere et attendere, ordinarie tantum esse peccatum veniale, neque obligari ad iteratam recitationem officii; nisi adsit contemptus vel grave scandalum, seu notabilis corruptio et deformatio verborum in toto cantu. Vide Diana [17] Sylv. et Trull. [18] qui ex Nav. Azor. Less. et Palao, negant satisfacere eos qui cum sociis recitant ita festinanter, ut, nondum expletis a socio versiculis, ipsi incipiant; quia pars quae anticipatur non communicatur cum socio qui eam audire nequit. Excusant autem ex Nav. Sa et Suar. surdum qui alios in choro canentes non intelligit nec sequi potest. »

165. Peccas tantum venialiter, si syllabas ita mutiles vel syncopes, ut verborum sensus non corrumpatur, vel si mutiles in parva quantitate: imo nullo modo peccas, si hoc facias involuntarie ob inadvertentiam vel balbutiem vel inveteratam consuetudinem quae difficulter vinci possit. E converso non excusaris a mortali, si mutilatio esset magna et sensus notabiliter variaretur. Ita communiter Less. [19] Pal. [20] Laym. [21] Anac. [22] Spor. [23] Croix [24] Salm. [25] cum Trull. Pelliz. et Viva [26] cum Azor. Fill.

(1) Cit. n. 24. (2) C. 9. de celebr. miss. (3) De rel. c. 28. n. 18. (4) De hor. can. q. 4. n. 6. (5) C. 5. q. 8. (6) P. 9. tr. 9. r. 28. (7) D. 3. p. 4. n. 6. (8) C. 1. d. 13. (9) Tr. 16. c. 3. p. 1. n. 5. (10) N. 448. (11) Tr. cit. c. 1. n. 24. (12) Loc. c. (13) C. 5. § 4 n 15. (14) Dist. 1. q. 3. p. 1. §. 1. (15) T. 2. l. 25. c. 2. n. 208. 209. (16) P. 2. tr. 12. res. 32. (17) L. 4. (18) Dist. 15. n. 4. (19) L. 2. c. 37. n. 52. (20) D. 2. p. 4. n. 2. (21) C. 5. n. 8. (22) P. 197. n. 50. (23) P. 75. n. 103. (24) L. 4. n. 1302. 4 (25) De hor. can. c. 3. p. 1. n. 2. (26) Q 3 a. 2. n. 4

etc. quo casu teneris utique compensare partem in qua sensus est corruptus, recitando quantitatem aequivalentem, ut bene aiunt Mazz. et Croix [1] et hoc etiamsi involuntarie hoc feceris. Caeterum probabiliter dicunt communissime Palaus [2] Sporer [3] (qui dicit hoc omnes fateri), Anacl. [4] et Croix [5] cum Suar. Garc. et Gobat. ac probabile putant Salm. [6] cum Fill. Villal. et Leand. quod satis imples obligationem officii, etiamsi verba notabiliter mutiles, quando servatur aliqua significatio verborum.

Hinc probabile est quod nec teneris repetere, si recites cum socio qui obtruncat syllabas, sed ita ut sensus notabiliter non mutetur, ut ait Viva [7] qui bene addit te non teneri ad repetendum nisi tibi constet socium notabilem partem omisisse, quia praesumptio stat pro debita recitatione. Putarem tamen te non excusari a veniali, si ultro recitas cum tali socio mutilante, nisi adsit aliqua causa, nimirum si inviteris a superiore vel persona valde gravi aut simili causa. Certum autem est non satisfacere eos qui alternatim recitando non expectant versus absolvi, si hoc fiat in magna quantitate. Vide aa. ap. Bus.

166. « 4. *Pronuntiatio continuata* unius horae: si autem interruptio notabili tempore sine causa fiat, erit tamen veniale tantum, ut aiunt Fern. Laym. et Less. [8] quia singuli psalmi suam completam significationem habent. Si iusta ex causa fiat, nulla culpa erit, nec repetenda priora, quod verum est etiamsi animo repetendi interrupisses: consilii tamen est, si interruptio longa esset, repetere ab initio psalmi vel nocturni: imo probabile est, nocturnos singulos separatim, saltem intra trium horarum spatium dici posse (quod certum videtur, si iusta causa concurrat); quia secundum quosdam antiquitus ita fiebat, ut docent Vill. [9] et Bon. [10] Esc. etc. (Idem tenent Salm. [11] sine dubitatione) Addit Quintanad. [12] lectiones, sive tres sint sive novem, posse absque culpa gravi, sine causa et cum hac absque ulla culpa dividi a psalmodia eiusdem matutini. Divisio autem matutini a laudibus non dicit interruptionem officii, unde privatim fieri potest sine causa. Diana [13] ex Bonac. Fill. Sanch. etc. Item Trull. [14].»

167. Commune est quod matutinum potest a laudibus separari sine ulla causa, ut Salm. [15] Bon. [16] Conc. [17] cum Suar. Sanch. Nav. Fill. etc. Croix [18] cum Les. et Abelly. Sed cum separantur, debet adiici *Pater noster*, ut bene ait Croix ex rubrica quae praecipit dici *Pater* post quamcumque horam, quando terminatur officium. An autem addenda sit etiam oratio. Affirmant Nav. Bon. Gavant. etc. apud Croix [19] qui probabile putat, cum probabile sit matutinum et laudes esse duas horas: et colligunt ex *rubr. tit.* 31. *n.* 4. ubi praescribitur, quod *Te Deum* dicto, *statim inchoantur laudes, praeterquam in nocte nativitatis Domini, quia tunc dicitur oratio, postea celebratur missa, etc.* Negant vero etiam probabiliter Salm. [20] cum Sanch. et Azor. Viva [21] Mazzott. [22] et Croix [23] cum Pelliz. Stoz Gob. etc., quia probabile est matutinum et laudes unam esse horam. Illud autem quod praecipitur in *rubr. cit.* currit tantum pro officio illius noctis. An vero possint nocturni invicem separari, negat Thomassin. ap. Cont. Tourn. [24]. Sed affirmant probabiliter Bus. Bon. [25] Salm. [26] cum Pell. Filliuc. et Viva [27] saltem, ut aiunt Bus. et Viva, si quilibet nocturnus non distet ab alio plus quam tribus horis, iuxta ritum antiquum, ut refert d. Thomas, idemque tenent d. Th. Henr. a s. Ign. Durand. etc. apud Cont. Tourn. [28] qui ait tutius esse oppositum, sed non reprehendendos, qui ob iustam necessitatem dividunt nocturnos.

(1) N. 1303. (2) L. c. (3) N. 102. (4) L. c. (5) N. 1302 (6) D. n. 2. (7) L. c. (8) D. 10. (9) T. 23. c. 6. (10) Q. 5. p. 3. (11) De hor. can. c. 3. p. 1. n. 4. (12) T. 8. sess. 3. (13) P. 5. tr. 14. res. 48. (14) L. 1. c. 7. d. 11. (15) D. n. 4.

(16) P. 3. n. 11. (17) P. 568. (18) L. 4. n. 1303. (19) Ibid. (20) Tr. 16. c. 3. p. 1. n. 4. (21) Q. 3. a. 9. n. 5. (22) Tr. 2. d. 1. q. 2. §. 3. (23) N. 1305. (24) De hor. can. sect. 4. q. 5. vide ap. ipsum c. 3. a. 3. q. 3. (25) P. 3. n. 13. (26) Loc. cit (27) Loc. cit. (28) Loc. cit.

168. Quaeritur autem an si in eadem hora vel psalmo magna fiat interruptio, tota hora sit repetenda. Affirmant Vasq. Navarr. Suar. Covar. etc. apud Croix [1] quia tollitur tunc unitas praescripta. Negant vero probabilius et communius Palaus [2] Bon. [3] Less. [4] Sanch. [5] Laym. [6] Salm. [7] cum Vill. Pell. Mach. et Croix [8] cum Sporer Barb. Tambur. Arriaga Quintan. Tannero Diana et aliis. Ratio quia singuli psalmi et singuli versus completam habent significationem, et satis uniuntur vel per intentionem continuandi, vel per ipsam recitationem adiunctam. Hinc dicunt Tamburin. Gobat. Stoz apud Croix [9] posse eum, qui hodie incoepit matutinum, illud complere in crastino sine peccato gravi, etsi differat sine causa.

Causae autem iustae interrumpendi officium sunt (ut dicunt Croix[10] Anac.[11] et Salm.[12] cum Nav. Vill. etc.) quaelibet utilitas propria vel aliena, quae incommode differretur, item urbanitas aut devotio, ut dicere missam, exequi mandata superiorum, si excipias confessionem alicuius qui non libenter expectaret, si velis aliquid agere aut notare, ut tollas distractionem, sive sollicitudinem ne obliviscaris; modo (ut bene advertit Gobatus) hoc non fiat frequenter. Licite etiam potest intermitti aliqua brevis oratio inter orandum, vel affectus, ut dicunt Anacl. ac Gob. etc. ap. Croix.

169. « 5. Ne invertatur *ordo* horarum absque iusta causa: quod si tamen fiat, erit tantum veniale: quia ordo iste (saltem extra chorum) non est sub praecepto, nisi secundario, et tanquam circumstantia minoris momenti. Quod si autem per inadvertentiam, vel ex iusta causa mutes, verbi gratia, ut amico vel aegro qui tecum legere cupit, satisfacias, nullum erit peccatum: vel si in choro dicantur posteriores horae, cum tu necdum dixeris priores, vel si inter orandum advertas te aliquid omisisse, vel priorem horam nondum dixisse; perges enim et supplebis in fine. Similiter, si causa vel necessitas instet horas dicendi, potes dicere laudes, dilatis lectionibus, vel aliquo simili, quod ad manus non est. Vide Bon. [13].»

170. Iustae causae igitur invertendi ordinem recitationis probabiliter sunt 1. Si inviteris ab amico ad recitandum cum ipso, ut Anacl. [14] ac Suar. Palaus Bon. Pell. Bassaeus et Stoz ap. Croix[15]. 2. Si non habeas prompte breviarium, nec possis commode expectare, ut Pal. Gobat. et Tamb.[16]. 3. Si sero venias ad chorum, officio iam incoepto, ut Sanchez Laym. et Gob.[17] ac Anac.[18]. Et sic etiam excusat a veniali quaelibet rationabilis causa, ut Conc.[19] Salm.[20] cum Suar. Pal. Trull. Reg. etc. Et idem dicendum, si in eadem hora invertatur ordo. Salm. [21] cum Suar. et Bon.

Docet autem communis sententia, quod inversio ordinis non est mortale, ut testantur Salm. [22] et Conc. [23]. Ordo enim officii non cadit sub praecepto. Dicit vero Conc.[24] cum Vasq. (contra Salmant.[25] non excusari a culpa gravi qui frequenter ordinem inverteret, quia haec frequens inversio videtur gravis inordinatio, iuxta dicta *n.* 161. *v. Quarta.* Sed probabilius hoc videtur negandum, cum sit communis sententia, ut asserit ipse Concina, praefatum ordinem non cadere sub praecepto, prout alias cadit recitatio officii currentis in quolibet die, ut dictum est *loc. cit.*

171. Quaeritur vero an in choro sit gravis obligatio recitandi officium ordine debito et statis horis. Affirmant Conc. [26] et Salm. [27] cum Suar. Az. Sot. Pal. Fill. Vill. Reg. et Tamb. modo anticipatio vel postpositio sit notabilis, et desit aliqua legitima causa excusans. Ratio, tum quia canones pluries repetunt horas recitandas esse statutis horis et temporibus, tum quia talis in-

(1) L. 4. n. 1306. (2) D. 2. p. 3. n. 5 (3) Q. 3. p. 2. §. 1. n. 27. (4) C. 37. n. 57. (5) C. 2. d. 19. (6) C. 1. n. 6. (7) Ibid. n. 3 (8) Loc. cit. (9) Ibid. (10) L. 4. n. 1307 (11) P. 197. n. 54. (12) Tr. 16. c. 3. p. 1. n. 4 (13) Q. 3. p. 4. (14) P. 197. n. 57. (15) L. 4. n. 1309. (16) Ibid. (17) Ibid. (18) Loc. c. (19) P. 485. n. 5. (20) Ibid. p. 2. n. 8. (21) Tr. 16. c. 3. p. 2. n. 10. (22) Ibid. n. 8 (23) P. 485. n. 5. (24) Ibid. (25) Loc. cit (26) T. 2. pag. 382. n. 15. (27) Tr. cit. c. 1. n. 2. n. 11.

versio gravem involvit deformitatem. Negant vero Cai. [1] Lay. [2] Sanch. [3] Bon. [4] Gav. [5] ac Trull. Tancr. Dian. etc. ap. Salmant. [6]. Ratio quia huiusmodi circumstantia temporis vel ordinis non pertinet ab substantiam praecepti, sed est quaedam caeremonia accidentalis. Utraque est probabilis, sed haec secunda videtur probabilior, eo quod non constet de gravi praecepto super hac re imposito.

An sit licitum celebrare missam ante recitationem matutini. Probabilius est esse tantum veniale si sit sine causa. Conc. [7] cum aliis communissime. *V. dicenda de sacrif. missae l.* 6. *n.* 347.

172. « 6. Ut, nisi iusta causa excuset, dicantur *tempore praefixo* a iure vel consuetudine; quae nunc obtinuit ut matutinum et laudes, absoluto completorio in ecclesia, hora circiter quarta, et secundum Bon. etiam tertia dicantur: et hyeme quidem media hora ante solis occasum dici posse, ait Filliuc. ex communi sententia, cum etiam privilegium quibusdam concedatur ut hora ante occasum dicant. Quod tamen non est signum id sine privilegio fieri non posse, quia talia saepe dantur ad tollendos scrupulos et dubia quae sequuntur ex varietate opinionum. Iuxta eamdem sententiam non peccabit, ait Bonacina, qui primam, tertiam, sextam et nonam duabus vel tribus horis post ortum solis dicit; tum quia est moderata et consueta postpositio tum quia tempus a iure praescriptum magnam latitudinem, teste consuetudine habet: erit tamen veniale matutinum sine causa ad vesperum differre, vel ante prandium sine causa vesperas et completorium dicere: quia haec est insueta inversio. In quadragesima autem vesperae legi possunt privatim post prandium, cum rubrica breviarii feria quarta cinerum non imponat praeceptum. Nav. Sanch. Trull. [8].

» Dixi *sine causa*: quia si iter aliave causa urgeat secundum Cai. et alios, omnes horae mane dici possunt, usque ad vesperas inclusive. Denique ad vitandum mortale sufficit dici omnes a media nocte usque ad alteram mediam noctem, praeterquam quod matutinum pridie possit anticipari (Nota hic prop. 35. damnatam ab Alex. VII. dicentem: *Unico officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti et crastina*). Quod si intra dictum tempus quis horas non dixerit, peccavit quidem, non tamen tenetur postmodum dicere; quia sunt onus affixum diei; etsi supplendo possit secundum quosdam restitutionem subterfugere, eo quod rependat aequale. Molfes. [9], item Maior. Palud. Ledesma, etc. ap. Henriq. [10] Bonac. [11] qui dicit, eam sententiam esse probabilem, citatque pro ea Suar. et Fill., sed male, quia hi loquuntur tantum de primo medio anno, vel spectato solo iure naturae, et secluso iure positivo. Expresse autem eam sequitur Quintan. [12] vocatque veriorem contrariam. V. etiam Dian. [13] (Sed huic opinioni non acquiesco. *Vide dicta l.* 3. *n.* 667. ubi diximus eum teneri ad restitutionem).»

173. Ut quis licite possit anticipare vel postponere debitum tempus horarum, sufficit quaevis causa utilis vel honesta, nimirum concio paranda vel audienda, periculum supervenientis occupationis sive laboris, maior devotio sive quies, tempus aptius ad studendum, et simile. Ita communiter p. Concina [14] Anac. [15] Croix [16] Less. [17] qui admittit etiam pro causa iusta amicorum interpellationem. Merito tamen ait Concina [18] non sufficere ad excusandum solam maiorem commoditatem, sine alio motivo honesto, contra Pelliz. qui pro se citat Sanchez, sed non bene; nam Sanch. [19] id admittit tantum gratia studendi, ut admittunt etiam Salm. [20].

Tempus horarum incipit a puncto mediae noctis antecedentis diei, et ter-

(1) V. Horae. (2) L. 3. tr. 1. c. 5. n. 6. (3) Cons. t. 2. l. 7. c. 2. dub. 42. n. 3. (4) D. 1. q. 5. p. 3. n. 7. (5) Rubr. t. 2. c. 5. t. 6. n. 9. (6) Ibid. n. 10. (7) T. 2. p. 490. n. 11. (8) Dist. 13. n. 6. (9) T. 3. tr. 2. (10) L. 12. c. 13.

(11) D. 1. q. 5. p. 2. n. 5. (12) T. 8. s. 6. (13) P. 2. t. 11. res. 24. (14) T. 2. p. 487. n. 5. (15) P. 200. n. 72. (16) L. 4. n. 1313. (17) L. 2. c. 37. n. 79. (18) Loc. c. (19) Cons. l. 7. c. 2 dub. 36. n. 3. (20) Tr. 16. c. 3. p. 3. n. 14.

minatur ad punctum mediae noctis diei sequentis. Conc. [1] Holz. [2] et alii communiter. Horae autem parvae licite recitantur a tempore aurorae usque ad meridiem, ut Salm.[3] Cont. Tourn.[4] cum communi. Nona vero potest dici etiam post meridiem, ut ait Croix [5] imo iuxta alios etiam sexta, ut asserit Continuat. Tourn. Merito tamen Conc. [6] et Salm. [7] cum Nav. reiiciunt opinionem Molfes. et aliorum dicentium posse horas parvas recitari a vesperis diei antecedentis; hoc enim nullibi est consuetudine receptum. Vesperae autem dici possunt a meridie usque ad mediam noctem. Holz. Cont. Tourn. et Croix [8].

174. Matutinum hodie ex consuetudine iam praescripta bene potest recitari hora vesperarum diei antecedentis, ita communiter Salmant. [9] Croix [10] cum d. Thom. [11] qui ait: *Quantum ad ecclesiasticum officium, et solemnitatem celebrandi, incipit dies a vesperis: unde si aliquis post dictas vesperas et completorium dicat matutinas, iam hoc pertinet ad diem sequentem.* Iuxta enim ritum veteris legis, ad novam translatum, dies ecclesiasticus et omnia festa a vesperis incipiebant, ut patet ex *Lev.* c. 23. v. 32. ubi: *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.*

Hic quaer. 1. an possint recitari matutinum et laudes hora secunda post meridiem.

Prima sententia affirmat, et hanc tenent Sanch.[12] Dian.[13] et probabilem putat Tamb.[14] ac probabilissimam vocant Salm.[15] cum Trul. Quintan. Led. Leand. Anton. a Sp. s. Ratio, quia (ut dicunt) iam in praedicta hora solent vesperae recitari; unde cum dies ecclesiasticus incipiat a primis vesperis, pariter eo tempore matutinum recitari potest.

Secunda sententia tamen mihi verior (licet olim oppositae adhaesi) negat, et hanc tenent Conc.[16] Holz.[17] Cont. Tour.[18] et Croix[19] cum Pal. Fill. Comit. et Pell. qui dicunt non posse recitari matutinum, nisi cum sol propior sit ad occasum quam ad meridiem. Ratio quia matutinum, adhuc iuxta hodiernam consuetudinem, non potest recitari nisi hora vesperarum; hora autem vesperarum, ut communiter traditur, est illa quae subsequitur horam nonam, quae est media intra meridiem et occasum, estque diversa pro diversis temporibus; in aestate enim est hora quarta post meridiem, et in hieme non advenit nisi ad minus post duas horas cum quadrante a meridie. Ergo, nisi terminata sit hora nona et incoepta hora vesperarum, non potest dici matutinum. Nec valet dicere quod vesperae recitari soleant duabus horis post meridiem, ex quo fiat ut iam incoeptus sit posterus dies ecclesiasticus. Nam etiam posito quod vesperae tali hora soleant communiter dici (de quo adhuc dubito, et Concina id poenitus negat), non recte necessario infertur quod sit incoeptus sequens dies ecclesiasticus; consuetudo enim potuit quidem introducere ut in illa hora sine culpa dicerentur vesperae; sicut licite recitantur in quadragesima ante meridiem; sed non potuit introducere ut hora nona sit vespertina. Id autem quod contrarii supponunt, nempe quod consuetudo iam introduxerit, sequentem diem ecclesiasticum hora secunda post meridiem iam incipere, hoc probandum esset, cum omne factum sit probandum: sed usque dum id non certe probatur, possidet lex quae vetat recitari matutinum priusquam incipiat dies ecclesiasticus, qui (ut ipsi adversarii fatentur) non incipit nisi ab hora vesperarum.

Caeterum impune potest privatim recitari matutinum iuxta directorium romanum, quod tradunt Cont. Tourn. et Croix[20]. Hinc tabellae nostrates dicunt sic posse privatim recitari matutinum et laudes, videlicet:

A die	1. ian.	hora 21. 1/4.
A die	1. febr.	hora 21.

(1) T. 2. p. 486. n. 3. (2) T. 1. p. 446. (3) Ibid. n. 15. (4) De hor. can. c. 3. a. 3. (5) L. 4. n. 1512. (6) P. 487. n. 4. (7) Loc. c. (8) Locc. cc. (9) Cit. n. 13. (10) L. 4. n. 1514. (11) Quodlib. 5. a. 28. ad 1. (12) Cons. l. 7. c. 3. d. 37. n. 3. (13) 4. p. tr. 4. r. 9. et 10. (14) L. 2. c. 5. § 5. n. 3. (15) Tr. 16. c. 3. p. 3. n. 15. (16) T. 1. p. 487. n. 6. (17) P. 445. n. 476. (18) De hor. can. c. 3. a. 3. v. Dic. 3. (19) L. 4. n. 15[illegible] (20) Locc. cc.

A die 25. febr.	hora 20. 3/4.
A die 17. martii	hora 20. 1/2.
A die 11. april.	hora 20. 1/4.
A die 1. maii	hora 20.
A die 1. iunii	hora 19. 3/4.
A die 13. iulii	hora 20.
A die 16. aug.	hora 20. 1/4.
A die 6. sept.	hora 20. 1/2.
A die 28. sept.	hora 20. 3/4.
A die 11. octobr.	hora 21.
A die 16. nov. et dec.	hora 21. 1/4. [1].

Quaeritur 2. An matutinum defunctorum possit pridie recitari. Quoad recitationem in choro publicam, omnino quidem negandum, ut bene ait p. Concina [2] et patebit ex infra dicendis. Dubium fit quoad recitationem privatam. Adsunt duae sententiae:

Prima negat, quam sequuntur Holz.[3] et Croix [4] licet ipse prius [5] oppositum tenuerat. Citatur etiam pro hac prima sententia Gavantus, sed Gavantus [6] videtur loqui de sola recitatione in choro, prout loqui videtur decretum mox afferendum. Haec sententia nititur decreto s. c. rituum edito 1. septemb. 1607. in quo (ut refert Croix [7] sic dicitur: *Matutinum defunctorum pro generali eorum commemoratione recitandum est mane die secunda novembris, non vero pridie vesperi.*

Secunda sententia tamen satis probabilis, quam tenent Tamb.[8] item Lean. Stoz. etc. ap. Croix [9] ac probabilem putat Viva [10] affirmat; cum enim rubrica dicat: *Dicto* benedicamus Domino, *absolute incipit matutinum defunctorum:* probabiliter infertur quod sicut pridie undique ex consuetudine permittitur private recitare matutinum diei sequentis, ita etiam matutinum defunctorum. Ad decretum autem oppositum non immerito respondet Tamb. illud intelligi tantum pro choro, cum ibi s. cong. prohibeat pridie matutinum *cantari*, quo verbo videtur prohiberi dumtaxat publica recitatio, non autem privata. Et revera decretum relatum, ut habetur apud Merati consultorem s. c. rit.[11] (diverse ab eo quod affert Croix, ut supra) sic loquitur: *Matutinum defunctorum pro generali eorum commemoratione non debet cantari pridie vesperi in festo omnium sanctorum, sed recitari mane die secunda novembris post laudes diei, die 1. septemb.* 1607. Alterum simile decretum habetur apud eumdem Merati [12] prius editum die 23. maii 1603. ubi pariter vetatur matutinum *cantari.* Aliud simile affertur decret.[13] ubi expressa fit mentio de choro: *Matutinum diei commemorationis omnium fidelium de functorum non potest recitari in choro in die festivitatis omnium sanctorum post completorium, sed servandae sunt rubricae, die* 22. *ian.* 1701. Certum est autem rubricas praecipere ut in choro mane ipsius diei recitetur matutinum, non autem vesperis diei antecedentis.

Quaeritur 3. An autem is qui recitat vesperi matutinum cum laudibus, possit etiam recitare litanias. Affirmant Gavantus [14] et Arnaud. ac Lohn. apud Croix [15] et hanc sententiam olim tenuit Gobatus [16] Ratio quia rubrica coniungit litanias cum laudibus in quibus ideo omittitur versiculus *Fidelium ani-*

(1) Cum haec tabella solum terris neapolitanis conveniat, utile duximus tabellas ab ipsis dominis Pet. Collet et La Croix, quorum prior Parisiis, alter Coloniae Agrippinae scripsit, iuxta directorium romanum anno 1706. typis camerae apostolicae editum confectas et propriis horologiis acccommodatas referre:

Tabella Continuatoris Tourneiy

20. ian.	hora 2. 1/4.	30. iulii	hora 3. 3/4.
13. feb.	hora 2. 1/2.	28. augusti	hora 3. 1/2.
1. martii	hora 2. 3/4.	7. septemb.	hora 3. 1/4.
18. martii	hora 3.	24. septemb.	hora 3.
4. april.	hora 3. 1/4.	13. octob.	hora 2. 3/4.
20. april.	hora 3. 1/2.	20. octob.	hora 2. 1/2.
10. maii	hora 3. 3/4.	18. novemb.	hora 2. 1/4.
8. iunii	hora 4.	13. decemb.	hora 2.

Tabella Claudii La Croix

20. ian.	hora 2. 1/4.	1. augusti	hora 3. 3/4.
13 feb.	hora 2. 1/2.	21. augusti	hora 3. 1/2.
1. martii	hora 2. 3/4.	7. septemb.	hora 3. 1/4.
18. martii	hora 3.	24. septemb.	hora 3.
4. april.	hora 3. 1/4.	11. octob.	hora 2. 3/4.
20. april.	hora 3. 1/2.	20. octob.	hora 2. 1/2.
10. maii	hora 3. 3/4.	18. novemb.	hora 2. 1/4.
8. iunii	hora 4.	15. decemb.	hora 2.

(2) T. 2. p. 386. n. 22. (3) De hor. can. t. 1. p. 450. n. 476. (4) L. 6. p. 2. n. 2066. (5) L. 4. n. 1292. (6) Sect. 9. c. 2. n. 16. (7) L. 6. p. 2. n. 2055. decr. ibi n. 35. (8) Dec. l. 2. c. 5. §. 5. n. 7. (9) L. 4. n. 1292. (10) L. c. q. 3. (11) In addit. ad Gav. t. 2. p. 651. decr. n. 28. (12) L. c. p. 650 n. 7. (13) N. 220. (14) Sect. 6. c. 16. n. 6. (15) L. 4. n. 1292. (16) Tr. 5. n. 615.

mae, et apponitur in fine litaniarum, ut habetur ex rubr.[1]. Ergo cum faciant quid unum litaniae cum matutino, accessorium sequitur principale. Sed contrarium communius et verius sentiunt Viva Tamb. Holzm. Croix[2] et Merati[3] cum Stoz Holden et Guyeto: hancque sententiam Gobatus in posteriore editione[4] probabiliorem vocavit. Ratio quia verum non est quod litaniae coniungantur cum matutino, sed sunt quid distinctum: et hoc patet 1. ex eo quod ipsae possunt dividi, et de facto separantur, praecipue in iis ecclesiis ubi litaniae dicuntur vesperi: patet 2. quia illae recitantur loco assistentiae ad processionem, quae assistentia ipsis diebus naturalibus est affixa, et ideo si officium s. Marci transfertur, non transferuntur litaniae, ut praescribitur in rubr.[5]. Obiter hic notandum cum Salmant.[6] Viva[7] et communi, non esse audiendos Leandrum et alios dicentes quod liceat incipere officium hodiernum paulo ante mediam noctem diei sequentis, et illud prosequi post mediam noctem; tunc enim iam transactum est tempus ad officium praefinitum; nam officium, cum sit pensum diurnum, cum die omnino terminatur.

175. « 7. Ut *devote et cum attentione interna*, virtuali saltem recitentur, sive ea ad Deum sit sive ad sensum verborum, sive (ut ait Cai.) ad verba solum. Quam postremam sufficere, recte notat Less. supposito tamen animo orandi et vacandi Deo. Unde attentionem confusam (*Sive generalem*, ut Salmant.[8] cum dd. cit.) saltem ad Deum, attentio ad verba includit; cum alioqui attentio praecise ad sola verba nihil ab externa attentione differre videatur. Ita communiter, contra Nav. Sylv. et Con. qui nullam attentionem internam requirunt, sed tantum externam, quae excludat omnem actionem incompossibilem cum attentione interna, licet animo voluntarie interea distraharis. Quae sententia, secundum Laym. et Less., non est improbabilis, et utilis tum scrupulosis tum confessariis, ne beneficiatis sine attentione horas recitantibus imperent restitutionem fructuum, partim ob doctorum auctoritatem, partim quod hoc praecepto tantum materiales quaedam preces, earumque externa pronuntiatio (per quam sicut per hymnos organo cantatos, a Deo aliquid ecclesia potest impetrare) praecipi videantur; devotio vero tamquam finis praecepti extrinsecus ad eius substantiam non pertineat. Verum nostra sententia est communior et probabilior. Et probatur; sine attentione enim interna nulla est oratio, ergo hoc ipso quod sub mortali ad orationem obligaris, sub mortali item ad aliquam attentionem ex praedictis obligaberis. Nec refert quod ecclesia non possit per se actus internos praecipere; potest enim eos praecipere ut sunt necessarii ad actus externos debite praestandos, ut sunt actus virtutis: quo modo, cum possit praecipere confessionem, potest etiam contritionem. Dixi, *cum attentione interna virtuali saltem:* etsi enim melior sit actualis, sufficit tamen virtualis: quam Bon. et alii communiter dicunt manare ex actuali; quamdiu non revocatur expresse vel tacite per distractionem voluntariam, vel actionem cum debita attentione incompossibilem. Unde licet involuntarie distraharis, virtualiter tamen attendis: 1. Si in genere intenderis officium dicere modo consueto, vel animo laudandi Deum vel satisfaciendi tuo muneri. 2. Si cum confusa aliqua apprehensione, et proposito opus consuetum faciendi recites. Vide Bon.[9].

Ex dictis resolves:

» 1. Is qui dubitat ob evagationem mentis, an aliquid omiserit, si probabilem coniecturam habeat se dixisse, vel quia proposuit initio attendere, vel quia se reperit in fine, v. gr. psalmi, praesumere potest se dixisse, si ex libro, vel memoria caeteroqui non errare solita, dixit (Idem Salm.[10] cum

(1) Tit. 30. n. 3. (2) Locc. cc. in q. praec. (3) Loc. cit. n. 467. n. 5. (4) Tr. 5. n. 618.

(5) Tit. 30. n. 3. (6) De hor. can. c. 5. p. 3. n. 17 (7) Art. 5. n. 3. (8) Ibid. p. 5. n. 25. (9) D. 1. q. 3. p. 3. (10) Tr. 16. c. 5. p. 3. n. 12.

Sanch. Trull. Pal. etc. Scrupulosos autem dicunt obligandos esse ad non repetendum in dubio. Salm. [1] cum aa. cit. Quoad caeteros autem aiunt quemquam habentem iustam coniecturam, quod dixerit, non teneri aliquid repetere, nisi sciat se non dixisse) : proindeque melius erit, si non repetat, ad vitandas anxias consuetudines et scrupulos, et ut totum officium sine perturbatione decurratur. Ita Binsfeld. [2] Laym. [3].

» 2. Qui sponte distractus nullam harum attentionum habuit, graviter peccavit, teneturque secundum sententiam communem horas repetere; nec fructus facit suos, quia non fecit opus praeceptum quod erat ut devote oraret. Sot. Navar. Reg. Fern. Suar. Bon. et Trull. [4] qui ex Nav. addit non excusari a mortali eum qui recitationem horarum ita differt, vel ita se componit, ut advertat se somno praeoccupandum, v. g. si completorium vesperi reservet dicendum in lecto, sciens se tunc in eo somno solere obrui. Quidam tamen doctores paulo ante citati negant eo casu necessariam esse repetitionem, eo quod substantia operis sit impleta, absque circumstantia devotionis. Multoque magis ac probabilius iidem negant obligationem restitutionis; eo quod ad illam tantum teneantur qui officium omiserunt, non qui distracte dixerunt. Vide Bon. [5] Less. Laym. et Dian. [6] Escob. [7] (*Vide l.* 3. *n.* 669.).

» 3. Cum recitatione officii coniungere actiones quae notabiliter non impediunt, v. g. induendi, abluendi, veniale est si fiat sine causa; alias nullum. Esc. [8] Qui vero advertenter occupat se in aliqua re incompossibili cum attentione interna, v. g. in scriptione et lectione etc. (Sive si attendat ad spectacula vel ad fabulationes. Pal. Bonac. Suar. etc. cum Salm. [9]) graviter peccat et praecepto non satisfacit: atque adeo tenetur repetere. Navarr. Suarez Bon. Trull. [10].»

176. Ad officium igitur persolvendum requiritur *intentio* et *attentio*. Circa *intentionem* certum est non requiri intentionem actualem explicitam, sed sufficere virtualem implicitam, nimirum si de more breviarium accipias, ut officium impleas, uti soles, ut communiter docent Sanch. [11] cum Nav. Conc. [12] Cont. Tourn. [13] Bon. [14] Croix [15] Anacl. [16] et alii passim. Imo recte addit Croix [17] non esse opus renovare intentionem ad singulas horas, etsi aliqua interruptio intercedat, etiam sine causa; quia illa resumptio fit ex prima intentione: imo puto semper adesse exercite intentionem actualem implendi officium. Dubitatur autem an satisfaciat officio, qui recitat sine intentione implendi. Negat probabiliter Conc. [18] cum Nav. Azor. Sylv. Prado Med. Led. Rodriq. etc. Ratio quia ad implenda praecepta requiritur necessario intentio implendi; si enim tu deberes alteri centum, et conscius debiti centum illi dones, certe non liberaris a debito. Sed probabilius affirmant Suarez [19] (licet ab aliquo citetur in contrarium) Pal. [20] Sanchez [21] Less. [22] Croix [23] cum communissima, Cont. Tourn. [24] cum Vasq. Val. et Pontas, Salmant. [25] cum Trull. Tamb. Pelliz. Garc. Henr. etc. Licet enim utique is peccaret ob voluntatem non implendi praeceptum, iam tamen actu satisfacit. Ratio quia qui sponte implet opus praeceptum vere exequitur id quod a superiore praecipitur; ad implendum enim praeceptum non requiritur ut quis habeat animum implendi, sed sufficit ut actu praeceptum ponat. Nec obstat paritas adducta, nam respondetur cum p. Suarez, quod ibi, cum obligatio pendeat a voluntate propria, bene potest debitor illam de novo sibi imponere, et non obstante solutione debiti, remanere obligatus; at cum obli-

(1) Ibid. (2) C. 11. d. 13. (3) C. 5. (4) L. 1. c. 7. d. 17. n. 6. (5) L. c. (6) Tr. de horis, r. 1. et 2. (7) T. 5. c. 4. c. 3. n. 62. (8) Loc. c. e. 7. (9) Tr. 16. c. 3. p. 5. n. 25. (10) N. 7. (11) C. 1 dub. 28. (12) T. 2. p. 464. n. 2. (13) De hor. can. c. 3. a. 4. (14) P. 2. §. 2. n. 22. (15) L. 4. n. 1326. (16) P. 195. n. 41. (17) N. 1329. (18) L. c. n. 5. (19) 3. p. d. 88. sect. 3. (20) Tr. 7. d. 2. p. 3. (21) Dec. t. 1. l. 1. c. 13. n. 16. (22) C. 37. n. 59. (23) N. 1330. (24) Loc. c. (25) De hor. can. c. 3. p. 5. 24.

gatio officii pendeat a voluntate ecclesiae, non potest clericus eam sponte sibi imponere, quapropter dum illam implet nequit velle non implere.

Circa autem *attentionem*, haec potest esse externa et interna: *Externa* habetur cum non ponitur actio incompossibilis cum attentione interiori, ut esset fabulari, scribere, attente audire alios loquentes, celeriter se vestire, magna applicatione aliquid agere: secus, ait Croix [1] si actio non exigat magnam animi curam, etsi sit aliqua difficultas attendendi cum tali actione, potest compensari per maiorem curam attendendi. E converso bene satisfacit qui ponit actionem satis compatibilem cum attentione interna, ut esset ambulare, se lavare, induere non omnino properanter (cum sacerdotes imo teneantur orare, dum se induunt sacris vestibus); item colligere herbas, flores aut uvas, instruere focum, sternere lectum, pectere caput, respicere collem, flumen etc.; ita communiter cum Bus. Bonac. [2] cum Nav. Suar. Fill. etc. Cont. Tourn. [3] Conc. [4] Croix [5] cum Nav. et Gob. Idem ait San. [6] de similibus actionibus quae non fiunt valde festinanter. Non permittit autem Croix [7] aptare calamum ad scribendum, sed non immerito id permittunt [8] Nav. Cai. et Beia, si recitans possit in eo retinere attentionem; recte enim advertit Bonac. [9] quod aliquae actiones respectu alicuius forte sunt distractivae, respectu alterius non. Communiter autem permittitur inter recitandum facere necessaria ad ipsam recitationem, ut perquirere psalmos, lectiones etc. dum recitas memoriter, ut Croix [10] cum Sanch. Nav. Sylv. et Gob. Sic pariter satisfacis si recitas dum alii fabulantur, canunt etc. modo his serio animum non applices, ut ait Croix [11]. Item notant Sotus Nav. Tolet. Val. Diana et Gob. apud eumdem Croix [12] quod si exerceas aliquam actionem externam, et non advertas per illam impediri internam, non teneris postea repetere: hoc tamen intelligendum si actio de se sit compossibilis cum attentione interna. Praeterea notant Pal. [13] et Bon. [14] cum aliis communiter apud Croix [15] non excusari saltem a culpa veniali qui sine aliqua necessitate officium diceret in loco distractioni exposito, ut in foro, platea: imo addit Bonac., cum Nav. Suar. Molfes. etc. ex concilio basileensi [16] hunc periculo se exponere non satisfaciendi praecepto: nisi is (adderem) magno conatu mentem applicet ad recitationem. Probabilissime autem satisfacit qui recitat dum missam audit. Conc. [17] cum Bus. Suar. Pal. et communissima. *Vide l.* 3. *n.* 309. Si quis autem vexetur a somno, sed adeo resistit, ut pronuntiet suam partem, et distincte audiat versiculos alterius partis, bene satisfacit, ut Sanch. [18] cum Nav. et Leand. [19] cum pluribus theologis. Ait tamen Sanch. cum eod. Nav. non excusari a veniali: modo (intelligendum) possit recitationem differre ad tempus opportunius.

Attentio autem *interna* habetur, cum attenditur ad verba, ad sensum et ad Deum. Attentio *ad Deum* est quidem omnibus perfectior, nimirum cum mens elevatur ad Deum, meditando v. g. divinam bonitatem, iustitiam etc. aut mysteria passionis, ut Conc. [20] Cont. Tour. [21] et Salm. [22] Croix [23] cum communi. Sicut etiam gesta b. v. Mariae, aut sanctorum (ut aiunt Conc. et Croix), quia haec proximam habent relationem ad Deum. Ad eam reduci etiam examen conscientiae dicunt Salm. [24]. Sed huic non acquiesco. Attentio *ad sensum* habetur cum attenditur ad percipiendam intelligentiam verborum. Attentio tandem *ad verba* est cum attenditur ad recte illa proferenda, ne error fiat mutilando, transponendo etc. Et haec quidem, licet sit omnibus inferior, tamen bene sufficit, ut dicunt Less. [25] Salm. [26] Ana-

(1) L. 4. n. 1336. (2) D. 2. p. 2. §. 2. n. 12. (3) De hor. can. c. 3. a. 4. v. Quaeritur 1. (4) T. 2. p. 460. n. 7. (5) N. 1337 (6) Ibid. (7) Loc. c. (8) Ibid. (9) Loc. c. (10) Loc. c. (11) N. 1338. (12) N. 1339. (13) D. 2. p. 4. n. 7.

(14) D. 1. q. 3. p. 5. n. 6. (15) L. c. (16) Sess. 21. (17) T. 2. p. 462. n. 10. (18) Cons. l. 7. c. 2. dub. 33. n. 1. (19) P. 2. q. 14. (20) P. 457. n. 3. (21) Loc. c. (22) Tr. 16. c. 3. p. 5. n. 25. (23) L. 4. n. 1333. (24) Ibid. (25) C. 37. n. 69. [illegible] (26) Cit. n. 25.

clet.[1] Croix[2] Holzm.[3] Laym.[4] et alii communiter: quidquid dicat Cont. Tourn. qui ait cum attentione ad verba requiri etiam attentionem ad Deum: sed melius dicunt Laym. et Salm. sufficere attentionem ad verba una cum intentione generali colendi Deum: idque clare docet d. Th.[5] qui dicit: *Primo est attentio ad verba quibus petimus, deinde ad petitionem ipsam.... Et quaecumque earum attentionum adsit, non est reputanda inattenta oratio; unde etiam illi qui non intelligunt petitionis verba, ad orationem attenti esse possunt.* Recteque addit Croix[6] non requiri attentionem ad singula verba, sed sufficere moralem et generalem, qua quis curet bene omnia dicere cum intentione orandi.

177. Quaeritur 1. An attentio interna sit necessaria ad implendam rationem divini officii. Adest triplex sententia:

Prima communior et probabilior affirmat omnino requiri, eamque tenent Sanch.[7] Sot.[8] Cai.[9] Sa[10] Az.[11] Ronc.[12] Wig.[13] Anac.[14] p. Conc.[15] qui fuse et perdocte hanc sententiam tuetur cum Navar. Gav. Val. Mald. Led. Med. et aliis innumeris. Diverse autem auctores hanc primam sententiam probant ex c. *Dolentes, de celeb. miss.;* sed ex hoc textu, sapienter ait Conc. cum Suar. non bene hanc sententiam probari. Ibi enim nullum fit verbum de attentione interna, sed tantum praecipitur externa, opposita colloquiis ecclesiasticorum cum laicis in choro, quae colloquia causam dederant constructioni huius canonis: unde pontifex praecepit, quod recitantes *officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent et devote.* Et hunc canonem explicans s. Antoninus[16] dixit: *Praecipimus ut unusquisque die ac nocte dicat horas suas; intentionem et devotionem in praecepto non ponimus, sed gratiae Dei, secundum quod ipse dare voluerit, duximus relinquendum: et hunc intellectum teneas, quia benigniorem, et quia non debet ecclesia alicui laqueum iniicere.* Alii probant ex prop. 14. damnata ab Alexandro VII. quae dicebat: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto ecclesiae.* Ergo (inferunt) bene potest ecclesia actus internos praecipere. Sed neque praefata sententia hac ratione satis probatur, nam sic non probatur ecclesia praecipere actus internos, sed tantum praecipere confessionem validam, sicut Christus praecepit. Ratio igitur potior est quia sine attentione interna non constituitur oratio, quae universe definitur: *Elevatio mentis ad Deum.* Unde quamvis ecclesia non imposuerit speciale praeceptum positivum attentionis internae, tamen praecipiendo recitationem officii per modum orationis ad Deum colendum, veram praecepit orationem, quae sine attentione interna non est vera oratio; nec Deus colitur per solam recitationem externam ab iis qui voluntarie se distrahunt; imo Deus de his conqueritur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*[17]. Et e converso[18] dicitur: *Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate.*

Secunda sententia, quam tenent Salmant.[19] quaerit conciliare praedictam primam sententiam cum tertia, quae tenet (ut infra dicemus) non requiri attentionem internam; et dicit quod posito ex una parte quod attentio ad sola verba sufficiat ad satisfaciendum officio; et posito ex alia quod omnino requiratur ad rectam recitationem attentio saltem ad verba cum animo (generali saltem seu confuso) Deum colendi, iam orabit qui tali modo ad verba attendet, cum non sit incompossibile aliquem ad alia distrahi et simul attendere ad verba recte proferenda; unde is bene satisfaciet semper ac per contrariam voluntatem non retractabit pro-

(1) P. 195. n. 42. (2) L. 4. n. 1344. (3) P. 218. n. 270. (4) C. 3. n. 9. (5) 4. dist. 15. q. 4. sol. 5. (6) D. n. 1344. (7) Cons. t. 2. l. 7. c. 2. d. 28. (8) Lib. 10. q. 5. concl. 6. (9) In 2. 2. q. 83. a. 13. (10) V. Horae, n. 19. (11) P. 1. l. 10. c. 16. q. 6. (12) C. 9. (13) Tr. 10. ex. 5. q. 7. (14) De hor. can. p. 195. n. 45. (15) T. 2. p. 443. n. 26. (16) 3. p. tit. 13. c. 4. §. 7. (17) Matth. 15. 8. (18) Io. 4. 23. (19) Tr. 16. c. 5. p. 5. n. 31.

positum attendendi: sed iuxta primam sententiam quae requirit attentionem formalem et explicitam, merito dicit p. Concina, quod qui voluntarie se distrahit, minime potest attendere ad rectam prolationem verborum; vel eius attentio erit adeo tenuis ut nequaquam pertingat ad debitam attentionis rationem.

Tertia sententia tenet ad satisfaciendum substantialiter praecepto officii, non requiri attentionem internam, sed sufficere intentionem recitandi cum attentione externa; hanc tuentur Lugo [1] cum Palud. Ang. Med. Durando Rossell. item Coninch. [2] Sylvester [3] Ang. [4] Machad. [5] Gob. [6] Croix [7] Tamb. [8] Elbel [9] et probabilem vocant Less. [10] Laym. [11] Spor. [12] Pell. [13] Viva [14] p. Zachar. [15] et alii plures, et hanc quoque expresse tenet d. Anton. ut infra afferetur. Ratio 1. quia oratio, ut definitur a Damasceno [16] et a d. Th. [17] est *petitio decentium a Deo:* non repugnat autem posse a nobis Deo repraesentari nostras petitiones etiam cum actuali mentis evagatione; sicut si quis recitaret coram rege orationem compositam ad aliquam gratiam impetrandam, certe quidem oraret illam coram rege recitando, etiamsi esset tunc ad alia mente distractus; sic etiam recitans officium, non obstante interna et voluntaria distractione, adhuc potest Deum orare; attentio enim externa coniuncta cum intentione recitandi efficit ut recitatio horarum fiat quoad substantiam vera oratio. Et ita non potest negari tenuisse d. Antoninum [18] in explicando textum *in c. Dolentes*. Verba s. doctoris opus est hic repetere: *Praecipimus ut unusquisque die ac nocte dicat horas suas; intentionem et devotionem in praecepto non ponimus, sed gratiae Dei, secundum quod ipse dare voluerit, duximus relinquendum. Et hunc intellectum teneas quia benigniorem, et quia non debet ecclesia alicui laqueum iniicere.* Ex quibus verbis patet quod sanctus non tantum expressit textum intelligendum de sola externa attentione, sed ex ratione generaliter adducta, etiam probare intendit ecclesiam non requirere attentionem internam. Immo d. Anton. non solum asseruit ecclesiam hanc attentionem internam non praecipere, sed deinde [19] docuit nec etiam posse praecipere; ibi enim post relatam doctrinam d. Th., quod attentio in oratione semper debeat manere secundum sui virtutem, sic subdit: *Non tamen requiritur quod intentio comitetur actualiter totam orationem .... requiritur tamen quod orans scienter non distrahat mentem ab oratione; hoc enim non potest esse sine culpa mortali vel veniali.* Deinde explicat quod recitans tunc peccaret mortaliter quando per contemptum internae attentionis voluntarie se distraheret, vel quando recitaret cum externa quoque distractione. En eius verba: *Sed si evagatio est advertenter, et solum secundum actum interiorem, licet temeraria et gravis foret, non tamen mortalis, nisi per contemptum, quia ecclesia non habet iudicare de actibus mere interioribus, propter quod minister ecclesiae, licet dicendo orationem cogitet aliud, non videtur transgressor praecepti ex natura facti. Si autem evagatio mentis sit ex hoc quod aliquis scienter se occupat in actu exteriori, qui non secum patiatur attentionem, videtur esse mortalis, et directe contra praeceptum ecclesiae, de celeb. miss. c. Dolentes, ubi praecipitur quod officium celebretur studiose pariter et devote. Hoc non observant, qui occupantes se in actu exteriori scienter sibi attentionem subtrahunt.* Ergo procul dubio supponit s. Anton. attentionem internam neque ab ecclesia esse praeceptam, neque esse de essentia orationis; sed sufficere attentionem externam una cum intentione prius habita orandi; nam alias, si attentio interna esset de essentia ora-

(1) De Euch. d. 22. n. 25. (2) De sacr. 3. p. q. 83. n. 291. (3) V. Missa. (4) V. Horae n. 17. (5) Tr. 21. docum. 5. (6) Tr. 5. n. 821. q. 5. (7) L. 4. n. 1342. (8) L. 4. c. 2. §. 1. n. 19. (9) T. 2. p. 541. n. 403. (10) L. 2. c. 37. n. 65.

(11) L. 4. tr. 1. c. 5. n. 10. (12) De sacr. n. 75. (13) T. 2. tr. 10. c. 6. n. 17. (14) De rest. q. 7. a. 9. n. 6. (15) L. 4 n. 1341. et 1342. (16) L. 3. fid. orth. c. 24. (17) 4. dist. 15. q. 4. a. 2. q. 1. n. 1. (18) Loc. supra cit. (19) Eod. loc. §. 8.

tionis, illam ecclesia non solum potuisset, sed etiam debuisset praecipere.

Et pro hac sententia clare videtur esse idem s. Th.[1] qui prima fronte videtur stare pro sententia opposita, cum dicat: *Dicendum quod attentio actualis requiritur ad orationem aliquo modo, vel ad evitandam transgressionem in illa oratione quae est in praecepto, vel ad meritum in illa quae non est in praecepto.* Attamen inferius[2] explicat quod illa *attentio actualis* omnino requisita ad orationem, intelligitur de sola attentione externa, en eius verba: *Quando aliquis ex proposito mentem ad alia distrahit in orando, tunc enim sine culpa non est, praecipue si in aliis sponte se occupat quae mentem distrahunt, sicut sunt exteriora opera: et si ad contrarium mens evagetur, etiam culpa mortalis erit.* Ubi nota s. doctorem utique distinguere culpam in voluntaria distractione interna, quam ait non esse sine culpa (nempe veniali), ab illa culpa quae est in distractione externa incompossibili cum interna attentione, hancque culpam dicit esse mortalem. Et ita in hunc locum d. Th. exponit s. Antonin.[3] dicens: *Unde s. Thomas[4] dicit quod in oratione, si in aliis sponte se quis occupat in his quae mentem distrahunt, sicut sunt opera exteriora, et si ad contrarium mens evagetur, etiam culpa mortalis erit: exponit idem Petrus, et dicit quod loquendo de oratione quae est praecepti humani, illud verbum* contrarium *non refertur ad orationem, quia bona opera exteriora non sunt contraria orationi, sed est referendum ad attentionem, quando scilicet se exterius occupat circa aliquid incompossibile attentioni orationis.* Ergo (sicut s. Antonin. explicat) Angelicus supponit tunc tantum deesse orationem, quando apponitur distractio externa per opus incompossibile cum attentione interna, dum tunc solum in transgressione orationis praeceptae culpam mortalem agnoscit.

Ratio 2. quia si attentio interna necessario requireretur ad essentiam orationis, ille qui involuntarie distrahitur nec etiam officio satisfaceret. Certum autem est apud omnes quod per distractionem involuntariam minime impeditur impletio praecepti recitandi officium ex d. Th.[5] qui docet: *Evagatio mentis quae fit praeter propositum, fructum non tollit.* Hoc concedunt adhuc auctores primae sententiae, sed dicunt quod ille qui sponte se distrahit, actu revocat primam attentionem et ideo non satisfacit, cum amplius non oret; qui vero involuntarie distrahitur, manet virtualiter attentus et propterea orat et satisfacit. Ego tamen fateor imbecillitatem meam, numquam potuisse intelligere quomodo possit attentio virtualiter permanere in eo qui distrahitur, licet involuntarie. Bene quidem intelligo quod intentio, cum pertineat ad voluntatem, quando semel est habita, et non retractatur, virtualiter perseverat in affectu, seu in mediis susceptis, quia haec media ex illa intentione procedunt: non intelligo autem quomodo potest dici virtualiter attentus orationi, qui mentem alibi habet occupatam; recte dicetur quod hic involuntarie distractus post intentionem habitam attendendi et non retractatam, velit attendere; sed non poterit dici quod attendat, quando alibi est omnino evagatus; sicut enim repugnat dici virtualiter intelligere quod legit, eum qui actu non intelligit, licet habuisset intentionem intelligendi; ita repugnat dici virtualiter attendere, qui actu non attendit. Unde bene concludit Lugo[6], quod si ad orationem requireretur attentio interna, is qui esset involuntarie distractus non effective, sed tantum affective oraret. In tantum igitur dicit hunc vere orare, in quantum intentionem internam prius habitam orandi coniungit cum externa attentione.

Ratio 3. quia sacerdos conferens extremam unctionem (cuius forma est deprecatoria) cum intentione faciendi quod facit ecclesia, etsi actu mentem divertat, valide confert; ergo sine attentio-

(1) 4. d. 15. q. 4. a. 2. solut. 4. ad 4. q.

(2) Ad 2. (3) Loc. c. (4) 4. p. dist. 15. (5) 2. 2. q. 83. a. 13. ad 3. (6) N. 59.

ne interna bene stare potest oratio. Ad hanc difficilem obiectionem diverse respondent fautores primae sententiae. Alii apud Concinam dicunt quod eo casu invalide sacramentum conferretur, quia tunc sacerdos nullam haberet intentionem nec attentionem; cum enim quis alio mentem distrahit, utramque actu retractat. Sed haec responsio nimis debilis videtur, quia ad rationem universalem sacramentorum exigitur sola prolatio formae super debitam materiam a ministro habente potestatem, cum intentione faciendi quod facit ecclesia, iuxta illud celebre dictum d. August.[1] *Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum.* Et magis patet ex conc. florent. in decreto fidei Eugen. IV. §. V. ubi fuit sancitum: *Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit ecclesia.* Unde cum haec omnia concurrant, debet dici, ministrum verba formae proferentem cum debita intentione in extrema unctione, sacramentum utique validum facere. Aliter respondet p. Concina et ait quod in sacramentis Deus elevat verba ministri, quamcumque ille perversam habeat intentionem, ad gratiam conferendam; sed huic opponit Lugo[2] quod si attentio esset de essentia orationis, hac ablata, deesset oratio, et consequenter evanesceret forma sacramenti extremae unctionis quae est deprecatoria. Replicat Concina quod eo casu, licet destruatur oratio moralis, remanet tamen physica, scil. illa externa verborum prolatio quam ex sententia aliquorum asserit sufficere: ad implendam autem obligationem officii, dicit requiri ut oratio sit moralis; et ut oratio moralis sit exigit essentialem attentionem. Sed huic respondetur 1. sententiam praefatam illorum improbabilem esse, ut probabimus *l.* 6. *n.* 23. ubi dicemus, omnino requiri ad valorem sacramentorum, ut minister saltem intendat facere quod facit ecclesia. Respondetur 2. et petitur: Est ne attentio de essentia orationis generice sumpta, vel tantum orationis moralis? Si dicis, est de essentia orationis moralis, non autem physicae, conceditur, quia talis oratio non esset meritoria; at esset satisfactoria, cum esset vera oratio: ergo recitans officium voluntarie distractus, careret quidem merito, sed iam satisfaceret, cum ecclesia praecipiat absolute orationem, non autem orationem meritoriam; saltem non constat hanc praecipere. Si vero dicis quod attentio est de essentia cuiuscumque orationis, debet concedi orationem sine attentione neque moraliter neque physice posse dici orationem; attentio enim, si est de essentia cuiuscumque orationis, oratio sine attentione erit mera prolatio verborum, non autem oratio, neque moralis, neque physica, cum deficiat constitutivum orationis. Quapropter cum de essentia formae sacramenti extremae unctionis requiratur ut sit deprecatoria, iuxta illud s. Iacobi, quod *Presbyteri orent super infirmum*, sacramentum erit nullum, si formam sacerdos proferret sine attentione; etenim posito quod forma huius sacramenti debet esse vera oratio, et oratio sine attentione non est oratio, non potest Deus elevare ad conferendam gratiam sacramenti, nisi formam aptam, qualis non esset illa mera prolatio verborum; licet enim possit efficere Deus, quod res non apta ad producendum aliquem effectum, illud producat, non potest tamen efficere quod sit oratio illa quae non est oratio.

His tamen non obstantibus, prima sententia probabilior videtur, saltem ob auctoritatem extrinsecam, et omnino ut tutior consulenda: sed secunda tum ob doctorum auctoritatem, quae non est contemnenda, tum ob rationes non levibus fundamentis innixas, satis probabilis apparet; saltem quia non constat adesse praeceptum de attentione interna in recitatione divini officii. Unde non auderem ad restitutionem damnare beneficiarium qui bona fide officium recitasset cum distra-

(1) Tr. 80. in Io. (2) N. 50.

ctione voluntaria, et bona fide pariter fructus percepisset, prout ab ea excusat Croix [1] et apud ipsum Sotus Tolet. Azor. B. Med. Garcia Gobat. etc. *Vide dicta l.* 3. *n.* 669.

Caeterum ad scrupulos abiiciendos et ad animum levandum horas recitantium, valde refert hic advertere id quod communiter dd. adhuc primae sententiae fautores docent, nempe, quod ut dicatur aliquis officio non satisfacere, non solum requiritur ut voluntarie se distrahat, sed etiam ut plene advertat se distrahi; nam alias iste, licet sponte se divertat, non tamen sponte se divertit a recitatione. Ita Sanch. [2] cum Suar. Nav. Soto et Arm. Conc. [3] Croix [4] cum Fill. Gob. et Salm. [5] et Caiet. [6] qui ait: *Si quis advertit se cogitare extranea, sed non advertit quod ab officio divino distrahatur; quamvis voluntarie illa meditetur, non tamen voluntarie ab officio animus distrahitur.* Bene enim ait Conc., has distractiones esse hominibus impossibile omnes vitare, maxime studiosis, quia huiusmodi exercitia sunt intellectus, qui, cum sit necessaria facultas, ex assiduis occupationibus ita inflectitur, ut veluti calcaribus adiectis in suas controversias abiiciatur. Hinc notant Sanch. [7] Salmant. [8] cum Nav. Cai. et Croix [9] et alii communiter, quod si quis advertens se distrahi, habeat mediocrem diligentiam ad attendendum, nullo modo peccat. Additque Sanch.[10] cum Gers. Margar. et pluribus aliis, non oportere ut homo semper tota conetur sollicitudine, quin tolerari possit aliqua divagatio ad caput refocillandum.

Dictum est, *ut plene advertat*, quia licet recitans semiplene adverteret ad distractionem et venialiter peccaret, adhuc tamen substantialiter officio satisfaceret, cum prima attentio sive intentio attendendi semper perseveret, donec cum plena advertentia non revocetur; intentio enim cum plena deliberatione prius concepta non desinit existere, nisi cum alia plena advertentia retractatur. Ita Sanchez Salmant. Croix et Conc. [11]. Unde infert Sanch. [12] cum Nav. et aliis, quod tunc recitans graviter peccaret, iuxta sensum primae sententiae, quando ex contemptu vel industria se diverteret: *Quamdiu ergo* (sic concludit Caiet.[13]) *eis non constiterit evidenter se mutasse propositum, vel advertendo et sciendo circa alia vagatos fuisse, credere possunt suae obligationi satisfecisse:* subditque Croix cum Nav. quod non recte faciunt qui se occupant in cogitando an advertant nec ne; nam hoc ipsum est distrahi.

Remedia autem opportuniora ad repellendas animi distractiones sunt: 1. Sub initium formare intentionem Deum laudandi. 2. renovare intentionem ad *gloria patri*, vel in principio cuiuscumque psalmi. 3. Mysterium aliquod passionis sibi repraesentare. 4. Sensus sedulo custodire, et alia huiusmodi, quae videri possunt apud Anacl. et Elbel [14].

Pro scrupulosis vero advertit Croix[15] eos nihil teneri ad repetendum, nisi certi sint mutasse intentionem orandi. Additque Gob. [16] quod si quis pateretur graves anxietates, posset aliquando etiam ei interdici recitatio officii, donec videatur posse recitare sine tanto incommodo, cum magnum incommodum excuset per se a praeceptis ecclesiae.

178. Quaeritur hic 2. An mortaliter peccet qui recitat horas existens in peccato mortali. Adrianus apud Sanchez [17] absolute affirmat, quia exercet actum ordinis; licet dicat satisfacere praecepto. Alii ut Medina et Ledesma apud eumdem Sanch. dicunt tunc peccare mortaliter quando habet actuale propositum peccandi; quia tunc irrogat Deo magnam irreverentiam, cum eodem tempore quo petit beneficium a Deo, intendat illum offendere. Cont. Tour. autem [18] censet quod si recitans habet desiderium exeundi a peccato, tunc iam pie orat et satisfacit officio:

(1) L. 4. n. 1213. (2) C. 1. dub. 28. n. 10. et 11. (3) P. 451. (4) L. 4. n. 1346. (5) Tr. 16. c. 3. n. 5. p. 26. (6) Summa v. Hora. (7) N. 13. (8) Ibid. (9) N. 1346. (10) N. 10.

(11) Locc. cc. (12) N. 14. (13) Loc. cit. (14) Locc. cc. (15) L. 4. n. 1330. et 1331 (16) Ibid. n. 1334. (17) L. 7. c. 2. dub. 9. (18) De hor. can. c. 3. a. 4.

si vero habet actuale propositum peccandi, ad minus ait dubium esse an satisfaciat, cum dubitetur an vere oret. Verior tamen et communior sententia est quod iste satisfacit; et non peccat mortaliter, ut sentiunt Sanchez [1] cum Navarr. et Croix [2] cum Corduba. Ratio quia ex una parte recitatio officii non est actus ordinis sacri, quamvis imponatur constitutis in sacris: ex alia quamvis iste nihil sibi impetret, cum tamen oret nomine ecclesiae, bene potest obtinere pro aliis. Quod autem oret nomine ecclesiae cum proposito peccandi, non videtur tanta irreverentia ut damnetur de mortali, licet non videatur posse excusari saltem a veniali, ut dicit Croix cum Corduba. Caeterum non auderem de peccato ullo damnare alium ex devotione orantem, qui actualem voluntatem peccandi haberet. Alias teneremur hos hortari ut ab omni oratione abstinerent.

179. Quaer. 3. An sit licitum recitare officium in locis immundis. Alii ut Sotus [3] Viva [4] Anacl. [5] Conc. [6] et Spor. [7] cum Tamb. et Gob. sentiunt id esse veniale, si fiat sine causa, quia videtur hoc non carere aliqua irreverentia. Alii vero, ut Sanch. [8] Salm. [9] cum Trull. Angles. Leand. et Diana [10] cum Escob. Fausto etc. nullam in hoc culpam agnoscunt, quia cum Deus sit ubique, in nullo loco est irreverentia illum orare: alias, si esset irreverentia, nec etiam liceret ullo modo orare mente aut voce in loco indecenti: quod nemo dicit; imo apost. [11] inquit: *Volo viros in omni loco orare*.

Quaer. 4. An sit culpa non servare situm in recitatione officii, scil. stando, genuflectendo, iuxta rubricam. Alii negant, ut Salm. [12] et Sporer [13] cum Zeroll. quia (ut dicunt) id non praecipitur, sed consulitur, et ordinatur maioris devotionis gratia; et idem tenent Tol. Bon. et Fill. apud Croix [14] qui dicit in hoc potius posse peccari ratione scandali, quam omissionis. Sed probabilius affirmant Viva [15] et Cont. Tournely [16] quia id praescriptum est in rubrica; etsi omissio non excedat veniale, ut dicunt Nav. et Viva [17] cum haec rubrica sit tantum directiva. Hoc autem intelligitur de choro, nam extra chorum communiter docent praefati aa. (quidquid aliqui dicant) nullam esse culpam, situm praescriptum omittere; licet laudabile sit illum servare. Censent autem Conc. [18] et Viva [19] non excusari a veniali qui sine causa officium recitaret decumbendo in lecto.

(1) N. 3. (2) L. 4. n. 1348. (3) De iust. l. 10. q. 5. a. 4. (4) Q. 3. a. 5. n. 5. (5) P. 191. n. 67. (6) P. 491. n. 1. (7) P. 82. n. 148. (8) Cons. l. 7. c. 2. dub. 44. n. 4. (9) Tr. 16. c. 5. p. 3. n. (10) P. 10. tr. 11. res. 33. (11) 1. Tim. 2. 8. (12) L. c. (13) P. 82. n. 149. (14) L. 4. n. 1321. (15) Q. 3. a. 5. n. 7. (16) De hor. can. c. 5. a. 4. (17) L. c. (18) P. 491. n. 2. (19) L. c. n. 6.

Dubium III. Quid clerici possint circa dispositionem fructuum suorum beneficiorum.

180. « Resp. 1. Clerici beneficiarii, quoad eam partem bonorum ecclesiasticorum quae necessaria est ad congruam sustentationem et decentiam status, ita fiunt domini, ut de iis possint libere disponere. Ubi recte notat Nav. hanc congruitatem et decentiam habere latitudinem et suos gradus, proindeque si infimum congruae sustentationis pretium sint floreni 300. medium 400. summum 500., clericus autem infimo vivat, de reliquo libere posse disponere. Ita commun. quia id acquisivit ut stipendium sustentationis, quasi mercedem operis praestiti. (*Vide l.* 3. *n.* 491. *v.* 3. *Idem.*).

181. » Resp. 2. Probabilius etiam est,

contra Nav. et multos canonistas, beneficiarios non regulares (secus enim est de regularibus, ut ait c. Lugo [1]) absolutos esse dominos omnium suorum proventuum, ideoque etsi in profanos usus expendant non teneri ad restitutionem. Est communior inter recentiores, apud Binsfeld. Mald. et Bon. [2] ex s. Thom. Sot. Mol. etc. tum quia fructus faciunt suos, ut supponit Trid. [3] tum quia alioqui non possent fructuum dominium in alios transferre (extra pios usus), omnesque eorum donationes et contractus essent invalidi, et ut tales a iudice declarandi, et bona ecclesiae restituenda: quod, cum numquam sit factum, praesumi non debet esse faciendum. Card. Lugo [4] (*Sed vide dicta l.* 3. *n.* 491.) Quo non obstante, teneri eos bona ecclesiastica, congruae sustentationi superflua expendere in pios usus, tam est communis sententia, ut card. Lugo [5] dicat nimis singularem esse sententiam Petri Hurt. et Dianae dicentium, eos satisfacere, si (seclusis gravibus necessitatibus) erogent in communibus necessitatibus quartam partem redituum ecclesiasticorum vel certe dimidium eius quod congruae sustentationi superest. Vide c. Lugo [6] qui plurimis pro se citatis auct. ostendit, Tol. Mol. et Bon. male citari pro contraria sententia, imo ipsemet Hurt. et Diana in ea non perstitisse, atque nulla vel auctoritate vel ratione fulciri: ac denique suam multis probat, praesertim ex Trid. [7] ostenditque istam obligationem nasci ex iure non tantum humano, sed etiam divino naturali. V. etiam Bon. [8] (*V. l.* 3. *n.* 491. *v.* 4. *Maior.*). Porro congrua sustentatio clerici censetur, quae necessaria est ad status et familiae sustentationem secundum conditionem status, gradus, dignitatis, qualitatis et regionis, in qua habitat. Bon. [9] Mol. Lay. Lugo etc. (*V. l.* 3. *n.* 491. *Qu.* 2.).

Unde resolvuntur hi casus:

182. » 1. Congrua sustentatio non est aequalis respectu omnium, quia plus requirit episcopus quam decanus; decanus quam canonicus; canonicus in ecclesia principali quam parochus; debilis et tener quam robustus et valens: et quod sufficit in uno loco non sufficit in alio. Quapropter attendi debet ad usum aliorum timoratae conscientiae in eodem gradu etc. Nec obstat quod beneficiarius emerserit ex humili, quominus possit statui suo convenientes sumptus facere, ut ex Mol. docet card. Lugo [10]. Vide Bann. [11].

» 2. Nomine congruae sustentationis etiam intelligitur debita hospitalitas, non tantum in pauperes peregrinos (qui maxime commendantur clericis a Trid.), sed etiam urbanos. Card. Lugo [12].

» 3. Debita quae clericus contraxit pro sua sustentatione, vel ob piam causam, potest solvere ex reditibus ecclesiasticis: non item quae contraxit ante beneficium obtentum, nisi sit pauper [13].

» 4. Potest clericus ex bonis superfluis licite in studiis alere suos consanguineos, si aliunde non habent; eo quod parentes vel nolint vel non possint alere in studiis [14]. Bon. [15].

» 5. Si habet sorores pauperes vel filios spurios, ex fructibus beneficii dotare licet, si aliunde non potest. (Imo tenetur dotare sororem ex parte patris, ut dicunt Nav. et Burg. cum Croix [16]. A fortiori tenetur alere matrem. Croix [17]) quia naturali iure debet illis alimenta, in quorum locum succedit dos. Molin. Binsf. etc. Cavendum tamen sub mortali, ne vel illas notabiliter supra statum exaltet, vel hos legitimis aequet: etsi nobilis plus possit dare quam alius infimae sortis. Vide Laym. [18].

183. » 6. Si bona superflua expendat in usus profanos, v. gr. in venationes, canes, equos, parasitos, ludiones, luxum, in amicos, cognatosque ditandos etc., quod intellige de quantitate notabili in genere prodigalitatis, quae longe maior est quam in genere furti (Pal. ap. Croix [19] requirit tertiam vel quar-

(1) T. 1. d. 4. s. 1. n. 2. (2) T. 1. d. 3. p. 1. (3) Sess. 24. c. 12. de reform. (4) D. 4. n. 1. (5) D. 4. n. 10. (6) Loc. c. (7) Sess. 21. c. 5. de ref. (8) L. c. p. 2. (9) Loc. c. (10) Loc. c.

(11) L. c. n. 8. (12) N. 66. (13) Ibid. n. 67 (14) Ibid. (15) P. 2. n. 13. (16) L. 4. n. 1557 (17) Ibid. (18) L. 4. tr. 2. c. 3. n. 4. (19) L. 4. n. 1558.

tam partem: Coninck requirit quartam, sed Croix cum Lugo et Haun. hoc reprobant, et dicunt vigesimam partem esse materiam gravem) graviter peccat quidem, non tamen tenetur ad restitutionem: quia est dominus fructuum: et consequenter neque is qui accepit. Ita contra Nav. etc. communiter doctor. alii ex Trid. [1] Azor. [2] Vide Lay. [3] Bon. [4] etc. (*Vide l.* 3. *n.* 492.).

184. » Quaeres 1. Quae teneantur in pios usus expendere. Resp. Ea omnia quae acceperunt sive ab ecclesia sive ab aliis, tamquam procuratores cultus divini; non autem illa quae vel in cultum divinum oblata non sunt, vel iam ab ecclesia in cultum divinum sunt expensa. C. Lugo [5]. Ratio est quia priora habent annexam obligationem religionis, posteriora non: vel si habuerint, ea iam est extincta per expensionem in pios usus.»

Animadverte hic doctrinam d. Th. [6] qui ait: *Non omnia bona ecclesiarum sunt pauperibus largienda, nisi forte in articulo necessitatis, in quo etiam pro redemptione captivorum et aliis necessitatibus pauperum vasa cultui divino dicata distrahuntur, ut dicit s. Ambrosius; et in tali necessitate peccaret clericus, si vellet de rebus ecclesiae vivere, dummodo haberet patrimonialia bona.* (*Vide dicta l.* 3. *n.* 491. *v. Quaer.* 5.). Addit vero s. doctor: *Necessitate non imminente providendi pauperibus, de his quae superfluunt ex proventibus ecclesiae, possessiones emat, vel in thesauro reponat in futurum, utilitati ecclesiae etc.*

« 1. In profanos usus expendi possunt a clericis bona patrimonialia, eaque quae haereditate, industria, donatione, aliove modo ut laici acquirunt, vivendo interim ex beneficiis. Item quasi patrimonialia, hoc est, quae acquirunt quidem clerici, non tamen ut reditus beneficii, sed ut stipendia alicuius officii clericalis, v. gr. ratione concionis, pro missa, funere, officio defunctorum, administratione sacramentorum, anniversariis etc. Sanch. c. Lugo [7] Bon. [8]. (Et hoc vocat longe probabilius Sanc. [9] contra Innoc. cum Soto Navarr. Host. Sylv. Panorm. et aliis communiter. *V. dicta l.* 3. *n.* 491.).

» 2. Probabilius est, in profanos usus posse expendi distributiones, sive praesentias (ut vocant), quae beneficiariis ob praesentiam in choro distribuuntur. Ita Sylv. c. Lugo [10] Bonac. [11] contra Sanch. etc. (*Vide l.* 3. *n.* 491.).

» 3. Fructus qui dantur ob capellaniam vel vicariam non collativam, sed ad nutum amovibilem, possunt expendi in usus profanos; quia non sunt fructus beneficii (hoc enim confertur per collationem canonicam), sed bona quasi patrimonialia. Vide c. Lugo [12].

» 4. Probabiliter etiam pensionarius licite suam pensionem expendit in usus profanos; quia eam papa extrahit ex reditibus beneficii, et dat alteri qui id beneficium non habet. Card. Lugo [13] contra Bonac. etc. Secus est de eo qui beneficium habet in commendam, quia substituitur loco beneficiarii [14] (*V. dicta l.* 3. *n.* 491. *vers. Qu.* 6.).

» 5. Partem quam clericus parce vivendo sibi servat ex congrua sustentatione licite expendit in usus profanos, quia expensa est iam ante in usus pios [15]. Bonac. [16] ex Mol. (*Vide l.* 3. *n.* 491. *v.* 3. *Idem*).

185. » Quaeres 2. Quid intelligatur nomine usus pii. Resp. Qui vel ad cultum divinum, vel misericordiam spiritualem aut corporalem ordinatur, v. gr. ad cultum templorum, necessitatem pauperum, hoc est eorum qui non habent necessaria sive ad naturam sive ad statum servandum; item in usum religiosorum, in capellanias, missas, suffragia pro defunctis, hospitalia etc. (*Vide l.* 3. *n.* 491. *v. Qu.* 2. *et n.* 672.).

Unde resolvuntur casus sequentes:

186. » 1. Si clericus superflua expenderit in usus profanos, v. gr. emerit sibi bona immobilia, non potest haec retinere, quia obligationi bonis

(1) Sess. 25. c. 1. (2) T. 2. l. 7. c. 8. q. 2. (3) L. 4. t. 2. c. 3. n. 4. (4) D. 4. p. 2. n. 9. et p. 4. n. 1. (5) D. 4. (6) 2. 2. q. 185. a. 7. ad 3. (7) L. c. n. 23. (8) P. 2. n. 16. (9) Consil. l. 2. c. 2. dist. 45. n. 4. (10) N. 24. (11) P. 2. n. 17. (12) N. 28. (13) L. c. (14) Ibid. (15) Ibid. (16) D. 4. p. 2. n. 14.

iis annexae non satisfacit; et adhuc potest satisfacere, cum bona empta pretio aequivaleant. C. Lugo [1]. Vide Bon. [2].

» 2. Qui in usum profanum a clerico bona accipit dono, ex superfluis, potest excusari a peccato, si eum non induxit ad talem donationem, neque per eam clericus redditur impotens ad superflua expendenda in usus pios. C. Lugo [3]. Quia clericus ex patrimonialibus vel quasi patrimonialibus potest substituere. (*Vide l.* 3. *n.* 492. *v. Qu.* 8.).

187. » 3. Clerici quidem ex consuetudine multis locis recepta, licite possunt testari de reditibus beneficiorum, non tamen nisi ad causas pias: etsi enim, ubi consuetudo invaluit, etiam in usus profanos valide testentur, peccant tamen mortaliter. Vide Less. [4] Laym. [5] Bon. [6] Trid. [7] et sequitur ex dictis; nisi tamen fecerint cum facultate papae; quae, licet superveniat testamento iam condito, facit tamen illud convalescere. Vide Sanch. Salm. Dian. [8] *supra l.* 3. *t.* 5. *c.* 4.»

DE ALIENATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM

Circa huiusmodi alienationem refert hic plura adnotare. Nota 1. quod Paulus II. *in extrav. Ambitiosae, de rebus eccl. non alienand.* prohibet sub gravibus poenis alienari bona immobilia, et mobilia pretiosa ecclesiae quae servari possunt: atque alienationem omnino irritam declarat; vide La Croix [9]. Et idem declaravit Urbanus VIII. an. 1624. apud Delbene [10] idemque dicitur de loco pio erecto auctoritate episcopi, ut dicunt Wading. [11] et Dic. ap. Croix [12]. Praeterea declaravit s. c. religiosos non posse accipere mutuo pecunias cum solutione interesse; vide Delbene [13]. Nomine autem *alienationis* prohibetur etiam permutatio et transactio super re possessa, si pars eius sit dimittenda. Delbene [14]. Potest autem remitti caducitas emphytheusis. Delbene [15]. Insuper notandum quod nomine alienationis venit etiam permutatio, traditio rei in pignus, et transactio, semper ac relaxatur pars rei iam possessae ab ecclesia: quia tunc est vera alienatio; si autem ecclesia non possidebat, bene potest episcopus transactionem facere, ita Delbene et Barb. cum Rebuff. Quaranta etc. Poenae autem in alienantes bona ecclesiastica sine debitis solemnitatibus sunt privatio perpetua ab omni officio et excommunicatio. Croix [16]. Ibi tamen advertit Delbene cum communi dd. quod praefata bulla Pauli II. in *extrav. Ambitiosae*, quoad has poenas paucis in locis est recepta; et quoad obligationem attendenda est consuetudo locorum. Notandum vero quod *in citata extrav. Ambitiosae*, dicitur *praesumpserit*, unde excusantur ab his poenis eas invincibiliter ignorantes.

Nota 2. quod licet aliquod bonum donatum sit monasterio cum expressa facultate illud alienandi propria auctoritate, non potest tamen alienari sine assensu pontificio, ut ait Lugo [17], quia tunc res acquirit conditionem bonorum ecclesiasticorum. Sed non immerito Croix [18] probabilem putat sententiam oppositam quam tenent Delbene [19] et Bon. Cov. Arm. et Quaranta etc. ap. Croix. Ratio quia sicut donans poterat de re disponere, ita etiam poterit donatarius ex illius potestate; neque res tunc absolute acquiritur ecclesiae, sed tantum ad beneplacitum donantis: quod concedit etiam Lugo, casu quo donator expresse voluisset ut res alienaretur, tunc enim certum est nunquam absolute acquisitam fuisse ecclesiae; ita etiam neque res dici debet absolute acquisita ecclesiae, quando donata est cum tali facultate alienandi; sicut contra, si donator prohibeat posse ullo casu rem alienari, non poterit quidem alienari, etiam cum assensu pontificio et iusta accedente causa, nisi causa sit talis ut faciat praesumere consensum donantis, iuxta infra dicenda in *Nota* 4. Pariter videtur licitum esse repudiare rem immobilem nondum acquisitam, ut dicunt

(1) N. 43. (2) N. 20. (3) N. 40. (4) L. 2. c. 19. d. 4. n. 41-44. (5) Loc. c. (6) D. 4. p. 3. n. 2. et 4. (7) Sess. 25. c. 1. de ref. (8) P. 8. t. 3. r. 99. (9) L. 4. n. 1363. (10) De immun eccl. c. 17. d. 1. n. 7. (11) De contract. d. 2 dub. 8. s. 74. (12) Ibid. (13) L. c. d. 1. n. 12 (14) Dicto dub. n. 12. (15) Ibid. (16) N. 1369. (17) Resp mor. l. 3. dub. 10. n. 2 et dub. 12. n. 3 (18) L. 4. n. 1364. (19) Loc. c. dub. 10.

Croix[1] cum Sylv. et Abb. ac Delbene[2] qui tamen[3] cum Mol. Barb. Tambur. etc. ait praelatum vel religiosum non posse repudiare legatum, quia illud acquiritur ecclesiae vel monasterio etiam ante traditionem, ut habent iura, saltem acquiritur ius ad illud. Contradicunt vero Sanch. Bon. Rebell. Abb. Menoch. Gob. et alii apud Croix[4] quia ante acceptationem ecclesia nullum ius aut actionem ad legatum acquirit; sed verior mihi apparet prima sententia, nam ad validitatem donationis requiritur quidem acceptatio, non autem ad legatum, quod statim acquiritur a legatario post mortem legantis. Permittunt autem Abbas Covarr. Molin. Delbene etc. apud Croix[5] posse sine assensu pontificis hypothecari bona ecclesiastica, sed probabilius contradicunt Vasq. Rodr. Quaranta etc.[6]. Ratio quia hypothecatio est vera alienatio.

Nota 3. quod nomine *bonorum ecclesiasticorum* veniunt simul iura et actiones ad immobilia, necnon nomina debitorum ac servitutes. Delb.[7] Croix[8] cum Wading. et Piasecio. Nomine autem *rerum pretiosarum* veniunt vasa aurea vel argentea, gemmae, bibliothecae copiosae. Delbene[9] et Croix cum Tamb. Item greges et armenta totaliter considerata. Delbene[10]. Item incisio arborum et sylvarum, si fiat cum deterioratione, ut Lay.[11] Delb.[12] et Piasec. Wading. apud Croix. Venit etiam magna pecuniae summa donata ac destinata ad emenda immobilia, tunc enim illa censetur quid immobile, Delbene[13] et Vasq. Fill. Lez. apud Croix contra Wading. et Tiraq. Etiam demum pertinent ad immobilia annui reditus perpetui. Croix[14] cum Wading.

Nota 4. quod alienatio bonorum ecclesiasticorum facta cum causa et solemnitatibus, valet, etiamsi donans prohibuerit alienationem, quia prohibitio praesumitur facta, si absit causa debita, ut probabiliter ait Croix[15] cum Delbene et aliis. Causae autem iustae sunt *necessitas vel utilitas*[16]. Item *pietas*, puta pro redemptione captivorum, vel alia gravi necessitate sublevanda. Item *incommoditas*, si res alienanda valde distat, etc. Ita Laym.[17] cum Mol. Abb. Sylv. Nav. etc. communiter. Idem quandoque magna *convenientia*, ut aiunt Croix et Delbene[18]. Utrum alienatio facta sine iusta causa a pontifice sit licita et valida. Resp. Si alienatio fiat in aliam ecclesiam, erit valida, sed non licita. Si vero fiat in usus profanos, erit illicita et invalida; ita recte Laym.[19] cum Nav. Ratio quia papa non est dominus bonorum ecclesiasticorum, sed administrator, iuxta dicta *l.* 3. *n.* 931.

Nota 5. quod debitae solemnitates sunt videlicet: 1. Communis consultatio. 2. Consensus capituli vel cleri. 3. Consensus episcopi vel superioris regularis, et etiam patroni, si alienatur beneficium patronatum, ut censet Piasecius, sed huic contradicit Laym. cum aliis apud Croix[20]. 4. Subscriptio consentientium pro casibus a iure expressis. 5. Consensus pontificis, sive facultas sacrae congr. Vide Croix[21].

Si autem alienatio fit sine causa, censet Delbene[22] eam esse invalidam etiamsi fiat ex consensu pontificis: intellige si fiat in usus profanos, secus si in aliam ecclesiam, prout recte ait Layman[23]. Si autem alienatio fit cum sufficienti causa, sed sine solemnitatibus, dicunt Abbas Sylv. Angel. Fill. Rodr. et alii apud Croix[24] (qui probabile putat) valere pro foro conscientiae, contra Covar. Mol. Vasq. etc. cum Delbene[25] qui probabilius tenent, iura irritare huiusmodi alienationes ob damni periculum, si solemnitates omittantur, easque dicunt invalidas esse omnino sine assensu pontificio, cum assensus ad formam praerequiratur. An autem hic assensus praesumatur concessus per praescriptionem 30. vel 40. annorum. Negant Quartana Fanchin.

(1) L. c. (2) D. 5. (3) D. 6. (4) D. n. 1364. (5) Loc. c. (6) Ibid. (7) Loc. cit. dub. 12. (8) L. 4. n. 1365. (9) Dub. 2. sect. 1. (10) Sect. 4. (11) Lib. 3. tr. 9. c. 10. n. 2. (12) Sect. 5.

(13) Sect. 1. (14) Ibid. (15) L. 4. n. 1366. (16) Ex Auth. Hoc ius, can. de sacr. eccl. (17) L. c. n. 3. (18) Dub. 28. (19) D. c. 10. n. 11. (20) N. 1366. (21) L. c. (22) Dub. 20. (23) L. c. (24) N. 1366. (25) Dub. 21.

etc. Sed Croix [1] cum Masc. Dic. Delbene Ricc. etc. aiunt probabilius esse consensum praesumendum ex generali axiomate quod omne factum rite praesumitur factum, si de iure faciendum erat.

Nota 6. sine autem causa speciali et sine solemnitate licite alienari possunt 1. Res quae verisimiliter ad triennium sine notabili deterioratione non perdurant, ut fructus, vestes, singularia iumenta. Laym. [2] et Piasec. apud Croix[3]. 2. Res exigui valoris respective ad possessorem, nempe si non attingat ad summam ducatorum centum, ut aiunt Pal. et Zerol. apud Croix [4]. Attamen Delbene cum aliis communiter (ut ait Croix [5]) restringunt summam ad 25. scuta aurea, quae faciunt 40. scuta monetae romanae; et recte advertit Delbene huiusmodi rem debere esse ab aliis disiunctam, ita ut pretium totius rei non excedat praefatam summam, alias posset totum praedium per partes modicas alienari. 3. Res academiae, seminarii, hospitalis, confraternitatis, modo non sint erecta auctoritate episcopi, ut limitant Palaus et Delbene apud Croix [6]. 4. Res ad quam conservandam eius reditus non sufficerent, ut Palaus Bonasp. Si vero res sit sterilis, requiritur licentia pontificis, ut dicunt Quaranta Bonac. etc. Sed Wading. dicit sufficere consensum episcopi cum capitulo. 5. Si oportet vendere ad solvendum debitum, pro quo creditor urget apud iudicem. Abbas Quaranta et Bonasp. apud Croix [7]. 6. In casu magnae necessitatis quae non permittat expectari consensum superioris, Delbene [8] et Croix [9] cum Quaranta. Item in casu notoriae utilitatis ecclesiae, si expectato consensu pontificio transiret occasio. Delbene [10] et Croix [11] cum Bald. Boss. et Bonasp. in his tamen duobus casibus necessitatis et utilitatis, requiritur saltem consensus episcopi, ut dicunt Felin. Abb. et alii cum Carden.[12]. Verum Delbene excipit regulares exemptos, quos ait tunc non teneri ad episcopum recurrere. 7. Si donentur bona iis qui illa retinere non possunt. Delbene Barbos. Ricc. et Quaranta. 8. Si fiat remuneratio pro aliquo beneficio ecclesiae collato. Barbos. Delbene apud Croix [13].

Nota 7. Quoad locationem autem bonorum ecclesiasticorum pertinet, si res fructificet annuatim, non potest locari ultra triennium; si vero fructificet alternis annis, ultra sexennium; si ternis, ultra novennium, ita Croix [14] cum Less. Azor. Vasq. Cov. Delbene etc. Non prohibetur tamen fieri locatio fructuum usque ad vitam beneficiarii, cum successor non teneatur stare tali locationi, ut Croix [15] cum Mol. Paul. Sylv. Abb. Cov. et Delbene. Putant autem Fill. Mol. Lugo Guttier. apud Croix [16] et probabile censet Delbene (contra Wading.) licite posse beneficiarium se obligare personaliter ad locandum fundum denuo post triennium. Item potest revocari locatio post duos annos, non autem prius, Pal. Mol. Delbene etc. apud Croix [17]. Hic autem dicta intelliguntur etiam de locatione bonorum cuiuscumque loci pii, qui auctoritate episcopi sit erectus. Croix [18] cum Pal. et Delbene.

DUBIUM IV. Quis sit habitus clericorum, quae artes, officia, actiones iis prohibeantur.

188. *Quinam clerici teneantur ad habitum et tonsuram.*
189. *Quae artes prohibeantur clericis.*
190. *Quae officia.*
191. *Quae actiones.*

188. « Resp. 1. Clericos maioribus ordinibus initiatos, vel etiam minoribus, si habeant beneficium, quoad habitum obligari ad ferendam tonsuram et vestem clericalem quae non debet esse virgata; in qua diversi coloris virgae ducantur, nec partita, seu dissecta. (Circa habitum et tonsuram vide dicenda *de sacr. ord. lib.* 6. *n.* 825.).

189. » Resp. 2. Quoad artes prohibentur macellariorum, tabernariorum, ioculatorum, quorum etiam ludis, uti

(1) Ibid. (2) D. c. 10. n. 2. (3) L. 4. n. 1367. (4) Loc. c. (5) Ibid. (6) Ibid. (7) D. n. 1367. (8) Dub. 1. n. 26. (9) L. c. (10) Dub. 22. n. 2. (11) Ibid. (12) Ibid. (13) Loc. cit. (14) L. 4. n. 1368. (15) Ibid. (16) Loc. cit. (17) Ibid. (18) Ibid.

et hastiludiis prohibentur interesse. Item medicorum aut chirurgorum, ubi opus est incisione aut adustione, nisi, ut habet Nav., erga pauperes aut propinquos aut in necessitate. (*Vide l.* 7. *n.* 384. *in fin. ad V. et n.* 385.).

190. » Resp. 3. Quoad officia, prohibentur (si sint beneficiati, vel initiati sacris) officium iudicis in causa sanguinis, advocatorum, patronorum, tabellionum, seu notariorum, in placitis saecularibus. Quod addo, quia in specialibus quibusdam casibus haec licent; v. gr. advocare pro ecclesia, pro personis coniunctis et miserabilibus [1]. Ratio autem est quia clericus non debet se immiscere negotiis saecularibus. Sayr. [2] (qui tamen concedit instrumenta ab eo facta valere) Bonac. [3] Laym. [4] et notat consuetudine inductum esse, ut officio cancellarii, consiliarii, imo etiam iudicis fungi possint in causis civilibus. (An autem clericus possit exercere officium administratoris bonorum, vulgo *fattore: Vide l.* 3. *num.* 838. *vers. Valde refert*).

191. » Resp. 4. Quoad actiones prohibentur arma portare, nisi in itinere, tabernas intrare, venationi clamorosae vacare (quod addo, quia venatio sine strepitu, recreationis causa, permittitur) (*Vide dicta l.* 3. *n.* 608.): accipitres vel falcones alere pro venatione; aleis aut taxillis ludere; mercaturam aut negotiationem lucri causa (non tamen necessitatis) exercere (*Vide dicta l.* 3. *n.* 831. *et seq.*); cohabitare mulieri; nisi sit mater, soror, amita, aut certe talis, quacum nullum periculum aut scandalum immineat. Less. [5] Cai. tamen [6] contra Ang. et Nav. docet, horum et similium transgressionem non esse mortalem, si absit temeritas, contumacia, contemptus et scandalum. Vide Laym. [7]. Nec refert quod transgressor sit excommunicandus, quia haec poena est sententiae ferendae, quam nonnisi contumax post monitionem incurrit. Quod tamen universim Nav. putat esse laxius, maxime cum canones utantur verbo, *praecipio*. Unde ait esse mortale, si habitum vel tonsuram non gestent. Quod restringit Bonac. [8] si sint initiati maioribus ordinibus, aut habeant beneficium et tonsuram, vel habitum longo tempore absque iusta causa non gestent, tunc enim peccare mortaliter; citatque pro se Reg. Nav. Vasq. Negant tamen Sylv. et Layman [9] si non sit notabilis excessus supra loci consuetudinem. Negotiari vero esse mortale, concedit idem Laym. [10] et alii comm. Sed de hoc *vide sup. l.* 3. *c.* 3. *d.* 7. de emptione et venditione.»

(1) Pro causa propria atque defensione orphanorum, viduarum et consanguineorum intra quartum gradum, qui defensorem non invenirent. Clerici tamen in *minoribus* licite possunt in quocumque foro causas civiles et etiam reos in criminalibus patrocinari; et monachis etiam permissum est, ex licentia praelati, monasterii causas tueri. Ex Hom. Apostol. tract. 13. num. 60.

Cap. III. De statu et officio personarum saecularium quarumdam et praesertim iudicialium

Dubium I. Quae requirantur ad legitimum iudicium.

192. « Resp. Haec tria: Primum est *iurisdictio*, sine qua sententia nulla est: (Nisi adsit titulus coloratus et error communis, ut communiter Salm. [11]) et peccatur mortaliter, ut ex s. Th. [12] habet communis: quare peccat iudex saecularis, si personas aut causas mere ecclesiasticas ad se trahat; uti et ecclesiasticus, si mere civiles, nisi forte per accidens, ob defectum iustitiae in foro saeculari, aut nisi sint causae miserabilium personarum. Porro, quae causae dicantur mere civiles, quae ecclesiasticae, quae mixtae, nosse oportet, iudices et iurisperitos, potestque videri apud Laym. [13] card. de Lugo [14].

193. » Secundum, *rectus processus*, v. gr. ut citetur reus et audiatur etc. nisi forte expediat aliquando, cum delicta sunt atrocia, in flagranti crimine deprehensos subito plectere, vel in criminibus exceptis communem procedendi modum mutare: nam iudici supremo (dummodo crimen sit publicum) aliquando licere, sine citatione,

(2) L. 12. c. 25. n. 6. (3) T. 2. in praec. dub 10. qu. 3. p. ult. (4) L. 3. t. 4. c. 8. n. 4. (5) Lib. 2. c. 5. d. 9. n. 40. (6) V. Clericus. (7) L. 5. t. 9. c. 12. n. 2. et 3. (8) D. 8. de sacr. q. 1. p. ult. n. 8. (9) L. c. (10) L. 3. t. 5. c. 3. d. 8 (11) Append. de offic. c. 1. de iudice, p. 2. n. 14, ex l. Barbarius, ff. de offic. praet. (12) 2. 2. q. 60 (13) L. 4. c. 2. (14) D. 17. sect. 3.

defensione et omni processu, reum morti adiudicare, eo quod factum notorium et publicum sit loco accusatorum et testium, neque reo ius defendendi se in iudicio relinquat, docent Nav. [1] Less. Fill. Bonac. [2]. Vide etiam card. Lugo [3] Trull. [4]. Ubi tamen bene notandum quod, etsi talia crimina excipiantur a communi dispositione legis positivae et iuris communis, non tamen legis seu iuris naturae; ideoque graviter peccare iudicem qui in tali processu, v. gr. contra sagas, quidvis licere putat. *Vide cautionem criminalem c.* 17. 18. 37. *et seq.*

194. » Tertium, *recta intentio*, ut scilicet procedatur ex intentione iustitiae. Unde si iudex procedat ex odio aliove fine malo, v. gr. ob inanem gloriam, peccabit, non quidem contra iustitiam, sed caritatem, aliamve virtutem mortaliter aut venialiter, prout finis illius mortalis aut venialis erit. Bonac. [5].»

DUBIUM II. De potestate et officio iudicis.

ART. I. Quid requiratur in iudice.

195. « Resp. 1. Praeter tria dicta superiore dubio, requiritur scientia, qua sciat suo munere recte fungi. Ita commun. doct. et Bonac. [6] Ratio est quia quilibet tenetur scire ea quae pertinent ad proprium officium, et sine quorum cognitione munus suum et officium exercere non potest.

Unde resolvuntur sequentes casus:

« 1. Petens aut suscipiens officium iudicis (Idem est de medico et chirurgo, *ut vide infra dub.* 9.) quo indignus est, ita ut probabile sit, inde notabile damnum proximi secuturum, peccat mortaliter. Nav. [7] s. Anton. c. de Lugo [8].

» 2. Iudex carens necessaria scientia non debet absolvi, nisi facta renuntiatione officii, vel nisi firmum habeat propositum renuntiandi. Ita s. Thom. [9] Cai. [10] Regin. [11] Nav. [12] Farin. [13]. Ratio est quia nullus potest officium, cuius munia obire non potest, retinere, praesertim cum damno vel periculo proximi.

» 3. Si iudex ex magna imperitia male iudicet, tenetur ad interesse parti laesae et ad expensas litis; uti etiam, quotiescumque notabile damnum, sive in substantia litis sive in superfluis expensis, propter eius culpabilem ignorantiam, partibus litigantibus accidit. Bonac. card. Lugo [14] (Est commune cum Salm. [15] quidquid dicant reliqui iurisperiti).

» 4. Si iudex agnoscat errorem a se (etsi sine gravi culpa) commissum in praeiudicium litigantis, tenetur, si potest citra infamiam, impedire errorem, v. gr. monendo occulte partem laesam, ut sibi appellatione vel aliter consulat; quia id pertinet ad debitam muneris executionem. De Lugo [16].

196. » Resp. 2. iudex tenetur causas iudicare et celeriter expedire, quia ex officio tenetur cuique tribuere suum; quod non facit si sententiam sine iusta causa differt.

Unde resolvuntur sequentes casus:

» 1. Iudex mortaliter peccat contra officium suum differendo valde notabiliter causarum expeditionem, sine iusta causa. Sylv. [17] Cai. [18] Navar. [19] etc. cum Bonac. [20].

» 2. In casu dicto, idem iudex tenetur parti laesae damna et expensas quae ex iniqua dilatione secutae sunt, restituere: quia est earum iniusta causa [21]. Auct. [22].»

An autem iudex possit accipere pecuniam ad expediendam causam alicuius prae alia. Dicit Laym. [23] spectato iure naturali, non audere id damnare, quia illa nova obligatio quam suscipit est pretio digna. Sed verius contradicunt Salm. [24] quia iudex ex iustitia tenetur cito expedire causas eorum qui aequale ius habent ad expeditionem; nisi extraordinarium susciperet laborem, ad quem ex vi sui muneris non teneretur.

(1) C. 2. n. 10. (2) D. 10. in praecept. q. 2. p. 2. n. 5. (3) D. 37. s. 5. (4) L. 8. c. 1. d. 13. (5) T. 2. d. 10. q. 2. p. 3. (6) D. 10. q. 2. p. 3. (7) C. 25. (8) D. 37. n. 1. (9) 2. 2. q. 67. a. 2. (10) Clavis reg. l. 12. c. 13. n. 2. (11) D. 25. n. 675. (12) C. 25. (13) 3. p. q. 3. a. 16. (14) Locc. cc.

(15) De offic. c. 1. de iudice, p. 6. n. 58. (16) Loc. cit. n. 3. (17) V. Iudex, q. 12. (18) Clavis reg. c 12. n. 8. (19) C. 25. n. 14 (20) D. 10. q. 2. p. 3. (21) Ibid. (22) Locc. cc (23) Lib. 3. sect. 5. tr. 4. c. 4. n. 9. (24) Loc cit. n. 66.

» 3. Si iudex in exequenda causa et proferenda sententia, negligens aut iniquus sit, non tantum parti laesae, sed interdum etiam fisco tenetur, v. gr. si mulctam pecuniariam, quam ex consuetudine vel lege communi debebat imponere reo, sine causa remisit S. Th. [1] Sylv. [2] Salm. Laym. [3] contra Azor. (Et cum Azor. probabiliter sentiunt Lugo [4] cum Les. Salas etc. Salm. [5] cum Gregor. Martin. ad nihil teneri iudicem, si ad mulctam reus nondum sit condemnatus. Ratio quia ante sententiam nullum fisco ius acquiritur ad poenam; hinc si iudex iniuste reum absolvit, peccat contra iustitiam legalem, non commutativam. Divus autem Thom. [6] loquitur tantum de poena corporali et de damno reip. eventuro ex iniusta remissione. *Vide dicenda de accusatore n.* 237).»

Art. II. Quid iudici servandum circa inquisitionem.

197. *Quibus modis possit procedi contra reos.*
198. *In quibus iudex possit instituere inquisitionem generalem. Et in hac ad quid teneantur subditi.*
199. *Quando iudex possit procedere sine accusatore.*
200. *Quando possit iudex inquirere in particulari.*
201. *Plura notanda de iudice procedente per inquisitionem.*

197. « Tribus modis procedi potest contra criminosos; 1. via accusationis, cum est aliquis actor, qui spondet se obiecta probaturum. 2. Via denuntiationis, cum deferens crimen non vult suscipere onus probandi. 3. Via inquisitionis quae est triplex: 1. Generalis, quando in genere quaeritur an leges serventur. 2. Specialis, quando de certa persona et certo crimine quaeritur. 3. Mixta, quando vel sola persona, vel crimen solum est speciale, ut si quaeratur quis Caium occiderit.

198. » Resp. 1. Iudex sine ulla data occasione, ex solo officio suo, potest instituere inquisitionem generalem, in qua tamen eius potestas non extendit se ad occulta elicienda, de quibus nulla est fama. Ratio prioris est quia id necessarium est reip. nec cuiquam fit iniuria. Ac, licet quorumdam scelera detegantur, id fit per accidens, praeter intentionem; cui incommodo bonum commune praevalet. Ratio posterioris est quia inde maxima sequerentur incommoda. Farin. Less. [7].

Unde resolves:

» 1. In hac inquisitione, subditus etiam rogatus sub iuramento, non tenetur, imo nec potest prodere criminosum occultum. Laym. [8] Less. [9] (Est comm. cum Salm. [10] cum Trull. Fill.).

» 2. Si tamen revelet, peccat contra iustitiam (nisi forte cederet non tam in poenam, quam certam eius qui deliquit, emendationem, vel ad grave malum ab aliis avertendum); cum enim crimen, ut ponitur, probari non possit, ac proinde ex eius revelatione non possit aliud sequi quam infamia, nullum habet ius revelandi. Laym. [11].

» 3. Si in hac inquisitione ex revelatione duorum vel trium deprehendatur alicuius criminis auctor; potest per tales testes contra illum procedi, ut habet praxis communis. Laym. [12].»

199. Revera iudex nullum condemnare potest sine accusatore; ut communiter s. Th. Cai. Sanch. Sot. Less. etc. cum Salm.[13]. Sed dicitur aliquando sufficere accusatorem virtualem, qui adesse censetur: 1. Quando adest notorietas criminis, ita ut probabiliter negari haud possit; in quo casu dicitur in c. *Ad nostram* 21. *de iureiur*: *Manifesta accusatione non indigent, nec in eis ordo iudiciarius observandus*. Vide Salm. [14]. 2. Quando adest infamia publica iudicialiter contestata, saltem per duos testes; vel clamorosa insinuatio, id est rumor multorum de crimine. Haec tamen infamia sufficit tantum ad inquirendum. Salm. [15]. An autem ad inquirendum sufficiant indicia occulta: scilicet quae particularibus personis nota sint, vel an requirantur manife-

(1) 2. 2. q. 67. a. 4. ad 3. (2) V. Poena q. 18. (3) L. 3. t. 2. c. 5. n. 8. (4) De contr. d. 36. n. 97. (5) De offic. c. 1. de iudice p. 3. n. 31. et de leg. tract. 11. c. 2. p. 3. §. 4. n. 76. (6) Loc. cit.

(7) L. 2. tr. 28. dist. 13. (8) L. 3. t. 6. c. 4. n. 9. (9) Loc. cit. (10) App. de offic. c. 1. de iudice p. 11. n. 150. (11) Ibid. et t. 3. p. 2. c. 4. (12) L. 3. t. 3. p. 2. c. 4. n. 12. (13) Ib. p. 5. n. 47. (14) Tr. 29. c. 1. p. 5. n. 48. (15) Ibid. n. 49

sta, id est nota maiori parti populi, sive collegii aut viciniae, aut maiori parti hominum graviorum illius. Primum tenent Sot. Azor. Nav. apud Salm.[1]. Secundum tenent Salm.[2] cum Less. Suar. Sanch. et communiter. 3. Quando crimen patratur coram iudice, aliis adstantibus; maxime si iudex sit in actu ministrandi iustitiam. Salm.[3]. 4. Quando delictum est contra remp. vel regem, prout in crimine haeresis vel laesae maiestatis; quando delinquitur in ecclesia contra ecclesiasticos; quando intenditur vitari electio indigni, aut impedimentum matrimonii; quando reus confessus sit coram pluribus, aut iudicialiter coram duobus testibus; quando quis est accusatus; quando adest semiplena probatio, id est unus testis omni exceptione maior; quando crimina sunt connexa; quando invenitur occisus dominus (tunc enim inquiri potest contra famulos); quando crimen pendet in futurum, et quando denuntiat minister fiscalis, ut Sylv. s. Antonin. Fill. etc. contra Sanch. etc. et utramque esse probabilem aiunt Salm.[4]. In his omnibus casibus potest procedi ad inquirendum sine publica infamia aut rumore, et aliquando etiam ad sententiam. Vide Salm.[5].

200. « Resp. 2. Quando crimen est manifestum, et ignoratur auctor, licet iudici quaerere in genere, quis fecerit; (Ut Sanch. Vill. Trull. cum Salm.[6] contra Cai. etc.) non tamen in particulari v. g. an Petrus fecerit, nisi infamia aliqua aut indicia praecesserint. Pars prior patet, tum ex praxi iudicum, tum ex incommodis contrariis. Ratio posterioris patebit ex sequentibus. Vide Bonac.[7].»

Communis est sententia cum Bus. quod, nulla praecedente infamia, aut clamorosa insinuatione ut supra, non possit iudex inquirere in particulari (licet possit in genere). Et tunc, si testis ab eo interrogatur, potest iste, imo debet reum celare, ut Bus. *n.* 4. et Salm.[8] cum aliis communiter. Si tamen testis sponte reum manifestaret, tunc probabiliter posset iudex per inquisitionem, contra reum procedere, ut Sot. Less. etc. quia iudex ex vi officii rite procedit contra reum qui sine suo dolo iam est iuridice cognitus; secus vero, si iudex notitiam rei a teste iniuste extorserit, ut Salm.[9] cum Nav. Sanch. Les.[10] et communi.

201. Notandum 1. quod iudex procedens per inquisitionem, etiam crimine probato, poenam diminuere debet; intelligitur hoc tamen de iudice ecclesiastico, non saeculari. Ita Salm.[11] Et intelligitur, nisi crimen sit tale quod per illud incurratur irregularitas, ut Salm.[12].

Notandum 2. quod praelati nequeunt inquirere contra religiosos in dubio an adsint indicia sufficientia ut supra ad inquisitionem; quia in dubio possidet illorum fama, quae per inquisitionem inde deturparetur; intellige tamen, nisi immineat periculum damni communis, tunc enim praevalet ius religionis. Ita Bon. Rodr. Salm.[13].

Notandum 3, quod ad inquisitionem specialem plura requiruntur: 1. Probatio corporis delicti, nisi sit crimen difficilis probationis. 2. Accusator, saltem virtualis, ut supra *n.* 199. 3. Probatio loci, temporis etc. 4. Iudex competens. 5. Ut fiat inquisitio, antequam sint transacti viginti anni a die criminis. Vide haec et alia apud Salm.[14].

Notandum 4. quod processus per inquisitionem (etiam in causis religiosorum) sic efformandus est: 1. Eligendus est a superiore secretarius actorum. 2. Examinandi sunt per distinctos articulos, praestito iuramento. 3. Si ex testibus nulla semiplena probatio habeatur, nondum reus potest legitime interrogari, nec, si interrogatur, ipse tenetur respondere, nisi (ait Suar.) sufficienter infamia sit probata, et alia gravia indicia accedant. 4. Demum, si reus fatetur delictum, proceditur ad senten-

(1) Loc. c. p. 10. §. 1. n. 115. (2) Ibid. §. 2. ex n. 119. (3) Ibid. p. 5. n. 50. et 51. (4) Ibid. p. 10. §. 3. n. 143. (5) Ibid. p. 5. n. 53. et p. 10 §. n. 132. (6) Ibid. p. 11. n. 148.

(7) D. 10. in 8. praec. q. 3. p. 5. (8) De offic. c. 1. de iudice p. 11. n. 150. (9) Ibid. n. 155. (10) C. 1. (11) Ibid. n. 158. (12) Loc. c. (13) Ibid. n. 157. (14) Ibid. p. 12. per totum

tiam; si non, proceditur ad eum convincendum, vel ad torturam, si ille vehementer sit de crimine suspectus. Haec et alia apud Salm. [1].

« Resp. 3. Ut iudex faciat inquisitionem specialem, debet saltem regulariter praecedere infamia, vel quid aequipollens, quod iustam det causam. Ratio est, tum quia alioqui diffamaret sine causa, tum quia iudex procedere debet ex scientia publica, quam non habet, nisi per accusationem, vel confessionem rei, vel evidentiam facti, vel per infamiam; ad quam non sufficiunt duo testes qui iurent se vidisse crimen admitti, quia adhuc est occultum: sed requiritur ut rumor sit sparsus per maiorem partem communitatis, id est civitatis, viciniae, vel monasterii, neque a maledicis sit exortus, etsi hac in re tutum sit sequi praxim communem bonorum virorum et rerumpub. ut habent Laym. [2] et Less. [3] ex aliis. Bon. [4].

Unde resolves casus:

» 1. Antequam iudex procedat ad inquisitionem specialem vi infamiae, ipsa infamia prius examinari debet et probari per testes, saltem per duos, qui nominent personas a quibus id publice audiverint. Navar. Reb. [5] Trull. [6].

» 2. Iudex infamatum de uno crimine, v. g. adulterio, non potest interrogare de alio de quo non est infamatus, v. g. furto: quia esset inquisitio specialis sine praevia infamia; Salon. Cai. Trull. [7] nisi tamen crimina sint connexa, vel unum sit circumstantia alterius [8]. et Sanch. [9].

» Dixi in resp. *regulariter*, quia ad specialem inquisitionem non requiritur infamia praevia in casibus certis, quos vide apud Less. [10] Bonac. [11] Sanchez [12] Trull. [13]. »

ART. III. Quid liceat iudici circa quaestiones sive torturam.

202. *Quae requirantur ut possit procedi ad torquendum reum.*
203. *Usquequo possit reus torqueri.*
204. *An semel tortus possit iterum torqueri.*

202. « Resp. 1. Ad torquendum reum (si tamen torqueri potest) requiruntur alicuius gravis criminis ea saltem indicia quae faciant semiplenam probationem, id est, reddant rem plus quam probabilem; qualia habentur, v. g. testis unus omni exceptione maior, rei confessio extra iudicium, item probabiliter etiam assertio duorum vel trium criminis sociorum in criminibus exceptis, praeterquam veneficii (in quo an ex sola denuntiatione complicum, et quomodo procedere liceat, vide Tan. [14] Laym. [15]; item fama publica a viris honestis orta ac per testes probata; cum alterius iudicii adminiculo (nam fama sola non probat, sed habet se instar accusatoris) Laym. [16] ex variis. Ratio responsi est quia tortura instituta est ad subsidium probationis, quando argumenta et indicia sunt valde efficacia, ut sic plena probatio eliciatur: nam confessio rei (si eam ratificet extra torturam, maneatque in ea usque ad sequentem diem) ex semiplena probatione facit plenam. Les. [17] Delr. [18] Laym. [19]. »

Dixi in responsione, *si tamen torqueri potest*, quia quaedam personae prohibentur torqueri, nisi in criminibus exceptis: tales sunt viri in magna dignitate constituti, officiales principum, urbium gubernatores, nobiles equestris ordinis, milites, doctores, eorumque liberi, item impuberes, senes, memoria vacillantes, praegnantes et nondum confirmatae e partu. Delr. [20] Binsf. [21] Lug. [22].

Unde resolves:

« 1. Peccat iudex graviter, si non prius omnia alia media mitiora detegendae veritatis tentet quam ad torturam descendat.

» 2. Tortura simpliciter abstinendum est, quando adest plena probatio criminis, quia ad hanc ordinatur tortura. Nav. Less. [23].

» 3. Insufficientia ad torturam indicia sunt: si cadaver occisi sanguinet

(1) Tr. 29. c. 1. de iud. p. 13. a n. 167. ad 175. (2) Loc. c. (3) D. 15. n. 19. (4) Loc. c. (5) De iud. (6) L. 8. c. 1. d. 17. (7) L. 8. c. 1. d. 18. (8) Ibid. (9) 2. p. cons. l. 6. c. 3. d. 21. (10) L. 2. c. 29. d. 15. (11) T. 2. d. 10. p. 5. (12) 2. p. cons. l. 6. d. 19. (13) L. c. (14) T. 3. d. 4. de iust. d. 2. et 3. (15) L. 3. t. 6. c. 5. (16) Ibid. n. 9. (17) L. 2. c. 29. d. 17. (18) L. 5. s. 3. (19) Loc. c. (20) S. 9. (21) C. 6. (22) D. 37. s. 14. (23) Loc. c.

ad praesentiam alicuius, si sagae non possint lacrymari. Item illicita est probatio per aquas etc. de quibus vide Delr. [1] Less. [2] Trull. [3].

» 4. Peccant iudices qui in causis criminalibus aut notabilis infamiae, reum comprehensum, antequam habeant probationem contra ipsum, iuramento adstringunt ad dicendam veritatem de omnibus pertinentibus ad casum ob quem comprehensus est. Nav. [4]. Additque idem esse si (etsi sine iuramento) minis, terroribus, tormentorum ostensione hominem turbent et implicent, ut sibi contradicens circumstantiam aliquam revelet, qua convincatur et puniatur. Vide card. de Lugo [5].

» 5. Si iudex extorserit confessionem per iniuriam, v. g. si extorserit exemptos, si sine sufficientibus indiciis, si dolo malo, mendaciis, ficta impunitatis promissione induxerit ad fatendum, vel aliter (sive quoad substantiam, sive quoad modum) notabiliter excesserit in tortura, confessio nulla est nec potest ex ea procedi: imo tenetur iudex ad compensationem damnorum, ut docet c. Lugo [6]. Vide Less. [7] Laym. [8] qui etiam dolos bonos quos Del. suggerit iudici, plane reiicit. V. Tann. [9].

» 6. Licet reus confessionem iniuste extortam postridie ratificet, nihilominus iudex non potest procedere ad punitionem rei vel complicis occulti: quia cum confessio fuerit irrita, consequenter etiam ratificatio ex ea orta [10] atque adeo etiam cognitio per illud medium parta est iniusta. Nav. Salon. Less. Sayr. Trull. [11].

203. » Resp. 2. Gravius torqueri potest, contra quem graviora sunt indicia, non tamen ita ut moraliter sit impossibile tormenta sustinere, habita ratione personarum. Unde si hic excedatur, confessio extorta erit involuntaria et habenda pro nulla; etiamsi extra tormenta coram iudice ratificet, metu novae torturae. Laym. [12].

204. » Resp. 3. Semel tortus, si nihil est fassus, iterum torqueri non debet, nisi nova criminis indicia superveniant: quia per torturam priora elisit. Si vero crimen in tortura fassus, extra eam revocet coram iudice, repeti tortura potest: tum quia indicia manent in suo vigore, tum ob inconstantiam. Si vero tertio tortus ac confessus tertio retractet, absolvendus est: quia praesumendum est, vi tormentorum coactam fuisse confessionem, ideoque nullam. Less. [13]. Excipiunt quidam, si indicia sint gravissima, quae violentam praesumptionem pariant, crimen malitiose a reo negari. Laym. [14]. Vide c. Lugo [15] Dian. [16] Trull. [17]. *Vide infra hic d. 6. et 7.* An quando et quomodo iudex possit interrogare reum de complicibus, vide Trull. [18].»

ART. IV. Quid servandum iudici circa sententiam et poenam.

205. *Quandonam iudex inferior possit poenam relaxare vel minuere. Quid si iudex sit supremus.*
206. *An possit iudex iudicare in causa ubi fuit advocatus.*
207. *An possit damnare nocentem qui iuridice est innocens.*
208. *Quid si sciat innocentem et probatus sit nocens.*
209. *Quid facere debeat iudex si utrinque sententiae sint probabiles.*
210. *Plura notanda super hac materia.*
211. *An liceat iudici accipere munera a litigantibus.*
212. *An peccent munera dantes iudici vel eius ministris.*
213. *Quibus poenis puniendus iudex ob munera iniquam ferens sententiam.*
214. *Ad quid teneatur iudex ferens iniustam sententiam.*
215. *An sententia iniusta obliget in conscientia.*
216. *Ad quid teneatur iudex qui munera accepit.*
217. *Quid possint accipere commissarii sive executores.*

205. « Resp. 1. Iudex debet iudicare secundum leges. Unde inferior iudex ordinarie non potest poenam relaxare vel minuere, etiamsi actor consentiat, nisi aliquando ad bonum reip. aliud necessarium esse dictaret epikeia; vel nisi de privata tantum iniuria actoris ageretur. S.Th. [19] Reg. [20] Bon. etc. Trull. [21]

(1) L. 5. (2) N. 167. (3) L. 8. c. 1. d. 21. (4) C. 18. n. 41. et c. 25. n. 56. (5) D. 40. n. 1. (6) D. 37. s. 14. n. 157. (7) C. 19. d. 18. (8) L. 3. t. 6. c. 5. (9) T. 3. d. 2. (10) Ex l. penult. ff. de quaest. (11) L. c. disp. 10.

(12) C. 5. n. 11. (13) C. 29. d. 17. n. 168. (14) Loc. c. (15) D. 37. n. 156. (16) T. 3. tr. 6. r. 16. et 23. (17) L. c. (18) L. 18. c. 1. d. 22 (19) 2. 2. q. 67. a. 4. (20) L. 25. n. 645. (21) L. 8. c. 1. d. 12.

(Vel nisi iuste interpretetur iudex voluntatem superioris: vel nisi adsit alia iusta causa, v. g. si ex diminutione poenae speretur correctio; vel si reus sponte fateatur crimen etc. Vide Salmant. [1]).

» Dixi *inferior*, quia supremus ob iustam causam (Puta, si reus sit bene meritus, vel sit occasio publicae laetitiae etc. (excipe, si reus sit nocivus reipublicae) s. Thom. Suar. Sanch. cum Salm. [2]) id potest: sine tamen causa graviter peccaret, secundum Cai.[3], quia animaret delinquentes, et concurreret ad peccatum. An autem liceat intercedere apud iudicem pro liberatione rei. Vide Bon. [4] Trull.[5] (Resp. affirmative, maxime in iis quae iudex licite facere potest. Sot. Lugo Trull. Salm. [6]).

206. » Resp. 2. Si in aliqua causa fuit advocatus, in eadem iudex esse et sententiam ferre non potest[7] quia iudicium eius habetur suspectum, propter affectum ad unam partem, ut ex communi dd. docet Sanch. [8] additque [9] sententiam non fore validam, (quod tamen alii negant, si sit iudex ordinarius). C. Lugo [10]. Vide etiam Dian. [11] qui ex Corduba sentit talem iudicem in conscientia non peccare, si sine affectu secundum leges, altera parte inscia, iudicet.

207. » Resp. 3. Quem iudex privata scientia scit esse nocentem, si iuridice sit probatus innocens, non potest condemnare: quia iudicat ut persona publica, ideoque sequi debet scientiam publicam, ac procedere secundum allegata et probata praesertim in favorem rei. S. Thom.[12] Nav. [13] Cai. Fill. Less. Bon. [14].

208. » Resp. 4. Quem iudex privatim scit esse innocentem, si iuridice probatus sit nocens, tenetur omni modo liberare, si potest v. g. impediendo accusationem, extrahendo iudicium, aperiendo carcerem (si sine maiori malo potest), remittendo causam ad superiorem; et si sic nihil efficiat, probabiliter quidem plurimi doctores tenent cum s. Th.[15] (Cum Sanch. Tamb. Vasq. et Salm.[16]) ob rationem paulo ante datam, quod possit condemnare: verius tamen videtur contrarium quod cum aliis docent Les.[17] Sa [18] Petr. Nav. Fil. Bon.[19] Tol. etc. (Idque valde probabile est, quia damnare innocentem est intrinsece malum; sicut esset cogere mulierem ad convivendum cum eo, quem privatim scit iudex non esse suum maritum; ita fuse Holzman [20] cum Anacl. Less. [21] item Nav. Sylv. Ang. Panorm. Host. Malder. Corduba etc. apud Salmant. [22]. Vide card. Lug. [23]) quia directe occidere innocentem est intrinsece malum; ergo quomodocumque sciatur esse innocens, erit peccatum. Les.[24] in causis tamen civilibus et criminalibus minoribus, ubi tantum agitur de poenis pecuniariis, potest etiam iudex secundum hos auctores, simpliciter procedere secundum allegata et probata, tum quia innocens per appellationem potest restitui in integrum: tum quia respublica habet potestatem in bonum suorum civium, quando bonum publicum id requirit, ut in hoc casu, ne forma publicorum iudiciorum cum populi scandalo evertatur (Cum Lugo Less. Viva Ban. Bon.[25]. Ambae hae sententiae probabiles sunt). Vide Laym.[26] Less. [27] Bonac. [28].

209. » Quaeres 1. Quid faciendum iudici, cum utrinque sunt sententiae probabiles in quaestione iuris, v. g. an ex testamento minus solemni debeatur haereditas.

» Resp. Debet ferre sententiam secundum opinionem de iure probabiliorem, saltem si sit iudex supremus. Neque tunc videtur tenendum quod quidam docent, eum satisfacere conscientiae, si causam adiudicet defendenti se

(1) Append. de offic. c. 1. de iudice p. 3. n. 31. (2) Ibid. n. 29. (2) V. Iudex. (4) Loc. cit. (5) Loc. c. (6) N. 32. (7) L. Quisquis c. de postulando, et l. Praetor ff. de iurisd. (8) Loc. c. cons. c. unic. d. 26. (9) N. 3. (10) De iust. d. 41. l. 1. n. 4. (11) P. 3. t. 5. misc. r. 56. (12) 2. 2. qu. 67. (13) C. 25. (14) D. 10. q. 2. p. 2. (15) 2. 2. q. 64. art. 6. ad 3. (16) Tr. 25. de 5. praec. c. 1. p. 3. n. 29. (17) L. 2. c. 29. d. 10. (18) V. Iudex. (19) D. 10. q. 2. p. 2. (20) T. 1. p. 499. ex n. 668 (21) Lib. 2. c. 29. n. 78. (22) Loc. c. n. 27. (23) D. 37. sect. 14. (24) L. c. (25) Ibid. n. 28. (26) C. 2. n. 8. (27) Dist 10. (28) L. c. n. 4.

probabiliter, licet altera probabilius. Ratio est quia iudex est constitutus, ut secundum merita causae et sententiam, quae ei maxime videtur rationi consona, causam decidat, quia alioquin esset acceptor personarum.

» Dixi, *si suprema sit:* quia si sententia aliqua communiter sit accepta in tribunali superiore, iudex inferior videtur secundum eam posse iudicare, licet minus probabilem: quia videt probabiliorem cum honoris sui praeiudicio revocandam in superiore tribunali. Laym. [1] ex Sylv. Vasq. etc. Vide tamen c. de Lugo [2].»

210. Adverte hic prop. 2. damnatam ab Innoc. XI. quae dicebat: *Probabiliter existimo iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.* Ratio damnationis est quia iudex a republica cum hoc pacto constituitur, ut unicuique ius suum tribuat et quidem ius maius habet is cui probabilior opinio favet.

Sed notant dd. 1. quod attendenda est illa opinio quae probabilior est secundum allegata et probata. Hinc dicunt non posse iudicem aperire alteri parti, quid ipsa posset pro se allegare; quia hoc esset agere munus advocati, quod iudici non licet. Ita Salm. [3] cum Vasq. Suar. Pal. contra Dicast. Notant 2. propositionem damnatam loqui praecise de sententia, quare dicunt, ex illa non vetari iudici opinionem minus probabilem sequi quoad actus, prout examinare testes, etc. sententiam praecedentes. Salm. [4] cum Tap. et aliis cit.

Quaeritur autem hic 1. An in causis civilibus paris probabilitatis possit iudex ferre sententiam pro parte, pro qua maluerit. In aequali probabilitate facti si ius aeque faveat partibus, communiter dicunt dd. tunc omnino rem esse dividendam. Ita Lugo [5] Sanch. [6] Pal. [7] cum Suar. Con. Salon. Bon. etc. contra paucos. Dubium fit, quando sub opinione est, cui partium ius magis faveat.

(1) L. 1. t. 1. c. 5. §. 3. n. 16. (2) D. 37. s. 10.
(3) Append. de offic. c. 1. de iudice p. 4. n. 40.
(4) Ibid. (5) De iust. d. 37. n. 115. (6) De matr. l. 2. d. 41. n. 16. (7) T. 1. tr. 1. d. 2. p. 10. n. 2.

Prima sententia tenet in eo casu posse iudicem rem adiudicare cui voluerit, quia cum utraque pars tunc habeat iuxta diversas dd. probabiles sententias integrum ius ad rem, bene poterit iudex uni ex iis sententiis se conformare, et tunc nullam alteri parti iniuriam infert. Ita Lugo [8] Sanch. [9] cum Sot. Valent. Salas Led. Man. Metin. item Palaus, qui vocat communem (sed immerito, ut videbimus).

Secunda sententia vero, quam probabiliorem putant Salm. [10] cum Suar. Ban. Conc. Fill. Prado Sayr. etc. et rectius omnino tenendam censent Ronc. [11] et Anacl. [12] docet adhuc in eo casu rem esse dividendam. Ratio quia iudex non est rerum dominus, sed distributor iuxta iura partium; et ideo, si iura sunt aequalia, aequaliter inter eas rem dividere debet.

Quoniam tamen ius caeteris paribus magis favet possessori, propterea excipitur 1. Si eo casu quo probationes sint aequales, vel utrinque adsint opiniones aeque probabiles, una pars bona fide possideat; tunc enim ipsi favendum, ut recte aiunt Pal. [13] Salm. [14] et Spor. [15] et probatur ex *c. Litteris de probat.* ubi dicitur quod si ambarum partium testes sint aeque idonei, possessoris testes praeferuntur. Excipitur 2. si agatur de causis matrimonii, dotis, viduae, pupilli et aliis causis piis; nam tunc pro iis iudicandam, cum iura sunt aequalia, etiamsi sint actores *ex c. fin. de sent. et re iud.* Secus vero si pars opposita ius potius habeat *ex l. Si pars. ff. de inoff. test.* Excipitur 3. si agitur de causis criminalibus maxime capitalibus, quia tunc omnino iudicandum pro reo, etiamsi pro ipso stet opinio minus probabilis. Ratio quia nemo condemnandus, nisi constet de eius crimine *ex l. Absentem ff. de poenis, et l. Sciant c. de prob.* ubi ad proferendam sententiam sanguinis probationes debent esse luce clariores. Et hanc fuisse mentem pontificis, cum praedictam

(8) L. c. (9) N. 45. (10) Ibid. n. 42. (11) Tr. 15. q. 2. c. 1. q. 9. (12) Tr. 1. d. 3. §. 3. n. 62. (13) Loc. c. (14) Tr. 29. c. 1. p. 4. n. 44. (15) De conc. l. 1. n. 69.

prop. 2. damnavit, dicunt Lumb. Filg. et alii ap. Salm. [1].

Quaer. 2. An in causis civilibus debeat iudex iudicare contra legitimum possessorem, si actori faveat opinio probabilior. Certum est 1. quod si rationes sint aequales, iudicandum pro legitimo possessore, ut probat Sanch. [2] cum Soto Cov. Sylv. Mol. et aliis innumeris, *reg.* 65. *de reg. iur. in* 6. ubi dicitur: *In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.* Ratio quia licet in dubio ius sit aequale quoad proprietatem, potius tamen est ius possidentis, qui certus est iuris possidendi. Certum est 2. quod in dubio possessionis et proprietatis iudicandum est pro eo qui habet rationes probabiliores, id patet ex prop. 2. damnata ab Innoc. XI. quae dicebat: *Probabiliter existimo iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.* Ratio quia iudex est constitutus a republica, ut unicuique ius suum reddat secundum merita causae; unde ipse debet rem adiudicare ei qui pro se ius potius habeat. V. Sanc.[3]. Lug.[4] et Salm.[5]. Dubium fit si pro actore sint rationes probabiliores, pro quo tunc iudicandum? Tamb.[6] respondet eo casu iudicem teneri rem adiudicare actori ob eamdem rationem mox allatam, quia ius possessionis praevalet in pari causa, non autem in causa minus probabili. Cardinalis autem de Lugo [7] dicit quod iudex non tenetur, sed potest pro actore ferre sententiam, eo quod potest sequi opinionem probabilem, nempe quod actor, rationes pro se probabiliores adducendo, satis ius suum probet. Alii vero communiter, ut Carden. cum Diana etc. [8] item Croix [9] Elb. [10] Holz. [11] et alius doctus scriptor neotericus, qui (cum Filguera in eadem prop. 2.) hanc sententiam vocat communem, satis probabiliter tenent quod iudex non potest reum legitime possidentem re expoliare, si pro ipso stent rationes probabiles, etiamsi pro actore stent probabiliores. Ratio quia possessio dat ius certum possidenti ad rem retinendam, donec constet de iure alterius, ut loquitur Roncaglia, dicens: *Titulus possessionis ex communiori theologorum sententia elidit rationes probabiliores.* Idque dicit Carden. [12] probari auctoritate communissima doctorum cum Bartol. Innoc. Abb. Iason Felin. etc. et pluribus textibus. Unde doctissimus card. Sfondratus [13] scripsit, non esse procedendum contra possessionem, nisi ex certitudine. Cum enim ius possessionis sit ius certum, non potest elidi nisi ab alio iure certo actoris et iam probato. Nequit autem dici actor ius suum probare, qui rationes probabiliores, non autem convincentes, adducit contra possessorem qui probabile ius habet. Huic sententiae se adiungit Bon. [14] qui loquens de obligatione restitutionis, dicit quod possessor habens pro se rationem probabilem non tenetur ad ullam restitutionem, etiamsi ius alterius ipsi videatur probabilius, has rationes adducens: *Tum quia in foro externo non obligaretur ad ullam restitutionem; ergo nec obligandus est in foro conscientiae, cum idem esse debeat iudicium fori interni et externi, quando forum exterius non nititur falsa praesumptione: tum quia possessio certa praevalet rationibus inducentibus in partem oppositam, sed non generantibus assensum.* Ergo ut certum habet hic auctor quod etiamsi actor habet pro se rationes probabiliores, sed non convincentes, possessor non est iudicio exspoliandus re possessa. Nec obstat textus supra oppositus: *In pari causa potior est conditio possidentis.* Ergo (ut ait Tamb.) non est potior in causa non pari. Nam responderi potest quod ex textu illo non necessario infertur quod sententia ferenda sit pro actore habente rationes probabiliores contra possessorem legitimum qui pro se rationem probabilem habet, hoc enim casu potius attendi debet illa regula iuris 11.

(1) Ibid. n. 45. (2) De matr. l. 2. d. 41. n. 12. (3) Dec. l. 1. c. 9. n. 47. (4) D. 37. n. 116. (5) Ibid. n. 59. (6) Dec. l. 1. c. 3. §. 4. n. 6. (7) De iust. d. 16. n. 99. (8) 1. crisi d. 16. c. 9. n. 156. et 192. et in dicta propos. 2. dist. 3. c. 4. n. 33. et 59. (9) L. 4. n. 1485. (10) T. 1. p. 70. n. 198. (11) T. 1. p. 37. n. 172. (12) L. c. n. 143. (13) In reg. sac. lib. 1. §. 20. n. 11. (14) De rest. d. 1. q. 2. p. 2. n. 6.

nimirum: *Cum sunt partium iura obscura potius favendum est reo quam actori.* Dixi *possessorem legitimum*, quia alioquin (ut supra diximus) si possessio non esset certa aut non certa legitima, tunc iudex debet ius dicere secundum opinionem probabiliorem de proprietate, ut omnes docent cum ipso Carden. [1]. Et ideo iudices communiter res adiudicant habentibus ius probabilius, quia in foro externo difficulter bona fides possessoris probari potest.

211. Quaeritur 3. An sit licitum iudici accipere aliqua munera a litigantibus. Certum est non licere accipere munera magna quae vocant *sportulas*, scilicet pecunias, vestes et alias res pretiosas. Dubium est an liceat recipere munera parva quae vocantur *xenia*, id est esculenta et poculenta. Affirmant Azor. Cai. Sylv. Angel. et Menoch. ap. Salm. [2] *ex l. Solent*, §. *Non vero ff. de Off. procons.* ubi dicitur, nomine munerum non venire *xenia*. Probant insuper *ex c. Statutum*, §. *Insup. de rescript. in* 6. ubi Bonifacius VIII. sic ait: *Insuper, ut gratis..... iudicium.... procedat, nullum munus.... (nisi forsan esculentum vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus, vel nisi cum ipsum propter causam sibi commissam contigerit extra suum domicilium proficisci, moderatas expensas) recipere ab iisdem partibus qualitercumque praesumat.* Verumtamen contradicunt Salmant.[3] cum Navarr. Soto Cord. et aliis, et aiunt praedictam *l. Solent*, correctam fuisse *ex Auth.* 2. *c. Scriptum et c. Iusiurandum etc.* Textum autem in §. *Insuper* ut supra, aiunt loqui tantum de iudice delegato apostolico, non de aliis, ut constat *ex c. Cum ab omni*, *de vita et honest. cler. et c. Romanae*, *de censibus in* 6. Excipi tantum dicunt episcopum dum visitat dioecesim, aut ecclesiam consecrat, qui tantum expensas victus moderatas accipere potest, ex *c. Romana*, §. *Procurationes*, *de cens. in* 6. Vide Salm.[4]. His vero non obstantibus primam sententiam cum Glossa *in cit.* §. *Insuper* nescimus reprobare, dummodo esculenta illa a iudice nec directe nec indirecte postulentur [5], nescimus enim agnoscere in quo differant iudices delegati ab aliis. Sicut autem (ait praefata Glossa) non reputatur simonia si praelatus regularis gratis aliquid recipit ab eo qui petit religionem ingredi, ut habetur *in cap. Dilect.* 30. *de simonia, in fin.*, cum nequeat supponi praelatum propter aliquod tenue donum gratis oblatum admissionem ad religionem vendere velle; ita nec supponi potest ob simile munus iudicem velle iniustam ferre sententiam.

212. Quaeritur 4. Utrum peccet qui munera dat iudici aut eius ministris. Distingue, si det sine iusta causa equidem peccat cooperando iniustae receptioni; secus, si cum causa, nempe ad redimendam iniustam vexationem; modo periculum sit probabile, quod alias manifesta iniustitia sibi inferretur; tunc enim haec non est corruptio, sed cautio, ut ius suum sibi tribuatur. Ita communiter Sanch. [6] Lugo [7] Mol. Cord. Pal. etc. ac Salm. [8] contra Ledesm. etc. [9]. Nec obstant huic leges prohibentes; nam leges intendunt vitare ne dantes muneribus iudices corrumpant, non autem ut iustam sententiam obtineant. Notandum autem quod dans munera posset post sententiam repetere in iudicio quod dedit, et iudex certe ante sententiam illud restituere tenetur ex c. *Non sane*, *caus.* 14. *quaest.* 5.

213. Notandum denique quod iudex saecularis baratriam committens (id est pecunia corruptus iniquam ferens sententiam) ex legibus dignitate privatur, inhabilis redditur ad amplius iudicandum, et relegatione punitur: insuper reputatur infamis et tenetur restituere triplum pro poena, et omnia damna parti laesae. Hoc in causa civili. Sed in causa criminali, ubi innocentem damnasset ad mortem, capitis poena multeritur legitime praescripta. Hom. Ap. tr. 13. n. 66.

(1) Loc. c. in dict. prop. 2. (2) Tr. 29. c. 1. p. 7. n. 73. et 74. (3) Ibid. n. 79. et 80. (4) Tr. 29. c. 1. p. 7. n. 86. (5) Saltem in hoc, ut ait Lugo, non debet reprobari consuetudo ubi re-

(6) Consil. lib. 3. c. un. d. 3. n. 3.
(7) D. 3. n. 136. (8) Ibid. n. 89.
(9) Ibid. n. 90.

etatur. Iudex autem ecclesiasticus suspenditur ab officio per annum, et potest alia poena puniri. Vide Salmant. [1]. Corrumpens autem iudicem ut iniquam sententiam proferat, punitur eadem poena qua iudex ut supra. Ita communiter dd. cum Sanch. [2]. Addunt Farin. et Menoch. quod corrumpens amittit etiam actionem ad datum repetendum. Dantes autem aut recipientes pro obtinenda gratia aut iustitia apud sedem apostolicam incurrunt praeterea excommunicationem ipso facto reservatam, et accipientes ad restitutionem tenentur; atque clerici omni officio aut beneficio privantur. Vide Salm. [3].

» Resp. 2. Si opiniones oppositae aeque probabiles videantur, non licebit uni eorum adiudicare totum pro suo arbitrio, cum uterque aequale ius habeat, sed suadebit compositionem: imo etiam imperabit, in casu nimis intricato (alias enim non licet); vel uni dimidium et alteri alterum dimidium iuris aut rei de qua lis est, adiudicabit, memor interim axiomatis quod, *si partium iura sint obscura potius favendum sit reo quam actori*. Bon. [4].

214. « Quaeres 2. Ad quid teneatur iudex qui sententiam iniustam tulit.

» Resp. 1. Si dolo, vel (ut dixi *d.* 1. *art.* 1.) magna imperitia id fecit, litem fecit suam, id est damnum partis laesae in se transtulit, cui tenetur restituere. Bon. [5] ex s. Thom. etc. *Vide supra n.* 195.

» Resp. 2. Si alioqui dignus suo munere (tametsi id petens impetraverit, aliis dignioribus neglectis) per oblivionem, ex humana fragilitate erraverit, non obligatur in conscientia ad restitutionem ex propriis cum iniuriam formalem non intulerit, neque aliquid commodi ex tali sententia acceperit, vel potius (secundum alios) cum culpam theologicam non commiserit: debet tamen revocare sententiam, si potest sine gravi incommodo. Laym. [6].

215. » Quaeres 3. An sententia iudicis iniusta obliget in foro conscientiae.

» Resp. Sententia iniusta ex natura rei aut ex omissione ordinis iuris simpliciter necessarii, sive feratur per falso allegata et probata, sive ex iudicis iniquitate, nullum habet robur in foro conscientiae; manetque parti laesae, tametsi non appellet, ius suum, licebitque, si absque scandalo possit, recuperare bona. S. Th. Sayr. Bon. [7] Trullench. [8]. Ratio est quia sententia eatenus obligat in conscientia, quatenus habet rationem iudicii, hoc est, ut est determinatio iuris et definitio iusti.

» Dixi, *in foro conscientiae*: quia in foro externo, ubi non tam veritas facti, quam probatio iuridica spectatur, sententia prolata servanda est, ad evitanda scandala et incommoda, neque elapso termino (intra quem appellare licebat) actio ei conceditur, lege sic statuente, tum in poenam pigritiae, tum ob bonum publicum, ut litium sit finis. Trull. [9] ex Sayr. etc.

Unde resolves:

» 1. Is cuius bona per sententiam manifeste iniustam adiudicata sunt alteri, potest (nisi alter iuste praescripserit) per occultam compensationem ea recipere: quia recuperat ius suum. Trullenchius [10].

» 2. Qui sciens per iniustam sententiam mala fide accepit bona, tenetur ea semper restituere, neque unquam praescribere potest, quia sunt aliena, et possessor malae fidei nunquam praescribit: imo tenetur expensas restituere et compensare damna, etiamsi pars laesa non appellaverit, cum non renuntiet ideo iuri suo.

» 3. Qui bona fide rem postulavit a iudice et bona fide accipit, intelligitque ante tempus praescriptionis finitum, fuisse sententiam iniustam, tenetur eam, non tamen expensas restituere. Si vero possedit rem bona fide, tempore ad praescribendum necessario, non tenetur restituere, quia legitime praescripsit. Salon Sayr. Trull. [11].

(1) Tr. 29. c. 1. p. 7. n. 94. (2) De matr, l. 1. d. 54. n. 1. (3) L. c. n. 88. (4) De peccatis, d. 2. q. 4. p. 9. (5) D. 10. q. 2. p. 4.

(6) L. 3. t. 6. c. 2. n. 11. (7) D. 10. q. 2. p. 4. (8) L. 8. c. 1. d. 7. (9) L. 8. c. 4. d. 7. (10) Ibid. (11) Loc. cit.

216. » Quaeres 4. Quid liceat iudici circa munera.

» Respond. 1. Etsi a partibus munera liberalia accipiens aliquando peccet, vel ob scandalum vel ob periculum pervertendi iustitiam, acceptorum tamen dominium comparat, spectato iure naturae. (Hoc est commune et certum. Salm. [1]).

» Resp. 2. Etsi lex positiva munerum acceptionem prohibeat, accipiens tamen non tenetur ad restitutionem ante sententiam iudicis, nisi lex exprimat quod non illicita tantum, sed etiam invalida sit acceptio. Vide Bon. [2] Lay. [3].»

Quaeritur hic an iudex teneatur restituere accepta ante sententiam iudicis.

Prima opinio quam tenent Sotus [4] et Tapia Cord. Rodriq. Arag. etc. apud Salm. [5] affirmat, ex *leg. Iurisgentium ff. de pactis, leg. Si plagii ff. de verb. oblig. etc.* ubi tales conventiones nullae declarantur. Et favet huic sententiae d. Th. qui [6] dicit: *Et quia etiam ille qui accipit, contra legem accepit, non debet sibi retinere.*

Secunda opinio vero negat, et hanc tenent Lugo [7] Less. [8] et s. Anton. Pal. Bon. Nav. Azor. Trull. et alii ap. Salmant. [9] qui aeque probabilem vocant. Ratio quia haec restitutio non debetur de iure naturae, iuxta dicta *lib.* 3. *n.* 712. nec de iure positivo, quia leges praefatae et aliae vel intelliguntur pro foro tantum externo, vel de restitutione in poenam criminis, pro qua semper requiritur sententia, etsi non inflictiva poenae, saltem declaratoria criminis. Utraque sententia est satis probabilis.

« Resp. 3. Si iudex iniuste extorqueat munera, nolens facere quod iustum est et debet, nisi ea dentur, tenetur restituere: ut etiam, si quid datum sit ad redimendam vexationem, v. gr. ne iniuste faveat parti adversae, ne causam nimis differat. Quamquam hoc casu interdum praesumi possit, datorem remittere obligationem restituendi. Laym. [10] ex Gab. et Reb. etc.»

Certum est igitur et commune inter dd. quod quicumque accipit aliquid, ut faciat aut omittat id quod ex iustitia facere vel omittere tenebatur, acceptum restituere debet. Ita s. Thom. Pal. Lug. Bon. etc. cum Salm. [11]. Dixi *ex iustitia*, nam qui non tenetur ad aliquid ex iustitia, sed ex caritate aut alia virtute, bene potest pro eo pretium accipere, quandoquidem quod promittit est pretio aestimabile, ut recte censent Sot. Bon. Lugo [12] atque Salm. [13] contra Lessium Trull. etc. Iudex igitur qui ex iustitia tenetur iustas ferre sententias, certe restituere tenetur pretium acceptum pro iusta sententia ferenda; et hoc etiamsi acceperit, non ab una ex partibus, sed ab extraneo, puta illius amico, familiari, ut verius sentiunt Lugo [14] Tap. Reb. et Salm. [15] contra Sot. Bann. Led. Dic. Vill. An autem iudex teneatur restituere acceptum pro ferenda iniusta sententia. *Vide dicta lib.* 3. *n.* 712.

Sed hinc quaeritur an, cum iustitia est dubia, sive paris probabilitatis, ita ut iudex possit ferre sententiam pro parte pro qua maluerit (iuxta opinionem aliquorum quos retulimus *n.* 210. v. *Quaeritur autem;* quam vero opinionem ut probabilem non admisimus), teneatur iudex restituere quod accepit ab una ex partibus, ut pro ea sententiam proferret. Certum est talem acceptionem esse illicitam ex propos. 26. damnata ab Alex. VII. quae dicebat: *Quando litigantes pro se habent opiniones aeque probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.*

Sed *prima sententia* negat acceptionem esse invalidam de iure naturali, quia iudex accipit, ut faciat id ad quod ex iustitia non tenebatur. Ita Less. [16] et probabilem vocant Trull. Fagund. etc. Et ideo dicunt, si non adsit lex particularis, non deberi restitutionem.

(1) De restit. cap. 1. p. 7. n. 170. (2) In 8. pr. q. 2. p. 8. (3) L. 3. tr. 4. c. 4. n. 9. et 10. (4) Lib. 4. q. 7. art. 1. ad 2. (5) Ibid. n. 172. (6) 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2. (7) D. 18. n. 54.

(8) L. 2. c. 14. n. 56. (9) Ibid. n. 170. (10) Loc. c. (11) De rest. c. 1. p. 8. n. 177. (12) D. 18. n. 67. (13) Ib. n. 185. (14) D. 37, n. 126. (15) Ib. n. 183. (16) L. 2. c. 14. n. 64.

Secunda sententia vero, cui subscribo, contradicit; quia iudex, semper ac sententiam fert, exercet actum ad quem ex iustitia tenetur; nihil igitur accipere potest pro sententia quam profert, cum ad id ex iustitia teneatur. Ita Diana Pal. Mol. Cov. cum Salm. [1].

217. Circa autem stipendium commissarii seu executoris, quaeritur, an si commissarius mittitur ad plures executiones faciendas, possit a singulis debitoribus integrum stipendium diarium exigere. Affirmant Lug. [2] et Less. [3], eodem modo quo quis locans operam suam alicubi pro alicuius negotio, tantundem ab alio pro alio negotio posset exigere. Sed negant Sanchez [4] Tann. Diana etc. cum Salmant. [5], qui verius dicunt omnino tenendum oppositum, quia, ut aiunt, salarium diurnum, non datur commissario pro numero executionum, sed pro opere cuiusque diei, ideo solum salarium ordinarium exigere potest et aliquid amplius quidem, si labor ob numerum executionum sit extraordinarius, ut bene notant Salmant. [6] cum aliis [7].

Certum autem videtur cum Sanch. [8] Arag. Salon. Sot. ac Salm. [9] non posse iudicem dividere stipendium cum executore (et tanto minus posse executorem dividere cum alio, ut dicunt; sed hoc non placet): quia iudex de officio tenetur eligere commissarium; idcirco pro tali electione nullum pretium recipere potest.

DUBIUM III. Quod sit officium advocati.

218. « Suppono secundum omnes, in advocato quatuor requiri, scilicet scientiam convenientem, iustitiam causae, fidelitatem et pretium iustum: quod si taxatum est, non licet ultra hoc accipere: ubi non est taxatum, sufficit iustum naturale. Vide apud Bon. »

219. Sed ante omnia notandum est, vetitum esse munus advocati exercere impotentibus, infamibus, item monachis, nisi interveniat utilitas monasterii et licentia praelati [10]. Item sacerdotibus, sive in foro laicali sive ecclesiastico [11], nisi sit causa propria, vel propriae ecclesiae, vel pauperum, vel consanguineorum infra 4. gradum, modo isti alium advocatum ita idoneum non inveniant. In causa tamen criminali non licet unquam sacerdotibus advocare coram iudice saeculari. Sanchez Sylv. etc. cum Salm. [12]. Idem dicitur de clericis in sacris constitutis, sive in minoribus, si sint beneficiati, nisi careant patrimonio sufficienti ad victum, ut Sanch. [13] Panor. Lancell. Sylv. et Salm. [14]. Si quis autem ex his semel vel bis causas advocaret contra prohibitionem, non peccaret graviter; secus si ex professo, ut Sanch. etc. cum Salm. [15].

Sed notandum 1. ex communi sententia non esse vetitum clericis non sacerdotibus advocare pro negotiis ecclesiasticis (ratione vel personae vel rei ecclesiae) in quocumque foro. Ita iidem aa. [16]. Et constat ex c. 1. *Clerici de postulando*, ubi clericis tantum prohibetur advocare in foro laicali pro causis saecularibus. Notandum 2. quod clerici in minoribus sine beneficio possunt quascumque causas civiles in quo-

(1) De rest. c. 1. p. 8. n. 181. (2) Disp. 37. n. 138. (3) L. 2. c. 24. n. 28. (4) Cons. l. 5. c. unic. d. 25. (5) De offic. c. 1. de iudice, p. 8. n. 96. (6) Cit. n. 96. in fine.
(7) Sed tamen hic oportet distinguere, quia Sanch. et Salm. loquuntur, cum commissario taxatum est pretium pro occupatione sua cuiusque diei et tunc certe, ut concedit Lugo, non potest ille plus eo exigere. Sed cum commissiones essent disparatae et assignatum esset salarium speciale pro qualibet procuratione, recte dicit Lugo, posse commissarium exigere plura salaria pro qualitate executionum, et hoc est quod sentit etiam Less. H. A. tr. 13. n. 68.
(8) L. c. d. 24. n. 1. (9) Ibid. n. 98. et 99.
(10) Ex c. Ex parte 3. de Postulando.
(11) Ex c. Sacerdotibus, ne cler. vel mon.
(12) De offic. c. 4. de advocat. p. 1. n. 5.
(13) C. 1. d. 4. n. 7. (14) Ibid. n. 7. et 8.
(15) Ibid. n. 10. (16) Ibid. n. 7.

libet foro advocare. An vero possint in causa criminali. Affirmant alii apud Salm. [1]; sed tutius negandum [2]. Probabiliter tamen licet reum tueri, ut Sanch. [3] cum Nav. cum textus loquantur de tuendo actore.

220. « Resp. 1. Non potest sub gravi peccato suscipere causam quam scit esse iniustam: ex causis autem civilibus, in utramque partem probabilibus et dubiis, potest utramvis, etiam minus probabilem tueri: dummodo cliens de minore probabilitate moneatur. Vasquez Salas card. de Lugo Diana [4] quia utraque pars habet ius proferendi suas rationes in iudicio: ergo etiam advocatus patrocinandi; neque semper est verius quod videtur probabilius: et forte aliud erit iudicium iudicis: Bonac. [5].

» Dixi *civilibus;* quia in causa criminali dubia non licet tueri partes actoris qui in tali casu graviter peccat contra reum, ergo etiam advocatus, Fill.[6]: neque quando actor contra possessorem agens scit se nihil posse evincere, sed rem mansuram semper dubiam; quia tunc iniuste vexatur possessor, pro quo tandem iudex debebit iudicare: vide card. de Lugo [7] Salas [8].

» Resp. 2. in causa criminali potest reum etiam sontem defendere, ut mortem aliamve poenam evadat, quia reus non tenetur ad poenam nisi convictus; ergo potest per se vel alium eam avertere, donec convincatur; Bonac.[9].

221. » Resp. 3. Advocatus tenetur pauperibus in extrema (Etiam cum suo incommodo gravi, non autem gravissimo, ut s. Th.[10], quando non apparet in promptu quomodo possit pauperi aliter subveniri, item Sanch. Pal. et Salm.[11] communiter), vel gravi necessitate gratis patrocinari: sine notabili tamen suo incommodo. Ratio est lex caritatis. Nav. Cai. Les. Fill. Bonac.[12]. (An autem in necessitate gravi teneatur pauperes tueri sub mortali. Negant Nav. et Cai. Sed verius affirmant Sotus Val. Tol. etc. cum Salm.[13] quando advocatus superfluum habet suo statui. Tenetur etiam advocatus causas pauperum advocare in necessitatibus communibus; sufficit tamen, si ipse in hoc aliquid largiatur ex superfluis, intellige temporis et divitiarum). »

222. Magna est quaestio, an possit advocatus tueri causam minus probabilem. Quod possit tunc reum tueri, commune est; dicunt tamen Val. Sylv. Marin. etc. apud Salm.[14] non posse cum opinione minus probabili defendere actorem. Alii tamen communius cum Bus., ut Lugo [15] Sanch. [16] Az. Vill. Lorca etc., indistincte concedunt advocatis tueri tam actorem, quam reum in causa minus probabili, quia, si potest quisque cum iure probabili litigare, potest etiam alius eum tueri, modo moneat suum clientem de minori probabilitate suae causae. Utramque sententiam Salm. [17] vocant satis probabilem, sed revera huic secundae sententiae adhaerent, sicut et ego. Ratio tum quia opinio minus probabilis decursu temporis potest probabilior evadere, tum quia multoties opinio quae advocato minus probabilis apparet, ipsa iudici videtur probabilior. Notant tamen 1. Lugo Malder. Diana et Lorca apud Salmant. [18] quod hoc currit si probabilitas sit iuris; nam si sit facti, etiam in pari probabilitate (quia tunc omnino favendum est reo) communiter dicunt non licere advocato actorem tueri. Notant 2. Salmant.[19] cum Lugo [20] quod in causa paris probabilitatis iuris, commune est inter dd. licitum esse advocare sive pro reo sive actore.

223. « 1. Advocatus, qui sciens patrocinatur causae iniustae (Sive qui culpabiliter ignorat causam esse iniustam, Salm.[21]) tenetur ad compensationem omnium damnorum inde conse-

(1) Ibid. n. 9. (2) Ex c. Sententiam 9. Ne cler. vel mon. et c. 1. dist. 51. (3) L. 6. c. 7. d. 3. (4) T. 4. P. 2. r. 4. (5) De pecc. d. 2. q. 4. p. 9. et in praecepta d. 10. q. 2. p. 4. (6) L. 40. c. 1. (7) De iust. d. 41. n. 7. (8) In t. 2. d. 1. sect. ult. n. 108. (9) D. 10. q. 3. p. 4. n. 7. (10) 2. 2. q. 71. art. 1. (11) De offic. c. 4. de advocat. p. 2. n. 20. et 21. (12) Loc. c. (13) Tr. 29. c. 1. de advoc. p. 2. n. 23. et 24. (14) Ib. p. 3. n. 57. (15) D. 41. sect. 1. n. 8. (16) Dec. 1. c. 9. n. 53. (17) Ibid. n. 48. (18) Ibid. n. 36. (19) Cit. n. 55. (20) Loc. c. (21) Ibid. n. 52.

quentium. Unde parti contrariae restituere debet ex peccato commissionis, quia fuit illi causa positiva damni (similiterque, si causam dubiam tueatur, eamque obtineat fraude; quia intercedit iniustitia ratione partis adversae): clienti vero suo tenetur restituere ex peccato omissionis; quia ex officio tenebatur monere ignorantem causae iniustitiam. Quod addo, quia, si clienti constabat de causae iniustitia, non tenetur illi restituere. Bonac. [1] Less. [2] Fill. Laym. Tann. [3].

» 2. Similiter peccare et ad restitutionem teneri, quando defendit articulum iustum causae iniustae, ut sic adversarium vexet, impediat, differat, aut pervertat, docet Trull. [4] ex Caiet. Sayr. etc. quia censetur defendere causam iniustam.

» 3. Quando causa nihil fere habet probabilitatis, ita ut vix moraliter sit spes obtinendi, eo quod apud iudices semper reiiciatur, regulariter non licet suscipere; tum quia facit ut cliens sine fructu tempus et pecuniam perdat; tum quia talis communiter non habetur probabilis. Card. Lugo [5]. Quando autem cliens habet bonum ius in causa possessionis, non tamen in proprietate, an liceat advocato eum defendere in causa possessoria (dum de proprietate non agitur). Quidam affirmant, negant alii. Vide Fag.[6] Mol.[7] card. de Lugo [8].»

Alii igitur dicunt licere advocato talem clientem defendere, quia tunc solum permissive cooperatur ad peccatum clientis, cum eo casu exerceat munus consultoris apud iudicem. Sed verius contradicit Lugo [9] cum Mol. Fagund. Med. etc. Ratio quia sicut peccat cliens rem retinendo, sic advocatus in tali retentione ei cooperando; advocatus autem non se habeat ex parte iudicis, sed clientis.

« 4. Advocatus, antequam patrocinium causae suscipiat, tenetur examinare eius aequitatem et probabilitatem, eamque clienti indicare sincere; si enim falsa promissione vel inani spe victoriae sumptibus involvat, tenetur ad restitutionem, Bon. [10]; uti etsi qualitatem ac statum causae, seu periculum eius perdendae indicare neglexerit, et cliens, eo cognito, litigaturus non fuisset. Quod si dubium sit an eo casu litem prosecuturus fuisset, neque id ulla diligentia cognosci possit, non teneri advocatum ad damna resarcienda docet Bard. [11] quod melior sit conditio possidentis, dum de damno illato non constat.

» 5. Si clientis causam minus probabilem, dicat esse omnino iustam, tenetur de damno, si cliens cognito causae dubio, non fuisset litigaturus. Bonac. [12].

» 6. Si in progressu causae iniquitatem videt, tenetur mox monere clientem, et suadere ut desistat; alias ad restitutionem damnorum obligabitur; quia, cum stipendio sit conductus, tenetur ex iustitia monere: Tann. [13] neque potest vel ipse vel iudex suadere compositionem cum damno partis; quia compositio non habet locum nisi quando res est dubia. Si vero inducat ad transactionem, sine damno, deceptione, vi et metu, non tenetur, quia nulli facit iniuriam. Val. Azor. Less. Laym. Bon. [14].

» 7. Non potest absolvi qui paratus est quasvis causas defendendas suscipere. Sayr. [15].

224. » 8. Non licet cum cliente convenire de pretio, post inchoatam litem, sed vel ante coeptam vel post finitam[16], quia cliens, postquam sua instrumenta ostendit, cogetur quolibet pretio stare, ne prodatur. (Si tamen advocatus procedat sine dolo, et pretium sit iustum, non peccat conveniendo de illo, etiam in medio litis, ita Salm. [17] cum Nav.)

» Nec licet pacisci de parte aliquota, v. gr. dimidia, tertia vel quarta litis, pro pretio, si victoria obtigerit, quia id graviter prohibetur, *leg. Sum-*

(1) D. 10. q. 3. p. 4. (2) L. 2. c. 31. d. 8.
(3) Q. 4. d. 6. n. 127. (4) L. 8. c. 5. dist. 3.
(5) De iust. d. 41. (6) In p. 8. c. 47. n. 13.
(7) T. 1. tract. 2. d. 81. (8) Loc. cit. n. 10.

(9) D. 41. n. 10. (10) De pecc. d. 2. q. 4. p. 9.
(11) D. 4. c. 29. (12) Loc. c. (13) Loc. c.
(14) Loc. c. (15) L. 12. c. 23. n. 18.
(16) Ex can. Infames 2. caus. 3. qu. 7.
(17) Tr. 29. c. 4. de advoc. p. 5. n. 57.

ptus, *ff. de pactis*, *L. Litem*, *c. de procur. Ex can. Infames*, §. *Arcentur*, *caus.* 3. *qu.* 7. *L. Si qui*, *cod. de post.* Ratio est, ne praebeatur occasio, per fas et nefas, procurandi victoriam. Hoc tamen casu non obligatur ad restitutionem, si iustum pretium non excedat, et dolus ac fraus absit. Vide Sylv. [1] Nav.[2] Fill. Lay. Bon. Sanch.[3] Lugo [4].»

225. Notandum est 1. quod advocatus non potest exigere pretium quantum vult, sed debet exigere moderate et respective ad gravitatem et difficultatem causae, ad scientiam et dignitatem advocati atque usum regionis. Si autem pretium sit taxatum a lege recepta et non abrogata, illi standum; alias advocatus qui pretium notabiliter excedens recipit, peccat et restituere tenetur. Vide Salm. [5].

Notandum 2. quod si de pretio conveniatur, et cliens deserat causam, advocatus potest totum pretium petere, si per ipsum non stet quominus litem prosequatur; pari modo ac locans operam suam pro aliqua mercede, illam bene exigere potest, si per conductorem stat ne opera compleatur [6]. Ita Salmant. [7] cum Sayr. *Vide dicta l.* 3. *num.* 342. *v. Peccant.* Hoc tamen intelligendum dico, si nulla supervenit iusta causa litem deserendi; haec enim conditio semper subintelligitur apposita in conventione facta.

Notandum 3. esse valde probabile, quod si advocatus conveniat de salario cum aliquo per totum annum pro omnibus suis causis tuendis, possit salarium exigere, etiamsi nulla lis in illo anno occurrat. Ratio quia, si altero anno plures concurrant lites, quae maius salarium merentur, nequit postea maius salarium exigere: ita Guttier. et Corella cum Salm. [8]. Hoc autem currit in litibus et laboribus ordinariis; nam si occurrat extraordinaria lis vel labor, non vetatur advocato maius salarium exigere. Bene tamen advertunt e converso Azor. et Corell. Salm. [9] quod si, dum agitur lis, advocatus in infirmitatem incidat, pro rata temporis debet salarium remittere: intellige si infirmitas fuerit longa.

226. « 9. Peccat advocatus 1. Si, cum non sit idoneus, officium advocati exerceat et patrocinetur [10]: s. Th. [11] estque peccatum ex genere suo mortale. 2. Si defendat causam iniustam secundum dicta *cap.* 1. 3. Si ob nimias dilationes, illicitas subornationes testium etc. notabiliter officiat parti adversae, habenti alias iustam causam etc. Vide Nav.[12] Fill.[13]. 4. Si utrique parti patrocinetur; quia repugnat ut utramque partem aeque defendat. Sylv. Sanch.[14]. In diversis tamen causis, secluso scandalo, non repugnat. 5. Si in eadem causa in qua est iudex vel assessor, agat advocatum; quia duo officia contraria in eadem causa exercere non licet. Sylv. [15]. 6. Si, tametsi defendat causam iustam, producat scripturas vel testes falsos, aut instrumenta; non tamen peccat si in causa manifeste iusta adversarium decipiat, dummodo nulla utatur falsitate, v. gr. allegando falsa etc. s. Th.[16] Sylv. Sanch.[17] Trull.[18]. 7. Si adducat leges falsas vel abrogatas, vel doctrinam reprobatam, vel leges bonas in falsos sensus sciens prudens detorqueat. 8. Si in gravamen alterius partis quaerat dilationes ad rem non facientes. Vide Fill. Trull. [19]. 9. Si accipiat mercedem iniustam. Quando autem a lege pretium nullum taxatum est, censetur illud iustum quod habetur tale iudicio prudentum, attenta qualitate negotii, dignitate, scientia et peritia advocati, et labore quem impendit, ac demum consuetudine approbata. V. Trull. [20]. 10. Si contractum usurarium vel aliter iniquum suadeat aut probet. 11. Si leges, statuta et consuetudines patriae ignoret (unde, si grave damnum clienti obveniat, tenetur compensare), vel intelligere non studeat.

(1) V. Advocatus. (2) C. 15. (3) L. 5. cons. c. 7. d. 9. et l. 57. (4) Loc. c. (5) Tr. 20. c. 4. de advoc. p. 5. n. 35. et 54. (6) Ex leg. Si uno, ff. de locat. (7) Ibid. n. 58. (8) Ibid. n. 55. (9) Ibid. n. 56. (10) L. Nemini, c. de advoc.

(11) 2. 2. q. 71. (12) C. 25. (13) Q. 3. (14) Consilior. p. 2. t. 6. c. 7. d. 7. (15) V. Advocatus, q. 2. (16) 2. 2. q. 71. a. 7. (17) Cons. p. 2. l. 6. c. 7. d. 7. (18) Loc. c. (19) Loc. c. (20) Loc. c. d. 5.

» 10. Peccat advocatus contra iustitiam, si rationes et fundamenta clientis quem iuste defendit, vel secreta causae detegat adversario: ut ex aliis probat Fag. [1]. Vide etiam c. Lugo [2] teneturque ad restitutionem, si eam ob causam cliens causam perdidit, victurus alias; quia fecit contra officium, nec adhibuit diligentiam ad causam obtinendam in favorem clientis. Az. Fill. etc. [3]. Limitant tamen aliqui, nisi periculum sit ne pars adversa grave damnum inique patiatur; quia, aiunt, quilibet potest sine suo damno grave damnum alterius prohibere. Vide Lessium [4] Azor. Reg. Fill. Laym. [5]. Verum hanc limitationem cum s. Th. alii non admittunt nisi forte reus capite plectendus esset, et accusator iniuste procederet; tunc enim, aiunt, advocatus accusatoris deberet falsitatem prodere, si tamen spes esset profuturum, accusatore prius monito, ut desistat. Vide c. Lugo [6].

» 11. Advocatus, si causarum expeditiones cum praeiudicio clientum differat, postponat, vel plures acceptet quam expedire possit, peccat ac tenetur ad restitutionem, uti et omnium damnorum quae per eius imperitiam, malitiam, vel negligentiam cliens aut actor incurrit; non tamen tenetur in omnibus causis adhibere eamdem diligentiam, sed maiorem vel minorem pro causae qualitate. Vide Bon. [7] Less. [8] Laym. [9].»

Dubium IV. Quae sit obligatio referentis, secretarii, notarii et procuratoris.

227. *Ad quid teneantur referentes etc.*
228. *Quando peccent referentes.*
229. *Quando secretarii.*
230. *Quando tabelliones sive notarii.*
231. *Plura notanda circa notarios et tabelliones.*
232. *Quando peccent procuratores.*
233. *Plura notanda de stipendio procuratoris.*

227. « Resp. Tenentur ii omnes iuste fideliterque exercere suum officium, sive ex debito muneris tantum, sive etiam ex iuramento. Item tenentur scire ea quae ad suum officium spectant, debitamque diligentiam adhibere, praestando omnia necessaria, terminos iustos petendo, appellando, cum fuerit necessarium. Bon. Escob. et comm.

Unde resolves sequentes casus:

» 1. Peccant, si odio vel amore, spe vel timore abutantur officiis suis; si secreta servanda non servent, si partibus vel earum sollicitatoribus aliisve tradant processus vel scripturas originales quas non debent, accipiant stipendium maius iusto vel ultra pretium taxatum: si lites iniquas suadeant etc.

228. » 2. Referens peccat: 1. Si defectu studii vel per incuriam male referat, vel aliquid substantiale praetermittat. 2. Si sit partialis, coneturque magis unius partis iustitiam quam alterius, explicare. 3. Si sententiam alterutri parti manifestet, priusquam evulgetur, unde possint gravia incommoda sequi, v. gr. iudex recusari etc. Vide Escob.

229. » 3. Secretarius peccat: 1. Si iuramentum violet. 2. Si arcanum prodat. 3. Si sententiam nondum publicatam manifestet. 4. Si processus aut sententias non custodiat, vel partibus sine praescripto iudicis ostendat. 5. Si testimonia non fideliter transcribat, sive exaggerando vel imminuendo, sive immutando aut invertendo. Escob.

230. » 4. Tabellio sive notarius publicus peccat: 1. Si sine sufficienti peritia (v. gr. clausulas communes etc. ignorans) suscipiat officium. 2. Si iuramentum violet. 3. Si in depositione testium aliquid addat vel detrahat non levis momenti. 4. Si ministro transcriptori (cum erroris periculo) examen committat. 5. Si protocolla et acta negligenter custodiat cum damno partium. 6. Si differat causarum expeditionem ut pecuniam extorqueat. 7. Si testamentum scribat hominis rationis usu destituti. 8. Si testes falsos admittat. 9. Si solemnitates necessarias ex ignorantia culpabili vel malitia praetermittat. 10. Si testimonium aliquod necessarium, unius rogatu et alterius damno, non exhibeat; si conficiat instrumentum usurarium vel falsum,

(1) P. 8. c. 47. n. 13. (2) L. c. n. 6. (3) Locc. cc. (4) L. 2. c. 31. (5) L. 1. t. 1. c. 5. n. 18.
(6) Loc. c. (7) T. 2. in praec. 8. d. 10. q. 3. (8) L. 2. c. 39. d. 9. (9) T. 1. c. 5.

praesertim in damnum tertii; si faciat ut processus et causae veniant ad alios iudices vel referentes etc. quam ordo illius tribunalis postulat: quia multum interest habere hunc vel illum iudicem. Escob. Vide Laym. [1] Bonac. [2]. Si secretum violet, v. gr. aperiendo parti adversae dicta testium ante eorum publicationem; quod esse mortale contra iustitiam docet Trull. [3] ex Navarr. [4]. 12. Si parti petenti instrumenta occultet, praesertim quae continent legata. Nav. [5] Sylv. [6] Trull. [7]. 13. Si acta occultet, vel parti petenti transumptum processus neget. 14. Peccat graviter si amisso instrumento antiquo publico vel testamento, aliud simile confingat.»

231. Quoad notarios notandum 1. quod infames infamia iuris aut facti, nulliter instrumenta conficiunt. Salmant. [8]. Nota 2. clericos in sacris, vel beneficium habentes non posse exercere munus notarii, nec etiam in foro ecclesiastico publico. Salm. cum aliis [9]. Nota 3. quod tabelliones nequeunt recipere aliquid a litigantibus ultra pretium iustum. Sed dubium est an lex taxam ipsis statuens obliget in conscientia. Affirmant Nav. Trull. etc. apud Salm.[10] cum sit lex iusta. Sed negant Machad. et Fagund., quia haec lex est poenalis vel saltem mixta, ideoque non obligat in conscientia (ut de lege mixta tenent Vill. Diana et alii). Negat etiam Lugo cum Turrian. et aliis apud Salm. [11] sed alia ratione ductus, nempe quia, cum tabelliones et alii ministri iustitiae vivere debeant ex stipendiis proprii officii, et tractu temporis augeantur pretia rerum ac expensae, iuxta morem circa victum et vestitum, ideo non iniuste ipsi aliquid exigunt supra taxam; maxime si attendantur circumstantiae laboris et peritiae. Et hanc sententiam Lugonis dicunt Salm. [12] videri hisce temporibus conformiorem aequitati. Caeterum communiter loquendo docent dd. hos tabelliones peccare, si ultra iustum pretium, aliud, etiam per modum doni, a partibus accipiant, quia talia munera coacte non sponte praestantur. Ita Navarr. Rodr. etc. cum Salm. [13]. Advertunt tamen Salm. [14] cum Lop. et Mercad. Rodr. P. Nav. quod bene tabellio extraordinarium stipendium recipere potest, si extraordinarium praestet laborem, nempe si cogatur celerius quam par sit tradere transumptum, adire longinquum locum, vel laborare noctu, etc.

232. « 5. Procurator peccat 1. si litem procuret iniustam. 2. Si plures causas suscipiat quam possit expedire (Ita Panorm. et Cai. cum Salm.[15]). 3. Si plus mercedis accipiat quam iustum. 4. Si suadeat reo vel parti ut iniuste veritatem neget. 5. Si sua incuria, negligentia, aliave culpa, causa sit ut lis perdatur. 6. Si nomine partis iuret, sine particulari eius informatione, cum periculo peierandi. 7. Si culpabiliter tribunali non adsit, futuri incommodi metu etc. Vide Escob. Laym.[16] Bon.[17]. 8. Si partes adducat ad concordiam iniquam. 9. Si differat causam vel pervertat iudicem, petat terminos impertinentes aut dilationes superfluas. 10. Si falsos testes inducat. Vide Sayr. [18] Fill. [19] Trull. [20]. (Vide Salm. [21]). »

233. Quaer. 1. An procurator, si habeat advocatum aut tabellionem qui gratis inserviat, possit iustum pretium illis debitum sibi retinere. Resp. negative: si advocatus aut tabellio serviant magis in gratiam clientis, ut Bon. Panor. etc. cum Salm.[22]. Si autem serviant in gratiam simul procuratoris et clientis, dicunt Bon. et Bass. [23] quod tunc nihil etiam retinere possit, quia in dubio melior est conditio clientis qui possidet. Sed (addo) hoc currit in dubio; nam, si vere fiat remissio etiam intuitu procuratoris, cur ille retinere non poterit saltem partem pretii iuxta prudentum arbitrium? modo,

(1) L. 3. t. 6. c. 2. (2) In pr. d. ult. p. ult. 11. (3) L. 8. c. 7. n. 3. (4) C. 25. n. 52. (5) Loc. c. n. 35. (6) V. Tabellio. (7) L. c. (8) De offic. c. 3. p. 1. n. 2. (9) Ib. n. 5. (10) Ib. p. 3. n. 18.

(11) Ib. n. 19. (12) Ib. n. 20. (13) Ib. n. 22 (14) Ib. n. 24. et 25. (15) De off. c. 6. p. un. n. 4 (16) Loc. c. (17) Q. 3. p. 4. (18) L. 12. c. 14 (19) T. 40. c. 10. n. 294. (20) L. 8. c. 6. dub. 1. (21) Loc. c. (22) Ibid. n. 6. (23) Ibid.

intellige, nisi donatio absolute fiat clienti, etsi in gratiam procuratoris.

Quaeritur 2. An, si procurator alium substituat procuratorem, possit partem salarii illi tradere et partem retinere. Affirmant probabiliter Salmant. [1] cum Sayr. Ripa Ang. modo illum admoneat de agendis, et insuper suscipiat ipse in se periculum causae, si forte ob negligentiam substituti causa amittatur: procurator enim tenetur etiam ex culpa levi circa causae defensionem: hic enim intervenit duplex contractus iustus, unus cum cliente, alter cum substituto.

Quaeritur 3. An, si procurator ipse se offerat ad causam tuendam, possit iustum pretium exigere. Alii negant; Bassaeus vero affirmat, nisi ab initio animum habuerit suum opus donandi, vel nisi cliens sit amicus vel consanguineus, et procurator causam suscipiens nihil de pretio cogitaverit, tunc enim dicunt dd. censeri voluisse gratis defendere. Sed ego tamquam minus sapiens dico quod procurator, nisi certe sciat donasse suum laborem, semper iustum pretium recipere potest, nemo enim praesumitur donasse nisi constet; quia donare est perdere. Immo etiamsi interne donasset, nisi talis donatio ab alio fuerit acceptata, adhuc posset salarium exigere, iuxta dicta *de contract. l.* 3. *n.* 725. Cliens autem, si procurator est amicus vel consanguineus, potest tunc iuste praesumere donationem, ut dicunt Trull. et Bass. apud Salm. [2]. Et huic doctrinae nec etiam acquiescerem, nisi aliae circumstantiae concurrerent, quae praesumptionem certam facerent donationis factae.

Quaeritur 4. Si quis litigans mittat procuratorem ad advocatum, ut iste efformet aliquam petitionem aut consilium, sed quia res est facilis, procurator ipse scripturam conficit, et advocatus tantum eam subscribit, utrum procurator possit inde ex pretio quod cliens mittit ad advocatum, partem sibi retinere. Affirmant Bon. et Trull. quia, ut dicunt, tunc nemini fit iniuria: non advocato, quia pars illa iam ei sufficit pro sua mercede; non parti, quae iam habet quod quaerit. Negant tamen Salmant. [3] cum Tol. quia procurator ageret contra voluntatem clientis, qui si scivisset scripturam a solo procuratore confectam esse, minus pretium dedisset quam tradidit: sed haec ratio non aliud probat, nisi quod procurator minorem pensionem sibi retinere debet, non autem nullam.

(1) Ibid. n. 7. (2) Tr. 29. c. 6. p. un. n. 10. (3) Ibid. n. 11.

Dubium V. Quod sit officium accusatoris.

234. « Resp. Ut in accusatione servetur iustitia cavenda sunt tria: Primum est calumnia, id est impositio falsi criminis vel eius quod sufficienter probari nequit. Et haec inducit obligationem restituendi et subeundi vel poenam talionis (Sed haec poena ex generali consuetudine vim amisit, ut

dicunt Covar. et Gomez apud Salm. [1]), vel aliam arbitrio iudicis. Secundum est praevaricatio, id est collusio cum reo, et simulata tantum accusatio: quae in criminalibus, si reipublicae damnum sequatur, obligationem restitutionis inducit. Tertium est tergiversatio accusationis inchoatae, absque iusta causa. Quod addo, quia cum causa, v. gr. ob imperium principis vel iudicis, quod intersit reip. talem personam non puniri vel infamari, vel quod in accusatione defectus substantialis sit commissus, potest desistere, imo tenetur, si in progressu causae cognoscat se errasse, si incipiat dubitare de crimine, si videat se non posse probare. Fill. [2].»

235. Notandum 1. quod ad legitimam accusationem quinque requiruntur: 1. Ut fiat in scriptis, vel saltem scribatur a tabellione. 2. Ut ibi exprimatur nomen accusatoris et rei. 3. Ut exprimatur species delicti, et etiam nomen socii, si sit crimen adulterii, sodomiae et simile. 4. Ut exprimatur tempus, locus delicti et etiam hora, si reus id postulet. 5. Ut accusator accusationem subscribat, ut sic obligatus sit ad crimen probandum, alias ad poenam subeundam. Et hinc notanda est differentia quae est inter denuntiationem fraternam, denuntiationem iudicialem et accusationem. *Denuntiatio fraterna* fit superiori tamquam *patri*, ut reus emendetur. *Denuntiatio iuridica* fit superiori tamquam *iudici*, ut reus puniatur, sed sine obligatione crimen probandi. *Accusatio* autem fit iudici, ut reus mulctetur, cum obligatione delictum probandi, et ideo haec omnino fieri debet in scriptis. Ita dd. comm. Vide Salm. [3].

236. « Quaeres, an et quis teneatur alterum accusare.

» Resp. 1. Privatum raro ad id teneri; tum ex praxi timoratorum, tum quia alias tribunalia essent plena accusationibus, cum perturbatione reipublicae.

» Dixi 1. *privatum;* quia si quis a republica stipendium ob hoc accipiat, v. gr. fiscalis etc. tenetur ex iustitia, et consequenter ad damna, omissione accusationis secuta. Fill. Bon. [4].

» Dixi 2. *raro;* quia si exigat bonum publicum, v. gr. si proditio imminens vel grave damnum vitae innocentis aliter averti non possit, et crimen facile probari possit, tenetur etiam privatus accusare vel saltem denuntiare; id tamen ex caritate tantum quae restitutionem non importat. Fill. Bon. [5].»

Sed haec omnia fusius examinanda. Quaeritur an aliquando teneamur alium accusare vel denuntiare. Affirma in sequentibus casibus.

Et 1. Quando agitur de communi damno vitando, et possit crimen probari; tunc enim docet s. Thomas [6] obligationem esse accusandi. Crimina autem contra bonum commune sunt haeresis, rebellio, falsificatio monetarum, homicidia et furta ab assassinis, aut viarum grassatoribus: addunt alii subornationem suffragiorum in cathedris et in aliis electionibus. Et Lugo addit peccatum religiosi, quod probabiliter damnum religioni afferret. Si vero crimen probari nequeat, sufficit ut reus denuntietur. Et communiter videntur dd. concludere satis esse in hisce temporibus delictum denuntiari, ne ob metum poenae incurrendae, si illud non probetur, deterreantur homines a denuntiatione criminum cum gravi damno communi. Ita Lugo [7] Sanch. [8] Cai. Sot. Bann. Trullench. Villal. etc. apud Salm. [9]. Et sic servi ac filii denuntiare tenentur etiam delicta domini et patris in commune detrimentum vergentia, ut Salm. [10] cum eisdem. Si vero crimen iam sit patratum, nec ullum damnum exinde immineat, quia delinquentem iam constat esse emendatum (excepto crimine haeresis), non est obligatio denuntiandi, ut Tol. Fil. etc. apud Salm. [11].

2. Tenemur denuntiare delictum,

(1) De offic. c. 2. p. 1. §. 1. n. 4.
(2) T. 40. c. 7. n. 705.
(3) Ibid. n. 5.
(4) In 8. pr. d. 10. q. 3. p. 1.
(5) Loc. c.
(6) 2. 2. qu. 68. art. 1.
(7) De iust. d. 38. s. 1. n. 2.
(8) Cons. l. 6. c. 2. d. 2. n. 2.
(9) Tr. 29. c. 2. p. 1. §. 2. n. 10.
(10) Ibid.
(11) Tr. 29. c. 2. p. 1. §. 2. n. 11.

si immineat grave damnum innocenti. Quod autem tunc teneamur etiam reum accusare, si crimen probare possumus, ut dicunt Tol. Sot. etc. apud Salm. [1] hoc difficile accidere posse censeo, cum haec obligatio sit tantum ex caritate, quae non obligat cum gravi incommodo: hoc enim accusantes ordinarie subire solent; tanto magis si denuntiatio, pariter ac accusatio, damnum satis impedire potest. Immo addo quod nec etiam denuntiare teneretur is qui ex denuntiatione grave incommodum subire prudenter timeret; nisi commune damnum immineret.

3. Tenentur crimen denuntiare vel accusare, qui ad id a rep. vel a dominis stipendium accipiunt, ut sunt fiscales, aut custodes agrorum, gabellarum etc. Alias tenentur ad restitutionem damnorum, quae reip. vel dominis ob omissionem accusationis obveniunt. Ita Busemb. hic cum Fill. Nav. Bann. etc. communiter apud Salm. [2].

237. An autem hi teneantur restituere valorem poenae, si non denuntiant. Affirmant valde probabiliter Sotus [3] Laym. [4] Mol. [5] Spor. [6] cum P. Navar. Med. et Salon. Ratio quia omittendo denuntiationem ad quam tenebantur ratione officii, sunt causa ut fiscus vel dominus non exigat poenam ad quam ius habet. Sed satis probabiliter negant Lessius [7] Lugo [8] Salmant. [9] Sanch. [10] cum Nav. Met. Angles Salon. Bann. Lop. Manuel Graff. item Diana [11] cum Vasq. Tann. Azor. Arag. Ratio quia lex poenalis non intendit ut fiscus vel domini mulctis ditentur, sed ut ipsi serventur indemnes, et transgressores puniantur. Indirecte autem et per accidens lex praebet ius ut inde mulctae exigantur, sed post sententiam; nam ante illam neque fiscus neque domini ad poenam ius ullum habent. Unde licet fiscales non denuntiando peccent contra iustitiam legalem, non autem peccant contra commutativam respectu ad mulctam, et ideo tantum tenentur resarcire damnum vectigalium quae mercatores solvere debuissent. Idem dicunt Less. [12] et probabile putant Spor. [13] ac Lugo [14] cum Salas etc. (contra Suar. Ang. Sylv. etc. [15]) de iudice non ferente sententiam de mulcta contra reos convictos. Idem tenent Salmant. [16].

4. Tenetur aliquando aliquis denuntiare imo etiam accusare delinquentem; si hoc sit necessarium ad vitandum seu resarciendum damnum propriae familiae quae alias remaneret dehonorata vel destituta alimentis. Ita Sanch. [17] Sot. Bann. Nav. etc. apud Salm. [18]. Et notat Sanch. cum Gom. [19] quod iudex aliquando ob bonum commune compellere potest offensum, ut saltem declaret, quis eum laeserit, ut inde procedere possit ad inquirendum; intellige quando revera alias damnum commune imminet, puta coniurationis, erroris in fide et similium.

Sed exceptis his casibus, nemo tenetur alium accusare; et quamvis possit, si sine odio accuset, sed zelo iustitiae; attamen difficile expers erit affectu vindictae is qui contra suum offensorem accusationem proferret, cum accusatio de se intendat punitionem rei ut diximus *de praec. car. l. 2. n. 29. v. Licet.*

238. « Resp. 2. Accusare prohibentur 1. Excommunicati, proditores, infames; idque in poenam criminis. 2. Filii, servi, suos parentes vel dominos, ob reverentiam. 3. Clerici in causa sanguinis, ob indecentiam. Less. [20]. »

Quaeritur, quinam prohibeantur accusare. 1. Prohibentur excommunicati, infames, publici concubinarii, aut usurarii, de maioribus criminibus accusati, nisi prius innocentes se demonstrent: item foeminae, impuberes. Excipe tamen 1. Si isti prosequantur causam propriam vel suorum usque ad 6. gradum. 2 Si crimen sit contra legem

(1) Ibid. n. 12. (2) Ibid. n. 13. (3) L. 1. de iust. q. 6. a. 6. vel 9. (4) L. 3. s. 5. tr. 2. c. 7. n. 4. (5) T. 1. tr. 2. d. 95. n. 36. (6) T. 1. c. 3. n. 59. (7) L. 2. c. 13. n. 73. (8) De contr. d. 37. n. 102. (9) De rest. c. 1. p. 5. §. 3. n. 136. (10) De matr. l. 10. d. 8. n. 14. (11) 3. p. tr. 6. r. 35. (12) L. c. (13) Loc. c. (14) De iust. d. 37. n. 97. (15) Ibid. (16) Tr. 11. c. 2. p. 3. §. 4. n. 76. (17) Cons. l. 6. c. 3. dub. 26. n. 4. et 7. (18) Tr. 29. c. 2. p. 1. §. 2. n. 14. (19) Ibid. (20) L. 2. c. 30. d. 5.

divinam aut humanam, cuius violatio cedat in damnum tertii. 3. Si crimen sit contra bonum commune. Quicumque autem, etsi non possit accusare, potest tamen denuntiare. Vide Salm. [1]. 2. Filii non possunt accusare parentes, nec e converso; neque servi dominos, nisi crimen sit laesae maiestatis vel haeresis. Salmant.[2]. 3. Laici nequeunt accusare clericos, nisi clericus sit dilapidator bonorum ecclesiae, aut haereticus, simoniacus, sacrilegus etc. Vel nisi laicus causam suam vel suorum prosequatur. Item nec clerici accusare possunt laicos aut religiosos, qui tantum a religiosis eiusdem ordinis accusari possunt. Salm. [3].

Sed hic quaeritur an religiosus possit accusare suum praelatum. Affirma ex *c. Ex parte tua*, *de accus*. Tria enim ibi habentur: 1. Quod monachi non sunt repellendi ab accusatione praelati coram iudice regulari aut competenti. 2. Quod tunc expensae pro lite de bonis monasterii eis sunt subministrandae, si peculium ipsi non habeant. 3. Quod monachi nequeunt accusare laicos sine licentia abbatis. Vide Salm.[4].

4. Inimicus repellitur ab accusando delinquentem [5]. Et hoc valet etiam in criminibus exceptis, ut supra, praeter haeresim. Est commune cum Salm. [6]. Ratio quia tunc praesumitur accusatio semper procedere ex affectu vindictae. 5. Pariter repellitur socius criminis [7]. Excipiuntur tamen quoad hoc, crimina haeresis, laesae maiestatis, falsificationis monetae, sodomiae, furti famosi, et omnia alia quae sine socio fieri non possunt. Vide Salm. [8]. 6. Nequeunt clerici accusare in causa sanguinis[9]. Sed dubium est an valeant accusare ad resarciendam iniuriam propriam vel suorum, vel suae ecclesiae. Affirma, dummodo clericus (si sit causa sanguinis) praemittat expressam protestationem, se non intendere ut iudex ad poenam sanguinis procedat; tunc enim, etiamsi reus ad mortem damnetur, irregularitatem effugiet. Hoc habetur *ex c. 2. de homic. in* 6. Vide Salm.[10] et vide *l. 7. n.* 468. Nomine autem suorum, quinam veniant. Alii censent venire consanguineos usque ad 10. gradum. Alii usque ad 7. vel 6. Alii usque ad 4. Sed Salm.[11] tenent nomine suorum tantum servos venire, quia textus, ut supra, concedit clericos accusare tantum *suos malefactores;* per tò *suos* igitur non venire inferunt malefactores propinquorum. Attamen ipsi Salm. alibi et alii cum p. Conc. probabiliter permittunt accusare, ad reparandum damnum cognatorum usque ad 4. gradum. *Vide d. l. 7. num.* 468. *ad* 3.

239. « Resp. 3. Non teneris imo nec debes, etiam posito superioris praecepto, denuntiare crimen: 1. Si delinquens emendatus est, sine periculo recidendi et parti laesae est satisfactum, nec periculum imminet aliis: nec crimen est notorium; quia sine causa proximi infamia sequeretur. *Vide supra l. 2. t. 3. c. 2. d. 4.* 2. Si crimen nosti sub secreto naturali, tamquam consultor, advocatus etc. nisi tamen is qui secretum commisit, innocentem vel remp. iniuste vexaret, nec vellet desistere. C. de Lugo [12]. 3. Si inde immineat grave periculum honoris, vitae et rerum tuarum. 4. Si etiam probare cogereris, nec posses. V. Lugo [13]. »

240. Quaeritur hic an accusationem praecedere debeat correctio fraterna. Plura hic sunt distinguenda:

Et 1. Si crimen est publicum, quia de eo adest infamia vel notorietas, nempe coram pluribus in platea, tunc nulla correctio est praemittenda. Ita s. Th.[14] Sanchez [15] Sotus Palud. et Salmantic.[16] cum communi. Ratio quia tunc *non est tantum* (verba s. Th.) *adhibendum remedium ei qui peccavit; sed etiam aliis in quorum notitiam* (crimen) *devenit.* Et ideo crimen publice est puniendum.

2. Si crimen non est publicum, etsi

(1) De offic. c. 2. p. 2. n. 26. (2) Ibid. n. 27. (3) Ibid. n. 28. (4) Ibid. n. 30. et 31. (5) Ex c. Cum oporteat, de accus. (6) Ibid. n. 35. (7) Ex leg. fin. cod. de accus. (8) Ibid. n. 37.

(9) Ex can. Sacerdotes, caus. 2. qu. 7. (10) Ib. n. 39. et 40. (11) Tr. 29. c. 2. p. 2. n. 42. (12) De iust. d. 14. n. 242. (13) Dist. 38. sect. 2. (14) 2. 2. q. 33. a. 7. (15) Cons. c. 2. d. 28. n. 3. (16) Ibid. p. 1. §. 3. n. 20.

paucis notum, tunc correctio est praemittenda si speratur fructus: quia tunc non respiciendum est bonum commune, sed peccantis, qui facilius emendabitur per secretam monitionem quam per publicam punitionem[1]. Ita Sot. Cai. Palaus Lessius cum Salm.[2]. Advertit tamen Less. [3] et consentit Palaus, quod si crimen probare possis in iudicio (puta per duos testes), licet tunc tenearis ex caritate proximum monere ante accusationem, ut a crimine desistat, non peccas tamen contra iustitiam si accuses; quia semper prodest ad commune bonum crimina puniri. Et tunc tenetur iudex accusationem recipere, et in causa procedere, si alias timeat scandalum in republica eventurum. Secus si scandalum absit, quia iudex tunc teneretur ex praecepto naturali caritatis accusationem non admittere. Ita Salmant. [4].

241. Non peccas vero neque contra iustitiam neque contra caritatem, si accuses sine praevia monitione, in duobus casibus: 1. Quando crimen est in damnum reipublicae, ut coniuratio, delictum laesae maiestatis etc. et signanter haeresis, pro qua maxime est notanda prop. 5. damnata ab Alexandro VII. quae dicebat: *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse haereticum, non teneris denuntiare si probare non possis.* Ratio quia in his criminibus nunquam, aut rarissime ex correctione speratur fructus, et mora valde nocere potest. Ita Less. [5] Pal. Sanch. Vill. Trull. Bon. et Salm.[6] cum communi. 2. Quando alia via non possis damnum passum tibi resarcire, nisi invasorem accuses; tunc enim potes accusare, ut saltem per poenam rei tibi iniuria reparetur: modo absit affectus vindictae (quod autem difficillimum esse reputo). Salm. [7] Sanch. Trull. Salon. etc.

Hic operae pretium est aliqua adnotare de *denuntiatione*, quae est duplex, ut supra dictum est. Alia *evangelica* quae defertur superiori ut *patri*, ad rei emendationem; alia *iudicialis* quae defertur superiori ut *iudici*.

242. Et primo quoad denuntiationem *evangelicam* sive *paternam*, notandum 1. Quod si crimen proximi est reipub. vel communitati perniciosum, quamvis sit occultum, statim praelato denuntiari debet, nulla fraterna correctione praemissa, ut communiter docent dd. cum s. Thom. [8] et Laym. [9]. Si vero crimen non est communitati damnosum, sed tantum ipsi delinquenti, tunc servandus est ordo correctionis traditus in evangelio [10] ubi legitur: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum; quod si non audierit eos dic ecclesiae.* Notandum 2. Quod si post secretam correctionem frater non emendatur, tunc crimen, antequam aliis manifestetur, denuntiandum est praelato tamquam patri, ut paterne corrigat. Ita s. Thom. [11] cum s. Aug. [12] cuius verba affert Layman [13]. Ratio quia superior, ut spiritualis pater, magis idoneus est ad iuvandum fratrem, quam alii: nec decet in congregatione ut alii crimen sciant prius quam praelatus qui salubrius medelam afferre potest.

243. Sed quaeritur 1. An liceat deferre praelato ut patri crimen occultum, communitati non perniciosum, secreta correctione omissa. Tres adsunt sententiae:

Prima generatim affirmat cum Ang.[14] et Gabr. Rosel. Turrian. apud Laym.[15] qui dicunt hoc saltem in religionibus permissum esse ob bonum observantiae commune.

Secunda sententia huic omnino opposita cum Adrian. Cordub. Sot. etc. apud Sanch. [16] tenet necessario praemittendam esse correctionem secretam.

Tertia sententia longe communior et

(1) Ex c. Si peccaverit, caus. 2. qu. 1.
(2) Ibid. n. 24. (3) L. 2. c. 30. n. 10. 11. et 12.
(4) Tr. 29. c. 2. p. 2. n. 47. et 48. (5) L. c. n. 15.
(6) Ibid. p. 1. §. 5. n. 22. (7) n. 23.

(8) 2. 2. q. 33. a. 7. (9) L. 5. tr. 5. p. 2. c. 4. n. 4.
(10) Matth. 18. 15. (11) D. q. 33. a. 8. ad 4.
(12) In epist. 109. ad Mon. (13) L. c. n. 6.
(14) V. Denuntiatio, n. 10. (15) L. 5. de iust. tr 3. c. 4. n. 5. (16) Dec. l. 6. c. 18. n. 46.

longe probabilior docet bene posse denuntiari crimen occultum praelato prudenti tamquam patri, nulla praemissa correctione, si speretur sic melius emendatio fratris obtineri. Ratio patet quia finis huius praecepti fraternae correctionis, ut dicunt s. Th. et alii ut infra, alius non est quam caritas erga fratrem; sed hic finis caritatis duplex est, alter principalis, alter minus principalis. Finis principalis est ut frater emendetur, et ideo praecipitur correctio: finis minus principalis est ut servetur, quantum fieri potest, fama fratris, et ideo praescribitur ordo secretae correctionis praemittendae; quare, cum creditur magis expedire ad finem principalem, scilicet ad emendationem fratris, ut correctio fiat immediate a praelato, cessare debet finis minus principalis, et ideo recte omittendus ordo secretae correctionis. Ita s. Thom.[1] qui distinguit inquisitionem, accusationem et denuntiationem, in qua dicit observandum esse finem eius, nempe ut frater emendetur: *Utrum autem* (addit) *statim cum quis scit fratrem suum peccasse, debeat denuntiare praelato, dico quod in his distinguendum est de conditionibus subditi et praelati; nam si ego scio quod frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denuntiare praelato; si autem videtur quod hoc melius fiat per praelatum, et praelatus nihilominus sit pius, discretus et spiritualis, non habens rancorem seu odium adversus illum subditum, tunc licite potest hoc denuntiare sibi: et tunc non dicit ecclesiae, quia non ei sicut praelato, sed sicut personae proficienti ad correctionem proximi et emendam.* Et paulo post subiungit: *Ideo tenendum est hoc pro regula, quod in omnibus istis semper servanda est caritas, et quod melius et magis expedire videtur. Et si hoc intendat, scilicet emendam proximi, servet quantum potest bonum caritatis, tunc denuntiando non peccat.* Idem docet s. Bonav. in illud s. Lucae: *Si peccaverit etc.* [2] et ita dicunt Sanch. [3] cum s. Antonin. Gers. Abul. Salmer. Sa Sylv. Tabien. Ricc. Angel. Waldens. Armill. Graff. Arag. Manuel. Philiarch. etc. ac Laym. [4] cum Sot. Henr. Pal. Navarr.

244. Quaer. 2. An, si reus sit emendatus, possit crimen praelato denuntiari. Affirmant Angelus [5] Gabr. Ricc. Turrecr. ap. Laym. [6] quia dicunt semper praestare ut praelatus sciat vitia subditorum. Sed negandum cum s. Th.[7] Laym. [8] Sanchez [9] et aliis. Secus vero dicendum (ait Sanch. [10]) si dubium sit an frater sit plene emendatus, vel an frater sit in probabili periculo relabendi, aut an plane cessarit periculum relapsus: quia tunc bene potest crimen praelato ut patri deferri, cum prius consulendum sit profectui fratris et bono religionis, quam modico detrimento famae illius.

245. Quaeritur 3. Quid, si dubium sit an correctio melius fiat per praelatum vel an praelatus prudenter procedat. Respondet Sanch. [11] quod, nisi crimen vertat in damnum commune, vel alterius privati, praemitti debet secreta correctio. Sed hic advertendum 1. Quod in dubio, nisi constet de imprudentia praelati, in religionibus bene institutis (ut notat Laym. [12]) praelati praesumuntur prudentes. Advertendum 2. id quod notat [13] idem Laym., nempe quod in talibus ordinibus crimina occulta fratrum, si nondum emendata sint vel relapsus timeatur, frequentius sine secreta monitione deferri possunt ad praelatum tamquam patrem: tum quia praelati sunt viri pii et prudentes qui admonitione magis prodesse possunt; tum quia ipsi magis idonei sunt ad crimen emendandum et ad occasiones relapsus amovendas: nam, ut recte dicunt Suarez [14] et Sanch.[15] vel peccatum religiosi est leve, et tunc cum infamatio levis sit, maior plerumque utilitas ex denuntiatione proveniet, quam damnum fratris erit: praeterquam quod huiusmodi consuetudo denuntiandi praelato

(1) Quodlib. 11. a. 13. (2) C. 17. v. 3. (3) Dec. l. 6. c. 18. n. 46. (4) L. 3. tr. 3. p. 2. c. 4. n. 5. (5) V. Denuntiatio n. 10. (6) D. n. 5. (7) Quodlib. 11. a. 13. (8) Cit. c. 4. (9) Cit. c. 18. n. 49. (10) Ibid. (11) Cit. c. 18. n. 47. (12) Cit. c. 4. n. 5. v. Fateor tamen. (13) Ibid. (14) De carit. disp. 8. sect. 6. n. 12. (15) L. 6. c. 18. n. 50.

levia delicta, ut ait Suarez, est quasi necessaria ad religionis statum conservandum: vel crimen fratris est grave, et tunc aut frater peccavit ex fragilitate, et melius occurret superior, occasiones auferendo, quod alius nequit praestare; aut ex malitia, et tunc rarissime ex monitione fratris speratur emenda, ut dicit Sanch.[1] cum Cai. qui asserit rectius dubitandum quod reus ex correctione secreta potius fingat se emendatum, quam emendetur. Addunt recte Suar. et Sanch. vix fieri posse, quod crimina religiosorum non redundent in maximum religionis damnum, tum ob scandalum fratrum, tum ob religionis infamiam. Hinc dicit Suarez, omnia crimina gravia bene denuntiari posse praelato, tamquam communitati perniciosa; imo saepe obligationem esse denuntiandi, praesertim si praelatus interroget; saltem, inquit Sanch., valde expedire quod praelatus sciat vitia fratrum ut melius amoveantur lapsuum pericula. Addo et ego, quod maximum inconveniens facile eveniret, si praelatis crimina denuntiari non possent ante secretam monitionem; nam si ex illa delinquens non emendetur (quod ut plurimum timendum est, uti supra notavimus cum Sanch.), aut crimen deferes ad praelatum, et tunc reus facile suspicans tuam denuntiationem, saepe odium adversus te conservabit; aut tu ob huiusmodi timorem omittes denuntiare, et sic crimen non emendabitur, scandala augebuntur, et sic deinde bonum communitatis corruet. Quare ex his omnibus recte concludit Lay.[2] rarum esse in congregatione religiosorum, ut subditi sint aeque idonei, quam praelati ad corripiendum: et ideo in *cap. Qualiter et Quando* 24. *de accus*. relato ordine servando in inquisitione, accusatione et denuntiatione, sic concluditur: *Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus usquequaque servandum.*

Quaeritur 4. An liceat renuntiare iuri fraternae correctionis, ita ut possit deferri crimen ad superiorem, nulla praemissa correctione. Tres adsunt sententiae:

Prima sententia communior affirmat, et hanc docent Sanch.[3] Cont. Tourn.[4] Pal.[5] Suar.[6]. Item Valent. Hurt. Diana et alii plures apud Salm.[7]. Ratio quia ob honestum finem quisque potest iuri suo renuntiare, et ideo plurimi sancti viri suae famae cesserunt. Confirmatur ex d. Thom.[8] qui ait: *Sui arbitrii est detrimentum suae famae pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum.*

Secunda sententia autem absolute negat, eamque tenent Philiar.[9] item Rodriq. Lorca Lopez etc. apud Salm.[10]. Ratio quia nemo potest prodigere ius quod habet ad suam famam.

Tertia sententia vero quam tenent Salm.[11] cum Arauso et Prado, censet quod licet unusquisque possit ob honestum finem renuntiare ordini correctionis, ab alio tamen nequit talis ordo praetermitti, nisi prudenter credatur efficacius per praelatum correptio fieri; sed huic sententiae recte contradicit Conc.[12]. Si enim potest quisque isti iuri cedere, bene poterit alter sua cessione uti. His tamen non obstantibus, prima sententia omnino ut vera tenenda mihi videtur; ratio quae mihi sufficit est quia in societate Iesu adest constitutio huiusmodi renuntiationis, et ipsa fuit approbata a Paulo III. et Iulio III. (ut testatur Palaus[13]) qui approbarunt et confirmarunt institutum, et omnes constitutiones praefatae societatis, et praecipue eas quae contradictionem patiebantur; imo Gregorius XIII. in bulla *Ascendente Domino*, addidit excommunicationem contra tales constitutiones impugnantes. Unde insipienter puto locutum fuisse Philiarchum, qui notam impietatis inurit huic constitutioni renuntiationis soc. Iesu, cum ecclesia non possit errare in approbatione religionum et suarum regularum, ut docent Bellarm. Val. etc. ap. Viva[14].

(1) Ibid. (2) L. c. n. 5. (3) Dec. l. 6. c. 18. n. 45. (4) De praec. decal. de carit. sect. 5. (5) Tr. 6. dub. 9. n. 4. (6) D. 8. sect. 6. n. 12. (7) Tr. 21. c. 7. p. 4. §. 5. n. 87. (8) 2. 2. q. 73. a. 4. ad 1.

(9) De offic. sac. lib. 4. c. 14. (10) Ibid. n. 85. (11) Ibid. n. 88. (12) T. 2. p. 159. n. 25. (13) Loc. c. (14) In Q. Prodroma ad prop. damn. n. 12

Earum enim approbatio spectat ad materiam morum, in qua saltem impium et temerarium est dicere pontificem posse errare, iuxta nostram dissertationem adductam *lib.* 1. *num.* 110. Advertit tamen Palaus [1] quod talis renuntiatio non dat potestatem manifestandi delictum alterius, nisi in casu dubio de emendatione, id est (ut explicat [2]) si dubitetur an delinquens fuerit emendatus vel an sit relapsurus; quia e converso si constet de emendatione et nullum sit periculum relabendi, recte probabilius censet non posse crimen deferri ad superiorem, dum ex declaratione in congregatione 7. ipsiusmet societatis dicitur revelatio facienda esse *tantum iis qui remedium adhibere poterunt;* ergo, cessante necessitate remedii, non poterit crimen manifestari. Praeterea advertit idem Pal. [3] cum Suar. et Sanch., quod praedicta cessio fit, ut crimen reveletur praelato, tanquam patri, non vero tanquam iudici.

246. Haec quoad denuntiationem evangelicam; quoad autem denuntiationem iudicialem pertinet, haec ad triplicem finem fit: 1. Ob publicam criminis punitionem. 2. Ut damnum laeso resarciatur. 3. Ut quis tanquam indignus officio privetur aut ne indignus eligatur, aut ad ordines promoveatur, aut ne matrimonium contrahat. Et de hac denuntiatione iuridica praecipue hic tractandum.

Et notandum 1. quod fraterna monitio non est necessario semper praemittenda ad denuntiationem iudicialem, iuxta dicta mox supra *n.* 239. Notandum 2. quod denuntiatio evangelica transire potest in iudicialem ex communi sententia, quando post evangelicam reus non corrigitur. Azor. Abb. cum Salmant. [4]. Notandum 3. quod si praelatus aut per denuntiationem evangelicam aut per se aut per indicia sufficientia noverit subditi delictum, primo poterit clam eum monere, poenitentiam secretam ei iniungendo, et etiam illum ab officio et a conventu amovendo; modo ex hoc nulla ei obveniat infamia. Deinde poterit ad alia remedia devenire, sed licet ista nec etiam profuerint, et crimen vertat in damnum solius rei, tunc non poterit iudicialiter procedere, nisi crimen probari possit saltem per duos testes. Vide Salm. [5]. Notandum 4. quod qui fraternam fecerit denuntiationem, potest inde ut testis adhiberi post denuntiationem iudicialiter factam, ut tenent Salmant. [6] cum Soto etc., quia alius est processus denuntiationis fraternae, alius denuntiationis iudicialis.

247. Sed quaeritur 1. Utrum, si crimen sit occultum, nec laboret infamia, et fraternaliter denuntiatus non corrigatur, possit praelatus cogere denuntiatores evangelicos, ut faciant denuntiationem iudicialem, et inde iuxta illam reum poenis iuris punire.

Prima sententia affirmat cum Sylv. Cordub. etc. apud Salm. [7] quotiescumque crimen saltem per duos testes posset probari; et huic sententiae consentiunt Sanch. [8] et Nav. Sot. ap. Salm. [9] casu quo adsit spes quod delinquens ob poenas emendabitur, secus autem, isti dicunt, si talis spes non effulgeat; tunc enim vix permittunt posse reum clam excommunicari.

Secunda sententia probabilius tamen contradicit omnino cum Suar. Pal. Led. Bann. et Salm. [10] semper ac ex crimine nullum immineat damnum communitati aut particularibus. Ratio quia tunc delinquens adhuc possidet famam; nec punitio est necessaria ob bonum commune, quando crimen non est publicum.

Sed hic notandum 1. cum Salmant. [11] Palao Torres et aliis, quod in tali casu poterit quidem praelatus aliquibus viris prudentibus crimen manifestare, si hoc iudicet necessarium ad remedium subito adhibendum. Notandum 2. quod praelatus inferior, si ipse possit per se

(1) N. 6. (2) Punct. 12. n 4. (3) Q. 9. n. 7.
(4) Tr. 29. c. 2. p. 3. §. 1. n. 54. (5) Ibid. n. 55.
(6) N. 58. (7) Ibid. §. 2. n. 59.
(8) Cons. 1. 6. c. 2. d. 11. n. 552. (9) Ibid. n. 60.
(10) Tr. 29. c. 2. p. 3. §. 2. n. 61. et 62.
(11) Ibid. num. 63.

subditum corrigere, peccabit si crimen superiori manifestabit. Ita Salm.[1] cum Pal.[2].

248. Quaer. 2. utrum, si per publicum edictum seu monitorium praecipiatur omnibus aliqua delicta denuntiare, teneamur. Resp. quando crimina sunt notoria, procul dubio quilibet ea denuntiare tenetur; secus vero si sint occulta, etiamsi probari possint per duos testes; nisi crimina vergant in damnum communitatis aut tertii; cum hac tamen differentia quod in criminibus in damnum tertii tenemur fraternam monitionem praemittere, et correctione obtenta, denuntiatio iudicialis est omittenda; si autem reus non corrigatur, tunc iudicialiter tenemur eum denuntiare; dummodo possimus sine gravi nostro incommodo, ut Salmant.[3]. In criminalibus autem in damnum commune, nulla praevia monitione, et etiam cum gravi nostro damno denuntiationem iudicialem proferre tenemur. Quamvis etiam in his s. Thom.[4] sic doceat: *Nisi forte aliquis firmiter existimaret quod statim per secretam monitionem possit huiusmodi mala impedire*. Sed hoc raro accidit. Haec fere communiter a dd. docentur. Vide Salm.[5].

Notandum hic autem 1. quod qui delictum sub secreti sigillo noverit, ut remedium aut consilium delinquenti praeberet, nunquam tenetur illud denuntiare, quia ius positivum non potest iuri naturae derogare. Ita s. Th.[6] Sanch.[7] et Salm.[8] cum Nav. etc. contra Sotum.

Notandum 2. quod si quis rem aliquam accepit in compensationem sui certi crediti, non tenetur manifestare, quia edictum imponens denuntiationem intelligit loqui tantum de rebus iniuste acceptis. Ita Sanch.[9] et Salmant.[10] cum Sylv. Idem dicunt Sanch.[11] et Salmant.[12] cum Nav. de debitore rei furtivae qui ob inopiam a restitutione excusetur.

Notandum 3. quod nemo, ut supra dictum est, tenetur denuntiare cum gravi suo incommodo, nisi crimen redundet in damnum commune reipublicae aut religionis, ut crimen laesae maiestatis, haeresis etc.

249. Sed hinc quaer. 3. An sit obligatio denuntiandi haereticos cum periculo gravis damni. Distinguendum, si denuntiandi sunt tantum suspecti de haeresi, ut sunt sortilegi, blasphemi, confessarii sollicitantes, abutentes sacramentis, commune est non esse tunc obligationem. Ita Salm.[13] Potest.[14] nisi (dicunt Salm.[15]) adesset damnum commune, nempe, si sacerdos magnae auctoritatis frequenter poenitentes sollicitaret, etc. Si vero denuntiandi sint haeretici formales, etiam excusare periculum gravis damni, nisi illi dogmatizent, tenent Mazz.[16] Less. Nav. Fill. etc. apud Salm.[17]. Sed verius oppositum est tenendum cum Potest.[18] et Salmant.[19] cum Suarez et Farinac. Ratio quia haeresis formalis de se serpit ut cancer, et ideo semper in damnum commune vergit.

250. Quaer. 4. An teneamur denuntiare coniunctos quos haereticos formales noverimus. Fratres sine ullo dubio tenemur denuntiare; filios vero a denuntiandis parentibus excusant Abul. et Simancho apud Salm.[20]. Sicut ibidem Bon. Fill. Barb. etc. excusant etiam uxores a denuntiando viros suos. Sed dicendum omnes ad denuntiationem teneri, ex eadem ratione ut supra; quia haeresis est pestis ita noxia, quod difficile habet remedium, et facile in damnum vergit commune. Ita Roncag.[21] Bon.[22] cum Farin. Azor. Salm.[23] cum Caiet. Pal. Sanch. Dian. etc. cum communi, ut testatur Potest.[24] et Viva[25].

Hoc tamen dicitur quoad haereticos

(1) Ibid. (2) N. 21 (3) Ibid. §. 4. n. 82. (4) 2. 2. q. 33. a. 7. (5) Ibid. §. 3. n. 79. (6) 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2 (7) C. 2. d. 20. (8) Ibid. §. 4. n. 83. (9) C. 4. (10) Tr. 29. c. 2. p. 3. §. 4. n. 84. (11) Dict. dub. 24. n. 3. (12) Ibid. n. 85. (13) Tr. 21. c. 4. p. 4. §. 2. n. 87. et 89. (14) De denunt. n. 267. (15) Ib. n. 91. (16) Tr. 2. d. 1. q. 1. quaer. 7. (17) Tr. cit. c. 3 p. 9. §. 2. n. 108. (18) D. n. 267. (19) Ib. n. 109. (20) Ibid. n. 105. (21) P. 169. q. 1. r. 3. (22) De oblig. denunt. t. 2. d. 6. p. 2. n. 3. (23) Ibid. n. 106. (24) N. 268. (25) Super propos. 5. Alexand. vii. n. 13.

formales. Si vero denuntiandi sint tantum suspecti de haeresi, Salm.[1] pariter obligant etiam filios ad parentes denuntiandos; sed nimis rigorose, satis enim probabiliter tunc a denuntiatione excusantur, non solum filii, sed etiam coniuncti usque ad 4. gradum, ut tenent Diana Bordon. Lez. Homob. et alii apud Potestà[2]. Ratio quia denuntiare coniunctum, idem est ac grave damnum sive incommodum subire; quod rationabiliter excusat (quando periculum abest damni communis) ut diximus mox *n.* 249. et dicunt ipsi Salm.[3].

251. Quaer. 5. Quaenam sint crimina denuntianda tanquam de haeresi suspecta. Sunt 1. nuptiae contractae, vivente coniuge, ut Salm.[4] cum communi. 2. Nuptiae clerici in sacris constituti, vel religiosi professi; etiam communiter Salm.[5]. 3. Si quis sine sacerdotio missam celebrat, aut aliud sacramentum conficit: ita ex constitutionibus pontificis; vide Salm.[6] qui extendunt ad sacerdotem celebrantem pluries in die, vel non ieiunum, sine iusta causa. 4. Alii pariter censent suspectum esse de haeresi confessarium sigillum violantem, ut Viva de Leone et Quintanad. At hoc negant probabiliter Salm.[7] cum Lugo Bonac. Mol. et communiori, nisi ille per errorem teneat non adesse hanc obligationem sigilli, vel istud non ita rigorose obstringere. 5. Extendunt etiam Salm.[8] cum pluribus ad crimen sodomiae et bestialitatis, sed ipsi loquuntur pro regnis Hispaniarum; hoc tamen non viget in nostris partibus. Hic tamen obiter advertendum, quod clerici et regulares sodomitae ex constit. s. Pii v. privantur omni officio et beneficio; modo 1. crimen sit consummatum. 2. Adsit huius criminis exercitium: ideo non sufficit, si patratum sit bis vel ter. Salm. cum Bon.[9]. 3. Adsit insuper sententia iudicis; nam licet bulla dicat: *Praesentis canonis auctoritate privamus*, attamen sic videtur recepta, ut dicunt Bonac. Sanch. Henr. etc. apud Salm.[10].

252. Quaeritur hinc 6. An sint denuntiandi blasphemi. Distinguendum: Qui proferunt blasphemiam haereticalem certe denuntiandi sunt. Sed hic advertit Potest.[11] quod prorumpens in blasphemiam haereticalem non advertendo ad significationem, non peccat graviter, ideoque nec denuntiandus. Secus vero si blasphemet advertens, quamvis ex ira; quia tunc iam fit saltem suspectus de levi. Caeterum probabiliter Bon.[12] et Ronc.[13] cum Navar. etc. dicunt non esse denuntiandos, quos constet per lapsum linguae errorem protulisse, et huic videntur expresse adhaerere Salm.[14] qui aiunt ad obligationem denuntiationis requiri pertinaciam hominis denuntiandi. Imo Sanch. Trull. etc. contra Salm.[15] universe excusant ab obligatione denuntiandi blasphemos haereticales, semper ac ipsi per correctionem resipiscant.

Quoad autem simplices blasphemos, advertendum quod olim duae aderan obligationes: una increpandi, et haec abiit in desuetudinem eiusque in loco successit obligatio correctionis, si fructus speratur, ut docent Sanch.[16] Palaus Bonac. etc. Altera denuntiandi iudici ecclesiastico vel saeculari, et haec etiam per desuetudinem non videtur amplius obligare, ut dicit Viva[17] cum Tamb. et Mazz. *Vide dicta l. 2. n.* 123.

Rogabis autem, infra quantum temporis blasphemi haereticales denuntiandi sint. Loquendo generice de criminibus suspectis de haeresi, iuxta edictum inquisitionis generalis romanae, tempus assignatum ad denuntiationes est mensis a die scientiae legis, et cessantis impedimenti, ut asserunt Felix Potest.[18] Mazzotta[19] et auctor libri *Istruz. per li novelli confess.*[20]. Loquendo vero praecipue de tempore requisito ad denunciandos blasphemos

(1) Tr. 21. c. 4. p. 4. §. 2. n. 85. (2) N. 221.
(3) Tr. 29. de offic. c. 2. p. 3. §. 4. n. 32.
(4) Tr. 21. c. 4. p. 2. n. 6. (5) Ibid. n. 7.
(6) Ib. n. 8. (7) Ib. n. 9. (8) Ib. n. 10. et 11.
(9) Cit. n. 11. (10) Loc. c. (11) N. 219.
(12) Loc. c. p. 1. §. 8. n. 5. (13) P. 170. q. 4. r. 3.
(14) Tr. 21. c. 3. p. 9. §. 2. n. 107. (15) Ibid. p. 10. §. 2. n. 129. (16) Lib. 2. c. 32. n. 46.
(17) De 2. pr. q. 6. a. 2. (18) De denunt. n. 258
(19) Tr. 2. d. 1. q. 1. quaer. 5.
(20) T. 2. c. 14. n. 231.

haereticales, dicunt Sporer [1] ex decreto Alexand. VII. *de suspectis de haer.* et Salm. [2] (sed forte hi loquuntur iuxta edictum Hispaniarum) esse denunciandos infra sex dies; ita etiam Viva [3] qui idem ait de denuntiatione confessarii sollicitantis; sed auctor praefatus *Istruz. ut supra* pro hac denuntiatione assignat mensem.

253. Quaer. 7. An superstitiosi sint denuntiandi. Affirmant dd. generaliter loquendo, si superstitio fiat cum conscientia peccati, et suspicionem fundet de haeresi. Et hoc accidere dicunt: 1. Quando intercedit pactum expressum cum daemone. 2. Quando miscentur in ea res sacrae ut chrisma, oleum sanctum, hostia sacrata. 3. Si daemon adoretur, vel ei porrigantur preces nefariae, vel aliqui psalmi qui in eius honorem proferri videntur, ut psal. 108. *Deus laudem meam ne tacueris, etc.* 4. Quando daemon rogatur de his quae naturaliter nequit ipse scire. 5. Quando ex superstitione provenit effectus. 6. Quando quis ex professo alios instrueret. 7. Quando intervenit expressa daemonis invocatio (etsi, hac tantum intercedente, excusant alii ab obligatione denuntiandi). Ita Suar. Az. Pegna et Simanchus, vide Salm. [4].

Dixi *generaliter loquendo*, quia in hoc regno denuntiantur tantum superstitiones, in quibus intervenit abusus hostiae consecratae vel olei sancti; non vero aliae. Et haec est praxis hodierna, horum enim criminum quae ad mixtum forum pertinent, praesens rex noster Carolus VI. sibi animadversionem adiudicavit, quando sortilegus est saecularis, secus si est ecclesiasticus.

254. Quaer. 8. An sint denuntiandi qui denuntiare tenentur et omittunt. Si agatur de denuntiando haeretico tantum suspecto, probabilius negatur cum Carena et Lupo et Potestà [5]. Ratio quia non oritur suspicio ex suspicione. Si vero de denuntiando haeretico formali, dicit Potest. [6] denuntiandos esse eos qui ex officio tenentur denuntiare et negligunt; et idem dicit de teste crimen falso negante; vel de dissuadente denuntiationem debitam; quia isti vere censentur de haeresi suspecti; nisi omissio fiat ex causa amicitiae, consanguinitatis etc. Ita Potestà cum communi. Alios vero non denuntiantes, licet etiam ipsi fiant de haeresi suspecti, si nullam habent causam occultandi, ut dicunt Salm. [7] tenent tamen Lupus et Bordon. apud Potestà non esse denuntiandos ne detur processus in infinitum.

Notandum autem super hac materia 1. Neminem teneri denuntiare seipsum nec socios sui criminis, cum hoc esset idem ac seipsum denuntiare. Verum si quis de crimine legitime a iudice interrogetur, tenetur tam se quam socios manifestare. Salm. [8] cum Caiet. Suar. Trull. etc.

Notandum 2. Certum esse quod non tantum superiores regulares, quibus directe imponitur onus denuntiandi ex decreto Alexand. VII. editó anno 1660. sed omnes fideles tenentur ad denuntiandum criminosos de haeresi etiam leviter suspectos, ut loquitur decretum; dum in fine eius statuit pontifex: *Decretum hoc omnes ubique existentes arctare et afficere;* et ita cum communi sentiunt Salm. [9] Sed bene hic advertunt 1. minime esse denuntiandum illum de quo habeatur suspicio ex levibus indiciis, v. g. si audias crimen alicuius a testibus parum fide dignis. Ita Nav. Sayr. Cordub. cum Salm. [10]. Advertunt 2. quod ut sit obligatio ad aliquem denuntiandum, requiritur ut ille sit haereticus proprius et pertinax; non vero si nimirum per ignorantiam, metum, incuriam, lapsum linguae fidei protulerit iniuriam, de qua si secreto corrigitur, sine dubio censeatur abiuraturus. Ita Salm. [11] cum aliis. Hinc inferunt Bon. et Farinac. apud Salm. [12] ac Potest. [13] minime esse denuntiandum hominem simplicem et pium, seu

(1) De 1. praecept. decal. c. 10. n. 12.
(2) Eod. tit. tr. 21. c. 3. p. 10. §. 2. n. 129.
(3) De 1. praecept. q. 6. a. 2. n. 11.
(4) De 1. pr. l. c. (5) N. 234. (6) N. 236.

(7) Tr. 21. c. 3. p. 9. §. 2. n. 116.
(8) Ibid. n. 104. (9) Ibid. §. 1. n. 95. et 102.
(10) Ibid. §. 2. n. 117. (11) Cit. n. 117.
(12) Ibid. (13) N. 238.

concionatorem aliquam propositionem haereticalem ex incuria proferentem; praesumitur enim non ex animo locutus esse.

Notandum 3. Iuxta ius commune [1] eos qui advertenter negligunt haereticos denuntiare, incurrere excommunicationem ferendam: etsi iuxta edictum Hispaniarum, ibi incurratur excommunicatio ipso facto et reservata. Utrum autem in aliis regionibus haec excommunicatio sit reservata. Affirmant Salm. [2] et Potestà [3] qui affert decretum s. c. Sed negant Lupus apud Potestà et Bon. [4].

DUBIUM VI. De testibus.

255. *Quomodo debeant esse, et testificari testes ad probandum.*
256. *Qui reiiciuntur.* 1. *Servi.* 2. *Mulieres.* 3. *Minores,* 4. *Inimici.* 5. *Coniuncti, et domestici.* 6. *Infames.* 7. *Periuri.* 8. *Socii criminis.* 9. *Personae inopes et viles.*
257. *In quibus casibus sufficit dictum unius testis.*
258. *Quid si unus testis deponat de una propositione haeretica, et alius de altera.*
259. *An semper sufficiant duo testes ad probandum.*
260. *Quales debent esse testes, ut plene probent.*
261. *An laici repellantur a testificando contra clericos. Quid e converso.*
262. *An testes inepti, ut supra, faciant indicium.*
263. *An religiosi probent in causa sui monasterii.*
264. *An et quando quis testari teneatur.*
265. *An testis teneatur fateri veritatem iudici non legitime interroganti.*
266. *Quando iudex legitime interroget.*
267. *An testis teneatur manifestare crimen, si accusator unicum testem afferat.*
268. *Non teneris manifestare iudici etiam legitime interroganti:* 1. *Si scias rem ex confessione.* 2. *Sub secreto.* 3. *Si tibi immineat damnum.* 4. *Si accepisti a parum fide dignis.* 5. *Si rem accepisti per iniuriam.* 6. *Si alter probabiliter non peccarit.*
269. *Ad quid teneatur falsum testatus.*
270. *Quando peccent testes. Dub.* 1. *An peccent contra iustitiam, si se abscondant, ne citentur. Dub.* 2. *An si fugiant post citationem. Dub.* 3. *An si interrogati veritatem occultent.*
271. *Quomodo facienda est depositio testium.*

255. « Suppono, ad legitimam et plenam in iudicio probationem requiri duos testes, eosque debere 1. Externo sensu percepisse id de quo testantur. 2. De eodem facto et crimine, cum iisdem circumstantiis, deponere, alioqui erunt testes tantum singulares, ut vocant, qui non faciunt plenam probationem. 3. Esse omni exceptione maiores, in quibus scilicet nulla desideretur conditio, quominus testari possint, iuxta versum vulgarem:

Conditio, sexus, aetas, discretio, fama,
Et fortuna, fides, in testibus illa requires.

256. » Hinc a testando reiiciuntur 1. Servi. 2. Mulieres (Intellige tamen hoc de iure canonico [5] non vero de iure civili, tam in causis civilibus, quam criminalibus, ut Gomez Sanch. Trull. apud Salm.[6]. Verumtamen ad reum damnandum nec plures etiam mulieres sufficiunt. Vide Salm.[7]). 3. Minores 20. annis in criminalibus; in civilibus autem impuberes (Isti tamen etsi ad probandum non sufficiant, nisi in crimine laesae maiestatis, fundant tamen indicium etiam ad torturam. Salm.[8]). 4. Inimici (Licet sint reconciliati, sed de recenti, secus si ex longo tempore. Et hoc etiam in delictis laesae maiestatis: et etiamsi inimicitia non fuerit gravis, ut dicunt Salmant. [9] cum communi). 5. sanguine iuncti (Usque ad 4. gradum, ut Salmant.[10] nisi sit crimen haeresis. Vide alia circa hoc punctum apud Salmant.[11]) et domestici (Ut famuli, coloni) exceptis quibusdam casibus apud Less.[12]. 6. Infames. (Sive de iure, idest sententia sive de facto. Quinam autem dicantur infames. *Vide can. Infames*, *caus.* 6. *qu.* 1. et Salm. [13]). 7. Periuri. 8. Socii criminis (Excipe si crimen sit haeresis vel maleficii vel tale quod non possit sine socio patrari. Salm. cum aliis [14]. An autem duo socii criminis faciant saltem semiplenam probationem contra tertium socium. Affirmat Les.[15]. Sed plures alii negant apud Salm.[16]). 9. Personae inopes et viles. (Nisi sint probatae vitae. Vide Salm.[17]). 10. Deliri et semifatui, ex quibus tamen ii qui solo iure positivo ad testandum sunt inhabiles, possunt admitti in criminibus exceptis. »

(1) Extrav. Excommunicamus. (2) Tr. 21. c. 4. p. 4. §. 1. n. 70. (3) N. 641. (4) Loc. c. (5) Ex caus. 33. qu. 5. (6) Tract. 29. c. 3. p. 1. §. 1. n. 6. (7) Ibid. n. 7. (8) Ibid. n. 8. et 9.

(9) Ibid. n. 12. (10) Ibid. §. 2. n. 21. (11) Ex dict. n. 21. et seqq. (12) L. 24. c. 3. n. 38. (13) Tr. 29. c. 3. P. 1. §. 1. n. 10. et 11. (14) Ibid. n. 15. et 16. (15) C. 29. dub. 17. (16) Ib. p. 3. n. 53. (17) Ib. p. 1. §. 2. n. 17.

257. Notandum quod unicus testis sufficit ad probandum in aliquibus casibus; etenim: 1. Testimonium unius sat est ad impediendum matrimonium illegitimum [1]. Debet hic tamen iurare se impedimentum certo scire: et non sufficit si testis sit de solo auditu, nisi impedimentum sit consanguinitatis, et adsit alius testis de certa scientia, licet hic deponat sine iuramento. Ita Sanch.[2] et Salm. [3]. Sola tamen fama sufficit ad impediendum matrimonium. 2. Testimonium solius episcopi sufficit ad probandum in iudicialibus attinentibus ad suum munus, si testetur in scriptura suo sigillo obsignata. Salmant. [4] cum Bald. Mascard. etc. 3. Ad delicta religiosorum punienda sufficit testimonium unius, si delictum sit tale ut aliter probari non possit. Et ita religiosus sollicitans poenitentem, per illam tantum denuntiatus potest puniri aliqua poena arbitraria; sed non ordinaria. Sanch.[5] Salm.[6] cum aliis: et idem docent [7] Val. et Sot. pro culpis levibus. Caeterum in criminibus gravibus quae gravem merentur punitionem recte tenent et absolute Salm.[8] cum Peyr. et Pell. contra Sanch. et alios, requiri omnino saltem duos testes, quia fama religiosorum non debet minoris aestimari quam fama saecularium. 4. Credendum est officiali publico testificanti de aliquo crimine levi; secus de gravi. Barbos. Farinac. etc. cum Salm.[9] Et idem dicunt de perito in sua arte, v. g. si medicus testificetur mortem alicuius causatam fuisse e vulnere. Salmant. [10] cum aliis. 5. Unicus testis probat quando agitur de laesione minoris. Barb. Gabr. Salm. [11]. Sic etiam probat interpres alicuius linguae ignotae, sic etiam probat persona, cui standum dixit testator in suo testamento. Unicus quoque testis probat miraculum. Salm. [12] cum aliis.

258. Sed quaeritur hic, si unus testis deponat de una propositione haeretica, et alius de altera, an isti plene probent aliquem esse haereticum. Gom. Barb. etc. affirmant probare illum esse haereticum in genere. Sed longe probabilius Less.[13] Rodr. Vill. etc. Salm.[14] negant tales testes facere plenam probationem, licet faciant plus quam semiplenam. Ratio quia, cum non probatur prius haeresis in specie, non potest probari haeresis in genere. Excipe tamen crimen sollicitationis in confessione, quod per testes singulares comprobatur, concurrentibus tamen aliis indiciis et praesumptionibus.

259. Exceptis autem supradictis casibus, ad probandum requiruntur et sufficiunt duo testes in causa tam civili quam criminali, ex Deuter. [15]: *In ore duorum vel trium testium peribit, qui interficietur*. Et ex Ioan. [16]: *Duorum hominum testimonium verum est.* Ratio quia ad humanas actiones probandas sufficit certitudo moralis et probabilis. Ita s. Th. [17] Less. Sot. et Salm. [18] communiter. Ab hoc tamen excipiuntur aliqui casus in quibus ius positivum requirit maiorem numerum testium, nempe ad probanda testamenta, ad damnandos episcopos vel clericos; nam ad condemnandum episcopum requiruntur 12. testes, et ad condemnandum sacerdotem seu clericum requiruntur saltem plus quam duo. Vide Salm. [19].

260. Praeterea testes ut plene probent requiritur: 1. Ut sint contestes, ita ut conveniant non solum in substantia actus, sed etiam in principalibus circumstantiis, idest persona, loco, tempore, modo; nisi circumstantiae sint parvi momenti, puta si unus dicat casum contigisse hora tertia, alius quarta: unus tempus fuisse nubilosum, alius serenum et similes. Ita s. Th. [20] Salm. [21]. Requiritur 2. ut testes deponant cum iuramento, alias non probant, ex *cap. Tuis quaestionibus* 39. *de testib. et ex cap.* 51. *de testib.* ubi ait Panormit. *Nec episcopo quidem, ut testi, credi in alterius praeiudicium, nisi*

(1) Ex c. Praeterea 2. de sponsal. (2) Cons. l. 6. c. 5. dist. 10. n. 1. (3) Tr. 9. c. 8. p. 8. n. 106. (4) Tr. 29. c. 3. p. 2. n. 34. (5) C. 5. dist. 12. n. 4. (6) Ibid. n. 35. (7) Ibid. (8) Cit. n. 35. (9) Tr. 29. c. 3. p. 2. n. 36. (10) Ibid. (11) Ibid. n. 37. (12) Cit. n. 37. (13) L. 2. c. 30. n. 33. (14) Ibid. n. 38. (15) C. 17. v. 6. (16) C. 8. v. 17. (17) 2. 2. q. 70. a. 2. (18) Ibid. p. 3. n. 43. (19) Ibid. n. 44. et 47. (20) 2. 2. q. 70. a. 2. ad 2. (21) Tr. 29. c. 3. p. 3. n. 48.

iurato. Requir. 3. Ut testes per se immediate rem perceperint externe eo sensu quo res percipitur, puta, ut ipsi viderint occidentem, audierint blasphemantem, etc.[1]. Vide Salm.[2] cum Sylv. Pan. Tab. et communi. At in hoc notandum quod nec etiam sufficiunt ad plene probandum testes qui deponunt audivisse quidem per se, sed mediate, id est medio pariete, cortina, quin viderint etiam loquentem, ut Salm.[3] cum Farinac. et aliis. Hoc autem currit in causa criminali, non autem civili; excepto testamento, ubi requiritur ut testes non solum audiant, sed etiam videant testatorem loquentem [4]; Salm.[5]. Testes autem de auditu alieno, nempe qui crimen narrari audiverint ab uno vel duobus testibus de visu, non solum non probant, sed nec etiam semiplenam probationem faciunt, ut Salm.[6] cum Miranda Farinac. et communi iuristarum. Quando vero adsint plures contestes pro reo et plures contra, standum est pro reo, ut docet s. Th.[7]. Etiamsi testes contrarii sint maiores dignitate, ut Salm.[8] cum Pan. Med. etc.

261. Adde quod laici in criminalibus repelluntur a testificando contra clericos [9]. In aliquo tamen casu possunt episcopi uti laicis testibus probatae vitae ad probanda crimina suorum subditorum: e converso clerici et religiosi possunt testificari contra laicos, etsi ad hoc non possint compelli a iudice saeculari, *ex c. Quamquam sacerdot.* 14. *qu.* 2. Ex praefato tamen textu clare deducitur, non posse clericum testificari coram iudice saeculari, sine licentia sui superioris. An autem testimonium clerici sine licentia praelati valeat. Affirmandum probabilius cum Sanchez [10] Trull. Az. etc. ac Salm.[11] contra alios qui dicunt non valere testimonium clerici, sed tunc tantum cum is vi compulsus deponit. Clericis autem et religiosis non videtur esse vetitum testes esse in instrumentis, cum hoc nullibi interdicatur. Vide Sanch.[12] et Salm.[13].

262. Notandum 1. quod testes inepti (numerati ut supra apud Bus.) si deponant, faciunt aliquod indicium, sed non plenum nec sufficiens ad torturam: immo servi vel graviter inimici omnino repelluntur. Sed si crimen commissum est noctu, vel in aliquo loco secreto, tunc facile admittuntur. Deinde, si testes sint inepti principaliter ob favorem partis, ut inimici, domestici etc. si pars eos admittit, iudex non valet eos repellere. Vide Salm.[14].

263. Notandum 2. quod religiosus in causa sui monasterii bene potest testificari [15]. Et idem dicitur de canonico in causa sui capituli, de clerico in causa suae ecclesiae, et de collegiali in causa sui collegii, quotiescumque in causa ipsi nullum interesse habeant particulare. Advertendum tamen est, istorum testimonium non esse omnino integrum; et insuper non esse admittendum, quando alii testes haberi possint. Salm.[16]. cum aliis.

264. « Quaer. 1. An et quando teneatur quis testari. 2. Ad quid teneatur qui non vult testari, aut qui falsa est testatus.

» Resp. 1. Non tenetur quis testari, nisi vel ex caritate, cum ita necessarium est ad avertendum grande malum proximi aut reip. vel ex praecepto, cum iudex seu superior habens potestatem, ita legitime praecipit. In quo ultimo casu si fugias aut occultes te antequam ad testandum citeris, non peccabis contra iustitiam; ideoque nec teneberis restituere, ut contra multos docent Valent. et Less. Ratio est quia tibi necdum est praeceptum: si quod autem ius nascatur parti ex tuo testimonio, id ex praecepto oritur. Imo, etsi sit communis sententia, ad restitutionem teneri eum qui a iudice citatus fugit, vel testimonium fraude declinavit, cum sit

(1) L. Sola 1. c. de test. et c. 4. §. Solam, q. 3.
(2) Cit. n. 48. et 49.
(3) Ibid. n. 50. et 51.
(4) Ex l. Si non speciali, c. de testam.
(5) Ibid.
(6) Ibid. n. 53.
(7) 2. 2. q. 70. art. 2. ad 2.
(8) Ibid. n. 54.
(9) Ex caus. 2. quaest. 7.
(10) Consil. lib. 6. c. 5. d. 17. n. 2.
(11) Tract. 29. c. 3. p. 1. §. 2. n. 28.
(12) Dec. t. 2. l. 6. c. 13. n. 106.
(13) Ibid. n. 29.
(14) Ibid. n. 51.
(15) Ex c. Insuper statuimus 6. de test.
(16) Ibid. p. 2. n. 41.

efficax et moralis causa ut iudex sententiam ferat in alterius damnum: non tamen est improbabile quod docent Molin. et Less. non teneri. Ratio est quia citatio intimata non inducit obligationem iustitiae, sed tantum obedientiae; proindeque non comparens contumax tantum est et inobediens, non autem iniustus. Less.[1]. Vide Bon. Laym.[2].»

265. Hic notandum certum esse quod iudici non legitime interroganti testis non tenetur fateri veritatem; tunc enim poterit licite respondere (etiam cum iuramento) *crimen nescire,* ita ut teneatur illud ei manifestare. Ita s. Th. [3] qui ait, quod eo casu *non tenetur accusatus respondere, sed potest vel per appellationem, vel aliter licite subterfugere.* Et idem communiter dd. dicunt etiam de teste. *Vide dicta de restrictione non pure mentali l. 3. n. 152.*

266. Sed quaeritur 1. Quandonam iudex legitime interroget. Resp. 1. quando adest semiplena probatio, puta, unus testis de visu vel auditu proprio, ut supra: vel si adest notorietas aut infamia criminis, vel indicia evidentia, vel si accusator se offerat ad delictum pluribus testibus probandum (alias, etiamsi plures testes adsint de aliquo crimine, nemo eorum teneretur crimen revelare); omnia haec enim aequivalent semiplenae probationi; qua interveniente delictum non dicitur amplius secretum, ideo iudex tunc habet ius ut testis veritatem manifestet. Ita communiter Less. [4] Navar. et alii cum Salm.[5] qui advertunt[6] cum Sayr., quod ut testis teneatur tunc respondere, requiritur ut infamia, vel semiplena probatio, vel indicia, ut supra, sint iam probata et a iudice testi manifestentur; nisi constet iudicem esse probum, et asserat se legitime interrogare.

267. Quaeritur hinc 2. Utrum, quando non adest semiplena probatio, sive infamia, vel evidentia indicia criminis, ut diximus, si accusator unicum testem tantum afferat, teneatur hic testis veritatem manifestare. Affirmant Salm.[7] cum Soto Valent. etc. quia (dicunt) quando adest accusator conscius de crimine, et unicus testis, iam reus censetur aequivalenter infamatus. Sed probabilius negant Ronc. [8] cum Less. Passer. item Sylvest. Nav. et Bann. apud Salm.[9] iuxta supra posita. Et idem clare videtur docere s.Th.[10] qui dicit tunc legitime testem interrogari, *quando vel de manifestis, vel de his de quibus infamia praecessit, interrogatur.* Ergo non legitime interrogat iudex, quando non praecessit vel notorietas (hoc enim significat tò *manifestis*), vel infamia, aut alia semiplena probatio, ut supra.

268. « Resp. 2. Etiam legitime et iuridice interrogatus non teneris testari sequentibus casibus: 1. Si scias rem ex confessione. 2. Si accepisti sub secreto naturali (Etiam sub secreto tantum commisso, ut s. Thom.[11] et communis cum Sylv. et Salm.[12] contra Sotum: quia praeceptum naturale praeferendum est praecepto iudicis. *Vide dicta lib. 4. n. 49.* Intellige tamen, nisi immineat damnum commune, vel nisi aliunde scias; tunc enim teneris ad manifestandum, ut communiter dd. cum Salm.[13]) ut consiliarius, advocatus, medicus etc., modo tamen non sit necessarium ad magnum reipublicae vel proximi malum avertendum (Ut s. Th. [14] et Salm. [15] cum communi), tunc enim licet tale secretum detegere, etiamsi iurasses te nulli dicturum: quia tale iuramentum non obligat, cum iure naturae tenearis ad contrarium. Vide Layman [16]. 3. Si ex testimonio tibi vel tuis immineat notabile damnum: nisi tamen damnum publicum vel privatum alienum praevaleat, ut notat cardinal. de Lugo [17]. Unde communiter non teneris testari contra consanguineum. 4. Si a viris non sat fide dignis accepisti; tunc enim potes te habere, ac si nihil scires. (Imo Sanch.[18] et Nav. Sot. Arag. et alii cum Salm.[19] dicunt testes de au-

(1) Lib. 2. c. 30. d. 6. 7. 8. (2) Locc. cc. (3) 2. 2. q. 66. a. 1. (4) L. 2. c. 3. dub. 5. et 6. (5) Tr. 29. c. 3. p. 4. n. 56. et 57. (6) Ib. n. 62. (7) Tr. 29. c. 3. p. 4. n. 60. et 61. (8) Tr. 15. q. 3. (9) Ibid. n. 59. (10) 2. 2. q. 70. art. 1. (11) Ibid. (12) Ibid. ex n. 65. (13) Ibid. n. 70. (14) L. c. (15) Ibid. n. 68. (16) C. 4. n. 9. (17) De iust. disp. 30. n. 10. (18) Dec. l. 3. c. 2. n. 5. (19) Tr. 29. c. 3. p. 4. n. 69.

dito alieno non teneri ad manifestandum, quando iudex nihil aliud ab eis exigit, nisi ut dicant id quod sciunt; quia, aiunt, scire proprie non est credere, sed veritatem perceptam visu vel alio sensu in mente retinere: quaecumque autem alia notitia pertinet ad iudicium, non ad scientiam). 5. Si factum intellexisti per iniuriam, verbi gratia aperiendo litteras; cogendo alium ad revelationem, etc. Laym.[1] Mol.[2]. 6. Si alter probabiliter in facto non peccaverit, vel propter ignorantiam, vel quia rem aliquam accepit in occultam compensationem debiti; ex quo, tamquam de fure, inquiratur. Ratio est quia mens iudicis est inquirere de delicto. Vide Azor. [3] Fill. Bonac. [4] Laym. [5].

269. » Resp. 3. Qui sciens falsum testatus est, per quod alteri fuit efficax causa damni, tenetur ad impeditionem vel reparationem omnium damnorum quae causantur. Item tenetur revocare cum pari suo damno, et periculo etiam vitae, si reus de ea periclitetur, et putetur revocando aliquid effecturus. Ita communiter. Ratio est quia in damno aequali potius habenda est ratio innocentis. *Vide dub. seq. art.* 1.

» Dixi 1. *sciens:* quia si ex ignorantia, inadvertentia, aut oblivione inculpabili falsum est testatus, etsi teneatur impedire si possit, non tamen ad restitutionem tenetur, etiamsi reus damnetur. Ratio est quia neque tenetur ex re recepta neque ex delicto.

» Dixi 2. *causa efficax:* quia, si a parte rei falsum illud testimonium nihil effecisset, v. gr. quia per falsa testimonia aliorum iam tota causa damni erat data, ita ut iudex ex hoc testimonio nihil fuerit motus, ad nihil tenebitur. Less. [6] et Laym. [7] et alii.

270. » Testis peccat 1. Si affirmet quod ignorat. 2. Si veritatem quam debeat celare, aperiat. 3. Si se occultet ne rogetur casu quo tenetur testari. 4. Si iudici iuste interroganti non obediat. 5. Si pretium pro dicenda veritate accipiat.»

Sed dubitatur 1. An peccet contra iustitiam, et teneatur ad restitutionem testis qui se abscondit ne citetur a iudice. Affirmant Sotus [8] et alii apud Lugo [9]. Sed communissime et verius negant idem Lugo [10] Less. [11] cum Salon. et Pegna ac Bon. [12] cum Nav. Fill. Bann. Reb. Sayr. et aliis. Ratio quia licet possit ille graviter peccare contra proximi caritatem, non tamen peccat contra iustitiam, cum nemo teneatur praecepto superioris parere, antequam ei imponatur.

Dubitatur 2. An teneatur ad restitutionem testis qui fugit post citationem. Affirmant Sotus [13] Sanch. [14] item Nav. Azor. Fill. Salon. et Reg. apud Bon. [15] quia eo ipso quo testis est citatus, tenetur ex iustitia testimonium dicere: prout si iudex praecipit alicui ut proferat scripturam ad causam pertinentem, tenetur ipse ex iustitia illam exhibere, alias debet damnum parti restituere. Negant vero communius et probabilius idem Lugo [16] et Mol. [17] et probabile putant Bonac. [18] ac Less. [19] cum Sylv. [20]. Ratio quia citatio illa non imponit obligationem iustitiae, sed tantum obedientiae. Nec obstat paritas allata scripturae proferendae: nam bene respondet Lessius quod scriptura illa sine dubio ex iustitia proferri debet, cum sit res externa de qua respublica iuste potest disponere, sicut de aliis bonis civium, quando oportet ad ius illorum tuendum; non sic de obligatione testificandi.

Dubitatur 3. An teneatur ad restitutionem damni testis qui legitime interrogatus a iudice veritatem occultat. Certum est teneri si ipse positive falsum deponat circa factum, puta si dicat domum Petri scire esse Pauli; vide Lugo [21]. Idem dicendum putat Holz. [22] de teste qui fuerit praesens in donatione mutui, et postea interrogatus id

(1) L. 3. tr. 6. c. 4. n. 5. (2) D. 5. n. 5. (3) 3. p. t. ult. c. 27. (4) D. 10. q. 3. p. 3. (5) Loc. c. (6) L. 2. c. 50. (7) L. 3. t. 5. c. 8. (8) De iust. l. 5. q. 7. a. 1. (9) D. 39. n. 4. (10) N. 5. (11) L. 2. c. 30. n. 58. (12) De 8. praec. d. 10. q. 3. p. 3. n. 12. (13) Loc. c. (14) Cons. l. 6. c. 5. dub. 3. n. 4. (15) Loc. cit. n. 13. (16) Loc. cit. n. 5. (17) D. 83. v. De teste. (18) N. 13. (19) N. 59. (20) V. Testis, n. 8. (21) D. 39. n. 4. (22) T. 1. p. 505. n. 710.

negat, quia iam iste infert iniuriam alteri damnosam. Sed quid, si testis veritatem celet, negative se habens circa factum, nempe si respondeat illud nescire, cum revera sciat? Affirmant etiam teneri ad restitutionem Salm. [1] et idem dicere debent omnes aa. citati pro prima sententia dubii antecedentis, ob eamdem rationem, ut supra, quia testes, posito praecepto iudicis, tenentur ex iustitia veritatem patefacere: et sicut iudex contra iustitiam peccat si sententiam non proferat, sic dicunt peccare testes qui veritatem non manifestant: sed contradicunt Mol. [2] et Lugo [3] cum Raynaudo et aliis, ac merito probabile putat Less. apud eumdem Lugo. Ratio quia testis non tenetur veritatem deponere, nisi aut ex praecepto iudicis aut ratione iuramenti praestiti; unde tacendo veritatem non peccat contra iustitiam, sed tantum contra obedientiam, vel etiam contra religionem. Dispar est autem iudex a teste: iudex enim ex quasi contractu cum republica inito, ratione officii assumpti, tenetur ex iustitia iustam sententiam ferre; testis vero non tenetur ex iustitia, sed tantum ex obedientia officium testis peragere, et ideo tantum contra obedientiam peccat, veritatem non manifestando. Huic sententiae adhaeret etiam Bonac. [4]. Hinc ait Ciera [5] cum de Ianuar. talem testem reticentem veritatem nec incurrere casum reservatum in iurantes falsum cum damno tertii, quia reservatio intelligitur lata in eum qui iurat cum mendacio positivo, non autem negativo. Dicit vero Bonacina [6] quod si testis iuravit se dicturum veritatem, tenetur tunc ex iustitia illam dicere, quia ex iuramento promissorio oritur obligatio iustitiae: sed probabilius contradicit Less. [7] quia testis iurando se dicturum veritatem, non intendit se obligare ex iustitia, sed tantum ex virtute religionis ad illam manifestandam.

Sed dices: Qui fraude aut mendacio impedit aliquem a consecutione iusti boni, tenetur utique ad restitutionem damni illati, prout diximus *lib.* 3. *n.* 587. Sic igitur pariter tenetur damnum restituere testis, qui dicendo se nescire quod vere scit, iam impedit per tale mendacium proximum a consecutione sui iuris. At respondetur hoc procedere, quando mendacium est causa positiva sive influxiva damni; secus si tantum negativa. Testis autem qui dicit se nescire veritatem quam scit, est causa tantum negativa damni, cum nullum apponat impedimentum positivum ne alter suum ius consequatur, sed solum non removet impedimentum alteri obstans, scilicet defectum probationis: ad quod removendum poterit quidem testis ex obedientia et religione ut diximus, aut etiam aliquando ex caritate esse obstrictus, sed non ex iustitia, nisi forte peculiare pactum cum parte inierit de veritate manifestanda.

271. Pro complemento huius puncti quaeritur an sufficiat depositio facta tantum in scriptis et non oretenus. Affirmant aliqui, et Salm. [8] probabile putant; atque praelatos et visitatores hac opinione bene uti posse dicunt ad strepitum vitandum; et hanc tenent [9] Rodriq. etc. saltem si causa sit levis momenti. Communis tamen sententia et probabilior negat hoc sufficere in causa criminali, ut habetur ex *can. Testes, caus.* 3. *qu.* 9. *et c. A nobis*, *qui matr. acc. etc.* ubi: *Nullius momenti est subscriptio*, *quoad sententiam proferendam*, licet valeat haec ad probandam infamiam extraiudicialiter ut Felin. et Far. apud Salm. [10]. Debet igitur depositio fieri oretenus, et tacta aliqua re sacra, ut cruce vel evangelio. Sacerdotes tamen sufficit quod iurent tacto pectore. Salm. [11].

Iudex autem per seipsum debet testes examinare, ut docent communiter dd. cum Covar. et Salm. [12]. Potest tamen iudex examen alteri digno committere, prout Salm. [13] dicunt constare

(1) Tr. 27. c. 1. p. 3. §. 1. n. 20. (2) D. 83. v. De teste. (3) Loc. c. n. 5. (4) Loc. c. n. 14. (5) De cas. reserv. d. 7. n. 62. (6) Ibid.

(7) N. 60. (8) Tr. 29. c. 3. p. 3. n. 72. (9) Ibid. (10) Ibid. n. 73. (11) Ibid. n. 76. (12) Cit. n. 70. (13) Ibid.

ex praxi omnium tribunalium, si iudex sit impeditus, vel si testes non possint ob senectutem vel paupertatem iudicem adire [1]. In causis vero criminalibus ipse iudex examen solet excipere [2].

Testis interrogandus est de sua aetate, nomine, cognomine et conditione: interrogandus inde per articulos de facto et eius circumstantiis, nempe de loco, tempore, de aliis personis adstantibus ad factum: item de ratione suae notitiae, praesertim in causa criminali. Vide Salm. [3]. Item debent scribi verba testis, prout ipse profert. Item cavendum ne testis sciat depositionem ab alio teste factam. Salm. [4].

Testi deprehenso in aliquibus falsum dixisse, in aliis non est credendum. Salm. [5]. Depositio demum debet denuo ante testem legi et ab eo ratificari, et in ratificatione notandum est id quod a teste additur vel mutatur. Et in fine secretarius scribere debet: *Quae omnia affirmavit verissima esse iuramento quod praestitit; et, cum omnia quae deposuit, lecta ei fuissent de verbo ad verbum, illa ratificavit, propriaque manu subscripsit.* Et in fine depositionis cuiuslibet testis, iudex, testis et secretarius se subscribere debent. Et si testis scribere nesciat, signet crucem, et alius pro ipso subscribat, et secretarius ibidem hoc notet. Sic autem ratificata depositione, nulla amplius habenda est ratio de iis quae testis aliter postea dicat; etiam in articulo mortis, ut dicunt Bald. Felin. et Men. Vide Salm. [6].

Facta autem rei citatione, vel oretenus, vel realiter per incarcerationem rei, vel per edictum, si reus fugerit, ac lite sic contestata (quod certe est necessarium ad essentiam processus), iterum repetendi sunt testes cum iuramento, excepto casu quo procedatur in reum absentem ut contumacem; vel si testes qui deposuerunt, defuncti sint, vel si iudex procedat ex officio et non ad instantiam partis. Ita communiter dd. apud Salm. [7] licet Rodr. Suar. Lez. etc. apud Salm. [8] teneant in causis religiosorum hanc ratificationem non requiri. In hac autem ratificatione magis credendum est tabellioni qui depositionem scripsit, quam testi asserenti aliud deposuisse, quam scriptum est: ita Covarr. Bald. etc. apud Salmant. [9].

Dubium VII. De reo.

Art. I. An et quomodo reus teneatur fateri veritatem.

272. *Quid respondere potest reus non legitime interrogatus.*
273. *Quando reus non tenebitur crimen fateri.*
274. *An teneatur reus crimen fateri cum timore magnae poenae.*
275. *An peccet graviter reus qui ad vitanda tormenta falsum crimen sibi imponit.*
276. *Quando autem tenetur reus suam confessionem revocare.*
277. *An reus ad se tuendum possit revelare crimina occulta testium aut accusatoris, et an peccet graviter si crimina falsa eis imponat.*
278. *An reus teneatur revelare complices.*

272. « Resp. 1. Si non interrogetur legitime non tenetur fateri suum crimen, sed potest iudicem eludere vel ambiguis verbis, vel etiam negando, cum aliqua restrictione, et in bono sensu, ut mendacium absit. Ratio est quia tunc iudex non habet ius interrogandi, aut obligationem imponendi reo. Ita Less. [10] et Bon. [11] (Ita Caiet. Az. Sanch. Ronc. et alii, iuxta dicta *l.* 3. *n.* 154. ex d. Th. [12] qui [13] sic ait: *Aliud est veritatem tacere, aliud est falsitatem proponere. Quorum primum in aliquo casu licet, non enim aliquis tenetur omnem veritatem confiteri, sed illam solum quam ab eo potest requirere iudex, puta cum praecessit... probatio semiplena*).

Unde resolves:

273. » 1. Reus non tenetur fateri crimen suum: 1. Si iudex non sit legitimus. 2. Si a seipso litis processum inchoet, sine praevia accusatione, saltem virtuali. 3. Si non praecessit semiplena probatio, nec infamia, nec manifesta criminis indicia extant. Ratio est quia

(1) Ex c. Si qui testium, de testib. (2) Ex auth. de test. §. Haec omnia. (3) Tr. 29. c. 3. p. 5. n. 78. (4) Ibid. n. 80. (5) Ibid. n. 82. (6) Ibid. n. 83. et p. 6. n. 92. (7) Ibid. n. 85. (8) Ibid. n. 8● (9) L. c. n. 92. (10) T. 6. l. 3. c. 5. (11) D. 10 q. 3. p. 2. (12) 2. 2. q. 69. a. 1. (13) Art. 2.

in his iudex non interrogat legitime. Azor. Less. Fill. Laym. Bon.[1] Lugo[2].

» 2. Nec tenetur, si dubitet an iudex legitime interroget: quia non tenetur parere cum gravi suo damno, nisi constet superiorem posse praecipere. Ita Less. Fill. Laym.[3] Sanch.[4] Salas card. de Lugo etc. contra Sylv. Bon. et alios (Ita absolute tenent Salm.[5] cum Soto Sanch. Navarr. et Sanch.[6] cum Soto Cord. Caiet. Nav. Palac. etc. contra Palud. Sylv. et s. Anton. Ratio quia reus possidet suam vitam et famam; unde in dubio habet ius eam servandi, usquedum constet de legitima interrogatione).

» 3. Iudex tenetur reo manifestare statum causae, et quae sint indicia, quomodo probetur delictum, etc. ut reo constet an legitime interrogetur; quia non tenebitur respondere, alioqui, et seipsum honore aliisve bonis quae bona fide possidet, spoliaret, Cai. Nav[7] c. de Lugo[8] (Idem dicunt Sot. Tol. Lessius etc. cum Salm.[9] communiter).

» 4. Si reum iuridice quidem interroget iudex, sed nonnisi ex falsa praesumptione delicti, v. gr. an exierit ex tali domo stricto ense, potest reus (idem est de teste), licet sciat semiplene probatum esse, id negare, si exiit quidem, non tamen facto delicto, sed ob aliam causam: quia si iudex veritatem sciret, non posset interrogare. Ita cum s. Th.[10] Sot. Fag.[11] Diana[12] c. Lugo[13] (Idem dicendum si quis occidit ob iustam sui defensionem; tunc iudici interroganti potest respondere, non occidisse, hoc est cum culpa; ita Sotus Salon. cum Salm.[14]).

274. » Resp. 2. Etsi communior et verior sententia sit s. Thom.[15] si reus legitime interrogetur a iudice, teneri in conscientia aperte veritatem dicere; probabile tamen est etiam quod ex Sylv. docent Sa et Less. non teneri saltem sub mortali, in causis capitalibus et gravioribus, si sit spes evadendi, et nullum grave damnum reip. timeatur. Tann.[16] card. Lugo[17], qui dicit esse sententiam valde probabilem et in praxi tutam. Ratio est quia lex humana communiter non obligat cum tanto periculo, v. gr. mortis, tum quia inhumanum videtur ut qui convinci non potest, teneatur praebere arma contra se, quibus occidatur, aut gravem poenam, v. gr. perpetui carceris, subeat; tum quia non videtur tam heroicus actus praecipi posse. Bon.[18].»

Celebris est haec quaestio an teneatur reus fateri crimen iudici legitime interroganti cum timore magnae poenae.

Prima sententia affirmat cum s. Th.[19] Sot. Less. Sanch. Tol. Sylv. et Salm.[20] qui dicunt hanc probabiliorem et in praxi tenendam, quamvis contrariam vocent probabilem intrinsece et extrinsece. Ratio quia iudex ius habet praecipiendi, quando legitime interrogat, ut reus crimen ei revelet; ideoque reus peccat contra iustitiam, si hac in re gravi ei non obediat.

Secunda sententia tamen quam satis probabilem etiam intrinsece puto (quamvis primam censeam probabiliorem) cum Busemb. et Sa Suarez Filliuc. Elbel[21] Rodriq. Villal. Henriquez Peyrin. Fag. etc. apud Salm.[22] et quam probabiliorem censet Lugo[23] negat teneri reum crimen suum revelare casu quo damnandus foret ad mortem aut ad triremes, ad carcerem perpetuum vel ad amissionem omnium bonorum vel totius famae et honoris. Ratio quia videtur non adesse hanc duram legem, tanquam humano modo impossibilem, ut quis teneatur quasi ipsemet se condemnare ad gravissimam poenam, crimen suum confitendo; nisi commune damnum immineat ex reticentia confessionis delicti, puta haeresis, laesae maiestatis etc., tunc enim reus tenetur seipsum prodere, vel saltem socios,

(1) Locc. cc. (2) D. 40. n. 1. (3) Loc. cit. (4) L. 6. cons. c. 3. d. 31. (5) De offic. tr. 29. c. 7. p. 1. n. 3. (6) Cons. l. 6. c. 3. dub. 31. n. 2. (7) C. 25. n. 43. (8) D. 40. n. 1. (9) Cit. n. 3. (10) Q. 69. a. 1. (11) P. 8. c. 34. (12) P. 3. t. 5. misc. r. 65. (13) Dub. 40. n. 4. (14) Tr. 29. c. 7. p. 1. n. 19. (15) 2. 2. quaest. 69. (16) Q. 4. d. 5. (17) D. 40. n. 15. (18) In 8. praec. d. 10. q. 3. p. 2. n. 17. (19) 2. 2. q. 69. a. 1. ad 2. (20) Tr. 29. c. 7. p. 1. n. 3. et n. 9 (21) De iur. n. 144. (22) Ibid. n. 6. (23) De iust. d. 40. t. 2. n. 15.

quantum opus est ad commune damnum avertendum, etiamsi ipsi mors immineat ex revelatione sociorum, ex quibus evadet in iudicio convictus. Casu vero quo tale damnum non timetur, cum lex obligans ad crimen fatendum probabiliter non extet, probabiliter iudex non habet ius veritatem in tali casu exigendi, nec reus obligationem eam manifestandi; et ideo reus amphibologiis crimen celando, contra iustitiam non peccat iuxta dicta *l.* 3. *n.* 156. Nec obstat dicere quod reus tunc tenetur damnum illud subire pro bono communi; nam si haec ratio valeret reus ad poenam damnatus nec etiam posset e carcere fugere; in utroque enim casu viget ratio communis boni, et tamen reus licite potest fugere, ut fatentur ipsimet Salm. [1] cum communi, ex d. Thom. [2] qui ait: *Non tenetur* (reus) *facere id unde mors sequatur, quod est manere in loco unde ducatur ad mortem.* Et hoc etiamsi iudex praecipiat ut non aufugiat, ut pro certo habet Lugo [3].

Omnes autem conveniunt, ut par est, ad dicendum quod si reus sit in bona fide, et censeatur quod difficile inducetur ad fatendum crimen interrogatus a iudice, confessarius in sua bona fide eum relinquere debet, ut Sanch. [4] Salmant. [5] etc.

« Dixi 1. *in capitalibus:* quia aliud est de causis in quibus agitur de poena ecclesiastica, quae est medicinalis.

» Dixi 2. *si sit spes evadendi:* quia, absque ea cessat ratio celandi veritatem.

Unde resolves:

» 1. Non semper opus est, iuxta dicta resp. 2. ut confessarius reum urgeat ad crimen fatendum. Lugo [6].

» 2. Post sententiam latam, reus non tenetur confiteri crimen, quod ante iniuste negavit, quia, finito iudicio, finitur obligatio rei. Laym. [7] (Idem dicunt Sanch. [8] et Salm. [9]. Idemque dicitur de teste. *Vide lib.* 3. *n.* 155.). Imo probabile est nec ante sententiam ad id teneri, etiamsi adhuc sit in potestate iudicis, donec iterum interrogetur. Card. Lugo [10] (Ita etiam Sanchez [11] et Salmant. [12] etc. contra Navar. Bann. etc. Ratio, quia iustitia legalis non obligat, nisi tunc tantum, cum iudex interrogat; nisi iudex tempus ad respondendum praescribat, nempe si praecipiat, ut reus infra mensem veritatem dicat, et mensis adhuc duret. His tamen non obstantibus, probabilius docent Sot. [13] Nav. [14] item Sayr. et Angles apud Sanchez [15] qui fatetur communem sententiam esse. Ratio, quia quandiu sententia pendet, adhuc censetur perdurare praeceptum iudicis, ut iustum servetur iudicium).

» Resp. 3. Si quis ad evitanda tormenta gravia mentitus, falsum sibi crimen imposuit, per quod sit morte plectendus, non videtur mortale. Ita contra Nav. et alios docent Ang. Sylv. Less. [16] Tan. [17]. Ratio est quia non est mentitus perniciose, cum non teneatur tantis tormentis vitam conservare. Vide c. de Lugo [18].»

275. Quaeritur hic an reus ad evitanda gravia tormenta peccet graviter confitendo falsum crimen.

Prima sententia negat, quam tenet cum Bus. Les. [19] cum Ang. Sylvest. Tol. et Soto, et probabilem putat Lugo [20]. Ratio, quia nemo tenetur vitam servare cum tanto cruciatu, qui morte ipsa durior videatur, iuxta dicta *lib.* 3. *n.* 372.

Secunda sententia vero probabilior affirmat, et hanc tenent Mol. [21] et Lugo [22] cum Nav. et Cov. Ratio, quia licet nemo teneatur tueri vitam adhibendo medium visum ipsa morte durius, nemo tamen potest positive cooperari suae iniustae morti, quod est intrinsece malum, cum homo non sit dominus suae vitae. Unde probabilius infert Molina [23] contra Busemb. ut infra, quod si causa sit adhuc in eo statu, ut per retractationem possit mors impediri, debet reus se re-

(1) Tr. 29. c. 7. p. 4. n. 57. (2) 2. 2. q. 69. a. 4. ad 2. (3) Loc. c. (4) Dec. l. 3. c. 7. n. 8 (5) Ibid. p. 1. n. 24. (6) Dist. 40. n. 20. (7) L. c. (8) Dec. l. 3. c. 7. (9) Tr. 29. c. 7. p. 1. n. 20. (10) D. 40. n. 17. (11) Loc. . ,. 8. (12) Ib. n. 21.

(13) L. 5. de iust. q. 6. a. 12. (14) Sum. c. 25. n. 36. (15) N. 7. (16) L. 2. c. 11. d. 7. (17) De iust. d. 4. q. 4. dub. 5. (18) Loc. cit. (19) L. 2. c. 11. d. 7. n. 40. (20) D. 14. n. 174. (21) Dist. 37. n. 18. (22) L. c. (23) N. 16. et 18.

tractare, quia falsa illa confessio pergit influere ad suam iniustam mortem, et ideo tenetur causam illam auferre; sicut qui ignem culpabiliter accendit in domo aliena, tenetur etiam cum suo damno illum extinguere[1]. Advertit hic autem Lugo [2] cum Molina, quod etsi a principio peccasset reus confitendo crimen falsum cum infamia alterius, non tenetur postea se revocare ad reparandam alienam infamiam, se denuo exponendo ad sustinenda illa gravia tormenta, quia nemo tenetur famam restituere cum tam longe graviore suo damno.

276. « 1. Talis non tenetur postea crimen revocare, quamvis ante periurio confirmasset, si prudenter metuit ne ad tormenta revocetur: quia etsi peieratione graviter peccarit, hoc iam transiit, et non retractando nemini facit iniuriam; ideoque sufficit coram Deo poenitere. Vide Less. Tann. [3].

» 2. Si ex illa falsi criminis confessione grave damnum aliis sequitur, v. g. bonum reip. aut fama religionis, vel familiae notabiliter laederetur, aut aliqui ideo in haeresi lapsuri essent, quaevis potius tormenta perferenda essent. Tann. [4].

» 3. Si reus tormentis coactus denuntiavit alium innocentem, tenetur sub mortali ante suam condemnationem, etsi tum non facit, etiam post damnationis sententiam revocare, ad quod etiam a confessario est obligandus. Ita ex communi Tol. [5] Less. [6] Tann. [7] qui subiungit: 1. Si quis tamen sequatur, ipsaque praxi servari advertat, eam sententiam quae negat per revocationem in extremo vitae factam tolli, vel infirmari denuntiationem ante factam, ut docent Delrio [8] Valent. [9] is consequenter existimare poterit, denuntiantem in eo mortis articulo, saltem cum suo incommodo, et sub peccato mortali, obligatum non esse ad revocationem, quia inutilis. Ita Tann.[10], licet ipse recte censeat, fundamentum istius sententiae minus esse probabile.

» 4. Monet idem Tann.[11] cavendum esse confessario, ne vel importune saepius reo damnato inculcet retractationem denuntiationis inique factae, vel retractationem factam imprudenter, et cum scandalo evulget.»

277. Quaeritur hic an reus ad sui defensionem possit revelare crimina occulta testium vel accusatoris. Et an peccet graviter, si falsa crimina eis imponat. Hic ante omnia advertenda propositio 44. damnata ab Innoc. xi. quae dicebat: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit alteri falsum crimen, ut suam iustitiam et honorem defendat. Et, si hoc non est probabile, vix erit opinio probabilis in theologia*. Resp. igitur 1. Quod falsum crimen testi, vel accusatori opponere, ad suam causam tuendam, illicitum semper est et culpa gravis. Ita comm. s. Th. [12] Sanchez[13] Sot. Les. et Salm.[14]. Et hoc, etiamsi accusatus esset vere innocens, et iniuste alias damnandus esset ad mortem; rationem assignant Salm. [15] quia numquam licet se defendere cum gravi damno proximi innocentis. Sed haec ratio sic generice sumpta minime suadet; nam iuxta legem caritatis, cum vita sit bonum ordinis maioris, quam sint bona temporalia, potest suam vitam defendere cum iactura bonorum vel famae alienae. Et si ad hoc reus adhibeat mendacium, erit quidem peccatum, sed non plus quam veniale; quia ratione damni tenetur tunc proximus damnum suae famae sufferre, ad servandam vitam innocentis in extrema necessitate constituti. Ratio quam puto magis in hoc casu valere est, tum quia iniusta laesio famae alienae vel non est unicum medium ad tuendam vitam rei, vel facile est obnoxium periculo hallucinationis; tum quia mendacia gravia

(1) Sed hic Molina pariter dicit, quod si reus sit in bona fide non debet confessarius eum obligare ut se retractet cum periculo quod ille ut vitet tormenta peccet formaliter denuo delictum. quod non patravit, sibi imponendo. Hom. Apost. tr. 13. n. 84.
(2) N. 187. (3) Loc. cit. et q. 5. d. 4. (4) Ibid.
(5) L. 5. c. 6. n. 7. (6) C. ult. dist. 15.
(7) Dist. 4. q. 5. dub. 4. n. 103. (8) L. 5. sect. 5.
(9) Dub. 6. q. 13. p. 4. (10) Loc. cit.
(11) N. 105. (12) 2. 2. qu. 69. art. 2.
(13) Consil. l. 6. c. 5. dub. 20. n. 4.
(14) Tr. [illegible] 7. p. 2. n. 27. (15) Ibid.

in iudicio dicere est contra bonum commune, cum sit pervertere omnem iustitiae ordinem, et ideo illud quisque praeferre debet privato bono etiam propriae vitae.

Resp. 2. Quod opponere crimen verum, sed occultum testis vel accusatoris, licitum est reo, ut Sanch.[1] Ronc.[2] Salm.[3] Viva[4] et Milante[5]. *Vide dicta l. 3. num.* 969. Dummodo hoc sit absolute necessarium ad suae innocentiae defensionem; item dummodo alias reus non leve, sed grave damnum sit passurus, licet maius damnum eveniat accusatori vel testi, ut ait Sanch.[6].

Sed quid si reus vere commisit crimen, sed occulte, ita ut nullo modo probari possit, utrum tunc possit dicere, accusatorem mentitum fuisse; vel possit opponere crimen illius occultum. Affirmat Corella[7], et probabile recte putant Salm.[8] et Roncaglia[9] quia accusans reum de crimine omnino occulto, censetur in iure ac si de crimine falso accusaret, et calumniam afferret, ut dicit Glossa[10] his verbis: *Si renuntians non probat quod intendit, calumniari praesumitur*. Et ob eamdem rationem dicunt Sanch.[11] et Salm.[12] casu quo crimen rei est occultum et nequit plene probari, posse eum revelare delictum occultum testis ad sui defensionem; modo tamen (addunt) testis sponte deponat et non coactus; sed id admittunt Mil. ac Viva[13] et expressius Lugo[14] etiamsi testis sit coactus ad deponendum; iuxta enim communem dd. sententiam traditam a d. Thom.[15] et relatam *lib.* 3. *n.* 968. (quam rogo ut relegas) nemo tenetur cum suo gravi damno famam proximi servare.

278. « Quaeres, An reus teneatur revelare complices.

» Resp. 1. Si omnino occulti sint, nec aliis indiciis aut testimoniis convinci possint, non potest nec tenetur: si tamen vi tormentorum coactus prodat, ordinarie non peccabit, Les.[16] et Lay.[17].

» Resp. 2. Si crimen sit exceptum, tenetur etiam non rogatus: ideoque si nolit, secundum Nav. non erit absolvendus.»

Art. II. Quid liceat reo circa fugam poenae.

279. *An liceat reo iniuste damnato vim vi repellere aut positive resistere.*
280. *An reus qui vere deliquit possit fugere e carcere.*
281. *An damnatus ad mortem teneatur fugere si possit.*
282. *An reo ad fugiendum liceat decipere custodes et effringere carcerem. Et an tunc teneatur ad damnum carceris fracti.*
283. *An liceat aliis reum adiuvare ad fugiendum aut ad carcerem effringendum.*
284. *An damnatus ut fame pereat teneatur sumere cibum oblatum.*
285. *An et quando liceat reo appellare.*

279. « Resp. Quando sententia est materialiter iniusta, lata tamen secundum allegata et probata: etsi in conscientia non obliget, non potest reus iudici positive resistere, tum ob scandalum, tum quia tali casu iudex habet ius sententiam exequendi et ad id tenetur. Ita communiter Less. Sanchez contra Vict. Bonac. Lugo[18]. Dixi *positive:* quia reo, etiamsi vere reus sit, licet ante et post sententiam (quoad mortem vel poenam morti aequivalentem, v. g. perpetuum carcerem) fugere. Ratio est, quia quilibet tam magnum ius habet ad vitae suae conservationem, ut nulla potestas humana obligare possit ad eam non conservandam, si spes commoda ostendatur: nisi tamen bonum publicum aliud postulet. Less.[19].»

Sed clarius distinguendum et dicendum. 1. Si reus est damnatus iniuste, non solum secundum rei veritatem, sed etiam secundum allegata et probata, non potest quidem vim vi repellere, occidendo, vulnerando etc. Proscripta enim fuit prop. 18. ab Alexandro VII. quae dicebat: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam iudicem, a quo iniqua certe imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare*. Ratio huius est quia,

(1) Loc. cit. n. 1. (2) C. 2. q. 4. (3) Tr. 29. c. 7. p. 2. n. 30. (4) In dict. propos. 44. n. 12. (5) Ex. 24. (6) Loc. c. n. 4. (7) Exposit. prop. 44. damn. ab Innocent. XI. (8) Ibid. n. 32. (9) C. 2. q. 6. (10) In c. Cum dilectus, de calumn.

(11) Cons. l. 6. c. 5. dub. 20. n. 1. (12) Ib. n. 30 (13) In dict. propos. 44. Innocent. XI. n. 12. (14) D. 90. n. 23. (15) 2. 2. q. 73. art. 2. (16) Loc. cit. (17) L. 3. t. 5. c. 5. (18) D. 4. n. 38. (19) L. 2. c. 31. d. 3.

cum facile rei sibi persuadere possint iniuste esse damnatos, si eis occidere permitteretur, quamplura homicidia cum communi damno acciderent; ideo, ratione periculi facilis hallucinationis, fuit praefata propositio iuste damnata.

Potest tamen tunc reus licite non solum fugere, sed positive resistere, v. gr. satellites pellendo, vel eos etiam armis terrendo, ut e manibus eorum se eripiat. Ita s. Th. [1] Ronc. [2] Salm.[3] modo (ut iidem aa. advertunt) ex hoc non oriatur publicum scandalum et perturbatio.

Dicendum 2. e converso quod si sententia est omnino iusta, quia vere crimen reus patravit et satis fuit probatum, tunc non licet ei positive resistere, ut docet s. Th. [4] cum Bus. *hic*, Salmant. [5] et aliis communiter. Ratio quia sententia, cum sit iusta, reum ad obediendum obligat, ut ait s. Th.

280. Sed quaeritur hic 1. An reus qui vere deliquit possit a carcere fugere. Affirmatur 1. Si reus nondum ad poenam sit sententia damnatus: quia nemo ante sententiam tenetur solvere poenam, ut Ronc. [6] Salm. [7] cum Sayr. Salon. Affirmatur 2. Si quis sit damnatus ad mortem, aut ad aliam gravem poenam, ut infra, modo illi carcer non sit assignatus ad poenam, sed ad custodiam, ut docent s. Th. [8] Cai. Sot. Tol. Sa Bus. *hic* Ronc.[9] et Salm.[10] cum communi. Ratio quia sententia non damnat reum ad non fugiendum, sed tantum ad non resistendum ministris cum sententiam exequuntur. Idem autem quod de poena mortis, dicunt de poena mutilationis et flagellorum Salmant. Ronc. [11]. Et idem de poena triremium dicunt Lugo [12] et Ronc.

Si vero carcer sit iam per sententiam assignatus ad poenam, etiam perpetuo, tunc negandum reo licere e carcere fugere, quia in executione sententiae iustae tenetur utique reus obedire. Ita Navar. Sylv. Cai. etc. cum Salm. [13] et Ronc.[14] cum comm. contra Bus. Excipiunt tamen aliqui, si in carcere non dentur ei necessaria ad sustentationem, ut Salm.[15] vel si carcer esset nimis tristis, quia videtur supra vires humanas aliquem obligari ad se non liberandum, cum possit, sine vi et resistentia, a poena valde dura. Ita Bon. cum Pal. Confirmat hoc illud quod dicit s. Th.[16] quod damnatus ut fame pereat, licite cibum sumit. Eadem ratione probabiliter a Lugo Sanch. et Nav. cum Salm.[17] (contra Sayr.) excusantur damnati ad triremes, si fugiant e carcere: et etiam ab ipsis triremibus, ut tamquam probabilius tenent Sanch. [18] et Lugo Less. Bann. Led. Card. Nav. cum Salm. et Ronc.[19] contra Vasq. et alios). Item probabiliter Salm. et Ronc. [20] cum Navar. Salon. Lop. etc. excusant debitorem damnatum ad carcerem donec solvat, si fugiat, sperans facturum solutionem, quam in carcere exequi non posset.

281. Quaer. hic 2. An reus iuste damnatus ad mortem teneatur fugere e carcere si possit.

Prima sententia affirmat, quia alias videtur esse sui ipsius homicida. Ita Imola et Felin. apud Salm.[21] et asserunt sic colligi ex s. Thom. qui [22] dicit quod iuste damnatus ad mortem *non tenetur facere id unde mors sequatur, quod est manere in loco unde ducatur ad mortem*. Quamvis hanc sententiam probabilem vocent Salm. [23] longe veriorem tamen et tenendam puto *secundam sententiam*, quae docet tam detentum in carcere pro crimine capitali, quam iuste damnatum ad mortem, fugere non teneri, ut dicunt Sylv. Sot. Sa et plures cum Salmant. [24]. Ratio quia quamvis reus non possit facere actum immediate tendentem ad mortem, ut sua mutilare membra, e furca se deiicere, venenum potare etc., licent tamen ei actus mediati, ut ascendere scalam furcae, extendere collum ad patibulum, et sic in

(1) 2. 2. q. 69. a. 4. (2) De 8. pr. c. 2. q. 7. (3) Tr. 21. c. 7. p. 4. n. 50. et 51. (4) Ibid. (5) Cit. n. 51. (6) C. 2. q. 8. (7) Ibid. n. 53. (8) 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2. (9) Loc. cit. (10) Ib. n. 57. (11) L. c. (12) Disp. 40. sect. 1.

(13) Tr. 29. c. 7. p. 4. n. 54. (14) Loc. c. (15) Ibid. n. 53. (16) 2. 2. q. 69. a. 4. ad 2. (17) Ibid. n. 60. (18) Dec. l. 6. c. 8. n. 16. (19) Loc. c. (20) Ibid. n. 56. (21) Ibid. n. 61. (22) 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2. (23) Ibid. n. 63. (24) Cit. n. 63.

carcere manere; maxime si iustum finem habeat ut crimini satisfaciat, ut sua punitio aliis ad exemplum prosit, et sic intelligendus est s. Thom. ut supra, qui non dicit reum fugere teneri, sed tantum non teneri in carcere manere cum fugere possit.

Sed doctrinae quae usque adhuc relatae sunt loquuntur in casu quo sententia fuit omnino iusta vel iniusta. At remanet dubium a Salm. non satis distinctum, videlicet quid dicendum si sententia fuit tantum materialiter iusta, nempe tantum iusta secundum allegata et probata, sed non secundum veritatem, quia revera damnatus esset innocens; an tunc ipse posset ad poenam vitandam, non solum fugere e carcere, sed etiam positive resistere. Negat Busemb. et videntur assentire Salmant. [1] dicendo quod reus tenetur obedire sententiae iustae secundum probata. Attamen Ronc. [2] et Lugo [3] sat probabiliter dicunt quod in hoc casu bene posset reus positive se defendere; quia praesumptio debet cedere veritati, et ipsa innocentia tunc ad defensionem ius praebet: modo ex ea non oriatur publicum scandalum et perturbatio, ut supra diximus cum s. Thom. et aliis sup.

« 1. Regulariter reo licet fugere, etiamsi custos carceris gravem damnum inde passurus sit (saltem nisi iuraverit se mansurum); quia utitur suo iure et nulli facit iniuriam. Filliuc. [4] Azor. Less. [5] nisi tamen caritas aliud suadeat, ob damnum custodis praeponderans. Vide Bonac. [6].

» 2. Multo magis licet fugere ne capiatur; vel etiam a ministro apprehendente se excutere; non tamen illi vim inferre, vulnerando, percutiendo etc. [7], Regin. [8].

282. » 3. Licet etiam, saltem in foro conscientiae, custodes (praecisa vi et iniuria) decipere, tradendo v. g. cibum et potum, ut sopiantur, vel procurando ut absint; item vincula et carceres effringere, quia cum finis est licitus, etiam media sunt licita. Et licet alii captivi per effractum parietem simul elabantur, non tenebitur de damno; quia tantum est eius causa per accidens, cum iure suo utatur. Nec refert quod leges et magistratus quidam tales effractores graviter puniant; id enim fit quod vel contrariam sententiam sequantur, vel ex praesumptione quod vim intulerint custodibus, vel quod propter bonum reipub. ea poena statuta sit. Fill. [9] Tan. [10] ex aliis multis. Vide Lugo [11].»

Idem (id est quod liceat effringere carceres) probabilius sentiunt cum Busemb. Caiet. Sot. Val. Nav. Tol. Less. Lugo Sa et quamplures cum Salm. [12] et Ronc. [13] contra Covar. Sylv. Tab. etc. An autem tunc reus teneatur reficere damnum illatum in carcerem, ferra, vel parietes frangendo etc. Affirmant Less. Cai. cum Salm. [14]. Sed probabile est oppositum cum Salm. [15] Bann. Val. Sayr. quia illud damnum evenit per accidens; caeterum qui habet ius ad suam vitam tuendam habet etiam ius ad damnum alteri inferendum in bonis, si pro defensione vitae opus sit damnum illud inferre.

Consentiunt etiam cum Bus. Salm. [16] et Ronc. [17] in dicendo quod liceat reo decipere custodem, ut possit fugere, modo tamen (addunt) tales actus et verba adhibeat, ut possit custos fraudem agnoscere. Secus tamen si custos advertere nequeat, quia tunc nullo modo dici potest quod custos sciens et volens damnum ex fuga illi obveniens patiatur. Ita Salm. [18] quorum auctoritati obsequium servo; sed non valeo intelligere cur reo, cui licitum est fugere, non liceat etiam artes adhibere ad fugiendum (dummodo mendacia non adhibeat), etiamsi illas custos non possit advertere, et ex fuga damnum ei sit obventurum, cum reus tunc utatur iure suo, et damnum custodi per accidens eveniat. Favet mihi doctrina quam

(1) Tr. 29. c. 7. p. 4. n. 51. (2) L. c. c. 2. q. 7. (3) D. 40. n. 29. (4) T. 40. c. 4. n. 274. (5) D. 5. n. 31. (6) D. 10. q. 3. p. 2. n. 13. (7) Ibid. (8) L. 24. n. 4. (9) Loc. cit.

(10) D. 4. q. 4. dub. 5. (11) D. 40. sect. 4. (12) Tr. 29. c. 7. p. 5. n. 67. (13) C. 2. q. 8. resp. 3. (14) Ibid. n. 78. (15) Ibid. n. 77. (16) Ib. p. 4. n. 65. (17) C. 2. q. 8. r. 5. (18) L. c

cum Bus. et pluribus tenent iidem Salmant.[1], nempe quod damnatus ad mortem bene potest effringere carceres ad fugiendum, licet ex fuga damnum obveniat custodibus; ut expresse docet Cai. apud Salm. [2]. Ratio quia tunc reus dat operam rei licitae.

Asserunt autem Roncagl.[3] et Salm.[4] cum Tamb. Ang. etc. bene licitum esse reo carceris custodem corrumpere pecuniis; quia, ut dicunt, reus ius habet ad suam vitam servandam, et nullum praeceptum adest id prohibens. Sed huic doctrinae nec etiam possum acquiescere; nam, licet quisque ius habeat ad vitam, nemo tamen potest alterum inducere ad faciendam actionem intrinsece malam; actio autem custodis, si ostium reo aperiat ad fugiendum, certe est intrinsece mala, cum peccet contra suum officium; nescio igitur quomodo possit ad illam custos positive induci.

283. « 4. Illis qui non sunt ministri iustitiae, licet non solum consilio iuvare reum ut fugiat, sed etiam, suppeditatis instrumentis, v. gr. funibus, lima etc., quia finem alteri licitum illi suadere, et ad eumdem media proponere licet. Less. [5] Tann. [6] Sylv. Turr. Vasquez (Ita etiam probabiliter tenent Caiet. Less. Sanch. Lugo Sa etc. cum Salmant. [7] et Ronc. [8] contra Sot. Sylv. Tab. Val. etc. apud Salm. [9] et contra Elbel [10]. Recte vero limitant Roncag. [11] et Salm. [12] cum Lugo, si fuga rei esset perniciosa reipublicae, puta si reus esset grassator viarum aut similis).

» 5. Non tamen licet iuvare in effractione carceris, ut habet communis, (Cum Ronc. [13]) tum quia executio ipsa effractionis soli reo licita est, propter ius vitae conservandae; tum ne alioqui omnis securitas carceris pereat. Les. [14] Bonac. [15].»

284. Quaeritur hic 1. An damnatus ut fame pereat teneatur cibum sumere si ei offeratur. Certum est quod potest, ut docet s. Th.[16] cum communi. Alii tamen dicunt, etiam sumere teneri, quia quilibet debet suam vitam servare omni licito modo quo potest. Ita Caiet. Bann. Covarr. etc. cum Salm.[17] et his consentit Lugo [18] qui tamen admittit posse reum semel vel iterum respuere cibum clam oblatum. Sed probabilius non tenetur, quia aliud est vitam positive perdere, aliud vitam negative non conservare; hoc enim licitum est reo ex recto motivo iustitiae, ut poenam subeat sui criminis, sicut potest non fugere, cum possit, ut diximus. Ita Ronc. [19] cum Sayr. Sot. Tab. Maior. apud Salm.[20] qui satis probabile vocant: et oppositum censendo probabilius non sibi conveniunt, cum in eodem tractatu [21] teneant, bene posse aliquem in naufragio cedere tabulam amico, ob eamdem rationem nostram, quia hoc non est directe se necare, sed vitam non tueri, quod ex causa honesta licitum est.

Quaeritur 2. An liceat aliis cibos reo subministrare. Respondetur ex communi dd. hoc licere omnibus, praeterquam ministris; sed nemo ad id tenetur, quia, eo ipso quod quis ad fame pereundum damnatur, privatur iure ut sibi ab aliis in extrema necessitate succurratur. Ita s. Thom.[22] Caiet. Sot. Sa etc. cum Salmant.[23]. An autem reus ex praecepto iudicis possit ipse se occidere. Duplex est probabilis sententia. *Vide dicta de* 5. *praec. l.* 3. *n.* 369.

285. Quaeres an reo liceat appellare.

« Resp. Si sciat sententiam esse iustam et iuste processum esse, non licet (licet tamen supplicare), quia id esset iudici calumniam imponere. Imo iniuste appellans tenetur de damno. Si vero putet sententiam iniquam esse, aut iniuste processum esse, aut si diversae sint opiniones, potest appellare. Vide Trull. [24].»

Pro maiori intelligentia dicimus licere quidem reo ad iudicem supremum appellare, non solum si sententia in-

(1) Tr. 29. c. 7. p. 5. n. 67. (2) Ibid. n. 77. (3) L. c. (4) Ibid. p. 4. n. 64. (5) L. c. t. 6. n. 40. (6) Loc. c. (7) Ibid. p. 5. n. 72. (8) Q. 8. r. 4. (9) Ibid. n. 171. (10) De hom. n. 17. (11) Ibid. (12) Ibid. n. 75. (13) Loc. c. (14) Loc. c.

(15) D. 10. q. 3. p. 1. (16) 2. 2. q. 69. a. 4. ad 2. (17) Tr. 29. c. 7. p. 5. n. 80. (18) D. 10. n. 5?. (19) L. c. (20) Ib. n. 81. (21) De rest. c. 2. n. 54. (22) 2. 2. q. 31. art. 2. ad 3. (23) Ibid. n. 84. et 85. (24) L. c. n. 10?

ferioris fuerit iniusta, sed etiam si secundum allegata fuerit iusta, at reus habeat pro se novas probationes. Salmant.[1] cum Nav. Secus tamen, si sententia lata fuerit omnino iusta, nec oppositum probari possit. Salm.[2].

Quid, si iustitia sententiae latae sit dubia. Resp. in causa criminali et capitali potest profecto reus appellare ad iudicem superiorem, ut Sal. Sot. Bann. et ipsi Salm.[3]. Et hoc, etiamsi ius rei sit minus probabile, quia dicunt dd. citati cum Corella Lumbier Torrecill. et Filguera apud Salm.[4] quod, existente pro reo opinione probabili, licet minus probabili, pro ipso est iudicandum, ex regula iuris 11. in 6.: *Cum sunt partium iura obscura, potius reo quam actori est favendum. V. dicta n.* 210.

Secus autem dicendum in causa civili, quando certe ius contra reum minus probabile est; quia tunc superior, si iuxta opinionem minus probabilem pro reo iudicabit, certe inique aget, ex propos. 2. damnata ab Innoc. XI. ut Salm.[5]. Sed quid si dubium sit an iudex superior iuste laturus sit sententiam pro reo. In tali casu probabiliter Salmant.[6] cum Bus. dicunt posse reum appellare, etiam in causa civili; quia cum mentes hominum sint diversae, forte opinio quam iudex inferior minus probabilem censuerit, superiori probabilior apparebit, et hoc experiri non sine iusta causa licite potest reus, cum ius probabile iam pro se habeat: et ita esse praxis videtur omnium appellantium.

DUBIUM VIII. Quomodo confessario agendum cum reo.

286. « Resp. observanda sequentia: 1. Instruat eum, quod quae secum in foro conscientiae agit, cum iudicibus non communicentur, ideoque sive sit nocens sive innocens, id ei nec prodesse nec obesse possit. Ratio quia alias multi conantur se falso probare innocentes, ut a confessario iuventur: alii contra falso se innocentes dicunt, quod timeant ne confessarius conferat cum iudicibus, ipsique revocentur ad torturam. Unde expedit: 1. Ut non temere evulget confessarius accepta extra confessionem. 2. Ut ad confessionem sacramentalem reum non admittat, nisi postquam in foro profano res sunt liquidae; vix enim adigi poterit ut omnia fateatur ob timorem, ne vel deferatur vel cogatur eadem fateri iudici; ante tamen de contritione agendum est. Delrio[7] Tann.[8].

» 2. Ne cogat importunis modis reos ut se tales fateantur: tum quia vere quidam rei non sunt, et victi illa importunitate, ne moriantur incommunicati, vel a confessario in extremis deserantur, confitentur sacrilege; tum quia frustra est confessio, nisi fiat ex contritione et vera ad Deum conversione; de hac ergo laboret, et sequetur bona confessio, non autem contra. Tann.[9].

» 3. Caveat ne coram reo censuret modum procedendi iudicialem: proindeque communiter non admittat querelas de iniuria facta, cum non sit confessarii ea iudicare, sed ad poenitentiam disponere.

» 4. Etsi quidam auctores permittant iudici uti dolis bonis ad crimen eliciendum, non tamen id licet confessario ne ministerium eius infametur.

» 5. Non licet secundum concilium antiochenum[10]. *Non licet*, palam interesse tormentis, aut suggerere modum torquendi, nisi mitiorem. Vide Tann.[11].

» 6. Expedit habere cognita indicia et probationes deprehensas in iudicio, ipsumque modum processus, ut et prudentius possit in suo foro agere, et iudicem, sicubi opus, prudenter admonere.

287. » 7. In confessione examinet: 1. An consortes criminis prodiderit (si secundum supradicta tenebatur), et quidem si falso alios infamarit, inducat ad revocationem, etiam cum periculo torturae. Vide Tann.[12] *et dicta dubio superiore*. 2. Si saga sit, quo tempore, qua

(1) Ibid. p. 3. n. 38. (2) Ibid. n. 42.
(3) Tr. 29. c. 7. p. 3. n. 45. (4) Ibid. n. 48.
(5) Ibid. n. 46. (6) Ibid. n. 48.
(7) L. 6. c. 1. s. 3. (8) D. 4. q. 5. dub. 4. (9) L. c
(10) C. 3?. et 35. (11) D. 4. q. ult. d. 5. n. 128
(12) D. 4. q 5. d. 4. n. 104.

occasione in magiam sit lapsa, ut si postea negat, convinci possit in eodem foro. 3. In qualitatem superstitionis, an ex animo christianae fidei renuntiaverit, daemonem adoraverit, falsa de Deo et aeternitate senserit, rebus sacris abusa sit, hominibus nocuerit, praesertim coniunctis, ut marito, liberis, et an alios seduxerit. Item de peccatis carnalibus. Denique confessae aperiat fraudes daemonis, instruatque quomodo iis deinceps occurrendum, atque inter caetera suadeat fidei professionem et frequentem symboli repetitionem.

288. » 8. Saepe non expedit post supplicium iudici significare, reum in extremis denuntiationes revocasse, tum quia iudices id parvi faciunt (quam recte, vide apud Laym. et Tann. [1]), tum quia frangit sigillum sacramentale, si non petita licentia, innocentiam denuntiati evulget, cum eo ipso revelet peccatum denuntiantis. Quare, si aliquando iudicem monere expediat, rogandus est reus ut id extra confessionem et coram testibus dicat eo fine ut iudex moneatur.

289. » 9. Si alicuius innocentiam ex confessione colligeret (quod etsi difficile, non tamen impossibile esse docet Tann. [2]), id iudici aperire ac pro reo intercedere periculosum est; quia post publicatam rei confessionem, ei non credetur; tum quia, si plures audiat, hoc ipso aliorum nocentiam de illis tacendo videtur confirmare, cum fractione sigilli; tum quia si rei cognoscant eum pro innocentibus intercedere, occasionem arripient ei callide sua facinora celandi. Vide Laym. [3] Tann. [4].

290. » 10. Etsi pro reis, etiam iuste damnatis, intercedere aliquando possit, maxime apud magistratum supremum, iuxta scripturam [5]: *Erue eos qui ducuntur ad mortem etc.*: valde tamen prudenter et moderate id faciendum, quia relaxatio potest esse illicita, iudexque (non tamen confessarius, nisi ea praeviderit) fieri reus malorum omnium quae ex liberatione sequuntur; imo et ipsi imputabuntur, cum ex officio debuerit impedire. Vide Bon. [6] Tann. [7].»

DUBIUM IX. Quae obligatio medicorum et pharmacopolarum et chirurgorum.

291. « Resp. Tenentur ii in primis, quando tale officium petunt vel suscipiunt, sub gravi obligatione sufficientem habere scientiam sive peritiam. Nav. [8] Anton. Carden. de Lugo [9]. Deinde in curandis infirmis servare sequentes regulas: 1. Ordinarie debent sequi opiniones medicorum securas et tutas. Ratio est, periculum et damnum proximi. Ita Bonac. Layman Sanch. [10]. 2. Quando certum aliquod est pharmacum, quod nimirum certo infirmis profuturum est, tenentur illud adhibere, omisso eo de quo dubitatur, quia alias imprudenter proximum in periculo relinquerent. 3. Si non sint certa pharmaca, debent adhibere probabiliora et tutiora; tum quia alioqui salutem proximi in discrimen adducerent: tum quia tenentur fungi officio, quantum possunt, cum minimo proximi periculo et damno. 4. Quando nulla est spes de salute infirmi, nec adest remedium nisi dubium, de quo scilicet dubitatur num profuturum an nociturum sit, possunt, imo debent illud adhibere. Ratio est quia sic infirmi negotium utiliter geritur, et si mors sequatur, ipsis non imputabitur, cum alias spem vitae non habeat. Layman [11] Fill. [12] Bonac.[13] (Est probabile iuxta dicta *l.* 1. *n.* 46.).

Unde resolves:

» 1. Medicus peccat: 1. Si absque sufficienti peritia gravem morbum curare tentet. 2. Si occurrenti gravi et insolito morbo, speciali studio operam non impendat. 3. Si det pharmacum infirmo, quod probabilius creditur nociturum, quam profuturum. 4. Si medicamenta inexplorata explorandi gratia adhibeat, praesertim quando de iis non est opinio probabilis, et habet medicamenta

(1) Loc. c. (2) Dist. 4. q. 5. dub. 4. n. 85. (3) L. 3. t. 6. c. 5. (4) D. 4. q. 5. d. 4. n. 65. (5) Prov. 24. 11. (6) In 3. pr. d. 10. q. (7) De iust. dub. 4. q. 5. d. 4. (8) C. 25. n. 60. (9) D. 26. n. 1. (10) 1. mor. c. 9. (11) L. 1. tr. 3 c. 5. (12) N. 132. (13) De pecc. d. 2. q. 4. p. 9

probabiliter utilia. 5. Si non bene perspecta morbi natura, temere adhibeat remedia obvia vel periculosa, praesertim cum discrimine vitae vel gravis laesionis. 6. Si, agnito aegroti periculo, opportune non adsit, aut necessariam curationem negligat, aut medicos alios adhiberi non permittat. 7. Si aliquid suadeat Dei honori vel praecepto contrarium, v. gr. incantationem, pollutionem, superstitionem etc. 8. Si facile et sine necessitate a ieiunio absolvat, carnium esum permittat. 9. Si aegrotantem pauperem in periculo constitutum contemnat. Vide Bon. [1] Nav. [2] Azor. [3] Escob. [4] (Recte hinc dicit Croix [5] peccare medicum qui omittit medicinas gratis praescribere pauperibus in gravi periculo constitutis).

» 2. Pharmacopola peccat: 1. Si rudis et ignarus munus exerceat. 2. Si sine arte vel diligentia medicamenta conficiat. 3. Si melle in potionibus pro saccharo utatur. 4. Si unum medicamentum pro alio (nisi tamen esset aeque bonum et non maioris pretii) contra medici praescriptum, cum gravis damni periculo porrigat (*Vide dicta de contract. lib.* 3. *n.* 811.). Vide Salas[6]. 5. Si medicamenta ad non pariendum, vel ad foetum expellendum vendat. 6. Si pharmaca vendat inutilia etc. Vide Escob. [7].

DUBIUM X. Quae obligationes mercatorum, opificum et caeterorum saecularium.

» Resp. Eae patent ex dictis de septimo praecepto ex quibus resolves:

292. » 1. Mercator peccat: 1. Si venenum, vel alia prohibita vendat, cum suspicione pravi usus (*Vide dicta l.* 2. *n.* 72.). 2. Si paratus sit quodcumque pretium, etiam iniustum, ab emptore accipere. 3. Si rem carius quam supremo pretio vendat ob dilatam solutionem. 4. Si mercium defectum gravem occultum non aperiat: pondus et mensuram imminuat. 5. Si in emptorum iniuriam monopolium iniustum instituat, merces omnes unius generis sibi comparet, immoderato quaestu pro libito vendendas. 6. Si merces ab eo qui non novit, emat pretio minore vel cariore vendat ignoranti. 7. Si merces veteres et inutiles novis admisceat, et vendat eodem pretio utrasque. 8. Si iusta tributa defraudet. 9. Si tempore debito, cum possit, non solvat creditoribus, cum gravi eorum damno. 10. Si mercibus solvat quod pecunia debet, contra creditoris voluntatem. 11. Si diebus festis publice emat vel vendat contra consuetudinem permissam. 12. Si iuret falso se tanto pretio merces comparasse. 13. Si contractum ineat quemcumque, dubitans de eius iustitia. 14. Si emat res furtivas, etc. Vide Escob. [8] (*Vide dicta de restit. l.* 3. *n.* 599.).

» 2. Bibliopola peccat: 1. Si vendat libros prohibitos vel lascivos. 2. Si librum defectu laborantem vendat pro integro, etc. Vide Escob. [9].

» 3. Argentarius sive aurifaber peccat: 1. Si aes pro auro vel argento vendat. 2. Si auro vel argento plus aeris misceat quam ars requirit, et emptoribus mixtionem non significet, neque minuat pretium. 3. Si ex rebus furtivis aliquid emat mala fide. 4. Si communem lapillum pro pretioso vendat, vel pretiosum pro vili emat, etc.

» 4. Sartor, sutor et caeteri opifices peccant: 1. Si iurent se tali die opus perfecturos, quod sciunt, vel dubitant non futurum. 2. Si plus materiae exigant, quam ad opus sit necessarium; aut partes alicuius momenti quae supersunt, retineant sine voluntate domini. 3. Si diem festum sine gravi causa violent, per se vel per suos famulos. Vide Escob. [10].

(1) Loc. cit. (2) C. 15. (3) 1. p. l. 2. c. 17. q. 11. (4) Lib. 2. e. 3. c. 9.
(5) L. 1. n. 1534. (6) D. 34. (7) Loc. cit. — In textu Busemb. additur sequens numerus 3. qui in huius operis editionibus quidem non invenitur, ast errore typographi omissus recte censetur.
« 3. Peccat chirurgus: 1. Si sine scientia et peritia sufficienti vulnera curare tentet, cum periculo erroris. 2. Si medicum, quando gravitas vulneris exigit, non consulat. 3. Si lucri amore curationem protrahat. 4. Si mercedem iusto maiorem exigat. 5. Si abortus causa venam aperiat, aliudve remedium adhibeat. Vide Escob. loc. cit. »
(8) T. 2. e. 2. c. 12. (9) C. 13. (10) L. 1. c. 13.

INDEX

DISSERTATIO PROLEGOMENA

PARS I. HISTORICA

PARS II. DIDACTICA SEU DE LOCIS MORALIS THEOLOGIAE

PARS III. APOLOGETICA PRO CASUISTIS

THEOLOGIAE MORALIS

LIBER PRIMUS

TRACTATUS PRIMUS DE CONSCIENTIA

TRACTATUS SECUNDUS DE LEGIBUS

LIBER SECUNDUS

DE PRAECEPTIS VIRTUTUM THEOLOGICARUM

TRACTATUS PRIMUS DE PRAECEPTO FIDEI

TRACTATUS SECUNDUS DE PRAECEPTO SPEI

TRACTATUS TERTIUS DE PRAECEPTO CARITATIS

LIBER TERTIUS

DE PRAECEPTIS DECALOGI ET ECCLESIAE

TRACTATUS PRIMUS DE PRIMO PRAECEPTO DECALOGI

TRACTATUS SECUNDUS DE SECUNDO PRAECEPTO DECALOGI

TRACTATUS TERTIUS DE TERTIO ET QUARTO PRAECEPTO

TRACTATUS QUARTUS DE QUINTO ET SEXTO PRAECEPTO

TRACTATUS QUINTUS DE SEPTIMO PRAECEPTO DECALOGI: NON FURTUM FACIES

TRACTATUS SEXTUS

DE PRAECEPTO OCTAVO, NONO, DECIMO ET DE PRAECEPTIS ECCLESIAE

LIBER QUARTUS

DE PRAECEPTIS PARTICULARIBUS CERTO HOMINUM STATUI PROPRIIS

HABITA FACULTATE

DATE DUE
